UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis

In Quatuor Partes Distributæ

In qua de Incarnatione Verbi & Mysteriis vitæ Christi, nec non de Sacramentis in genere & singulis in specie succinctè & dilucidè tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiae, 1675

urn:nbn:de:hbz:466:1-72963

Visual Library

Th. 441a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SUMMÆ THEOLOGICÆ SCHOLASTICÆ ET MORALIS

IN QUATUOR PARTES DISTRIBUTÆ

PARS QUARTA,

In qua de Incarnatione Verbi & Mysteriis vitæ Christi, nec non de Sacramentis in genere & singulis in specie succincte & dilucide tractatur.

Collegii Societatis Jesu Paderbornæ 1688.

AUCTORE

F. GUILIELMO HERINCX Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum, Ex-Definitore Generali; Provinciæ Germaniæ Inferioris Patre perpetuo, S. Theol. Lect. Jubilato, & super Provincias Germaniæ Superioris, Belgii, Hiberniæ, Angliæ, [illegible] Daciæ, cum plenitudine potestatis in utroque foro Commissario Generali.

LL

EDITIO SECUNDA.

AUCTIOR ET RECOGNITA.




ANTVERPIÆ.

APUD PETRUM BELLERUM.

M. DC. LXXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



ILLUSTRISSIMO VIRO

D^NO. LEONI IOANNI DE PAPE

REGI IN HISPANIA

AC BELGIO A CONCILIO STATUS,

SANCTIORIS SENATUS

CAPITI AC PRÆSIDI,

PRIMORUM

SIGILLORUM

CUSTODI.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

LUCUBRATIONES meæ de Incarnatione Verbi Divini, ejusque in assumpta carne conversatione & œconomia, ac potissimum de septem ab eo institutis, suæque Ecclesiæ relictis Sacramentis (*per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*, juxta Concilium Tridentinum sess. 7. in proœmio) nunc iterum auctiores lucem vident; idque sub auspicio Illustrissimi Nominis Tui. Gestiebat quidem animus com-

communem Tibi ex Hiſpaniis cùm ſuprem Proto-Præſidis dignitate pro meritis obtenta ad gratulantium lætitiam publico monimento te ſtari; tum me- tum Religionis nomine, quæ jam olim adhuc in minoribus conſtituti patrocini gloriabatur: ſed prælo ob intercurrentes occupa tiones protracto, moram hanc benignitate ſoli tâ purgandam confido. Invitabat quoque ma teriæ dignitas: ipſeque offerentis affectus pon dere ſuo in Te ferebatur, qui nimirum jam in de ab adoleſcentia tuos, tuorumque mores a juſtitiæ Chriſtianæ normam componere, motu que animi ad ejus velut primi mobilis motum dirigere ſategiſti, & ſatagis uſque modò.

Genus quidem Tibi nobile & antiqua ſtirpe decorum. Prognatus nimirum Lovanii, antiquâ ſapientiæ ſede, Majoribus & ſago & togâ claris. Verùm mavis non tam generis nobilitate, quàm juſtitiæ Chriſtianæ merito laudabilis eſſe potiùs quàm videri. *Probati enim viri genus, virtutis proſapia eſt*; teſte Ambroſio l. de Arca & Noë c. 4.

In patrio ſolo vix Juriſprudentiæ palæſtram egreſſus, laureaque donatus, mox quaſi aliis natus, publicis admotus negotiis, pedetentim & per gradus faſtigium conſcendiſti. Etenim *magnus juſtitiæ ſplendor: quæ aliis potius nata, quàm ſibi*, teſte Ambroſio l. 1. Offic. c. 28. In ſyndicum quippe &

Con-

Consiliarium Urbis Bruxellensis primùm cooptatus, spartham hanc prudentiæ justitiæque libramine sic adornasti, ut dotibus tam naturæ quàm gratiæ illectus Rex maximus Te in supremo suo Brabantiæ senatu ad clavum Justitiæ sedere jusserit. Sedisti verò ea sapientiæ ac justitię laude, etiam populi prœconiis celebrata, ut non ita post Causarum Fiscalium per Ducatus Brabantiæ & Limburgi administrum è multis prœstantibus viris unum sibi Rex idem selegerit, qui nimirum, juxta monitum Sapientis, valeret virtute irrumpere iniquitates, neque extimesceret faciem potentis, nec scandalum poneret in œquitate sua. Ad alia interim publica graviaque negotia cum primis Imperii Principibus, cum Statibus Fœderatarum Provinciarũ pertractanda, ad obstinata quoque de iure Regnorum inter Regem nostrum & Regem Galliæ componenda dissidia deputaris; *Sapiens* enim *cor & intelligibile in operibus justitiæ successus habebit*. Eccli. 3. Ad latus Te suum Rex dein adscivit, Jumenque tuum Hispaniis intulit, ut Madriti in Concilio Status, Belgii Burgundiæque res gerendę Tua, hoc est, singulari, curæ; industria, prudentia dirigerentur. Sed nec ibi status. Vix enim modico ibi tempore subsitisti, & sidus tuum ad nos retraximus, dum Sanctioris Concilii Proto-Prę-

ses proclamatus, consilio & auxilio in rebus & temporibus difficillimis Belgicæ labanti manum suppositurus ad nos magni Regis jussu remitteris. Hîc jam Te Hierarchiæ politicæ supremum Hierarcham sedentem ac præsidentem, veluti à Deo datum, læti omnes inspicimus, suspicimus & gratulamur.

Gratulabatur olim sibi, nec immeritò, Valentinianus Imperator, intellecto populi Mediolanensis Ambrosium Episcopum deposcentis desiderio, quòd cerneret delectos à se judices ad Sacerdotium postulari. Non minor hodie Belgis materia gratulandi, quòd cernat viros Sacerdotio dignos in Proto-Præsides nominari. Ipsa etenim hodie sapientia rediviva videtur, quæ constanter Te dirigit ac præcedit in viis justitiæ. Monitum Sapientis Eccli. 4. in tabulis cordis tui descriptum teres: *Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Quos vincere nosti patientiâ Christianâ, quæ nobilissimum vindictæ genus. Benignitas quoque erga omnes, etiam infimos, adeo Te amabilem ac venerabilem reddit, ut, meo quidem judicio, neminem nostrâ memoriâ viderim, quem magis revereantur, quem minùs vereantur. Modestia cultûs & morum, veluti gemmula carbun-

bunculi in ornamento auri, mirum quàm oculos intuentium perstringat pariter ac delectet. Domestica si spectemus, familiam (in quæ ex nunc plures utriusque sexûs numerantur sacræ seu religiosæ militiæ adscripti) intuemur adeo ordinatam, ut potius religiosa examina, quam aulæ sæcularis mancipia cernere videamur. Ut & cum reliquis, quas in Hierarchis Ecclesiæ Apostolus 1. ad Timoth. 3. requisivit, qualitatibus, adsit, immò emineat illa: *Oportet esse domui suæ bene præpositum, filios habentem subditos cum omni Castitate. Si quis enim Domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei* (adde, Reipublicæ Christianæ) *diligentiam habebit?* Et quid verbis opus? Res ipsa vociferatur: adeò ut meritò beatum populum dixerim cujus Tu Rector ac Præses constitutus es. Scitè enim ac verè Plutarchus in Numa: *cum Reges* (Præsides) *sapientes sunt & sancti; tunc Respub. maximum quoddam ac divinum donum à Deo se accepisse existimet.*

Accipe igitur ILLUSTRISSIME DOMINE hoc publicæ gratulationis testimonium, opus dico hoc Theologicum: quod, si quidquam cuiquam, bono ac interiore affectu Tibi do dedicoque: utinam virtutum tuarum tam perpetuum, quam mei affectûs cultûsque

cultûsque sinceri monumentum. Nunc vota nostra sunt, ut, dante illo cujus perpetuo Numine hæc Mundi machina regitur, diu Belgica nostræ præsis ac prosis, inque Te verificetur dictum Sapientis Eccli. 10. *Principatus sensati stabilis erit.* Ita vovet, ac tandem beatam æternitatem precatur.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONIS

vestra Observantissimus servus

F. GUILIELMUS HERINX.

Antverpiæ Kal. Decemb. 1674.

FACULTAS MINISTRI GENERALIS.

PAter Franciscus Maria Rhini de Politio totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P.N. S.Francisci Minister Generalis & servus &c. Dilecto nobis plurimum in Christo Rev^do. Patri Fratri Guilielmo Herinx Provinciæ nostræ Germaniæ Inferioris in Belgio Sacræ Theologiæ Lectori Iubilato & Patri, nec non totius Ordinis nostri Definitori Generali salutem in Domino sempiternam.

QUandoquidem intellexerimus Paternitatem vestram meditari secundam editionem *Summæ suæ Theologicæ Scholasticæ & Moralis in quatuor partes distributæ*, ubereſque primæ editionis fructus nobis innotuerint: Hinc confidentes non minores ex secunda nascituros, tenore præsentium cum salutaris obedientiæ merito Paternitati vestræ Reverendæ facultatem concedimus, & adhortamur, ut servatis servandis, eamdem suam Summam denuò, & alia quæ præ manibus habet, ad majorem Ordinis honorem, beneficio præli publici Juris faciat. Datum sub Chyrographo nostro sigilloque majori officii nostri, Parisiis in magno nostro Conventu Regular. Observ. die primâ Januarij, Anno reparatæ salutis supra Milleſimo, Sexcenteſimo, Septuageſimo primo.

Fr. Franciscus Maria Rhini de Politio
Minister Generalis.

Locus sigilli.

De mandato suæ Reverendiſſimæ Paternitatis.
F. Franciscus à Trevinio *Secretarius Generalis Ordinis & linguarum.*

Approbatio Theologorum Ordinis.

QUoniam omnia primæ editionis exemplaria quartæ partis, in qua tractatur de Incarnatione Verbi Divini & Myſteriis vitæ Christi, nec non de Sacramentis tum in genere, tum in ſpecie Auctore R^mo. P.F.Guilielmo Herinx ſuper Provincias Germano-Belgicas cum annexis Commiſſario Generali, totius Ordinis Ex-Definitore; Provinciæ Germaniæ Inferioris Patre perpetuo, ac in Academia Lovanienſi Lectore Jubilato, ob ſtyli claritatem, Doctrinæ ſanitatem, fundamentorum, quibus eam probat, ſoliditatem, ſimul cum ſcribendi brevitate (quod rarum eſt) conjunctam, ab omnibus veræ ſcientiæ amatoribus, tum intra, tum extra Ordinem noſtrum ſummoperè laudata & æſtimata, avidâque cupiditate expetita, modico ob impreſſionis tempore ſint divendita & diſtracta: ac materia ab Auctore magnâ ſedulitate reviſa, ac ſolitâ methodo variis in locis utiliter aucta, à nobis autem diligenter relecta & commendata;

ab

ab aliis verò non minori desiderio sit exspectata. Hinc nos propter firmam uberioris fructûs & gustûs confidentiam, sentimus dignissimam, ut mediante præli beneficio publicam lucem videat, & toti orbi ad Incarnatum Verbum omnium Sacramentorum Auctorem, facem præferat. Lovanii 24. Octobris Anno 1674. in Conventu nostro Fratrum Minorum Recollectorum.

F. Judocus Scaillet *S. Theol. Lector.*
F. Petrus de Mattemburch *S. Th. Lector*

Alia Approbatio.

Incarnati Verbi Mysterium, per quod lux divinæ claritatis mentis nostræ oculis infulsit, & Sacramentorum, quibus divini istius Verbi consortes, ac hæredesque efficimur, doctissimè, more suo, brevitate clarâ, claritate sua tisi explicat, illustratque hisce auctioribus Tractatibus R^mus. in Christo Pater Frater Guilielmus Herinx Ordinis Fratrum Minorum Lector Jubilatus, nec per Provincialis & Definitor Generalis, modo Generalis similiter per Belgium Germaniam, Britanniam &c. Commissarius (quidquid clamitent Scholastici Theologiæ novelli, uti alias Lutherus, aliique ejusdem osores) utilissimè ad sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum intelligentiam; imprimentur, legenturque. Datum Lovanii 25. Octob. 1674.

Nic. Du Bois *S. Scripturæ Regius & primarius Professor, Librorum Censor. &c.*

Censura Censoris Ordinarii.

Infrascriptus censeo *Summam Theologicam Scholasticam & Moralem*, à Reverendo Admodum Patre F. Guilielmo Herinx, totius Ordinis Sancti FRANCISCI Definitore Generali, Provinciæ Germaniæ Inferioris Ex-provinciali Ministro, ac Sacræ Theologiæ in Academia Lovaniensi Lectore Jubilato, à variis Theologis examinatam & approbatam, utiliter denuò in Lucem Typis edi posse. Datum Antverpiæ 13. Septemb. 1670.

Aubertus vanden Eede *Canonicus & Archidiaconus Antverpiensis Librorum Censor.*

Appro

Approbationes primæ Editionis.

QUâ dilutidâ brevitate, ſtyli ſuavitate, & ſolidâ materiarum abundantiâ *Summam Theologicam Scholaſticam & Moralem* inchoavit V. A. P. F. GUILIELMUS HERINX S. Theologiæ Lector Jubilatus ac Provinciæ Germaniæ inferioris Cuſtos Cuſtodum, eâ & coronidem à veræ & incorruptæ Theologiæ amatoribus dudum expetitam in hac quarta Parte feliciter impoſuit. Quare ad majorem, tum Studioſorum, tum Profeſſorum utilitatem luce publicâ digniſſimam cenſemus. Lovanii in Conventu noſtro Fratrum Minorum die 28. Octobris 1660.

F. PETRUS DE VIESE *Sacræ Theol. Lector.*

F. JOSEPHUS DUYSELIUS *Sacræ Theol. Lector.*

F. COSMAS MEERSMANS *Sacræ Theol. Lector.*

HÆc *Quarta Pars Summæ Theologicæ Scholaſticæ & Moralis* Reverendi Admodum & Eruditiſſimi Patris GUILIELMI HERINX Ordinis FF. Minorum Lectoris Jubilati & Provinciæ Germaniæ Inferioris Cuſtodis Cuſtodum, ſicut fideliter & Orthodoxè, ſic breviter, terſo ſtylo, pauciſque multùm ac multa complectente, proponit & explicat Humani generis *Delicias* ac *Divitias*, nempe JESUM CHRISTUM ejuſque Sacroſancta *Sacramenta*: proinde poterit imprimi, Juriſque publici fieri, ut hinc cuivis liceat *haurire aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris.* Datum Lovanii hâc 7. Novemb. M.DC LX.

ANTONIUS DAVE *S. Theologiæ Doctor ac Profeſſor Regius, & Primarius, nec non Librorum Cenſor Apoſtolicus & Archiepiſc. Mechlin.*

BEne elegit, qui ad conſcribendam *Summam Theologicam* Reverendum Patrem Fratrem GUILIELMUM HERINX Ordinis Seraphici Fratrum Minorum S. Theologiæ Lectorem Jubilatum ſelegit, quique Summæ conſcriptæ editionem præcepit, operam ac opus non ſcholæ tantùm Seraphicæ, ſed univerſæ etiam Eccleſiæ Catholicæ profuturum præcepit. Meum ſentiet, quiſquis à veritate non diſſentiet: videbit certè, ſi non invidebit, rejectis aut reſectis inutilium ſpeculationum tricis ac ſpinis, quæ magnò diſcentibus impedimento ſunt, ſuccinctè, clarè, nervosè ac pereruditè Orthodoxæ fidei myſteria ab Auctore explanari, dignamque Theologo doctrinam cum pietate tradi, appoſitè valde ſcholaſticis ac moralibus inter ſe commixtis, iisdemque pro re nata fidei controverſiis opportunè immixtis, ſolidèque diſcuſſis; adeoque ut poſt plurimas, eaſque exquiſitas doctiſſimorum virorum lucubrationes non actum egiſſe hic Auctor; ſed plura adhuc agenda peregiſſe judicandus ſit. Ita ex animi ſententia ipſi 1. Decembris Anno 1660.

JUDOCUS HOUBRAKEN *S. Theol. Licentiatus, Eccleſiæ Cathedralis Antverpienſ. Canonicus & Epiſcopatûs Sylvæduc. vacantis Vicarius Generalis.*

Privilegium Cæſareum ſuper impreſſione librorum Auctorum Ordinis S. FRANCISCI Regularis & Strictioris Obſervantiæ.

PRIVILECIO CÆSAREÆ MAIESTATIS cautum eſt: Ne quis per Univerſum Imperium libros à Patribus Ordinis S. FRANCISCI Regularis & Strictioris Obſervantiæ editos aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos, infrà Sacri Imperii, Regnorumque ac dominiorum hæreditariorum DOMUS AUSTRIACÆ adducat, vendat, vel diſtrahat abſque conſenſu & facultate eorumdem Patrum ſub pœna Confiſcationis Librorum & multâ viginti marcharum auri puri. Ita Sancitum & Decretum in Civitate Ratisponenſi pridiè nonas Decembris Anno 1636.

FERDINANDUS

Infra.

Ad Mandatum S. Cæſ. Mtis. proprium
JOANNES WALDERODE

Adjunctus: P. H. A. STRALENDORFF.

Pri-

Privilegium Regis in Concilio Privato.

PRivilegio Regis Hiſpaniarum in ſuo Concilio Privato cautum eſt, ne reimprimantur, vendan aut diſtrahantur libri, ſive tractatus compoſiti per Patres Minores Regularis aut Strictioris ſervantiæ in Belgicis ditionibus abſque approbatione ſive facultate R. A. P. Provincialis ſive alio Superiorum ejuſdem Ordinis ad id deputatorum ſub pœna Confiſcationis dictorum librorum tractatuum, prout latius patet in litteris datis Bruxellæ 24. May 1660. de More ſigillatis & natis. Ho. Ut.

DE GOTTIGNIES.

Permiſſio Superiorum.

VIrtute præmiſſorum Privilegiorum concedo PETRO BELLERO Typographo Antverpi facultatem imprimendi pro ſecunda vice Quartam partem ſummæ noſtræ Theologicæ, eate communicando eidem uſum plenarium eorumdem Privilegiorum, Cæſarei nimirum ac Regii in Concilio Privato. Datum Antverpiæ in Conventu noſtro Fratrum Minorum Recollectorum 5. Decembris 1674.

F. GUILIELMUS HERINI
Commiſſarius Generalis.

Privilegium Regis in Concilio Brabantiæ.

CAROLI II. Regis Hiſpaniarum &c. Privilegio cautum eſt, ne quis *Summæ Theologicæ, Sch laſticæ & Moralis Auctore* Rmo P. GUILIELMO HERINX *Ordinis FF. Minorum Recollectorum, E Definitore Generali, Provinciæ Germaniæ Inferioris Patre perpetuo, S. Theologiæ Lectore Iubilato, & ſuper Provi cias Germaniæ Superioris, Belgii, Hiberniæ, Angliæ, Scotiæ, Daciæ, cum plenitudine poteſtatis in utroque ero Commiſ rio Generali*, quartam partem reimprimat, aut alibi impreſſam in haſce Ditiones importet retineat vel divendat, præter PETRUM BELLERUM Typographum Juratum Antverpienſem, idqu ſub pœna confiſcationis & amiſſionis librorum, & inſuper aliâ gravi mulctâ; ut latius patet in Lit teris patentibus deſuper Bruxellæ in ſupremo Concilio Brabantiæ expeditis die 20. Decembri Anno 1674. De more ſigillatis & ſignatis.

LOYENS.



INDEX

INDEX ET ORDO TRACTATVVM, DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM ET DUBIORUM,

QUÆ IN HAC QUARTA PARTE CONTINENTUR.

DISPUTATIO I.

De Incarnatione secundùm se. p. 3.

QUÆSTIO I. *An Incarnatio sit possibilis & naturaliter cognoscibilis.* ibid.
Qu. II. *An Messias jam venerit.* pag. 5.
Qu. III. *An Messias in lege promissus fuerit verus Deus & verus homo.* pag. 7.
Qu. IV. *An in Christo sint duæ Naturæ & una persona.* pag. 8.
Qu. V. *De Natura Actionis Incarnativæ & unionis Hypostaticæ.* pag. 11.
Qu. VI. *Quænam in particulari Verbum assumpserit, & quo ordine.* pag. 14
Qu. VII. *Quare Verbum sit incarnatum.* pag. 18.
Qu. VIII. *An aliquis meruerit Incarnationem.* pag. 21.
Qu. IX. *An necessarium fuerit Verbum incarnari.* pag. 23.
Qu. X. *De Communicatione Idiomatum inter Deum & hominem, quæ ex Incarnatione est consecuta.* pag. 24.
Qu. XI. *Quomodo Christus sit & dici possit Dei Filius, servus vel creatura.* pag. 26.

DISPUTATIO II.

De Perfectionibus Christi. p. 30.

QUÆSTIO I. *De Scientia Christi.* ibid.
Qu. II. *De Gratia & Virtutibus Christi.* pag. 32.
Qu. III. *De Operatione humanæ voluntatis Christi ejusque cum Divina Concordiâ: item de Libertate ac Impeccabilitate illius.* p. 35.
Qu. IV. *De Merito voluntatis Christi.* pag. 38.
§. I. *An & per quos actus Christus meruerit.* ibid.
§. II. *Quo tempore, & quid sibi meruerit.* pag. 39.
§. III. *An & quid Christus meruerit Angelis.* pag. 40.
§. IV. *Quid Christus meruerit hominibus lapsis.* pag. 41.
§. V. *An Christus meruerit & satisfecerit ex rigore Justitiæ commutativæ.* pag. 42.
§. VI. *De Universalitate meritorum passionis Christi, an scilicet Christus pro omnibus hominibus & singulis Sanguinem suum fuderit.* pag. 43.
QUÆST. V. *De Conditione Appetitûs sensitivi & corporis Christi.* pag. 46.
Qu. VI. *An Christus sit Sacerdos & Rex.* pag. 49.

DISPUTATIO III.

De Adoratione sive Cultu Christi, Sanctorum, Reliquiarum. Item Imaginis Christi & Sanctorum. pag. 51.

QUÆSTIO I. *De Adoratione Christi.* ibid.
Qu. II. *De Cultu & Invocatione Sanctorum.* pag. 54.
Qu. III. *De Cultu sacrarum Reliquiarum.* pag. 58.
Qu. IV. *De Cultu Sacrarum Imaginum.* pag. 62.

DISPUTATIO IV.

De Præcipuis Mysteriis vitæ Christi. pag. 65.

QUÆSTIO I. *De Sanctissima Matre Christi.* pag. 66.

§. I. *De Ortu & Genealogiâ SS. Deiparæ.* ibid.
§. II. *De Sanctificatione SS. Deiparæ.* pag. 67.
§. III. *De Virginitate SS. Deiparæ.* pag. 69.
§. IV. *De Desponsatione seu Matrimonio Deiparæ.* pag. 71.
QUÆST. II. *De Conceptione, Nativitate & Infantiâ Christi.* pag. 72.
§. I. *De Conceptione Christi.* ibid.
§. II. *De Nativitate & Circumcisione Christi.* pag. 74.
§. III. *De Epiphania seu Manifestatione Pueri Iesu.* pag. 75.
§. IV. *De Oblatione pueri Iesu in templo & Purificatione Deiparæ.* pag. 76.
§. V. *De Actis in reliqua Christi ætate usque ad Baptismum.* pag. 77.
QUÆST. III. *De Baptismo & reliquâ vitâ Christi usque ad Passionem.* pag. 78.
§. I. *De Baptismo & Iejunio Christi.* ibid.
§. II. *De Prædicatione Christi.* pag. 79.
§. III. *De Miraculis Christi.* pag. 81.
§. IV. *De Conversatione Christi & Cultu corporis.* ibid.
QUÆST. IV. *De Passione, Morte, Sepulturâ Christi ac Descensu ad inferos.* pag. 84.
§. I. *De Passione Christi.* ibid.
§. II. *De Morte & Sepulturâ Christi.* pag. 87.
§. III. *De Descensu ad inferos.* pag. 88.
QUÆST. V. *De Resurrectione Christi.* p. 89.
Qu. VI. *De Ascensione Christi, & Sessione ad dexteram Patris.* pag. 92.

DISPUTATIO V.

De Adventu Christi ad Iudicium pag. 94.

QUÆSTIO I. *An sit duplex Iudicium, particulare & universale.* ibid.
Qu. II. *De Antichristo.* pag.
Qu. III. *De Adventu & Prædicatione Henoch & Heliæ.* pag. 100.
Qu. IV. *De reliquis signis antecedentibus Iudicium universale.* pag. 102.
Qu. V. *A quo, Vbi, Qualiter peragendum sit Iudicium universale.* pag. 105.
Qu. VI. *De Conflagratione & Innovatione Mundi.* pag. 107.

TRACTATUS II.

DE

SACRAMENTIS IN COMMUNI,

Ac de Baptismo & Confirmatione in particulari. pag. 110.

DISPUTATIO I.

De Definitione Sacramenti, & Differentiâ Sacramentorũ. p. 111.

QUÆSTIO I. *De Nomine Sacramenti.* ibid.
Qu. II. *De Definitione Sacramenti.* pag. 112.
§. I. *Definitiones Lutheranorum & Calvinistarum proponuntur, & refutantur.* ibid.
§. II. *Definitio Sacramenti latè sumpti.* pag. 113.
§. III. *Definitio Sacramenti strictè dicti.* pag. 115.
Qu. III. *De Sacramentis quæ fuerunt ante statum Legis novæ.* pag. 117.
Qu. IV. *De Efficaciâ veterum Sacramentorum præsertim Circumcisionis.* pag. 120.
Qu. V. *An, Quot, & à quo instituta sint Sacramenta novæ Legis.* pag. 123.

DISPUTATIO II.

De Materiâ & formâ Sacramentorum novæ Legis. pag. 127.

QUÆSTIO I. *An Sacramenta novæ Legis constent rebus ut materiâ, & verbis ut formâ.* ibid.
Qu. II. *An verba Sacramentorum debeant esse concionatoria, an verò ritualia.* pag. 129.
Qu. III. *Quæ mutatio in materiâ vel formâ reddat Sacramentum invalidum, aut administrationem illicitam.* pag. 131.

DIS-

DISPUTATIO III.

De Ministro & Subjecto Sacramentorum novæ Legis. pag. 135.

Quæstio I. *Quis sit validus Minister Sacramentorum novæ Legis.* ibid.

Qu. II. *An fides vel probitas requiratur in Ministro ad valorem Sacramenti.* pag. 136.

Qu. III. *An requiratur certa intentio in Ministro ad valorem Sacramenti.* pagina 137.

Qu. IV. *Qualis Intentio in Ministro requiratur ad valorem Sacramenti.* pag. 141.

Qu. V. *An ad licitè ministranda Sacramenta requiratur jurisdictio & status gratiæ.* pag. 145.

Qu. VI. *An liceat Sacramenta ministrare indignis.* pag. 148.

Qu. VII. *De Ceremoniis in Ministerio Sacramentorum servandis reliquisque Sacramentalibus.* pag. 151.

Qu. VIII. *An & qualis intentio requiratur in suscipiente Sacramentum.* pag. 154.

Qu. IX. *An necesse sit Sacramenta suscipi dignè à dignis Ministris.* pag. 155.

DISPUTATIO IV.

De Effectu Sacramentorum novæ Legis. pag. 159.

Quæstio I. *An omnia Sacramenta novæ Legis conferant gratiam ex opere operato.* ibid.

Qu. II. *An Sacramenta causent physicè Gratiam, an verò solum moraliter.* pag. 163.

Qu. III. *Quâ proportione & quo tempore Sacramenta conferant gratiam.* pagina 165.

Qu. IV. *An Sacramenta fictè suscepta fictione sublatâ reviviscant.* pag. 167.

Qu. V. *Qualis Dispositio requiratur ad tollendum obicem, & ad reviviscentiam Sacramentorum.* pag. 170.

Qu. VI. *De Charactere.* pag. 172.

Qu. VII. *An remissio venialium sit effectus Sacramentorum.* pag. 176.

DISPUTATIO V.

De Institutione & essentiâ Sacramenti Baptismi. pag. 177.

Quæstio I. *An Baptismus sit Sacramentum, quomodo definiatur, & quando sit institutus.* pag. 178.

Qu. II. *De Materiâ remotâ Baptismi.* pag. 180.

Qu. III. *De Materiâ proximâ Baptismi.* pag. 181.

Qu. IV. *De Formâ Baptismi.* pag. 185.

DISPUTATIO VI.

De Ministro & Subjecto Baptismi. pag. 190.

Quæstio I. *Quisnam sit Minister Baptismi.* ibid.

Qu. II. *An unus possit simul plures baptizare, vel contrà.* pag. 193.

Qu. III. *Quodnam sit Subjectum capax Baptismi.* pag. 194.

Qu. IV. *An Parvuli Infidelium invitis Parentibus baptizari possint.* pag. 196.

Qu. V. *De Dispositione requisitâ in suscipiente Baptismum.* pag. 198.

Qu. VI. *An Baptismus possit iteratò suscipi.* pag. 199.

DISPUTATIO VII.

De Necessitate, Effectu & Ceremoniis Baptismi. pag. 202.

Quæstio I. *An & quâ ratione Baptismus sit necessarius.* ibid.

Qu. II. *De Effectu Baptismi.* pag. 205.

Qu. III. *De Ceremoniis Baptismi.* pagina 207.

Qu. IV. *De Patrino in Baptismo adhibendo.* pag. 208.

DISPUTATIO VIII.

De Baptismo Sanguinis seu Martyrio. pag. 213.

Quæstio I. *Quid requiratur ad Martyrium.* pag. 213.

Qu. II. *Quam efficaciam habeat Martyrium.* pag. 216.

Qu. iii. *De Dispositione requisitâ ad effectum Martyrii.* pag.218.
Qu. iv. *Quando conferatur effectus Martyrii.* pag.219.

DISPUTATIO IX.

De Sacramento Confirmationis. pag.220.

Quæstio I. *An Confirmatio sit Sacramentum, & quando institutum.* ibid.
Qu. II. *Quæ sit Materia Sacramenti Confirmationis.* pag.222.
Qu. III. *Quænam sit Forma Confirmationis.* pag.227.
Qu. IV. *De Ministro ordinario Confirmationis.* pag.228.
Qu. V. *De Ministro extraordinario Confirmationis.* pag.230.
Qu. VI. *De Dispositione suscipientis & Obligatione suscipiendi.* pag.232.
Qu. VII. *De Effectu Sacramenti Confirmationis.* pag.233.
Qu. VIII. *De Ceremoniis Sacramenti Confirmationis.* pag.236.

TRACTATUS III.

DE

SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO. pag.237

DISPUTATIO I.

De Sacramento Eucharistiæ secundùm se. pag.238.

Quæstio I. *An Eucharistia sit Sacramentum.* ibid.
Qu. II. *Quando hoc Sacramentum sit institutum.* pag.240.
Qu. III. *In quo consistat essentia hujus Sacramenti.* pag.244.

DISPUTATIO II.

De Materia & Forma Eucharistiæ. pag.247.

Quæstio I. *Quæ sit Materia, & qualiter præsens esse debeat.* ibid.
Qu. II. *An panis debeat esse triticeus,* pag.249.
Qu. III. *An panis debeat esse azymus, an fermentatus.* pag.250.
Qu. IV. *Quod & quale vinum sit materia Consecrationis.* pag.252.
Qu. V. *An & quâ necessitate sit aqua vino consecrando miscenda.* pag.253.
Qu. VI. *An Aqua mixta vino convertatur etiam immediatè in sanguinem.* p.255.
Qu. VII. *Quâ necessitate consecranda sit utraque species.* pag.259.
Qu. VIII. *Quæ sit forma Sacramenti Eucharistiæ.* pag.260.
Quæst. IX. *An verba Consecrationis proferenda sint recitativè, an verò significativè, & quid significent.* pag.263.

DISPUTATIO III.

De Præsentia Christi in Eucharistia. pag.265.

Quæstio I. *An in Eucharistiâ sit realiter & substantialiter Corpus & Sanguis Iesu Christi.* ibid.
Qu. II. *An in Eucharistiâ maneat panis & vinum simul cum Corpore & Sanguine Christi.* pag.271.
Qu. III. *An totus Christus sit in hoc Sacramento.* pag.275.
Qu. IV. *An totus Christus sit sub qualibet parte specierum.* pag.277.
Qu. V. *Per quid Christus sit formaliter præsens in Eucharistiâ.* pag.278.
Qu. VI. *Quid agerè & pati possit Christus prout est in Eucharistiâ.* pag.280.
Qu. VII. *Qualiter possit Christus prout in Eucharistiâ videri seu cognosci.* p.282.
Qu. VIII. *Quâ actione Corpus & Sanguis Christi ponantur in Sacramento.* pag.283.
Qu. IX. *Qualiter Eucharistia seu Christus in eâ adorari debeat.* pag.288.

DIS

DISPUTATIO IV.

De Accidentibus seu speciebus Sacramentalibus. pag.289.

QUÆSTIO I. *An accidentia panis & vini maneant in Eucharistiâ, & quomodo.* ibid.
Qu. II. *Quomodo accidentia panis & vini possint agere & recipere mutationes.* pag. 292.
Qu. III. *An Species Sacramentales corrumpantur, & quando sub eis desinat esse Corpus Christi.* pag. 293.
Qu. IV. *Quâ ratione possit aliquid ex speciebus sacramentalibus generari.* pag.294.
Qu. V. *Quid sit censendum de Mutationibus miraculosis circa species Eucharisticas.* pag. 295.

DISPUTATIO V.

De Ministro Eucharistiæ.pag.296.

QUÆSTIO I. *Ad quos pertineat Eucharistiæ confectio.* ibid.
Qu.II. *Ad quos pertineat Eucharistiæ dispensatio.* pag. 298.
Qu. III. *Quid requiratur ad licitè administrandum Eucharistiam.* pag, 300.

DISPUTATIO VI.

De Sumptione Eucharistiæ & Dispositione prærequisita. pag. 302.

QUÆSTIO I. *An sumptio Eucharistiæ sit absolutè necessaria ad salutem.* ibid.
Qu. II. *An & qualiter Sumptio Eucharistiæ sit præcepta Iure divino.* pag.303.
Qu. III. *An Iure divino sit Laicis præcepta Communio sub utraque specie.* pag.309.
Qu. IV. *De Præcepto Ecclesiastico sumendi Eucharistiam.* pag.311.
Qu. V. *Qualis Dispositio requiratur ex parte corporis.* pag.314.
Qu. VI. *Qualis Dispositio requiratur ex parte animæ.* pag.319.

DISPUTATIO VII.

De Effectu Eucharistiæ. pag.323.

QUÆSTIO I. *Quis sit Effectus Eucharistiæ.* ibid.
Qu. II. *Quando Eucharistia conferat suum effectum.* pag.325.
Qu. III. *An Eucharistia conferat majorem Gratiam sub duplici, quàm sub unicâ specie.* pag.327.

DISPUTATIO VIII.

De Sacrificio Missæ. pag.329.

QUÆSTIO I. *Quid sit Sacrificium.* ibid.
Qu. II. *An in Lege novâ detur Sacrificium propriè dictum.* pag. 331.
Qu. III. *In quibus rebus sive actionibus consistat essentia Sacrificii novæ legis.* pag. 335.
Qu. IV. *Qui sint offerentes hoc Sacrificium.* pag. 339.
Qu. V. *Pro quibus hoc Sacrificium sit offerendum.* pag. 340.
Qu. VI. *Quos effectus habeat Sacrificium Missæ.* pag.343.
Qu. VII. *Quibus prosit Sacrificium, & qualiter sit applicandum.* pag.345.
Qu. VIII. *An Sacrificium pluribus applicatum minùs prosit singulis.* pag.348.
Qu. IX. *An & quoties teneatur Sacerdos celebrare.* pag. 349.
Qu.X. *Quàm sæpè & quo tempore liceat Sacerdoti celebrare.* pag.351.
Qu. XI. *In quo loco sit Missa celebranda.* pag. 353.
Qu. XII. *De Altari, ejusque sacro apparatu ad celebrandum requisito.* pag. 356.
Qu. XIII. *De sacris vasis & vestimentis, & reliquis ad celebrandum requisitis* pag.358.
Qu. XIV. *De supplendis defectibus in Missa occurrentibus ac de Ritibus missæ.* pag. 362.
Qu. XV. *De Stipendio Missæ & Obligatione inde resultante.* pag.365.
Qu. XVI. *An & quomodo obligentur fideles assistere Sacrificio Missæ.* pag.370.

TRACTATUS IV.

DE

SACRAMENTO POENITENTIÆ

Extremæ Unctionis & Ordinis. pag. 376

DISPUTATIO I.

De Institutione & Partibus Sacramenti Pœnitentiæ in communi. pag. 377.

QUÆSTIO I. *An Pœnitentia sit Sacramentum à Baptismo distinctum & quando institutum.* ibid.

Qu. II. *Quæ sit materia Sacramenti Pœnitentiæ.* pag. 378.

Qu. III. *Quæ sit forma hujus Sacramenti seu Absolutionis.* pag. 381.

Qu. IV. *Quis sit verus sensus formæ Absolutionis.* pag. 384.

Qu. V. *An Absolutio sacramentalis possit dari absenti vel scripto.* pag. 385.

DISPUTATIO II.

De Contritione, seu Pœnitentiâ interiori, quæ est prima pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ. pag. 386.

QUÆSTIO I. *An Contritio, seu Pœnitentia interior sit possibilis, ac necessaria & quando.* pag. 387.

Qu. II. *De Efficacia, Appretiatione, & aliis conditionibus necessariis Pœnitentiæ reconciliativæ.* pag. 390.

Qu. III. *De Necessitate seu Sufficientiâ Contritionis, etiam imperfectæ, seu Attritionis cum Sacramento.* pag. 393.

Qu. IV. *An defectu doloris possit Sacramentum Pœnitentiæ esse validum & informe.* pag. 399.

DISPUTATIO III.

De Confessione: quæ est secunda pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ. pag. 400.

QUÆSTIO I. *An & qualis Confessio sit Iure divino necessaria.* ibid.

Qu. II. *Qualiter integrè sit faciendа quoad speciem & numerum.* pag. 403.

Qu. III. *An Circumstantiæ notabiliter aggravantes sint confitendæ.* pag. 4[illegible]

Qu. IV. *An peccata dubia sint confitenda.* pag. 409.

Qu. V. *Quibus casibus licita sit Confessio non integra materialiter.* pag. 4[illegible]

Qu. VI. *An & qualiter moribundus possit absolvi qui nullum peccatum in particulari potest confiteri.* pag. 4[illegible]

Qu. VII. *An Confessio debeat fieri ore, secreto & veraciter.* pag. 4[illegible]

Qu. VIII. *De præcepto Confessionis tàm divino quàm Ecclesiastico.* pag. 42[illegible]

DISPUTATIO IV.

De Satisfactione, quæ est tertia pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ & Indulgentiis. p. 42[illegible]

QUÆSTIO I. *An & qualis Satisfactio sit à Confessario in Sacramento Pœnitentiæ imponenda.* ibid.

Qu. II. *Qualiter Satisfactio à Confessario imposita sit acceptanda & implenda à pœnitente.* pag. 428.

Qu. III. *De Effectu Satisfactionis Sacramentalis.* pag. 429.

Qu. IV. *Qualiter possit Pœnitentia semel injuncta mutari.* pag. 431.

Qu. V. *An in Ecclesia sit potestas conferendi Indulgentias.* pag. 433.

Qu. VI. *An Indulgentiæ dentur per modum Suffragii, an verò Absolutionis.* pag. 436.

Qu. VII. *Quisnam possit concedere Indulgentias.* pag. 437.

Qu. VIII. *Quem effectum habeant Indulgentiæ.* pag. 438.

Qu. IX. *Quomodo Indulgentiæ dividatur.* pag. 439.

Qu. X. *Qualiter ad concessionem Indulgentiarum requiratur causa.* pag. 440.

Qu. XI. *Qualis dispositio requiratur in lucraturo Indulgentias.* pag. 441.

Qu. XII. *De Cessatione Indulgentiarum.* pag. 442.

Qu. XIII. *De Quibusdam concernentibus Indulgentiam Jubilæi.* pag. 444.

DIS-

DISPUTATIO V.
De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. pag. 446.
QUÆSTIO I. *An solus Sacerdos habens jurisdictionem sit validus Minister.* ibid.
Qu. II. *Penes quos sit jurisdictio ordinaria, vel delegata.* pag. 450.
Qu. III. *Qualiter requiratur approbatio Episcopi.* pag. 452.
Qu. IV. *De ceteris requisitis in Confessario, & observandis in ministerio, defectibusque supplendis.* pag. 456.
Qu. V. *Quinam possint sibi eligere Confessarium.* pag. 460.

DISPUTATIO VI.
De Reservatione Casuum. p. 461.
QUÆSTIO I. *Quis possit reservare casus.* pag. 461.
Qu. II. *Quis possit directè absolvere à casibus reservatis.* pag. 464.
Qu. III. *An ob Reservationem liceat superiori absolutionem, vel pœnitenti confessionem dimidiare.* pag. 466.
Qu. IV. *An Reservatio cesset, confesso invalidè aut oblito casu reservato.* pag. 467.

DISPUTATIO VII.
De Potestate Regularium in hoc foro. pag. 468.
QUÆSTIO I. *Quorum Confessiones quando & ubi possint Regulares audire.* ibid.
Qu. II. *A quibus casibus possint Confessarii Regularium absolvere.* pag. 470.
Qu. III. *De Potestate Regularium in suos subditos.* pag. 471.

DISPUTATIO VIII.
De Sigillo Confessionis. pag. 473.
QUÆSTIO I. *Quid sit Sigillum Confessionis, & quo Iure obliget.* ibid.
Qu. II. *Ex qua Confessione oriatur Sigillum.* pag. 474.
Qu. III. *Quænam cadant sub sigillum Confessionis.* pag. 475.
Qu. IV. *Quinam obligentur servare Sigillum Confessionis.* pag. 477.
Qu. V. *Qualiter liceat usus notitiæ Confessionis extra illam.* pag. 478.

DISPUTATIO IX.
De Sacramento Extremæ Unctionis. pag. 482.
QUÆSTIO I. *An Extrema Unctio sit Sacramentum.* ibid.
Qu. II. *Quæ sit materia hujus Sacramenti.* pag. 483.
Qu. III. *Quæ sit forma hujus Sacramenti.* pag. 486.
Qu. IV. *Quis sit minister hujus Sacramenti.* pag. 487.
Qu. V. *Quibus hoc Sacramentum sit conferendum.* pag. 489.
Qu. VI. *Quos effectus habeat hoc Sacramentum.* pag. 491.
Qu. VII. *An hoc Sacramentum sit iterabile, & an ejus suscipiendi sit aliqua obligatio.* pag. 492.

DISPUTATIO X.
De Sacramento Ordinis pag. 494.
QUÆSTIO I. *An in Ecclesia sit verum Ordinis, sive Ordinationis Sacramentum.* ibid.
Qu. II. *Quot sint Ordines, & quæ officia singulorum.* pag. 495.
Qu. III. *Quinam Ordines sint verum Sacramentum.* pag. 500.
Qu. IV. *Quæ sit materia & forma singulorum Ordinum.* pag. 501.
Qu. V. *Quis sit Minister Ordinis.* pag. 506.
Qu. VI. *De Subjecto Ordinis.* pag. 510.
Qu. VII. *De Ætate, & Qualitate Ordinandorum.* pag. 511.
Qu. VIII. *De Titulo congruæ Sustenstationis, & temporibus Ordinationum.* pag. 513.
Qu. IX. *De Effectu Sacramenti Ordinis.* p. 515.
Qu. X. *De Continentia sacris Ordinibus annexa.* pag. 516.
§. I. *An initiati sacris Ordinibus teneantur abstinere à Matrimonio.* ibid.
§. II. *An continentia sit annexa Ordinibus sacris ex Iure divino, vel ecclesiastico, an autem ex voto.* pag. 517.
§ III. *An ordinati in infantia aut ex metu obligentur ad Continentiam.* pag. 519.
§. IV. *An Ecclesia rectè Continentiam sacris Ordinibus annexuerit.* pag. 521.

TRACTATUS V.
DE
SPONSALIBUS
ET MATRIMONIO. pag. 522.

DISPU-

DISPUTATIO I.

De Sponsalibus. ibid.

QUÆSTIO I. *Quid sint Sponsalia, qualiter contrahantur & obligent.* ibid.

Qu. II. *Qualem Consensum requirant Sponsalia, & qualiter expressum.* pag. 525.

Qu. III. *De Libertate, Ætate, & Solemnitate requisitâ ad Sponsalia.* pag. 527.

Qu. IV. *Quibus ex Causis Sponsalia dissolvantur.* pag. 529.

DISPUTATIO II.

De Matrimonio secundum se. pag. 534.

QUÆSTIO I. *Quid sit Matrimonium, Quando institutum & an licitum aut debitum.* ibid.

Qu. II. *An Matrimonium in lege nova sit propriè dictum Sacramentum.* pag. 537.

Qu. III. *De Materia, Forma & Ministro hujus Sacramenti.* pag. 539.

DISPUTATIO III.

De Consensu Matrimoniali. pag. 541.

QUÆSTIO I. *An & quorum Consensus requiratur & sufficiat ad valorem.* ibid.

Qu. II. *Qualiter Consensus parentum requiratur ad licitè ineundum Matrimonium* p. 542.

Qu. III. *Qualiter Consensus conjugum sit exprimendus.* pag. 544.

Qu. IV. *Quomodo Consensus debeat esse liber à metu.* pag. 545.

Qu. V. *Qualiter sufficiat Consensus conditionatus.* pag. 547.

Qu. VI. *Qualiter instauretur Matrimonium defectu Consensus invalidum.* pag. 550.

DISPUTATIO IV.

De Indissolubilitate, & Unitate Matrimonii. pag. 551.

QUÆSTIO I. *An & qualiter indissolubile sit Matrimonium ratum.* ibid.

Qu. II. *An & qualiter indissolubile sit Matrimonium consummatum.* pag. 554.

Qu. III. *De Vnitate Matrimonii.* pag. 557.

DISPUTATIO V.

De Solemnitatibus Matrimonii & Matrimonio clandestino. pag. 560.

QUÆSTIO I. *An Matrimonium clandestinum sit illicitum & invalidum.* ibid.

Qu. II. *De Qualitate necessaria Parochi, testium, ac præsentiæ requisitæ ad Matrimonium.* pag. 5

Qu. III. *Qualiter validari queat Matrimonium in facie Ecclesiæ invalidè contractum.* pag. 566.

Qu. IV. *De Proclamationibus seu Denuntiationibus Matrimonio præmittendis.* p. 567.

DISPUTATIO VI.

De Impedimentis Matrimon pag. 569.

QUÆSTIO I. *De Impedimentis Matrimonii communi.* ib

Qu. II. *De Impedimentis impedientibus merè prohibentibus.* pag.

Qu. III. *De Impedimentis dirimentibus communi.* pag.

Qu. IV. *De Impedimento Erroris & Conditionis servilis.* pag. 5

Qu. V. *De Impedimento Voti & Disparitatis Cultûs.* pag. 5

Qu. VI. *De Impedimento Cognationis.* p. 5

Qu. VII. *De Impedimento Affinitatis.* p. 5

Qu. VIII. *De Impedimento publicæ Honestitis.* pag. 5

Qu. IX. *De Impedimento Criminis & Rapt* pag. 583.

Qu. X. *De Impedimento Impotentiæ.* pag. 5

Qu. XI. *De Dispensatione Impedimentorum Matrimonii.* pag. 5

DISPUTATIO VII.

De Debito conjugali seu Usu matrimoniali. pag. 59

QUÆSTIO I. *An & quomodo teneatur Conjux reddere vel petere debitum.* ibid.

Qu. II. *Qualiter impediatur petitio & redditio debiti.* pag. 59

Qu. III. *An quovis tempore licitus sit usus matrimonii.* pag. 59

Qu. IV. *Qualiter Vsus conjugalis sit illicitus ratione modi.* pag. 594

Qu. V. *Quo fine exercendus sit actus Matrimonii.* pag. 595

Qu. VI. *An Dubius de valore matrimonii licitè petat & reddat debitum.* pag. 596.

Qu. VII. *An conjugibus licita sint oscula, tactus, aspectus & verba amatoria, secluso periculo pollutionis.* pag. 597

Qu. VIII. *De Debito Conjugum ad cohabitandum.* pag. 598.

Qu. IX. *De Divortio.* ibid.

Conclusio Operis. pag. 604

FINIS.

TRACTATUS PRIMVS
DE
INCARNATIONE VERBI
ET
MYSTERIIS VITÆ CHRISTI.

PRÆFATIO.

AGITUR *in hoc Tractatu de abditißimo Incarnationis Myſterio, ac ineffabili duarum naturarum divinæ ſcilicet & humanæ conſortio in eadem perſona, nempe Chriſto Jeſu vero Deo & homine, per quem inſtauramur, & in viam ſalutis, unde per peccatum deflexeramus, reducimur. Quod myſterium poſt illud Sanctißimæ Trinitatis eſt ſublimißimum & cognitu difficillimum: ſæpeq; communiter exprimi nomine Incarnationis. Quàmvis autem non defuerint Aliqui nimiùm latini, qui hoc tamquam non ſatis latinum reprehenderint: immo interdum Catholici (ut patet apud* Athanaſium *ſeu potius alium Auctorem*, Serm. de SS. Deipara) *illo ſine addito uti formidarint, ne Verbum divinum ſolùm carnem ſine anima aſſumpſiſſe cum* Apollinari & Ario *ſentire viderentur: rectiſſimè tamen retinetur, quod paſſim ab antiquiſſimis Patribus uſurpatum, & in* Symbolo Nicæno *ſive* Conſtantinopolitano *fuit expreſſum. In tantis quoque myſteriis non eſt adeò curanda verborum latinitas. Quin immo cùm myſterium ſit novum, novum vocabulum latinum illius ſignificativũ oportebat inſtitui.*

Vocabulum *Incarnatio* non poteſt reſpui.

institui. Abest etiam erroris periculum; quandoquidem nomine carnis hîc (uti & sæpè in Scriptura, ac signanter Ioan. 1. *ubi dicitur:* Verbum Caro factum est) *intelligatur totus homo, sive humanitas, cujus significatur assumptio. Itaque Incarnatio importat actionem, quâ divina natura substantialiter unitur naturæ humanæ in unitate ejusdem personæ, hoc est, ita ut inde resultet unica persona, seu suppositum quod sit Deus homo. De hoc itaque grandi Mysterio, ac pariter de Mysteriis vitæ Jesu Christi Dei hominis, qui factus est nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, breviter hîc agemus.*

Quid significet.



DISPU-

DISPUTATIO PRIMA.

De Incarnatione secundùm se.

QUÆSTIO I.

An Incarnatio sit possibilis, & naturaliter cognoscibilis?

1. *Incarnatio est possibilis.*

DICO I. Incarnatio est possibilis. Patet: quia Fides docet esse factam; nec aliundè ostendi potest implicantia.

Dices I. Deus esset pars componibilis; quod repugnat actui puro & simplici. Resp. non esset pars componibilis strictè, quæ videlicet est incompleta & toto imperfectior, atque ad compartem se habet tamquam potentia perfectibilis, vel tamquam actus perfectivus, seu forma intrinsecè perficiens. Esset tamen, idque sine imperfectione pars componibilis latè; prout compositio nihil est aliud, quàm duorum unio. Sic enim verè, etsi non rigorosè, Deus componit Christum, ut tamen non sit quid incompletum nec toto Christo imperfectior, neque ab aliquo perficiatur, aut etiam alterum aliter quàm terminus extrinsecus perficiat, idque mediante unione quæ hypostatica dicitur; & in humanitate subjectatur, Deoque tamquam extrinsecum terminum respicit. Unde Christus juxta definitionem *V. Synodi Collatione 8. can. 4. & 7.* & *Synodi VI. act. 4. in Epistola Agathonis Papæ*, est compositus, etsi non in toto rigore, de quo Concilia minimè curarunt. Ita *Scotus 3. dist. 6. q. 3. n. 2. D. Bonav. d. 6. a. 1. q. 2.* & antiqui Scholastici communiter; etsi ab his discrepent quidam Recentiores in quæstione de voce, existimantes dicendum esse, quòd Christus etiam rigorosè sit compositus.

Quo sensu Deus componat Christum, quo non.

Quo sensu Christus dici possit compositus.

2. *Inter Deum & humanitatem est proportio in ratione unibilis, etsi non entitativa.*

Dices II. Nulla est proportio inter Deum, utpote infinitum, & hominem utpote finitum. Resp. non esse quidem proportionem in perfectione entitativa; bene tamen in ratione unibilis aut terminabilis & terminantis: quemadmodum etiam Deus de facto terminat cognitionem & amorem humanum.

Vnio hypostatica ad Deum terminata non causat in eo mutationem aut novam denominationem intrinsecam.

Dices III. Vi Incarnationis inciperet Deus dici homo, quæ nova denominatio deberet provenire à nova forma denominante, ex qua proinde sequeretur in Deo mutatio. Resp. illam denominationem in Deo sufficienter provenire ab humanitate sibi non intrinsecâ instar formæ, sed copulatâ per unionem ad ipsum Deum terminatam: etsi humanitas sit pars intrinseca toti Christo, & humanitati intrinsecè insit ipsa unio. Quare patet in Deo nullam sequi mutationem. Vide *D. Bonav. 3. d. 1. a. 1. q. 1.* ubi optimè hanc quæstionem tractat.

denominationem intrinsecam.

3. *Vnio potiùs quàm actio potest terminari immediatè ad unum, quin terminetur ad aliud realiter idem, & formaliter distinctum.*

Dices IV. Impossibile est unionem non intentionalem, sed realem & physicam, qualis est hypostatica, terminari immediatè ad personalitatem Verbi, & non ad Deitatem seu alias rationes ei identificatas (prout juxta Theologos in mysterio Incarnationis contingit) cùm talis unio videatur debere terminari immediatè ad totam rem: quemadmodum & actio physica terminari absolutè nequit ad unam rationem, quin etiam terminetur ad aliam identificatam. Resp. id quidem videri difficillimum, etiam suppositâ distinctione formali Scoticâ (quâ sepositâ videtur vix aut ne vix conceptibile) non esse tamen id impossibile, Fides docet, nec aliundè ostenditur implicare. De actione est aliud: quia per hanc ponitur res in esse, nequit autem una formalitas existere sine altera; adeoque nec effici, nisi eâdem actione quâ alia: si enim distinctâ, jam poterit Deus unam actionem separare ab alia actione, & consequenter ipsas formalitates actus, quæ proinde non erunt contra suppositum formalitates, sed res strictè, seu realiter distinctæ.

4. *Qualibet Persona divina potuisset incarnari; sed congruentius Filius.*

Petes I. An sola secunda Persona potuerit incarnari? Resp. æqualiter potuisse incarnari Patrem & Spiritum sanctum; cùm ne apparens quidem ratio in contrarium possit allegari. Quàmvis congruum fuerit, ut Verbum caro fieret, & Pater mitteret Filium suum; ut sicut in sapientia (quæ Filio appropriatur) omnia sunt creata, sic & recrearentur, idemque diceretur filius Virginis, qui ab æterno erat Filius Patris divini. Alias congruentias vide apud *D. Thomam 3. Parte q. 3. a. 8. D. Bonav. d. 1. a. 2. q. 3.* & alios.

5. *Assumi etiam potuisset natura angelica.*

Petes II. An sola natura humana potuerit assumi? Resp. potuisse etiam assumi angelicam ob paritatem rationis. Idemque insinuat modus loquendi Apostoli *ad Hebr. 2. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Congruum tamen fuit pietati divinæ, ut potiùs generi humano per Incarnationem mederetur, quod totum in radice & per voluntatem alienam erat sauciatum; cùm è contra plurimi angeli perseveranter steterint, & singuli angelorum peccantium ceciderint per proprium arbitrium. Alias adhuc congruentias addit *D. Bonav. d. 2. a. 1. q. 2. in corp.*

Congruentius tamen humana succurrit divina Pietas per Incarnationem.

Immo juxta Doctores communiter potuisset etiam natura irrationalis assumi: cùm non possit ostendi specialis implicantia. Confirmatur: quia constat de facto assump-

Potuisset quoque assumi natura irrationalis,

sumptum fuisse corpus, & mansisse Verbo unitum, etiam dum mortuum adeòque irrationale erat. Similiter assumpti sunt sanguis aliique humores, etsi non informentur animâ rationali.

Immo & accidens.

Majus dubium est, an potuerit assumi accidens. Et videtur verosimilius quòd sic; non quidem ut accidens informet divinam personam, sed ut ad hanc terminetur, & ab ea tamquam mero termino dependeat. Si enim natura substantialis possit ita terminari ad personalitatem Verbi divini, absque eo quòd intrinsecè immutet aut perficiat: cur similiter nequeat accidens absque informatione aut intrinsecâ immutatione afficere divinam personam, quæ illud accidens sustentet merè terminando loco subjecti?

6. *An eadem natura creata possit simul assumi à pluribus personis, aut eadem persona divina assumere plures naturas.*

Quæritur insuper, an eadam natura creata possit divinitùs assumi simul à pluribus personis divinis, aut è contra eadem persona divina assumere plures naturas? Verùm prior pars solet resolvi conformiter ad id quod quisque sentit de dependentia ejusdem effectûs à pluribus causis totalibus: plerique enim qui censent illam esse possibilem (quod Plurimi censent probabilissimè) consequenter hìc respondent affirmativè: qui autem illam censent implicare (ut *Scotus* & alii) censent consequenter non posse secundam vel tertiam personam terminare dependentiam naturæ creatæ, utpote jam totaliter terminatam & velut exhaustam v. g. per primam personam. In natura autem divina (inquiunt hi) est aliud; eò quòd sit infinita, & tribus personalitatibus realiter identificata, adeòque non in potentia passiva ad unionem vel dependentiam ab illis. Non implicat tamen juxta nostrum *Ioannem Poncium disp. 37. nu. 31.* quòd eadem natura creata assumatur simul à pluribus, sed partialiter dependendo à singulis, sicut idem effectus dependet etiam naturaliter à pluribus causis partialibus. De secunda parte quæsiti non est controversia: cùm ne apparens in hoc sit contradictio, quòd una divina Persona assumat plures naturas: cùm etiam naturaliter plures effectus possint dependere ab eadem causa totali; persona autem assumens habeat se instar causæ.

7. *Intellectus creatus nequit viribus naturæ evidenter cognoscere Incarnationem esse possibilem.*

Dico II. Incarnationis possibilitas non potest viribus naturæ ab intellectu creato evidenter cognosci. Colligitur ex Apostolo *ad Ephes. 3.* ubi hoc mysterium vocat *investigabiles divitias Christi* &c. Idem indicatur *Isaiæ 53. Generationem ejus quis enarrabit?* divinam scilicet & humanam, ut Patres explicant. Unde meritò *Chrysostomus Hom. de S. Ioanne Baptista* ait: *Miraris quia ego nescio? Omnis creatura ignorat.*

Ratio est: tum quia nequit intellectus creatus suis viribus attingere mysterium Trinitatis, adeòque nec Verbum divinum, cujus tamen personalitas in mysterio Incarnationis, prout jam facta est, involvitur: tum quia etiam loquendo de Incarnatione secundum se, nequit evidenter cognoscere nullam in hoc mysterio involvi contradictionem; quàmvis enim intellectus fide illustratus apparentes contradictiones solvat, uti & circa mysterium Trinitatis, non tamen ita, ut contrarium fiat evidens.

8. *Ob humanam imperitiam non statim ipsum esse falsum.*

Nec inde moveri aliquis debet ad judicandum Incarnationem esse impossibilem (prout *Porphyrius, Celsus* & quidem alii Philosophi possibilitatem Incarnationis negarunt, eò quòd intellectu illam non possent assequi) sed Christianus debet intellectum captivare ob auctoritatem primæ Veritatis: infidelis autem moveri notis fidei tum communibus, tum particularibus, quæ hoc mysterium faciunt evidenter credibile. Considerare insuper quilibet debet proprii intellectûs imbecillitatem, qui etiam in obviis rebus cæcutit, & cui evidens est plurima etiam naturaliter esse possibilia, quæ tamen non assequitur, divinamque omnipotentiam longè superare nostram cognitionem, sicut divina natura & sapientia infinitè excedit nostram. Unde *Augustinus Epist. 3. ad Volusianum* rectè concludit: *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.* Ad suadendam tamen seu conceptibilem faciendam possibilitatem adducunt Sancti unionem corporis puri cum puro spiritu, unde exurgit una natura humana: inde enim concipi potest, quòd humanitas (quæ est ex parte spiritualis) sit unibilis puro, & divino spiritui in unam personam.

9. *Intellectus sensibus alligatus quit naturaliter tueri Incarnationem jam factam.*

Dico III. Intellectus sensibus alligatus non potest evidenter cognoscere mysterium Incarnationis, etiam postquam positum est: quia nihil sensibile in Christo ostendebat evidenter Dei Incarnationem: quàmvis opera illius facerent eam evidenter credibilem. Verosimiliter tamen (etsi hoc negent etiam Varii *Scotistæ*) potest istud mysterium evidenter cognoscere intellectus sensibus non alligatus, quantùm est de se: nam unio hypostatica est ens creatum, quod totum est proportionatum tali intellectui, ut inculcat *Scotus 4. dist. 10. qu. 8. per totam.* Quàmvis autem *Quodl. 14. n. 22. & seqq.* paulò aliter loquatur de visione Dei (idemque est de Unione hypostatica, quę similiter indirectè involvit ipsum Deum) tamen ibi solùm problematicè procedit. Nec obstat, quòd intellectus etiam angelicus viribus suis clarè cognoscere nequeat Verbum divinum, quod est terminus hypostaticæ Unionis; potest enim clarè cognosci unio, etsi terminus solum cognoscatur abstractivè & confusè. Vide dicta in materia *de Angelis d. 3. q. 2. n. 4. & seqq.*

10. *Qualiter tamen la-*

Dices: SS. Patres videntur negare cognoscibilitatem hujus mysterii, etiam dum positum est; quod proinde aiunt dæmonem latuisse. Resp. illos loqui de hominibus, quorum intellectus est sensibus alli-

ga-

gatus; vel certè loqui de tempore, quo necdum erat positum. Quod ad dæmones attinet (de bonis Angelis non constat ex Patribus) illos latuit ex substractione divini concursûs, ideoque in Conclusione dictum est: *quantum est de se.* Videtur tamen dæmonibus permissum fuisse, saltem tempore prædicationis, cognoscere arguitivè hoc mysterium, tum ex miraculis, tum ex impletione Scripturarum. Unde *Lucæ* 4. & 8. & *Matth.* 8 satis exprimitur, quòd dæmones sciverint ipsum esse Christum, quem idcirco vocabant filium Dei altissimi: etsi non sciverint ita mysterium & fructum passionis, juxta illud 1. *ad Cor.* 2. *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (si tamen hoc de dæmonibus, & non de Principibus Judæorum intelligendum sit) etsi fortè aliqualiter suspicarentur, ideoque per uxorem Pilati passionem impedire dæmon niteretur, ut multi putant cum *S. Leone* Papa & *Scoto*: quàmvis Alii putent fuisse Angelum bonum.

QUÆSTIO II.

An Messias jam venerit?

11. *Messias idem quod Christus seu unctus.*

MESSIAS idem Hebraicè quod græcè Christus, latinè unctus, designat hominem quemdam ex Judæis descendentem, à Deo & Prophetis prædictum, ac promissum in regem & salvatorem, de quo Samaritana *Joan* 4. *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus.* Cui Salvator ait: *Ego sum qui loquor tecum.* De quo etiam nullus dubitat qui se Christianum profitetur, sed neque apud perfidos Judæos dubium est, quin jam venerit homo ille qui dicitur Jesus, qui multa miranda fecit, & tandem fuit actus in crucem: cùm hoc sit tam certum ex traditione & historiis, ipsoque *Josepho* eorum historiographo, quàm quòd apud Macedones fuerit Alexander, vel apud Romanos Cæsar: pertinaciter tamen negant eum esse Messiam.

9. *Jesum esse Messiam pertinaciter negant Judæi.*

12. *Asserunt Christiani. Probatur ex vaticinio Jacob.*

Oppositum autem probatur ex Scripturis veteris Testamenti, quas solas Judæi admittunt. Nam *Gen.* 49. prædicit Jacob: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*; id est, Messias (ut vertit *Chaldæa Paraphrasis*) *& ipse erit expectatio Gentium.* Ubi apertè prædicitur in Tribu Juda sive Gente Judaica potestatem regiam sive principatum non defecturum, donec veniat Messias: constat autem evidenter illum multis sæculis irrecuperabiliter defeciisse, ut non posset clarius in aliqua Gente aut Natione deficere. Ideoque hoc ipsum etiam infensissimo Christianis Rabbino, *Davidi Kimhi* veritas extorsit, qui prophetiam *Oseæ* 3. *v.* 4. fatetur jam in Judæis adimpleri, quando (inquit) nobis neque Rex est neque Princeps ex Israël, nec ullum neque Dei veri, neque idoli colendi instrumentum. Ergo Messias jam venit: atqui de nullo est apparentia, nisi de Jesu Christo; ergo Jesus ipse est Messias.

Genesis 49.

13. *Sceptrum de Juda defecit in Herode.*

Defecit porrò sceptrum de Juda, dum exclusâ gente Assamonæorum seu Machabæorum intrusus est Herodes alienigena, qui teste *Josepho* regnavit annis 37. & sub cujus regni finem Christus est natus. Ut proinde ly *donec* idem sit, ac *sub idem tempus*, sic scilicet ut rex alienigena & Messias invicem contingant: in tam immensa enim annorum multitudine, quæ intercurrit inter vaticinium ejusque impletionem, modica ista antecessio regni inchoati Herodis pro nihilo reputatur.

Qui fuit alienigena Idumæus natione,

Quòd verò Herodes fuerit alienigena, & quidem Idumæus, testatur *Josephus* ferè contemporaneus, & tradunt Patres communiter. Nisi quòd varii secuti *Julium Africanum* faciant eum genere Ascalonitam, etsi in Idumæa natum. Quod equidem ad propositum nil refert. Et aliàs hac in re magis credendum *Josepho*, qui testatur fuisse genere Idumæum. Nullam verò apparentiam habet, quod *Torniellus* contendit eum fuisse Judæum, & quidem de tribu Juda. Infundatum similiter est, quòd *Scaliger* contendit Idumæos non posse dici alienigenas, ex quo à Joanne Hyrcano edomiti omnes sunt Judæis per circumcisionem aggregati; veluti Proselyti, ut testatur *Josephus*. Hoc enim non obstat, quin Herodes appelletur & sit alienigena, scilicet genere seu familiâ, etsi non Religione. Idque intento Vaticinii sufficit, defecisse scilicet circa adventum Messiæ sceptrum in populo Judaico, datumque non descendenti ex Israel. Deinde gratis concesso, quòd sive *Torniellus* sive *Scaliger* contendit, saltem perfectissimè defecit omnis regia & principalis auctoritas, quando amoto post nativitatem Christi Archelao Herodis filio, Judæa redacta est in Provinciam, cui Præses Gentilis à Romanis est assignatus. Quod etiam sufficeret ad convincendos Judæos.

Etsi Proselytus, seu religione Judæus.

Atque esto etiam natione Judæus foret, adhuc ex vaticinio Jacob convincerentur Judæi.

14. *Difficultas movetur, quòd dudum antea videatur defecisse sceptrum in Machabæis.*

Major difficultas est, quomodo non dudum antea defecerit imperium seu principatus de Juda; si non in captivitate Babylonica, aut etiam immediatè post, quando Zorobabel à Rege Persiæ datus fuit Judæis in ducem: saltem tunc, quando deinceps summa potestas & gubernatio reipublicæ mansit penes Pontifices, tum ante tempora Machabæorum, tum illorum potissimùm & successorum tempore. Quod autem Quidam somniarunt Machabæos fuisse de tribu Juda, manifestè repugnat Scripturæ 1. *Machab.* 2. ubi pater Machabæorum Mathathias dicitur Sacerdos ex filiis Joarib, adeoque non ex tribu Juda, *De qua nullus altari præstò fuit*, ut ait Apostolus *ad Hebr.* 7.

Ad quam est triplex responsio. Prima responsio.

Ad hanc difficultatem est triplex responsio. Prima est, Pontifices istos, præsertim Machabæos, fuisse per lineam maternam ex tribu Juda prognatos regiæque Davidis familiæ insertos. Quod quoad Machabæos esse in comperto, etiam apud Rabbinos sive Judæos, observat *Baronius in Apparatu ad Annales.* Observatio tamen ista aliis non est certa. Eâque admissâ, adhuc difficultas est, quòd (ut Judæi censere solent) familia matris non sit familia. Minùs valet, quod in probationem à quibusdam assumitur illud 1. *Machab.* 5. *Viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israël.* Ibi enim per Judam intelligitur Judas Machabæus, qui, & viri sub eo militantes ob partas victorias erant apud ceteros nominati. Unde *Versio Græca* habet: *Vir Judas & fratres ejus &c.* Qui tamen huic responsioni adhærere maluerit, dicere posset, etiam lineam maternam considerari eatenus, quòd ubi fœminæ præesse possunt (quas apud Judæos præesse potuisse, patet ex Debbora matre in Israël & ex Athaliæ regno) non censeatur sceptrum in familia illa defecisse, ex qua adhuc femina supereſt, vel quam masculà proles saltem secundùm lineam femineam tangit, ut habet *Leonardus Marius* in hunc locum scribens.

15. *Secunda responsio.*

Secunda responsio est jus principatûs mansisse penes tribum Juda, etsi interdum ex alia tribu assumerentur duces: sicut imperium erat penes Romanos, & regia potestas est penes Polonos, tametsi non rarò eligerentur exteri. Sed contrà facit, quòd alioquin ad sensum Scripturæ non defecissset sceptrum etiam per alienigenam, si Judæi in illum consensissent, prout teste *Josepho* postea in Herodem, præstito ei fidelitatis juramento, consenserunt. Deinde stabilito regimine Pontificum, successerunt sine electione filii parentibus, simul atque hi filios habuerunt; ut ex eorumdem genealogia constat.

16. *Tertia responsio.*

Tertia responsio est multorum etiam Patrum, per Judam intelligi non solùm tribum Juda, sed etiam totam Gentem, quæ ab ipso postea denominata, & ipsius tribui quodammodò incorporata fuit. q. d. Imperium gentis Judaicæ non auferetur ab ea, ita ut decidat in alienigenam; donec veniat Rex ille regum Messias. Nam maximè post captivitatem Babylonis quando tribus illa cum paucis ex tribu Benjamin, Levi & aliis in Palæstinam rediit, tam exigua fuit habita ratio ceterorum, ut tum primùm omnes Judæi sint appellati, & terra Judæa, Gensque & Regnum Judæorum, teste *Josepho*, *Eusebio* & aliis. Unde consequenter regnum censebatur istius tribûs, etsi Principes ex alia tribu imperarent. Itaque ad Judam dirigendo quæ Genti Judaicæ convenirent, voluit significare Spiritus sanctus fore, ut tempore impletionis hujus vaticinii omnium tribuum & totius regionis esset nomen commune, scilicet populus & terra Juda, loquens sicut postea usus loquendi viguit. Quomodò nomen Juda etiam sumitur *Malach.* 3. & pluries 1. *Machab.* 1. & alibi.

17. *Adventus Messiæ stabilitur ex vaticinio Danielis.*

Probatur II. ex *Dan.* 9. ubi varia manifestè prædicuntur de adventu & passione Messiæ implenda intrà 70. hebdomadas, annorum scilicet, quæ faciunt annos 490. adeoque certissimè jam à plurimis sæculis effluxerunt, undecumque sumatur hebdomadarum initium, & sive censeantur anni lunares, ut vult *Julius Africanus* & pauci alii, sive solares, ut habet vera & communis Doctrina. Undè vere dixit noster *Lyranus in cap 9. Dan.* in fine: *Non remanet Judæis excusatio ex diversitate computationum: cum tempus 70. hebdomadarum, qualitercumque computetur, jam per mille annos* (adde tot alios centenos) *transierit in præteritum, & amplius. Sola igitur obstinatio malitiosa tenet eos in perfida expectatione Messiæ.* Omnium tamen Interpretum, Patrum & Orthodoxorum sententiâ & calculo finitæ sunt hæ hebdomades circa tempus Christi. Ipseque contextus clamat esse de eo sermonem: manifestumque est in eo esse impleta, quæ ibi prædicuntur, aut circa tempus ejus. Quàmvis ob tam priscæ Chronologiæ obscuritatem & varietatem difficile sit primum & ultimum annum istarum hebdomadarum præcisè consignare; præsertim cùm annorum computus sæpe sit magnâ ex parte juxta profanorum scriptorum, quos sæpè contingit errare, historias. Unde mirum in modum variant Interpretes, dum alii initium sumunt à facultate per Cyrum Judæis concessâ circa restaurationem templi, Alii ab eâdem per Darium postea renovatâ; de qua est sermo in *lib.* 1. *Esdræ*: Alii ab anno septimo Artaxerxis longimani (qui & Assuerus, cujus uxor fuit Hester) quo is misit Esdram in Jerusalem cum multis Judæis, concessâ ei omni petitione: Alii plerique ab anno 20. ejusdem, quo data est Nehemiæ facultas restaurandi urbem cum suis muris 2. *Esdræ* 2. eò quòd sic propriè accipiantur verba Gabrielis Archangeli *Daniel.* 9. *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt*; quando nimirum Christus se ostendere incipiet tamquam ducem & Evangelii præconem. Ut autem rectus sit computus, dicunt hi Auctores intelligi annum vigesimum, non quo solus regnavit, sed junctis 10. annis, quibus fuit consors regni patris sui Xerxis. De quibus vide *Petavium lib.* 12. *de Doctrina temporum cap.* 17. *& sequent. Suarez hic disput.* 1. *sect.* 2. & alios.

18. *Idem ex Prophetia Aggæi.*

Probatur III. ex *Aggæi* 2. *Adhuc unum modicum est, & commovebo cælum & terram &c. & veniet desideratus cunctis Gentibus, & implebo domum istam*

istam gloriâ ..... Magna erit gloria domûs istius novissimæ plusquam primæ; quia videlicet Deus non nebulâ quâdam, utì olim templum Salomonis, quo erat secundum multò abjectius & humilius, sed suâ reali præsentiâ in humanitate assumpta illud implebit longè augustiùs & glorioſiùs. Cui consonat illud *Malach. 3. Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis &c.* Quomodo autem unicum tantùm modicum adhuc restabat tempore *Aggæi* (qui hæc vaticinatus fuit tempore Darii Hystaspis, ut patet 1. *Esdræ* 5. anno scilicet secundo regni ejus, adeòque quingentis & ampliùs ante Christum annis) quomodo statim venturus erat juxta vaticinium *Malachiæ*, si nec modò advenerit. Immo quomodò secunda domus seu templum implebitur umquam majori gloriâ, aut dominator ad illud veniet, quod nunc à tanto tempore funditùs est eversum?

Et Malachia,

Probatur IV. ex pluribus Prophetiis de nativitate ex Virgine in Bethleem & tempore pacis, de Præcursore, de ingressu humili in Jerusalem super asinam, de miraculis, de reliqua vita, passione, morte & resurrectione venturi Messiæ: quæ omnia exactissimè verificantur in Christo.

19. *Et aliis Prophetiis in Christo impletis,*

Probatur denique ex Notis fidei Christianæ, tum generalibus, tum specialibus, puta miraculis, quibus hoc mysterium est confirmatum; ut patet ex actis Apostolorum & Ecclesiasticis Historiis, ipsisque operibus miraculosis Christi. Quo argumento ipse Christus probavit se esse Messiam, respondens discipulis Joannis *Matth. 11. & Lucæ 7. Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant &c.* juxta illud vaticinium *Isaiæ 35. Deus ipse veniet & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum &c.* Sicut itaque notæ fidei Christianæ, signanter miracula, faciunt eam evidenter credibilem, etiam Gentilibus; sic quoque auctorem ejusdem Jesum Christum seu Messiam: idque potiori sanè fundamento, quàm Judæi ipsi sibi vel aliis credibile facere valeant, Moysen, Isaiam & similes fuisse veros Prophetas à Deo missos.

Denique ex notis fidei.

Decipiuntur autem Judæi expectantes Messiam divitem, & multas divitias affe-

20. *Judæorum cæcitas cum suo fundamento detegitur.*

rentem; qualiter depingitur *Ioëlis 3. Isaiæ 6. Amos 9.* Quod tamen spiritualiter est intelligendum: cùm alibi depingatur pauper & humilis, vir dolorum & sciens infirmitatem, cujus livore sanati sumus. Similiter quæ de habitatione lupi cum agno, & exaltatione templi & montis Sion prædicuntur, de pace & gloriâ spirituali Ecclesiæ sunt intelligenda. Denique errant Judæi, quia non noverunt distinguere duplicem Messiæ adventum; primum humilem, quando venit judicari, secundum in Majestate quando venturus est cum gloria judicare. De quibus tamen adventibus diversimodè locuti sunt Prophetæ.

Petes, cur Messias venerit in fine temporum potiùs, quàm in principio? Resp. cum *D. Bonavent. dist. 1. art. 2. quæst. 4.* ob quadruplicem rationem. I. ob peccatum puniendum. In hoc enim manifestatur divinæ ultionis severitas, quæ tantos clamores sustinuit, antequam vellet descendere, Adamo interim cum sua posteritate in lymbo exulante à paradiso. II. ad morbum meliùs curandum, ingestâ meliori infirmitatis notitiâ, ut sic homo ante curationem de sua impotentia & ignorantia, tam in Lege naturæ quàm scriptâ convictus, confugiendo ad divinam gratiam efficaciter curaretur. III. quia recto ordini congruebat, ut plenum & maximum beneficium usque ad dierum seu temporis plenitudinem differretur. IV. ut sic Incarnationis beneficium ampliùs commendaretur: quod enim ampliùs differtur & diutiùs desideratur, pretiosiùs reputatur: & ideo hoc inter Dei beneficia pretiosissimum, priùs debuit esse desideratum & expectatum, quàm exhibitum. Aliæ adhuc excogitari & adferri possent congruentiæ; quas Nonnulli congerunt.

21. *Cur Messias venerit in fine temporum.*

QUÆSTIO III.

An Messias in lege promissus fuerit verus Deus & verus homo?

22. *Messias est verus Deus.*

DIco I. Messias est verus Deus. Est de fide ex *Symbolo Nicæno*, ac pluribus utriusque paginæ Scripturis contra *Iudæos, Arianos, Ebionitas, Carpocratianos, Cherinthianos, Photinianos* & plures alios hæreticos negantes divinitatem Christi, qui videri possunt apud nostrum *Alphonsum à Castro V. Christus, Hæres 1.*

Probatur ex Testamento veteri.

Probatur I. ex *Isaiæ 9. Parvulus filius datus est nobis, & vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus &c. Cap. 35. Deus ipse veniet, & salvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum &c. Baruch 3. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversùs eum ..... Post hæc in terris visus est &c. Psal. 109.* David adæquat eum Domino Deo dicens: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis &c. Ex utero ante luciferum genui te.* Quo etiam loco Davidis ipse Christus usus est contra Judæos existimantes Messiam esse tantùm filium David: quia Pater non vocat filium Dominum.

Et novo,

Probatur II. specialiter contra Hæreticos ex novo Testamento *Ioan. 1. Deus erat Verbum &c. Et Verbum caro factum est &c. Cap. 8. Antequam Abraham fieret, ego sum. Cap. 10. Ego & Pater unum sumus. Cap. 20.* dixit ei Thomas: *Dominus meus & Deus meus.* Et *Epist. 1. c. 5. Hic est verus Deus.* Et *ad Rom. 9. Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus.* Et alibi sæpissimè. In eamdem veritatem consipirant omnia Concilia & Patres. Vide Scholasticos, tum hîc, tum in

materia de Trinitate, ubi ex professo ostendunt, & nos quoque ostendimus *d. 1. de Trinit. quæst. 1.* contra *Arianos*, secundam Personam, & consequenter Christum esse verum Deum.

Atque ex notis fidei,

Probatur III. ex communibus notis fidei, & ex specialibus hujus mysterii, ut sunt miracula, tum ab ipso Christo, tum à Christianis facta in confirmationem divinitatis ipsius: quæ faciunt etiam illud Paganis evidenter credibile. Accedit, quòd tum hoc mysterium, tum etiam alia, fuerint tanto antè tempore prænuntiata per oracula Prophetarum & Sybillarum, ac tam manifestè impleta: quæ tamen constat non esse conficta à Christianis, quorum ne quidem nomen adhuc erat auditum. Urget hoc eleganter *Augustinus* 18. *de Civit. cap.* 46. *Theodoretus Orat.* 1. *de Providentia.*

23. *Messias est etiam verus homo,*

Dico II. Messias est etiam verus homo. Est de fide contra *Manichæos*, alioſque Hæreticos asserentes Verbum divinum assumpsisse corpus phantasticum; adeòque tantùm apparenter fuisse hominem, natum, passum, resuscitatum &c. Est etiam contra *Anabaptistas* negantes Christum habuisse veram carnem ex Virgine assumptam, sed habuisse cælestem & divinam ex Patris essentia genitam teste *Bellarmino lib. 3. de Christo c. 1.* Denique docuerunt & putarunt *Ariani* in Christo non esse veram animam, sed Verbum (quod sentiebant non esse Deum, sed supremam creaturam) ei fuisse loco animæ.

Vt semper Ecclesia tradidit,

Sed Catholica veritas semper fuit in Ecclesia credita, in Symbolis fidei expressa, & in pluribus Conciliis definita. Cui etiam consentiunt Judæi, quibus nihil certius fuit, quàm Messiam fore verum hominem ex semine Abrahæ & semore Jacob, filium David: prout in Prophetis clarè continetur. Verùm quia Manichæi vetus Testamentum non admittunt.

Propheta prænuntiarunt,

24. *Scriptura novi Testamenti patenter expressit,*

Probatur ex *Ioan.* 1. *Verbum caro factum est.* Et *cap.* 8. *Quæritis me interficere hominem &c. Ad Rom.* 5. *Si unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Et alibi passim dicitur homo & filius hominis. Quæ loca semper in sensu proprio sunt intellecta. Et meritò: non si in rebus ad fidei fundamentum spectantibus Scriptura loqueretur ambiguè, vel secundùm apparentiam, omnia essent incerta, falsisque interpretationibus exposita.

Totaque Historia Evangelica evincit,

Deinde idem convincit tota Historia Evangelica, in qua describitur Christi genealogia, conceptio, nativitas ex Virgine, vita in terris acta: scribitur locutus fuisse, ambulasse, fatigatus fuisse, comedisse, flevisse, multa tormenta, mortemque crucis subiisse. Ipse etiam Christus *Matth.* 26. de seipso ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem &c.* Et *Ioan.* 12. *Nunc anima mea turbata est.* Et *Lucæ* 24. *Videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quibus significat se habere veram animam & verum corpus. Denique idem satis convincit finis Incarnationis: nam si non esset verus homo, genus humanum redimere non potuisset, utpote incapax omnis meriti & satisfactionis. Quo argumento passim utuntur Patres.

Vtà finis Incarnationis.

Dices: *Ad Philipp.* 2. dicitur Christus *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Resp. Scripturam loqui de similitudine, non tantùm apparenti, sed verâ, scilicet in specie humana; prout intelligitur quod *Genes.* 5. dicitur Adam *genuisse filium ad imaginem & similitudinem suam.* Deinde cum *Chrysostomo* & aliis Patribus vox *homo* explicari potest de puro homine ex semine viri concepto & peccatis obnoxio; talis enim videbatur Christus, sed non erat.

Quo sensu Christus dicatur factus in similitudinem hominum.

QUÆSTIO IV.

An in Christo sint duæ Naturæ, & una Persona?

25. *Refertur error Nestorii dividentis in Christo personas.*

NEstorius Patriarcha Constantinopolitanus (cui præter plures Græcos adhæsit aliquamdiu *B. Theodoretus*; quamvis postea in *Concilio Calcedonensi act.* 8. errorem suum retractaverit) tempore Innocentii I. docuit in Christo esse duas personas, divinam & humanam, sicut in ipso sunt duæ integræ naturæ. Unde dicebat inter illas personas tantùm esse moralem seu accidentalem unionem; ex qua proinde non resultaret quid ussum substantiale, sed potiùs complexum accidentale, quod uno nomine appellatur Christus. Conjunctionem autem illam explicabat per hoc. Imò, quòd persona Verbi divini speciali quâdam ratione habitabat in persona hominis tamquam in suo templo. Secundò, quòd Verbum & ille homo erant invicem amore conjunctissimi. Tertiò, quòd persona humana erat instrumentum quo utebatur Verbum Dei ad patrandum miracula & egregias operationes. Quartò, quòd Verbum isti homini participaverit nomen & dignitatem suam, ut vocaretur, coleretur & adoraretur tamquam Deus & Dei filius, non propter seipsum, sed propter Verbum conjunctum, sicut adorantur Dei imagines. Quare dicebat purum hominem esse ex Maria natum; quæ proinde dici non possit Deipara. Similiter passionem, mortem & resurrectionem solí isti homini ex Virgine nato, nullatenus autem Deo censebat posse attribui.

26. *Refertur error Eutichis flatuens*

Hunc Errorem dum acriter impugnaret *Eutiches* Abbas cujusdam Monasterii Constantinopolitani tempore Leonis I. lapsus est in extremè oppositum (cui adhæsit *Dioscorus* Episcopus Alexandrinus, homo flagitio-

in Christo unicam naturam,

flagitiosissimus, docens, quod sicut in Christo tantùm est una persona, sic etiam tantùm sit una natura, ignorans, quomodo unitas personæ necessariò asserenda cum pluralitate naturarum consisteret. Unde ex divina & humana censuit factam esse unam naturam; idque conversione divinitatis in carnem, vel (ut Alii putant ipsum sensisse) conversione humanitatis in divinitatem, vel (ut ejus mentem explicant Alii) transmutatione utriusque in tertiam naturam: & hoc vel mixtione, prout elementa transmutantur in corpus mixtum; vel compositione, prout ex materia prima & forma fit compositum physicum. Alii denique censent ipsum (quod est commune Hæreticis) in expositione sui erroris sibi non satis constitisse.

27. *In Christo est unica persona, Deus homo,*

Dico I. In Christo tantùm est una Persona, quæ verè & substantialiter est Deus homo. Est de fide ex *Concilio Ephesino*, quod specialiter contra *Nestorium* fuit congregatum, aliisque pluribus Conciliis. Idem patet ex Symbolis fidei: nam in *Symbolo Apostolorum* ille qui est *unicus filius Dei*, dicitur *natus ex Virgine, passus &c. Symbolum Constantinopolitanum* dicit: *Vnum Dominum Jesum Christum natum ante omnia sæcula, qui incarnatus est ex Maria Virgine, crucifixus &c.* Et clarissimè in *Symbolo Athanasii* dicitur: *Qui licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus ..... unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

Iuxta Concilia & Symbola Ecclesiæ.

Idemque patet ex Scriptura,

Eadem veritas colligitur ex Scriptura, quæ unum & eumdem à parte rei existentem vocat Deum & hominem, & quæ in uno loco dicit de Deo vero, in alio dicit de vero homine: quod non rectè fieret, si non una, sed duæ essent personæ accidentaliter tantùm unitæ. Confirmatur, quia duæ substantiæ integræ, accidentaliter tantùm unitæ, non denominant se invicem substantialiter, sed tantùm accidentaliter; v. g. homo non dicitur vestis, sed vestitus: & proinde juxta sententiam *Nestorii* non rectè Deus diceretur homo, aut contra.

& inconvenientibus quæ ex errore Nestorii sequuntur.

Probatur insuper: quia ex sententia *Nestorii* sequitur totam Trinitatem esse incarnatam, cùm unio accidentalis, quam *Nestorius* ponit inter divinitatem & humanitatem Christi, non magis respiciat Verbum, quàm Patrem & Spiritum sanctum. Deinde sequeretur multos alios Sanctos fuisse à Deo assumptos: cùm inter hos & Deum similes accidentales uniones interceserint. Denique secundùm fidem Christus est simpliciter unus; cùm tamen juxta sententiam *Nestorii* deberet simpliciter dici duo, utpote duplex suppositum completum.

28. *& distinctionem naturarum dicitur in*

Dices I. *Leo Papa Epist. 10. ad Flavianum c. 4.* ait de Christo: *Aliud coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis.* Resp. hoc posse dici ob distinctionem naturarum: quàm vis *alius* masculinè significaret distinctionem suppositorum seu personarum. Unde dicta propositio post longam controversiam fuit in *Concilio Calcedonensi* admissa. Et *Gelasius* Papa *can. Sancta Romana d.* 15. præfatam S. Leonis Epistolam canonizat, *Cujus* (inquit cum Synodo Romana) *textum quispiam si usque ad unum jota disputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.*

Christo aliud pati, aliud miraculis coruscare.

Dices II. Filii debent parentibus esse consubstantiales, eisque posteriores: atqui Christus Deus non est Virgini consubstantialis, estque eâ prior totâ æternitate: ergo Christus Deus non est filius Virginis, nec ipsa est Deipara: sed sunt duæ personæ filius Dei, & filius Virginis. Resp. filios debere parentibus esse consubstantiales, nec posse priores esse secundùm naturam, quam ab illis acceperunt, ac proinde cùm Christus Deus acceperit naturam humanam à Virgine, est secundùm illam consubstantialis, ac Virgine posterior, adeoque verè & propriè est illius filius; prout definivit *Concilium Ephesinum*, & *Synodus V. Collat. 8. can. 6.* contra impiissimum *Nestorium* asserentem, quòd B. Virgo sit, non Theotocos seu Deipara, sed solùm Christotocos seu Christipara.

Christus quà filius Virginis est ei consubstantialis, ac posterior.

29. *In Christo sunt duæ naturæ inconfusæ, divina & humana;*

Dico II. In Christo fuerunt duæ naturæ integræ & inconfusæ, scilicet humana & divina. Est de fide contra *Eutichianos* & quosdam iis affines Hæreticos. Probatur I. quia nisi hæ duæ naturæ in Christo essent integræ & inconfusæ, Christus non esset verus Deus aut verus homo: quod est contra Scripturas. Similiter plurimæ Scripturæ de Christo agentes non possunt verificari nisi ratione divinæ naturæ, v. g. quòd sit æqualis & unum cum Patre &c. Aliæ non nisi ratione humanæ naturæ, v. g. quòd sit minor Patre, natus ex Virgine, fatigatus &c.

Aliàs Christus non foret verus Deus aut verus homo.

Probatur II. ex Conciliis, *Calcedonensi* (quod fuit contra oppositam hæresim congregatum) *act. 5. Synodo V. & VI.* & pluribus aliis. Quibus adde *Symbolum Athanasii* suprà relatum, & omnes sanctos Patres, quorum multi referuntur in *Concilio II. Hispalensi cap. ultim.*

Probatur III. Quia juxtà sententiam *Eutichianorum* deberet tota Trinitas dici incarnata; cùm immutatio ista affecerit immediatè ipsam divinitatem, & tamen non Pater aut Filius, sed *Verbum caro factum est. Joan. 1.*

Totaque Trinitas dicenda foret incarnata.

Probatur IV. Quia evidenter repugnat naturæ divinæ, ut per transmutationem aut mixtionem fiat una cum natura humana, ut per se patet. Per compositionem etiam duæ naturæ integræ (quales sunt divina & humana) non possunt coalescere in unam tertiam, ut apud omnes Philosophos est indubitatum, qui censent hippocentauros esse entia fictitia & chymerica. Confirmatur: quia Christus tunc nec esset Deus, nec esset homo, sed illa tertia natura, sicut homo

Figmentum quoque Eutichianorum de confusione naturarum implicat.

mo non est corpus vel anima. Si autem humanitas verteretur in divinitatem, non esset homo; si divinitas in humanitatem, non maneret Deus. Quare dicendum est cum Catholicis in Christo remanere duas naturas distinctas, quæ tamen statuunt unum Christum sive personam, intercedente eâdem personalitate Verbi, quæ divinam Christi naturam intrinsecè, humanam verò extrinsecè loco personalitatis propriæ terminat.

Retinenda proinde doctrina Catholica: quæ declaratur.

30. *Verbum non conversione, sed assumptione caro factum.*

Dices I. *Ioan.* 1. dicitur: *Verbum caro factum est*: ergo versum est in carnem. Resp. Neg. Conseq. nam (ut rectè *Gregorius l.* 9. *Epist.* 61.) *Verbum carnem dicimus factum, non immutando quod erat, sed suscipiendo quod non erat.*

Dices II. *Cyrillus lib.* 1. *de Recta fide ad Reginas* non longè à principio ex *Athanasio* ait: *Confitemur etiam ipsum esse filium Dei, & Deum secundùm spiritum, & filium hominis secundùm carnem; non duas naturas & unum filium, unam quæ adoratur, & unam quæ non adoratur, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam & adorabilem cum carne sua unâ adoratione.* Resp. Patres istos tantùm negasse plures naturas subsistentes diversis subsistentiis; adeòque sic divisas, ut una adoraretur & non altera; prout dixit *Nestorius.* Alioquin de mente *Athanasii* contrariâ *Eutycheti* clarè constat ex Symbolo ejus, in quo ait de Christo: *Unus autem non conversione divinitatis in carnem &c.* Similiter de mente *Cyrilli* constat ex *lib. de Incarnat. c.* 12. & *Epist. ad Ioannem Antiochenum*, quæ lecta fuit in *Concilio Calcedonensi*, per quam error *Eutychetis* manifestè convincitur. Ideoque lectâ hâc Epistolâ sunt parvipensa allegatio Hæreticorum, in quorum favorem alia quædam verba supradictis similia retulerat Eustachius Episcopus Veritensis; quæ tamen præcisè apud *Cyrillum* non reperiebantur. Immo sensum catholicum satis indicant verba objecta, dum *Cyrillus* ait: *Unam naturam Dei Verbi adorabilem cum carne sua.*

Explicantur Athanasius & Cyrillus.

31. *Arguitur ex dualitate naturarum sequi in Christo dualitatem personarum. Respondetur juxta opinionem statuentem personalitatem creatam in modo positivo realiter superaddito.*

Dices III. Si in Christo sint duæ naturæ completæ, etiam essent duæ personæ admittendæ: cùm persona nihil sit aliud, quàm substantia rationalis completa. Resp. Neg. Seq. Ad probationem plurimi probabiliter respondent, personam etiam creatam ultra naturam completam importare entitatem aliquam modalem, quæ subsistentia vel personalitas dicitur, & naturam incommunicabilem reddit; prout etiam cernitur in personis divinis triplex positiva personalitas. Quæ entitas cùm non sit assumpta à Verbo, sed vices illius supplevit Verbi personalitas, patet quomodo in Christo possit esse duplex natura & una persona.

Opposita sententia præfertur,

Scotus tamen 3. *d.* 1. *q.* 1. & alibi, & plures Recentiores longè verùs censent personam creatam nihil esse aliud quàm naturam rationalem completam per se subsistentem, id est, non unitam de facto alteri à quo dependeat; sive (ut Quidam loquuntur) quæ proprietates individuales habeat tamquam suas, & non alterius suppositi. *Siquidem persona res Juri juris est*, ut loquitur *Paschasius* citatus in *Epist. Synodica Concilii Francofordiensis*; consistens scilicet per se ab aliis separata, quibus nequidem exigat uniri. Juxta quem dicendi modum personalitas superaddit naturæ rationali completæ solam negationem; quæ cùm per ipsam unionem ad Verbum destruatur, seu impediatur, patet Verbum non assumpsisse personam, sed tantùm naturam humanam; adeòque cum unitate personæ consistere pluralitatem naturarum.

Et juxta illam respondetur.

Quare hic dicendi modus valdè congruit mysterio, & ex eo stabilitur. Hoc ipso namque quod humanitas unitur Verbo, implicat in terminis manere personalitatem creatam, supposito quòd hæc sit quædam negatio communicabilitatis seu unionis ad alienam substantiam, cùm hæc negatio formaliter tollatur per ipsam unionem ad Verbum. Quare juxta hunc modum manifestè patet, quàm rectè Concilia & Patres ex ipsa assumptione humanitatis à Verbo concludant destructam seu præpeditam fuisse personalitatem creatam; sicque tacitè doceant mysterium Incarnationis non potuisse constare, seu assumptionem naturæ humanæ esse impossibilem, si hæc propriam retinuisset personalitatem. Quod etiam docent communiter illi Theologi, qui personalitatem creatam statuunt in modo positivo; ut patet apud *Præpositum q.* 4. *art.* 3. *dub.* 4. Quo tamen supposito nulla apparet esse collectio præfata; præsertim supposito, quòd non repugnet eamdem naturam creatam posse simul terminari à pluribus personalitatibus alienis (quod Alii passim supponunt) cur enim tunc repugnaret cum aliena retineri propriam personalitatem, potiùs quàm terminari duplici personalitate alienâ?

Quam de corpore Mysterio Incarnationis ostenditur.

Difficultas quam adpatiuntur, declaratur.

32. *Sententia solam distinctionem rationis inter naturam & personalitatem creatam statuens incongruit mysterio Incarnationis.*

Nullatenus tamen huic mysterio consonat doctrina *Durandi* adscripta de sola distinctione rationis inter naturam & personam creatam: sola enim distinctio ista non sufficit ad separabilitatem realem humanæ naturæ à personalitate creata; quam tamen separabilitatem fides certissimè adstruit in Christo. Verùm quidem est dari gradum metaphysicum substantiæ cuilibet identificatum, à quo formaliter dicitur omnis illa, adeòque etiam humanitas Christi, per se subsistere, id est, non inhærere alteri instar accidentis. Sed gradus iste non est subsistentia, quæ facit formaliter substantiam quatenus eâ affectam esse incommunicabilem, seu suppositum aut personam; uti fides docet.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Natura Actionis incarnativæ, & Unionis hypostaticæ.

33. HAc quæstione declarandum est, quæ sit actio incarnativa, quod principium, & quis terminus: cùmque terminus per illam productus sit ipsa Unio hypostatica, eâdem operâ natura & excellentia illius ostendetur.

Incarnatio est unitio seu actio productiva unionis Verbi cum humanitate.

Dico I. Incarnatio est actio quâ natura humana unitur Verbo, adeoque per ipsam ponitur unio, quâ humanitas formaliter Verbo unitur. Ita *Scotus d. 1. q. 1. n. 3. & 13. Suarez, Vasquez* & alii plerique. Ratio est: quia per Incarnationem constituitur Christus in ratione compositi ex Verbo divino & naturâ humanâ: atqui sic constituitur formaliter per unionem utriusque; sicut alia composita quâ talia per uniones proportionatas: ergo incarnatio est actio productiva talis unionis.

34. *Actio incarnativa nequit concipi, sine novo termino acto; qui est unio,*

Nec dici potest cum Nonnullis, per actionem incarnativam conflari unam Christi personam ex duabus naturis compositam, absque eo quòd aliquid etiam in natura humana producatur, quo mediante ipsa unitur Verbo: cùm enim intercedat hîc vera actio, scilicet unitio duorum extremorum, necessariò intervenit terminus actus sive productus, saltem in humanitate, quæ sola est capax novæ formæ inea producendæ. Confirmatur: quia res distinctæ non coalescunt in unum compositum, nisi mediante unione distinctâ: nam ipsæ partes possent unioni præexistere, sive absque ea existere; indistantia quoque vel quæcumque approximatio aut intima præsentia localis partium potest esse, quin uniantur, v.g. dum anima separata intimè penetrat corpus. De quo in Physica. Vide *Vasquez d. 18. c. 1. Præpositum q. 2. art. 7. dub. 1.*

Hæc, necessariò mediat etiam inter alia componibilia.

35. *Incarnatio nequit statui actio productiva humanitatis Christi.*

Neque etiam potest dici cum quibusdam *Thomistis*, Incarnationem esse actionem productivam humanitatis Christi: tum quia actio incarnativa est maximè supernaturalis; productio autem humanitatis Christi est actio naturalis, ut ipse terminus productus est naturalis: tum quia per incarnationem ponitur Christus, Deus homo, per aliam autem actionem ponitur humanitas; qui sunt termini distincti, adeoque & ipsæ actiones. Confirmatur à simili: quia productio hominis est distincta à productione animæ rationalis, sicut & hominis reproductio, ad quam similirum corpore & anima præsuppositis solùm requiritur productio unionis animæ cum corpore: ergo similiter incarnatio est distincta à productione humanitatis; utpote unitio Verbi cum humanitate. Adde corpus & animam mansisse in triduo unita Verbo, humanitate non existente: hujus itaque productio non est productio unionis hypostaticæ cum Verbo.

Nec obstat quòd *Leo Papa Epist. 11. ad Julian. Episc. Coensem* dicat: *Natura nostra non sic assumpta est, ut priùs creata, pòst assumeretur, sed ut ipsâ assumptione crearetur.* Nam (ut patet ex contextu, & ex antithesi) solùm vult humanitatem non priùs tempore extitisse, sed ejus creationem fuisse simul cum ipsa assumptione.

36. *Productio humanitatis nequit statui esse ipsa unio hypostatica.*

Minùs quoque placet paucorum Recentiorum ea explicatio, quâ statuunt productionem humanitatis esse ipsammet Unionem hypostaticam. Tum quia unio debet effici per actionem ad se directè terminatâ; productio autem humanitatis nequit effici per ejusmodi actionem; cùm ad actionem non detur distincta actio. Tum quia unio & actio non videntur posse coalescere in unicum indivisibilem modum, uti nec unio & ubi, aliive respectus disparati, habentes singuli singula fundamenta & terminos adæquatos. Tum quia humanitas præsupponitur naturâ unioni sui ad Verbum, uti cetera unibilia; non præsupponitur autem productioni sui. Tum quia Unio hypostatica esset alioquin productio unionis animæ cum corpore; utpote in qua formaliter consistit productio humanitatis, suppositâ scilicet (quæ in resurrectione Christi supponebatur) existentiâ animæ & corporis. Tum quia humanitate non existente in triduo mortis adhuc existebat Unio hypostatica corporis & animæ cum Verbo. Tum quia si humanitas tempore præextitisset assumptioni sui ad Verbum, Unio hypostatica foret utique distincta. Et quidem de facto sic præextitit materia prima; cujus proinde productio non est Unio hypostatica: & consequenter nec productio animæ aut humanitatis.

37. *Neque est identitas unionis cum productione humanitatis defendenda Christi impeccabilitati necessaria.*

Dices: Non aliter potest ostendi absoluta omnino impeccabilitas humanitatis Verbo unitæ, peccato saltem unionis destructivo. Quæ tamen in præmissa explicatione satis ostenditur: destruendo enim unionem destrueret humanitas se ipsam, cujus supponeretur esse productio: quare cùm in instanti peccati non possit manere unio, non posset quoque manere producta per illam humanitas; quæ tamen esse debet, dum peccat. Resp. in primis juxta doctrinam *Scotistarum* impeccabilitatem humanitatis Verbo unitæ solum esse de potentia ordinaria. Deinde cùm planum sit non esse saltem necesse, ut producatur humanitas per ipsam Unionem hypostaticam, adhuc non ostenderetur Christum simpliciter aut humanitatem Verbo unitam esse absolutè impeccabilem, casu quo scilicet distinctè produceretur & distinctè uniretur. Et sanè non apparet credibile Auctoritates Christi impeccabilitatem adstruentes ad hanc speculationem velut

velut omnimodæ impeccabilitatis fundamentum respexisse; sed potiùs ad excellentiam humanitatis suppositâ unione: quæ qualem impeccabilitatem inferat, infrà dicetur. Dato autem, quòd hæc admitti debeat omnimoda & absoluta vi Unionis hypostaticæ, sufficeret illam priùs naturâ supponi sive inesse humanitati, quàm hæc quidquam operetur: sic enim humanitas nullo instanti temporis posset unionem, utpote singulis instantibus priorem naturâ quàm sit operatio, peccando amittere. Et verè Unio hypostatica priùs naturâ inest, quàm humanitas connaturaliter agat: cùm priùs quàm operetur sit complenda per suppositalitatem. Ob quod etiam actiones sunt suppositorum.

38. *Causa effectiva unionis hypostaticæ est tota Trinitas,*

Dico II. Principium Incarnationis seu causa effectiva Unionis hypostaticæ est Deus sive SS. Trinitas; adeò ut nulla creatura eam immediatè attigerit aut attingere potuerit. Prima pars est de fide ex *cap. Firmiter, de summa Trinit.* & aliis Conciliis. Ratio est, quòd opera SS. Trinitatis ad extrà sint indivisa, & quòd omne creatum præsertim supernaturale dependeat à Deo in fieri & conservari. Unde dum Christus in Symbolo dicitur *conceptus de Spiritu sancto*, non excluditur operatio Patris, ipsiusque Verbi divini, sed sola operatio viri à purissima Christi conceptione; quæ tamen, utì bonitas, Spiritui sancto specialiter appropriatur.

Etsi approprietur Spiritui sancto.

39. *Nulla creatura Incarnationem effectivè attigit,*

Secunda pars est etiam satis certa ex Scriptura, Conciliis & Patribus tribuentibus hoc opus virtuti divinæ, ut *Lucæ* 1. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Matth.* 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

Dices: In nutritione & accretione Christi partes accrescentes uniebantur Verbo: sed hoc faciebat anima Christi; ergo. Resp. Neg. Min. non enim plus fecit anima Christi in nutritione, quàm faciant animæ ceterorum hominum: partes autem accrescentes Deus uniebat Verbo, non quidem per novum miraculum, sed per continuationem quasi prioris miraculi, quo primò facta est Incarnatio.

Etiam in nutritione vel accretione;

40. *Immo nec attingere potuit.*

Tertia pars intellecta de causatione principali est communis: quia Unio hypostatica est ens maximè supernaturale; quod proinde non magis, sed è contrà multò minùs quàm gratia sanctificans pendere potest à creatura tamquam causâ principali. Loquendo autem de causalitate instrumentali censet *Suarez* B. Virginem per potentiam obedientialem absolutè loquendo potuisse causare (etsi de facto non causarit) Incarnationem tamquam instrumentum Dei. Sed hæc sententia corruit negatâ potentiâ obedientiali cujuslibet ad quodlibet. De qua in Physica.

41. Dico III. Terminus totalis sive adæquatus Incarnationis est Christus, Deus homo, sive Verbum subsistens in humanitate, aut potiùs humanitas subsistens personalitate filii Dei: terminus formalis est ipsa Unio hypostatica, & quodammodo sensu humanitas Christi. Prima pars est de fide ex *V. Synodo Collat.* 8. *can.* 4. ubi dicitur Incarnationem terminatam esse ad unitatem Verbi divini secundùm compositionem ad carnem animatam animâ rationali. Idem patet ex *Toletano VI. & XI.* aliisque Conciliis. Ratio est: quia terminus adæquatus unitionis duorum extremorum est ille, qui ex tali unitione resultat; prout ex hac unitione resultat Christus. Unde etiam terminus adæquatus generationis aut regenerationis humanæ statuitur totus homo, etsi præcisa illius ratio tantùm consistat in unitione animæ cum corpore.

Terminus totalis Incarnationis est totus Christus Deus hominum.

Secunda pars probatur: quia actionis productivæ, quà talis, terminus formalis est id quod per eam immediatè producitur; per actionem autem incarnativam sic producitur sola Unio hypostatica.

Terminus formalis Incarnationis est unio hypostatica.

Tertia pars probatur: quia etsi humanitas Christi non producatur per Incarnationem, sed tantùm uniatur personalitati Verbi, satis tamen attingitur ut dici possit terminus formalis; sicut generationis terminus formalis dicitur forma substantialis, quæ tamen potest generationi præexistere, & solùm per illam uniri materiæ. Potiùs autem humanitas dicitur terminus formalis, quia ipsa est quæ dependet à personalitate Verbi, & hæc illam quasi sustentat sibique inexistere facit; formæ autem convenit ab altero dependere, eique inexistere. Alioquin aliâ consideratione personalitas Verbi non incongruè dici posset terminus formalis: ipsa enim supplet officium personalitatis propriæ; adeoque sicut personalitas propria se habet respectu naturæ velut forma, sic potest censeri de divina personalitate respectu humanitatis.

Et quamvis Gratia sensibilis humanitatis Christi non sit quo non sit divina.

Adverte, quòd licèt unitio, incarnatio, assumptio significent principaliter eamdem actionem, differant tamen penes connotata. Unitio enim præcisè significat conjunctionem duorum extremorum: ideoque tam natura humana dicitur unita, quàm Verbum. Incarnatio connotat rem cui fit unio, scilicet carnem seu humanitatem; ideoque non humanitas, sed Verbum rectè dicitur incarnatum sive humanatum. Assumptio connotat id, quod assumit esse, & principium assumptionis effectivum, & ipsius rei assumptæ terminum: nam assumere est aliud ad se sumere, tamquam ad terminum, ad quem aliud trahitur; ideoque Verbum dicitur assumpsisse humanitatem, non autem Pater vel Spiritus sanctus; humanitas verò dicitur à Verbo assumpta.

Unitio, Incarnatio, Assumptio differunt penes connotata.

Dico IV. Unio hypostatica, sic dicta quia respicit hypostasim sive personalitatem,

Unio hypostatica

tem, & per illam exurgit persona, proximè consistit inter naturam humanam & personalitatem Verbi, & hâc mediante ipsam divinam naturam: Ita communiter Theologi. Et patet ex *Synodo VI. act. 4.* ubi refertur & approbatur sententia *Dionysii lib. de div. nom. cap. 2. post med. Illis* (quæ ad Incarnationem pertinent) *nullâ ratione communicant Pater & Spiritus sanctus, nisi tantùm benignissimam voluntatem.* Quod falsum esset, si natura divina (quæ est communis tribus personis) esset immediatè unita humanitati. Et in *Concilio Toletano VI. & XI. in Confess. fidei* dicitur: *Solus Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, id est, in eo quod proprium est Filio, non in eo quod commune est Trinitati.* Ratio est: quia si unio immediatè afficeret naturam divinam, non potiùs Verbum esset incarnatum, quàm Pater & Spiritus sanctus, seu tota Trinitas. Deinde sic non exurgeret una persona per Incarnationem.

44. Gravissimam tamen difficultatem, immo, ut apparet, inexplicabilem hîc patiuntur, qui solùm distinctionem rationis admittunt inter naturam divinam & personalitatem Verbi: inde enim sequitur hæc ante operam mentis tam esse idem, quàm Verbum & Filius: sicut igitur ob hanc omnimodam identitatem implicat unionem realem terminari formaliter & immediatè ad Verbum, quin similiter terminetur ad Filium; sic omnino videtur implicare, ut fiat & immediatè terminetur ad personalitatem Verbi, quin similiter terminetur ad ipsam naturam divinam; ne alioquin de omnino eodem à parte rei & ante opus mentis vera sit affirmatio & negatio. Unde ulteriùs sequeretur inconveniens illud, quòd tota Trinitas sit incarnata: cùm, quod competit formaliter & immediatè Deitati, competat omnibus personis, easque denominet.

Nec dici potest, Verbum uniri formaliter, & non naturam, formalitate se tenente ex parte solius unionis: non enim potest in reali unione statui formalitas aut realis respicientia certi termini cum exclusione alterius, quando is est omnino idem, immo à parte rei tam idem, quàm Verbum & Verbum; ut ex præmissis apertè conficitur.

45. Dices: Supposito quòd natura divina sit realiter eadem cum tribus Personis inter se distinctis, sequitur, quòd independenter à distinctione formali tam possit Verbum & ratione illius natura divina realiter uniri humanitati, & Patet realiter non uniri, quàm possit Verbum & natura divina esse realiter Verbum, & Pater non esse realiter Verbum: adeòque distinctio formalis videtur superflua. Resp. suppositum hoc admitti non posse, nisi suppositâ, quæ involvitur, distinctione formali, sine qua mysterium Trinitatis & Incarnationis non subsistit. Hâc enim exclusâ; uniretur natura divina humanitati immediatè & formaliter; adeòque Pater uniretur saltem realiter; immo si nec inter Patrem & Deitatem poneretur similis distinctio, etiam Pater uniretur æquè immediatè & formaliter: ne de omnino iisdem verificentur ante mentis operam contradictoria. Similiter si ante mentis operam inter naturam & personalitates non sit distinctio, sequitur, quòd absolutum & non absolutum, communicabile & incommunicabile &c. incident in tam idem, quàm sit homo & humanitas; adeòque tam paternitas, quam natura erit communicabilis Filio.

Instabis In præsenti mysterio seclusâ distinctione formali verum esse poterit, quòd natura divina uniatur & non Pater, quia natura unitur quâ Verbum, & quâ Pater non; eatenus autem sit respectus ad duo realiter distincta. Resp. ly *quâ* ibi reduplicare ipsas personalitates, ut proinde naturam sic uniri, & non Patrem, nil aliud sit, quàm uniri personalitatem Verbi, non Patris. Unde tunc non stat affirmatio & negatio inter naturam & Patrem, sed inter Verbum & Patrem seu Personalitatem Verbi & personalitatem Patris: cùm tamen natura præcisa contra personalitatem Verbi non uniatur formaliter, personalitas autem Verbi sic uniatur: eademque natura præcisa contra paternitatem uniatur realiter humanitati, paternitas non, idque ante mentis operam. Ex quo patet sine distinctione formali non subsistere ea quæ juxta fidem seu fidelem sermonem in hoc mysterio affirmanda vel neganda sunt.

46. *Vltior instantia.* *Solutio.*

Dico V. Unio hypostatica est purus modus de genere relationum extrinsecùs advenientium; quæ nimirum non necessariò resultant ad positionem fundamenti & termini, sed poni debent per specialem actionem ad se terminatam: Ita *Scotus d. 1. q. 1. n. 15.* ejusque Discipuli contra alios passim censentes ipsam esse modum substantialem absolutum. Sed Conclusio patet ex iis, quæ in simili traduntur in Philosophia de unione compositi physici, & de sex postremis prædicamentis. Modus certè noster concipiendi, & quidem necessarius (qui gratis dicitur hîc non esse proprius) persuadet esse quid respectivum. Alii autem statuentes modum absolutum, qui simul dicat respectum transcendentalem, frustrà modos multiplicant, cùm solus respectus sufficiat.

47. *Vnio hypostatica est purus modus relatioque extrinsecus advenien.*

An autem iste respectus sit verum accidens? an autem substantia saltem reductivè? non ita constat. Videtur enim dici posse, quòd sit quid substantiale; eò quòd etsi necessariò instar puri modi insit subjecto, non tamen per propriè dictam inhærentiam: cùm constituat cum fundamento & termino saltem ut id quo unum substantiale per se; adeòque videatur fundamentum illius non esse propriè subjectum in-

48. *Qua an dicenda sit accidens, an reductivè substantia, disputatur.*

hæsionis. Qui verò mallet appellare accidens (quod videntur *Scotistæ* passim facere) dicere posset ipsum verè inhærere subjecto, ex quo utique & unione tamquam partibus non exurgeret unum per se. Unde nec in constitutione totius, quod exurgit ex ipsis quæ uniuntur, includitur unio tamquam constituens vel componens, sed ut id quo tamquam compositio. Quare quæstionis hujus resolutio videtur arbitraria.

49. *Opinio statuens unionem hypostaticam in qualitate errat in Philosophia.*

Quod attinet Opinionem *Gabrieli* adscriptam, quòd scilicet unio sit qualitas, solùm habet inconveniens in Philosophia, quæ statuit rationem qualitatis in forma absoluta substantiæ datâ ad illam ornandam & perficiendam, adeòque ipsamet indigens unione speciali, quæ ipsam substantiæ nectat. Quòd si tamen qualitas posset esse formaliter nexus seu unio, nullum inconveniens foret, in qualitate quoque statuere Unionem hypostaticam, citra periculum aut apparentiam Nestorianismi. Nam *Nestorius* negabat nexum substantialem, ex quo unitas personæ exurgeret, non solicitus de conditione ipsius nexûs, an scilicet sit substantia, qualitas, vel relatio, sed de modo quo nectit, an scilicet extrema nectat in unitatem personæ substantialis, an non.

50. *Unio hypostatica est quodam sensu maxima,*

Dico VI. Unio hypostatica quodam sensu est maxima, quodam non. Prima pars est communis Doctorum, & *Bernard. l. 5. de Consid. c. 8.* Probatur: quia in primis est maxima ex parte extremorum; quorum unum est infinitum, alterum substantia in se perfecta, & per ipsam unionem assumptum in unitatem divinæ personæ. Deinde quia est arctissima, nullâ vi naturali aut actione, ne quidem dum solvitur unio corporis & animæ (ut patuit in triduo mortis) dissolvenda. Tertiò est maxima, quia ob insproportionem & distantiam extremorum potest difficiliùs poni & intelligi, quàm ceteræ. Denique est maxima in ratione doni, in qua excedit etiam visionem beatificam, ut contra *Durandum* tradit *Scotus 4. d. 49. q. 2. n. 10.* & alii communiter: quia etsi utrobique donum in se sit maximum; modus tamen communicandi (unde plurimùm crescit perfectio doni) in Incarnatione est substantialis, & adeò intimus, ut creatura elevetur ad esse personale divinum, vocetur Deus, & adoretur latriâ; in visione autem beatifica Deus tantùm communicatur objectivè & accidentaliter mediante actu vitali. In Eucharistia Christus communicatur tantùm secundùm præsentialitatem, & effectus accidentales, seu gratias sacramentales.

Notanter in ratione doni.

Maximè gratuiti, non respectu Christi, sed respectu humanitatis.

Ubi notandum Unionem hypostaticam esse donum maximè gratuitum respectu humanitatis Christi, cui nullatenus erat debita: non tamen respectu ipsius compositi, scilicet Christi, qui ex intrinseca sua constitutione unionem illam exigebat: sicut compositum physicum exigit unionem suarum compartium.

Secunda pars Conclusionis probatur: quia unio materiæ & formæ superat Unionem hypostaticam, quatenus est inter res minùs distantes, magisque proportionatas; & quatenus ex ea resultat compositum magis propriè dictum. Ac denique quatenus non tantùm una persona (uti ex Unione hypostatica) sed etiam una natura singularis ex ipsa exurgit.

QUÆSTIO VI.

Quænam in particulari Verbum assumpserit, & quo ordine?

DIco I. Certum est Verbum assumpsisse veram humanitatem, adeòque verum corpus & veram animam rationalem invicem unita: alioquin enim Deus factus non esset verus homo; quod tamen fides docet. Equidem non sic dependet assumptio animæ & corporis ab eorumdem mutua unione, ut hâc cessante desinant manere assumpta; quandoquidem juxta fidem anima & corpus Christi fuerint Verbo unita, etiam in triduo mortis; in quo tamen non mansserunt unita inter se.

Dico II. Verbum assumpsit corpus integrum. Est certum: quia (ut fides docet) assumpsit naturam quam in Adam plantaverat; adeoque integram quoad omnes partes, sicut ista fuit. Deinde in tanto opere incongrua fuisset oppositа imperfectio & defectus.

Ex quo patet Verbum assumpsisse omnes partes substantialiter integrantes corpus humanum, ut sunt caro, ossa, oculi &c. quia hæ omnes pertinent ad veritatem corporis humani, quod Verbum assumpsit. Idemque dicendum est de dentibus: quia omnino videntur informari animâ rationali. Idem etiam foret de sanguine aliisque humoribus, si (quòd Plures docent) sint informati animâ rationali. Verùm etiam ab hoc abstrahendo.

Dico III. Sanguis Christi fuit proximè & immediatè unitus Verbo Dei. Ita communiter Doctores, ex quibus Varii oppositam Sententiam (quam post *Durandum, Gabrielem* & alios quosdam docet noster *Poncius d. 37. q. 5.*) notant erroris, aut saltem temeritatis. Sed immeritò: cùm nulla sit auctoritas, quæ (ut patebit) non patiatur commodam explicationem. Quamvis unanimis Doctorum consensus non leve præbeat Conclusioni fundamentum: quæ idcirco, & quia magis consona dulcedini pietatis ac devotionis, præfertur; accedente eo, quòd nil in oppositum militet, & nonnulla si non convincant, certè suadeant communem doctrinam.

Proba-

55. *Suadetur ex Scriptura,*

Probatur I. Quia Scriptura docet pretiosum sanguinem Agni immaculati, qui pro nobis effusus est, esse pretium nostræ redemptionis. *Matth. 26. ad Hebr. 9. 1. Petri 1. 1. Ioan. 1.* idque non solùm quatenus superat conditioni personæ offerentis (prout etiam oblatio salivæ & sudoris Christi erat infiniti valoris) sed insuper quatenus erat res oblata: quod verum non esset, si non fuerit unitus immediatè Verbo. Hæc tamen probatio non videtur convincere, ut etiam advertit *Lugo* & alii: solùm enim ex ea infertur, personam quæ sanguinem fudit esse divinam: neque enim sanguis redemit nos, quia ipse Verbo unitus, sed quia à Persona Verbi effusus; cùm non res oblata, sed ipse offerens conciliarit satisfactioni infinitum valorem. Ideoque oblatio pueri Jesu in templo facta per Virginem matrem non habuit infinitum valorem, etsi foret rei infinitæ. E contrà sudore & lacrymis pro nobis effusis Christus nobis meruit merito æqualis, seu infiniti (ut ita dicam) valoris. Quàmvis pretium sanguinis præcipuè inculcetur, tum quia in ejus effusione seu passione debebat Christi meritum & nostra redemptio consummari: tum quia in eo optimè relucet Christi amor & satisfactio, uti & pœnalitas.

Sed non convincitur.

56. *Nonnulla alia testimonia esse extra rem ostenditur.*

Solent etiam allegari testimonia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum asserentium, quòd Verbum assumpserit carnem & sanguinem. Sed nihil aliud volunt, quàm ipsam assumpsisse veram humanitatem nostræ similem. Nam caro & sanguis periphrasis est hominis pertinetque interdum ad naturam humanam miseriis obnoxiam, ut rectè noster *Sasbouth* in illud *ad Heb. 2. Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* Quorum verborum sensus est: quia pueri, scilicet electi aut redimendi, erant homines, & quidem miseri multisque malis obnoxii, voluit ipse quoq; esse similis homo. Quare etiam dicitur Filius Dei assumpsisse nostras miserias; quæ tamen non sunt unitæ hypostaticè divinitati. Quòd autem in *VI. Synodo act. 16.* damnetur quidam *Constantinus* hæreticus asserens in cruce carnem & sanguinem fuisse dimissa; id erat, quia volebat Verbum in cruce simul cum carne & sanguine dimisisse pro semper naturam humanam: cùm tamen juxta fidem in resurrectione carnem & sanguinem redivivus resumpserit. Et quamquam vis fieret in voce *sanguis*, rectè diceretur assumi vel dimitti citra unionem immediatam ad Verbum.

57. *Suadetur secundò ex Extrav. Vnigenitus, de pœnit. & remiss.*

Probatur Conclusio II. ex *Clemente VI. Extrav. Vnigenitus, De pœnitentiis & remiss.* ubi de sanguine Christi pro nobis effuso ait, quòd *gutta sanguinis modica propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficisset.* Ubi simpliciter dicitur sanguinem habuisse unionem ad Verbum; quod simpliciter positum sonat unionem immediatam. Deinde hæc unio dicitur esse ratio tanti valoris sanguinis. Nihilominus etiam hinc nil certi concluditur, non solùm quia hæc omnia sunt tantùm obiter à Pontifice dicta in præfata Bulla reductionis Jubilei ad annum quinquagesimum, sed etiam, quia verba possunt explicari hoc vel simili modo, quòd scilicet modica gutta sanguinis sufficisset propter unionem illum effundentis, videlicet humanitatis, cum divinitate. Sicque datur proxima & clara ratio à Pontifice intenta: cùm alioquin gutta modica non sufficisset propter unionem ipsius guttæ ad Verbum, sed propter unionem, quæ erat in humanitate tamquam extremo unionis, in Christo verò tamquam quid inclusum.

Sed non convincitur.

58. *Confirmatur à multis ex censura Clementis VI. confirmata à Pio II. de unione sanguinis cum Verbo in triduo mortis.*

Confirmari passim solet Conclusio ex eo, quòd ipse Clemens VI. (prout refertur in *Directorio Inquisitorum parte 2. q. 10.* ut testantur *Vasquez* & *Suarez*) mandaverit retractari quamdam sententiam ut hæreticam cujusdam Doctoris, scilicet F. Francisci Bajuli Guardiani Barcinonensis, qui Barcinonæ publicè prædicaverat, in triduo mortis non fuisse sanguinem Christi Verbo unitum. Quam censuram à Pio II. confirmatam refert *Sylvester* Ordinis Prædicatorum. Et hinc irrepsit intolerabilis error in scriptis multorum Theologorum huic relationi fidentium, & maximè Conclusionem inde roborantium.

Sed manifestum est, censuram esse suppositiam.

Sed hujus rei falsitas accuratè & evidenter ostenditur à *VVaddingo in Annalibus Minorum ad Annum 1351. & ad Annum 1462 ac duos sequentes*, quibus controversia sub Clemente VI. inchoata revixit inter *B. Iacobum à Marchia* Ordinis Minorum, verè alterum Thaumaturgum, & *F. Iacobum Brixiensem* Inquisitorem Ordinis Prædicatorum, & partes hujus propugnante Dominico de Dominicis, illius verò *Francisco de Ruvère* Ordinis Minorum Generali, tunc Cardinali S. Petri, postea *Xisto IV.* quæstioque duravit, donec *Pius II. Constit.* quæ incipit *Ineffabilis summi*, datâ Cal. Augusti anno 1464. declaravit neutram opinionem esse hæreticam, & strictissimè latâ excommunicatione cavit, ne quis utrimlibèt aliter sentientes damnet mortalis peccati aut hæresis: quoadusque quid tenendum sit in hac dubietate Sedes Apostolica definierit. Videri debent litteræ ejusdem *Pii II.* ad *B. Iacobum à Marchia*, quas refert *VVaddingus ad Annum 1351. n. 16.* Vide etiam *Nitelam Franciscanæ Religionis* editam contra *Bzovium* Dominicanum à *folio 443.* Hâc igitur confirmatione omissâ

59. *Probatur tertiò ex Tridentino.*

Probatur III. ex *Trid. sess. 13. c. 3.* ubi sanguinem simpliciter statuit inter partes Christi Domini seu humanitatis: Verbum autem assumpsit immediatè omnes partes humanitatis. Quare *Lugo disp. 14. sect. 8.* censet

Sed ineffica-citer.

set oppositam Opinionem ex hoc capite non evadere censuram seu notam Sed immeritò: posset enim dici, quod sanguis statuatur inter partes Christi Domini latè dictis. Est enim pars quodammodò integrans & conservans, sive animetur, sive non; prout etiam ante *Tridentinum* Philosophi & Theologi supposuerunt; sicut & capilli censentur pars hominis ornans. Non exprimit tamen *Tridentinum* sanguinem uniri divinitati. Explicans enim ibidem, cur ipsa divinitas ponatur concomitanter sub utraque specie, dicit id fieri *propter admirabilem illam ejus cum corpore & animâ hypostaticam Vnionem.* Adeòque etiam sub speciebus vini ponitur divinitas propter illius unionem cum corpore & anima. Ubi tamen sub corpore non comprehendi sanguinem, inde patet, quòd *Tridentinum* præmiserit, sanguinem poni sub speciebus panis, non vi verborum (prout utique poneretur, si esset pars corporis, de quo ibi sermo) sed per concomitantiam. Mirum autem foret, *Tridentinum*, si intendisset communem ibi stabilire doctrinam, non potiùs dixisse, divinitatem sub specie vini adesse propter ejus cum sanguine hypostaticam unionem.

60. *Probatur quartò ex principiis fidei circa efficaciam & cultum Eucharistiæ.*

Probatur Conclusio IV. tum quia *Ioan.* 6. tam potui quàm cibo æqualiter tribuitur vivificatio, adeòque etiam potui secundùm se juncta est divinitas: tum quia in triduo mortis Christi, quando sanguis erat effusus, & à corpore ac animâ separatus, debuisset Eucharistia adorari non minùs sub speciebus vini, quàm panis, adeòque sanguini tunc erat unita divinitas. Sed ad hæc facilè responderi posset. Ad primum quidem, sufficere, quòd adsit divinitas per concomitantiam, etsi magis mediatam. Ad secundum verò, non constare in primis, asi in triduo fieri potuisset consecratio. Et hoc supposito, aut certè eo, quòd sanguis aliquis in ultima Cœna consecratus fuisset reservatus, adhuc non constat totum omnino sanguinem fuisse effusum, etiam qui extra venas erat. Quo dato fuisset per concomitantiam sub speciebus vini etiam ipsum corpus, cui nimirum pars sanguinis erat unita, adeòque per concomitantiam fuisset divinitas unita corpori. Dato autem quòd nil penitùs sanguinis in corpore remansisset, facilè admitterent Auctores oppositæ sententiæ species vini in tali casu metaphysico non fuisse adorandas latriâ. Hæc paulò fusiùs proponere libuit, non animo communem Sententiam impugnandi, sed ejus quanta sit firmitas ostendendi. Quocirca oppositam Opinionem à Censura liberat etiam *Arriaga disp. 22. sect. 2.* per totam.

Verùm non efficaciter.

61. Contra Communem Doctrinam objici solet, naturam sanguinis esse completam, adeòque si sit unita Verbo, sequi plures naturas à Verbo fuisse assumptas. Sed facilè respondetur, sanguinis naturam non esse absolutè completam, sed totali naturæ humanæ subordinatam. Quare dicendum est, Verbum assumpsisse non duas, seu unam naturam cum necessariis suis partibus. Ex quo etiam fit, quòd juxta communem locutionem (est enim quæstio de nomine) Verbum non dicatur sanguis, uti nec dicitur anima vel corpus: eò quòd communicatio idiomatum fundetur in utraque natura integra connotante idem suppositum vel personam, juxta communem intelligendi seu loquendi usum.

Restat autem in primis difficultas, an sanguis in passione effusus manserit in triduo Deitati unitus: nam etiam supposito quòd antea unitus fuerit, dubitari posset, an unitus manserit; utpote disparatus in diversis locis, immixtus diversis materiis, nec ex toto resumendus, quique per effusionem desinebat esse pars, cùm tamen ad summum secundariò & quatenus erat pars Christi, foerit Verbo unitus. Unde ita senserunt noster *B. Iacobus à Marchia* & plurimi alii Viri Doctissimi. Neque etiamnum desunt, qui putant illam solùm partem effusi in passione sanguinis retinuisse in triduo unionem ad Verbum, quæ erat in resurrectione resumenda.

Rectiùs tamen sine distinctione dici videtur, sanguinem in triduo mansisse unitum: nam unionem præfuisse supponitur; de cessatione autem seu destructione unionis non constat. Per effusionem enim aut dispersionem non desinebat sanguis esse pars Christi in actu primo, aliquis insuper erat rursus futurus pars in actu secundo, qui scilicet post instantem resurrectionem erat resumendus; secùs quàm partes quotidiè absumptæ, vel præputium, quæ nullâ ex parte resumenda relinquebantur. Sanguis igitur mox resumendus non erat unione ad Verbum privandus. Cùmque adhuc non foret facta separatio hujus à reliquo sanguine homogenio, sed demum in resurrectione, expediebat tantisper unionem servari in quolibet, qui utique totus citra differentiam fuisset in pari veneratione à fidelibus habitus, quique totus fuisset sub speciebus vini consecratis, si quæ fuissent servatæ post cœnam Dominicam. Quæstio denique, quæ erat tempore Clementis VI. & Pii II. versabatur indefinitè circa sanguinem in passione effusum, utrâque parte supponente, quòd vel omnis vel nullus manserit in triduo unitus.

62. Secundò est difficultas de Sanguine Christi pro nobis effuso, qui ex parte remansit in terris; ut constat ex variis Historiis & authenticis documentis; quibus nil solidi potest opponi. Ideoque *Pius II. in Bulla ad Abbatem* Xantonensem declarat hoc non repugnare veritati fidei; quidquid referatur *Turrecremata* existimasse oppositum esse de fide. Itaque hoc suppo-

Fidei non adversantia, in quo non manserit unio ad Verbum,

supposito, dicendum omnino est istum sanguinem non esse ampliùs divinitati unitum, ut prædictum est. Quod tamen repugnare videtur communi axiomati, quod solet tribui Damasceno: *Quidquid Verbum semel assumpsit, numquam dimisit.* Respondetur equidem axioma hoc intelligendum de partibus primariis seu principalibus. Aliàs enim cōstat Verbum dimisisse partes semel assumptas, quæ quotidianâ pugnâ calidi naturalis & humidi radicalis in Christo adhuc in terris agente absumebantur. Simile quid est de Christi præputio in circumcisione ablato, quod adhuc dicitur in terra reservari.

Vti nec in partibus quotidiè in Christo viatore naturaliter assumptis.

64. Cajetanus verò duplicem distinguit sanguinem, unum qui primò fit ex cibo & potu, nondumque est perfectè decoctus, quem nutrimentalem vocat: alium perfectè decoctum, quem non nutrimentalem appellat: existimatque sanguinem posterioris generis esse de veritate naturæ, & à Verbo fuisse assumptum, alium verò non, & hunc solùm in terris remansisse. Verùm hæc distinctio contra communem sensum est excogitata sine fundamento. Et certè si quid probet aliquem sanguinem fuisse assumptum, probat generaliter de omni sanguine, qui in corpore humano est continuus & homogenius seu absque substantiali differentia, ut tam Philosophi quàm Medici asserunt. Et specialiter omnis sanguis pro nobis effusus computatur in pretio nostræ redemptionis: & inter profluvium sanguinis, quòd Christus noscitur effudisse, cujusque modica gutta sufficisset (ut loquitur *Clemens VI.*) non exigua pars erat sanguis ille nutrimentalis: ac insuper omnis ille computatur inter partes humanitatis, & ponitur per Consecrationem sub speciebus vini vi verborum: eumdem denique Fideles exhiberent honorem utrilibet sanguini sine discrimine.

Non est faciendâ in præsenti quæstione distinctio inter sanguinē nutrimentalem & non nutrimentalem.

65. Dico IV. Reliqui tres humores, scilicet pituita, atra & flava bilis, probabiliùs etiam fuerunt immediatè assumpti: quia etsi subinde à *Philosopho* vocentur excrementa, eò quòd per se non ordinentur ad nutritionem, uti sanguis: spectant tamen ad integritatem corporis humani, & requiruntur ad convenientem ejus statum, ideoque erunt etiam in corporibus gloriosis. Idem verosimilius est de spiritibus vitalibus & animalibus: quia etiam sunt necessarii ad vitam & operationem animalis: quamquam citiùs evanescant, quàm alius sanguis, aut reliqui humores.

Quod de sanguine, idem de pituita, atra & flavâ bile est sentiendum,

Item de Spiritibus vitalibus & animalibus.

De rore & cambio negat *Suarez* & alii, quia putant ista generari ex cibo priùs quàm sanguinem. Sed tamen ex sanguine generari, ut fiant partes substantiales viventis, indubitatum putat *Vasquez* ex Philosophis & Medicis; juxta quod consequenter forent assumpta: secùs est de chylo, qui ante sanguinem generatur; item de saliva, sudore & lacrymis: quia tantùm sunt excrementa, nec erunt in corporibus gloriosis. Idem apud omnes indubitatum est de accidentibus.

Quid censendum sit de rore & cambio.

Quòd ad ungues attinet probabiliùs sunt assumpti: quia verosimiliùs informantur animâ: atque est quòd non, saltem sunt partes servientes ad ornatum & integritatem corporis: qui proinde erunt etiam in corporibus gloriosis, in quibus similiter certò erunt capilli, qui pariter sunt partes ornantes, & alias conservantes, non secùs ac folia respectu arboris: adeòque probabiliter juxta Nonnullos sunt assumpti.

Item de unguibus & capillis.

66. Dico V. Humanitas Christi fuit assumpta primo instanti quo extitit. Est de fide ex *Concilio Ephesino cap.* 13. cui inserta est ea pars Epistolæ *S. Cyrilli* ad *Nestorium*, in qua dicitur: *Neque enim primum natus est homo communis de sancta Virgine; & tunc demum inhabitavit in eo Verbum, sed in ipsa vulva uteroque virginali se cum carne conjunxit, & sustinuit generationem carnalem, carnis suæ nativitatem suam faciens.* Et clarissimè ex *VI. Synodo act.* 11. aliisque tam generalibus quàm particularibus Conciliis. Ad præsens propositum etiam explicat *Cyrillus*, & Varii, id quod de Deo Patre dicitur *ad Hebr.* 2. *Cùm iterum introducit* (ipso scilicet instanti conceptionis) *primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei* Igitur ex tunc erat Deus. Patres sunt obvii. Sufficiant verba *Augustini l. contra Serm. Arian. cap.* 8. *Unus Christus est, & Dei Filius semper naturâ, & hominis filius, qui ex tempore assumptus est gratiâ: nec sic assumptus est, ut prius creatus post assumeretur, sed ut ipsâ assumptione crearetur.* Deinde non erat ratio differendi Unionem hypostaticam, aliquando conferendam. Denique id necessarium fuit, ut B. Virgo posset esse & dici Deipara: nam alioquin (ut rectè *Scotus d.* 2. *q.* 3. *n.* 3.) non genuisset Dei filium; sed personam purè humanam. Nec refert, quòd habens filium postea Pontificem verè dicatur mater Pontificis, etsi filius non fuerit Pontifex in principio conceptionis. Nam equidem est genitrix ejusdem personæ quæ est Pontifex. At B. Virgo non foret mater istius personæ quæ est Deus, sed alterius personæ, scilicet humanæ; quamvis genuisset humanitatem postea uniendam in unitate alterius personæ, scilicet divinæ.

Humanitas Christi fuit assumpta primo instanti suæ existentiæ.

Quod necessarium erat, ut B. Virgo esset ac diceretur Deipara.

67. Dico VI. Anima & caro sunt simul tempore assumpta, tum inter se, tum cum humanitate Christi. Patet ex *VI. Synodo act.* 11. ubi dicitur: *Simul caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis.* Ratio est: quia etsi priùs naturâ extiterint, quam assumerentur, sicut omne subjectum priùs naturâ est, quàm recipiat accidens, non tamen prius tempore: quia eodem instanti

Anima & caro simul inter se & cum humanitate sunt assumpta.

quo corpus est perfectè organizatum, creatur & infunditur anima, & exurgit humanitas: ergo idem est primum instans existentiæ omnium, adeòque assumptionis.

68. *Actiones perfectæ organizationi prævia potuissent fieri successivè in tempore;*

Dixi *perfectè organizatum*: nam mutationes & alterationes præviæ, ut deductio materiæ, purissimi scilicet sanguinis seu seminis Mariani ad locum generationi destinatum, figuratio, condensatio &c. potuerunt fieri in tempore præcedenti instans perfectæ organizationis in quo introducta fuit forma corporeitatis, & simul infusa anima, & consequenter perfecta fuit conceptio Christi. Quàmvis juxta communem Doctrinam hæc conceptio fuerit de facto instantanea, etiam quoad priores mutationes (saltem primâ exceptâ) Deo confortante virtutem naturalem B. Virginis auxilio fortiori ad cooperandum, & conferendum quod ceteræ matres conferunt, salvâ virginitate. Cui consonant *Damascenus l. 3. de fide c. 2.* dicens *Dei filium per Spiritum sanctum sibi ipsi corpus condidisse, non ita ut paulatim tacitisque incrementis figura corporis absolveretur, sed uno eodemque momento perficeretur.* Quo pacto patet conceptionem Christi fuisse miraculosam quoad modum: quia videlicet absque opera viri fuit reducta ad actum: idque tempore brevissimo, quo B. Virgo dicebat: *Ecce Ancilla Domini &c.* aut potiùs juxta communem Doctrinam in instanti, verosimiliter ultimo prolationis istorum verborum. Secùs quàm conceptio aliorum hominum quæ fit operâ viri, & instantanea quidem est, quatenus forma corporeitatis (si detur) producitur in instanti, & eodem instanti anima creatur, & unitur corpori; non est tamen adeò brevis & instantanea quoad ceteras actiones prævias.

Communi tamen doctrinâ fuerunt instantanea.

Conceptio proinde Christi fuit miraculosa, quia mirâ celeritate immo instantaneè perfecta, idque sine opera viri.

69. *Quo sensu Verbum assumpserit carnem mediante animâ, & animam mediante spiritu.*

Petes, quo sensu verum sit commune dictum: *Verbum assumpsit carnem mediante animâ, animam verò mediante spiritu?* Quod ex Edicto fidei Constantini Imperatoris refertur & approbatur in *VI. Synodo act.* 18. & usurpatur à variis Patribus, atque ex illis idem approbant omnes Scholastici. Resp. facilè explicari hoc sensu, ut Verbum intelligatur assumpsisse carnem, non ibi sistendo, sed mediante animâ, sivè simul cum anima, aut non sine anima, quod *Appollinaris* Hæresiarcha argumentis Catholicorum convictus tandem concedebat, dicens tamen in Christo fuisse solùm animam vegetantem & sentientem, non autem rationalem. Propter quod Catholici insuper addiderunt, Verbum assumpsisse animam, non tantùm secundùm gradum vegetantem aut sentientem, sed etiam mediâ mente seu spiritu, id est, animam rationalem. Itaque anima fuit causa seu medium congruentiæ, ut assumeretur caro; spiritus similiter ut assumeretur anima: quatenus nec carnem sine anima, nec animam nisi spiritualem, seu rationalem decebat assumi; immo talem assumi oportebat ad meritum & satisfactionem exhibendam. Atque ita rectè hoc dictum explicat *D. Bonavent. d. 2. a. 3. q. 1.*

QUÆSTIO VII.

Quare Verbum sit Incarnatum?

70. *Verbum incarnatum est propter salutem hominis lapsi.*

VErbum propter nos homines & propter nostram salutem descendisse de cælis & incarnatum esse, ubique Scriptura, Symbola, & Concilia adeò expresserunt, ut majori probatione non indigeat.

Sed controversia quia est an Adam non peccasset, Verbum incarnatum fuisset.

Sed gravis est Controversia, an idcirco ita incarnatum sit Verbum, ut si Adam, & in eo posteri non peccassent, adeoque genus humanum non fuisset redimendum, equidem incarnatum fuisset vi præsentis decreti: quod addo; nam quid futurum fuisset vi alterius decreti à peccato non pendentis; an scilicet tale Deus tunc habuisset, incerta videtur conjectura: quàmvis etiam *Poncius d. 38. q. 1.* conjectet venturum fuisse probabiliter vi alterius decreti tunc ponendi, casu quo præsens fuerit restrictum ad redemptionem generis humani lapsi: eò quòd equidem adventus Christi mirabiliter ostenderet divinam omnipotentiam & liberalitatem, cederetque adeò in maximam Dei gloriam.

Plures dixerunt, plures alii negant.

In hac itaque Controversia *Alexander Alensis*, *Albertus*, *Catharinus*, *Suarez* & passim *Scotistæ* ac plures alii etiam recentiores censent Dei Filium fuisse incarnandum, etiamsi homo non peccasset. Contrarium autem sensit *D. Thomas* & omnes *Thomistæ* ac plures alii. *Gabriel* utrumque probabile relinquit. *D. Bonav. 3. d. 1. a. 2. q. 2. in corp.* priori Sententiâ pulcherrimè declaratâ, & posteriori subjunctâ ait: *Quis autem horum modorum melior sit, novit iste, qui pro nobis incarnatus est. Quis etiam horum alteri præponendus sit, difficile est videre, pro eo quòd uterque modus catholicus est, & à Viris catholicis sustinetur. Uterque etiam modus excitat animam ad devotionem, secundùm diversas considerationes.* Quæ quidem verissimè dixit Doctor Seraphicus, tandem tamen præferens posteriorem Opinionem: quæ sanè probabilissima est.

Quæ opinio sit probabilior, difficile est videre, utraque dicatur probabile esse, dixit D. Bonaventura.

71. *Opinio affirmativa probatur.*

Prior nihilominus Opinio probatur 1. quia constat prædestinationem Christi in ratione finis & exemplaris esse priorem prædestinatione ceterorum electorum hominum, immo etiam Angelorum: ceteri autem homines sunt electi ante prævisum peccatum Adæ, ut habet Opinio Plurimorum probabilissima, de qua *Tract. de Deo Uno disp. 8. q. 6. n. 81.* actum est: & saltem Angeli sunt indubiè antea electi: ergo similiter Christus est prædestinatus ante peccatum Adæ: adeòque venisset, etsi Adam non pec-

Quia prædestinatio Christi est prior prædestinatione electorum, etiam Angelorum,

pec-

peccassset: cùm id quod prædestinatum est priùs & independenter ab altero, fieri debeat, etsi alterum non sequatur.

72. *Ipsius decreto condendi universum, utpote ob Christum ejusq; gloriæ conditum;*

Probatur II. Quia prædestinatio Christi est prior decreto condendi universum, adeoque etiam prævisione vel permissione peccati, quod utique supponit productionem universi sive creaturarum rationalium. Antecedens probatur: quia Christus ejusque gloria est finis omnium creaturarum juxta illud *ad Heb. 2. Propter quem*, Christum, *omnia*. De quo nimirum *c. 1.* præmissum fuerat: *Quem constituit hæredem universorum*, utique secundùm humanitatem; ut intelligit *Concilium Francofordiense in Epist. Synodica ad Episcopos Hispaniæ*. Unde præfata Apostoli verba *ad Hebr. 2.* expendens *Rupertus l. 13 De gloria & honore filii hominis prope med.* ait: *Religiosè dicendum, reverenterque est audiendum, quia propter istum filium hominis* (scilicet Christum *gloriâ & honore coronandum*) *Deus omnia creavit*. Similia habet alibi, & *Commentarius Anselmi* in eumdem locum. Atqui finis est prior in intentione; ergo Christus est in intentione (constat quòd non in executione) prior omnibus creaturis, & consequenter illarum peccato.

73. *Sit ut Christus sit ordine intentionis initium viarum Domini,*

Idem Antecedens colligitur ex Scriptura, prout subsstat Expositioni Patrum, *Proverb. 8. Dominus possedit me in initio viarum suarum:* vel (ut *Septuaginta*) *Dominus creavit me initium viarum suarum*. Quod de Sapientia incarnata exponunt passim veteres Patres, tam Græci quàm Latini, & *Concilium Hispalense II. c. 3.* Cùm autem hæc non possint verificari quoad executionem, sequitur Verbum incarnatum esse primum in prædestinatione, seu quoad ordinem intentionis, ante omnes creaturas, adeoque multò magis ante peccatum. Neque solùm significatur prioritas dignitatis; ut convincitur ex contextu & intento Scripturæ suprà, ubi subditur: *Antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret*. Accedit etiam illud *ad Coloss. 1. Primogenitus omnis creaturæ*. Quod de Christo quâ homine intelligit *Concilium Sardicense in Epist.* ad omnes Fideles: quia nimirum Christus dicitur unigenitus ut Deus, primogenitus ut homo; prout loquitur *Concilium Ephesinum To. 1. c. 4. & 5. & To. 4. c. 26.* Primo genitus, inquam, non tantùm primitate dignitatis, sed etiam primitate creationis, scilicet in intentione: prout etiam ibidem infrà dicitur *Primogenitus ex mortuis*, id est, primus resurgentium ad vitam immortalem.

Et exemplar creationis Adæ,

Denique idem Antecedens probatur: quia Christus est exemplar creationis Adæ, ut notant *Tertullianus l. de Resurrectione carnis* in princip. *Athanasius* sive alius Auctor *Serm. de SS. Deipara* post med. ponderantes illa verba *Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, id est, Verbi incarnati, ut ipsi explicant. Ergo Verbum incarnatum in intentione est prius creatione Adæ, & consequenter peccato ejusdem.

Probatur Conclusio III. Quia Angelis ante lapsum & Adamo in statu innocentiæ revelatum fuit Mysterium Incarnationis: immo juxta plurimos Doctores Incarnatio fuit ab angelis accepta occasio lapsûs, scilicet superbiæ sive invidiæ. Quæ commodissimè explicantur (in quibus tamen Alii laborant) si Incarnatio fuerit prædestinata ante permissionem peccati.

74. *In quem velut caput suum Angeli & primi homines ante lapsum crediderunt.*

Probatur IV. Quia Christus & gloria ejusdem est majoris valoris, quàm omnes prædestinati simul, teste *D. Thoma 1. parte q. 20. a. 4.* ergo decuit illum primariò intendi, & non tantùm occasione peccati; ne alioquin perfectissimum Dei opus sit (ut *Scotus* loquitur) ens occasionatum. *Accedit congruentia,*

75. *Et præclarum testimonium Ruperti ac Cyrilli,*

Unde *Rupertus l. 13. De gloria & honore Filii hominis versùs finem* inquirens, *utrùm Filius Dei, etiamsi peccatum non interfuisset, fuisset factus homo*, inter alia respondet: *Cùm de Sanctis & electis omnibus dubium non sit, quòd nascituri forent omnes, usque ad præfinitum numerum secundum propositum Dei, quo ante peccatum benedicens, Crescite, ait, & multiplicamini; & absurdum sit putare, quòd propter eos, ut nascerentur, peccatum necessarium fuerit: quid de isto capite & rege omnium electorum Angelorum & hominum sentiendum, nisi quòd & ipse maximè causam necessariam non habuerit ipsum peccatum, ut homo fieret ex hominibus, delicias suæ charitatis habiturus cum filiis hominum. Ipse enim est Sapientia Dei, qua de isto suo proposito dicit: Dominus possedit me initio viarum suarum. Ruperto* consonat *Cyrillus l. 5. Thesauri c. 8. in fine* ubi ait: *Præfundatur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superædificamur: idque ante initium mundi in præscientia Dei, ut cùm ordine divino benedictio maledictionem antecesserit, & damnationem in mortem vitæ pollicitatio, & servitutem diaboli adoptionis libertas; possit natura humana superatis malis, quæ interim acciderant in pristinam per gratiam Christi..... dignitatem recurrere.* Quod explicat exemplo architecti, qui ædificaturus regias ædes, ne lapsu temporis structura aliquid patiatur, jacit firmissimum fundamentum, quod saltem servetur, eique superstrui possit denuo, si quid superiora passa sint. Deinde subdit: *Eodem modo Creator noster Christum nostræ salutis fundamentum etiam ante initium mundi formavit, ut si prævaricatione caderemus, in ipso rursus renovaremur.* Plures probationes in Patribus fundatas vide apud *Franciscum Castillo d. 4. de Incarnat. q. 1.* & alios *Scotistas*.

76. *Opinio contraria fundatur potissimùm in variis auctoritatibus,*

Pro contraria Opinione objiciuntur potissimùm variæ Auctoritates, quæ dicunt simpliciter Christum venisse ad salvandum peccatores; ut Scriptura, & Ecclesiæ Symbola, ac Concilia frequenter. Immo aliquæ expresè dicunt, Verbum non fuisse incarnandum, nisi fuisset peccatum; ut loquitur *Athanasius Serm. 3. contra Arianos*, *Leo*

*Papa Serm.*3.*Pentecostes*, & plures alii citati in *Commentario Scoti in* 3 *d.*7 *q* 3 *n.*77. Sufficiat referre verba *Augustini Serm.*8. *de Verbis Apost.* dicentis: *Si homo non periisset, filius hominis non venisset.* Et *Serm.* 9. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere, tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ.*

Quare explicantur.

Resp. cum *Scoto* omnes Auctoritates satis explicari, dicendo quòd priores quidem asserant Verbum fuisse incarnatum ad redimendum genus humanum à peccato; non negent tamen adhuc fuisse incarnandum peccato sepositò. Posteriores autem solùm volunt, quòd nisi fuisset peccatum, Christus non venisset tamquam Redemptor & in carne passibili, id est, proximè obnoxiâ passionibus, quas pro nobis sustinuit, & tunc sustinere non fuisset necessarium. Ex quo non sequitur, quòd non venisset alio modo, scilicet tamquam justificator, glorificator, & naturæ nostræ dignificator. Patres enim considerarunt Incarnationem prout jam facta est, nec curarunt agere de ea secundùm modum, quo tunc peracta fuisset, scilicet in carne impassibili. Sicut nec intendunt negare sepositò peccato Incarnationem fortasse fuisse peragendam vi alterius decreti de facto numquam positi, & tunc fortasse ponendi. Et hæc explicatio est facilis, immo necessaria, ut Auctoritates alioquin in specie oppositæ concordentur.

77. *Duplex potest considerari decretum Dei circa Incarnationem, unum circa eam secundùm se, alterum priùs determinativum ac velut executivum.*

Dices: Vi decreti de facto habiti Christus venire debuit prout de facto venit; atqui de facto venit in carne passibili: ergo vi præsentis decreti venire non potuit in carne impassibili. Resp. duplex fuisse decretum. Primum de substantia Incarnationis secundùm se, & propter se, seu propter dignitatem suam; quod erat independens à peccato, & modo veniendi determinatè cum carne passibili, vel determinatè cum carne impassibili: sicut poterat esse independens à loco & tempore nativitatis, à matre sive generante &c. Secundum de assumenda carne passibili peccato jam præviso ad illud tollendum. Quàmvis itaque Christus vi utriusque decreti simul non potuisset venire nisi in carne passibili, potuisset tamen venire in carne impassibili vi prioris decreti, ex quo secutum fuisset aliud determinativum adventûs in carne impassibili, si non fuisset peccatum præviſum; sicut nunc peccato præviso secutum est decretum determinativum ad carnem passibilem. Quemadmodum electio ad gloriam est independens à præviſis meritis; ex qua proinde secutum fuisset decretum dandi illam aliis mediis, si non accessisset decretum exequendi priorem electionem mediantibus meritis. In præsenti autem posterius decretum & motivum, utpote certius, & executivum prioris decreti, magisque deserviens dilectioni hominum excitandæ, solet plerumque magis exaggerari.

Vi posterioris decreti venire Christus debuit in carne passibili; fuit & hoc dependens à peccato.

Alius explicandi modus affertur.

Aliter respondetur, unicum decretum Incarnationis quoad substantiam habuisse etiam pro motivo redemptionem generis humani à peccato, sed conditionatè, posito scilicet quòd Adam peccaret; visto eventu, determinatè etiam respicere carnem passibilem, & non aliàs.

78. *Verbum venit in carne passibili ad delenda peccata actualia.*

Itaque Verbum divinum de facto venit in carne passibili ad tollendum omnia peccata, tum originale, tum actualia; ut fides docet ex illo *ad Titum* 2. *Dedit semetipsum, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* 1. *Joan.* 1. & plurimis aliis Scripturis.

Principaliter tamen ad delendum originale.

Venit tamen principaliter in carne passibili juxta Doctores communiter ad delendum peccatum originale, quo captivum tenebatur totum genus humanum adventu & passione Christi redimendum, quodque radix erat & velut caput omnium reliquorum. Venit nihilominus etiam ob peccata actualia, etsi posteriora ac posteriùs prævisa, sed cognita per scientiam simplicis intelligentiæ, tamquam nata sequi, aut etiam conditionatè præscita: venit namque perfectè eripere genus humanum ex servitute diaboli, in quam per peccatum Adami inciderat, aut deinceps occasione illius homines incidere contingeret.

Quod etsi solum fuisset, adhuc venisset in carne passibili vi præcommuniter Doctores.

Quare etsi solum originale fuisset adhuc venisset in carne passibili: nam adhuc verificabatur motivum istius aduentûs, scilicet redemptio generis humani à captivitate per originale tunc prævisum incursâ. Ita

Secùs est, si sola fuissent actualia:

peccatis actualibus: hæc enim non fuissent principale motivum adventûs Christi in carne passibili; immo hic videtur fuisse determinatus, antequam omnia peccata actualia forent prævisa, hâc ratione, quòd Deus præviso originali intenderit hominem perfectè liberare à servitute diaboli: unde sequebatur etiam liberatio ab actualibus, si talia sequerentur.

79. *Etsi fortasse vi alterius decreti in carne passibili, præsertim si multorum & gravia peccata actualia fuissent,*

Fortasse tamen ob peccata actualia sola, præsertim gravia & multorum assumpsisset carnem passibilem vi alterius decreti tunc ponendi conformiter ad nimiam nostri dilectionem. Et hoc sufficit ad satisfaciendum quibusdam objectionibus. Quæ tamen etiam ab hoc abstrahendo facilè solvuntur. Nam quod ait Apostolus *ad Gal.*2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*; verum etiam est juxta Doctrinam explicatam: quia verè pro me mortuus est, & sic liberavit omnes, ut etiam perfectè singulos; etsi id pro singulis seorsim vi præsentis decreti non fecisset.

Explicantur quædam auctoritates.

Similiter quod revelavit Christus S. Carpo (teste *Dionysio Areopagita Epist.*8.) se rursum paratum crucifigi pro salute hominum; intellige, si necdum crucifixus esset. Aut indicavit Christus suum affectum, non vim præsentis decreti divini. Denique peccatores dicuntur *ad Hebr.*6. rursùm crucifigere

figere sibimetipsis filium Dei, quia ponunt causam partialem, ob quam de facto crucifixus est. Ut alias explicationes omittam, quæ videri possunt apud *Estium* in dictum locum.

QUÆSTIO VIII.

An aliquis meruerit Incarnationem?

80. *Christus ejusve humanitas non meruit incarnationem.*

DIco I. Christus aut Humanitas ejus non meruit Incarnationem. Ita unanimiter omnes Theologi, adeò ut contrarium sine gravi nota sustineri non posset juxta *Præpositum q. 2. a. 11. dub. 2.* Et colligitur ex Scriptura, quæ Incarnationem ubique refert in viscera puræ Dei misericordiæ & charitatis *Lucæ* 1. *Joan. 3. ad Ephes. 2.* & alibi. Idem docet *Aug. lib. de Prædest. Sanct. c. 12. & 15. lib. de Bono Perseu. ult. Lib. de corrept. & gratia c. 11.* ibidem inculcans prædestinationem Incarnationis Christi esse clarissimum exemplar gratuitæ prædestinationis electorum ad fidem & gratiam, quibus tamen gratia est prædestinata, & datur sine merito; etiam congruo.

Ut pote in qua omnis Christi meritum radicatur,

Ratio Conclusionis est: quia totum meritum Christi & humanitatis ipsius fundatur in Incarnatione; ergo ipsam non meruit: quia principium meriti non cadit sub meritum. Deinde nec Christus nec Humanitas ipsius extitit ante Incarnationem; ergo illam non meruit. Et quamvis fortè humanitas Christi absolutè potuisset primo instanti suæ creationis elicere actum dispositivum ad unionem eodem instanti consecuturam, non tamen congruebat, ut priùs operaretur (quod ad esse accidentale pertinet) quàm substantialiter subsisteret. Unde Patres non agnoscunt in Christo operationem, nisi theandricam, id est, Dei hominis; quæ proinde supponat Incarnationem. Quapropter nec meruit circumstantias concomitantes, multò minùs præcedentes Incarnationem.

Et ante quam non extitit ipse aut humanitas ipsius.

81. *Rectè tamen dicitur meruisse replicationes Unionis hypostaticæ in Eucharistia.*

Rectè tamen dicitur Christus promeruisse replicationes ipsius Unionis hypostaticæ in Eucharistia sive præsentias Eucharisticas: cùm fuerit promeritus, ut posset instituere Sacramenta, adeoque Eucharistiam, in qua hujusmodi replicationes involvuntur. Videri etiam posset promeritus continuationem Unionis hypostaticæ; cùm respectu hujus non sequatur incommodum, quod contra meritum primæ collationis solet adferri; ut habet *Præpositus sup.* addens tamen oppositum esse probabilius ob naturalem incorruptibilitatem ipsius Unionis, & exigentiam ejusdem ad perpetuò durandum; ob quam non videtur consentaneum naturali ejus conditioni, quòd primâ collatione factâ mereatur quis ejus continuationem.

An etiam continuationem ipsius Unionis, disputatur.

Sed difficultas est, an absolutè loquendo Christus aut ejus Humanitas Incarnationem mereri potuisset? Ubi *Scotistæ* existimantes per taxationem Dei posse opera bona elevari ad condignè merendum præmium alioquin excedens valorem intrinsecùm meriti, consequenter facilè admittunt potuisse humanitatem mereri Incarnationem per opera supernaturalia, etiam de condigno, accedente acceptatione Dei. Primò quidem per opera antecedentia, si ipsa priùs tempore extitisset, quàm assumeretur. Secundò per opera concomitantia, sed naturâ priora, si (quod quidem minùs connaturale, non tamen absolutè impossibile est) humanitas in primo instanti existentiæ priùs naturâ quàm personaretur, opus bonum eliceret. Neque enim ad meritum requiritur prioritas temporis respectu præmii, sed sufficit prioritas naturæ. Tertiò per opera subsequentia, etiam tempore, quæ tamen ab ipsa Incarnatione non necessariò dependerent; v. g. per amorem, quo humanitas amaret Deum: potuisset enim decerni productio humanitatis in gratia immensa, decerni similiter & absolutè prævideri varia ejusdem bona opera, & ob hæc prævisa decerni eidem Humanitati unio hypostatica: quæ tamen in tempore potuisset ei conferri primo instanti; opera autem meritoria priùs prævisa posset in tempore posteriùs exercere. Neque inde sequeretur principium meriti cadere sub meritum, ob hoc quòd unio jam præsuppositа conferret valorem omnibus operibus sequentibus. Nam conferret quidem etiam operibus, de quibus sermo, valorem, non tamen in ordine ad hoc præmium, scilicet collationem Unionis hypostaticæ, sed in ordine ad hoc desumeret suum valorem ex alio principio dignificante, scilicet gratiâ habituali priùs decretâ & prævisâ.

82. *Christus ejusq; humanitas per opera etiam non dignificata ab unione hypostatica absolutè loquendo juxta Scotistas mereri potuissent de condigno Incarnationem.*

Etiam per opera subsequentia.

Recepta nihilominus Doctrina prædictis repugnat, non admittens meritum Unionis hypostaticæ condignum esse possibile, quod fundetur dumtaxat in operibus humanitatis ab ipsa Unione hypostatica non dignificatis. Adhuc tamen *Suarez* & nonnulli alii existimant de absoluta potentia potuisse Christum mereri de condigno Incarnationem per opera ipsam subsequentia & ab eadem dependentia, seu valorem necessarium participantia. Ex quo cõsequens foret principium meriti absolutè posse cadere sub meritum. Verùm hoc reliqui Theologi passim rejiciunt: eò quòd opera essentialiter præsupponentia Incarnationis existentiam, pro quocumque instanti concipiantur elicibilia, non possint eamdem mereri. Ad hoc namque requireretur, ut ob illa prævisa posset Deus moveri ad Incarnationem decernendam; hoc autem est impossibile: cùm ejusmodi opera seu merita absolute prævideri nequeant, non prævisâ

83. *Nonnulli censent; saltem per opera subsequentia dignificata ab ipsa Vnione id potuisse fieri.*

Quod meritò rejicitur.

In-

Incarnatione à qua dependent, adeoque hâc non decretâ. Præscientia autem conditionata operum, quæ fierent, si adesset Unio hypostatica, non sufficit ut opera sic conditionatè præscita censeantur habere rationem meriti; ut contra *Semipelagianos* indubitatum est. Deinde sic duo essent sibi invicem causæ, priora & posteriora, sive à se invicem dependentia.

84. *Instantia Suarez.* Dices cum *Suarez*: Incarnatio videtur potuisse donari per modum anticipatæ solutionis, promerenda scilicet per opera subsequentia. Sicut Rex potest dare equum & arma militi ob merita futura, seu in præmium victoriæ, etsi per eadem arma & equum obtinendæ. Resp. Neg. Ass. Ad exemplum subjectum dico, istam anticipatam donationem non esse dationem præmii: cùm arma & equus non dentur ob futuram victoriam tamquam ob meritum, sed tamquam ob finem: dantur enim ut miles victoriam obtineat, & per illam aliquid apud Regem mereatur. Non autem dantur in præmium quia meriturus supponitur: in hac enim suppositione etiam supponitur ipsa datio armorum & equi, unde victoria supponitur necessariò dependere. Unde etiamsi hujusmodi victoria reipsâ non sequeretur, adhuc miles maneret dominus armorum & equi; quorum proinde donatio non poterat esse præmii (quod meritum verum requirit) retributio. Aut si malis militem non fieri dominum, nisi victoriâ subsecutâ, sic donatio præmii non erit principium meriti, utpote posterior reipsâ merito seu victoriâ. Semper quoque verum manebit, quòd id quod meritò præsupponitur, equi v.g. & armorum, si non donatio, saltem concessio ad usum, non cadat sub meritum.

Dissolvitur.

85. *Antiqui Patres non meruerunt nullo modo Incarnationem quoad substantiam,* Dico II. Antiqui Patres non meruerunt substantiam Incarnationis, etiam de congruo. Ita *Scotus*, *Vasquez*, & alii passim contra *Suarez*. Et colligitur ex Scripturis & Auctoritatibus primâ Conclusione citatis, quæ partim omne meritum, partim specialiter meritū ipsius Christi aut humanitatis ejusdem, adeoque etiam ceterorum excludunt. Deinde omne meritum Sanctorum fundabatur in gratia dandâ ob merita Christi, adeoque substantia Incarnationis jam supponebatur. Quàmvis absolutè loquendo sancti Angeli aut homines justi potuissent Incarnationem mereri, juxta varios *Scotistas* etiam de condigno, per bona opera à Deo acceptata, quæ fierent per gratiam à meritis Christi independentem.

68. *Sed solùm quoad aliquas circumstantias; non de condigno, sed de congruo.* Dico III. Meruerunt tamen Patres antiqui & B. Virgo aliquas circumstantias Incarnationis, non quidem de condigno, eò quòd non constet de antecedente promissione Dei elevativâ operum ad tam extraordinarium præmium, maximè cùm illis aliud ordinarium correspondeat: sed de congruo. Ita *Scotus*, *Vasquez* & plerique alii. Probatur: quia Abraham per obedientiam suam meruit, ut ex ejus semine Christus nasceretur *Gen.* 22. Sic etiam Daniel meruit accelerationem, ut Scholastici passim colligunt ex *Dan.* 9. ubi Danieli oranti significavit Gabriel Archangelus septuaginta hebdomades esse abbreviatas, ultra quas non differretur redemptio generis humani per Christum. Similiter *B. Virgo tantæ extitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur*, ut ait *Hieronymus Epist 22. de Custodia virginitatis in fine.* Similia habet *Augustinus* & alii Patres. Unde de ipsa canit Ecclesia: *Ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur.* Et rursùm: *Quia quem meruisti portare &c.* Quæ omnia propriè sonant meritum, saltem congruum. Quàmvis *Lorca* ne hoc quidem admittat in Deipara respectu maternitatis, explicans præfatas Auctoritates simili fere sensu, quo dici solet afflictum mereri consolationem, etsi nihil agat, per quod etiam de congruo id mereatur. Sed non est ratio recedendi à communi Sententia & propriâ Auctoritatum Expositione.

Signanter B. Virgo dicit meruit esse mater Verbi incarnati,

87. *Immo secundùm aliquos de condigno,* Immo *Gabriel, Poncius disp.* 38. *q.* 5. & pauci alii existimant B. Virginem meruisse maternitatem Christi de condigno. In quo etsi nulla appareat implicantia, saltem si accedat divina promissio seu acceptatio; de facto tamen non est admittendum cum Doctoribus communiter: tum quia nulla extat promissio: tum quia totum meritum condignum Deiparæ insumebatur circà meritum gratiæ & gloriæ juxta legem ordinariam; quam in Deipara fuisse mutatam, sive adjecto secundo eoque tam sublimi præmio positivo, sive detracto proportionato ordinario præmio gratiæ & gloriæ, sine solido fundamento (quod non extat) dici non debet. Accedit, quòd præmium maternitatis non videatur respondisse uni determinato operi, sicut meritum condignum, sed pluribus, seu vitæ eò usque sanctissimè & innocentissimè peractæ.

Quod non non probatur.

88. *Meritum maternitatis Christi qui esse potuerit ex præviso filii merito,* Dices: Quidquid meruit B. Virgo, meruit ex Christi merito; adeoque Christi existentia, & consequenter generatio seu maternitas jam præsupponebatur: ergo B. Virgo mereri non potuit, ut esset mater Christi. Resp. Neg. Cons. potuit enim primò præordinari Incarnatio, deinde ob meritā Christi prævisa B. Virgo eligi in matrem ordine intentionis, denique decerni ut hanc ipsam dignitatem in executione mereatur per opera facienda ex gratia Christi jam futuri & prævisi. Præterea potuisset prædestinari Incarnatio, adeoque merita Christi, priùs ratione, quàm decerneretur, an produceretur ex matre vel sine matre, vel an ex hac aut ex illa, ex hoc vel illo semine: quæ sunt Incarnationi accidentaria.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

An necessarium fuerit Verbum incarnari?

89. *Incarnatio non fuit Deo necessaria,*

NON videtur dubitandum, quin Verbi Incarnatio secundùm se fuerit Deo liberrima: sicut quævis operatio ad extrà. Immo neque necessariam fuisse suppositò peccato, constat: quia Deus non obligabatur homini lapso succurrere, sed potuisset eum in peccato relinquere & juxta meritum punire, uti Angelis peccantibus non pepersit. Nam, ut dicitur *Sap.* 12. *Quis tibi imputabit, si perierint Nationes, quas tu fecisti? Non enim est alius Deus, quàm tu.* Et quàmvis voluisset genus humanum à peccato liberare, necdum ei necessaria erat Filii sui Incarnatio, ut rectè *Aug.* 13. *de Trinit. c.* 10. refellat eos, qui putant Deum non potuisse aliter reparare hominem, quàm per Incarnationem. Potuisset namque Deus gratuitò absque satisfactione à quoquam exhibendâ condonare peccatum. Nam (ut ait *Athanasius Serm.* 3. *contra Arianos* versùs finem) *Poterat sine ullo adventu Christi solummodo loqui Deus, & solvere maledictionem.* Proinde sicut peccatoribus etiam majoribus uberiora interdum gratiæ actualis beneficia confert, sic etiam non expectatâ satisfactione conferre potuisset homini beneficium remissionis peccati, immo & collocare in æquali cum Angelis bene operantibus gloriâ. Præterea Deus potuisset liberare genus humanũ exigendo satisfactionem solùm congruam aut imperfectam, v. g. puræ creaturæ, ut Angeli aut hominis justi. Unde Scriptura & Patres exaggerant liberalem & gratuitum amorem Dei, *qui sic dilexit mundum, ut* non Angelum, non hominem, sed *Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*, ut dicitur *Joan.* 3. Deinde esto necessarium ad hunc finem fuisse Filium Dei incarnari, non tamen mori. Quàmvis tam mors, quàm Incarnatio fuerit ad hunc finem utilissima & convenientissima.

Etiam supposito peccato,

Immo & voluntate liberandi hominem à peccato

Quod potuisset gratuitò remittere.

Aut requisitâ solùm satisfactione congruâ vel imperfectâ.

Atque esto necessaria fuisse incarnatio, non tamen passio & mors Christi.

90. *Ad condignam pro peccato mortali satisfactionem absolutè necessariam fuisse Verbi Incarnationem, traditi recepta multorum doctrina.*

Sed movetur difficultas, an condigna satisfactio pro peccatis mundi, vel pro ullo mortali peccato potuerit exhiberi à pura creatura, sic ut ne quidem ad condignè satisfaciendum necessaria fuerit Verbi Incarnatio. Et quidem videtur opinio negativa communiter apud Doctores extra Scholam *Scoti* recepta, sive ob infinitam peccati mortalis malitiam, sive ob incomparabilem saltem illius excessum præ satisfactione exhibenda à puro homine. Nihilominus infinitam malitiam in peccato mortali plerique non admittunt, ut in materia de peccatis dictum est: immo & incomparabilem ejusdem excessum prædictum Auctores non satis clarè ostendunt. Ut proinde *Scotistæ* passim cum *Scoto d.* 20. *n.* 8. & 9. existiment accedente divinâ acceptatione posse saltem excessum demeriti compensari seu adæquari, sic ut satisfactio puri hominis, saltem justi, vel Angeli de absoluta potentia posset esse condigna ad talem effectum, scilicet remissionem peccati mortalis: sicut divina acceptatio operis justorum elevat, ut sint meritum condignum præmii alioquin inæqualis.

Quam negant Varii, signanter Scotistæ.

Neque hinc sequitur quòd Deus gratis incarnatus est: sicut Apostolus *ad Gal.* 2. arguit Christum gratis mortuum, si Lex vetus sufficiebat ad justitiam & salutem. Nam non gratis, sed necessariò est incarnatus, suppositâ præsenti ordinatione, sanè justissimâ. Sicut non gratis, sed necessariò Christus est mortuus & sanguinem fudit, etsi indubiè sepositâ præsenti ordinatione sufficisset effusio unius lachrymæ. Denique etiam sepositâ ordinatione præsenti, poterat deleri peccatum omnino liberaliter; nec tamen inde sequitur, quòd gratis, & non necessariò Christus sit incarnatus. Argumentum Apostoli similiter procedit de lege ordinata contra illos, qui loquebantur de efficacia veteri Legi de facto competente.

91. *Ex quorum sententia non rectè infertur, Verbum gratis esse incarnatũ.*

Dices: Si posset purus homo pro suo vel alieno peccato satisfacere de condigno, vilesceret in æstimatione hominum peccati gravitas; quæ nunc vivaciùs apprehenditur, dum cernitur, pretioso Filii Dei sanguine peccatum oportuisse deleri. Unde inter opera *Cypriani l. de operibus Christi Cardinalibus Tit. de passione Christi* legitur: *Sine hoc holocausto*, mortis Christi, *poterat Deus tantum condonasse peccatum; sed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrænibus.* Resp. ad summum inde sequi, convenienter Deum ordinasse hunc satisfactionis modum. Possibilitas autem alterius modi excitare meritò non posset homines ad faciliùs peccandum, qui norunt de facto requiri satisfactionem Dei hominis. Ex parte etiam ipsorum peccantium idem labor & pœnitentia tunc posset esse necessaria, quæ nunc. Ad gravitatem quoque peccati dignè pensandam, tunc meritò adhuc sufficere deberet consideratio gravis offensæ infiniti boni, ac pœnæ æternæ; quòdque pro ea non posset exhiberi satisfactio debita, nisi Deo misericorditer acceptante opus puri hominis. Alioquin ipsa exuberans Christi satisfactio, veniæque facilitas etiamnum est occasio à perversis accepta ad laxandas peccatis habenas. Denique holocaustum mortis Christi est, de quo est sermo apud *Cyprianum*: quod tamen non fuisse necessarium ob hoc de absoluta potentia, est indubitatum.

92. *Objectio.*

Responsio.

Quodvis autem horum dicatur, certum apud omnes est, magnam esse differentiam inter

93. *Differentia*

ampla inter satisfactionem puræ creaturæ & Verbi incarnati.

inter satisfactionem puræ creaturæ & Verbi incarnati. Primò, quòd sicut nulla creatura potest pertingere ad dignitatem Verbi incarnati, sic neque offerre tam proportionatam satisfactionem, quàm Verbum incarnatum obtulerit Deo Patri pro peccatis totius mundi. Secundò, quòd satisfactio Christi adæquaverit, immo longè excesserit debitum culpæ totius generis humani; ut Patres docent, signanter *Chrysostomus Hom. 10. in Epist. ad Rom.* Et idcirco congruentissimè *non disposuit Deus sibi reconciliare inimicum, nisi per obsequium magis gratum, quàm offensa ejus erat sibi displicens; & tale obsequium ejus, est passio Christi vel meritum ejus,* inquit *Scotus 4. d. 15. q. 3. n. 7.* Juxta hæc explicari possunt Patres subinde exaggerantes necessitatem Incarnationis, ut *Fulgentius lib. de Incarnat. & gratia c. 4.* dicens; *Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi Vnione Verbi Dei.* Sola namque satisfactio Dei hominis ex dignitate operantis habebat æquivalentiam cum tam generali & gravi debito culpæ, secùs est de satisfactione puræ creaturæ seclusâ elevatione operum ipsius. Deinde explicari possunt, quòd loquantur ex suppositione modernæ ordinationis Dei; ob quam nemo omnino, nisi Deus homo, potuit de condigno satisfacere pro peccatis nostris.

QUÆSTIO X.

De Communicatione Idiomatum inter Deum & hominem, quæ ex Incarnatione est consecuta.

94. *Communicatio idiomatum quid ex vi nominis,*

IDIOMA Græcè idem est, quod Latinè proprietas. Quare communicatio Idiomatum ex vi nominis idem est, quod communicatio proprietatum. Accipi tamen generaliter solet pro communicatione quorumcumque prædicatorum.

Oritur ex Incarnatione

Hanc esse ortam ex Incarnatione, ita ut quæ Christi sunt, ratione divinæ naturæ, possint dici de homine; & rursum quæ Christo competunt ratione naturæ humanæ possint prædicari de Deo & de Verbo, apertè tradit Scriptura passim, & Ecclesia in Symbolis ac variis Conciliis contra *Nestorianos*, qui sicut unionem substantialem, & unitatem personæ in Christo negarunt, sic etiam hanc communicationem inter Deum & hominem sustulerunt, utpote fundatam in præfata unitate, juxta illud *Concilii Francofordiensis in Epist. Synodica: Personæ unitas facit, ut quod homo pertulit, Deus pertulisse credatur.*

Ratione unitatis personæ.

95. *Non consistit in reali communicatione*

Quæ tamen communicatio idiomatum juxta fidem non consistit in reali communicatione attributorum divinitatis factâ humanitati, aut contrà; prout diversimodè Hæretici somniarunt: cùm talis communicatio sit impossibilis, & in Incarnatione salva manserit utraque natura, ac utriusque proprietas, cum operationibus utriusque inconfusis. Unde humanitati non est communicata omnipotentia, immensitas &c. ideoque dici nequit omnipotens, immensa &c. Idem est de divinitate cum proportione.

proprietas facta à reciprocè inter se in Christo naturâ.

Certum igitur est in eo communicationem idiomatum consistere quòd de eodem suppositio seu personâ, quæ simul est Deus & homo, verè prædicentur prædicata divina & humana; quæ consequenter verè similiter prædicantur de se invicem. Quod etiam conficitur per hunc syllogismum expositorium: Christus est homo, Christus est Deus, ergo Deus est homo. Quemadmodum album & dulce quia conveniunt eidem lacti; illudque sic expressa connotant, possunt uti de lacte, ita de se invicem prædicari.

Sed in hac quòd prædicata divina & humana rectè de eadem persona, adinvicem prædicentur.

96. *Concretim expressa.*

Hinc colligitur I. Deitatem & humanitatem, ac utriusque proprietates debere exprimi concretim, ita ut prædicatio non valeret, si utrumque vel alterutrum non exprimatur concretim. Proinde non rectè dicitur, humanitas est deitas, æternitas &c. humanitas est Deus, æternus &c. homo est deitas, æternitas &c. Deitas est homo, passibilis, crucifixa &c. Deus est humanitas, rationalitas &c. Quemadmodum nec verè dicitur, dulcedo est albedo, dulce est albedo, album est dulcedo. Ratio est, quia prædicata abstractim expressa non connotant in recto idem suppositum, ratione cujus communicatio idiomatum verificatur: & alioquin non obstante Unione hypostaticâ manent naturæ & proprietates realiter distinctæ: Quæ proinde solùm prædicantur de se invicem, quatenus significant idem tertium.

Sic scilicet ut connotent idem suppositum.

76. *Quod declaratur variis exemplis,*

Colligitur II. Prædicata Verbo divino competentia sive ratione Deitatis, sive ratione personalitatis posse verè & propriè in concreto prædicari de homine, dicendo: Hic homo est Deus, æternus, principium Spiritus sancti. Similiter prædicata quæ ratione humanitatis possunt absolutè & simpliciter dici de Christo, etiam verè & propriè posse dici de Deo, sive Verbo divino, dicendo: Deus sive Verbum constat ex corpore & animâ, natum est in tempore ex Virgine, Dominus gloriæ est crucifixus &c. Patet ex dictis. Et confirmatur: quia hæc propositio est de fide, homo est Deus sive Verbum, similiter hæc, Deus sive Verbum est homo: ergo quidquid de Deo aut Verbo formaliter prædicatur, etiam prædicatur de homine & contrà: quia in ejusmodi prædicatione singulari propriè & simpliciter verâ, affirmari potest de subjecto, quod affirmatur de prædicato. Deinde nil ad proprietatem prædicationis deest. Denique tot

Est ejusmodi prædicatio propria.

Evan-

Evangelicæ & Apostolicæ, & in Symbolis contentæ sententiæ, non debent sine urgenti fundamento (quod non subest) ad improprias prædicationes relegari.

98. *In qua casu cavendum à particula reduplicativa.*

Colligitur III. Prædicata divina non posse de Christo homine prædicari cum reduplicatione humanitatis, aut contrà. v. g. non rectè dicitur: Christus quà homo est Deus, æternus &c. Christus quà Deus est homo &c. quia propositio reduplicativa vel dat causam, vel designat naturam ratione cujus tale attributum Christo conveniat.

Et prædicatio excludentibus suppositalitatem divinam,

Aut præscindentibus à supposito.

Colligitur IV. Communicationem idiomatum non habere locum in prædicatis, quæ excludunt suppositalitatem divinam: quale est hoc v. g. purus homo. Nec etiam in prædicatis quæ conveniunt Verbo aut Deitati vel humanitati prout præscindit à supposito Deus homo. Unde non rectè dicitur Verbum esse assumptum, etsi assumpta sit humanitas; nec humanitatem esse incarnatam, etsi incarnatum sit Verbum: hæc enim non rectè tribuuntur ipsi Christo; adeòque multò minùs eo mediante aliis per communicationem idiomatum.

99. *Cavendum etiam in prædicatis divinitatis Christo tribuendis à denominatione accidentali.*

Colligitur V. Prædicata divinitatis non posse Christo tribui denominatione accidentali: alioquin enim significaretur suppositorum distinctio, & accidentalis inter utrumque unio. Unde *Concilium Ephesinum can* 5. damnat vocem *Theophoros*, id est, *Deifer*; eò quòd significet hominem in se subsistentem, qui ferat Deum. Similiter fugiendæ sunt voces Deificatus, dominicus, &c. nisi sano sensu explicentur; intelligendo v. g. per hominem Deificatum, humanitatem substantialiter unitam Deitati in eadem persona, per hominem dominicum intelligendo filium Domini, scilicet Patris æterni, cui specialiter appropriatur esse Dominum.

100. *Cur magis proprièdicatur, Deus factus est homo quàm, homo factus est Deus.*

Petes I. An sicut juxta fidem rectè dicitur Deus esse homo factus; sic rectè dicatur homo factus esse Deus. Respondent Theologi passim Negcum *Scoto in Report.* 3. *d.* 7. *quæst.* 3. quia Christus homo non præextitit antequam fieret Deus, prout è contra Deus præextitit, antequam fieret homo; quod tamen modus iste loquendi propriè indicat: cùm prius sit rem esse, quàm per formam acquisitam fieri talem, vel talem. Nihilominus, etsi præfatus sensus sit proprius & congruus, existimo cum *Scoto in Scripto Oxoniens.* (quod est principale, & semper intelligitur quando citatur sine addito) *ead. dist. quæst.* 2. *num.* 7. istam propositionem simul alium, esto minus proprium, tamen satis congruum sensum admittere, scilicet hunc: Homo per factionem seu actionem incarnativam est Deus. Et juxta hunc sensum non requiritur ut homo præsupponatur, priusquam fiat Deus. Unde hunc loquendi modum usurparunt, post *Nazianzenum* & *Ambrosium*, *Augustinus* 1. *de Trinit. cap.* 13. Et *Damascenus lib.* 3. *de fide cap.* 11. Omitto alium sensum, qui est apud *Lorca d.* 63. *n.* 16 & difficultatem habet.

Posterior propositio quo sensu possit admitti.

Petes II. An rectè dicatur, Christus incepit esse? idem cum proportione est de hac propositione: Christus desiit esse. Respondent Doctores passim, non rectè dici nisi cùm addito, secundùm humanitatem, vel quatenus homo; existimantes alioquin significari Christum sic incepisse & desiisse esse, ut ante inceptionem & post desitionem simpliciter nullum esse habuerit. Verùm videntur propositiones hæ aliquem saltem rectum sensum admittere, ut censet *Scotus d.* 11. *q.* 3 *Vasquez*, & alii: nam Christus in rigore importat compositum ex natura humana & divina persona, quod verè incepit esse; cùm de illo fuerit verum dicere, hoc compositum jam est, & antea hoc compositum non fuit. Similiter in morte esse desiit: quia illud compositum quod antea fuerat, tunc ampliùs non erat. Nec obstat quod aliqua pars, videlicet divina natura & personalitas, præfuerit, ac semper manserit: quemadmodum non obstat homini hodie concepto, ut dicatur incipere, & mortuo, ut dicatur desiisse, quòd materia præfuerit, & post mortem tam ipsa, quàm anima manserit.

101. *Christus incepit esse, juxta multos non nisi cum addito, quà homo.*

Rectè tamen dicitur simpliciter, si Christus supponat formaliter pro ipso compositio ex humanitate & divina persona.

Quòd si ly *Christus* accipiatur ut connotet personam seu suppositum, adhuc vera foret propositio, si per illam nil aliud significaretur; quàm suppositum istud accepisse esse in tempore: ad hujus enim verificationem sufficit, quòd in tempore acceperit aliquod esse simpliciter, prout accepit esse humanum, quod est esse simpliciter, etsi secundarium, istius suppositi. Inhærendo tamen rigori dialectico, videtur propositio connotando suppositum simpliciter falsa; utpote exponenda hoc modo: Suppositum istud jam est, & antè non fuit, scilicet quoad nullum esse simpliciter istius suppositi; cùm negatio ibi præcedens, veluti malignantis naturæ, neget totum. Aliud foret, si diceretur, Esse Christi incepit, seu Esse in Christo incepit: hoc enim exponendum est, Esse Christi (aliquod scilicet Esse simpliciter) jam est, & antè non fuit. Unde *S. Bonaventura d.* 11. *a.* 2. *q.* 2. de hac locutione, *Christus incepit esse*, dixit: *Non omnino concedenda est, nec omnino neganda.*

102. *Si autem connotet suppositum, adhuc quodam sensu posset subsistere.*

Non tamen in rigore dialectico.

Petes III. An ratione diversarum naturarum possint verificari de eadem persona Christi contradictoria? Resp. propriè loquendo quòd non: etsi enim prædicata positiva, in eadem natura incompatibilia, v. g. esse Deum & hominem, æternũ & temporalem, immensum & limitatum &c. verè simul denominent eamdem personam, in qua diversæ hujusmodi naturæ sunt unitæ; prædicata tamen negativa seu negativè sumpta in rigore & sine addito falsò attribuuntur isti personæ. Quæ proinde falsò

103. *Non possunt de eadem persona Christi simpliciter affirmari contradictoria.*

diceretur non Deus, non æternus, non immensus; item non homo, non temporalis, non limitatus &c. cùm negatio sit malignantis naturæ, adeoque significet ea quæ negantur nullâ ratione tali personæ competere. Ut proinde si negativè accepta hujusmodi prædicata reperiantur interdũ Christo simpliciter attributa, exponi debeant positivè vel cum tacita reduplicatione.

104. *Christus est & prædicatur homo univocè cũ ceteris hominibus.* Petes IV. An Christus sit & prædicetur esse homo univocè cum aliis hominibus? Resp. Aff. eò quòd vox homo secundùm eamdem rationem principaliter significatam, scilicet humanitatem, conveniat Christo & aliis hominibus; esto connotatum suppositalitatis sit diversum. Estque utrobique prædicatio generis de specie, aut naturæ de supposito.

An etiam homo prædicetur univocè de Deo & Christo.

Notant autem varii *Scotistæ* conformiter ad phrasim Aristotelicam, quòd vox homo de Deo & Christo strictè loquendo non prædicetur univocè, eò quòd prædicatio sit diversæ rationis, cùm Deo sit accidentale, Christo essentiale esse hominem. Addunt tamen, quòd eadem vox sit respectu utriusque prædicatum univocum, eò quòd ipsum quod prædicatur sit unum secundùm principale significatum.

Respectu quorum saltem est prædicatum univocum.

105. *An Christus fuerit homo in triduo mortis.* Petes V. An in triduo mortis verum erat dicere, Christus est homo? Resp. Neg. Theologicè & realiter loquendo, ut rectè *Scotus d. 22. n. 18 D. Bonav. ibid. art. 1. q. 1.* & alii communiter: tunc enim non erat unio animæ cum corpore; ob cujus defectum, sicut non erat homo, actu scilicet & realiter ante conceptionem, sic neque tempore mortis. Logicè tamen loquendo Varii præfatam propositionem admittunt, uti hanc, Joannes est homo, etsi Joannes sit mortuus, ampliando scilicet extrema propositionis, veluti necessariæ. Nihilominus *Scotus sup. n. 19.* posteriorem quidem logicè admittit, sed priorem negat, veluti contingentem, ob involutam in significato vocis *Christus* complexionem contingentem, ratione cujus contingens est unionem inter Deitatem & humanitatem subsistere, Deumque esse hominem; adeoque pariter contingens videri potest, Christum esse hominem, cui simpliciter attribuitur utrumque involutæ in eodem complexionis extremum. Quod *Scotus* confirmat ex eo, quòd ex necessario non possit sequi contingens, ne alioquin possit dari antecedens verum consequente falso; id ipsum autem sequeretur in præsenti, si præfata propositio foret necessaria; ut patet in hoc syllogismo: *Christus est Deus, Christus est homo, ergo Deus est homo.* Idem ob similem rationem censet *Scotus sup.* de hac, *homo albus est albus*; quam nullo homine existente putat esse falsam. Quæ quidem satis subtiliter dicta sunt; etsi ex arbitraria vocum acceptione pendere videantur.

106. Petes VI. An Verbum rectè dicatur prædestinatum, esse homo, seu ut in tempore fieret homo? Resp. Aff. contra Nonnullos. Non quasi aliquid intrinsecum Verbo pendeat à divina providentia, sed aliquid extrinsecum, ad quod in tempore terminatur, utique vi ordinationis seu prædestinationis divinæ; quod in re aliud non est, quam sub prædestinationem cadere directè ipsam unionem Verbi cum natura humana. Quòd autem inde non accesserit Verbo aliqua gratia seu beneficium, parum refert: cùm id non necessariò importet præmissus loquendi modus. Dico *loquendi modus*: de hoc enim solo potest esse quæstio. Vide *D. Bonav. d. 7. art. 2. q. 2.*

An Filius Dei sit prædestinatus ut sit homo.

QUÆSTIO XI.

Quomodo Christus sit & dici possit Dei Filius, servus vel creatura?

107 *Christus simpliciter Filius naturalis unigenitus Dei est.*

CERTUM est de fide, quòd Christus simpliciter sit & dici debeat verus & naturalis Filius Dei. Nam in Scripturis vocatur verus & proprius ac unigenitus Dei filius. Ratio est: quia Christus est persona Verbi; hæc autem est naturalis filius Dei Patris, ut constat ex mysterio Trinitatis.

An hic homo sive Christus quà homo sit prædestinatus ut sit filius Dei naturalis? Affirmant plurimi Scholastici, sic accipientes dictum Apostoli ad Rom. 1. Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute &c. Cùm Apostolus ibi ad litteram intelligitur, non de prædestinatione propria, sed de declaratione, q. d. qui declaratus est esse Filius Dei per virtutem operum, signorum &c. Sic enim habent Græca & intelligunt Græci Patres, & multi Interpretes. Et favet contextus. Immo altera Expositio difficulter textui accommodatur, ut videre est apud nostrum Sasbouth & alios. Nisi quòd facilè posset intelligi de prædestinatione ad hoc totum complexum, scilicet, ut sit filius Dei in virtute, sive esse ostendatur in operibus & miraculis. Quod coincidit ferè cum Expositione Græcorum.

108 *Plures negant; non male in sua sententia.*

Hinc *Præpositus*, *Becanus*, & plures alii propositionem præmissam non admittunt: eò quòd objectum prædestinationis debeat ab ipso Deo prædestinante saltem ratione præconcipi termino ad quem prædestinatur: dum enim aliquid prædestinatur ad alterum tamquam terminum obtinendũ, debet ipse prædestinans præconcipere id quod prædestinat tamquam distinctum ab eo ad quod prædestinat; adeoque necessarium foret præconcipi Christum sive hunc hominem velut afficiendum dignitate filiationis; quam tamen in primo suo conceptu involvit. Et quàmvis nos simplici apprehensione possemus concipere hunc hominem sub ratione humanitatis in aliqua suppositali-

talitate in confuso, eumque esse prædestinatum ad esse filium naturalem Dei: Deus tamen ejusmodi confusas abstractiones non facit, adeoque hominem sic primò confusè cognitum non prædestinat dein ad esse filium Dei. Quare juxta sensum præmissum videtur propositio, de qua quæstio, non esse admittenda.

109. *Assignatur equidè alius sensus satis congruus.*

Nihilominus sicut *quæst. præc.* ostendimus dari congruum aliquem sensum hujus propositionis, Homo factus est Deus, etsi in alio sensu obvio & fortè magis proprio vera non sit: sic videtur posse in simili aliquo sensu subsistere propositio, de qua hîc quæritur; nimirum, ut significet, quòd Christus sive hic homo per prædestinationem sit filius Dei; quatenus per prædestinationem fit, quòd humanitas sit Verbo unita, adeoque existat homo Deus, Deique filius. Quem sensum assignat *D. Bonav. 3. d. 7. art. 2. q. 3.* & alii.

110. *Hæc propositio, Christus quà homo est filius Dei naturalis, juxta varios sensus admittenda est vel neganda.*

Quæritur etiam an Christus rectè dicatur filius Dei naturalis, cum reduplicatione, quà homo? Sic enim Nonnulli indistinctè loquuntur, ob Auctoritatem præsertim *Concilii Francofordiensis.* Verùm distinctione opus est. Nam si ly *quà homo* non reduplicet humanitatem, sed personam, hoc modo, Christus secundùm quod est homo, seu in quantùm dicit personam quæ est homo, est filius Dei naturalis; certissimum est propositionem esse veram: quia eadem persona quæ est homo, est proprius, æqualis, & coæternus Patri Filius vi æternæ nativitatis. Et hoc sensu procedit *Concilium Francofordiense*, & *Adrianus Papa in Epist. ad Episc. Hispaniæ*; ut ex verbis, probationibus & scopo Concilii & Papæ agentium contra *Felicem* Urgelitanum Episcopum & *Elipandum* Toletanum Archiepiscopum Nestorianos est manifestum. Si autem ly *quà homo* reduplicet ipsam humanitatem, manifestum est Christum quà hominem non esse filium Dei naturalem & unigenitum: cum humanitas non sit ratio ob quam vel secundùm quam Christus sit hujusmodi filius Dei.

Primus sensus.

Secundus sensus.

111. *Tertius sensus.*

Quòd si Christus quà homo formaliter consideretur quatenus includens præcisè humanitatem & personalitatem, Verbi scilicet, quæ est filiatio divina; sic etiam non est propriè loquendo (quamvis ita plurimi Recentiores loquantur) filius Dei naturalis: quia non communicatio personalitatis, sed naturæ similis constituit filium Patris naturalem: filiatio enim naturalis fundatur in natura, quæ à principio generante vivente procedit similis naturæ generantis. Deinde non qui habet filiationem naturalem Dei est filius naturalis, nisi quatenus per illam est genitus; prout per illam genitus non est Christus quà homo. Alioquin filiatio naturalis est etiam in ipsa Deitate filii, in ipsa humanitate, in cadave-

112. *Quartus sensus.*

re Christi defuncti, in sanguine assumpto, esseque posset in quavis substantia aut accidente, cui personalitas Verbi foret unibilis; absque eo tamen quòd istis competat esse filium naturalem Dei Patris. Denique de hujusmodi filiatione non agit *Concilium Francofordiense*, sed de ea, quâ Christus per æternam generationem procedit in natura similis & coæqualis Patri, adeoque magnus Deus de Deo; ut insipienti Concilium fiet manifestum. Si tamen quis minùs propriè, vel largè loquendo contendat Christum posse vocari filium naturalem Dei, quatenus homo est, seu quatenus includit humanitatem & personalitatem filii Dei, nolim operosè cum tali disputare.

Præterea quatenus humanitati Christi natura Patris divini est substantialiter communicata, non quidem per generationem (prout ratio filii naturalis propriè exigit) sed per substantialem & hypostaticam Unionem, posset quodam sensu Christus quà homo eatenus dici filius naturalis Dei: si enim communicatio divinæ naturæ accidentalis per gratiam constituat hominem Dei filium; perfectiùs id faciet communicatio substantialis per Unionem hypostaticam; adeoque etsi non constituat naturalem filium strictè loquendo, saltem constituet in latiori quadam significatione.

113. *An Christus quà homo sit filius Dei adoptivus.*

Quæritur præterea, an Christus quà homo possit dici filius Dei adoptivus, ratione scilicet gratiæ sanctificantis, per quam humanitas Christi est sanctificata, cuique respondet hereditas æterna & creata, quam Christus secundùm humanitatem obtinet? In qua quæstione, quæ merè ad modum loquendi spectat, Doctores communiter sentent, quòd non; adeo ut Nonnulli ex ipsis oppositum loquendi modum (qui est *Durandi* & quorumdam aliorum, & fusè propugnatur à nostro *Francisco Castillo disp. 17. de Incarnat. qu. 1.* per totam) condemnent tamquam contrarium *Concilio Francofordiensi* & *Adriano Papæ*, à quibus damnata est hæc propositio: *Christus quà homo est filius Dei adoptivus.* Sed, ut omittam, quod Nonnulli dubitent de Auctoritate Francofordiensis, & consequenter Epistolæ Adriani, Sacrosyllabi & Epistolæ Imperatoris (tum quod Surium illud edidisse putent levi fundamento, cùm tot sæculis delituerit, ignotum etiam illustribus Scholasticis: tum propter affectatam styli elegantiam: tum quia SS. Eugenium, Ildephonsum & Julianum Archiepiscopos Toletanos ab Ecclesia maximè æstimatos & pro sanctis habitos, non leviter notat, quasi etiam nomina illorum eousque fuerint Ecclesiæ ignota: tum quia plures Thologi admittunt in eo damnatam esse adorationem imaginum in *II. Synodo Nicæna* definitam) concessâ plenariâ Auctoritate, adhuc rectiùs alii Doctores advertunt præfatam propositio-

Asserit Durandus & quidam alii.

Neque id condemnavit Concilium Francofordiense, nisi in sensu Nestorii.

nem solùm esse damnatam in sensu *Nestorii*, scilicet cum divisione personarum: nam *Felix & Elipandus* latenter Nestoriani solam seu puram in Christo adoptionem admittebant, excludendo ab eadem persona filiationem naturalem, & dividendo unam personam filii cum *Nestorio* in duas personas, id est, veri filii & adoptivi; ut in terminis tradit *Alcuinus* Auctor contemporaneus *lib. 3 de Trinit. cap. 9.* eosdemque alloquens *Concilium in Epist. Synodica* circa princip. ait: *Hominem Christum verum Dei Patris filium esse negastis.* Et infrà: *Neque enim alium Jesum Christum, alium Verbum, ut nova hæresis calumniatur &c.* Novam vocat, quia in novis Auctoribus novo induta pallio denuò apparebat. Unde in eadem Epistola dicitur: *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab universali S. Ecclesiâ refutata est etiam & damnata?* Et *Sacrosyllabus* appellat *novos Ecclesiæ hostes, sed veternosâ fœce perfidiæ pollutos.* Eademque Synodus suprà expostulat; *Da unam in redemptoris Dei hominisque personam:* & *Adrianus Papa in Epist.* ait: *Eum adoptivum, & non proprium filium confitentur.*

114. *In quo Concilio non de sola voce adoptio, sed de palliata hoc nomine pluralitate personarum seu de adoptione pura actum fuit.*

Ex quibus & multis aliis, quæ longum foret recensere, post attentam singulorum ruminationem, satis apertum mihi videtur, non de sola voce adoptionis (quæ sanè intellecta non excitasset tantas in Ecclesia turbas) sed de ipsa pluralitate personarum palliatâ nomine adoptionis, scilicet puræ, fuisse quæstionem cum *Felice & Elipando*, eosque formalissimè fuisse Nestorianos. Nec mirum, quòd *Elipandus* hanc suam perfidiam verbis ambiguis tegere studuerit, dum teste *Vasquez* in confessione sua dixit: *Et qui dicit, Gloriam meam alteri non dabo; homo interior in una eademque Dei & hominis persona deglomeratus atque carnis vestimento indutus.* Imitatus est enim in hoc Auctorem Erroris sui *Nestorium*, qui ut videretur consentire Catholicis, unam personam callidè fatebatur, teste *D. Thoma quæst. 2. art 6. in corp.* Idemque patet ex *Epist. Synodica Concilii Francofordiensis*, ubi ex *Cyrillo* refertur: *Nestorius simulat se dicere unum filium & unum Dominum &c.* Ad sensum itaque istorum Hæreticorum Concilium & *Adrianus Papa* docuerunt Christum quà hominem non esse ita adoptivum, quin eadem persona sit filius Dei naturalis.

115. *Retinenda tamen communi opinio, quæ respuit simpliciter hanc propositionem, Christus quà homo est filius Dei adoptivus.*

Nihilominus quia in quæstione de voce præferenda est communis vocis usus & intellectus, videtur simpliciter non admittenda hæc propositio: *Christus quà homo est filius Dei adoptivus.* Ita communiter Doctores. Ratio est: quia significatio vocis *adoptio*, ut apud Auctores constanter sumitur, non abstrahit ab adoptione pura, sed hanc includit. Adoptio namque vocatur personæ extraneæ in filium vel nepotem atque adeo heredem liberalis & gratuita assumptio, quâ assumptione adoptatus solo affectu jungitur adoptanti, & manet persona ab illo extranea: *Quia est enim* (ut utar verbis Concilii præfati in *Epist. cit.*) *adoptio, nisi charitatis copulatio, quâ Pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet?* Ob quod filius adoptivus dicitur filius non naturæ, sed voluntatis. Et (ut dicitur in *Sacrosyllabo* ibidem approbato) *adoptivus dici non potest, nisi qui alienus est ab eo, à quo dicitur adoptatus.* Cùm itaque Christus quà homo non sit persona extranea aut aliena à Deo, sed includat saltem personalitatem Verbi, non potest dici filius Dei adoptivus.

116. Nec obstat, quòd saltem humanitas Christi secundùm se sit Deo extranea: quia non manet extranea, sed per Unionem hypostaticam substantialiter ei unitur in unitate personæ. Deinde humanitati Christi vi suæ generationis debebatur velut connaturaliter jus ad hereditatem: ad generationem enim illius spectabat substantiale complementum, adeoque Unio hypostatica (cui præfatum jus quasi connaturaliter debebatur) cum personalitate Verbi. Denique etsi adoptio quodam sensu competeret humanitati Christi, ipse tamen Christus seu persona) cui propriè convenit denominatio filii) non posset dici filius adoptivus etiam quà homo, quia denotaretur personam istam esse purè adoptivam, seu personæ eidem nullâ ratione competere filiationem naturalem. Alioquin in largiori (si daretur; ut contendunt Doctores oppositæ sententiæ) vocis *adoptio* significatione, ut comprehenderet eam, quia non est pura, modicum referret, quod Christus quâ homo ratione gratiæ sanctificantis humanitati infusæ appellaretur filius Dei adoptivus. Verùm hæc significatio non admittitur: *adoptivus siquidem non habet aliam significationem, nisi ut Jesus Christus non sit proprius filius Dei*, inquit Concilium in Epistola præfata.

An si Spiritus sanctus esset incarnatus, posse Deus-homo dici filius adoptivus.

Dices, si Spiritus sanctus loco Verbi fuisset incarnatus, Deus-homo non fuisset propriè filius Dei naturalis, utpote non genitus naturaliter à Deo Patre: ergo ratione gratiæ sanctificantis potuisset vocari filius Dei adoptivus; adeoque sic potest de facto appellari Christus qua homo. R. N. Conseq. nam Deus homo tunc quoque non fuisset persona Deo extranea, ipseque ab intrinseco habuisset jus ad hereditatem aliarum personarum; adeoque non potuisset dici filius Dei adoptivus.

117. *Christus quà homo potest dici servus.*

Quod ad alterum quæstionis partem attinet, etsi abstinendum esset à simplici appellatione servi, quoad Christum; non tamen si addatur aut saltem subintelligatur particula reduplicativa, quà homo. Sic enim Patres passim nomè *servi* Christo tribuunt, ut patet apud *Cyrillum lib 12 Thesauri cap. 15. Athanasium serm. 3. contra Arianos*, & *Augustinum.*

num Epist. 178. *circa finem*, ubi ait: *In qua infirmitate humanitatis non solùm subditum, sed etiam servum evidentissimè confitemur.* Quæ quidem servitus fundatur in creatione, ac essentiali dependentia humanitatis Christi à Deo, & in dominio inabdicabili Dei super omne quod non est ipse. Propter quod si sit creatura rationalis, tenetur Deo subjici, ejusque voluntati parere, atque ipsum tamquam Supremum dominum colere, & revereri.

118. *Citra vilem aut pœnalem servitutem.*

Nec obstat quòd *Leo Papa serm. 2. de Nativitate*, ait: *Creata est forma servi sine conditione servili.* Nam loquitur de servitute vili & pœnali, contractâ scilicet ex peccato veluti pœnâ ejusdem: *Quia* (ut immediatè subdit) *novus homo sic contemperatus est veteri, ut & veritatem susciperet generis, & vitium excluderet vetustatis.*

Concilium Francofordiense excludit à Christo servitutem puram & pœnalem.

Non obstat etiam, quòd *Concilium Francofordiense* & *Adrianus Papa* absolutè negent Christum posse dici servum: nam (ut ex contextu patet) loquuntur de servitute pura seu excludente dominium absolutum ab eadem persona. Quo sensu etiam *Damascenus l. 3. de fide c. 21.* ait: *Qui servum eum dicunt, unum Christum instar Nestorii in duos dividunt.* Præterea excludit Concilium à Christo, non servitutem naturalem in productione fundatam, sed pœnalem, sive procedentem ex culpa. Unde ait: *Etsi eum Propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia* (quæ est propria humanitatis seu creaturæ) ..... *Papa Leone dicente: Assumpta est de Matre Domini natura, non culpa, creata est forma servi sive sine conditione servili.* Et in probationem adducit primum hominem, qui conditus sit liber, & imago Dei, non servus, nempe servitute pœnali. De naturali enim quis dubitat, quin Adam creatus fuerit servus Dei? Quare subdit: *Unde Adam fuit servus factus, nisi ex peccato.....? Christus autem non fecit peccatum, ideo servus non est peccati &c.*

119. *Instantia ex eodem Concilio.*

Instabis: Concilium æquè vel magis abhorret ab appellatione servi, quàm filii adoptivi. Nam inter alia dicitur in *Epistola Adriani Papæ: Adoptivum eum filium quasi purum hominem calamitati humanæ subjectum, & (quod pudet dicere) servum cum impii & ingrati tantis beneficiis Liberatorem nostrum non pertimescitis venenose fauce sustrarare.* Ergo si idcirco non admittatur à Theologis nuncupatio filii adoptivi, etiam nullla ratione admittenda erit nuncupatio servi. R. N. Conseq. Nam constat vocem *servus* præter significationem servitutis legalis sive pœnalis habere aliam propriam, quæ designat servitutem naturalem, & in ea loqui Patres supra citatos & alios. Audi *Athanasium* supra: *Omnes istiusmodi voculæ* (scilicet facti, conditi, servi, filii &c.) *in rationem humanitatis bene & propriè competunt.* Audi *Chrysostomum Homil. 7. in Epist. ad Philipp. Si forma Dei perfectus Deus est, est & forma servi perfectus servus.* Afficitque hæc servitus mediante natura humana ipsum Christum. At esse filium adoptivum respicit personam, quæ adoptatur, esseque debet extranea, ut proinde significationem non habeat, quæ à pura adoptione abstrahat; prout supèrius dictum est.

Non obstat quoque communicatio in bonis Patris, utpote Christo non competens secundùm humanitatem.

Non obstat denique, quòd Christus habeat communicationem in bonis cum Patre: nam hanc non habet secundùm humanitatem formaliter, nisi per quamdam participationem, sicut etiam Beati habent communicationem cum Deo in bonis ejusdem, scilicet in beatitudine. Ratio autem servi secundùm quod servus est, solùm excludit æqualem communicationem in bonis domini, ac ne sit juris sui, sed domini sit quidquid habet in quantùm servus est.

120. *Christus nō est servus nisi cum addito aut subintellecto, quà homo.*

Ex quibus colligi potest quòd Christus, connotando suppositum, in rigore loquendo non videatur posse dici servus absque addito aut subintellecto, quà homo: quia servus nihil proprii habet, adeoque persona, quæ simpliciter appellatur servus, debet nihil habere proprii, sed tota seu secundùm omnia esse in dominio seu potestate alterius: quod non convenit Christo ratione divinitatis & personalitatis. Aliud videtur dicendum de voce subjectus, quæ simpliciter potest Christo tribui, dicendo: Christus est Patri subjectus.

121. *Christus quo sensu dicatur creatura, quo sensu non.*

Ad tertiam quæstionis partē Resp. Christum non posse dici creaturam, si hoc nomine intelligatur quid productum ex nihilo secundùm se totum: aliàs esset pura creatura, & non Deus. Vox tamen *Creatura* istum sensum non exigit: cùm non necessariò coincidant creatura & pura creatura. Quare vox *Creatura* etiam rectè idem significat quod factura, scilicet rem à Deo factam seu productam. Et hoc sensu Christus rectè dicitur creatura, non solùm cum additò, in quantùm homo, sed etiam simpliciter. Tum quia sic locuti sunt Patres, ut *Augustinus, Ambrosius, Leo* & plures alii. Sufficiant verba *Hieronymi* in illud *ad Ephes. 2. Ipsius enim sumus factura*, dicentis: *Nos liberè proclamamus, non esse periculum, eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum, & maledictionem totâ spei nostræ fiduciâ prositemur.* Tum quia humanitas Christi est creata & creatura: ergo similiter Christus: sicut ipse ratione humanitatis simpliciter dicitur crucifixus, mortuus &c. Tum denique quia hoc compositum, Christus, est verè productum, scilicet secundùm humanitatem, & unionem humanitatis cum Verbo; etsi non secundùm omnia in eo inclusa, quod non requiritur. Unde sicut simpliciter Christus dici potest productus, uti in passione destructus seu mortuus, sic etiam simpliciter potest dici creatus seu creatura. Cavendus tamen est sensus *Arianorum* (cujus equidem periculum jam evanuit

in Ecclesia & Scholis) qui Christum dicebant esse creaturam, intelligendo etiam quatenus erat Verbum Dei, seu secunda in Trinitate persona, quam *Ariani* dicebant similiter esse creaturam Patris, hunc solùm asserentes esse verè & substantialiter Deum.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Perfectionibus Christi.

QUÆSTIO I.

De Scientia Christi.

1. AGITUR hic tantùm de Scientia & reliquis perfectionibus Christi quatenus homo est: nam de perfectionibus divinitatis in 1. Parte tractatum est.

Christus secundùm humanitatem in vita mortali vidit Deum,

Dico I. Christus quà homo habuit in hac vita claram Dei visionem, idque ab initio suæ conceptionis. Est extra controversiam. Prima pars colligitur ex Scriptura. *Joan.* 1. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* q. d. ipse ergo venit & enarravit, sicut vidit, & sicut enarravit per humanitatem dum hic viveret, sic etiam per illam tunc vidit. Et *cap.* 3. Christus de seipso ait: *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur..... nemo ascendit* (quod est præteritum; ut patet ex Græco) *in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Tunc autem necdum ascenderat in cælum corpore; adeoque loquitur de ascensu mentis per visionem beatam. Et *cap.* 8. ait Christus: *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor.* Et *cap.* 12. *Ubi ego sum, illic & minister meus erit*, scilicet in gloria. Et *cap.* 14. *Ut ubi ego sum, & vos sitis.* Idem docent Patres, *Augusti. lib.* 4. *De consensu Evangelistarum cap. ult.* & alibi. Vide *Suarez disp.* 25. *sect.* 1. Ratio est: quia hoc exigebat connaturaliter Unio hypostatica; nec erat ratio cur humanitati Christi in hâc vita non conderetur, quandoquidem non obstaret fini redemptionis, sicut gloria & impassibilitas corporis obstitisset passioni.

2. *Idq; ab instanti conceptionis.*

Secunda pars patet: quia Christus habebat Unionem hypostaticam ab initio conceptionis; nec erat ratio differendi visionem beatam ei in hac vita dandam; cùm Christi intellectus impedimenta ætatis nesciret. Unde *Richardus l.* 2. *de Emmanuel cap.* 22. ait: *Quod nos expectamus in consummatione, illi defuit in sua conceptione.* Confirmatur, tùm quia non est credibile divinam personam non mox ditasse naturam humanam tam singulari sibi vinculo colligatam plenitudine superabundanti gloriæ omnisque gratiæ: Tùm quia non decebat sic uniri animam, nisi esset simul Deiformis secundùm quod erat possibile. Unde Theologi cum *Scoto d.* 2. *q.* 2. *n.* 12. gloriam gratiæque & veritatis plenitudinem in Christo homine fundant in hoc, quòd *Joan.* 1. dicitur *unigenitus à Patre.* Quod à primordio conceptionis fuberat. Hinc etiam illud apud omnes Scriptores vulgatum, quòd Christus à principio fuerit simul viator & comprehensor.

3. *Quam gloriam Christus passus comparavit.*

Nec obstat, quod *Lucæ* 24. dicitur: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et *Joan.* 7. *Nondum erat Spiritus datus quia Jesus nondum erat glorificatus.* Et *cap.* 17. *Clarifica me tu Pater.* Nam Scriptura sic loquitur partim de gloria corporis seu resurrectionis, & glorificatione Christi in ascensione, partim de clarificatione nominis ejus & divinitatis quoad nos.

Visio beata quomodo consistat cum tristitia Christi.

Non obstat II. quòd visio beatifica generet summum gaudium: quod non videtur consistere cum summa tristitia, quam Christus habuit quando dixit *Matth.* 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Nam etsi connaturaliter loquendo id verum sit, absolutè tamen potest gaudium & tristitia summa simul consistere, quando non sunt de eodem objecto sub eodem motivo formali. Deindè potuisset per Deum tempore passionis gaudium beatificum Christo subtrahi ad perfectiùs pro nobis satisfaciendum: quod factum esse putat *Canus*; quamquam *Suarez* hoc dicat temerarium. Saltem potiùs existimandum foret suspensum fuisse gaudium beatificum, quàm neganda Christo victori sive tristitia sive visio beata.

4. *Non fuit infinita, sed inter creatas perfectissima.*

Porrò visio hæc beata non fuit quidem infinitè perfecta, cùm talis visio creata repugnet. Fuit tamen inter creatas omnes perfectissima: prout dignitas humanitatis Verbo Dei unitæ exigebat; adeò ut si detur status in perfectione specificâ vel intensiva visionum possibilium (de quo in Philosophia) ipsa sit tam perfecta, ut eâ nequeat dari perfectior.

5. *In Christo fuit ab initio perfecta rerum notitia ignorantia excluso.*

Dico II. Christus ab initio conceptionis habuit perfectam rerum omnium notitiam. Est contra *Lutherum* & alios Hæreticos (*quos refert Bellarminus l.* 4. *de Christo cap.* 1.) negantes Christum sciviſse omnia, sed more ceterorum paulatim didicisse, quæ priùs ignorabat. Probatur ex Scriptura *Ioan.* 1. *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Deinde probatur ex Patribus. *Nazianzenus Orat. in S. Basilium* dicit: *Ille* (Christus) *ut ætate, ita etiam*

etiam Sapientiâ & gratiâ proficiebat: non quòd hæc in illo incrementum caperent (quid enim eo, quod à principio perfectum est, perfectius esse posset?) sed quòd paulatim patefierent & elucerent. Augustinus l. 2. de peccat. meritis c. 29. Ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in illo infante, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Bernardus Homil. 2. Super Missus est. Nec fuit hora in quacumque ætate suâ, quâ de plenitudine illa, quam in conceptione sui accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur. Similia habent alii Patres. Denique id exigebat dignitas naturæ humanæ ad esse personale divinum elevatæ: neque enim consentaneum fuisset, ut Christus, cùm Deus esset, aliquid more cæterorum disceret, quod prius ignorabat, ut notat *Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 6.*

6. An vel quo sensu Christus ignoraverit diem judicii.

Neque obstat I. illud *Marci 13. De die autem illa vel hora* (scilicet judicii) *nemo scit, neque Angeli in cælo, neque filius*; sed (ut dicitur *Matth. 24.*) *solus Pater.* Quia non significatur Christum etiam quâ hominem ignorasse diem judicii, sed, ut Patres explicant (omissis variis aliorum expositionibus) non scivisse illum ad communicandum nobis, quatenus scilicet erat Legatus ad nos: eatenus enim non habebat in mandatis illum patefacere, sed celare. Unde *Ioan. 15* dixit: *Quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis*, quæ videlicet habui vobis pro hoc tempore tamquam Legatus manifestanda. Quamquam alioquin constet ipsum multa alia scivisse Apostolis ignota; quibus *cap. 16.* ait: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed, non potestis portare modò*: ideoque usque ad adventum Spiritus sancti differebat, qui illos doceret omnem veritatem.

Quo sensu Verbum assumpserit ignorantem naturam.

Non obstat II. quòd *Damascenus l. 3. de fide c. 21. in princip.* dicat, Verbum *ignorantione laborantem ac servam naturam assumpsisse.* Sic enim loquitur, eò quòd assumpserit naturam hominis, quæ est ignorans, non prout singulariter in Christo, sed prout in simili est in nobis; ut rectè *D. Bonav. d. 15. a. 2. q. 1. ad 1.*

7. Explicatur locus Ambrosii,

Non obstat III. illud *Ambrosii l. de Incarn. c. 7. post. med.* dicentis: *Per quem autem sensum Isaias dixit* (scilicet *cap. 8.*) *patrem nesciebat puer aut matrem? Sapientiam enim Dei futura & occulta non fallunt. Expers autem cognitionis infantia per humanam utique imprudentiam quod adhuc non didicit, ignorat.* Hoc enim explicat *D. Bonav. d. 13. in Expos. textûs dub. 5.* de notitia experimentali, in qua Christus secundùm exteriorem sensum veraciter profecit, & quæ naturæ humanæ assumptionem comprobat. Unde si dicat, illum puerum ignorasse, hoc non est aliud, quàm non expertum esse. Alioquin sensum planè diversum habet, quod *Isaiæ 8.* dicitur: *Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ.* Nam (ut omittam, quod

Et alter Isaia.

Varii id explicent de filio Prophetissæ, uxoris ipsius Isaiæ) intelligendo illud cum Patribus & plerisque Interpretibus de Christo, sensum habet: Antequam puer iste vulgari ac naturali modo sciat fari ac dicere, quod primò dicere solent infantes, Patermi, mater mea (ut habent Hebræa) immo antequam nascatur aut ex utero matris prodeat, hostes suos spoliare & prædari incipiet; utpote Deus verus. Vide *A Lapide*, & alios Interpretes.

8. Christus quâ homo non omnia simul actu cognoscit,

Notandum verò sensum Conclusionis non esse, quòd Christus habuerit actualem omnium rerum notitiam, etiam in Verbo. Cùm enim res cognoscibiles sint infinitæ, impossibile est (quidquid Aliqui dicant) omnes simul perfectè & distinctè cognosci: hoc namque argueret infinitam perfectionem in intellectu creato, aut etiam in ipsa cognitione, si foret unica. Neque idem est de visione objecti infiniti, & de visione distincta objectorum infinitorum in multitudine: nam quò intellectus perfectè & distinctè cognoscit plura, eò arithmeticâ proportione requiritur major attentio, ut experientia docet, adeòque ad infinita cognoscenda requireretur infinita attentio. Secùs est de notitia objecti infinitè perfecti; ad quam non requiritur infinita attentio vel infinitus actus. Immo potest intellectus in objectum perfectius tendere minori conatu vel attentione, quàm in objectum minùs perfectum. Et sanè longè facilius cognoscitur unus homo, quàm distinctè mille lapides; etsi sit his omnibus perfectior. Vide *Smising de Deo Uno Tr. 2. d. 6. n. 196. & seq.*

9. Adeoque nec omnia quæ Deus scit, aut videt,

Quare Christus non scivit actu omnia quæ Deus scit; immo nec omnia quæ Deus videt, scilicet præterita, præsentia & futura (quæ tamen Christum quâ hominem vidisse in Verbo vult *D. Thomas* & alii) nam etiam hæc sunt infinita, v. g. cogitationes futuræ per totam æternitatem, aut saltem excedunt determinatam capacitatem intellectûs creati, uti excedunt quemcumque numerum determinatum categorematicum. Vis enim limitata intellectûs, si nequeat simul distinctè intelligere objecta categorematicè infinita, habet consequenter determinatum numerum objectorum, quem nequit excedere in simultanea & distincta cognitione.

10. Sed novit omnia habituaiter.

Sufficit igitur Christum omnia sciviſse habitualiter, ut rectè *D. Bonav. d. 14. a. 2. q. 3. Scotus ibid. q. 2. n. 20.* & alii. Quod optimè sic explicatur, ut potuerit actu scire, quod vellet & quandocumque vellet.

Declaratur, quo sensu.

Hoc namque est facilè explicatu, & convenit dignitati Christi, ac denique excludit ab illo ignorantiam: nam nec inter nos quis dicitur aliquid ignorare, quod ita habitualiter scit, ut interrogatus statim diceret, quid de illa re dicendum esset, et-

si actu de ea non cogitet. Quemadmodum nec dicitur Christus ignorare aliqua possibilia, etsi actu non omnia simul cognoscat, prout etiam *Thomistæ* fatentur.

11. *Scientia Christi alia est in Verbo, alia in proprio genere, infusa ipsi Christo.*

Duplex porrò est scientia Christi. Prima beata, quâ videt Verbum, & in Verbo creaturas. Secunda est cognitio in proprio genere, quam Doctores communiter docent etiam fuisse in Christo, utpote dignitati illius competentem, ac etiam beatis Angelis & hominibus convenientem. Hanc verò Christus non debuit labore & industriâ conquirere, sed in ordine ad illam fuit ei ab initio conceptionis infusa à Deo scientia. Quam Theologi distinguunt in infusam per se & infusam per accidens. Per priorem cognovit Christus in proprio genere res illas, quæ naturaliter non possunt cognosci, aut certè non tali modo & perfectione. Post posteriorem cognovit ceteras res, quarum cognitio etiam perfecta naturaliter acquiri posset. Cujusmodi scientia fuit etiam infusa Salomoni & Adamo circa res naturales. Quàmvis harum quoque cognitionem ad scientiam per se infusam minùs probabiliter reducat *Suarez*, *Vasquez* & alii. In quorum Sententia facilè posset quælibet scientia per accidens infusa Christo denegari. Quæ omnia fusiùs videri possunt apud Auctores citatos, & alios Scholasticos in hac materia.

Hæc rursum vel est infusa per se, vel infusa per accidens.

12. *Fuit denique in Christo scientia experimentalis successivè acquisita.*

Habuit denique, juxta *D. Bonaventuram*, *Scotum* & alios communiter, Christus scientiam quamdam experimentalem, quam successu temporis acquisivit etiam ex iis quæ circa se acciderunt & intuitus est, ut colligitur ex Apostolo *ad Heb. 5. Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Patet etiam: quia Christus videbat, audiebat, tangebat &c. ac proinde ministerio sensuum hauriebat notitiam intellectualem & experimentalem rerum alioquin sibi cognitarum, v. g. dolorositatem tormentorum, faciem hominum, loquelam, res significatas per verba audita &c. Ratio est, quòd scientia experimentalis, partim involvat cognitionem rei præsentis & existentis; qualem omnium rerum Christus in proprio genere non habuit ab initio, sed prout successivè res ipsæ contingunt: partim præsupponat eamdem cognitionem, & tamquam transactam repræsentet; quod etiam ab initio non potuit in Christo habere locum. Ita *Scotus d. 14. q. 3. Suarez disp. 27. sect. 2. in fine*, & alii.

QUÆSTIO II.

De Gratia & Virtutibus Christi.

13. *Fuit in Christo gratia habitualis.*

DIco I. Christus fuit præditus gratiâ habituali. Est certum apud omnes. Et colligitur ex *Ioan. 1. Plenum gratiæ & veritatis.* Quòd cum omnes intelligant de quavis habituali perfectione Christum decente, non potest indubiè de ulla magis intelligi, quàm de perfectione gratiæ habitualis. Et alibi frequenter dicitur in Christo fuisse gratia, Spiritus sanctus &c. Ratio est: quia Christo ad diligendum Deum est necessaria Charitas habitualis; quæ juxta *Scotum* & plurimos alios à gratia est indistincta, aut certè juxta alios sic profluit à gratia, ut sine ea, saltem connaturaliter, esse nequeat. Deinde hæc perfectio conveniebat dignitati Christi.

14. *Sanctificativum ipsum.*

Dico II. Gratia habitualis erat justificativa, seu sanctificativa Christi, eumque dignificabat ad vitam æternam. Est etiam communis Doctorum. Et colligitur ex Patribus, *Bernardo Homil. 4. Super missus est*, ubi ait: *Singulariter sanctum fuit quod Virgo genuit, & per Spiritûs sanctificationem, & per Verbi assumptionem.* Alios vide apud *Suarez disp. 18. sect. 2. assert. 1.* Ratio est: quia nos sumus justi & sancti per gratiam habitualem; ergo & Christus: quia non debet negari gratiæ ipsius capitis, quod nostræ conceditur.

15. *An potuerit fuerit formaliter sanctificatus per unionem hypostaticam.*

Dices: Anima Christi fuit sanctificata formaliter per Unionem hypostaticam; ut colligitur ex *Bernardo sup.* & aliis Patribus; ergo non per gratiam habitualem. Responderi I. cum variis posset Neg. Cons. quia decebat, ut Christus omni modo sanctus esset, & substantialiter per Unionem hypostaticam, & accidentaliter per gratiam intrinsecè inhærentem. Hi tamen Auctores differunt inter se, utrùm sanctitas formaliter provenerit ab ipsa unione, an potiùs à personalitate Verbi, vel divinitate, aut utrâque simul.

Aliter Resp. cum pluribus Doctoribus Neg. Antec. quia Unio hypostatica tantùm confert ratione sui termini moralem sanctitatem seu potiùs dignitatem humanitati Christi; adeò ut in concreto dici debeat Deus, ideoque connaturaliter exigat gratiam sanctificantem in perfectissimo gradu, cui vita æterna & cetera debeantur de jure, quæ Unioni hypostaticæ secundùm se debentur de congruo & velut radicaliter. Similem autem moralem dignitatem & quasi consecrationem tribuit unio etiam partibus humanitatis, etsi secundùm se incapacibus formalis sanctificationis. Propter quod ejus corpus in hymno Ecclesiæ dicitur sanctissimum; & sanguis similiter sanctissimus seu sacratissimus dici solet. Nec aliud exigit natura Unionis hypostaticæ, vel Auctoritas Patrum. Quàmvis alioquin potuisset Deus ex sua libertate effectus gratiæ justificantis etiam Unioni hypostaticæ annectere. Utrùm autem de facto annexuerit, non ita constat: prout id constat de gratia habituali.

16. *Gratia habitualis Christi ad*

Petes, quanta fuerit gratia habitualis Christi? Resp. cum *D. Bonaventura*, *Scoto* & aliis communiter, non fuisse infinitam; utpote quæ implicat. Secùs fortè dicendum foret

Initio fuit summa, non tamen infinita.

foret, si (quod quidam censent) infinita gratia sit possibilis. Fuit tamen major, quàm ulla creata; immo tanta, ut (supposito quòd detur status) non potuerit major dari. Eamque accepit ipso instanti conceptionis simul cum Unione hypostatica, cui nimirum ipsa debebatur; & quia tunc collata fuit fruitio beatifica, cui eliciendæ habitus gratiæ & charitatis erat necessarius. *D. Thomas* tamen & alii existimant gratiam Christi fuisse infinitam, non quidem in ratione qualitatis, sed

14. *Ne quidem in ratione gratiæ.*

in ratione gratiæ. Quod equidem dici non potest, eò quòd non reddiderit Christum Deo gratum seu acceptum in ordine ad effectum, nisi finitum, scilicet gloriam finitam. Nec à conjunctione cum Verbo aliam traxit infinitatem, quàm scientia & reliqua Christi accidentia. Quamquam opera satisfactoria ex dignitate personæ, accedente saltem acceptatione Dei, traxerint valorem quodammodo infinitum.

17. *Quo sensu Scriptura dicat Christum profecisse in gratia apud Deum & homines.*

Nec dictis obstat, quòd *Lucæ* 2. dicitur: *Iesus proficiebat sapientiâ, & ætate & gratiâ apud Deum & homines.* Nam sensus est, quòd creverit sapientiæ & gratiæ operibus, seu effectibus & signis ut Patres explicant: emicatio enim sapientiæ & gratiæ profectus ejus fuit: quemadmodum sol dicitur proficere, quia majus lumen apud nos paulatim diffundit. Unde accessu ætatis verè paulatim detegebat gratiam & sapientiam animi, quâ semper plenus erat. Quòd autem à principio per opera externa non indicaret summam suam perfectionem, hoc non erat falsitatem prætendere, sed veritatem occultare, idque expedienter ad nostram utilitatem, ut rectè *D. Bonav. d. 13. a. 1. q. 3. ad 3.* Si enim virilem gratiam & sapientiam exercuisset ante ætatem, visus fuisset monstrum aut prodigium, & tamen detectus gratiæ & sapientiæ interior in nullo nobis profuisset, nec Deum decuisset. Defectus autem ætatis in corpore faciebat ad humiliationem, atque insuper, veræ naturæ ostensionem, nesi absque ætatum vicissitudine plenus statura prodiisset, phantasma apparuisset.

18. *In Christo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ.*

Dico III. In Christo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, scilicet gratia sanctum, operatio virtutum, ac reliquæ omnes, quas enumerat Apostolus 1. *ad Cor.* 12. ita communiter Theologi. Et patet consideranti vitam Christi, ac quæ de eo Scriptura testatur. Idem exigebat plenitudo gratiæ, quæ super eum requievit; item dignitas Unionis hypostaticæ: ac deniquè ratio Capitis, à quo hæ gratiæ in cetera membra, scilicet Apostolos aliosque Doctores erant derivandæ; adeòque oportebat illas in capita præfuisse.

19. *Etiam gratia fidei.*

Solùm videtur aliqua difficultas de gratia fidei & prophetiæ. Verùm Apostolus ibi nomine fidei non intelligit fidem Theologicam, quæ omnibus Christianis est communis, sed eam quæ est mater miraculorum, constantem scilicet fiduciam in Deum ad quidvis impetrandum, & ad miracula operandum, atque assensum prævium. De qua *cap. seq.* ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.* Ita explicat *Chrysostomus*, vel intelligit donum intrepidè profitendi & explicandi fidem; ut exponunt Alii, vel potiùs intelligit singularem intelligentiam mysteriorum fidei ad ea contemplandum & aliis declarandum. Omnibus autem his modis fuit in Christo fides.

Et gratia Prophetiæ.

Ad Prophetiam quod attinet, non importat illa obscuritatem ex parte cognitionis in Propheta, sed ex parte objecti secundùm communem statum & conditionem cognoscentis, ut scilicet res sit obscura & remota à cognitione propriâ statui in quo Propheta versatur. Quare juxta *August. lib. 16. contra Faustum cap. 18.* nihil aliud est Propheta, quàm *homo ultra humanas conjecturas futura pronuntians.* Unde de Christo *Ioan. 4.* dixit, nec malè (teste *August. Tr. 15. in Ioannem*) Samaritana: *Video, quia Propheta es tu.* Et *Lucæ* 7. visâ resuscitatione mortui omnes timuerunt & magnificarunt Deum dicentes: *Quia Propheta magnus surrexit in nobis.* Et Christus de se ipso *Marci 6.* dixit: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.* Et *Deuteron. 18.* Moyses de Christo (prout intelligit Petrus *Act. 3.* & Stephanus *Act. 7.*) dixit: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.*

20. *Operationes miraculorum à Christi humanitate tamquam instrumento moraliter processit.*

Quantùm ad gratiam virtutum notandum humanitatem Christi fuisse operatam virtutes sive miracula, non per physicam potentiam sibi competentem, sed per divinam voluntatem ac omnipotentiam sibi permanenter, & ad nutum, ac ad quosvis effectus assistentem; secùs quàm contigerit in aliis Sanctis: sic equidem, ut humanitas tantùm causaverit illa moraliter, utì Sacramenta gratiam. Ita *Scotus, Vasquez* & alii. Et insinuat *Leo Papa Epist. 10. cap. 4. Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est: unum horum coruscat miraculis; aliud succumbit injuriis.* Quæ verba etiam habet *Agatho Papa in Epistola*, quæ refertur in *VI. Synodo Act. 4.* Et *ibid. Act. 10. in Epistola Sophronii* dicitur: *Secundùm quod Deus patrabat mirabula, secundùm quod homo faciebat humilia & humana.* Similia habent alii Patres. Ratio est: quia potentia obedientialis physica ad quodlibet passim rejicitur velut conficta & impossibilis. Deinde Miraculum subindè consistebat in subtractione divini concursus ordinarii, quæ non potest physicè causari ab agente creato. Denique sic absque difficultate res hæc clarè explicatur: cùm è contrà gravissimam difficultatem patiantur, qui physicam efficientiam miraculorum humanitati Christi adscribunt.

Petes,

21. *In Christo quà homine est gratia capitis super omnem Ecclesiam, etiam quà Angelis & Beatis conflantem.*

Petes, an & quid sit in Christo gratia capitis? Resp. Christum esse *Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius* juxta Apostolum *ad Ephes.* 1. Idem docet *cap.* 5. Ecclesia autem constat, tum viatoribus qui sunt in Ecclesia militante (quibus annumerari possunt animæ in purgatorio) tum hominibus beatis, qui sunt in triumphante, quæ est Ecclesia primitivorum conscriptorum in cœlis; immo etiam beatis Angelis, ex quibus juxta Patres conflatur quoque universalis Ecclesia. Unde Apostolus *ad Coloss.* 2. de Christo quà homine (ut patet ex contextu) ait: *Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs & potestatis.* Ratio est: quia sicut caput est pars corporis prima & dignissima, in qua exercentur operationes vitales, animales & rationales, & quæ cetera membra gubernat ac in illa influit; sic Christus quà homo est dignissima persona omnium, ex quibus mysticum universalis Ecclesiæ corpus coalescit, ipseque influit in omnes viatores dona gratiæ, in beatos insuper gloriæ; utì juxta multos (de quo infrà) etiam in Angelos; in quos saltem influit illuminationem (sicut Angeli superiores illuminant inferiores) & non modicum gaudium accidentale. Non est tamen Christus propriè caput damnatorum, etsi caput eorum fuerit dum essent viatores: quia de facto non influit in illos aliquod donum salutare. Est equidem caput etiam infidelium & malorum Christianorum, etsi non quatenus mali sunt & infideles (quorum eatenus caput est diabolus) quia similiter in illos influit multa bona: quamquam soli justi sint membra hujus capitis viva, vegetata ab illius Spiritu vegetante.

Non est Christus propriè caput damnatorum,

Est tamen malorum viatorum,

22. *Ratio capitis in quo consistat.*

Sed variant Doctores in quo consistat vel fundetur hæc ratio Capitis. Omissis aliorum dicendi modis, Dico radicaliter fundari in Unione hypostatica, quæ Christum constituebat personam dignissimam, & quam consequebatur velut proprietas gratia habitualis summa; quæ etiam ad meritum & satisfactionem requirebatur: quibus accedebat divina acceptatio, sine qua opera Christi, quantumvis excellentia, in ceteros meritoriè non influxissent. Adeòque hæc tria concurrunt ad completam gratiam capitis, sive ad Christum statuendum in ratione supremæ personæ proximè potentis influere in cetera membra. Est enim hîc sermo de capite meritoriè influente in membra. Alioquin simpliciter Unio hypostatica constituebat Christum personam dignissimam seu Deum hominem, adeòque hâc ratione caput; sed (ut dixi) insufficienter ad sensum præsentis loci.

23. *An Christus rectè dicatur membrum Ecclesiæ.*

Petes, an Christus rectè dicatur membrum Ecclesiæ? Resp. quodam sensu Aff. est enim pars excellentissima Ecclesiæ seu corporis mystici, utique constantis etiam capite, seu illud includentis: sicut corpus physicum constat capite tamquam parte seu membro. Quodam autem sensu satis obvio Neg. prout scilicet membrum sonat partem ab aliarum influxu dependentem: Christus enim non dependet à reliquis membris Ecclesiæ.

24. *Christus a initio habuit omnes virtutes & dona, ejus perfectioni convenientia, saque in gradu perfectissimo.*

Dico IV. Christus ab initio conceptionis habuit in gradu perfectissimo omnes virtutes & dona, quæ ex ratione sua particulari non involvunt imperfectionem Christo inconvenientem. Ita omnes Doctores: quia Christus dignificari debet quantùm commodè potest, & Unio hypostatica connaturaliter, morali saltem connaturalitate, exigebat, ut omnes perfectiones possibiles ac decentes conferrentur Christo. Et (ut *Scotus d.* 13. *quæst.* 4 *num.* 9. ait) *in commendando Christum malo excedere, quàm deficere à laude sibi debitâ, si propter ignorantiam oporteat in alterutrum incidere.* De septem quoque donis Spiritûs sancti expressa est Prophetia *Isaiæ* 11. quòd & super Christum requieverent. Idem autem est de ceteris donis & gratiis, etiam actualibus, quatenus Christo congruerent.

25. *Non fuit Christo fortè nec spes Theologica,*

Dixi, *quæ ex ratione sua particulari non involvunt imperfectionem Christo inconvenientem;* prout involvit fides, quæ tendit in Deum obscurè, ideoque à beatis exulabit in patria, & consequenter exulavit à Christo in via jam beato. Idem est de spe, si & ipsa sit evacuanda in patria, ut Plerique docent. De quo in *Tract. de Virtut. Theolog.* Quamquam non sit incredibile dari habitum generalem amoris concupiscentiæ Dei, qui sortiatur nomen spei, quatenùs tendit in bonum possidendum, etsi idem habitus vitaliter teneat bonum jam possessum; qui consequenter fuisset in Christo, & per illum potuisset sperare beatitudinem corporis, & fortè quædam alia nondum obtenta.

Pœnitentia quo sensu ipso fuerit, vel non fuerit.

Idem quoque est de pœnitentia, quatenus connotat propriam culpam aut dolorem de illa; item de continentia quatenus connotat motus propriæ concupiscentiæ. Abstrahendo tamen à connotato, verè in Christo est amor honestatis istarum virtutum, adeoque ipsæ virtutes.

26. *Quod ab ultimo declaratur.*

Ubi notandum, virtutem pœnitentiæ denominari à connotato quodam actûs secundarii, scilicet à dolore, vel à pœnalitate, quam quis subit, ut jus Dei peccato læsum vindicando in se peccatum restauret. Ipsa autem virtus pœnitentiæ secundùm se primariò inclinat ad jus Dei servandum illæsum, secundariò ad detestandum peccata seu quidquid jus illud lædit, & consequenter ad idem, si læsum fuerit, reparandum, culpam ordinando per pœnam satisfactoriam. In Christo itaque est virtus ista quoad actum primarium, adeòque quoad habitum. Est etiam quoad actum secundarium: detestatur enim quidquid lædit jus Dei,

Dei, scilicet peccata nostra. Non tamen est in eo actus secundarius, quatenus respicit seu connotat peccata propria. Non etiam, quatenus connotat dolorem detestationi adjunctum ; quamvis hic non defuerit in Christo viatore. Non denique, quatenus respicit vindictam seu pœnalitatem à pœnitente subeundam: quamvis in Christo viatore fuerit etiam voluntas in se perferendi seu vindicandi peccata nostra, pœnas acerbissimas subeundo. De facto tamen vult, ut nos detestemur peccata nostra cum dolore ac pœnalitate ; quæ voluntas etiam reduci potest ad honestatem pœnitentiæ.

QUÆSTIO III.

De Operatione humanæ Voluntatis Christi ejusque cum divina Concordiâ: Item de Libertate ac Impeccabilitate illius.

27. *In Christo est duplex voluntas cum operationibus suis.*

DIco I. In Christo non solùm est voluntas divina, sed etiam humana, hæcque habuit humanas operationes. Est de fide contra *Monothelitas*. Et patet ex *VI. Synodo act. 4. & 8. Lateranensi sub Martino I. can.* 10. & aliis Conciliis. Patet etiam ex Scriptura, in qua Christus voluntatem seu volitionem suam distinguit à voluntate seu volitione Patris, *Matth* 26. *Non sicut ego volo sed sicut tu.* 1. *Ioan.* 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Et alibi : ergo præter divinam voluntatem Patris Christo communem, fuit in illo alia voluntas, aliaque volitio, utique humana. Ratio est : quia voluntas sequitur naturam ; quæ cùm fuerit duplex in Christo, etiam juxta *Monothelitas*, patet in eodem fuisse duplicem voluntatem. Quam etiam absurdum esset admittere, & actum seu volitionem alterutri negare ; cùm divina quidem volitio naturæ & voluntati divinæ identificetur ; voluntas autem humana connaturaliter actum exigat, nec sit ratio ob quam ei negaretur, immo sit necessarius ad meritum & satisfactionem. Ex quibus etiam evincitur Hæresis *Monothelitarum*, si duplici voluntate admissâ tantùm negaverint duplicem in Christo volitionem, ut existimat *Vasquez*, non valens credere, quomodo rem tam evidentem, scilicet duplicem voluntatem admissâ duplici naturâ, *Monothelitæ* negare potuissent. Verùm pariter est evidens ineptia, admissis potentiis negare actus. Id equidem ex *Synodo VI.* satis constat, cum *Monothelitis* non fuisse quæstionem de solâ potentia volitiva humana, sed potissimùm de ejus operationibus elicitis. Dico *elicitis* : nam actus aliarum potentiarum, qui in nobis solent à nostra voluntate imperari, v.g. ambulationem, locutionem &c. non negarunt, sed voluerunt illos procedere in Christo ex imperio voluntatis divinæ : Unde consequenter obedientiam, meritum, satisfactionem Christi, quæ utique exigunt actus elicitos creatæ voluntatis, destruxisse ipsâ convincuntur.

28. *Et cum optima utriusque concordia.*

Neque oportuit *Monothelitas* timere utriusque voluntatis in operando discordiam : si enim in hominibus beatis Deus tam immobilem eorum cum divina voluntate consensum firmavit, quantò magis in Christo perfectissimam utriusque voluntatis conformitatem procurare potuit, adeoque procurasse censendus est, sic ut nil omnino voluntas humana decerneret, quod à divina foret exorbitans? De quo tamen *Concl.* 3.

Voluntas sequitur non personalitatem, sed naturam, cujus proinde multiplicatione multiplicatur.

Non etiam favet *Monothelitis* unitas subsistentiæ seu personalitatis in Christo: nam voluntates sequuntur naturam, non personalitatem, ut rectè *Damasc. l. 3 de fide c.* 14. Unde è contrà in tribus personis est unica voluntas propter unitatem naturæ, non obstante multiplicitate personalitatum ; ut rectè arguit *Damascenus sup.*

29. *Reliqua similiter potentia & operationes earum fuerunt in humanitate Christi.*

Quod dictum est de voluntate, dicendum etiam est de intellectu & reliquis potentiis humanitatis Christi, ideoque in *VI. Synodo Act.* 4. refertur, & *Act.* 8. recipitur *Epistola Agathonis Papæ*, in qua generaliter definitur, unamquamque naturam in Christo, divinam scilicet & humanam, proprietatem naturalem habere, & divinam habere omnia quæ divina sunt, & humanam omnia quæ humana sunt, absque ullo peccato.

30. *Variæ operationes & passiones fuerunt in humana voluntate Christi.*

Dico II. In voluntate humana Christi fuit varietas actuum innoxiorum, etiam inefficacium, & passionum consequentium, scilicet gaudii, tristitiæ &c. Patet ex *VI. Synodo cit.* Et specialiter de actibus inefficacibus, *Matth.* 26. *Pater si possibile est &c. Verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* De tristitia *ibid. Tristis est anima mea usque ad mortem.* De timore filiali *Isaiæ* 11. *Replebit eum Spiritus timoris Domini.* De timore mortis *Marci* 14. *Cœpit pavere, & tædere.* Ratio est : quia ejusmodi actus & passiones innoxiæ aperte ostendebant veritatem susceptæ carnis, erantque ad finem redemptionis accommodatæ.

31. *Inter humanam & divinam Christi voluntatem nulla fuit contrarietas ;*

Dico III. Inter humanam & divinam voluntatem Christi nulla fuit contrarietas. Patet ex *VI. Synodo Generali Act.* 4. & 17. Item ex Scriptura, in qua Christus testatur suum cibum esse, ut faciat voluntatem Patris. Ideoque *Joan.* 8. ait ; *Ea quæ placita sunt ei, facio semper.* Idemque exigebat sanctitas & perfectio Christi.

Nequidem dum humana voluntas refugiebat mortem.

Nec obstat, quòd Christus noluerit mortem seu passionem, quam Pater volebat: quia illam refugiebat tamquam naturæ contrariam, appetens eamdem simul tamquam à Patre injunctam, & redemptioni nostræ

nostræ necessariam. Neque etiam refugiebat illam efficaciter, sed sub conditione relatâ ad voluntatem Patris sive divinam. Quî affectus inefficax sub alio motivo elicitus non est contrarius voluntati efficaci rei oppositæ, voluntati (inquam) etiam ejusdem naturæ; quamtò minùs voluntati naturæ distinctæ, scilicet divinæ? præsertim cùm illam ipsam voluntatem inefficacem divina voluntas approbaret, quatenus sic in Christo veritas assumptæ carnis passibilis patesceret.

32. *Efficax hujus volitio semper fuit impleta.*

Dico 1V. Etsi inefficax Christi voluntas non semper sit impleta, ut patet, efficax tamen semper impleta fuit: quia decuit dignitatem Christi, & perfectam humanæ illius voluntatis cum divina conformitatem, ut humana nihil efficaciter vellet, nisi idem efficaciter vellet divina: sed hæc semper fuit impleta; ergo & illa.

33. *Objectio desumpta ex VI. Synodo & Agathone Papa.*

Dices: *Agatho Papa in Epistola* relatâ in *VI. Synodo act.* 4. & ipsa *VI. Synodus Act.* 10. supponunt in Christo fuisse absolutam & efficacem voluntatem recusandi mortem: cùm inde colligant distinctionem humanæ voluntatis à divina. Quæ tamen collectio aliàs non valeret. Sicut non rectè colligitur in homine vel in Deo duplex voluntas ex eo, quòd habeat volitionem efficacem alicujus rei, & inefficacem rei oppositæ. Ergo voluntas humana Christi absoluta non semper fuit divinæ conformis, nec semper impleta. Admittunt aliqui argumentum Papæ & Synodi non esse efficax. Quod tamen non facilè admittendum, quando scilicet alius modus respondendi supereset. Quare alii Respondent Neg. Ass. collectio enim

Responsio. Pontificis est equidem bona, satisque fundatur in excusatione mortis inefficaci, eo modo quo in Scriptura refertur; ubi dicitur: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Ex quo rectè infertur, quòd aliqua sit in Christo voluntas, utique humana (quam solam *Monothelitæ* negabant) quæ non sit in Patre. Et Synodus idem infert ex eo, quòd recusatio mortis fuerit per modum orationis: clarum enim est Christum per divinam voluntatem non ita recusasse mortem, ut eam amoveri oraret.

34. *Instantia,*

Instabis: Etiam colligit Papa distinctionem ex eo, quòd quidquid Pater voluit, factum sit, non ita quidquid voluit Christus homo. Quod utrimque de voluntate efficaci est intelligendum, ut subsistat discrimen: nam etiam non quidquid Pater voluit inefficaciter, factum est: ergo voluntas efficax Christi aliqua non fuit impleta; adeòque fuit difformis voluntati Patris, aliàs enim foret impleta. Responderi potest. Dist. primum Consequens: voluntas efficax absolutè & undequaque Nego: aliquo modo Concedo, & tunc Nego secundam Sequelam: nam potuit esse efficax mediorum ex parte sua naturaliter possibilium

Responsio prima. adhiberi, non tamen finis seu effectûs ultimati, v. g. *Marci* 7. *Neminem voluit scire*, adhibendo ex parte sua ad hoc media (idque conformiter ad voluntatem Patris) & *non potuit latere* aliunde; idque absolutè, non tantùm Pater, sed etiam ipse Christus homo volebat. Discrimen itaque est, quòd quidquid Deus vult absolutè, possit fieri & fiat, si media adhibeat, quæ ex parte sua adhibere potest: voluntas autem humana, etsi illa, quæ naturaliter potest, adhibeat, non semper impleatur. Quamquam materialiter & concomitanter semper sit impleta in Christo; tunc scilicet non volente effectum absolutè, aut aliunde nolente impedire media in oppositum. Resp. II. posse Pontificem explicari, ut indicet Christum humanâ voluntate conditionatè aliquid voluisse quod non poterat propriâ humanitatis virtute consequi: Deum autem nil velle etiam voluntate antecedente, quod nequeat per seipsum implere. *Secunda.*

35. *Voluntas humana Christi secundùm se dem fuit libera.*

Dico V. Voluntas humana Christi fuit libera. Est certum, immo de fide. Patet ex *VI. Synodo Act.* 4. definiente in Christo fuisse proprietates naturales, & propriam operationem naturæ humanæ: una autem istarum est liberum arbitrium, & operatio libera est homini maximè propria. Idem colligitur ex Scriptura *Isaiæ* 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*, id est, juxta *Hieronymum*, non necessitate, sed voluntate crucem subiit. *Ioan.* 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo.* Accedit unanimis consensus Patrum; quorum præcipuos citat *Suarez d.* 37 *sect.* 2. Ratio est: quia libertas est præcipua perfectio hominis, quâ præstat brutis; eique necessaria ad merendum & satisfaciendum.

36. *Non solùm à coactione, sed etiam à necessitate.*

Neque ullus dubitat de libertate à coactione, quæ est deliberata spontaneitas, seu libentia, ut sic loquar: hæc enim est intrinseca actibus, etiam maximè necessariis voluntatis, quæ ad nullos actus suos cogi potest, ac in Christo deliberationem intellectûs non prævenit. Verumtamen non de hac sola, sed de libertate à necessitate potissimùm intelligenda est conclusio juxta Doctores Catholicos unanimiter. De hac enim loquuntur Auctoritates: eademque reperitur in actibus etiam ceterorum hominum. Eadem denique juxta fidem requiritur ad meritum, uti ad demeritum; prout ex professo in *disp. de Merito* ostenditur, & contra *Iansenium* definivit *Innocentius X.* de fide autem est Christum verè nobis meruisse. Unde etiam est Conclusio de fide, intellecta de libertate indifferentiæ.

37. *Nec obstat actibus Christi*

Nec obstat libertati Christi omnium illius actuum præfinitio: hæc enim (si sit admittenda) non aliam intulit necessitatem,

fii æterna prædestinatio;

tem, quàm consequentiæ, & sensûs compositi. Quod similiter contigit in ceteris electis.

Multò minùs proprio-rum actuum clara præscientia.

Minùs obstat clara actuum propriorum præscientia: hæc enim erat naturâ posterior prævisâ Christi determinatione ad agendum.

38. Difficultas major est de visione beatifica quoad opera quæ erant in præcepto,

Magis obstare videtur visio beatifica, quæ Christum determinabat ad amorem ac amicitiam Dei, adeòque adimpletionem mandatorum; ex quo sequi videtur, ipsum non fuisse liberum in materia præcepta; adeòque juxta Doctrinam nostram non meruisse per passionem mortis ei præceptam: quod tamen non potest admitti. Difficultas hæc gravis est, in qua dissolvenda variè laborant Doctores Catholici.

Discutitur prima responsio.

Respondent Nonnulli, salvari libertatem Christi per hoc, quòd præceptum moriendi fuerit ad nutum ejus dispensabile. Sed hoc apparet gratis excogitatum, præter ordinarium morem præcipiendi, multumque diminuit rigorem præcepti, & rationem obedientiæ. Et potiùs sicut constat de absoluta voluntate divina ad liberandum & salvandum hominem lapsum, sic quoque supponenda videtur voluntas absolutè præcipiendi Christo, tum mortem, tum alia remedia salutis hominis lapsi, v. g. annuntiationem Evangelii &c.

39. Refellitur secunda responsio.

Alii respondent libertatem Christi in subeunda morte salvari per hoc, quòd Christus mortem liberè elegerit, naturâ saltem priùs, quàm ei à Patre præciperetur; immo petierit hujusmodi præceptum sibi imponi. Verùm non satis ita apparet meritum & libertas Christi in acceptatione præcepti vel mortis quatenus jam præceptæ, seu quomodò meruerit per actum obedientiæ. Permittendo enim aut etiam petendo tale præceptum sibi imponi, potius libertatem sibi abstulisset, ponendo se in statu, in quo ampliùs ei non foret indifferens agere & non agere. Sicut actiones stultorum aut ebriorum non sunt liberæ, etsi sibi stultitiam aut ebrietatem sponte procurassent. Prout nec amor beatorum per hoc fit liber, quòd illum quis liberè hîc per merita intendat & obtineat.

40. Affertur tertia responsio,

Quocirca *Suarez* & plures alii respondent Christum in materia præcepta fuisse liberum, si non quoad substantiam, saltem quoad circumstantiam loci & temporis, ac variæ motiva, ob quæ poterat præceptum implere. Similiter quoad actus reflexos, quibus impletionem operis Patri offerebat, quantumvis non fuisset præceptum, aut esto quòd potuisset illud vitare. Sed quia Christus etiam meruit per acceptationem mortis quoad substantiam, & meruisset, etsi mors secundùm omnes circumstantias singulares ei præcepta fuisset, idcirco si fieri possit, adstruenda potiùs videtur libertas in Christo etiam quoad substantiam ipsius mortis seu tolerantiæ ejusdem.

41. Allegatur quarta probabilis responsio.

Alii itaque respondent visionem beatificam non determinasse hîc in via Christum physicè ad amorem: sive quia Deus hujusmodi determinationem miraculosè suspendit propter exercitium libertatis & meritum in materia præcepta: sive (ut *Scotistæ* docent) quia visio ex natura sua non determinat physicè etiam alios Beatos ad amorem beatificum: cùm non sit principium illius, sed conditio applicativa objecti, infiniti quidem, finito tamen modo, juxta finitam capacitatem voluntatis creatæ: hæc autem sit essentialiter libera, habeatque subordinatum sibi habitum charitatis; adeòque videatur manere intrinsecè & physicè indifferens non obstante visione. Physica verò determinatio ad amandum si sit in Beatis, oritur ex physica prædeterminatione Dei; quæ potuit in Christo viatore ob finem nostræ redemptionis suspendi. Immo & hanc prædeterminationem, quæ intrinsecam indifferentiam auferat, plures *Scotistæ* non admittunt etiam in ceteris Beatis. Videturque modus hic de se facilis. Eligatur tamen magis gratus.

42. Impeccabilitas Christi non obstitit libertati in materia præcepta.

Non obstat denique quòd Christus ratione Unionis hypostaticæ fuerit impeccabilis, ut mox dicetur, adeòque non fuerit liber in materia præcepta ad agendum & omittendum. Dico enim, quòd spectatâ potentiâ intrinsecâ humanæ voluntatis potuisset Christus præcepta implere & non implere: quamvis ratione Unionis hypostaticæ is illi debebatur providentiæ modus, cum quo non posset peccatum consistere; ideoque ei provisum fuerit de tanta gratiarum congruarum abundantiâ, cum qua infallibiliter sciebatur impleturus præcepta. Quæ Christi impeccabilitas, quatenus divinæ providentiæ suberat, non tollebat illius in præceptis adimplendis libertatem. Estque id verum, quamvis Christus vi Unionis foret impeccabilis etiam de absoluta potentia, per hoc quòd implicet Verbum non impedire peccata naturæ sibi unitæ: sufficit enim, quòd debeat infallibiliter providere, ne umquam peccet natura sibi unita: hoc autem providere potest per media non præjudicantia indifferentiæ intrinsecæ voluntatis: cujus alioquin naturam Unio hypostatica non immutat, neque in eam influit.

43. Christus non peccavit.

DICO VI. *Christus peccatum non fecit*; ut dicitur 1. *Petri* 2. & alibi in Scriptura, Conciliis & Patribus passim contra *Calvinum*, qui horrendè blasphemavit Christum in cruce desperasse. Sed nec de ordinaria potentia peccare potuit, ut docent Patres & omnes Catholici.

Immo nec peccare potuit de ordinata potentia,

tholici. Idque in primis ratione Unionis hypostaticæ, cui debebatur talis gratiarum plenitudo, quâ non tantùm justificaretur, sed & in omni bono firmaretur. Deinde ratione beatitudinis, quam habuit ab instanti conceptionis. Denique ratione finis Incarnationis, qui est redemptio à peccatis.

44. *An Unio hypostatica faciat humanitatem etiam de potentia absoluta impeccabilem.*

Nihilominus Unio hypostatica non reddidit Christum de absoluta potentia impeccabilem; juxta *Durandum* & *Gabrielem*. Colligiturque ex *Scoto*, partim *d. 2. qu. 1. n. 9.* partim *d. 12. n. 2.* & sequuntur communiter *Scotistæ* contra plerosque alios, quorum Nonnulli temeritatis nimis temerè notant *Scotistarum* opinionem; quæ tamen spectatâ ratione est longè solidior.

Ratio id non satis ostendit.

Probatur: quia natura assumpta ex vi Unionis præcisè non redditur in se potentior, sapientior &c. sed ipsa ejusque potentiæ manent ejusdem rationis cum nostra natura & potentiis illius: neque sufficienter hactenus quisquam ostendit, quòd Deus absolutè loquendo teneatur aliud donum superaddere, aut eam exteriùs protegere, vel aliud facere, ne possit peccare. Confirmatur: quia nulla est physica oppositio inter unionem hypostaticam & omissionem alicujus præcepti aut volitionem objecti vetiti: cùm non sint in eodem subjecto, neque unio ipsa sit principium effectivum actûs peccato repugnantis, neque instar formæ voluntatem Christi, alioquin ejusdem rationis cum nostra, necessariò ad talem actum determinet sive ad non peccandum; immo non necessariò ipsa unio per intellectum proponatur voluntati, utpotè quæ posset ignorari absolutè loquendo ab eo qui unionem habet. Nil denique cum unione absoluta necessitate connexum id præstat. Accedit, quòd saltem non implicet humanitatem Verbo unitam peccando unionem amittere; sicut justi amittunt gratiam peccando. Et quàmvis ob hoc quidam excogitaverint humanitatem Christi productam esse per ipsam unionem hypostaticam, id tamen non satisfacit; cur enim repugnat humanitatem aliter produci, immo unioni præexistere? Tunc ergo non implicabit quod præmissum est. Quod si urgeat quis, etiam tunc operationem consequi suppositalitatem & unionem posteriùs naturâ. Contrà: cur implicat saltem humanitatem operari priùs naturâ quam uniatur?

45. *Patres quoque patiuntur explicationem.*

Nec obstant Patres objici soliti: quia satis possunt explicari de potentia ordinaria, & de impotentia peccandi moraliter. Quo modò faciliùs apparet libertas Christi in materia præcepta.

An tali casu Verbum diceretur peccare communicationem idiomatum.

Non obstat etiam, quòd sequi videatur Verbum posse peccare & esse peccatorem: nam hoc ratione communicationis idiomatum non deberet magis absurdum videri, quàm quòd nunc dicatur passum, immo mortuum: cùm tamen vita sit perfectio maximè Deo essentialis.

Culpa verè non redundaret in ipsum Verbum, aperiùs ostenditur.

Instabis, culpa humanitatis verè redundaret in Verbum, eò quòd hoc unitum humanitati in suppositi unitate deberet illam dirigere, & ne peccet impedire. Sicut obligatur rex impedire subditorum deordinationes, quæ alioquin ei imputantur; prout etiam voluntati imputatur inordinata appetitûs sensitivi, aliarumve potentiarum operatio. Resp. Neg. Ass. Ad probationem dico, non aliter obligari Verbum impedire peccatum humanitatis ei unitæ, quàm obligetur Deus Pater aut Spiritus sanctus: obligatio enim cadens in divinam Christi voluntatem debet, uti ipsa voluntas, esse communis tribus personis. Quare non aliter tenetur impedire, quàm peccata aliarum creaturarum, scilicet per præcepta, comminationes, consilia &c. Esto speciali obligatione ex lege, contractu vel officio teneretur Superior impedire peccata subditorum. Similiter voluntas obligatur regere ceteras potentias sibi subjectas, quæ non habent distinctam libertatem, & fundantur in eadem natura rationali; quàm ut sic consequitur obligatio vitandi peccatum in se & suis potentiis: quod non nisi per voluntatem tamquam principium liberum fieri potest. In Christo autem sunt duæ totales naturæ, singulæ liberæ, & singulas (non autem suppositum ut sic) consequitur proportionata obligatio; adeòque peccatum naturæ humanæ non redundaret in divinam, etsi in unitate suppositi conjunctam.

Ex prædicta opinione *Scotistarum*, colligi potest à fortiori, posse cum Unione hypostatica consistere de potentia absoluta peccatum habituale, quod v. g. antea commisisset humanitas tempore præexistens prout præexistere potuisset. Alii tamen consequenter docent implicare, ut unio hypostatica sit in subjecto, quod non sit aut hoc ipso quod uniatur Verbo non fiat gratum Deo.

QUÆSTIO IV.

De Merito voluntatis Christi.

§. I.

An & per quos actus Christus meruerit?

46. *Christum per humanæ voluntatis*

DIco I. Christus ejusve voluntas humana verè & propriè meruit. Est de fide. Patet ex *Isaiæ* 53. *Vers.* 10. & 11. *Ad Rom.* 5. *Vers.* 18. *ad Philipp.* 2. *Vers.* 9. Idem patet ex

operationes propriè meruit.

ex *Trid. sess. 6. cap. 7.* ubi Christus dicitur causa meritoria nostræ justificationis. Denique ex conditionibus meriti, quæ actibus Christi perfectissimè conveniunt.

47. Etiam per actus amoris Dei, ac virtutum moralium, immo per quoslibet liberos,

Dico II. Christus meruit per actum dilectionis tam Dei quàm proximi, per actus virtutum moralium etiam præceptos, immo per quoslibet actus liberos. Ratio generalis est: quia omnibus illis potuerunt convenire conditiones meriti: cùm actus etiam præcepti essent Christo liberi: actus quoque virtutum moralium aut ex objecto indifferentes dirigerentur à Christo per virtutem supernaturalem ad gloriam Patris. Immo etiam hoc secluso videntur actus in se honesti, etsi fortè naturales, (secus foret de indifferentibus ex objecto & fine) fuisse in Christo meritorii, Unione hypostaticâ seu dignitate personali supplente actus supernaturalitatem: sicut etiam dignitas personæ æqualem valorem omnibus actibus, etsi alioquin in se inæqualiter perfectis conciliavit. Vide *Suarez disp. 39. sect. 2.*

48. An per actum fruitionis beatificæ, problematicè disputatur,

Solùm est difficultas de actu dilectionis Dei, qui consequens visionem beatificam juxta plerosque Doctores non erat liber à necessitate, adeòque nec meritorius. Et quamvis liber foret, adhùc videtur posse dubitari, an in Christo fuerit meritorius: eò quòd etsi is foret viator, actus tamen ille non competeret ei quà viatori, sed quà comprehensori. Suppositâ tamen libertate ex parte operis, non improbabiliter ei posset concedi vis meritoria, dicendo ad hoc sufficere, ut in operante simpliciter reperiatur status viæ, etsi alioquin actus ipse ad viam non pertineat. Unde ad hoc inclinat *Scotus d. 18. n. 9.* Ac *n. 10. in fine* movens dubium, *an fruitio respectu Verbi in se* seu ipsius Deitatis *sit actus meritorius, vel actus ille ut tendit in objecta alia relucentia in Verbo*; Respondet: *posset dici, quòd utroque modo, & maximè ut actus tendit in alia objecta à Deo visa & dilecta ibi*; in qua tendentia clarius apparet libertas. Tandemque concludit: *Eligatur via magis grata.* Itaque si quis eligere malit, Christum non meruisse per amorem beatificum ut sic, adhuc dicere posset cum Doctoribus passim ipsum meruisse per actum saltem actum amoris Dei, sive naturalem (ut vult *Præpositus*) sive supernaturalem, quo volebat Deo bona extrinseca, v. g. laudem creaturarum &c. (ut vult *Lorca*) aut certè supernaturalem, qui consequebatur scientiam Christo infusam in proprio genere, adeo ut tum duplex notitia, tum duplex Dei amor supernaturalis in Christo fuerit ut *Suarez sup.*

§. II.

Quo tempore, & quid sibi meruerit?

49. *Meruit juxta ab instanti conceptionis inclusivè usque ad instans mortis exclusivè, si sit extrinsecum; aliàs etiam inclusivè.*

Dico III. Christus meruit toto tempore vitæ mortalis, scilicet ab instanti conceptionis usque ad instans mortis. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia isto tempore duravit in Christo status viatoris ad meritum requisitus; nec aliquid etiam in somno effluxisse sine meritis, satis persuadet Christi perfectio. Deinde toto tempore præfato habuit potentias expeditas, & à phantasmate independentes, ac in operando insatigabiles. Unde etiam meruit in ipso instanti conceptionis, in quo utique habebat potentias expeditas & principia merendi. De ipso instanti mortis dicendum, quòd Christus in illo meruerit, si sit vitæ intrinsecum; non meruerit, si extrinsecum: de quo Philosophi variant, nec sacri Doctores fuerunt solliciti, dum Christum asserunt per mortem nobis meruisse.

50. *Non meruit proinde per susceptionem vulneris lateralis.*

Unde nec meruit Christus per vulnus laterale, utpote juxta textum Scripturæ & *Clementinam unicam de summa Trinit.* inflictum post mortem: sed meruit per liberam illius prævisi in vita acceptationem, suique oblationem ad illud post mortem sustinendum. Et hoc modo explicari potest *Leo Papa Epist. 4. cap. 6. Ambrosius l. 10. in Lucam cap. 23.* Et quod canit Ecclesia, Christum *vulneratum mucrone diro lanceæ*, atque *ut nos lavaret crimine* seu sordibus criminum, *manasse undâ & sanguine.* Scilicet quòd susceptio istius vulneris fuerit meritoria objectivè, non formaliter. Vel etiam explicari posset de significatione mystica aquæ & sanguinis, quæ ex latere Christi effluxerunt, quod significarent duo principalia Sacramenta, Baptismi & Eucharistiæ: quibus tamen efficaciam constat esse collatam ex merito & passione Christi viventis.

51a

Dices: Christus etiam nunc orat sive interpellat pro nobis; ut dicitur *ad Rom. 8. ad Heb. 7. & 1. Joan. 2.* quidquid *Vasquez* illas Scripturas ad sensum improprium detorqueat, existimans Christum nunc tantùm interpretativè pro nobis orare, quatenus sanguis & vulnera sunt patri præsentia, eumque ad misericordiam flectunt. Ex hoc autem sequi videtur, eum etiam post mortem mereri, scilicet exauditionem. Resp. admisso Antec. Neg. Conseq. quia Christus in via meruit, ut in cælo orans semper exaudiretur. Alioquin oblatione corporis sui omnia (adeòque & meritum) consummavit, juxta Apostolum *ad Hebr. 10.* Quòd si quis vellet oratio-

Etiam in cælo propriè orat pro nobis, citra novum meritum.

nem sumere ; ut significet manifestationem desiderii ad obtinendam rem , cujus collatio non est in potestate physica vel morali petentis seu desiderantis , rectè sequeretur Christum in cælo non orare. Sed gratis ita sumitur. Et alioquin juxta hunc sensum Christus nequidem in terris orasset.

52. *Non meruit gloriam essentialem aut gratiam.*

Dico IV. Christus non meruit visionem vel fruitionem beatificam, aut gratiam sanctificantem , aliave principia ad dictos actus requisita : bene tamen gloriam corporis , nominis sui exaltationem, resurrectionem, ascensionem,ac januæ cælestis reserationem. Quò etiam pertinent dotes corporis gloriosi , potestas judicis, exaltatio nominis per testimonia in baptismo ac transfiguratione &c. Ita communiter Doctores.

Prima pars contra Nonnullos probatur:quia alioquin debuissent in Christo aliqui actus præcedere , quibus ista meruisset: sed hoc non contingit; cùm isti actus, utpotè perfectissimi , fuerint omnium primi : maximè cùm equidem oportuisset alios actus , qui præcessissent , datos esse sine merito , ne alioquin procedatur in infinitum : quare congruebat , ut primi omnium inessent sine merito , qui erant perfectissimi , & Christo equidem connaturaliter quasi debebantur. Ex quo idem patet de visionis & fruitionis principiis , quæ adhuc minùs debuerunt cadere sub meritum. Et de gratia sanctificante est speciale, quòd sit principium meriti etiam in Christo , adeòque juxta commune axioma non cadat sub meritum. Alioquin non apparet repugnantia in hoc, quòd Christus meruisset gloriam essentialem , si videlicet priùs naturâ elicuisset actum amoris consequentem scientiam abstractivam Dei , & dependenter ab illo seu ob illum obtinuisset eodem instanti temporis , sed posteriori instanti naturæ , gloriam essentialem : non enim requiritur temporalis antecessio meriti ad præmium , sed sufficit prioritas naturæ. Immo & ipsam gratiam de absoluta potentia mereri potuisset per hujusmodi actum , suppositâ scilicet priùs naturâ ipsâ Unione hypostaticâ, quæ volente Deo sufficere potuisset ad meritum condignum ex parte operantis , etiam abstrahendo à gratia habituali.

Quòmodo oppositum non fuerit impossibile.

53. *Meruit tamen sibi gloriam corporis, exaltationem nominis &c.*

Secunda pars est contra *Calvinum* & alios Hæreticos , qui dicunt Christum nihil sibi, sed totum nobis meruisse. Probatur ex Scriptura , junctâ præsertim Patrum Expositione , *Luc. ult. Nonne hæc oportuit pati Christum , & ita intrare in gloriam suam? Ad Philipp. 2. Humiliavit semetipsum &c. Propter quod & Deus exaltavit illum &c. Ad Hebr. 2. Videmus Iesum propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum.* Et alibi. Ratio est : quia Christus prædicta non habuit ab initio; ergo potuit , adeòque decuit ipsum illa mereri:quamvis enim utcumque deberentur ex vi Unionis hypostaticæ , nobiliùs tamen erat quòd simul debecentur ex merito ea , quæ ab initio seu ante omnia Christo inesse non congruebat ob bonum nostrum.

Neque ut hoc simpliciter dicatur mortuus pro se ipso.

Nec tamen ideo Christus simpliciter dicitur mortuus pro seipso: id enim simpliciter sonat redemptionem sui per passionem: quod competit solis hominibus in statu naturæ lapsæ. Quamvis secundariò sicut pro seipso merita obtulit, sic & pro se ipso mortuus quodam modo dici queat.

54. *Cur Scotus dicat Christum sibi meruisse gloriam corporis indirectè.*

Subtiliter autem observat *Scotus d.* 18. *q.* 1. *n.* 15. & crassè satis à *Suarez* & aliis censuratur (ut ait *Cavellus ibid. in Scolio*) Christum meruisse sibi gloriam corporis indirectè , quatenus meruit amotionem impedimenti , ut sic redundaret gloria animæ in corpus , cùm gloria corporis ab initio debita , & miraculosè ob nostrum bonum tantùper suspensa fuisset : ob quod *Scoto* visum fuit Christum potiùs directè meruisse desitionem miraculi prohibentis redundantiam gloriæ in portionem inferiorem & in corpus.

§. III.

An & quid Christus meruerit Angelis ?

55. *Meruit Christus Angelis gratiam & gloriam.*

Dico V. Christus valde probabiliter meruit gratiam & gloriam etiam Angelis , adeòque gratiam Adamo & Hevæ in statu innocentiæ. Ita *Scotistæ* passim cum *Ruardo Tappero , Suarez disp.* 42. *sect.* 1. *Valentia* & multis Recentioribus quos refert & sequitur *Tannerus disp.* 1. *q.* 6. *nu.* 178. contra Doctores communius ut refert & sequitur *Smising Tract.* 3. *de Deo Uno disp.* 6. *num.* 663. *& seqq.* Probatur Conclusio: quia suppositò quòd Incarnatio quoad substantiam fuerit prædestinata ante peccatum , immo ante omnes creaturas (ut suprà dictum est) facillimè explicatur, quomodo Christus potuerit mereri gratiam & gloriam etiam Angelis : nam quando Angeli sunt prædestinati ad gratiam & gloriam , jam supponebatur Christus ad illa prædestinatus , adeòque simili facilitate prædestinata erant merita Christi independentia à passibilitate carnis : ob quæ proinde Angelis prædestinata est gratia, immo etiam gloria , saltem in executione; id exigente dignitate Christi omnium capitis. Confirmatur : quia alioquin Christus valde imperfectè foret caput Angelorum , ob exiguum in illos influxum,scilicet accidentalis gloriæ & gaudii : quod tamen in illos etiam influit B. Virgo, quæ equidem non dicitur caput Angelorum, quan-

quantumvis sit illis dignior. Favet præterea S. Cyrillus in illud *Isaiæ* 54. *Lætare sterilis quæ non paris*, dicens de Christo servatore: *Quem si quis quasi agricolam omnis creaturæ ratione præditæ dicat, à verò neutiquam aberrabit. Per ipsum enim omnis fructificatio spiritualis, tum in sanctis Angelis, tum in nobis ipsis insita est.* Favet etiam *B. Laurentius Iustinianus Serm. de Assump. B. Mariæ* dicens de eâ super omnes Angelos exaltatâ, quòd horum *nemo invidebat illi ..... fructus quippè ventris Mariæ totam civitatem illam fundaverat sanctitate*

56. *Varia Objiciuntur.* Dices *Matth.* 18. & *Lucæ* 15. Christus comparatur Pastori, qui relictis ovibus 99. in deserto, hoc est (ut plerique veteres Patres explicant) novem Choris Angelorum in cælis, quæsivit ovem centesimam, quæ perierat, scilicet genus humanum. Deinde *ad Hebr.* 2. dicitur: *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes*, id est, sunt omnes ejusdem naturæ, seu ex una natura, ut explicat *Sasbouht.* Denique juxta Patres, signanter *Augustinum Enchirid. c.* 61. *pro nobis, non pro Angelis mortuus est Christus.* Nullis autem meruit, nisi pro quibus mortuus est: nam etsi meruerit etiam per actus præcedentes, debebat tamen omne meritum in morte & passione consummari, non tantùm terminativè, sed quasi causaliter; quia inde ex Patris pacto trahebat suum complementum, sic ut alioquin saluti nostræ non fuisset proficuum.

57. *Explicatur parabola de ove centesima.* Ad I. Resp. cum *Iansenio* & *Maldonato* parabolam sic posse explicari, ut per 99. oves intelligantur homines justi, per centesimam homo peccator; quem non solùm generaliter, sed etiam particulariter bonus Pastor quæsivit, sic ut non tantùm de salute humani generis, sed etiam singulorum peccatorum fuerit sollicitus. Deinde per 99. oves cum variis Patribus intelligendo Angelos, adhuc bene quadrat parabola, quia non propter Angelos venit in carne passibili, sed propter peccatum generis humani; quamvis cùm sit Pastor etiam Angelorum, eos quoque pascat gratiâ & gloriâ.

Explicatur locus Apostoli ad Hebr. 2. Ad II. Resp. (omissa explicatione minùs litterali sub ly *Ex uno* intelligendum *Deo*) Apostolum & similes Scripturas agere de sanctificatione reconciliativa, quia Christus non Angelos sed homines redemit. Significat enim eum qui sanctificat & illos qui sic sanctificantur debere esse ejusdem naturæ iisdem miseriis obnoxiæ, ex voluntate nimirum Patris æterni, qui congruè voluit filium, veluti miserorum redemptorem per miserias & calamitates crucisque sacrificium pro peccatis offerendum constituere ceterorum redemptorem; ut patet ex contextu, & interpretatur *Sasbouth ibidem.*

Meritum Christi quo Ad III. Resp. Christum quidem non meruisse gratiam reconciliativam, nisi pro quibus est mortuus, & hanc dependisse consummativè à morte Christi, ut in objectione dicitur: gratia tamen simpliciter sanctificativa, & à peccato independens, quæ Angelis competit, non dependebat à morte Christi aut passibilitate carnis; uti nec ipsa Incarnatio quoad substantiam. *sensu à morte & passione dependeris.*

§. IV.

Quid Christus meruerit hominibus lapsis?

58. *Meruit hominibus lapsis omne donum salutare.* DIco VI. Christus meruit hominibus lapsis gratiam & gloriam, remissionem peccatorum & omnia alia dona gratiæ, quæ post lapsum primi hominis conferuntur tam reprobis quàm electis: immo etiam omnem dispositionem ad justitiam, omniaque auxilia & media ad illam. Est communis Theologorum: immo ex diversis Scripturis & Conciliis de fide; exceptâ fortè ultimâ parte, ob auctoritatem quorumdam (ut refertur) eam negantium.

Probatur generaliter: Probatur in primis generaliter ex Apostolo *ad Ephes.* 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et hinc quidquid salutare petit Ecclesia, petit per Dominum nostrum Jesum Christum; ut ex Collectis & Orationibus Ecclesiæ est apertum.

Deinde specialiter de remissione peccatorum, De remissione peccatorum & consequenter pœnarum (quarum remissio pertinet ad perfectam remissionem peccatorum) patet ex *Matth.* 26. *Qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Apoc.* 1. *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et alibi.

De gratia sanctificante, Hinc idem patet de gratia sanctificante, seu habituali; sine qua peccatorum non fit remissio. Et ex *Trid. sess.* 6. *cap.* 7. docente Christum esse causam meritoriam nostræ justificationis; justificatio autem partim est peccatorum remissio, partim gratiæ infusio juxta *Tridentinum sup.*

De gloria, Ex quo idem patet de gloria, ad quam per gratiam acceptamur. Unde est vulgatum & certum apud omnes Christum januas cæli aperuisse. Consonat etiam Apostolus *ad Rom.* 5. *v.* 1017. & 21. & 2. *ad Timoth.* 1. & *Tridentinum sup. c.* 16.

De auxiliis quæ conferuntur justis, & de operibus meritoriis, De auxiliis prævenientibus, quibus justi ad bona opera excitantur, adjuvantur & proteguntur, colligitur ex *Tridentino sup.* ubi idem patet de operibus meritoriis.

De satisfactione. De satisfactione, quòd sit per Jesum Christum, & ex illo docet *Tridentinum sess.* 14. *cap.* 8.

59. *Denique de prima gratia vocante* De vocatione atque adeò aliis dispositionibus & auxiliis ad justitiam patet ex 2. *ad Timoth.* 1. *Vocavit nos vocatione suâ sanctâ secundùm gratiam quæ data est nobis in Christo*

ceteris dispositionibus ad justitiam.

stio Iesu, id est, per Christum Jesum. Idem clarè patet ex *Milevitano can.* 4. *Arausicano can.* 25. *Tridentino sess.* 6 *cap.* 5. ubi ait: *Ipsius justificationis exordium à Dei per Iesum Christum præveniente gratiâ sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione &c.* Ratio conclusionis est, quòd hæc omnia penitùs in Adamo amiserimus; ergo fuerunt restituta per Christum, ne magis in nos abundet Adæ peccatum; quàm gratia tanti Redemptoris, in quo omni benedictione spirituali sumus benedicti, juxta Apostolum *ad Ephes.* 1.

Dices: *Eâ gratiâ fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus*, ut ait *August. lib. de Prædest. SS. cap.* 15. Sed hæc absque ullo merito, etiam alieno, factus est Christus: ergo similiter absque omni merito, etiam Christi homo fit Christianus. Resp. Neg. Con. *Augustinus* enim inter Christum & Christianum comparationem instituit in hoc, quòd sicut ille absque proprio merito factus est Christus, ita & hic Christianus. Idque contra *Pelagianos* eorumque Reliquias constituentes initium salutis cujusque in propriis, adeòque naturæ meritis. Non autem negat initium salutis fundari in meritis alienis seu gratiâ Christi. Immo etiam purus homo potest alteri de congruo promereri primam gratiam conversionis ad fidem.

Neque oppositum indicat S. Augustinus.

60. *An prima electio ad gloriam & gratiam sit ex merito Christi.*

Petes, An Christus meruerit nobis gratiam & gloriam tantùm secundùm ordinem executionis, an verò etiam secundùm ordinem intentionis: hoc est an prima electio sit facta ex meritis Christi. Quæstio hæc difficultatem non habet in sententia illorum, qui censent primam electionem efficacem ad gloriam esse ex præviſis meritis, & perseverantiâ finali, adeòque etiam ex merito Christi. Qui proinde præter electionem, quam vocamus secundùm ordinem executionis, non admittunt aliam efficacem ad gloriam secundùm ordinem intentionis; sed simpliciter dicunt electionem ad gloriam esse ex meritis Christi. Suppositâ autem electione ad gloriam ante prævisionem meritorum, hanc quoad ordinem intentionis non procedere ex meritis Christi, censet *Smising Tr.* 3. *d.* 6. *num.* 633. excipiens gratiam quæ involvit ordinem ad peccatum, v. g. pœnitentiam de peccato, quæ cùm supponat prævisionem meritorum Christi, videtur esse primò ordinata ex ejusdem meritis. Oppositum equidem est asserendum. Sic enim maximè apparet, quomodo Deus Pater benedixerit nos in Christo omni benedictione spirituali; qualis indubiè & valde magna est electio ad gratiam & gloriam. Deinde Christus fuit prædestinatus ante omnes alios, & in illo signo priori poterant futura illius merita prævideri, & consequenter ob hæc homines ad gratiam & gloriam eligi; quod proinde factum esse suadet Christi dignitas, & major inde in nobis ad ipsum resultans subjectio & obligatio: sicut ideò eo de gratiâ præsupponente peccatum hoc ipsum fatetur *Smising*, qui alium statuit ordinem decretorum Dei. Quòd si electio non præsupponat præscientiam lapsûs, adeòque sit prior decreto de mittendo Christo in carne passibili ad patiendum, constat ipsam non posse esse factam ex meritis passionis, utpote necdum absolutè prævisæ, sed ex meritis prævisis independenter à passibilitate carnis.

Resolvitur quòd sic,

Intelligitur autem hæc Doctrina de electione absoluta, quatenus scilicet merita Christi prævisa fuerunt ratio, ob quam Deus aliquos elegerit; esto non sint ratio electionis comparativæ, seu cur hos potiùs quàm illos elegerit. Sicut si miles bene meritus offerat Regi sua merita, ut alicui ex suis aliquam dignitatem conferat; venit quidem ex voluntate Regis, quòd hunc potiùs filium vel nepotem, quàm alios ad illam eligat: tamen verissimè dicitur, quòd Rex voluerit huic filio benefacere propter merita istius patris militis. Quam Opinionem sic intellectam non improbat *Cavellus d.* 19. *n.* 9. *in Scholio*, addens tamen, quòd isti potiùs sint electi quàm illi, non oriri ex humana Christi voluntate, sed divinâ, quâ humana regulanda venit, & non è contrâ. Consentit etiam *Wiggers q.* 19. *dub.* 14. eò quòd non ideo hos præ aliis elegerit Deus, quòd prævideret Christum humanâ voluntate hos magis dilecturum: potiùs enim Christus è contrà in tempore fecit. Noviſſimè tamen *Poncius disp.* 38. *q.* 7. censet electionem etiam comparativam horum præ illis esse ex meritis Christi.

61. *Loquendo de electione absoluta non comparativâ.*

§. V.

An Christus meruerit & satisfecerit ex rigore Iustitiæ commutativæ?

62. *Christus non meruit ex rigore justitiæ commutativæ.*

Dico VII. Christus non meruit ex rigore justitiæ commutativæ. Ita Doctores plurimi contrà varios Recentiores. Ratio est, quòd Deus non sit capax talis justitiæ in ordine ad creaturam, quasi hæc per aliquod opus suum posset sibi Deum obligare stricto jure ad aliquid præstandum; idque ob supremum & inabdicabile dominium, & jus Dei super omnes creaturas, earumque jura. Vide dicta. *Tr. de Deo Uno disp.* 7. *qu.* 7. *nu.* 58. & 59. Immo seclusâ liberali acceptatione Dei Patris nulla poterat exurgere obligatio mercedis seu præmii, quantumvis supponatur valor operum Christi infinitus. Potuisset namque Pater illa exigere alio titulo, v. g. supremi dominii.

Indignis liberali acceptatio Dei Patris ad hanc obligandis.

nii. Et hoc seculo, adhuc ab independentiam, summam à quibusvis rei creatæ actionibus, & harum ab ipso dependentiam, non potest ullatenus ligari, nisi volens. Tunc autem potiùs ligatur à se ipso; ratione scilicet immutabilis veracitatis, non ratione stricti contra se juris in creatura existentis. Ut proinde Varii negent Deum fieri nobis debitorem. Quamquam id pertineat ad quæstionem de nomine, in qua rectissimè loquimur cum *S. Aug. Serm. 16. de Verbis Apostoli: Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo.*

63. *Neque etiam de rigore justitiæ pro peccatis nostris satisfecit.*

Dico VIII. Christus ex rigore justitiæ non satisfecit pro peccatis nostris, seu non solvit ex rigore justitiæ debitum nostrorum peccatorum Ita Doctores passim; etsi plures contradicant. Creditor namque tenetur rigorosâ satisfactione esse contentus eo ipso, etiam sine pacto prævio; quod in Deo non habet locum, qui non tenebatur satisfactionem Christi acceptare. Deinde debitum peccatorum est personale, adeoque in rigore debuisset satisfacere ipse reus qui peccavit: ergo gratia fuit, quòd admissa sit alterius satisfactio. Tertiò potuisset satisfactio Christi à Deo acceptari alio titulo v.g. dominii universalis; ergo gratia est, quòd non sic acceptaverit, sed permiserit computari in solutionem debiti personalis alieni. Quàmvis autem hâc voluntate suppositâ, non potuerit Deus non acceptare in solutionem, non sequitur abfuisse gratiam: cùm satisfactio rigorosa debeat fieri de talibus, quæ debeant in solutionem admitti. Alioquin suppositâ etiam voluntate gratuitò condonandi peccata, non potest ex justitia Deus quid aliud exigere; & tamen ista extinctio debiti ab omnibus censetur gratiosa. Considerando equidem dignitatem pretii redemptionis nostræ secundùm se, & aliundè debitum peccati, pretium longè excedit debitum; ut Patres exaggerant, signanter *Chrysostomus Homil. 10. in Epist. ad Rom.* ubi id declarat exemplo ejus, qui proximo ob debitum decem talentorum offerret innumera auri talenta. Et *Basilius* in illud *Psal. 48. Frater non redimit, redimet homo*, dicens: *Inventum unum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus & omni pretiò superior sanguis Domini nostri.* Unde *Psal. 129.* dicitur: *Copiosa apud eum redemptio.* Et *1. ad Cor. 6. Empti estis pretio magno.* Et *Clemens VI. Extrav. Vnigenitus, De pœnitentiis & remiss.* dicit, quòd *gutta sanguinis modica propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani sufficisset.* Verùm hæc superabundantia pretii non excludit gratiam, quæ aliundè in satisfactione Christi intervenit, eamque facit non esse ex toto rigore justitiæ, ut ostensum est.

Ratio.

Quo sensu Christi satisfactio sit ex justitia, immo superabundans.

64. *An merita*

Ex his rursum oritur alia quæstio, an opera seu merita Christi fuerint infiniti valoris? in qua est duplex Sententia. Prima *D. Thomæ* & plerorumque aliorum docentium fuisse secundùm se & simpliciter infiniti valoris, idque ob ipsam infinitam personæ seu suppositi dignitatem. Et huic Sententiæ non parum favent præmissæ & nonnullæ aliæ Auctoritates. Secunda Sententia est *Scoti dist. 19. n. 7.* & *in Report. ibid. nu. 7. Gabrielis, Almaini, Joannis Medina*, & *Scotistarum* communiter id negantium. Quam *Scotus sup. in Reportatis* explicans ait: *Meritum Christi fuit quasi infinitum, non tamen formaliter infinitum, sed ut infinitè acceptatum, quia pro infinitis; quod non fuisset, si fuisset purus homo: quia infinitum acceptavit propter infinitatem personæ merentis* Acceptatum, inquit, pro infinitis scilicet quoad sufficientiam; pro solis tamen electis quantùm ad efficaciam respectu gloriæ. Ratio est: nam opera Christi propriè erant ipsius humanitatis, denominativè autem ipsius personæ: at humanitas ceteraque principia operum Christi erant finita, adeoque & ipsa opera. Neque apparet, quòd cùm personalitas non reddat ipsam humanitatem Christi in se infinitam, faceret infinitas in se actiones humanitatis. Neque dignitas personæ communicat se totam effectui, ad quem extrinsecè se habet: quemadmodum dignitas objecti, etsi conferat ad augendam dignitatem actûs, non tamen dat actui tantam dignitatem, ut si objectum sit infinitum, etiam actus sit infinitè dignus. Qui autem hanc opinionem sequi maluerit, dicere poterit, non ampliùs, quam præmissum est, requiri ad verificandas Auctoritates quæ sonant meritum Christi pro mille aliis mundis sufficisse; item Christum comparasse nobis infinitum thesaurum, de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum propter infinita Christi merita, ut ait *Clemens VI. Extrav. Vnigenitus, De Pœnit. & remiss.* nam hæc omnia satis verificantur per infinitatem secundùm quid & extrinsecam ex acceptatione Dei.

Christi sint infiniti valoris in se & simpliciter, an verò extrinsecè & secundùm quid.

§. VI.

De Universalitate meritorum Passionis Christi, An scilicet Christus pro omnibus hominibus & singulis Sanguinem suum fuderit?

69. PAULÒ fusiùs tractanda est difficultas hisce temporibus specialiter agitata, de generalitate meritorum mortis & passionis Christi, an scilicet sint à Christo oblata & à Patre acceptata pro redemptione & salute omnium hominum, an vero solorum electorum. Posterius enim effutire non sunt veriti *Calvinus, Beza* & alii recentiores hæretici. Ad quorum dogma incautè ac-

Hæretici recentiores negant

Christum esse mortuũ pro salute reproborum.

cessit *Jansenius l.3. De grat. Christi Salvat. c.21.* ubi inter alia censet inhærendo principiis *Augustini, quòd Christus pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æternâ salute mortuus non sit, nec sanguinem fuderit, nec semetipsum redemptionem dederit, nec Patrem oraverit; immo non magis pro æterna liberatione ipsorum quàm pro diaboli deprecatus fuerit.* Nec tamen hi dubitant, quin mors Christi in se fuerit sufficientissima pro redemptione omnium omnino hominum, immo dæmonum; sed negant illam fuisse pro omnibus ex parte Christi oblatam, at pro salute dumtaxat electorum: quod tamen requireretur ad hoc ut Christus dici posset mortuus pro salute reproborum, ne alioquin etiam pro diabolo mortuus dici queat. Quod ipse *Jansenius suprà* rectè observavit, dicens, quòd ipsa phrasis, quâ quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare, præ se ferre videatur redemptionem ex redimentis animo in usum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi. Quod rectè declarat *Smising tract. 3. De Deo uno disp. 6. n. 175.* & planè ex communi loquendi modo satis constat.

Quo sensu.

66. *Asserunt indubitanter Catholici.*

Itaque indubitata omnium Catholicorum doctrina habet, Christum pro omnium & singulorum salute sanguinem fudisse & mortuum esse. Ita declaravit *Innocentius X.* in Bulla contra quinque propositiones *Jansenii*; de quarum quintâ sic censet: *Quintam, Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse; falsam, temerariam & scandalosam: & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Idem antea manifestè tradiderat *Tridentinum sess. 6. cap. 3.* dicens: *Verùm etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Non pro solis igitur electis (quibus omnibus utique meritum passionis Christi communicatur cum effectu) sed etiam pro reprobis Christus mortuus est. Neque etiam pro iis tantùm reprobis, qui ad tempus justificantur, adeoque beneficium mortis Christi, scilicet justificationem, de qua ibi sermo, recipiunt; sed pro omnibus omnino. Nam ly *omnes* capitur distributivè pro singulis generum in priori loco; uti constat pro singulis generum sumi in posteriori loco, dum dicitur, *non omnes tamen &c.*

Idem declarat Innocentius X.

Post Tridentinum.

67. *Idem quoque tradit Scriptura,*

Eadem doctrina manifestè traditur in Scriptura, uti ad litteram sonat, & à Patribus orthodoxis constanter fuit intellecta. *Ad Hebr. 2. Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. 1. ad Timot. 2. Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 2. ad Corint. 5. Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus.* Ubi Apostolus mortem spiritualem omnium & singulorum infert ex morte Christi pro iisdem. Et *ad Rom. 8. Proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum. 1. Joan. 2.* omnes & singuli peccatores excitantur ad fiduciam ex universali propitiatione seu redemptione his verbis: *Sed etsi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Huc etiam facit illud *1. ad Cor. 8. Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Supponit igitur Apostolus contingere, ut pereat, adeoque reprobus sit, propter quem Christus mortuus est. Idem supponitur *2. Petri 2. Eum qui emit eos* (pretio scilicet sanguinis sui) *Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem.*

68. *Et Patres.*

His Scripturis consonant unanimiter Patres. *Nazianzenus Orat. ad Arianos* ait: *Quarum* (Christi passionum) *operâ omnes citra ullam exceptionem instaurati sumus, qui ejusdem Adam participes fuimus versutâque & captiosâ serpentis oratione circumventi &c. Ambrosius Serm. 8. in Psal. 118. Mysticus sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat; non ideo sol non est ortus omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit: sed quod solis est, prærogativam suam servat; quod imprudentis est communis à se gratiam lucis excludit. Hieron. Epist. 83. ad Oceanum,* initio: *Mittitur,* inquit, *Joannes Baptista, & digito Christum & voce demonstrans, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: si sunt adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit. Leo Papa serm. 1. De Nativit. Domini: Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.*

69. *Clarissime que S. Augustinus opposita doctrina & calumnia impositâ S. Propter rum vindicat.*

Ad *Augustinum* quod attinet, is quidem omnium clarissimè (quidquid Adversarii reclament) doctrinam Catholicam tradit: adeò ut inter *ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia, interque impias profanasque opiniones* doctrinæ Augustinianæ falsò ab ejusdem adversariis adscriptas, quæ *diabolico certamini indiculo* (ut loquitur *Prosper in Præfat. respons. ad object. Vincent.*) primo loco statuantur hæc: *Quòd Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.* Eamdem calumniam ab *Augustino* repellit *Prosper in Resp. 9. ad Cap. Gallorum.* Contradictoria proinde propositio est *Augustini*, scilicet, quòd Christus pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.

70. *Addu varia Augu*

Hanc porrò tradit *Enarrat. in Psal. 95. sub finem,* ubi ait: *Judicabit orbem terrarum in æquitate: non partem, quia non partem emit: totum* (utique omnes & singulos) *judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Et *l. 2. De Symbo. ad Catech. c. 8.* inducit Judicem ad impios dicen-

centem inter cetera : *Ecce Deum & hominem, in quem credere noluistis. Videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis: quoniam & per vos & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Et *serm.* 67. *De temp.* recensitis pluribus Christi beneficiis, addit loquens in ejusdem Judicis personâ peccatoribus : *Cruci affixus, vulnere perfossus, ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi..... suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem : suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres : conditus jacui in sepulchro, ut tu regnares in cælo. Cur quod pro te pertuli perdidisti? Cur ingratè redemptionis tuæ munera renuisti? &c. Cùm essem impassibilis pro te pati dignatus sum: sed tu despexisti in homine Deum, in infirmo salutem &c.* Et *Serm.* 114. *de temp.* ait : *Hodie Dominus noster in statera crucis pretium nostræ salutis appendit, & unâ morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator absolvit. Indubitanter enim credamus, quòd totum mundum redemit, qui plus dedit quàm totus mundus valeret.*

Idem *Augustinus* contra *Pelagianos* variis locis urget ex Apostolo 2. *ad Corinth.* 5. omnes esse mortuos spiritualiter ex morte Christi pro omnibus ; ut 20. *de Civit. c.* 6. dicens : *Omnes itaque mortui sunt in peccatis nemine prorsus excepto, sive in originalibus, sive etiam voluntate additis..... & pro omnibus mortuis, vivus mortuus est unus* : & *l.* 6. *contra Jul. c.* 9. *Apostolus dixit, unum fuisse in quo omnes peccaverunt. In illo uno mortui sunt omnes, ut moreretur alius unus pro omnibus. Unus enim pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est. Nega igitur Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum.*

71. *Accedit multiplex ratio Theologica, prima.*

Prædictis accedit multiplex ratio Theologica. Nam in primis non solùm electi, sed & reprobi debent credere & recitare Symbolum fidei; quod, ut in *Synodo Nycæna* editum est, ita sonat: *Credimus in unum Dominum Jesum Christum..... qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est & homo factus, passus est &c.* Quod sanè quilibet per fidem applicat sibi ipsi in particulari, & non solùm in generali hoc vel simili modo : Qui propter nos electos descendit &c. Quin potiùs quilibet in particulari sibimet applicat, & cordi suo intimiùs insculpit, velut cuilibet dictum, quòd habet Apostolus *ad Gal.* 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Quare etiam singulos compellans *Aug. serm.* 123. *De temp.* ait : *Illud te multò magis stupere oportet, quod pro te mortuus est & sepultus: quia ad hoc descendit, ut ea quæ humanæ displicent infirmitati, pro tua salute sustineret, & te ad æternam & ad cælestem gloriam secum perduceret.* Similiter *Bernardus serm.* 2. *in Psal. Qui habitat*, ait : *Possunt omnia dicere, Creator meus es tu. Possunt & animalia dicere, Pastor meus es tu. Possunt omnes homines dicere, Redemptor meus es tu.*

72. *Secunda.*

Deinde in pretioso sanguine, qui effusus est propter nos singulos, fundatur sive roboratur totius fiduciæ nostræ & spei theologicæ certitudo; dum meritò confidimus, quòd non perdet nos nec despiciet Deus, propter quos Filium suum misit crucifigi; ut ponderat *Augustinus* variis locis apud *Dechamps. l.* 3. *contra Jansenium disp.* 7. *cap.* 8.

Inde præterea plurimum accenditur charitas nostra, dum ut ruminat quilibet bonus Christianus, & jugiter in concionibus inculcatur, ante oculos mentis proponitur Salvator velut pro quolibet crucifixus, & sibi quisque proponit illud *Augustini Tractat.* 2. *in epist.* 1. *Joan. post med. Voluit te amor mundi, tene Christum. Propter te factus est temporalis, ut tu fias æternus.* *Tertia.*

Hinc insuper elucet, quem tanti facit *Augustinus* cum aliis Patribus, valor cujuslibet animæ Christianæ, veluti tam pretioso sanguine redemptæ: ut proinde idem *Augustinus in Psal.* 102. ante med. quamlibet compellans inter cetera dicat. *O anima erige te, tanti vales.* Et *serm.* 120. *de temp. Agnoscat* (inquit) *homo, quantùm valeat & quantùm deleat, & dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat..... Reus itaque erit non parvi pretii, sed sanguinis Christi, qui violat, & commaculat animam Christi sanguine & passione mundatam.* *Quarta.*

Probatur ulterius : quia Christus pro omnibus iis sanguinem fudit, quorum salutem sitiebat in cruce clamans, *sitio.* Sitiebat autem salutem omnium, etiam reproborum; & *universos invitabat dicens, Sitio,* ut ait : *B. Laur. Justinianus De triump. Christi agonie cap.* 19. Qui etiam *serm. De Pass. Dom.* ait : *Sitit utique pereuntium salutem animarum.* Nec est aliquid aliud vulgatum adeò omnibus Concionatoribus Catholicis, immo & ipsi *Augustino* variis locis apud *Dechamps sup. cap.* 10. Ob quod idem *Aug. in Psal.* 61. *ante med.* dicit : *Multos bibit*, scilicet electos, *sed numquam erit sine siti*, quia scilicet non possidebit reprobos quos sitiebat. De cujusmodi præmiserat : *Illi interfuiebant, illi repellebant, ego eos sitiebam &c.* De qualibus item subdidit, quòd *non hoc dederint quod sitiebat. Ipsos enim ille sitiebat; at illi acetum dederunt &c.* 73. *Quinta.*

Denique probatur : quia Christus pro omnibus est mortuus, pro quibus in cruce orabat, dicens: *Pater ignosce illis &c.* Oravit autem ibi pro suis inimicis & crucifixoribus, etiam reprobis. Unde *Leo Papa serm.* 1. *De pass.* compellans Principes Sacerdotum ait : *Tanta est bonitas nostri Redemptoris, ut etiam vos possitis consequi veniam, si Christum Dei Filium confitendo, illam parricidalem malitiam relinquatis. Non enim Dominus in cruce frustra oravit, dicens : Pater dimitte illis &c. Quod remedium nec te Juda transiret si ad eam pœnitentiam confugisses, quæ te revocaret ad Christum, non quæ instigaret ad laqueum.* Vide eumdem *serm.* 4. *De pass.* & *Aug.* variis locis apud *Dechamps sup. c.* 11. 74. *Sexta denique ratio Theologica.*

Dices

75. *Sanguis Christi quo sensu dicatur effusus pro multis.*

Dices I. Christus *Matth.* 26. De sanguine suo dixit: *Qui pro vobis & pro multis effundetur.* Resp. effundetur pro multis efficaciter, sed pro omnibus quantum ad sufficientiam. Vel potiùs *pro multis* ibi idem est, quod pro omnibus, seu pro tota multitudine, idque phrasi Scripturæ usitatâ.

Dices II. Christus *Joan.* 10. dicit se animam suam ponere pro ovibus suis, id est prædestinatis. Et *ad Ephes.* 5. Christus dicitur se tradidisse pro Ecclesia. Resp. ibi non excludi ceteros, alibi in Scriptura comprehensos; quos omnes Christus desiderat fieri oves gregis sui & membra Ecclesiæ. Deinde multi sunt reprobi in Ecclesia, pro qua Christus semetipsum tradidit. Denique pro ovibus electis mortuus est specialiùs, scilicet cum effectu salutis.

76. *Explicatur dictum Christi: non pro mundo rogo &c.*

Dices III. *Joan.* 17. Christus ait: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Ubi videntur excludi reprobi. Resp. Christum ibi orare expresse pro solis discipulis seu Apostolis: etsi orationem postea extendat ad credituros per verbum eorum. Quamvis autem ibi tantùm oraret pro his, alibi tamen oravit etiam pro ceteris. Oratio namque non semper pro omnibus, uti mors suscipi debuit. Deinde intelligi potest, quòd Christus oraverit efficaciter pro solis electis, etsi etiam pro reprobis precatus fuerit quoad sufficientiam.

77. *Generales locutiones Scripturæ de morte Christi quo sensu applicentur ab Augustino prædestinatu.*

Dices IV. *August.* 22. *De civit. cap.* 24. illud Apostoli *ad Rom.* 8. *Pro nobis omnibus tradidit illum*, intelligit de prædestinatis. Et *epist.* 48. *post med.* ait: *Christus propitiator est peccatorum nostrorum, non tantùm nostrorum, sed totius mundi, propter triticum, quod est per totum mundum.* Et *epist.* 102. ait: *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus.* Resp. *Augustinum* non velle, quòd Apostolus Paulus vel Joannes excludat reprobos à redemptione facta per Christum, quos Scriptura, ipseque *Augustinus* tam patenter comprehendit, adeoque non negat redemptionem horum quoad sufficientiam; sed singulariter commendat specialem, tum Dei voluntatem circa electos, tum redemptionem Christi circa eosdem, scilicet cum effectu salutis. Propter quod *Prosper. Resp. ad 1. object. Vincent.* benè dixit: *Cùm rectè omnes dicantur redempti* (activè scilicet, quantùm est ex parte Christi) *& tamen non omnes à captivitate sint eruti* (passivè scilicet, defectu hominum) *redemptionis proprietas haud dubiè pœnes illos est, de quibus Princeps mundi missus est foras ... Poculum quippè immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur. Idem sent. 9. super 9. cap. Gallorum* ait: *Cùm Sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit* (intellige verè, adeoque ex parte Christi illum offerentis) *à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eamdem sunt servitutem reversi.* Vide eumdem *Resp. ad 9. cap. Gallorum.*

Panes quos juxta S. Prosperum est redemptionis proprietas.

Similiter quod ex *Epist.* 102. allegatur, intelligi debet de morte quoad specialem efficaciam; vel certè de adultis hoc sensu, quod nemo ex iis pereat sine sua culpa ob incapacitatem seu impotentiam. Alioquin quòd pereat aliquando pro quo Christus mortuus est, patet non solùm ex Apostolo 1. *ad Cor.* 8. sed etiam ex variis testimoniis *Augustini* prælegatis, & aliis quæ allegat *Dechamps l. 3. d. 7. cap. 4.* Certè periit *Arius* Hæresiarcha; quem tamen in persona Christi alloquens *Orat. De quinque hæresibus cap. 6.* ait: *Sanguinem meum fudi, animam meam posui, ut mihi conjungerem te; & tu dividis me?*

78. *Explicatur dictum Augustini: quo sensu perierit ex illis pro quibus Christus mortuus est.*

Neque id derogat omnipotentiæ Dei, aut virtuti orationis Christi, qui *Joan.* 11. ait: *Ego sciebam, quia semper me audis.* Nam voluntas Dei circa salutem reproborum tantùm est antecedens, eique se subdit voluntas Christi, efficaciter quantùm est de se supplicantis & redimentis, unde etiam in reprobos profluunt sufficientia salutis media, sic ut pœnes illos sit, redimi cum effectu. Unde *Augustinus lib. 2. De Symbolo cap.* 8. ait: *Festinet unusquisque cùm vivit, ut vivat; currat, ut ejus pretioso sanguine redimatur; ne cum non fuerit inventus in numero redemptorum, in numero maneat perditorum.* Et *Serm.* 31. inter novos editos à *Sixmundo* (quem citat *Beda in cap 5. Epist. 2 ad Cor.* teste *Dechamps lib. 3 contra Jansen. d. 7. c. 5. n. 4.*) inter alia ait: *Redemit te à secunda morte sanguis Domini tui .... Si vis, datus est pro te. Si nolueris, non est datus pro te &c. Sanguis Christi volenti est salus, nolenti supplicium.*

79. *Interim quæritur, redemptorum per Christum non detur omnipotentia auxilia efficacia ut conversionis &c.*

Per reprobatos, qui non resipiscunt citra mortem.

QUÆSTIO V.

De conditione appetitus sensitivi, & Corporis Christi.

80. *In Christo fuit phantasia & appetitus sensitivus. Habuit phantasia suas operationes.*

QUEMADMODUM Christus, quia verus homo, habuit intellectum & voluntatem humanam, earumque proprias operationes: sic quoque præditus fuit phantasiâ & appetitu sensitivo, eorumque operationibus. Et quidem phantasia Christi habuit suas operationes ex sensibus oriundas, atque inde potuit intellectus habere consequentes actus; etsi alioquin etiam sine ministerio sensuum posse intellectualiter operari. Quare sicut Beatorum, sic & Christi phantasia cognovit phantasticè suo modo Deum, & appetitus sensitivus appetiit; indeque gaudium sensitivum habuit: prout etiam nunc intellectu nostro versante circa Deum, phantasia format suas imagines, & voluntate amante etiam appetitus sensitivus versatur circa objectum phantasiatum, sicque cor & caro exultant in Deum vivum.

Fuit

81. *Similiter & appetitus sensitivus operationes & passiones innoxias habuit.*

Fuit porro in appetitu sensitivo Christi varietas omnium actuum & passionum innoxiarum: fuit enim Christus juxta Apostolum *ad Hebr.* 2. & 4. per omnia assimilatus fratribus, absque tamen peccato aut indecentia; qualem important fomes peccati, difficultas boni operis, ignorantia &c.

Signanter dolorem sensibilem.

De vero & sensibili dolore est de fide ex *Isaiæ* 53. *Verè dolores nostros ipse portavit.* Et ex Conciliis ac Patribus tradentibus veram corporis Christi passibilitatem ac passionem, quæ non est sine vero dolore. Pœnalitas insuper hujus passionis nullam involvebat culpam, maximèque deserviebat ad satisfaciendum pro peccatis nostris.

82. *Quem juxta varios in Christo non admisit S. Hilarius. Qui tamen benignè explicatur.*

Oppositum quidem videtur sensisse *Hilarius l.* 10. *de Trin.* & alibi; ut *Vasquez d* 59. *cap.* 1. admittit cum multis, quos citat. Nihilominus *D. Bonav. d.* 16. *in Expos. textus dub.* 1. & *a.* 1. *q.* 1. *ad* 1. *D. Thomas* & alii passim *Hilarium* excusant, & ex variis ipsius locis seu verbis benignè interpretantur, quòd scilicet voluerit in Christo non fuisse causam doloris seu dolorem provenientem ex peccato: vel contra *Arium* quòd totus Christus secundùm se non sit passus, seu quòd Verbum ex dolore corporis dolorem non senserit, uti sentit anima: vel quòd non voluerit negare sensum & experimentum passionis, sed vim & dominium, quia videlicet voluntas etiam creata Christi passionibus non succubuit, nec dolores ex impotentia aut naturali & inevitabili necessitate pertulit, neque instar nostrum ex passionum necessitate aut vehementia fuit perturbatus, seu elevatâ superioris portionis plenariâ tranquillitate vim pœnarum in se desævientium sine ordinario pœnarum sensu seu effectu, qui in aliis cernitur, & sine ullo divinitatis dispendio voluntariè admisit. Maximè autem *Hilarius* sic est excusandus; cùm de illo *Hieronymus ad Lætam* scribat: *Libros Hilarii inoffenso decurrat pede.* Sunt etiam, qui dicunt *Hilarium* dicta sua retractasse. *Vnde* (inquit *D. Bonav. sup. ad* 1.) *audivi Parisiensem Episcopum Guilielmum referre se librum illius retractationis vidisse & perlegisse.*

Aliqui testantur de Hilarii retractatione.

83. *Fuit in Christo sensibilis amor & delectatio.*

De amore, desiderio, delectatione sensibili circa objecta sensibilia, v. g. præsentiam suæ matris, dilecti discipuli Joannis &c. patet: quia illa naturaliter consequuntur appetitum sensitivum, nec aliquid in Christo obsistebat.

Item timor.

De timore sensibili patet: quia sensibiliter refugit mala absentia & imminentia, v. g. mortem &c. quantumvis certò futura: incertitudo enim etiam in nobis frequenter concurrat, non est tamen necessaria.

Admiratio quædam sensus in eo fuit, quædam non.

Admiratio illa quæ oritur ex eo, quòd viso effectu non sciatur causa, cujus proinde sciendæ desiderium excitatur, non fuit in Christo; ut patet. Fuit nihilominus in ipso sensibilis admiratio orta ex apprehensione rei magnæ & experientiæ insolitæ; quæ si bona sit, generat affectum & complacentiam laudis; si inconveniens, displicentiam & desiderium vituperandi, seu genus quoddam timoris, quod à quibusdam vocatur stupor. Hoc modo Jesus miratus est fidem Centurionis *Matth.* 8. Et propter incredulitatem Judæorum *Marci* 6.

Sensibilis in eo ira ostenditur.

De sensibili ira patet ex *Marci* 3. *Circumspiciens eos cum ira.* Et alibi. Ratio est: quia Christus potuit juxta rectam rationem appetere vindictam injuriæ Patri aut sibi illatæ; hoc autem est irasci.

Passiones in Christo cur propassiones à Nonnullis vocentur.

Quamvis autem præfatæ passiones sensibiles verè in Christo fuerint, Nonnulli tamen malunt eas vocare propassiones; eò quòd nec rationem prævenirent, nec ad malum inclinarent.

84. *Appetitus sensitivus qualiter in Christo numquam prævenerit rationem.*

Unde sciendum I. est appetitum sensitivum in Christo numquam prævenisse rationem, uti solet in nobis; ut velut certum tradunt omnes Theologi cum Patribus, signanter *Leone Papa Epist.* 11. dicente: *Nihil carnis suæ habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine Deitatis & mentis.* Ratio est: quòd hoc sit defectus naturæ humanæ ortus ex peccato originali (quo Christus vi suæ conceptionis caruit) & perfectionem Christi dedecens. Deinde hunc defectum excludebat perfecta omnium rerum Christo occurrentium & circumstantiarum consideratio. Et quidem frequentiùs actu positivo voluntatis excitavit in se actus appetitus sensitivi, juxta illud *Joan.* 11. *Turbavit seipsum &c.* Non constat tamen, an aliquando simpliciter tantùm prævideri, ac permiserit.

85. *Nec fuit in eo fomes peccati.*

Sciendum II. In appetitu sensitivo Christi non fuisse fomitem peccati, uti certum est apud omnes: quia fomes est ex peccato, & ad peccatum inclinat: nihilque est aliud in actu primo, quàm appetitus sensitivus, ut jam rationis imperio solutus est, & proximè dispositus ad motum inordinatum seu contra rationem: in actu secundo est ipse motus per se inordinatus, allicions voluntatem ad aliquid contra rationem. Sed nihil horum fuit in Christo: tum quia erat beatus: tum quia vi conceptionis carebat originali peccato, quod est radix fomitis: tum quia dedecebat dignitatem Christi, nec conveniebat ad finem redemptionis.

Quem non arguit naturalis fuga mortis, quæ fuit in Christo.

Nec obstat, quòd appetitus sensitivus Christi naturaliter refugerit mortem, quæ tamen erat Christo præcepta: nam fugere mortem est per se bonum; adeoque appetitus in fugam mortis inclinans non est fomes peccati. Deinde ipsa sensibilis fuga mortis non erat Christo prohibita, sed Deo placens & utilis ad ostendendam veritatem naturæ passibilis, dummodo non

eò usque pertingeret (prout in Christo non pervenit) ut voluntatem ad oppositum divino præcepto efficaciter volendum inclinaret.

86. *Per quid fuerit fomes præditus,* Fuit autem fomes peccati in Christo sublatus, seu potiùs impeditus per specialem Dei providentiam, quâ vel objecta illicita removebat, vel appetitui ne inordinatè excitaretur concursum denegabat. Ad quod etiam plurimùm conducebant virtutes morales Christo infusæ, & actualis consideratio objectorum illicitorum cum subsequenti voluntatis imperio, quo motionem appetitûs sensitivi in talia objecta impediebat. *An fomes de absoluta potentia inesse posuerit.* An autem de absoluta potentia fomes peccati inesse Christo potuisset, controversum est. Et videtur quod sic, etiam posito quòd implicet absolutè peccatum inesse: quia fomes potuisset relinqui ad certamen, & omne etiam veniale peccatum impediri. Ita plures, etiam Recentiores.

87. *Christus habuit corpus optimè temperatum ac perfecta pulchritudinis.* Quod ad conditionem Corporis Christi attinet, illud in primis fuit omnino integrum & perfectum, bene dispositum, optimi temperamenti, & perfectæ pulchritudinis, qualem in humano ac virili corpore esse oportet. Quod addo: nam pulchritudo muliebris non decuisset Christum jam virum, & præsertim Evangelii ac pœnitentiæ præconem. Immo si fortè corpus delicatè enutritum pulchritudinem minùs decentem diffudisset, per labores tamen & afflictiones Christus redegit eam ad statum viro convenientem. Est communis, nisi quòd unicus *Medina* (ut refertur) ausus sit contradicere corporis pulchritudini: cujus tamen testes sunt *Augustinus* & alii Patres, qui eò applicant illud *Psalmi* 44. *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Et *Hieronymus in Epistola seu Explanatione Psalmi* 44. *ad Principiam Virginem. Universis* (inquit) *pulchrior est Virgo de Virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est &c.* Ratio Conclusionis est, quòd talis perfectio decebat Spiritum sanctum qui corpus formavit, Verbum quod illud inhabitavit, perfectissimam animam quæ informavit; oppositis defectibus v. g. gibbositate &c. ad finem redemptionis minimè conducentibus.

88. *Ante resurrectionem verè passibile ac mortale.* Secundò Corpus Christi ante resurrectionem secundùm fidem fuit verè passibile & mortale: Christus enim esurivit, sitivit, vulneratus est & mortuus secundùm Scripturam & Concilia, idemque conveniebat ad finem redemptionis. Erat etiam corpus ipsius causis applicatis passibile naturaliter, uti nostrum: quamquam Nonnulli passiones Christi vocent voluntarias, eò quòd eas voluntariè assumpserit, aut in illis sibi complacuerit, potens impedire causas naturales. Habuit etiam ante resurrectionem gravitatem & crassitiem ut certum est: tum quia assumpsit omnia quæ in natura plantavit: tum quia sine gravitate non fit fatigatio; cùm tamen juxta Scripturam fatigatus fuerit Jesus. Unde quod ambulaverit supra mare, est miraculo tribuendum.

Præditum gravitate.

An autem Christus secundùm corpus aliquos morbos assumpserit, disputatur. Communis tamen opinio est negativa; quam tradit *D. Thomas q.* 14 *a.* 4. & *D. Bonav. d.* 15. *art.* 1. *qu.* 2 *in corp.* Neque Scriptura aut Patres, dum Christi pœnas recensent, ullius ægritudinis seu morbi meminerunt. Ratio est: quia morbi oriuntur, vel ex inordinato victu, vel ex imperfecta corporis formatione; quæ procul erant à Christo: vel ex causa externa, puta ex inclementia aëris; cui quoque potens erat resistere per corpus adeò bene complexionatum: & dato casu, quo potentior fuisset vis externa morbi causativa, poterat illam prudenter declinare.

Nec obstat, quòd Christus, nisi violenta morte præventus, senio naturaliter obiisset. Nam id fieri potuisset sine morbo propriè dicto, sive distincto à defectu caloris naturalis & humidi radicalis, in corpore saltem tam puro tamque convenienter naturæ gubernato; vel certè, gratis admissâ multorum medicorum sententiâ, quòd mors naturaliter non accidat sine aliqua febri aut putrefactione atque etiam intellectâ de corpore tam singulari, dici posset tali casu (qui non fuit) Christum in summo senio levi morbo corripiendum fuisse.

Non obstat etiam, quòd ex nimio æstu aut frigore fuerit interdum in Christo aliqua qualitatum intemperies, aut ex vehementia tormentorum in corpore Patientis quædam alteratio. Nam ea solùm intemperies vocatur morbus, quæ ex humorum infectione vel putredine aut alia ratione velut habitualiter radicatur.

Itaque Christus non assumpsit omnes defectus, etiam non peccaminosos, neque gratiæ aut scientiæ Christi, aut fini incarnationis repugnantes, sed communes solùm, quos *D. Bonav. sup.* vocat naturales, quia respiciunt totam naturam humanam universaliter, sicut fames, sitis & similes; uti venerat naturam humanam redimere communiter sine personarum distinctione. Secùs est de defectibus personalibus, qui ex specialibus causis procedentes respiciunt personas speciales; sicut diversæ ægritudinum species, uti dictum est.

Christus assumpsit corporis defectus communes, non personales.

Insuper contra quosdam antiquiores Hæreticos fide certissimum est Christum post resurrectionem retinuisse corpus verum. Qui enim homo factus est, mortuus & sepultus, idem & resurrexit & ascendit super omnes cælos, indeque venturus est judicare, secundùm Scripturas & Symbola Ecclesiæ. Quare etiam post resurrectionem monstravit se esse præditum corpore vero

90. *Post resurrectionem quoque verum & palpabile corpus retinuit.*

&

& palpabili, seque eumdem esse dixit *Lucæ 24. Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Hinc meritò *Damasus Papa* cum *Concilio Romano* in Professione fidei: *Si quis non dixerit, quòd in carne, quam assumpsit, sedet ad dexteram Patris &c. anathema sit.*

Quo sensu Apostolus dicat se jam non nosse Christum secundum carnem.

Nec obstat illud 2. *ad Cor. 5. & si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Nam id explicat *Adrianus Papa in Epist. ad Episc. Hispaniæ*, quæ refertur inter acta Concilii Francofordiensis: *Etsi novimus eum mortalem, passibilem, vulneri deditum, sed jam in gloria Patris scimus eum ab omni humanæ conditionis debito alienum.* Alii putant Paulum loqui de se adhuc incredulo, q. d. etsi aliquando more Judæorum de Christo seu Messia carnaliter judicaverimus, v. g. quòd esset futurus rex temporalis; jam tamen non ita novimus vel existimamus. Alii denique explicant Paulum de notitia seu æstimatione carnalis generationis Christi, quâ erat Judæus, adeòque contribulis Pauli & Judæorum, q. d. jam illis terrenis affectibus mortui sumus, & Christum tantùm novimus ut hominem divinum, Auctorem gratiæ &c.

91. Christus secundùm corpus non est ubique, sed loco circumscriptus.

Denique Corpus Christi etiam nunc est loco circumscriptum; ut in variis Conciliis est definitum contra *Vbiquistas* existimantes illud esse ubicumque est Deitas, etsi in cælo tantùm appareat visibile. Ad idem probandum variæ adducuntur Scripturæ in *VII. Synodo Act. 6.* Patet satis ex *Joan. 16. Relinquo mundum, & vado ad Patrem. Marci 16. Surrexit, non est hic.* Plurimæ Patrum Auctoritates videri possunt apud alios. Nec mirum videri debet, quòd Verbum alicubi sit, ubi non est humanitas Verbo unita; cùm de facto anima sit in pede, ubi tamen non est caput animæ unitum: Denique ex nullo capite ubiquitas ista naturali corporis conditioni repugnans probari potest; adeoque non est asserenda.

QUÆSTIO VI.

An Christus sit Sacerdos & Rex?

92. Christus est sacerdos propriè dictus.

DICO I. Christus est verus & propriè dictus sacerdos. Est de fide ex Scriptura *Psal. 109. Tu es sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech.* Idem declarat Apostolus *ad Hebr. c. 5. & seqq.* Patet etiam ex *Concilio Ephesino can. 10. Trid. sess. 22. c. 1. & 2.*

Denique idem probatur ex definitione Sacerdotis traditâ ab Apostolo suprà: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Quæ definitio optimè convenit Christo, qui verum & propriè dictum sacrificium pro peccatis nostris non solùm in ultima cæna, sed etiam in ara crucis obtulit juxta *Trid. sup. cap. 1.*

93. Cur similiter reliqui martyres non sint sacerdotes.

Ex quo tamen non sequitur alios Martyres similiter esse sacerdotes: quia mors non est in ipsorum, uti Christi, potestate, qui poterat impiorum manus effugere, & plagis etiam lethalibus admissis mortem impedire: mactatio autem hostiæ debet subesse potestati sacerdotis. Deinde debet ipsa ex officio liberè assumi ad supremum Dei cultum & dominii protestationem: ceteri autem Martyres non sunt, uti Christus, à Deo constituti ad hoc per mortem suam protestandum, nec tali ratione mortem in se admiserunt, sed ut confiterentur fidem aut aliquam virtutem.

Sacrificio cruento non obstat, quòd Christus physicè se non occiderit.

Nec obstat, quòd Christus semetipsum physicè non occiderit: non enim debet sacerdos physicè per semetipsum hostiam immolare: quidni enim in lege naturæ potuisset sacerdos sacrificare, etsi per ministrum v. g. bovem mactasset? Sic itaque Christus usus est ministerio impiorum, non quibus mandavit, sed quorum sacrilegas manus voluntariè in se admisit ex intentione se immolandi Deo pro peccatis nostris in recognitionem supremæ Dei majestatis.

94. Sacerdotium convenit Christo quà homini.

DICO II. Ratio Sacerdotii convenit Christo quà homini, juxta certam Doctorum Sententiam contra Hæreticos. Idque indicat Apostolus suprà. Idem apertè docent Patres. *Ambrosius l. 3. de fide c. 5.* dicens: *Idem ergo sacerdos, idem & hostia & sacerdotium: tamen & sacrificium humanæ conditionis officium est. Augustinus l. 1. de consensu Evang. c. 3. Secundùm hominem Christus & Rex & Sacerdos effectus est.* Et alii. Ratio est: quia Christus quatenus Deus non habet superiorem: quod tamen ratio sacerdotii & sacrificii includit; cùm sacrificium ipsum offeratur in signum submissionis & recognitionis, quâ alterum tamquam supremum Dominum offerens veneratur. Deinde Christus quatenus Sacerdos interpellat pro nobis & nobis meruit; quod non potest ei convenire quatenus Deo.

Explicatur testimonium Cyrilli Hierosolymitani in speciem oppositum.

Dices juxta *Cyrillum Hierosol. Cath. 10. Christus est summus Sacerdos, immutabile habens sacerdotium, quod neque à tempore cœpit, neque successorem alium habebit sacerdotii &c. Neque factitio oleo unctus, sed ante sæcula à Patre.* Resp. Sacerdotium Christi non cœpisse tempore, quatenus Filius Dei ab æterno est prædinatus, ut in natura assumenda sit Sacerdos, Patre Filio suo ab æterno genito dicente: *Tu es Sacerdos in æternum.* Aliàs manifestè falsum est, Filium Dei ante Incarnationem fuisse Sacerdotem potiùs quàm Spiritus sanctus fuerit Sacerdos. Non habebit etiam successorem, quia Christus usque in finem mundi manet Sacerdos & principalis offerens per nos tamquam per vicarios, non tamquam per successores. Neque

que est factitio oleo unctus, uti Aaron & alii Sacerdotes, sed ante sæcula à Patre ei per æternam generationem communicante suam divinitatem, quæ quidem in tempore humanitati communicata, fuit eidem loco olei factitii.

95. *Christus non fuit rex temporalis Iudæorum.*

Dico III. Christus non fuit Rex temporalis Judæorum. Ita unanimiter Theologi contra *Armacanum*. Ratio est: quia ne verosimiliter quidem potest ostendi aliquis legitimus titulus, sive donationis, sive electionis, sive successionis, sive alius, quo regnum istud ad Christum fuerit devolutum. Si enim jure hereditario seu successionis (de quo solo posset esse quæstio) debuisset in primis mater Christi priùs obiisse, utpote legitima hæres, ut supponitur. Deinde concesso (quod probabilius est, etsi id neget *Suarez* & alii) quòd Deipara processerit ex David, non per Nathan, sed per Salomonem, deberet semper descendisse per primogenitos. Præterea etiam hoc supposito, linea Salomonis quoad jus regni dudum interciderat; adeò ut juxta Prophetiam Jeremiæ *c.* 22. post Jechoniam non fuerit vir de semine ejus, qui esset Rex seu sederet super solium David: sed post captivitatem Babylonicam fuit populus gubernatus per Duces, qui ferè omnes fuerunt de genere sacerdotali. Scripturæ autem quæ regnum Christi deprædicant, de spirituali regno & regimine sunt intelligendæ. Quare de regno temporali, seu jure regnandi, quale ceteri reges habent, dixit *Ioan.* 18. *Regnum meum non est de hoc mundo &c.*

96. *Summo Christi sacerdotio annexa fuit potestas regni spiritualis, scilicet Ecclesiæ,*

Dico IV. Summo Christi sacerdotio annexa fuit potestas regni spiritualis, scilicet Ecclesiæ, quam Christus instituit & ordinavit, perpetuòque gubernat, vices suas in ordine ad regimen sensibile suis committendo vicariis. Placuit siquidem congruentissimè Deo Patri tantam homini Deo committere potestatem, juxta illud *Matth. ult. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Et de hoc regno Prophetæ prædixerunt *Regnabit Rex. Exiet dux qui regat populum meum Israël &c.* Denique hæc est sedes David, de qua Gabriël Angelus *Lucæ* 1. dixit: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Iacob*, Ecclesiâ scilicet, *in æternum.*

Sic autem quà homo ordinavit Ecclesiam per potestatem excellentiæ dando etiam leges tamquam legatus ad nos missus; ut in his condendis principaliter divina ejusdem voluntas, & legislativa potestas spectetur; ne si per potestatem legislativam humanitati propriam eas dumtaxat tulisset, & non per eam tamquam subordinatam divinæ legenti, Lex Evangelica solùm fuisset divina per communicationem idiomatum.

97. *Christus quà homo*

Hinc sequitur Christum quà hominem non fuisse subjectum humanis legibus; ut de lege tributaria ipse indicavit *Matth.* 17. & generaliter contra *Marsilium Paduanum* docentem, quòd fuerit subjectus potestati regum etiam coactivè, tum quoad personam, tum quoad temporalia, definivit *Ioannes XXII.* Extravag. *licet*; ut refert *Turrecremata l. 4. Summæ p. 2. c. 37.* Fundatur in dignitate & superioritate ipsius Christi tamquam supremi Pontificis & Filii Dei. Facto tamen seu voluntate fuit subditus legibus servando: prout etiam propter nos fuit subditus Joseph & Mariæ *Lucæ* 2. Naturali etiam legi, quæ ipsam naturam rationalem creatam consequitur, fuit subjectus, v. g. Legi de non mentiendo, non blasphemando. Potuisset quoque subjectus esse legibus positivis divinis.

non fuit subjectus legibus naturalibus,

De facto tamen non fuit subjectus legibus à Deo communiter hominibus datis. Non enim Evangelicæ: utpote quam ipsemet tulit, de rebus ad se non spectantibus, scilicet de rebus fidei & Sacramentis: & pro hominibus alterius ordinis, ac statûs lapsi, restituendis in pristina per suum sanguinem. Non etiam Mosaicæ, ut habet recepta Doctorum sententia contra Paucos: hæc enim solis filiis Israël & ab iis per seminalem generationem descendentibus (junctis Proselytis) data fuit. Unde Judæis ipsum calumniantibus, quòd sabbatum non custodiret, respondit *Matth.* 12. *Dominus est filius hominis, etiam sabbati*, ostendens (ut ait *Aug. q.* 10. *in Matth.*) se non esse legi subjectum, quia erat Filius Dei naturalis, & Dominus legis. Adde, non positam fuisse semini, sed *donec veniret semen*, Christus; fuisse *pædagogum* Judæorum *in Christo*, sive ducentem ad Christum, non autem ipsius Christi, *ad Galat.* 3. Neque fuit ei subjectus per circumcisionem: hanc enim non suscepit, ut ac instar Proselyti advenæ se aggregaret Judæis, sed ob alios fines & causas, de quibus *disp. seq. q.* 2. *s.* 2. Dicitur autem *factus sub lege, ad Galat.* 4. non secundùm debitum, sed secundùm externam apparentiam, & plenam observantiam: idque conducebat, ut ipse ejusque prædicatio faciliùs à Judæis reciperetur.

Fuit subjectus legi naturali.

Non fuit subjectus legibus datis à Deo communiter hominibus.

Neque Mosaicæ.

Itaque subjectus fuit solummodò quibusdam præceptis personalibus, specialiter ei à Patre impositis v. g. de docendo & per mortem redimendo genere humano; juxta illud *Ioan.* 10. *Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Et *c.* 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et *c.* 15. suo nos exemplo hortatur ad obedientiam dicens: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi &c.* Et *ad Philipp.* 2. dicitur: *Factus obediens usque ad mortem.* Quæ sine fundamento contra sensum Patrum, *Nazianzeni, Ambrosii* & aliorum, contra communem Doctorum Sententiam, & contra ipsius litteræ proprietatem Nonnulli interpretantur de sola manifestatione paterni desiderii, & non de rigido præcepto. Congruè autem

99. *Sed fuit quibusdam præceptis specialiter ei à Patre impositis.*

autem hujusmodi præceptum fuit impositum: tum ut magis eluceret amor Dei, dum Filio etiam mandaret nostram redemptionem; tum ut ipsa redemptio veluti opus obedientiæ esset perfectior, nobis exemplarior; & inobedientiæ Adæ, quæ nos captivaverat, directiùs opposita. Non fuit tamen præceptum impositum Christo, quatenùs erat Verbum; ut contra *Arianos* manifestè tantùm vult *Basilius l. de Spiritu sancto c.* 8. Et intelligi potest *Chrysostomus* diversis in locis. Neque etiam fuit ei quà homini impositum, quasi voluntas humana indiguisset aliquà coactione aut commination(quam vulgarem imperfectionem ex professo tantùm removet *Chrysostomus* citatus, qui proinde dici potest de Christo locutus etiam secundùm humanitatem) vel quasi sine præcepto non satis paratus fuisset exequi paternam voluntatem.

propriè dicta præcepta fuisse.

100. Petes an potestas regia sive regni spiritualis in Christo sit distincta à potestate sacerdotali? Resp. Aff. nam prior potestas extendit se ad omne officium & jurisdictionem, adeoque etiam ad leges ferendas: posterior autem præcisè spectata solùm respicit oblationem precum & sacrificii pro populo.

Potestas regni spiritualis distinguitur in Christo à potestate sacerdotali.

Petes II. Quando potestas regni spiritualis sit Christo collata? Resp. in instanti conceptionis, idque ratione Unionis hypostaticæ, cui quodammodò debebatur. Quare etiam ante resurrectionem leges tulit. Et *Joan.* 13. de ipso dicitur: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Quàmvis in resurrectione perfectum statum & usum regni sui ac dominii acceperit.

Fuitque in ipso ab instanti conceptionis.

101. Solùm restat dubitatio, an Christus titulo supereminenti Unionis hypostaticæ habuerit temporalem potestatem, quàm vocant excellentiæ super universum mundum, adeò ut fuerit & rex temporalis quantùm ad potestatem jurisdictionis in ordine ad regibus & principibus imperandum, leges etiam politicas ferendas &c. & dominus proprietatis, sic ut ad libitum potuerit directè disponere de omnibus rebus mundi, veluti de suis, adeoque domus v. g. destruere, aliis donare &c. Plurimi namque affirmant: inter quos referuntur *Alvarus Pelagius, Antoninus, Turrecremata, Durandus, Gabrielis, Henriquez, Suarez &c.* E contrà non pauci negant: inter quos *VValdensis, Abulensis, Victoria, Toletus, Bellarminus* &c. Ego autem censeo, rem esse utrimque incertam, nec satis ex auctoritate vel ratione probatam. Cùm tamen soleamus frequenter in dignitate Christo tribuendâ procedere ex congruentia, possumus & hîc ex eâdem procedere, hunc honorem tribuendo homini Deo, ex quo nullum sequitur inconveniens; in quo honorando malumus excedere, quàm deficere. Nec malè in hanc regiam potestatem refertur, quòd Christus non potuerit etiam quà homo subjici ullis legibus humanis. Neque hoc dominium excellentiæ repugnat subordinatis sibi dominiis aliorum regum aut privatorum: uti nec dominium supremum Dei præjudicat dominiis inferiorum. Hæc proinde Christus intacta reliquit; quia (ut canit Ecclesia) *Non eripit mortalia, qui regna dat cælestia.* Dum autem *Joannes XXII. Extrav. Inter Nonnullos, & Extrav. Quia quorumdam*, determinat Christum habuisse interdum dominium aliquarum rerum, v. g. sibi donatarum; supponens quòd non omnium: & è contrà *Nicolaus III. cap. Exiit, de Verb. Signif. in* 6. docet Christum aliquando caruisse proprietate omnis rei temporalis: tunc agunt de dominio humano & subordinato, quale competit ceteris hominibus, quodque excludit dominium alterius in eamdem rem.

Plurimi affirmant, non pauci negant.

Res utrimque incerta.

Pars affirmativa eligitur.

102. An autem Christus interdum fuerit usus hâc potestate; non ita constat: nam ficulneæ infructuosæ arefactio, dæmonum in porcos immissio tribui posset divinitati, aut etiam regiæ potestati spirituali; vi cujus juxta alios Auctores poterat disponere de rebus temporalibus totius mundi, in ordine ad finem spiritualem, nullâ etiam peculiari causâ necessitatis seu causâ per accidens interveniente. Quam potestatem Nonnulli ex ipsis appellant directam & per se: alii verò indirectam, veluti quæ circa temporalia non erat propter se & sine ordine ad alium finem superiorem, nempe spiritualem, sed dependenter ab eodem; ut videre est apud *Tannerum disp. 1. q. 7. dub* 4. *n.* 79. & 80.

Minùs constat, an Christus in patrandis miraculis interdum hac usus fuerit potestate.

DISPUTATIO TERTIA.

De Adoratione sive cultu Christi, Sanctorum, Reliquiarum. Item imaginis Christi, & Sanctorum.

QUÆSTIO I.

De Adoratione Christi.

1. *Adorationis definitio.*

SUPPONO Adorationem esse quandam speciem honorationis, quâ quis se alteri tamquam superiori seu excellentiori submittit, ut Doctores communiter definiunt conformiter ad *Damascenum Orat. 1. & 3. de Imaginibus.* Unde (ut ait *Aug. l. contra Sermones Arianorum c.* 23.) *honorat omnis qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat:*

nam honor etiam sæpè defertur æquali aut inferiori.

2. *Alia interna, alia externa,*

Adoratio alia est interna, quæ consistit in submissione, actuque interno adorantis; & competit Angelis, qui (ut testatur Scriptura frequenter) Deum adorant; prout etiam animæ separatæ leguntur in Apocalypsi adorare Deum & Agnum. Quamquàm *Vasquez* litem de nomine excitans ad veram adorationem requirat actum externum. Alia est externa, quæ hominibus est usitata, & proditur actu externo ac sensibili venerationis internæ significativo. Pro meliori hujus Divisionis intellectu

Actus in adoratione concurrentes.

Nota ad adorationem concurrere ex parte intellectûs existimationem quâ quis existimat alterum esse se excellentiorem, ex parte voluntatis autem desiderium se signo aliquo submittendi alteri tamquam excellentiori, ex parte denique potentiæ executivæ ipsam submissionem per positionem signi testificativi majoris excellentiæ alterius. Hæc verò submissio seu testificatio fit in nobis per signum aliquod externum, v.g. genuflexionis, prostrationis super terram &c. In Angelis verò potest eadem submissio fieri per actum internum v. g. fidei, aut alios actus, etiam voluntatis, qui ex natura sua, aut saltem Angelorum institutione possunt esse signa protestativa excellentiæ superioris in altero, videlicet in Deo. Unde etiam possent instituere pro tali signo certum ubicationis modum, v.g. in puncto; prout apud varias Nationes instituta sunt varia ejusmodi signa externa. Immo ad significandam submissionem suam respectu Dei assumi potest signum aliquod privatâ auctoritate ipsius adorantis.

Qui locum habeant in Angelis.

3. *Quid latria.*

Secundò Adoratio alia est latria, quæ etsi ex primæva vocis institutione idem sit quod reverentia, ex accommodatione tamen Patrum & Doctorum significat adorationem rei, quæ est infinitæ seu increatæ excellentiæ: estque à creaturâ soli Deo debita ac propria. Alia est Dulia, quæ primitùs idem significans quod servitus, cœpit transferri ad significandam venerationem exhibitam à creatura alteri excellentiori, qui se submittit: & tunc fere sumitur ad significandum cultum & venerationem Sanctis debitam propter supernaturalem, non tamen singularissimam ipsorum excellentiam. Veneratio autem debita parentibus, superioribus, aliisque excellentioribus hominibus, vocatur adoratio politica seu civilis. Alia denique est Hyperdulia, nempe Dulia singularis exhibenda illi in quo est supernaturalis excellentia, creata quidem, sed planè singularis & eximia, ut in B. Virgine. Dum verò *Aug. quæst. 94. in Exodum* occasione istius *Exod. 23. Si servieris Diis eorum*, dixit: *Dulia debetur Deo tamquam Domino, latria verò non nisi Deo tamquam Deo*, respexit ad emphasim & primævam significationem ipsorum nominum, quorum latria significat reverentiam, quæ respicit majestatem in Dei seu creatoris: Dulia verò servitutem, quæ respicit specialiter Dominum, prout servitus directè dominio opponitur, & Domini quà talis correlativum est servus.

Quid dulia.

Quid hyperdulia.

Distinctio porro latriæ soli Deo debitæ ab adoratione creaturæ pendet, non tam ab exterioribus actibus, quàm ab interiori existimatione & intentione, ut tradit *Lemius in* VII. *Synodo act. 4.* nam genuflexiones, & similia venerationis signa etiam creaturæ exhiberi possunt. Quemadmodum quoque minores reverentiæ externæ ex intentione fiunt latria. Immo maxima signa reverentiæ, ex affectu exhibentis possunt esse irrisio. Ex institutione tamen etiam humanâ possunt signa quædam significare submissionem soli Deo debitam, v. g. verba quæ significant proferentem submittere se ei, cui loquitur, tamquam Deo: quæ consequenter absque idololatria non possunt significativè usurpari ad venerationem alicujus creaturæ. Quale signum etiam est sacrificium, quod essentialiter est actus latriæ, ideoque non hominibus, etiam sanctis, sed soli Deo potest offerri seu exhiberi, etsi huic offeratur seu exhibeatur in memoriam vel honorem etiam Sanctorum. His præmissis.

Dico I. Christus simpliciter, sive etiam Christus homo est adorandus perfectissimâ latriâ. Est de fide. Et patet ex *Joan. 5. ℣. 23.* Et *cap. 20. ℣. 28.* & *Apoc. 5. ℣. 12.* Unde *℣. 13.* omnes Sancti æqualiter dicunt: *Sedenti in throno & Agno benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum.* Deinde ex *Concilio Ephesino can. 8.* ubi definitur in Christo hominem & Verbum eâdem adoratione & glorificatione adorari & glorificari. Et *Synodo V. can. 9.* Et *Tridentino sess. 13. can. 6.* Ratio est: quia Christus homo est verus Deus; ergo est adorandus latriâ, uti Deus: quia per conjunctionem humanitatis divinam excellentiam non amisit. Et apparet res per se manifesta, suppositâ contra *Nestorium* unitate personæ, ad quam tendit adoratio.

Dico II. Quando Christus adoratur latriâ, eâdem adoratione coadoratur humanitas Verbo unita, etsi tamquam objectum secundarium & terminus minùs principalis adorationis. Est *Scoti d. 9. n. 6.* & communis Antiquorum ac Recentiorum, immo juxta *Vasquez d. 95. c. 2.* de fide ex Conciliis citatis *præc. concinf.* signanter *V. Synodo can. 9.* ubi dicitur anathema illi, *qui non unâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat.* Et ex *VII. Synodo act. 6.* ubi dicitur, *cùm adoratur Christus non separari humanitatem à divinitate, sed utramque adorari latriâ.*

Idem docent Patres, *Cyrillus in defensione anathematismi 8.* seu *canonis 8. Concilii Ephesini* dicens: *Citra periculum quis dixerit, quod*

incarnatum Dei Verbum, utpote unus existens filius, non absque sua carne, sed potiùs cum illa adorandum sit: quemadmodum scilicet hominis anima cum suo corpore honoratur. Augustinus Serm. 58. de Verbis Domini, & alii apud *Suarez d. 52. sect. 2.* & *Vasquez d. 95. c. 2.*

7. *Sicut corpus, adorato homine ob excellentias animæ, coadoratur.*

Denique idem patet exemplo regis & purpuræ (quo utitur *Augustinus suprà*) purpura enim simul cum rege adoratur regiâ adoratione. Et clariùs exemplo corporis & animæ (quo utitur *Cyrillus sup.*) corpus enim propter animæ gratiam & excellentiam adoratur; sic ut illa adoratio etiam tendat ad corpus, quia est pars personæ, scilicet hominis, qui totus adoratur, etsi excellentia non sit in omnibus partibus. Itaque ratio adorandi Christum Latriâ est divinitas, id quod adoratur est totus Christus, seu divinitas & humanitas, illa primariò, hæc secundariò & concomitanter. Unde non obstat, quòd humanitas non sit Deus quò minùs coadoretur Latriâ: ad hanc enim sufficit, ut persona quæ adoratur sit Deus, etsi non omnes partes sint Deus seu habeant divinam excellentiam; ut ex simili allegato satis constat.

8. *Explicatur locus Damasceni.*

Objicitur illud *Damasceni Orat. 1. de Imaginibus: Non materiam, sed materiæ auctorem adoro, qui propter me materia factus est, & in materia voluit habitare, ut per materiam mihi salutem præberet. Materiam verò per quam salus mihi facta est, colere non desinam, non tamen ut Deum. Absit.* Resp. *Damascenum* ibi non negare coadorationem corporis seu humanitatis Christi tamquam objecti secundarii, quam evidentissimè docet *l. 3. de fide c. 8. & l. 4. c. 3.* Immo *Orat. 1. citatâ circa init.* præmiserat: *Adoro simul cum rege & Deo corporis purpuram &c.* utpote partem ejusdem personæ; in quam fertur adoratio latreutica. Solùm igitur negat adorationem latriæ reliquæ materiæ distinctæ ab humanitate, v. g. clavis, lanceæ &c. ut indicat sequens contextus; aut certè illam solùm negat corpori tamquam objecto solitario vel principali.

An & qualiter adoratio Verbi nondum incarnati, & ejusdem jam incarnati distinguantur.

Petes an adoratio Verbi necdum incarnati, & ejusdem incarnati simul cum carne sua sint unus & idem numerò actus? Resp. Neg. loquendo de actu interno: quia saltem est distinctio ex parte objecti terminativi & materialis secundarii. Ob quod similiter actus quo diligo Petrum non est idem cum eo quo diligo animam separatam. Externus tamen actus posset esse idem; ut patet.

9. *Humanitas Christi non potest solitariè aut principaliter adorari latriâ.*

DICO III. Christus quatenus homo præcisè, seu humanitas illius, considerata tamquam principale objectum adorationis, non potest adorari latriâ, sed adoratione inferiori. Ratio est: quia excellentia humanitatis Christi, etsi singularissima, est creata, & non involvit formaliter divinam excellentiam: sive consideretur gratia habitualis, scientia infusa, ceteraque dona humanitatis Christi, sive etiam ipsa Unio hypostatica, quæ est quid creatum: ergo illa non possunt esse ratio adorandi humanitatem Christi latriâ sed cultu minori, etsi excellentissimo, qui vocatur Hyperdulia à Doctoribus communiter, quatenus tendit ad gratiam habitualem Christi; immo etiam quatenus tendit ad Unionem hypostaticam; quamvis Aliqui eatenus imperfectam latriam appellent.

10. *Potest sic considerata licitè adorari hyperduliâ.*

DICO IV. Humanitas Christi secundùm se præcisè spectata licitè potest adorari Hyperduliâ ob perfectiones creatas sibi intrinsecas. Ita Doctores satis communiter contra *Vasquez*. Ratio est: quia cùm humanitas eatenus verè sit prædita excellentiis adeò singularibus & venerabilibus, quid ni ob illas ipsa præcisè spectata queat adorari? Deinde ipsam ut sic spectatam possumus amare, laude ac honore dignam prædicare; cur ergo non adorare?

11. *Dicta Conciliorum contra Nestorium procedentium non obstare, ostenditur.*

Neque obstant (quod contendit *Vasquez*) dicta Conciliorum contra *Nestorium* definientium adorationes in Christo non esse dividendas, sed unicâ adoratione ipsum esse adorandum, ut patet ex *Epist. Concilii Alexandrini*, quæ est *S. Cyrilli*, & probata à *Concilio Ephesino*; item ex *anathematismo seu Can. 8. Concilii Ephesini*, & *Synodo V. Collat. 8. Can. 9.* Non ostant, inquam: quia solùm contra *Nestorium* adstruunt unam in Christo personam; adeoque dum Christus adoratur, unâ & eâdem adoratione latreuticâ adorari Christum Deum & Christum hominem, utpote eamdem personam; *Nestorio* consequenter negante Christum Deum & Christum hominem unâ adoratione esse adorandum, ac dicente, quòd in duabus naturis separatis adoretur Christus per duas adorationes, separatim Deus Verbum, separatim homo. Non tamen negant Concilia unicam istam personam secundùm diversas naturas & diversas in iisdem excellentias posse juxta earum exigentiam diversimodè coli tamquam objecta formalia cultûs proportionati. Sanè Concilia præfata pari modo in istis circumstantiis fuissent locuta de laudatione Christi Domini, quo loquuntur de adoratione seu veneratione; & tamen quis dubitet, quin ob suas proprias & creatas dotes licitè laudetur, & laude digna prædicetur Christi humanitas. Inusitata tamen est hujusmodi adoratio; eò quòd hæc sine similibus præcisionibus soleat ferri in ipsam personam: cui, cùm divina sit, & prædita excellentiâ infinitâ, tribuitur cultus Latriæ.

12. *Immo ipse Christus ob excellentias humanitatis posset in rigore adoriri.*

Sed difficultas est, an sicut humanitas, sic etiam ipse Christus ratione excellentiarum humanitatis possit adorari Hyperdulia? Resp. Aff. in rigore loquendo, sic nimirum ut submissio honorativa tendat ad Christum, primariò verò ad humanitatem,

vari juxta modum præmissum.

denique creata humanitatis excellentia sit ratio motiva: cùm enim in Christo istiusmodi excellentia verè sit, ipseque propter illam queat laudari & æstimari, cur non honorari & adorari? Ita *Scotus, Lessius, Tannerus, Arriaga* & plures alii contra *Lugo* & à fortiori contra *Vasquez*, & alios.

13. Dices I. Divina excellentia videtur exigere, ut persona Christi semper adoretur latriâ: sicut rex debet coli honore regio, etsi simul sit dux & comes: & generatim adorare aliquem, & non ob summam dignitatem quam habet, est ei quodammodò iniuriosum. Confirmatur ex *Lugo*: quia aliàs hoc ipso quasi significaremus, alterum non distare tantùm à nobis, quantùm distat; cùm adoratio sit signum distantiæ inter nos & rem adoratam. Resp. in primis totum argumentum cessare, si hyperdulia jungatur latriæ: cùm etiam reges ducant sibi honori, quod titulo regio annumerentur tituli inferiores. Deinde supponendo quòd licitè separetur hyperdulia à latria,

Sive hyperdulia jungatur latriæ.

Sive non.

Resp. Neg. Ass. Ad simile dico, quòd etsi reges terreni facilè contemni se putent, si non exhibeatur eis honor maximus, quo sunt digni, eò quòd in deferendis & quærendis politicis honoribus mundus plus æquo exorbitet, facilèque putent homines, honorantem existimare, quòd non sint ampliori honore digni; verè tamen non fieret eis injuria, casu quo exhibitio supremi honoris non esset in præcepto. Nec est, cur rationabiliter talem honorem equidem indebitum ægrè ferrent homines, si sciant alioquin honorantem habere debitam existimationem de iis quos honorat. Quod potissimùm habet locum in Christo, qui scrutatur renes & corda. Adde quòd extra materiam adorationis non semper à conditione excellentiori alterum laudemus: sed sæpè à conditionibus non summis; quid ni ergo ob has honorare vel adorare liceat?

Adoratio non est signum, deesse in altero majorem excellentiâ eâ, quam hic & nunc adorans testatur.

Ad Confirmationem dico, adorationem esse signum distantiæ quatenus significat adoratum esse excellentiorem; non tamen esse signum adæquatum seu cum exclusione alterius excellentiæ majoris, quasi non sit alia vel major distantia, quàm quæ in tali individua adoratione insinuatur: tot enim sunt & tantæ distantiæ, quot & quanti sunt tituli seu excellentiæ majores in eo qui adoratur. Sic sanè sanctissima Virgo rectè adoratur ob excellentissimam sanctitatem; nec tamen ob id significatur non esse in ea altiorem titulum, videlicet maternitatis, quo à nobis distat, estque excellentiori modo adorabilis.

14. *An Christus posset rogari, ut oret pro nobis.*

Dices II. Ergo similiter Christus quà homo poterit rogari, ut oret pro nobis. Resp. transeat totum: cùm enim equidem verè pro nobis oret seu interpellet; cur rogari non possit, ut id faciat? Non solet tamen Ecclesia sic orare, sed dicere Christo, Mi-

serere nobis: tum ne detur cuiquam occasio cogitandi aliquid Christo indignum contra ejus divinitatem: tum, ut Christo principalem honorem tribuat, significetque ipsum non tantùm rogare, sed etiam ut Deum posse dare quod petitur. Prout etiam non consuevit Christum adorare, nisi Latriâ seu honore divino. Prout denique ne ipsam quidem humanitatem solitariè consideratam consuevit interpellare, ut oret pro nobis: quod tamen cur ex natura rei foret illicitum, minimè apparet.

QUÆSTIO II.

De Cultu & Invocatione Sanctorum.

DIco I. Sancti sive angeli sive homines, potissimùm in cælo regnantes colendi & venerandi sunt. Est de fide contra *Lutheranos, Calvinistas* & ceteros hujus temporis ac quosdam antiquiores Hæreticos, definitum in *VII. Synodo act. 7.* & novissimè in *Tridentino sess. 25. in Decreto de Invocatione, Veneratione & Reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus.* Patet etiam ex perpetuo usu Fidelium, ac Traditione Ecclesiæ. Quæ sufficienter constat, tum ex calumniis Hæreticorum & Gentilium, qui ab exordio Ecclesiæ Catholicos infestarunt, quòd Martyres & alios Sanctos pro Diis colerent; ut videre est apud *Bellarminum To. 1. l. 1. de Sanctorum beatitud. c. 13.* tum ex templis, votis, peregrinationibus, invocationibus, aliisque in Sanctorum honorem omni tempore à Fidelibus fieri solitis: tum ex unanimi consensu Patrum, jam inde à temporibus Apostolorum, ut videre est apud *Bellarminum sup.* Nobis sufficiat *Augustinus Serm. 25. de Sanctis* dicens: *Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat multitudo gentium.* Et *in Psal. 96.* Æthnicis objicientibus, quòd Christiani colerent Angelos, respondet: *Vtinam & vos ipsos colere velletis! facilè enim ab ipsis disceretis, non illos colere,* id est, non colere ut Deos, sed ut Sanctos. Quæ responsio optimè retundit calumnias Hæreticorum nostri temporis.

15. *Sanctis cum Christo regnantibus communicandi,*

Vt habet Ecclesiæ sensus, petunda ditio & usus.

16. *Accedit Scriptura.*

Accedit auctoritas Scripturæ: nam Angelos adoravit Abraham *Gen. 18.* Eosdem adoravit Loth *Gen. 19.* Similiter Josue adoravit Angelum *Josue 5.* Deinde etiam viri sancti & Prophetæ fuerunt in vita ob hanc ipsam excellentiam ab hominibus adorati. Sic Abdias adoravit Eliam *3. Regum 18.* Filii Prophetarum Elizeum *4. Regum 2.* Nabuchodonosor Danielem tamquam virum Deo plenum *Dan 2.*

Accedunt innumera miracula apud Scriptores passim obvia, quibus cultum Sanctorum sibi esse gratum Deus testatum reliquit, benefaciendo cultoribus, cælitùs pu-

nien-

niendo contemptores Sanctorum.

Et ratio manifesta.

Accedit denique ratio: quia Sanctis inest dignitas & excellentia longè major quàm nobis; eaque non humana & politica, sed supernaturalis: ergo ratione illius sunt colendi & adorandi, & quidem cultu majori, quàm debeatur divitiis, sapientiæ, dignitatibus hujus sæculi, aliisque excellentiis inferioribus, ut per se patet.

17. *Cur Mardochæus noluerit adorare Aman, & quàm id non faverat Scripturæ, certò ostenditur.*

Dices I. *Esther* 3. Mardochæus recusavit adorare Aman, quia (inquit ipse Mardochæus *cap.* 13.) *timui, ne honorem Dei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Resp. Aman verosimiliter voluisse cultu latriæ instar Divorum adorari, eò usque ascendente incredibili illius ambitione, quantumvis rex in particulari talem cultum non præscripsisset. Quod verba citata Mardochæi satis indicant. Sicque communiter ab Hebræis fuisse intellectum notat noster *Lyranus*. Quòd si Hæretici contendant de alio cultu hîc esse sermonem, æquale sibi præjudicium facient: quandoquidem tunc improbari videretur hoc exemplo, non cultus Sanctorum, sed civilis, quem suis Principibus exhibendum esse etiam ipsi docent. Neque illum improbavit Mardochæus, dum ordinariè defertur. Immo eodem *c.* 13. dicit: *Libenter pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem.* Eumdem etiam cultum ex ordinatione Regis Mardochæo exhibitum ipse non recusavit. Plures alii censent Aman petiisse reverentiam exteriorem, consuetudine Judæorum ordinariè soli Deo exhiberi consuetam, scilicet genuflexionem; quam cum Judæorũ scandalo noluit Mardochæus exhibere, ideoque *cap.* 3. de hoc interrogatus respondit, *se esse Judæum.* Quòd si quis instet, ipsum Mardochæum postea permisisse sibi similem exteriorem reverentiam exhiberi, Responderi posset, permisisse sibi exhiberi, non à Judæis, sed à subditis Assueri. Adde, Mardochæum fortasse etiam civilem reverentiam noluisse Aman exhibere, vel quia à Deo impellebatur, ut sic hominem superbissimum mortificaret; vel quia judicabat se meritò tantam reverentiam negare homini minimè merito, & suæ gentis capitali inimico.

18. *Cur Petrus noluerit adorari à Cornelio.*

Dices II. Petrus noluit adorari à Cornelio *Act.* 10. nec Angelus permisit se adorari à Joanne *Apoc.* 19. Ad I. Respondet *Hieronymus* & *contra Vigilantium*, *Lorinus* & alii, Cornelium voluisse Petrum adorare tamquam Deum quemdam, saltem minorem: prout *Act.* 14. Lycaones referuntur voluisse sacrificare Paulo & Barnabæ velut Mercurio & Jovi. Sed quia Cornelius in notitia unius Dei rectè instructus, fabulas illas Deorum gentilium cum idololatria abjecerat, rectiùs respondetur, Petrum non redarguisse factum Cornelii in substantia, sed cùm is adorando procidisset ad pedes, Petrum ex modestia, civilitate & humilitate tam effusum honorem recusasse, ac ne pergeret, Cornelium manu elevasse.

Item Angelus à Joanne.

Similiter Angelus ex modestia noluit tantum sibi honorem deferri à Joanne, ut ostenderet, tum excellentiam naturæ humanæ à Verbo assumptæ in Christo, tum excellentiam Apostolici muneris in Joanne. Alioquin alibi Angeli in veteri Testamento talem cultum admisisse leguntur, immo exegisse *Josue* 5. Nisi quis malit dicere cum Nonnullis post *Augustinum quæst.* 61. *in Gen.* Joannem ex errore facti, quo putabat esse Deum qui apparebat, voluisse exhibere cultum latriæ, ideoque fuisse ab Angelo prohibitum. Quod non favet Hæreticis. Qui sanè gravem impingunt injuriam tanto Apostolo, si (quod contendunt, ut saltem speciem habeat objectio) reprehensus fuerit ab Angelo ob tentatum cultum duliæ; quasi juris divini (quo id foret prohibitum) fuerit ignarus. Graviorem præterea impingunt injuriam per hoc, quòd consequenter excusare nequeant à gravi culpa eumdem Apostolum, qui non obstante Angeli prohibitione adhuc postea attentaverit eumdem adorare *Apoc.* 22.

19. *Apostolus ad Colossenses 2. arguit cultum quemdam superstitiosum Angelorum tamquam Deorum mediorum.*

Dices III. *Ad Coloss.* 2. prohibetur cultus Angelorum ab Apostolo dicente: *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum* &c. Resp. cum omnibus Patribus & Catholicis expositoribus ibi Apostolum solùm insectari fictam humilitatem & superstitiosum cultum Angelorum, quos aliqui *Semijudæi* & *Semiplatonici* quosdam Deos medios, & opifices ac gubernatores mundi putabant, & tamquam mediatores inter Deum & hominem excluso Christo statuebant, per quos accedendum sit ad Patrem, & non per Christum; sive quòd indignum ducerent majestate Unigeniti, quòd ipse ad Patrem nos duceret & reconciliaret, ut ait *Sasbouth*, addens Apostolum notare scholam *Simonis Magi*, qui inter Christianos primus docuit offerre per mediatores Angelos, quos hauserat ex *Platonis* Philosophia: sive potiùs (ut vult *A Lapide*) quòd Angelos Christo præponerent tamquam excellentiores, & proindè specialiter colendos occasione errandi desumptâ ex *Cheriatho* (qui Angelos Christo præposuit) & *Platonicis*. Viguit autem hic error non solùm Chonæ (quæ olim Colossæ) sed & Laodiceæ, quæ vicina est. Unde *Concilium Laodicenum can.* 35. hunc errorem reprobat. Et *Theodoretus* refert eumdem viguisse in Phrygia & Pisidia, id est, juxta Chonam & Laodiceam. Postea tamen superstitione reformatâ versus fuit hic cultus in sinceriſſimum cultum Angelorum, inquit *A Lapide* in dictum locum Pauli.

Qui olim Colossæ & in locis vicinis viguit.

Dices IV. Nonnulli Patres dicunt nec Angelos nec homines, sed solùm Deum adorandum. Resp. illos loqui de adoratione

latriæ, quæ sæpè nomine adorationis simpliciter intelligitur. *Nos autem non Deos factos esse diximus sanctos Martyres, sed omni honore dignari consuevimus*, ait *Cyrillus lib 6. contra Julianum*. Quem honorem illis deberi convincit auctoritas, & ratio manifesta. Latriam verò sive idololatriam Catholicis per calumniam meram impingunt inimici nostri, exemplo Juliani Apostatæ.

20. *Sancti cum Christo regnantes sunt invocandi.*

Dico II. Sancti sunt etiam invocandi: estque hoc licitum & Deo gratum. Est de fide contra Hæreticos hujus temporis & varios antiquiores. Immo *Calvinus l. 3. Instit. cap.20. §. 20. & seqq.* Sanctorum Invocationem exquisitis mendaciis & scommatibus insectatur. Quorum specimina juvabit videre, ne amplius scire Lector desideret, quo spiritu novus iste Pseudoapostolus cum suis asseclis ducatur. Non moror in consueto Catholicorum (quos Sophistas appellare solet) titulo, cui hîc alium Impostorum adjungit. Doctrinam ipsam, usumque perpetuum Catholicorum vocat *novitatem, superstitionem, horrendum sacrilegium, stoliditatem, furorem, profanationem intercessionis Christi, nutam ex diffidentia Christi &c.* Cœtum ipsum Sanctorum, unde Catholici advocatos apud Deum & Christum sumunt, *colluvium* appellat. Catholicos concludit §. 27. *nihil Christo reliquũ facere, qui pro nihilo ducunt ejus intercessionem, nisi accedant Georgius & Hyppolitus, aut similes larvæ.* Nec mirabitur Lector hujusmodi Epitheta, qui legerit ipsum in *libro de ratione reformandæ Ecclesiæ* scribentem: *Omitto Dominicum, & similes carnifices: omitto Medardum, & similes bestias.* Præterea *cit. c.20. §.22. Singuli* (loquitur de Catholicis) *peculiares sibi Divos asciverunt, in quorum non secùs atque tutelarium Deorum fidem se contulerunt. Neque modò, quod olim Israeli exprobrabat Propheta, secundùm urbium numerum dij sunt erecti, sed secundùm capitum multitudinem*; quasi verò Catholici Sanctos habeant seu colant velut Deos quosdã Penates, vel Genios Lares. His prælibatis, fides Catholica.

Referuntur mendacia & contumelia Calvini.

21. *Invocationem SS. Angelorum tradit Scriptura.*

Probatur I. ex Scriptura *Gen.48.* ubi Jacob benedicens filiis Joseph, ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, Zacharias cap.1.2. & 3.* Et *Daniel cap.8. & 9.* petunt illuminari ab Angelis, & impetrant. Præterea Angeli intercedunt apud Deum pro hominibus, offerunt Deo preces nostras, & varia beneficia conferunt, ut patet ex *libro Tobiæ, Zachar. 1. Apoc. 5. & 8.* & aliis locis: ergo pro obtinendis beneficiis possunt invocari.

Quemadmodum utiliter & citra Christi injuriam invocantur sancti vivi, juxta Scripturam; sic & Sancti mortui.

Probatur II. quia licitum est orare & invocare Sanctos adhuc in terris degentes, ut patet ex *Job ultimo*, ubi ipse Deus mittit amicos Job ad servum suum Job, ut oret pro iis. Et Apostolus in utraque ad Thessalonicenses ait: *Fratres orate pro nobis.* Et alibi passim petit orationes fidelium: ergo etiam licitum est invocare Sanctos in cælo regnantes, dicendo v.g. Petre & Paule orate pro nobis. Nam (ut *Hieronymus libro Contra Vigilantium*) *si Apostoli & martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse sollicitis; quantò magis post coronas, victorias & triumphos?*

21. *Quod in sanctis tilem & arrog sidere sup*

Ex quo evidens est contra Hæreticorum ordinarium improperium, non esse signum diffidentiæ, nec injuriosum Christo principali advocato & mediatori, quòd Sancti in cælo invocentur tamquam secundarii advocati & mediatores Christo subordinati: alioquin enim pariter signum diffidentiæ, & Christo injuriosum foret, quòd invocentur adhuc nobiscum degentes. Unde splendidè mentitur *Calvinus sup. §. 21.* dicens Papistas velle moliri per intercessionem Sanctorum, ut abducamur à Christo, eaque oblectari, eò quòd anxietate laborent, perinde ac si hîc Christus deficeret, aut nimiùm severus foret. Sanè sicut nihil horum subest, dum confugiunt etiam *Calvinistæ* ad intercessiones Sanctorum hîc degentium, sic nec subest, dum Catholici confugiunt ad intercessiones Sanctorum in cælis regnantium. Utrobique enim verum manet, quòd ipse *Calvinus sup. §. 19.* etsi agens de Sanctis hîc viventibus, scribit: *Ita unus statuitur mediator Christus, cujus intercessione propitius & exorabilis nobis reddatur Pater. Quamquàm interim & suæ Sanctis intercessiones relinquuntur . . . . . sed tales, quæ ab unica illa dependeant: tantum abest, ut delibent ex ea quidpiam.* Ridiculum quoque est, & pari modo facit contra invocationem viventium, quod arguit *Calvinus sup. §.27.* ex hoc quod *Scriptura in Dei cultu hoc nobis summum caput commendet, ut eum invocemus, non sine manifesto sacrilegio orationem ad alios dirigi.* Nec minùs ridiculum quod in confirmationem addit illud *Psal. 43. Si expandimus manus nostras ad Deum alienum, nonne Deus requiret ista?* quasi verò invocationes dirigantur ad Sanctos vivos vel mortuos tamquam ad Deum alium.

22. *Accedit miracula*

Probetur III. ex innumeris miraculis factis ab initio Ecclesiæ usque modò ad invocationem Deiparæ & Sanctorum: quibus historiæ & scripta Patrum plena sunt. Immo in hujus particularis articuli confirmationem directè multa fecit Deus miracula per S. Bernardum, ut refertur in vita ipsius *l.3. c.6.*

Usus & ditio pro tua Eccl

Probatur IV. Ex unânimi consensu Fidelium, & perpetua Ecclesiæ traditione, quam exhibent scripta Patrum unanimiter, quos per omnia sæcula à temporibus Apostolorum Nonnulli deducunt.

Doctrina concilior

Accedunt Concilia, *Chalcedonense* (quod etiam Hæretici recipiunt) *Act. 11.* ubi Patres unâ voce alloquuntur S. Flavianum paulo antè pro fide interemptum: *Flavianus, post mortem vivit, martyr pro nobis oret.* Et in *VI. Synodo generali c.7.* ex Canonibus recens

edi-

editis. (ut citat *Bellarm. l. 1. de Sanct. beatitud. c. 19.*) dicitur: *Solo Deo creatore adorato, invocet Christianus Sanctos, ut pro se intercedere apud Majestatem divinam dignentur.* Et in *VII. Synodo act. 6.* in fine dicitur: *Cum timore Dei omnia agamus, postulantes intercessionem incontaminatæ Deiparæ, item SS. Angelorum, omniumque Sanctorum.* Plura antiqua Concilia citat *Bellarminus sup. c. 19.* quibus adde *Tridentinum in Decreto sup. cit.*

Et ratio.

Denique probatur: quia Sancti in cœlo possunt nos suis precibus juvare, idque multò magis, quàm dum viverent in terris; ergo licitè & utiliter invocantur.

24. *Sancti in cœlo audiùt sive intelligunt preces ad se fusas.*

Dices Sancti non intelligunt preces nostras. Nam (ut arguit *Calvinus l. 3. Instit. c. 20. §. 24.*) *quis eò usque longas illis esse aures revelavit, quæ ad voces nostras porrigantur?* Resp. vel hoc est necessarium ad rectè & utiliter invocandum Sanctos; & sic ex experientia, Ecclesiæ fide, & aliis fundamentis, ex quibus manifestè convincitur invocationis utilitas, etiam manifestum est, Sanctos audire preces nostras: vel id non est necessarium (prout simpliciter non esse, quidam contendunt) & tunc frustra fit ejusmodi argumentum ad convellendam invocationem Sanctorum. Quod ad rem attinet, saltem decentissimum est, ideoque omnibus Fidelibus persuasum, quòd Sancti intelligant preces ad se fusas. Nec mirum, quòd revelante Deo hoc discant, sive in Verbo, sive extra Verbum; cùm etiam Sanctis adhuc in vita degentibus frequenter Deus absentia, immo cordium secreta manifestet. Maximè cùm ad statum beatitudinis non modicum pertineat, quòd Beati in cælo sciant, à quibus in terra invocentur. Dicit autem *Gregorius l. 2. Moral. c. 2. Quid de his quæ scienda sunt nesciunt, qui scientem omnia sciunt?* Neque ad hoc animæ beatæ indigent longis auribus, ut asininè arguit *Calvinus sup.* nam aures corporales non habent animæ Sanctorum. Et quamvis haberent, non indigerent: in cælo enim erunt, & spiritualiter audient sive intelligent, sicut Angeli Dei in cælo, quos intelligere preces nostras, easque Deo offerre, patet ex *Tobiæ 12. Quando orabas* (loquitur Angelus) *cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Idem patet ex *Apoc. 8.* Et *Lucæ 15.* dicitur: *Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Specialiter autem de hominibus colligitur ex *Apoc. 5.* ubi dicitur: *Viginti quatuor seniores* (per quos intelliguntur Sancti, qui tunc erant in gloria) *ceciderunt coram Agno habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Sanè non longioribus ibi auribus indigent Sancti, quàm Saulus, qui in terra convertendus audire potuit vocem Christi, in cælo juxta *Calvinum* existentis. Prout & potuit Stephanus lapidandus videre Jesum à dextris virtutis Dei in cœlo. Cum itaque clarissimum sit, Deo id esse facile, anne sapientis est, prætacto titulo arguere Sanctorum invocationem ab Ecclesia semper probatam, & non potius ex hoc inferre, quòd Deus non omittat conferre sanctis notitiam utili invocationi oportunam?

25. *Quo sensu sapiens dicat mortuos nil nosse.*

Dices II. *Mortui nihil noverunt amplius, Eccles. 9. Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos, Isaiæ 63.* Resp. Ecclesiasten videri loqui in persona impiorum, ut indicat contextus, & id quod subditur: *Nec habent ultrà mercedem.* Deinde etsi loqueretur ex propria sententia, equidem certo certius est, etiam ipsis Hereticis, mortuos saltem aliquid intelligere seu cognoscere.

Itaque sensus erit, quòd naturaliter non cognoscant aut experiantur, quæ agunt viventes, sicut experiebantur dum viverent: adeoque quòd tempore Ecclesiastæ sive veteris Testamenti, quando necdum erat propalata via Sanctorum, neque datus ingressus in gloriam cælestem, Sancti adhuc in limbo detenti non scirent lege ordinariâ, quæ apud homines gerebantur. Quod proinde non rectè applicatur Sanctis in cælo jam Deum intuentibus.

Quo sensu Isaias dicat Abraham & Iacob nescisse posteros suos;

Similiter potest intelligi locus Isaiæ (qui ipso *Calvino* teste Hæreticis non favet) quod videlicet Abraham & Jacob naturaliter ignorarent suos posteros viventes, dum adhuc detinerentur in limbo. Ideoque in veteri Testamento erat quidem in usu invocare sanctos Angelos, utpote beatos; non tamen sanctos homines mortuos, sed Deum per ipsorum merita: uti nec modò solent animæ in purgatorio invocari, etsi pro nobis in generali orent. Sicut etiam patres in limbo orabant in genere pro necessitatibus suorum; prout de Jeremia Propheta testatur Onias 2. *Machab 15. Hic est qui multum orat pro populo, & universâ sanctâ civitate Dei.* Aliter cum *Hieronymo* dici potest, Abrahamum & Jacob nescivisse posteros, id est, non agnovisse pro filiis, adeoque neglexisse, quia à Deo suo recesserant.

26. *Cur invocentur Sancti, cùm Deus sit ad nos exaudiendum paratissimus.*

Dices III. Deus ipse est paratissimus nos audire. Resp. hoc non obstante Apostolus invocat Sanctos adhuc secum in terris degentes; & ipse Deus mittit amicos Job ad ipsum Job. Dico itaque Deum esse quidem paratissimum nos audire, dummodo rectè dispositi, convenientique modo & ordine petamus. Quid ni ergo timentes nostræ indispositioni & defectui conditionum valida orationis, rectè confugiamus ad illos quos esse novimus charissimos Dei amicos ac familiares, quorum proinde desideria plurimùm valeant apud Regem cælestem, & potentia sint supplere inefficaciam precum nostrarum? Sicut etiam in humanis rectè impenditur amici intimi regis supplicatio, quò nostra certiùs exaudiatur. In hoc autem nulla diffidentia de bonitate, liberalitate, vel potentiâ Dei involvitur. Adde quòd

quòd dum Sancti invocantur, etiam rogetur Deus, à quo per merita Christi & Sanctorum speramus beneficia impetrare; sicut utique ab indigente beneficio rogatur rex, quando nomine indigentis apud regem interpellat amicus familiaris.

27. *B. Virgini debetur cultus hyperdulia, non latria.*

Dico III. Si ullis Sanctis debeatur cultus (quod jam contra Hæreticos ostendimus) evidentissimum est, deberi B. Virgini omnium Sanctorum excellentissimæ: & quidem sicut ceteris longè in sanctitate præeminet (ut *disp. seq. q. 1. §. 2.* ostendetur) sic cultus ei major & excellentior debetur, qui hyperdulia dicitur. Præterea ob respectum ad Christum quem portavit & contigit, convenit ei veneratio; sicut spineæ coronæ & aliis reliquiis, quæ contigerunt corpus Christi. Denique ratione maternitatis Christi & Dei debetur ei hyperdulia singularis; cùm infra Unionem hypostaticam sit ista dignitas materialiter maxima, cui tanta gratiarum plenitudo de congruo debebatur; non tamen cultus latriæ: quia illa perfectio non est increata vel divina. Notant autem Varii Deiparam nequidem latriâ respectivâ esse adorandam, saltem practicè loquendo, ratione Christi conjuncti aut repræsentati, secùs quam res insensibiles: eò quòd ipsi competat secundùm se propria adoratio, non autem creaturæ insensibili: ideoque creatura rationalis soleat se magis offerre per modum rei, quàm per modum signi, ut loquitur *d. Bonav. d. 9. a. 1. q. 3. ad 4.*

28. *Sancti non beatificati possunt coli & invocari citra exhibitionem cultûs publici.*

Pro fine nota, Sanctos etiam non canonizatos posse privatim invocari & coli, appellari sancti, depingi. Similiter potest aliquis in die natali illorum peculiariter lætari, & Deo vacare in ipsorum memoriam: non potest tamen eis exhiberi publicus cultus, ut decernitur *cap. 1. & 2. de Relig. & venerat. Sanct.* Dicitur autem publicus cultus, non quòd exhibeatur coram aliis, sed quòd nomine totius Ecclesiæ, & tamquam ab ea institutus exhibeatur, ut ex *Bellarmino l. 1. de Sanctis cap. 10.* notat *Sanchez To. 1. Summæ lib. 2. cap. 43. n. 3.* Unde non potest in Litaniis Ecclesiæ aut divino officio etiam privatim recitato nominari aliquis non canonizatus, neque altare aut templum in titulum illius erigi, nec sacrificium in illius memoriam offerri, nec publicum de eo festum celebrari &c.

Cultus publicus quis esse censeatur.

QUÆSTIO III.

De Cultu sacrarum Reliquiarum.

29. *Cultum SS. Reliquiarü post Nonnullos veteres respuunt recentiores Hæretici.*

Cultum sacris Reliquiis primùm negasse referuntur *Eunomius & Vigilantius*: quorum error tempore Constantini Copronymi ita invaluit, ut (teste *Suida*) sacrilegus ille Imperator sacras Reliquias conspurcari, & ubique deleri jusserit. Cujus vestigiis non segniter inhærent *Calvinistæ*, ut eorum horribilia facta in Belgio & Gallia demonstrant. His consentiunt *Lutherani* & reliqui hujus temporis Hæretici, quatenus negant ullum religiosum cultum Reliquiis deberi. Sed veritas Catholica habet, eas esse venerandas. *Amplectitur Catholici.*

Dolli per Scripturam.

Probatur I. *ex Exodi* 13. ubi ossa Jacob & Joseph leguntur fuisse magno cum honore tractata & sepulta. Et 4. *Regum* 23. sanctus rex Josias destructis sepulchris eruit ossa, ut super altare idolorum combusta illud contaminarent; sed invento sancti Prophetæ sepulchro illud reliquit intactum, prohibens ossa ipsius commoveri. *Et intacta manserunt ossa illius cum ossibus Prophetæ qui venerat de Samaria.*

30. *Et innumeris miraculis in Scriptura & Patrum monumentis relata.*

Probatur II. ex innumeris miraculis factis per Reliquias Sanctorum: quibus ostendit Deus se honorare Reliquias, & velle ut à nobis honorentur. 4. *Regum* 13. mortuus resurrexit ex contactu ossium Eliseï *Matth.* 9. Emorroissa ex fiduciali attactu fimbriæ vestis Christi sanata est. *Act.* 19. sudaria & semicinctia Pauli languores curarunt, & spiritus malos abegerunt. Immo *Actor.* 5. umbra Petri liberabat infirmos. *Augustinus* 22. *de civit. c.* 8. testatur tot miracula per reliquias S. Stephani esse edita, ut illis enarrandis necesse foret multos libros scribere. Idem constat ex omnium ferè Nationum & ætatum scriptoribus. His accedunt miracula, quæ à Deo fiunt circa ipsas reliquias; ut quòd subinde serventur per longissimum tempus incorrupta, ac suave olentia Sanctorum corpora: quòd Deus latentia subinde revelet, ut ab hominibus honorentur; prout testatur *Ambrosius* sibi divinitus revelatum esse locum, in quo jacebant corpora SS. Gervasii & Protasii. Similia referunt Scriptores.

31. *Per traditionem & auctoritatem Ecclesiæ, ut Conciliis, Vetustâ praxi, Patrum consensu.*

Probatur III. ex auctoritate & traditione Ecclesiæ quæ constat: tum ex *Nicæno II. act. 7. & ibidem act.* 3. Reliquiæ vocantur salutares fontes, quibus Deus hominibus beneficia præstet: & ex *Tridentino sess. 25. in Decreto de Invocat. Sanct.* Tum ex honorificis reliquiarum translationibus factis ab initio nascentis Ecclesiæ, ut videri potest apud *Bellarminum l. 2. cap. 3. & Suarez disp. 55. sect. 1.* Tum ex erectione altarium cum impositione reliquiarum, & earumdem delatione in processionibus. Tum ex unanimi consensu Patrum, quorum evidentissima testimonia in magna copia videri possunt apud *Bellarminum sup.* Nobis sufficiant verba *Basilii* in illud *Ps. 115. Pretiosa in conspectu Domini &c.* scribentis: *In lege veteri morticina habentur abominationi; nunc contrà si cujus cuipiam irrogatur pro Christi nomine, pretiosæ censentur reliquiæ ejus: tunc si quis tangeret cadaver immundus erat, nunc martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem fit quodammodo sanctificationis particeps.* Tum ex perpetuo usu Fidelium, qui Sanctorum reliquias *Et perpetuus fidelium usus manifestum.*

quias semper in magna veneratione habuerunt, eas variè exornarunt, ad easdem peregrinationes instituerunt &c. ut ex Patribus & Scriptoribus etiam vetustissimis constat.

32. *Ac denique per rationem,*

Probatur IV. ratione: quia Corpora Sanctorum fuerunt organa animæ ad opera pietatis, fuerunt organa Spiritûs sancti ad miracula, & mundo conferenda beneficia, erunt consortia beatitudinis. Denique sunt aliquid maximè spectans ad Sanctos. Quare si res quascumque spectantes ad illum, quem singulariter reveremur, solemus reverenter tractare: absurdum sanè videri debet, id denegare rebus spectantibus ad Deum vel Sanctos, prout sunt præcipuè corpora Sanctorum, deinde etiam vestimenta & alia quæ ipsorum fuerunt. Confirmatur: quia (ut patet ex Apostolo *ad Heb.* 9.) in tabernaculo primo, seu sancto sanctorum in arca fœderis pretiosissimâ sollicitè custodiebantur certæ reliquiæ, scilicet urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti: quid minus autem habent ossa Sanctorum, instrumenta passionis sanguine martyrum tincta &c.

33. *Ab antiquo in veneratione habita sunt non solùm integra SS. corpora, sed & exigua particula, capilli, sanguinis gutta, instrumenta passionis, vestimenta &c.*

Notandum autem ex scriptis vetustissimorum Patrum constare, etiam ipsorum tempore, adeoque ab exordio nascentis Ecclesiæ, non solùm integra Sanctorum corpora seu cadavera (quæ principaliter nomine Reliquiarum censentur, velut quæ remanserunt de ipsis Sanctis apud nos) in omnigena veneratione fuisse habita, sed etiam exiguos pulveres, aut ossium particulas, capillos, sanguinis guttas &c. Audi *Nazianzenum Orat. invectivâ* 1. *in Julian.* paulò ante med. de Martyribus dicentem: *Quibus præclari honores & festa constituta, à quibus dæmones propelluntur & morbi curantur, quorum apparitiones & prædictiones, quorum vel sola corpora idem possunt quod animæ sanctæ, sive manibus contrectentur, sive honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ atque exigua passionis signa idem possunt quod corpora. Hæc non colis* (redarguit S. Doctor Julianum Apostatam) *sed contemnis &c.* Immo & instrumenta passionis erant in veneratione. Unde lignum crucis per particulas sparsum est per universum orbem teste *Cyrillo Hierosolymitano Catech.* 13. Ejusque particulam ferreo crucis signo, item annulo inclusam & ad collum appensam gestabat S. Macrina, ut in vita ejusdem refert *Gregorius Nyssenus.* Et de vinculis S. Petri Apostoli ait *Aug. Serm.* 29. *de Sanctis: Meritò per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum.* Vestimenta denique aut alia quæ Sancti attigerunt etiam in veneratione erant. Nam cathedram S. Jacobi Apostoli successores Episcopi Jerosolymitani permultùm æstimarunt, teste *Eusebio l.* 7. *Histor. Eccles. c.* 15. Prout etiam S. Antonius in pretio habuit tunicam S. Pauli Eremitæ, & ipsius S. Antonii pallium S. Athanasius. Immo pulvis collectus de sepulchro martyrum pro munere & tamquam res magni pretii accipiebatur, teste *Nysseno Orat. de S. Theodoro.* Atque (ut refert *Aug.* 22. *de Civit. c.* 8.) *Hesperius acceperat ab amico suo terram sanctam de Jerosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertiâ resurrexit, eamque suspenderat in cubiculo, ne quid mali ipse pateretur.*

34. *Similis planè cultus olim SS. reliquiis exhibetur, qui modò.*

Constat etiam ex tota antiquitate evidenter Sanctorum reliquiis similem cultum & venerationem fuisse exhibitam, qualis modò exhibetur. Custodiebantur enim corpora Sanctorum sollicitè in thecis seu arcis pretiosis, etiam aureis & argenteis; transferebantur honorificè cum processionibus, populique miro ac devoto confluxu, cum hymnis & canticis. Præterea Fideles ornabant reliquias sertis & floribus, cereos etiam fulgente sole coram eis accendebant, venerabantur easdem quotidianis hymnis & orationibus, offerebant & suspendebant in signum beneficii aut voti donaria etiam ex auro & argento, instituebant peregrinationes ad easdem etiam ex voto, osculabantur, amplexabantur, genuflexi aut cernui eas venerabantur, sudaria feretris aut thecis ipsisve reliquiis admovebant, interdum non sine miraculosa sanatione cœcitatis aliorumve defectuum.

35. *Calumnia hæreticorum retunditur.*

Nihilominus falsissimum est, quod Hæretici Catholicis solent impingere, eos nimirum reliquias invocare, aut divino cultu adorare: nemo enim Catholicus id facit, sed simpliciter reliquias veneratur velut sacra pignora hominum sanctorum cum Christo regnantium: & in ipsis reliquiis, aut (si simul cum ipsis Sanctis apprehendantur) cum reliquiis adorat ipsos Sanctos cultu duliæ, & Sanctos invocat, non autem reliquias, quæ velut res inanimatæ nec preces intelligere, nec apud Deum possunt intercedere.

36. *Reprehensio Phariseorum sepulchra Prophetarum ædificantium non favet Hæreticis.*

Objicitur I. Christus *Lucæ* 11. dixit Pharisæis: *Væ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testificamini, quòd consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem occiderunt eos, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Eadem reprehensio refertur *Matth.* 23. Resp. perperam hinc Hæreticos redarguere cultum reliquiarum: cùm satis constet nec lege naturæ, nec Moysaicâ fuisse Judæis prohibitum ædificare aliis sepulchra, sed potiùs laude dignum. Unde reprehendit Christus Pharizæos, quòd per hypocrisim, ut virtutem ostentent, ædificent & ornent sepulchra Prophetarum. Quòd autem hoc agendo dicantur testificari, se consentire illorum occisioni, respondent quidam Pharizæos id non fuisse testificatos per ædificationem sepulchrorum, sed

per

per alia facta. Verùm omnino videtur Christus etiam intendere, quòd hoc ipsum testificarentur ædificando sepulchra. Id autem sic est intelligendum, quòd cum Pharizæi eadem facere molirentur contra Christum & Apostolos, quæ ipsorum majores fecerant contra Prophetas, ideo illa sepulchrorum ædificatio secundùm morale & in ratione fundatum judicium meritò posset videri ab illis fieri, non in detestationem cædis, sed in ejusdem memoriam & approbationem, ac velut in applausum factorum, quasi fortiter gestorum ab eis, quos agnoscebant pro suis patribus, aut certè in factorum complementum, sicut ministri solent sepelire, quos eorum domini iniquè interficiunt: atque ita non formaliter, sed interpretatione quâdam consentiebant cædi Prophetarum. Hæc expositio videtur conformior textui & communi interpretationi sanctorum Patrum; quorum nemo sic explicat, ut errori Hæreticorum vel leviter faveat.

37. Objicitur II. Deus abscondit corpus Moysi *Deuteron. ult.* idque juxta Patres ne adoraretur: & propterea in *Canonica Judæ* dicitur diabolus altercatus cum Michaële de Moysi corpore. Resp. fuisse occultatum, ne adoraretur tamquam idolum; cùm populus Israëliticus nimis esset ad idololatriam proclivis. Quæ proclivitas non est in populo Christiano, à quo præterea Doctorum & Pastorum instructio satis removet idololatriæ periculum. Ratio autem cur hoc periculum potiùs foret in Israëlitis circa Moysen mortuum, quàm circa viventem, est, quòd ipse dum viveret, jugiter iis ingereret unum Deum, cujus ipse esset servus. Post mortem verò recordati mirabilium quæ fecerat, facilè fuissent prolapsi in cultum idololatricum defuncti seu corporis. Sicut serpentem æneum Moyse mortuo demum colere cœperunt, 4. *Reg.* 18. Immo & ipsum Moysen tandem pro Deo habuerunt illæ nationes, quæ in Arabia Petræa, Robom & Edom appellata, habitabant, teste *Epiphanio Hæresi* 55.

Cur Deus occultatum voluerit Moysi corpus.

38. Objicitur III. *Canon* 34. Concilii Eliberitani; *Cereos per diem placuit in cœmiterio non incendi: inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt.* Resp. Concilium (quamquàm non sit tantæ auctoritatis) justè id prohibuisse tunc temporis, quo Christiani adhuc passim degebant inter Gentiles, qui solebant animas defunctorum inquietare, id est accensis cereis aliisque superstitiosis modis evocare: sive solebant luminaria accendere circa sepulchra, existimantes defunctos inde juvari vel illuminari: adeoque periculum erat, ne Christiani in easdem superstitiones inciderent. Et apparenter hoc sensu non sano à pluribus id fiebat, quod veluti Sanctorum spiritibus displicens, meritò illos inquietare dicitur: sicut dum quis de mortuis malè loquitur, dicere solemus: Sinamus mortuos quiescere. Vide *Baronium ad annum* 351. Alii existimant id fuisse prohibitum, quia fiebat nimio concursu & strepitu, sic ut spiritus sanctorum, scilicet Clericorum, quibus sepulchrorum custodia erat commissa, inquietarentur in sua devotione. Alii denique intelligunt Spiritus sanctorum, id est Christianorum, quorum plures ex praxi aliquorum prafata ac superstitioni pro tunc exposita inquietabantur & offendebantur.

Explicatur Concilium Eliberitanum statuēs ne per diem in cœmiterio accenderentur cerei.

Objici denique solet auctoritas *Hieronymi l. 6. contra Vigilantium*, quasi ibi non probet ad sepulchra martyrum cereos accendi. Sed mens S. Doctoris est aperta. Cùm enim *Vigilantius* per sarcasmum objeciset *Hieronymo*, Catholicos magnum honorem Sanctis deferre, *quos putant de vilissimis cereolis illustrari*, respondet *Hieronymus*: *Confiteor zelum habent, sed non secundùm scientiam, si qui sunt, qui hac opinione cereos accendunt.* At si sanâ fide & intentione istud fiat, *Hieronymus* adeò non improbat, ut *Epist. ad Riparium* hunc usum adferat in confirmationem cultûs Sanctorum. Immo eumdem ipso *libro contra Vigilantium* dicit esse recipiendum: *nam* (inquit) *& absque martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras; sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Adde, & in signum, quòd Christus ejusque evangelium sit vera lux, quæ illuminat mundum. Itaque Gentilium superstitione fugatâ rectè accendimus coram Sanctorum Reliquiis lumina in signum nostræ lætitiæ, & congratulationis, ipsiusque triumphi & gloriæ vitæque sempiternæ Sanctorum, non tamen eis in sacrificium offerimus; pariterque ad imitanda vestigia, spemque similem incitamur.

39. *Hieronymus non improbat, sed potiùs probat usum accendendi cereos ad sepulchra Martyrum.*

Quare cereos accendamus die.

Fuitque mos accendendi de die lumina, non tantùm lætitiæ, sed & religionis ergò etiam apud Judæos. Et quamvis à Gentilibus Ecclesia eum mutuasset, parum referret: cùm indubiè Ecclesiæ dicuerit, quæ apud Gentes superstitioso cultu impiè agerentur, eadem suo usu & institutione, sanoque ritu ad pietatem transferre, ut majori diaboli contumeliâ, quibus ipse coli voluerit, Christus cum Sanctis ab omnibus honoraretur. Sic enim & Gentilium ferias superstitionibus cumulatas in festa & celebritates Martyrum laudabiliter esse conversas, & idolorum templa in Ecclesias, Deo in memoriam Sanctorum dicatas, esse commutata, rectè tradiderunt *Gregorius Thaumaturgus & Theodoretus.* Prout etiam in veræ religionis cultum cœperunt Christiani (quod olim superstitiosè Gentiles consueverant) Ecclesias Martyrum ornare frondibus. Et ob hoc à *Hieronymo* laudatur *Nepotianus Epist.* 3. quòd illas Ecclesias diversis floribus, arborum ramis, vitium-

Ecclesiæ rectissimè superstitiosa gentilium in veram Dei & sanctorum eius cultum transtulerunt.

tiumque pampinis exornaret. Vide *Baronium ad annum Christi* 58.

40. *Quid requiratur ad reliquias privatim colendas.*

Pro complemento hujus quæstionis notandum est non requiri approbationem ad reliquias privatim colendas, sed sufficere, quòd ex testimonio fide digno alíúque signis prudenter judicentur esse veræ reliquiæ; & tunc etiam posse coli absolutè ac sine conditione. Præterea ad hoc non requiritur, ut sint alicujus Sancti canonizati, modò habeatur moralis certitudo, sive formetur prudens judicium de illius sanctitate. Immo non desunt Auctores (quamvis alii contradicant) qui existimant, posse ad ornatum includi cruci expositæ in altari reliquias non approbatas; eò quòd tunc non videantur exponi venerationi, sed potiùs ipsa crux. Possunt etiam piè & licitè gestari ad collum juxta Doctores, unanimiter, & communem usum fidelium ac piorum: quamquàm *Angelus V. Reliquiæ* contradicat ob *c. Corpora, De Consecr. d.* 1 & *l. Si necdum* 10 & *L. Nemo* 14. *C. de Religiosis & sumptibus funerum.* Verùm ibi non est sermo de hujusmodi portatione reliquiarum, sed c. *Corpora* (quod est Concilii Provincialis Moguntini) prohibetur fieri translationem corporum Sanctorum sine licentia saltem Episcopi. Et *l. Nemo* requiritur licentia Augusti ad transferendum corpus humanum. Estque sermo utrobique de corpore tradito perpetuæ sepulturæ, arg. *l. Si necdum* cit.

41. *Quid circa colendas publicè.*

Quod attinet reliquias novas aut noviter inventas alicujus Sancti, antequam illæ exponantur publicæ venerationi fidelium in Ecclesia aut altari, debent recognosci & approbari ab Episcopo adhibitis in consilium Theologis & aliis piis viris; in casu autem difficili aut occurrente quæstione gravior est expectanda sententia Concilii Provincialis. Sic decernit *Trid. sess. 25. in decreto de Relig. & invocat Sanct.* Quod decretum juxta receptam doctrinam *Rodriguez, Sanchez, Zypæi, Barbosa* & aliorum passim (etsi Nonnulli contradicant, & secùs aliquando practicatum sit, factum postea tolerante Sede Apostolicâ) intelligitur de reliquiis Sancti canonizati vel beatificati. Sic enim jus novum concrearur cum antiquo *Concilii Generalis Lateranensis* (cui *Tridentinum* per nullam clausulam derogat) quod refertur *cap. 2. de Reliq. & venerat. Sanct.* ubi exigitur approbatio summi Pontificis pro cultu reliquiarum denuò inventarum; ut nempe hoc loquatur de Sancto non canonizato, *Tridentinum* verò de canonizato; adeòque in *Tridentino* (quod caveat ibidem, *ut nihil inconsulto Pontifice novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur*) nil novi fuerit concessum Episcopis, sed tantùm modificatio in approbatione ab eis servanda præscribitur. Nisi quis malit, *Lateranense* agere quoque de reliquiis canonizatorum, sed dubiis ac noviter inventis; *Tridentinum* verò etiam harum recognitionem committere Episcopis; adeòque modificare jus antiquum, ut Nonnulli volunt.

42. *Reliquiæ legitimè approbatæ sunt absolutè colendæ, etsi diversis in locis perhibeantur esse corpora ejusdem nominis seu sancti existere perhibeantur.*

Reliquiæ porrò debitè approbatæ possunt absolutè coli. Idque verum est, etiamsi diversis in locis perhibeantur esse corpora, capita, aut similes reliquiæ eorumdem Sanctorum. Nam equidem qui eas veneratur, non errat in substantia, sed potiùs in singularitate materiæ, putans esse hujus Sancti, cùm verè sint alterius, etiam verè Sancti. Quod fieri non rarò potest, sive quòd diversis in locis verè non sint corpora integra, sed diversæ tantùm partes, sive quòd diversi Sancti sint ejusdem nominis, sive quòd reliquiæ Sanctorum, quæ è cryptis Romanis accipiuntur, & quorum nomen ignoratur, imponatur nomen simile per Pontificem, ob quod vulgo baptizatæ dicuntur, & facilè tractu temporis nasci posset hujusmodi confusio præallegata.

43. *Quid circa non beatificatos decreverit Urbanus VIII.*

Postremò observandum est Urbanum VIII. Anno 1625. die 13. Martii circa servos Dei nondum beatificatos vetuisse horum imagines cum laureolis aut radiis seu splendoribus, vel quodcumque aliud venerationem & cultum præ se ferens & indicans in oratoriis aut locis publicis seu privatis vel Ecclesiis apponi. Item ne ad horum sepulchra tabellæ atque imagines ex quacumque materia appendantur, scilicet stabiliter seu permanenter (ut postea idem Pontifex declaravit) neque lumina accendantur sine recognitione Ordinarii cum consilio Theologorum aliorumque piorum & doctorum virorum faciendâ, Sedique Apostolicæ referendâ & probandâ, sine qua similiter inhibuit libros continentes eorumdem gesta, miracula, revelationes, aliave beneficia tamquam horum intercessionibus obtenta. *Declarans* tamen *quod per suprascripta præjudicare in aliquo non vult neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientiâ ac tolerantiâ Sedis Apostolicæ vel Ordinarii coluntur.* Et hinc quia auctoritate Ordinarii ac tolerantiâ Sedis Apostolicæ colebantur Reliquiæ Martyrum Gorcomiensium, Sacra Congregatio per sententiam definitivam declaravit Anno 1648. 27. Martii eas contineri inter casus à præfato Urbani VIII. decreto exceptos. Quoad praxim verò advertendum est, an in hoc vel illo loco vigeat præfatum decretum. Quare consulendam esse propriæ diœcesis consuetudinem ab Ordinariis scitam & non reprobatam, monet *Bassæus in Supplem. V. Reliquiæ Sanctorum n.* 10.

QUÆSTIO IV.

De Cultu Sacrarum imaginum.

44. *Licitus est usus sacrarum imaginum, etiam in Ecclesiis.*

DICO I. Licitus est usus sacrarum imaginum; idque non tantùm in locis privatis, sed etiam in publicis, præsertim in templis. Est de fide contra antiquiores & recentiores Hæreticos: quamvis *Calvinus* permittat imagines in ædibus privatis ad historicam repræsentationem, *Lutherani* iusuper ad ornatum templorum, & aliqui tempore *VII. Synodi*, ut habetur *act. 6.* in fine, ad excitandam memoriam exemplaris. Conclusio constat ex *VII. Synodo*, præsertim *act. 7.* & *Tridentino sess. 25. in decreto de invocat. Sanct.* & ex perpetuo usu Fidelium & traditione Ecclesiæ.

Prout Ecclesia definivit & ab antiquo tradidit.

Allegantur notabiles historiæ de imaginibus Christi.

Prima pars insuper probatur ex facto Christi, qui faciei suæ imaginem pallio impressam misit Abgaro seu Abagaro regi Edessæ, ut testantur *Stephanus* & *Adrianus* Pontifices, *Damascenus* & alii multi eamque se vidisse asserit *Leo Lector* in *VII. Synodo act. 5.* Eadem Synodus refert & approbat historiam de Christi crucifixi imagine à Nicodemo depictâ, quam cùm Judæi lanceâ perforassent, exivit sanguis & aqua. Item historiam de ænea statua, quam Christo erexerat mulier à fluxu sanguinis liberata. De qua *Eusebius* (qui eam vidit) refert *lib. 7. hist. c. 14.* ad pedes statuæ inusitatam quamdam herbæ speciem nasci solitam, quæ ubi accrescendo ænei vestitûs fimbriam attigisset, morbi cujuscumque medicandi vim haberet. Eadem servata fuit usque ad tempora Juliani, qui eam dejecit, suamque ejus loco reposuit. Sed confestim ignis violentus de cælo delapsus statuam Juliani circa pectus persecuit, caputque in terram dejecit, ut ex *Nicephoro* & *Zozomeno* refert *Baronius ad annum* 362. Præterea est Christiana traditio (de qua *Baronius ad annum Christi* 34. sudarium à Berenice (aliàs Veronicâ) admotum faciei Domini sanguine & sputis aspersæ, ejusdem effigiem in se retinuisse; quod etiamnum Romæ asservatur. Denique (ut plura alia omittam) est antiqua & communis traditio (cujus meminerunt *Nicephorus, Damascenus* & *D. Thomas*) imagines Christi & Deiparæ fuisse à S. Luca depictas. Plurima Patrum testimonia citantur in *VII. Synodo act. 4.*

45. *Ad quid deserviant imaginum usus.*

Ratio est: quia quòd pingantur vel sculpantur imagines sacræ, nil mali involvit; multum autem boni inde oritur: cùm imagines renovent memoriam Christi & Sanctorum, excitentque frequenter ad bona desideria, sicut repræsentationes malarum rerum excitant ad malum. Deinde sicut proponere vitam Christi aut Sanctorum impressam in libris nemo improbat, cur similiter non rectè proponatur impressa in figuris? Nam (ut ait *Gregorius Magnus l. 9. Epist. 9.*) *quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus.* Confirmatur: quia non inutiliter pinguntur hominum insigniorum imagines; cùm eas depingi curent ipsi adversarii; quia hoc cedit in honorem ipsorum, & ab ipsis descendentium ac amicorum, estque cernentibus stimulus ad virtutem & imitationem: cur ergo inutile sit depingere imagines sacras?

46. *Imagines fuerunt etiam pro quingentis annis in Ecclesiis.*

Secundam Conclusionis partem negat specialiter *Calvinus*, eò quòd putet primis quingentis annis non fuisse imagines in templis Christianorum. Sed gravissimè erravit; ut patet ex actis Sylvestri & Constantini, multisque Patribus ac Historicis, quos vide apud *Vasquez disp. 105. cap. 1.* & *Bellarminum lib. 2. de Sanctis cap. 9.* Sanè cùm utilis sit imaginum usus ad excitandam memoriam Christi & Sanctorum desideria; ubi potiùs id quàm in templis fieri congruit? Immo etiamsi totâ retrò antiquitate id usitatum non fuisset (prout tamen usitatum fuisse est manifestum) quid vetaret, quò minùs Ecclesia eâdem semper auctoritate pollens idem noviter statueret velut expediens ad pietatem?

47. *Certum licitas imagines Dei & SS. Trinitatis.*

A Conclusione nimis temere exceperunt *Durandus & Abulensis* imagines Dei & SS. Trinitatis. Quàmvis enim nullatenus possit fieri imago repræsentans Deum ut in se est; quod evidens ratio ex divinæ essentiæ spiritualitate desumpta demonstrat, & fatentur omnes Catholici cum Isaia *cap. 40.* Certissimè tamen fieri potest imago, quæ Deum sive Trinitatem repræsentet tropicè seu emblematicè. Quod apertè supponit *Tridentinum sup.* dicens, *populum esse monendum, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.* Accedit usus totius Ecclesiæ Romanæ. Ecclesia quoque Nolana jam à temporibus S. Paulini habebat imaginem SS. Trinitatis, in qua Christus in carne, vox Patris de cælo, & Spiritus sanctus instar columbæ erat depictus. Sub qua specie Spiritum sanctum antiquitus depingi solitum, Ecclesiâ probante, patet ex *VII. Synodo act. 5.* Denique ipsa Scriptura per tropum Deo attribuit membra, quid ni similiter pictor? Præterea refert ipsa Deum sub specie visibili quandoque apparuisse; quid ni ergo sic possit repræsentari à pictore? Sic enim etiam Christus per tropum & emblematicè repræsentatur, dum depingitur in figura agni. Cujusmodi pictura seu repræsentatio recipitur in *VI. Synodo*, ut testatur, & ad probandas sacras imagines adducit *Adrianus Papa Epist. ad Tharasium*, quæ lecta & probata fuit in *VII. Synodo act. 2.*

48. *Nec non Angelorum.*

Idem omnino certum est de imaginibus Angelorum, quas approbat *Synodus VII. act. 2. & 5.* & usus Ecclesiæ universalis ab antiquo approbavit; cùm etiam fuerint positæ in Basilica Lateranensi à Sylvestro

& Constantino, ut ex actis eorumdem constat; quæ authentica sunt, immo firmata auctoritate *Adriani Papæ in Epist. ad Constantinum & Irene*, quæ refertur & approbatur in *VII. Synodo Generali act.* 2. Adde, quòd in templo Salomonis fuerint imagines Angelorum, scilicet Cherubim. Denique Angeli sæpè apparuerunt in specie sensibili; quid ni ergo in simili specie exprimi possint emblematicè per pictorem? Pinguntur proinde in specie humana; in qua scilicet apparere solent. Pinguntur juvenes, ut denotetur æterna & numquam marcescens vita. Cum alis, ut significetur ipsos esse Dei ministros & nuntios, mandata celerrimè exequentes. Pinguntur denique in vestimentis albis seu candidis ac splendidis, ut significetur innocentia, integritas & puritas naturalis, nec non gloria eorumdem.

Imagines fuerunt etiam per quingentos annos in Ecclesia.

49. Objicitur I. illud *Exod.* 20 *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum &c.* Quod præceptum iteratur *Deuter.* 5. Resp. hoc esse ipsis Hæreticis æquè explicandum: quandoquidem *Exodi* 25. præceperit ipse Deus imagines Cherubim poni super arcam, & *Numer.* 21. fieri serpentem æneum, & 3. *Regum* 6. & 7 alias imagines Cherubim, boum, leonum &c. Immo ipsi Hæretici in ædibus suis habent imagines.

Hæreticis non favet præceptum Decalogi vetans sculptile.

Cur imagines licitæ, imagines Dei & Trinitatis non item?

Dico itaque cum *Augustino* & aliis Deum verosimiliùs non absolutè prohibuisse Judæis imagines, sed idola. Unde ly *sculptile* Septuaginta verterunt, idolum. Quando autem dicitur: *neque omnem similitudinem*, supple tibi facies, ut sit alius Deus coram me. Nam subditur: *Non adorabis ea neque coles*, id est, ut *Septuaginta* expresserunt, *non coles latriâ*. Et ratio subjungitur: *Ego sum Dominus*, scilicet solus; quod conjungendum est cum præcedentibus, ut fiat unum præceptum, ne sint plura quàm decem in Decalogo. Tametsi *Vasquez* & quidam alii velint in veteri Testamento Deum præcepto ceremoniali (quod jam cessavit, adeòque Hæreticis prodesse nequit) prohibuisse Judæis ad idololatriam nimis proclivibus omnes imagines, præsertim Dei, quæ essent factæ modo accommodato ad adorandum. Potiùs tamen Judæi omnes hujusmodi statuas sunt abominati excessu superstitionis, quàm ex vera legis intelligentia: nam (ut refertur) etiam imagines quæ erant tantùm ornamenta signorum bellicorum detestabantur tamquam illicitas.

Vtpote non vetitam illud fieri, sed instar idoli adorari.

Deus si quid amplius inhibuerit Iudæis, nunc tamquam ceremoniale cessavit.

50. Objicitur II. *Canon* 36. *Concilii Eliberitani: Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Resp. Concilium fuisse provinciale novemdecim tantùm Episcoporum, & parvæ auctoritatis, nec approbatum ab Ecclesia. Deinde canon à quibusdam putatur suppositius: ad quod stabiliendum plures conjecturas adfert *Baronius ad annum* 57. Insuper facilè explicari potest, quòd supponat potiùs usum & cultum imaginum, quàm improbet; ut ex ratione quam allegat, colligitur. Unde prohibet solùm, ne depingantur in parietibus Ecclesiæ, vel quia nimis facilè fædantur, ut subinde monstrosæ appareant, adeòque nauseam potiùs quàm affectum venerationis pariant (quod etiam hodie in nonnullis picturis seu imaginibus sacris diversis in locis contingit) vel quia sævientibus adhuc tyrannis sæpè necessarium erat occultare sacras imagines; quod tunc fieri non potuisset, adeòque fuissent ludibrio Gentilium expositæ.

Explicatur Canon Concilii Eliberitani.

Nec non Angelorum.

Objicitur III. *Epiphanius Epist. ad Ioannem Ierosolymitanum*, ubi ait, se, cùm inveniisset velum pendere ante fores templi habens depictam imaginem quasi Christi vel alterius Sancti, rupisse velum, ne penderet imago hominis in Ecclesia Dei. Resp. hæc verba fuisse ab Hæreticis epistolæ adjecta, ut rectè ostendit, allegatis novem conjecturis, *Bellarminus lib.* 2. *de Sanct. c.* 9 & alii. Unde nec sunt allata ab Iconomachis contra Catholicos tempore VII. Synodi. Deinde etsi essent verba *Epiphanii* (ut Quidam putant) explicari possent, non de vera imagine Christi & Sancti, sed alicujus hominis profani, quæ pendebat præ foribus Ecclesiæ, quasi fuisset Christi aut alterius Sancti, ut ipsa verba indicant.

Locus Epiphanii sup. posititius.

Qui nihilominus explicationem patitur.

51. Dico II. Sacræ imagines sunt venerandæ. Est contra *Iconomachos* definitum in *Concilio Romano* sub *Gregorio III.* In *VII. Synodo Generali* & pluribus aliis Conciliis. Quibus adde *Florentinum* & *Tridentinum in decreto citato.* Est etiam contra Hæreticos nostri temporis.

Sacræ imagines sunt venerandæ.

Probatur I. ex Scriptura ex qua constat arcam fœderis à Judæis fuisse honoratam, seu Deum in arca, uti nunc honoratur in imagine: arcam enim constituebant in Sancto Sanctorum, coram ea accendebant lucernas *Exodi* 27 & 40. coram ea prostrati orabant Deum, & petebant ab eo beneficia *Iosue* 7. ipsamque summa cum pompa & veneratione de loco in locum transtulerunt 2. *Regum* 6. & 3. *Regum* 8.

Probatur II. Pluribus Patrum testimoniis, quæ vide in *VII. Synodo*, & apud *Bellarminum lib.* 2 *de Sanct. cap.* 12. Tertiò ex antiquissimo usu Ecclesiæ & Fidelium. Quartò ex infinitis in hunc usque diem miraculis: quorum varia in comprobationem cultûs imaginum facta refert *VII Synodus act.* 4. & 5. Accedunt gravissimæ pœnæ quibus Deus Iconoclastas seu confractores sacrarum imaginum & contemptores punivit, ut videre est apud *Bellarminum sup.* & alios.

Denique probatur ratione: quia prototypa sacrarum imaginum sunt colenda: ergo & ipsæ imagines; harum enim cultus cedit in honorem prototyporum: cùm ea sit imaginum natura, ut quod ipsis defertur,

tur, prototypis deferatur. Quemadmodum omnium judicio & sensu cultus civilis exhibitus imaginibus seu statuis regum & principum cedit in honorem eorumdem: qui sibi honorificum existimant statuas sibi erigi, easque seu potiùs se in eis honorari: existimantque sibi irrogari injuriam, si malè tractentur eorum imagines seu statuæ, ut optimè *Ambrosius Serm. 10. in Psal. 118.*

52. *Objiciunt Hæretici quædam Conciliabula illegitima,*

Objiciunt Hæretici I. aliqua Concilia, seu potiùs *Iconomachorum* conciliabula illegitima, ab Ecclesia Dei reprobata, adeòque nullius auctoritatis; ut patet apud *Bellarm. sup. c. 14.*

Concilium Francofordiense, si quid contra VII. Synodum decreverit, non fuit eatenus probatum ab Ecclesia.

Objiciunt II. *Concilium Francofordiense*, quod repugnante (ut ipsi Hæretici fatentur, signanter Centuriatores) cum suis Legatis Pontifice damnavit II. Synodum Nicænam, sive VII. Synodum, in qua cultus sacrarum imaginum erat stabilitus. Resp. Concilium istud tantùm fuisse provinciale, hac in parte (quæ non extat, nisi ex editione Hæreticorum, & de qua proinde non constat) non approbatum à Pontifice Adriano, qui paucis ante annis præfatam generalem Synodum Nicænam confirmaverat; pœnes quem tamen ultimum controversiarum judicium residere ipsum *Concilium Francofordiense* declaravit.

Quidam dicunt illud erasse in facto.

Alii dicunt hoc Concilium errasse in facto, quòd existimaverit Synodum Nicænam definivisse, imaginibus deberi cultum latriæ. Sed quomodo hic error potuit cadere in 300. Episcopos præsentibus Legatis ipsius Adriani Papæ, qui dictam Synodum confirmaverat? Alii dicunt damnasse Pseudosynodum VII. scilicet Conciliabulum *Iconomachorum* Constantinopoli celebratum; eò quòd Synodus à *Concilio Francofordiensi* damnata dicatur Constantinopoli celebrata in præfatione Librorum Carolinorum, ex quibus fundamentum hujus objectionis desumitur. Sed ex iisdem libris satis colligitur, in eisdem agi de Synodo Nicæna (cujus varia acta recensentur) celebratâ sub Constantino & Irene, ideoque potuit aliud per errorem irrepsisse dictæ præfationi. Alii denique non immeritò censent, erasse varios Historicos, sumptâ occasione erroris, tum ex Libris Carolinis, qui quidem non sunt Caroli magni, sed cujusdam Hæretici; suntque editi ante 100. annos sine nomine typographi aut loci: tum ex præfatione eorumdem valde incondita & Barbara, in qua fit mentio *Eckii* & *Alphonsi à Castro*: ut proinde in *Concilio Francofordiensi* nil contra imagines, sed potiùs pro illis actum sit. Vide *Layman lib. 4. tr. 7. cap. 5. num. 5 & seqq. Bellarminum sup.* & alios.

Alii damnasse Pseudosynodum septimam.

Verius est errorem esse in narratione Historicorum.

53. *Calumniis de idololatria occurritur per verba Tridentini.*

Objiciunt III. varias calumnias idololatriæ &c. quæ nullam habent apparentiam. Iis egregiè occurrit *Tridentinum sup.* dicens, *Imagines Christi, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum, in templis præsertim, habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam; non quòd credatur iis inesse aliqua divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur: id quod Conciliorum, præsertim vero II. Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.*

54. *Imagines ratione materiæ nullo modo veneratio debetur. Nec, ullam tamquam objectum primarium ratio.*

Ex quibus verbis constat nullum deberi imaginibus honorem ratione materiæ sive artefacti. Deinde ipsæ consideratæ tamquam objectum primarium cultus, possunt quidem interius à nobis honorari, quatenus imagines sunt Dei & Sanctorum, & reverenter tractari hoc nomine: quia reverà ut imagines sunt, etiam dignæ sunt quæ sic tractentur, ob respectum suorum prototyporum. Quo modo etiam verba Evangeliorum seu litteræ sacræ sunt in veneratione habendæ. Non possumus tamen imagines eatenus adorare, aut nos illis tamquam dignioribus submittere, nisi ex errore: cùm ut sic sint longè minùs excellentes, quàm nos.

55. *Adoratio secundaria simul cum prototypo, idque triplicitèr? Primus modus.*

Imagines itaque tantùm adorantur secundario, & adoratione respectivâ, quatenus considerantur simul cum prototypo. Idque tripliciter. Primo & facilè, ut actus externi adorationis physicè quidem fiant circa imagines, animus tamen internus tantùm intendat honorare ipsum exemplar, quod faciendo illos actus æquè honoraret, etsi inde non sequeretur honor imaginis, sed solius exemplaris. Consonat *Tridentinum suprà*; & favet vetus Distichon:

Effigiem Christi, cùm transis, pronus adora:
Non tamen effigiem, sed quod designat honora.

Secundus modus.

Secundo, ut adoratio tendat primario quidem in ipsum prototypum, secundario autem in imaginem tamquam quid conjunctum prototypo: sicut in cultu Eucharistiæ primario adoratur Christus ejusque divinitas, secundario adorantur species sacramentales tamquam signa Christum continentia.

56. *Tertius modus.*

Tertio, ut imago substituatur loco exemplaris: sicut voces substituuntur pro rebus significatis, ac de vocibus prædicatur id quod solis rebus convenit. Hoc modo: ut quàmvis actus externus physice fiat circa imagines, moraliter tamen adoretur verè ipsum exemplar. Atque ita commodissimè explicatur (quod alioquin non tam facilè) quomodo osculemur imaginem Christi, alloquamur eam, petamus ab illa auxilium cum omni reverentia, vocemus illam Dominum, Salvatorem &c. Consonat etiam *Tridentinum sup.* Quod si hic modus

adora-

adorationis non sit facilis simplicibus, ii bene adorabunt, si actiones externas faciant, quas alii boni Christiani communiter faciunt, credentes quòd ille modus agendi placeat Deo, & cedat in honorem ipsius ac Sanctorum. Et his modis imago adoratur per accidens eodem cultu quo prototypon, videlicet imago Dei vel Christi latriâ, beatæ Virginis hyperduliâ, aliorum Sanctorum duliâ: quàmvis imaginibus ut sic & secundùm se tantùm debeatur simplex veneratio.

57. *Qualis debeatur cultus Sanctæ Cruci.*

Hinc colligitur I. quid dicendum sit de cultu crucis: non solùm enim crux, in quâ Christus pependit, sed etiam aliæ ipsam repræsentantes sunt colendæ, aut etiam adorandæ eo modo, quo imagines Christi. Insuper ratione contactûs corporis Christi crux in qua pependit, omnesque particulæ ejusdem crucis sunt venerandæ tamquam reliquiæ sacræ: quemadmodum & spinea corona, clavi, lancea &c.

58. *Item SS. nomini Iesu & Mariæ.*

Colligitur II. quid dicendum sit de nomine Jesu & B. Virginis: nam ei considerato secundùm se debetur simplex veneratio, utpote ordinato ad sacrum usum, & significationem rei sacræ. Ideoque irreverenter illud nominans seu tractans peccaret contra Religionem. Unde *S. Franciscus* in suo testamento ait: *Sanctissima nomina ejus & verba scripta ubicumque invenero in locis illicitis, volo colligere, & rogo quod colligantur, & in loco honesto collocentur.* Si autem objectum venerationis statuatur nomen simul cum ipso significato, debetur adoratio. Et hoc modo *S. Bernardinus* nominis Jesu præco inclytus hoc sacratissimum nomen tabellis insculptum, formâ, quâ hodie depingi solet, populo venerandum atque etiam adorandum proponere solebat, quo arctiùs amor & reverentia hujus sacratissimi nominis Fidelibus infigeretur. Quare à quibusdam æmulis ex invidia accusatus coram Martino V. & postea iterum coram Eugenio IV. gloriosam semper victoriam reportavit, de quo *Waddingus in Annalibus Minorum ad Annum Christi* 1420. 1427. & 1432.

Prædictis non obstat I. Quòd Crux & reliquia passionis instrumenta dolorem & mortem ignominiosam Christo attulerint. Nam etiam attulerunt ei gloriosissimam victoriam generisque humani redemptionem; & eatenus meritò sunt nobis omnibus in summo pretio & honore. Quemadmodum etiam in pretio esset filii instrumentum, quo parens injustè occisus esset pro salute reipublicæ, quam morte sua peperisset. Quàmvis crux Christi meditata meritò quoque generet odium peccatorum & abominationem iniquarum causarum passionis Christi.

59. *Crux Christi honoratur tâquam victoriæ gloriosæ instrumentum.*

Non obstat II. quòd inde sequi videatur etiam labia Judæ & manum percutientis Christum alapâ esse veneranda: nam ad hoc opus foret, ut prædicta ex contactu Christi quamdam sanctitatem participassent: quam tamen veluti instrumenta animata peccati, per contactum ex parte sua noxium, non participarunt; sicut instrumenta inanimata. Deinde si honos eis exhiberetur, censeretur exhiberi ipsis hominibus sceleratis, quorum sunt partes. Denique non desunt, qui seclusis secludendis, ex natura rei fateantur id posse fieri, præcisè scilicet considerando contactum Christi; etsi non sit facilè practicandum ob scandalum, ac indecentiam, vix separabilem, præsertim in publica adoratione.

60. *An labia Judæ ob contactum Christi forent veneranda.*

Non obstat denique, quòd (ut apparet) pariter omnes clavi & lanceæ, uti omnes cruces possent coli. Nam id non sequitur, eò quòd non sint imagines Crucifixi, nec ut tales formentur; sicut sunt cruces etiam distinctæ ab ea in qua Christus pependit. Quòd si formarentur clavi, lancea &c. Simul (uti interdum solent) cum cruce, consequenter simul cum ea honorarentur tamquam Christum repræsentantes.

Discrimen inter crucem & alia passionis instrumenta.

DISPUTATIO QUARTA.

De Præcipuis Mysteriis vitæ Christi.

Cum uti fidei, sic Theologiæ Christianæ, objecti pars non infima neque exigua sit Christus, ejusque multiplex actio, meritò Theologus Christianus exemplo Doctoris Angelici, pertractatis iis quæ Incarnationem Verbi concernunt, agit de ejusdem Oeconomia, seu illis quæ Verbum in carne & secundùm carnem agere & pati dignatum est. Accedente eo, quòd hac ratione pariter elucidetur Symbolum Apostolorum, quà Filium Dei incarnatum respicit. Quòd etiam hac occasione variæ difficultates ex Evangelico textu subortæ declarentur. Quòd denique vita Jesu velut absque omni defectu perfectissima, rectissimè mores instruat: velut à caducorum ambitu alienissima, mentem summè ab iis elonget: velut passionibus & miseriis patientissimè toleratis abundans, animum contra adversantia fortificet: Denique velut charitate redundans, cor reciprocæ charitatis dulcedine inebriet, ut in hac lachrymarum valle suaviùs alibi divina dulcedo nequeat degustari. Strictim tamen & summariè præcipua solùm capita recensebimus, brevitati studentes.

QUÆSTIO I.

De Sanctissima Matre Christi.

PRIUSQUAM de vita Christi Domini agatur, oportunum videtur præmittere ea, quæ Matrem illius concernunt, & ad gloriam ortumque etiam Filii elucidandum conducunt: præsertim cùm alibi non sit locus æquè vel magis opportunus.

§. I.

De Ortu & Genealogia SS. Deiparæ.

1. *B. Virgo ex Ioachim & Anna sterili modo ordinario progenita, ab originali exempta per privilegium.*

CERTUM in primis est B. Virginem conceptam esse ex piis parentibus Joachim (qui & Heli seu Eliachim) & Anna sterili, idque modo ordinario; ut proinde ipsa sit filia naturalis Adæ instar ceterorum hominum, adeòque ex modo ipso seu vi conceptionis non fuerit immunis à contractione culpæ originalis, sive etiam contractionis debito (prout Christus fuit immunis) sed per privilegium singulare; de quo actum est *p. 2. Tr. 2. disp. 6. quæst. 4.* Cujus quidem privilegii virginei affirmandi fervor adeò insedit animis Fidelium, etiam in Belgio, ut in festo Immaculatæ Conceptionis proximè elapso anni 1659. Archiepiscopus Mechliniensis & alii Status Brabantiæ in Capella Hispanorum apud PP. Prædicatores Bruxellæ solemnem ejus propugnandæ promissionem Deo & Deiparæ fecerint. Quod dein similiter præstitit ibidem universus clerus tam sæcularis quàm regularis diebus subsequentibus ordine singulis præfixo cum ingenti populi concursu & applausu.

Cujus defendendi votum recenter à primatibus Brabantiæ, clero & religiosis ordinibus Bruxellæ emissum est.

2. *Prodiit ex tribu Iuda.*

Deinde certum est B. Virginem ortum duxisse ex tribu Juda ac familia David; prout ex Scriptura est manifestum, quæ Filium Virginis Christum vocat filium David *Matth. 1. Lucæ 1. & 2.* & factum ex semine David *ad Rom. 1.* Et *Isaiæ 11.* dicitur: *Egredietur virga* (scilicet Mater Dei) *de radice Jesse, & flos* (scilicet Filius Mariæ) *de radice ejus ascendet.* Quod ita interpretatur *Hieronymus* & alii Patres.

Secundùm lineam paternam.

Cumque tam constanter & simpliciter id asserat Scriptura, indubitatum similiter esse debet, & docent communiter Patres ac Doctores cum *Aug. l. 2. de consensu Evangelist. c. 2.* Beatam Virginem esse ex David secundùm lineam paternam. Id ipsum confirmatur ex eo, quòd evidenter Apostolus *ad Hebr. 7.* loquens de linea paterna, de Christo dicat: *Manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster.* Id namque allegat, ut ostendat ipsum esse sacerdotem, non secundùm ordinem Levi aut Aaron; utique ineptè, si de linea materna esset sermo: cum hoc enim optimè consistere potuisset Christum secundùm lineam paternam esse de tribu Levi. Nihilominus B. Virgo habuit cognationem cum tribu Levi; nam Elisabeth, de filiabus Aaron, vocatur ejus cognata. Quod fieri potuit, sive quia aliqua ex progenitricibus Elisabeth fuerit de familia David, sive quia aliqua ex progenitricibus Deiparæ fuerit ex tribu Levi. Communior verò Patrum & Doctorum sententia est, etiam B. Virginem, adeòque Christum aliqua ex parte duxisse originem ex tribu sacerdotali seu Levitica.

Habent omnem cognationem cum tribu sacerdotali.

Sed difficultas est, quomodo *Matthæus c. 1.* rectè sit executus intentum suum, texendi scilicet genealogiam Christi; cùm ad hunc non pertineat genealogia Joseph (quam prosequitur) sed Mariæ? Resp. quòd Evangelista sequutus morem ordinarium texendi genealogiam per viros satisfecerit suo intento, eò quòd monstratâ genealogiâ Joseph satis constaret Mariam ejus sponsam & consequenter Christum esse de eadem tribu & familia David. Quamvis enim fuerit apud Judæos usitatum viris etiam justis accipere interdum uxores de alia tribu, quando tamen filia erat heres, seu carens fratribus (quòd tamquam notum supponit Evangelista de B. Virgine) dedebat nubere viro, non solùm de eadem tribu (quod non sufficisset intento Evangelistæ) sed etiam de eadem familia, seu cognato ejusdem tribus; idque vi legis *Numer. ult.* quam *Hebræus* ita expressit: *Omnis filia hereditans hereditatem*, id est, heres patris propter defectum fratrum, *uni de familia tribûs patris sui erit in uxorem*; idque (ut ℣. 8. additur) *ut hereditas permaneat in familiis*; secundùm quas, & non solùm secundùm genericas tribus distributio hereditatum erat facta. Ac proinde, ostenso quòd Joseph sit de familia David, satis constare poterit, Christum esse quoque de eadem familia; quod erat intentum Evangelistæ.

Dat Matthæus genealogiam Christi ex Davide per ostensionem rectæ certitudinem genealogiæ Joseph.

Sunt porro Nonnulli (inter quos noster *Galatinus*, *Jansenius*, *Suarez*) censentes Deiparam, adeòque Christum descendere ex David per Nathan (non Prophetam illum, qui increpavit Davidem, sed alterum Davidis filium ex Bethsabee genitum) idque ob genealogiam, quam per Nathan texit *Lucæ cap. 3.* quamque sic incipit: *Jesus ..... ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli*, id est, Joachim, mediante scilicet Deipara; ut proinde relativum *qui* non afficiat Josephum, sed Jesum, adeoque Lucas non texat genealogiam Josephi, sed Jesu & Mariæ.

Christus ex Davide per Nathan descendisse Nonnulli dixerunt.

Sed obstat communis consensus veterum Patrum & Scholasticorum, nec non Interpretum, censentium promissiones factas Davidi de Christo nascituro esse impletas per Salomonem. Quod etiam significat Scriptura *2. Reg. 7. ℣. 12.* & *Psal. 131. ℣. 11.* ubi

At promissiones desicuisse ostenditur.

ubi ad litteram est sermo de Salomone, iecundùm allegoriam verò de Christo. Deinde incongruè Matthæus alioquin descripsisset generationem Christi & Mariæ per genealogiam Joseph, utpote distantis plus quàm viginti generationibus à genealogia Mariæ. Præterea relativum *qui* haud aptè Christum, sed Josephum (de quo immediatè erat sermo) respicit, *qui* nempe *fuit Heli*, subintellige filius; uti subintelligitur semper in sequentibus: cùm tamen Christus non filius, sed nepos fuerit Heli vel Ioachim. Et consonat textus Syriacus, ibi: *ut putabatur filius Joseph, filii Heli, filii Matath, filii Levi &c.*

5. *Heli apud Lucam non denotat Ioachim Patrem B. Virginis.*

Nec dici potest relativum *qui* afficere Ioseph, eumque appellari filium, id est, generum Heli seu Joachimi, utpote patris Mariæ uxoris Josephi. Nam id repugnat apertissimo ceterorum verborum textui, remque involvit obscuræ æquivocationi vocis *filius*. Quare dicendum cum Patribus passim, Heli non significare ibi patrem B. Virginis, sed alium, fratrem videlicet Iacob patris naturalis Josephi. Jacob enim defuncto Heli fratre suo uterino absque liberis, duxit ejusdem uxorem, suscitavitque juxta legem Moysi semen fratris sui, scilicet Iosephum, qui proinde habet pro patre legali Heli, pro naturali Jacob. Quòd autem Lucas narret Heli fuisse filium Matath, Matthæus verò Jacob fuisse filium Mathan, rectè consistit cum hoc, quòd fuerint ambo fratres uterini, dicendo cum *Euthymio, Anselmo, Beda, S. Bonaventurâ, Vasquez* (quos citat & sequitur *Tannerus d. 2. q. 1. n. 23.*) aviam Josephi successivè habuisse duos viros, Mathan scilicet patrem Jacob, & Matath patrem Heli. Et sic patet, quomodo uterque Evangelista referat genealogiam, Joseph, sed Matthæus carnalem, Lucas legalem.

Concordatur textus Matthæi cùm illo Lucæ.

§. II.

De Sanctificatione SS. Deiparæ.

6. *B. Virgo fuit sanctificata primo animationis instanti, & à fortiori in utero.*

Generationem carnalem sequitur spiritualis, qua per gratiam sanctificantem B. Virgo facta est filia adoptiva Dei. Hanc porrò sanctificationem consecuta est primo animationis instanti, ut habet hodie communis Doctorum & Fidelium opinio. De qua *p. 2. Tr. 2. d. 6. q. 4.* Et independenter ab hâc opinione dudum magis controversâ, omnes Doctores, ipsaque Ecclesia pro indubitato habent B. Virginem saltem fuisse sanctificatam in utero, adeoque esse in sanctitate natam. Quo proinde sensu sanctam ejus Nativitatem jam ab antiquo coluit Ecclesia Catholica. Deinde contigit hoc privilegium S. Joanni Baptistæ, juxta *Cyprianum, Ambrosium, Gregorium* & alios Patres passim, ac omnes Scholasticos, qui sic accipiunt illud *Lucæ 1. Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero* (id est, eo ipso tempore, quo adhuc in utero gestabitur; ideoque *Syrus* & *Arabi* verterunt *in utero matris suæ*. Quo sensu etiam *Act. 3.* est sermo de illo, qui erat *claudus ex utero matris suæ*. Idem privilegium concedunt Patres passim & Scholastici communiter Jeremiæ. De quo *A Lapide in c. 1. Jeremiæ*. Incredibile porro est negatum fuisse simile sanctificationis privilegium matri, quod præcursori & Prophetæ fuit concessum. Nam loquendo de iis quæ ad majorem sanctitatis gradum vel sanctificationis excellentiam spectant, *quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini fuisse negatum*, ut ait *Bernardus Epist. 174.*

Et confirmatur ex sanctificatione Ioannis Baptistæ in utero.

7. *Probabiliter se disposuit Deipara ad primam sanctificationem.*

An verò ad primam sanctificationem B. Virgo se disposuerit per proprium actum, non ita constat. Valde credibile est quòd sic; & tradit *S. Bernardinus* quem citat & sequitur *Suarez disp. 4. sect. 7.* & plures alii. Valdè enim congruè sanctificatio præsupponit propriam cujusque dispositionem; quæ consequenter juxta Doctores plurimos etiam in Angelis & Adamo non defuit. Neque in B. Virgine aliquid obfuit; si dicamus cum præfatis Doctoribus ei non defuisse in utero matris à principio usum rationis. Quod sanè non incongruè dicitur: nam non est denegandum Matri Christi, quod concessum est Præcursori, qui juxta Scripturam *Lucæ 1.* in gaudio (intelige propriè dicto, juxta litteram & Patres passim; etsi Nonnulli tantùm metaphoricè id accipiant de motu quodam corporali, non de gaudio spirituali animi) exultavit in utero Matris suæ; sentiens nimirum regem thalamo manentem, ut canit Ecclesia; sentiens, id est, spiritu cognoscens, ut *Ambrosius l. 4. de fide c. 4.* Immo putant Varii usum rationis in B. Virgine perdurasse. Quod similiter de Joanne Baptista verosimile putat *Suarez de Myster. vitæ Christi disp. 4. sect. 7. Concl. 4.* Sed incertum id est.

Habens à principio usum rationis.

Vti in utero matris Ioannes.

Usum rationis in utero-que perdurasse quidã putant.

Porrò in hac prima sanctificatione collata fuit B. Virgini juxta Doctores omnes singularis quædam gratiæ (sub qua etiam cetera dona, quæ justis conferuntur intellige) plenitudo; adeò ut in intensione superarit gratiam, quæ alicui alteri creaturæ in prima sanctificatione fuit umquam collata; immo juxta Varios, simpliciter gratiam singulorum hominum & Angelorum, in quorum reginam simul & in futuram Dei Matrem ex tunc sanctificabatur.

8. *Gratia in prima sanctificatione collata, quãta fuerit?*

Per eamdem sanctificationem fuit confirmata in gratia taliter, ut per totam vitam numquam peccaverit peccato actuali, sive mortali sive veniali. Quod quidem de mortali habet traditio perpetua Ecclesiæ, sic ut semper indubitatum id fuerit apud omnes Patres, Doctores & Fideles. Idemque in variis locutionibus eam semper immaculatam &c. appellantibus continetur. Idem

9. *Ex tunc fuit B. Virgo sic in omni bono firmata, ut nũquam peccaverit, sive mortaliter.*

Quod postremum est apud Omnes in Ecclesia indubitatum.

denique concessum fuit Joanni Baptistæ; quantò magis B. Virgini. De veniali idem est certum: nam ita tenet Ecclesia, ut declarat *Trid. sess. 6. can. 23.* Definitio tamen sive anathema canonis non cadit super hoc; quod tantùm per parenthesim inseritur. Varii ex *Vega l. 14. in Trid. c. 18.* referunt definitum id esse in *Concilio Claramontano*, præsente & præsidente ipso Urbano II. Verùm acta hujus Concilii non extant, ipseque *Vega supra* fatetur se nescire, quid in eo habeatur. Rationem assignat *D. Thomas q. 27. art. 4.* quia non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando. Eamdem rationem insinuat *Aug. l. de nat. & gratia c. 36.* de Deipara proinde, cùm de peccatis agitur, nullam prorsus volens habere quæstionem. *Chrysostomus* quidem, *Theophylactus* & *Euthymius* paulò durius locuti sunt. Sed vel dicendum est illos excessisse (ut de *Chrysostomo* loquitur *D. Thomas q. 27. art. 4. ad 3.*) & à vero aberrasse in re necdum tum per Ecclesiam declaratâ, aut adeò clarè per communem consensum aut traditionem divulgatâ: vel exponendi sunt (ut idem *D. Thomas*) quòd velint Dominum cohibuisse, non inordinatum & inanis gloriæ motum quantùm ad ipsam Virginem, sed id quod posset ab aliis æstimari.

Sive veniali-ter,

Neque hinc sequitur, quòd B. Virgo non potuerit dicere Orationem Dominicam, in qua habetur, *Dimitte nobis debita nostra*: potuit enim hæc verba dicere pro peccatoribus, vel Ecclesia in communi.

10. *Potuit tamen dicere orationem Dominicam.*

Neque etiam favet Hæreticis illud *Lucæ 1. Quomodo fiet istud &c?* Jam enim B. Virgo (ut *Augustinus* & alii Patres explicant) credebat id futurum, cujus inquirebat modum, probè sciens se adstrictam voto virginitatis, nec ullum habens exemplum de partu Virginis, sicut tamen præcesserant exempla de partu sterilium: adeò ut meritò eam laudet Elisabeth à fide, dicens ibidem: *Beata quæ credidisti.* Aliud est de Zacharia, qui Angelo nuntianti non credidit, dicens *Lucæ 1. Unde hoc sciam?* futurum scilicet, quod Angelus nuntiabat. Quare *desperando dixit, non inquirendo. Maria verò..... inquirendo dixit, non desperando: dum interrogavit, non de promissione dubitavit*, inquit *Aug. lib. 50. Homilia. hom. 44. cap. 5.*

Angelo nũtianti conceptum mox credidit, de modo sollicita,

Secùs quàm Zacharias pater Ioannis.

Tertiò, gladius ille, qui juxta Simeonis prophetiam animam B. Virginis pertransiit, non erat infidelitatis (ut insulsè exponunt Hæretici) sed doloris, præsertim in passione Filii, ut exponunt Patres.

Gladius erat doloris, qui animam pertransivit.

Quartò, triduana perditio pueri Jesu non est negligentiæ Matris Mariæ imputanda, sed innocenter accidit, filio se prudenter subducente parentibus dum voluit; idque non sine mysterio cælestis consilii, ut scilicet ostenderet in illa ætate aliquod suæ divinitatis indicium, miramque modestiam quâ tam diu antè & post latuit, cum tanta posset, suam denique in Patris divini negotiis libertatem & independentiam à parentibus carnis.

Triduana pueri perditio non accidit culpâ Matris.

Denique Christus non reprehendit Matrem, dum petenti humiliter miraculum respondit *Joan. 2. Quid mihi & tibi est mulier?* Illis enim Verbis tantùm significat, non pertinere ad se vel matrem providere convivis de vino, ut exponit *Justinus Martyr* & alii: vel ad institutionem præsentium indicat, in hoc negotio principaliter respiciendum esse ad voluntatem Patris cælestis, non autem carnaliter propinquorum: quàmquam absolutè petitionem matris non respuerit, ut subsequentia declarant. Unde alii exponunt sic. Quid mihi & tibi in hoc negotio, non absolutè, sed quantùm ad horam, quam tibi significo necdum esse opportunam juxta Patris ordinationem; sive quia vini indigentia debebat magis innotescere, sive quia necdum omnia erant satis ad patrandum miraculum parata. Quare dum *S. Maximus Homil. 1. De Epiph.* dicit, præfata Christi verba esse reprehendentis; intellige, specietenus, quoad verba nudè spectata. Quod autem addit, B. Virginem temerè monuisse Dominum, ad summum ignorantiam quamdam significat, quia scilicet non sciret oportunum tempus patrandi miracula. Similiter quod *Ambrosius in cap. 2. Lucæ* dicit: *Hîc Mater arguitur*; intellige, specietenus. Alioquin idem *in ultimum versiculum Ps 118.* expressè docet, ipsam esse *ab omni integram labe peccati.*

11.

Rectiùs quoque loquuntur, qui simpliciter asserunt in prima sanctificatione fuisse in B. Virgine extinctum fomitem peccati, seu potiùs in ea numquam fuisse, Deo partim infundente habitus, partim protegente extrinsecus, ne sensibilia contra rationem moverent, aut etiam suum subtrahente concursum: idque ob dignitatem Matris Dei, quam non decebat indecens hic originalis peccati, & peccato valde affinis effectus; & quia convenientissimum erat medium ad præservandam B. Virginem ab omni culpa etiam leviissima.

12.

Confirmatur: quia apud omnes constat in B. Virgine numquam fuisse motum aliquem inordinatum appetitûs sensitivi, idque stabili lege: quid ergo defuit, quò minùs peccati fomes dicatur in ea non fuisse ab initio sanctificationis? Solùm *D. Thomas* & quidam alii dicunt, fomitem tunc tantùm fuisse ligatum, & in secunda sanctificatione (scilicet tempore quo concepit Christum) penitus fuisse extinctum. Sed ista fomitis ligatio fuit vera ipsius extinctio: etsi in secunda sanctificatione hic effectus fuerit magis auctus & perfectus per accessum virtutum & gratiarum.

13.

Hinc plures Doctores censent in B. Virgine fuisse justitiam originalem, consistentem in gratia & virtutibus secundùm gradum heroicum, junctâ speciali custodiâ & providentiâ Dei, unde oriebatur plena subjectio

jectio voluntatis ad Deum, & potentiarum inferiorum ad voluntatem. Qui effectus indubiè sunt præcipui, & quasi formales justitiæ originalis. Quia tamen in B. Virgine non fuerunt ceteri effectus, cùm fuerit capax tristitiæ, habuerit corpus fatigabile, passibile & morti obnoxium; & quia etiam priores effectus non habuit vi originis, utì Adam, sed ex gratia speciali; ideo censent Alii simpliciter in ipsa non fuisse justitiam originalem. Sed hoc pertinet ad quæstionem de nomine, in qua uterque loquendi modus videtur satìs congruus; etsi posterior tamquam usitatior præferendus.

14. *Gratia non fuit Deiparæ tota simul collata.*

Præterea compertum est apud omnes Doctores totam gratiam non fuisse B. Virgini in prima sanctificatione collatam: nam ea per merita jugiter crevit usque ad conceptionem Filii sui. Deinde cum *SS. Damasceno*, *Bernardo*, *Bernardino*, *D. Thomâ*, *D. Bonaventurâ* docent omnes Scholastici, B. Virgini in conceptione Filii Dei ex singulari privilegio accessisse ingentem cumulum gratiæ. Quæ sanctificatio ob hoc secunda dici solet. Deinde etsi hæc à quibusdam quodam loquendi modo appelletur consummata; satìs tamen convenit inter Doctores, non ita fuisse consummatam, quin deinceps B. Virgo veluti viatrix in ea jugiter usque ad mortem creverit per actus meritorios, aut etiam per Sacramenta quorum erat capax, puta Baptismi & Eucharistiæ. De extrema Unctione est dubium.

In Conceptione Verbi accessit gratia incomparabilis.

In qua usque ad mortem jugiter crevit.

15. *Sic ut in morte saltem certissimè excesserit longè gratiam cujuslibet puræ creaturæ.*

Continuis itaque meritorum & gratiæ augmentis ad illam demum sublimitatem sanctitatis pervenit, ut saltem in fine vitæ (quam protraxit juxta quosdam ad annum quinquagesimum septimum, juxta alios ad annum amplius, juxta alios ad annos quinquaginta novem; juxta alios frequentius ad annum sexagesimum secundum vel potiùs tertium, juxta plures denique ad annum ætatis septuagesimum secundum, ut videre est apud *Baron. ad annum Christi* 48.) excelluerit omnes sanctos homines & Angelos, etiam Seraphinos, juxta indubitatam omnium Catholicorum fidem; quam exprimens *Anselmus* sive alius Auctor *l. de Excell. Virginis c.* 4. ait: *Tota Christianitas ipsam super omnes cœlos exaltatam, & angelicis choris prælatam certissimè credit.* Ideòque canit Ecclesia in Festo Assumptionis B. Mariæ: *Exaltata est sancta Dei genitrix super Choros Angelorum.* Quorum proinde, & omnium Sanctorum ipsiusque Celi Regina prædicatur. Plena quoque sunt Patrum scripta Encomiis Deiparæ, gratiam ejus ineffabilem, incomparabilem, abyssum &c. prædicantibus.

16. *Immo juxta Suarez omnium Angelorum & hominum simul.*

Immo *Suarez disp.* 18. *sect.* 4. censet, probabiliter dici posse B. Virginem in fine intensiorem gratiam fuisse consecutam, quàm sit in omnibus Angelis & hominibus sanctis collectivè sumptis. Quod tamen ante *Suarez* nullus Doctorum tradidisse reperitur, testante *Tannero disp.* 2. *q.* 1. *n.* 58. qui *n.* 60. ut existimat id pium & probabile videri posse, ita in praxi cavendum, ne res incerta nullo fructu, aut etiam cum aliqua offensione audientium, præsertim coram simplici populo, majori quàm par est contentionis studio defendenda & propugnanda suscipiatur, quando multis non potest non mirum & incredibile videri in una B. Virgine plus sanctitatis fuisse, quàm in tam immensis sanctissimorum hominum & Angelorum etiam Seraphinorum Myriadibus, quæ vix sigillatim & per capita numerando exhauriri fortasse à quopiam possent spatio annorum septuaginta, quibus circiter B. Virgo vixisse creditur; nedum ut ab una persona numero aut pondere actuum charitatis seu meritorum adæquari possit numerus & pondus meritorum & sanctitatis eorumdem Sanctorum. Ut proinde meritò soli Christo omnium capiti hæc gratiæ plenitudo & perfectio reservata videri possit; prout ait idem *Tannerus n.* 61.

Judicium Tanneri de hac opinione.

§. III.

De Virginitate SS. Deiparæ.

17. *Perpetua Mariæ virginitas est fide certissima, contra diversos Hæreticos diversimodè contradicentes.*

Fide certissimum est S. Mariam fuisse Virginem in concipiendo Christum, sive ante partum, fuisse Virginem in partu, & post partum virginem inviolatam permansisse. Est autem contra *Cerinthianos* & *Ebionitas*, qui dixerunt Christum more ordinario ex Joseph genitum, adeòque Deiparam non fuisse Virginem in concipiendo. Est etiam contra *Iovinianum* (quem communiter hodie *Calvinistæ* sequuntur, præsertim *Petrus Martyr* & *Beza*, ut refert *Tannerus disp.* 2. *q.* 1. *n.* 87.) qui docuit Deiparam in pariendo esse corruptam. Est denique contra *Helvidium* & *Antidicomarianos* dicentes Deiparam non mansisse Virginem post partum, sed post Christum natum alios ex Joseph liberos, fratres Christi dictos, genuisse.

18. *Ex traditione perpetuæ ac declaratione Ecclesiæ.*

Constat autem Fides Catholica ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ semper ita firmissimè credidit, & oppositum perpetuæ Virginitati Mariæ dogmatizantes semper tamquam Hæreticos execrata est. Quod proinde etiam fecerunt veteres Patres, qui unanimiter hanc Doctrinam velut fidelem & indubitatum sermonem tradiderunt. Eamdem perpetuam Virginitatem Mariæ expressè definivit *Martinus* 1. *in Concilio Lateranensi*, *Consult.* 5. *can.* 3. Deinde in *V. Synodo Collat.* 8. *can.* 6. & in *VII. Synodo act.* 3. *in Epist. Tharasii*, & in precibus Ecclesiæ prædicatur B. Maria *semper Virgo.* Huc etiam spectat Symbolum Apostolorum, in quo fideles

fideles simpliciter & absolutè confitentur B. Mariam tamquam virginem; qualis non esset simpliciter, quæ tandem Virginitatem amisisset.

Intelligitur porro Doctrina Catholica de Virginitate seu integritate corporali; prout de oppositâ violatione agunt Hæretici. Quàmvis etiam apud omnes Catholicos Doctores indubitata sit perpetua Virginitas mentis Deiparæ: quæ sicut nullam violationem passa fuit, sic nec ullam admittere vel pati umquam desideravit, sed insuper Virginitatem suam Domino consecravit per votum; ut communiter etiam Patres tradunt, & ex *Lucæ* 1. probabitur *num.* 22. Sectariis nostri temporis solo contradicendi studio repugnantibus. Inter quos *Bucerus* & *Petrus Martyr* etiam positivum propositum dandi operam liberis adscribere Deiparæ non verentur apud *Canisium l.* 2. *de B. Virgine cap.* 8.

19. *Virginitas etiam ante partum patet evidenter ex Symbolo, & Scriptura.*

Præterea in speciali quòd Deipara manserit Virgo in concipiendo seu ante partum, evidenter patet ex Symbolo Apostolorum, in quo dicitur Christus esse *conceptus de Spiritu sancto.* Idem tradit Scriptura *Matth.* 1. *Antequam convenirent*, maritali scilicet conventione, *inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Et infra: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et iterum infrà: *Et non cognoscebat eam Ioseph, donec peperit* &c. Et *Lucæ* 1. Virgini interroganti: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Respondit Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te*, id est, loco viri, desuper seu cælitus veniet in te. Idem antea prophetaverat *Isaias c.* 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*; intellige cum Patribus, manens Virgo. Pro magno enim id signo & miraculo promittitur domui David; non est autem novum, quòd quæ fuit Virgo, concipiat vel pariat, amittendo Virginitatem. Unde *Matth.* 1. post narratam conceptionem Christi de Spiritu sancto, subditur ita impletam fuisse prophetiam prefatam Isaiæ, quia nimirum Maria concipiendo de Spiritu sancto Virgo permansit, adeòque Virgo concepit. Quare meritò tamquam ridiculam explodunt Patres evasionem quorumdam Judæorum, qui prophetiam Isaiæ intellexerunt de Ezechia filio Achaz. Ut interim omittam, quòd Ezechias jam tum natus esset, cùm Isaias ista prædiceret, ut ex annis regni Achaz, & ætate qua Ezechias regnare cœpit facile colligi potest.

20. *Virginitas in partu confirmatur.*

Similiter quòd B. Maria manserit Virgo in partu & salvâ integritate pepererit, satis colligitur ex loco citato Isaiæ: *Non enim* (inquit *Ambrosius Epist.* 7.) *concepturam tantummodo Virginem sed & parituram Virginem dixit.* Idem tradunt Patres unanimiter. Quare corpus Christi exivit clauso Matris utero, sine ruptura, immo sine ulla membrorum apertione, per penetrationem dimensionum, sicut post resurrectionem introivit ad discipulos clausis januis; prout Patres tradunt & omnes Scholastici. Ideòque *S. Ildephonsus l. contra eos, qui disputant de perpetua Virginitate Mariæ* etiam tamquam Hæreticos damnat, qui partum Virginis dicebant accidisse more aliarum feminarum per reserationem uteri cum alluvione sanguinis & dolore.

21. *Quo sensu Patres dicant Christum aperuisse uterum Matris.*

Nec obstat *Ambrosius* & quidam alii veteres Patres (excepto *Tertulliano*, qui in hoc uti & in aliis erravit, neque est curandus) dum dicunt, quòd Christus aperuerit vulvam seu uterum Matris suæ. *Hic est*, (inquit *Ambros. in c.* 2. *Lucæ*) *qui aperuit Matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret.* Nam vel istâ phrasi significant Christum fecundasse Matrem; sicut claudere vulvam est reddere infecundam: vel potiùs, loquuntur de apertione quoad effectum illius, q. d. Christum habuisse uterum pervium, seu exisse sine impedimento. Unde idem *Ambrosius l. de Institut. Virg. c.* 8. ait: *Bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur. Transivit per eam Christus, sed non aperuit.* Similiter clarè se explicat *Hieronymus* & alii Patres. Et consonat illud quod *Ezechielis* 44. prædicitur de porta orientali semper clausa, & tamen Domino Deo Israël pervia. Quod de B. Maria semper Virgine & tamen Dei Matre intelligunt Patres *Hieronymus*, *Ambrosius* & alii. Quod autem *Lucæ* 2. significatur convenire Christo illud desumptum ex *c.* 13. *Exodi*: *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*; est periphrasis seu circumlocutio primogeniti, qui primus è vulva nascitur: hic enim videtur Matris uterum adaperire, ut aliis nascituris viam faciat; sive interim exeat more consueto cum reseratione claustri, sive sine illa. Unde *Num.* 18. idem aliis verbis indicatur: *Quidquid primùm erumpit è vulva &c.*

22. *Virginitas post partum specialiter confirmatur.*

Quòd denique S. Maria manserit semper Virgo post partum, non tam evidenter ex Scriptura deducitur. Satis tamen colligitur ex loco citato Ezechielis; prout subsistat expositioni Patrum. Accedit etiam votum perpetuæ castitatis, quod B. Virgo habuit juxta Patres & Doctores unanimiter, etiam ante conceptionem Christi. Qui id colligunt ex verbis ejusdem B. Virginis *Lucæ* 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, cognoscere non possum; obstante scilicet non solùm proposito (quod poterat pro libitu mutare) sed etiam voto immutabili Virginitatis: aliàs enim futilis fuisset interrogatio. Deinde indignum est cogitare, quòd Sacrarium illud Spiritûs sancti, thalamus Verbi Dei, S.ma Maria permisisset se pollui postea concupiscentiâ consuetudinis conjugalis.

23. Fundamentum *Helvidii* fuit, quod *Matth.* 1. dicitur: *Antequam convenirent.* Et infrà: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Quodque Christus dicatur ibidem *Primogenitus.* Quòd denique quidam vocentur

tur Fratres Christi, scilicet Jacobus Minor, Joseph, Simon & Judas.

Exponitur quid denotet illud Matt. 1. Antequam convenirent.

Ad hæc tamen facilè Respondetur. Ad primum quidem, ly *Antequam* non significare quòd postea Joseph & Maria convenerint carnaliter, sed Scriptura ostendit quid factum non sit usque ad conceptionem, & tamen pronum erat cogitare, quod factum fuisset, indicare volens novitatem mysterii contra cursum naturæ solitum, & intactum relinquere quòd postea factum sit. Sic rectè dicitur Virga Aaron floruisse antequam fuisset plantata; cùm tamen neque postea plantata fuerit. Item dicitur navis periisse antequam veniret ad portum; cùm tamen eò postea non pervenerit.

24. Ad II. Resp. adverbia *donec* & similia solùm exprimere id quod dubium esse potuisset, relinquendo id quod certum est, velut à fortiori cogitandum. Dicit itaque Evangelista Joseph non cognovisse Mariam ante partum, de quo maximè dubitari potuisset, insinuans multò minùs postea virum justum attigisse templum Dei, Spiritûs sancti sedem, Domini sui Matrem. Quem proinde similiter semper mansisse Virginem, est constans Doctrina Theologorum cum *Hieronymo*, *Beda*, *Bernardo* & aliis. Similis autem est locutio frequens in Scriptura, ut *Dan. 6. non pervenerunt usque ad pavimentum, donec acciperent eos leones.* Ubi non significatur, quòd postea pervenerint. Sic neque significatur, quòd corvus post siccatam terram redierit ad arcam, de quo *Gen. 8.* dicitur: *Non est reversus donec siccarentur aquæ.* Nec *Psalm. 109.* dum dicitur: *Sede à dexteris meis donec ponam &c.* significatur, quòd postea à dexteris non sedebit.

Item illud: Non cognoscebat eam donec peperit.

Joseph mansit semper Virgo.

25. Ad III. Dico primogenitum idem esse, quod primò natum, seu ante quem nullus alius, etsi simul sit unigenitus. Unde primogenita ex lege debebant Domino offerri, non expectando, an secundò genita sequeretur. Maluit autem Evangelista dicere primogenitum, ut ex hoc ipso Deo consecratus intelligeretur, ad exemplum veteris legis.

Christus est primogenitus negativè, & simul unigenitus.

Ad IV. Dico fratres Domini more Scripturæ dici etiam consanguineos, seu propinquos: sicut in Scriptura Abraham & Loth dicuntur fratres, & Sara soror Abrahæ. Sanè Jacobus & Joseph (qui *Matth. 13.* dicuntur fratres Christi) erant filii Mariæ Cleophæ, ut patet *Matth. 27. Vers. 56.* collato cum *Ioan. 19. Vers. 25.* adeòque non potuerunt esse fratres uterini Christi sive filii B. Virginis.

Fratres Christi more Scripturæ appellantur consanguinei seu propinqui.

§. IV.

De Desponsatione seu Matrimonio Deiparæ.

26. Fuit nihilominus B. Virgo juxta Scripturam *Lucæ 1.* desponsata viro ante incarnationem Verbi; non solùm per sponsalia de futuro, sed etiam per verba de præsenti seu per verum contractum matrimonialem seu per matrimonium ratum; prout habet communis doctrina Theologorum cum *D. Thoma* & *D. Bonaventura* post Patres passim, ut refert *Tannerus d. 2. q. 1. num. 127.* Quod ipsum satis conficitur ex Scriptura *Matth. 1. cùm esset desponsata* (scilicet per verba de præsenti) *Mater ejus Maria Ioseph, antequam convenirent*; prout (quod insinuatur) quantùm est ex parte status, convenire potuissent. Et infrà: *Ioseph autem vir ejus* (en virum) *cùm esset justus, & nollet eam traducere*, per ora hominum, vel accusare publicè puniendam velut adulteram, *voluit occultè dimittere eam.* Porrò *quam non accepit, nemo dimittit. Et ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam* inquit *Ambros. l. 2. in Lucam in princip.* Et infrà eodem cap. dixit Angelus: *Noli timere accipere*, scilicet constanter, seu animo dimissam retinere, *Mariam conjugem tuam.* Ubi iterum B. Virgo appellatur simpliciter conjux. Et rursum infrà de Joseph dicitur: *accepit conjugem suam.* Quòd non dicitur de de sponsa de futuro. Denique non nisi propter matrimonium initum contingit, quòd Jesus *putabatur filius Ioseph Lucæ 3.* Ob idemque Joseph appellatur Pater Christi *Lucæ 2.* Unde *Aug. l. 1. de Nupt. c. 11.* ait: *Propter fidele conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solùm illa Mater, verùm etiam ille Pater ejus, sicut conjux Matris ejus.* Adeòque pater non carne, sed conjugii copulatione inquit idem *l. 2. de consensu Evangelist. c. 1.* Multò tamen conjunctiùs, quàm vitricus vocetur pater filiorum suæ uxoris, quia nempe in illo ipso conjugio citra ejusdem injuriam Christus virtute Spiritûs sancti de Virgine natus est; adeòque erat proles Joseph tamquam nata ex propria uxore veluti carne sua, & proprio fundo. Etsi insuper vulgi opinione putaretur filius à Joseph genitus.

Inter B. Virginem & Iosephum intercessit ante incarnationem verum matrimonium.

Probatur ex scriptura.

Iesus falsò putabatur filius à Ioseph genitus, verè tamen dicebatur hic Pater Christi, & quidem conjunctiùs, quàm vitricus filiorum uxoris.

27. Et quidem verosimilius est, quod post *Chrysostomum* docet *Titelmannus, Iansenius, Suarez, Vasquez, Sylvius* & alii passim, jam ante incarnationem Deiparam fuisse solemniter traductam in domum sponsi, eique cohabitasse, ut indicat illud *Matth 1. Voluit occultè dimittere eam*; utique jam ad se & ad domum assumptam. Idem quoque conficit ratio: quia aliàs non fuisset satis prospectum famæ B. Virginis: si quidem conceptio prolis in domo mariti supponitur maritalis, at extra domum viri haberi solet suspecta.

B. Virgo ante conceptionem prolis erat traducta in domum sponsi.

Con-

Congruentia initi matrimonii.

Congruentia porro initi matrimonii est multiplex. Inter ceteras sunt hæ. Tum ut consuleretur famæ B. Virginis, ipsiusque Christi, ne scilicet putaretur genitus ex fornicatione vel adulterio. Tum ut B. Virgo haberet Josephum custodem & testem suæ puritatis, solatium, item in necessitatibus corporalibus decens subsidium, ac filii nutritium. Tum ut præsignaretur in Virgine, sponsâ, & Christi matre, Ecclesia, quæ est simul virgo, sponsa Christi ac mater fecunda.

Auctoritates in speciem oppositæ solùm excludunt matrimonium consummatum.

Dum autem nonnulli Patres indicant Josephum fuisse pœnè maritum, Mariam futuram conjugem &c. significant solùm intercessisse matrimonium ratum sine copula conjugali.

28.

Votum virginitatis ab ineunte ætate emissum non obstabat sponsalibus de præsenti potiùs quàm de futuro.

Nec obstat, quòd B. Virgo emiserit votum castitatis, idque, juxta *S. Augustinum, D. Bonaventuram, Scotum* & alios communiter contra paucos, etiam antè desponsationem. Immo credibiliter ab ineunte ætate, cùm Virgo virginum nullis cedere debeat virginibus, quarum variæ pœnè infantes virginitatem Domino consecrarunt. Hoc equidem (dico) non obstat: nam si ei non contravenerit per sponsalia de futuro (quæ saltem negari non possunt intercessisse) consequenter nec contravenit per sponsalia de præsenti. Ratio autem utriusque est, sive quòd Joseph edoctus de voto addixerit se virginitati servandæ non obstiturum, vel quòd etiam per pactum prævie fuerit exclusa obligatio copulæ similiumque actuum conjugalium; sive quòd saltem non habuerit B. Virgo propositum copulam admittendi, utpote edocta per divinam inspirationem sponsum virginitati suæ non nociturum.

Modus concordandi illud cum utrisque.

Fuit votum absolutum etiam ante desponsationem,

Votum porro Deiparæ fuit absolutum, etiam ante desponsationem; veluti perfectiùs ipsam Deo consecrans, & perfectius ceteris præbens exemplum. Aliunde etiam nil obstat.

Virginitas in lege veteri non fuit illicita neq; probrosa.

Neque erat virginitas in veteri Lege illicita aut probrosa, ut tradunt Patres, *Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum c. 13. Damascenus* & alii. Quare eam coluerunt Elias, Eliseus, Jeremias, Daniel cum sociis. Quàmquam juxta *Bedam, Bernardum* & alios Patres ac Doctores Deipara omnium prima virginitatem vovisse putetur; sic ut in hoc quoque verificetur, quod canit Ecclesia: *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Iesu Christo.* Nimirum congruebat tantam perfectionem primò obtingere Reginæ Virginum. Saltem de alio nemine ipsam antecedente simile quid legitur. Quod autem *Deuteron. 7.* dicitur: *Non erit apud te sterilis*, etiam respicit pecora: adeòque continet non præceptum, sed fecunditatis (quæ sanè præcipi directè nequit) promissionem. Præterea sterilitas est pœna, Virginitas verò virtus.

QUÆSTIO II.

De Conceptione, Nativitate & Infantia Christi.

EXPLICATA desponsatione Matris Virginis, ordo suadet, ut de purissima prolis conceptione post aliquantam cohabitationem subsecutâ ceterisque consequentibus aliquid dicamus.

§. I.

De Conceptione Christi.

CONCEPTIO Christi non est facta statim atque Angelus dixit: *Dominus tecum*; quod proinde non rectè quidam sic accipiunt, q. d. Dominus tecum per incarnationem; nisi (quod credibile est) loquantur de ea mox futura. Quàmvis & hoc minùs placeat, eò quòd potiùs videatur angelus significare, quòd in præsenti erat Dominus cum ea, per singularem scilicet favorem, unde ortum habeat illa, quam præmiserat in salutatione, plenitudo gratiæ. Alioquin constat adhuc postea dixisse Angelum in futuro: *Ecce concipies &c.* Et Virginem interrogasse: *Quomodo fiet*; Angelum dein respondisse, *Spiritus superveniet in te &c. Lucas* quoque *c. 2.* testatur, quòd nomen Jesu *vocatum est ab Angelo, prius quam in utero conciperetur*; utique tempore hujus legationis, qua annuntiabat Incarnationem: patet autem Angelum adhuc postquam dixisset *Dominus tecum*, dixisse *vocabis nomen ejus Iesum*; adeòque illud similiter præcessisse incarnationem.

Proinde conceptio Christi non contigit, nisi simul atque B. Virgo consensum præstitit, dicendo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Qui quidem consensus in hoc felici fœdere ex parte Virginis de congruo exigebatur. Ideòque *nec mora* (inquit, *Aug. serm. 18. de Sanctis*) *revertitur nuntius, & virginalem thalamum ingreditur Christus.*

In hac porro castissima conceptione sine viri omnisque libidinis interventu, Spiritus sanctus ex purissimis sanguinibus B. Virginis in instanti formavit & organizavit in utero virgineo carnem Christi, B. Virgine instar ceterarum matrum concurrente. Nam in primis ut Christus homo non solùm existimaretur, sed verè esset *factus ex semine David secundùm carnem*, ut habet Apostolus *ad Rom. 1.* non satis erat, quòd Joseph ita esset ex David, sed insuper debebat caro ipsius Christi formari ex carne descendente ex David, scilicet ex carne B. Virginis. Ideòque Christus est etiam filius Abrahæ ipsiusque Adæ, scilicet secundùm originem & corpulentam substantiam, non tamen secundùm seminalem rationem; sicut caro ceterorum hominum.

num, qui cum libidine ex semine viri seu commixtione seminum concipiuntur. Ob quod etiam Christi conceptio ex se erat omnino immunis à peccato ac peccati debito. Hinc quoque *D. Bonaventura d.3. p.2. a.1. q.2* & reliqui Theologi post *S. Augustinum* tradunt Christum secundùm carnem non fuisse decimatum in Abraham, quando decimas obtulit Melchisedech, prout Levi fuisse in Abraham decimatum tradit Apostolus *ad Hebr.7.* eò quòd decimatio præfignabat futuram curationem, adeòq; non pertinebat ad Christum, qui non erat in lumbis Abrahæ, sicut curatione indigens (prout illi qui secundùm concupiscentiam seminalem ab illo procedunt) sed sicut medicinâ.

Non fuit tamen in Abraham decimatus, uti Levi.

31. *Qualem concursum adhibuerit Deipara.*

Ceterùm sicut ceteræ matres non tantùm administrant materiam, sed etiam activè concurrunt, tum vitaliter attrahendo materiam ad locum debitum, tùm illam calore naturali fovendo, tum fœtum ipsum organizando (quem postremum concursum post Aristotelem negat *D. Thomas* & quidam alii: sed admittit *Galenus* & ceteri medici ac *D. Bonaventura, Scotus* aliique passim) sic quoque B. Virgo ad conceptionem Christi concurrit, tum subministrando materiam eamque totam, tum activè modis præallegatis, Spiritu sancto per vim infinitam in & cum Virgine operante, ac defectum activitatis naturalis, insufficientis ad tam subitam & miraculosam conceptionem, supplente. Denique fœtum conceptum & animatum novem mensibus in utero fovit & nutrivit.

Porrò manifestè repugnat Scripturæ *Lucæ* 1. dicenti: *Ecce concipies in utero*, error ille, qui circa tempora *Cajetani* prodiit, & ponebat Christum conceptum circa cor B. Virginis, ex tribus guttis sanguinis cordis. Idem proinde meritò damnatus est Romæ, præsente *Cajetano*, ut ipse testatur in *3 p. q.31. a.5.*

32. *B. Virgo fœtui formando subministravit purissimum semen.*

Dubitatur autem, an B. Virgo subministraverit formando fœtui etiam semen; eò quòd variæ auctoritates solùm exprimant purissimum sanguinem, & alioquin semen mulieris ad generationem non requiratur. Immo *Damascenus l.3. de fide cap.2.* excludit seminis emissionem. Quare sic censet *D. Thomas* & alii. Rectiùs tamen dicitur cum *D. Bonaventura 3. d.4. art 3. q.1. Scoto* & aliis passim, quòd caro Christi sit formata ex semine purissimo Deiparæ: cùm semen etiam muliebre ad generationem communem concurrat, immo sit juxta Medicos necessarium. Semen autem honestiori verbo in auctoritatibus appellatur sanguis, à quo originem habet, & fortè solùm per quasdam qualitates distinguitur. Indeque cognati secundùm carnem dicuntur consanguinei potiùs, quàm conseminei. Humor itaque ille juxta *D. Bonaventuram 3. d.3. p.1. in Expos. textûs dub 3.* sanguis dicitur in comparatione ad illud, unde processit; caro in comparatione ad illud quod ex ipso fit: semen verò, quantùm ad formam quam habet. *Damascenus* autem negat solam seminis virilis emissionem, ut patet ex contextu, prout citat *Magister d.3.* Et quamquàm loqueretur de semine virginis, foret intelligendus de emissione libidinosa, seu cum motu concupiscentiæ. Habenda tamen hìc in loquendo reverentia, neque curiosiùs singula sunt pertractanda, ut rectè monet *D. Bonav. d.4. art. 2. q.1 ad 2.*

Cur id vocetur sanguis.

Ex dictis patet primò, B. Virginem esse verè & propriè Matrem Christi. Immo si velimus sentire rectè & loqui, inquit *S. Bonaventura d.4. a.3. q.1. in corp.* veriori modo fuit Virgo Mater Christi, quàm sit aliqua Mater filii sui, quia videlicet tota substantia Christi fuit de matre sua, secùs quàm aliorum filiorum de matribus suis. Non obstante quoque conceptione miraculosâ, censetur Christus Virginis filius naturalis, tum ex parte materiæ ministratæ, tum ex parte termini conceptionis, scilicet naturæ assumptæ, tum denique ex parte loci ordinarii generationis & activitatis naturalis Deiparæ, etsi per supernaturale comprincipium elevatæ.

33. *Ex his patet B. Virginem esse verè & propriè Matrem Christi; immo verius quàm ceteræ sint matres suarum prolium.*

Patet secundò, B. Virginem verè & propriè esse ac dici genitricem Dei seu Deiparam: concepit enim seu genuit Christum seu illud suppositum (ad suppositum autem terminatur generatio) quòd verè est Deus; etsi solùm secundùm carnem: sicut Anna verè est & dicitur mater Samuelis (idem est de ceteris) etsi non secundùm potiorem partem, scilicet animam, sed tantùm secundùm carnem ipsum produxerit vel materiam ministraverit. Unde sic semper credidit Ecclesia Catholica, & novitatem oppositam *Nestorii* magno zelo damnavit in *Concilio Ephesino* & aliis Conciliis. Idem insinuat satis Scriptura *Lucæ* 1. ubi dixit Angelus B. Virginem concepturam & parituram filium, qui *Filius Altissimi*, adeòque Deus *vocabitur*. Et infrà: *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Et infrà Elisabeth ad Virginem ait: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Extirpato nunc autem errore *Nestorii* communiter B. Virginem vocamus & Matrem Christi & Matrem Dei, cùm imploramus oculos misericordiæ suæ ad nos converti; quàmvis aliquando reperiatur apud Patres non ita probatum vocabulum *Christotocos* seu *Christipara*, eò quòd nequam *Nestorius* cum patre ejus diabolo illud invenisset & usurpasset in destructionem vocis *Theotocos* seu *Deipara*, quasi scilicet purum hominem genuisset, ideoque hæreticus sub illo volebat occultare venenum; ut rectè *D. Bonaventura d.4. a.3. q.3.*

34. *B. Virgo est etiam propriè Mater Dei.*

Petes I. An Spiritus sanctus dicendus est Pater Christi? Resp. Neg. cum *D. Thoma, D. Bonaventura* & reliquis Theologis post *Toletanum XI.* eò quòd paternitas fundetur in

35. *Cur Spiritus sanctus dici nequeat pater Christi.*

in generatione, quæ est productio viventis à vivente secundùm similitudinem in natura seu specie infimâ; qualiter non procedit Christus secundùm humanam naturam (secundùm divinam procedit à solo Patre) in qua utique non est ita similis seu consubstantialis Spiritui Sancto.

36. Petes II. An sicut in Christo constat duplicem esse nativitatem, æternam scilicet ex Patre, temporalem ex Matre, sic etiam sit duplex filiatio realis? Negat *D. Thomas* & quidam alii, eò quòd subjectum filiationis non sit natura, sed ipsa persona; quæ cùm in Christo sit divina, nequit esse capax in tempore novæ filiationis realis; etsi in Matre sit realis relatio maternitatis. Sed meritò hoc fundamentum rejicit *Scotus* & plerique alii, eò quòd subjectum denominationis filiationis sit quidem ipsum suppositum, subjectum tamen inhæsionis sit ipsa natura humana, quæ proinde in Christo est capax novæ filiationis realis ad matrem, non minùs quàm ipsa mater est capax realis maternitatis. Et hæc quidem omnino dicenda sunt, suppositâ (quam etiam *D. Thomas* supponit) doctrinâ, quòd hujusmodi relationes prædicamentales sint reales ipsi generationi activæ superadditæ. Qui verò id negant, consequenter dicunt B. Virginem realiter dici matrem, & Christum ejus filium ab ipsa generatione præterita, citra aliam realem relationem superadditam. Quod pendet à quæstione merè philosophica.

Præter filiationem divinam est in Christo relatio realis filiationis ad matrem.

Posito quòd similis detur in cæteris hominibus seu proli-bus.

§. II.

De Nativitate & Circumcisione Christi.

37. POST conceptionem Christi divinâ providentiâ contigit, ut Octavianus Imperator curaret describi universum orbem, Romanum scilicet. Ideòque descendit etiam S. Joseph à Galilæa de civitate Nazareth, loco domicilii sui, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem (olim dictam Ephrata *Gen.* 35. & 48. Ob quod etiam *Michææ* 5. dicitur: *Et tu Bethlehem Ephratæ &c.*) ut describeretur cum Maria desponsata, sed non cognitâ, uxore prægnante, partuique vicinâ, denuntiando scilicet nomina & familiam, & persoluto censu subjectos se Imperatori profitendo. Completis igitur novem mensibus & sex diebus, qui intercurrunt inter 25. Martii, quo conceptus, & 25. Decembris, quo natus est Christus juxta receptam traditionem, Enixa est puerpera Filium suum primogenitum & unigenitum, clauso utero, & consequenter sine dolore (quod docent Patres & Doctores communiter, & canit Ecclesia in officio Circumcisionis) qui ex violenta partium distentione (quæ abfuit) naturaliter subsequutus fuisset; ut & sine corruptione conceperat, eadem mater & obstetrix: quæ ipsa proinde fasciis pauperculis infantem involvit, ipsa in præsepio reclinavit, postquam genitum infantulum supplex adorasset. Quam adorationem etiam exprimit Ecclesia in officio Purificationis.

An autem prodierit infans cum solitis sordibus, à quibus proinde illum quoque mundaverit SS.ma ejus Mater, lacte virgineo (ut Quidam) aut aliter, disputatur inter Catholicos Scriptores. *Hieronymus l. contra Helvidium versùs finem* censet prodiisse solito membranarum tegmine circumvolutum; & (ut addit *Epist.* 21. *ad Eustochium prope finem*) cruentatum: *non* enim (inquit loco priùs citato) *erubescimus, non silemus, quanto sunt humiliora quæ pro me passus est, tantò plus ei debeo.* Alii tamen Patres contrarium significant. Et signanter Patres *Concilii Quinisexti* in Trullo celebrati, indeque Trullani appellati *Can.* 79. *absque ullis secundinis* (ut habent postremæ Editiones correctiores; etsi *Carranza in Summa Concil.* quasi ex versione *Gentiani Herveti* legat *absque ullo dolore*, prout etiam habet *Franciscus Longus in Summa Concil.*) *Virginis partum confitentur.* Et quaquam canones isti non sint irrefragabilis auctoritatis, numerosa tamen copia Patrum (qui convenerant) fundat non leve argumentum in re alioquin non adversâ sensui Ecclesiæ. Quod si ob reverentiam sacri partûs ita teneatur, dicendum consequenter est, membranas istas cum sordibus divinâ virtute in aliam materiam resolutas, vel in alium locum translatas: quibus interim clausus utero infans Deus, ab initio conceptionis plenissimè utens ratione, pro nostra salute tot mensibus patienter tulerat involvi.

Octavo die juxta præscriptum legis dignatus est puer Jesus circumcidi, etsi lege non teneretur: idque tum ut Judæis ansam cavillandi adimeret, tum ut suscipiendo figuram impleret veritatem, tum ut se carnem nostræ similem assumpsisse demonstraret, tum ut nobis obedientiam legis commendaret: tum denique quia per circumcisionem populus Dei consignabatur, divinoque cultui deputabatur. Quæ ratio etiam locum habebat in Christo. Quod autem dicitur *Lucæ* 2. *postquam consummati sunt dies octo*; intellige, sufficienter ad hoc ut juxta præscriptum legis (quæ præscribit diem octavum) *circumcideretur puer.* Sive phrasi Scripturæ non insolitâ censentur octo consummati ob septem integros præcedentes, & octavum diem per synecdochen acceptum & consummatum pro parte. Sicut *Gen.* 40. dicitur futurum post tres dies, quod tamen impletum fuit die tertio. Circumcisus autem fuit in Bethlehem, sive à Matre, ut quidam; sive à Joseph, ut alii, sive ab aliis Judæis deputatis ad hoc ministerium

rium per principes sacerdotum in singulis civitatibus & villis; prout fieri solitum putat *Augustinus l. 2. contra Parmenianum c. 17.* Et in præsenti conduxisset ad hoc, ut veritas circumcisionis Christi per publicum extraneorum testimonium esset extra suspicionem.

§. III.

De Epiphania seu Manifestatione pueri Iesu.

40. *Nativitas Christi diversimodè manifestata fuit,*

CIRCA manifestationem Christi jam nati constat illum fuisse manifestatum per Angelum ipsâ nocte Natalis aliquibus pastoribus Judæis in vicinia pernoctantibus, gregemque contra feras ac fures custodientibus in agro; quod etiam hyeme in regionibus calidis frequens est. Constat etiam fuisse die quadragesimo à nativitate, scilicet in die purificationis, manifestatum in templo Jerosolymitano per Simeonem, virum annosum & justum (quòd fuerit sacerdos, non constat; cùm Scriptura id taceat, quod verosimiliter alioquin non tacuisset) & Annam viduam prophetissam. Constat denique fuisse manifestatum in Oriente Gentibus per stellam: utì etiam in aliis mundi partibus feruntur alia signa nativitatis Christi non defuisse; prout videre est apud *Baronium in apparatu ad Annales*, & alios Auctores.

Signanter per stellam tribus magu.

41. *Qui à sapientia & peritia astrorum sic dicti fuerunt.*

Solùm hîc quædam sunt breviter observanda circa apparitionem factam tribus Magis. In primis, hos ita dictos, non quasi maleficos, sed tamquam sapientes, à peritia Philosophiæ naturalis, ac præsertim astrorum: prout Sapientes Persarum Magi olim vocabantur. Plerique etiam Patres conformiter officio Ecclesiastico censent fuisse reges sive regulos, id est, Dominos oppidorum suorum, seu primores gentis suæ, qui olim reges vocabantur; prout amici Job vocantur reges *Tobiæ* 2. & quatuor reges contra quinque dimicasse, & hi quinque ab Abraham superati leguntur *Gen.* 14.

Iidem erant reguli.

42. *Venerunt ex Arabia felice.*

Secundò observandum, quòd ob nomen Magorum & modum adorandi cùm oblatione munerum Persis proprium, censeant Varii venisse illos ex Perside. Sed verosimilius est venisse ex Arabia, subintellige, felice; ut post *Iustinum*, *Tertullianum* & alios censet *Baronius* & alii passim. Nec multùm aberrant, qui ex Chaldæa venisse scribunt; ut *S. Maximus*. Judæa enim ab Oriente respicit Arabiam; Magi porrò venisse referuntur ex Oriente. Abraham quoque refertur *Gen.* 25. separasse filios concubinarum Madian, Epha, & Saba ad orientalem plagam; cui & nomina hi sua reliquerunt. Unde *Hieronymus in c. 60. Isaiæ* ait: *Madian & Epha regiones sunt trans Arabiam, omnisque provincia appellatur Saba.* Quare & incolæ Arabiæ felicis olim Sabæi sunt appellati. Ad idem facit, tum loci congrua propinquitas cum Judæa in quam adjuti à dromedariis vel camelis tam brevi venire poterant, ut die decimâ tertiâ adorarent Jesum in Bethlehem: tum qualitas munerum oblatorum, quibus Arabia abundat: tum quòd Ecclesia utatur in festo Epiphaniæ Scripturis appositis ad præsens intentum, *Psal. 71. Reges Arabum & Saba dona adducent &c.* Et *Isaiæ 60. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha. Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes.* Denique huc facit, quod juxta *Hieronymum*, *Leonem Papam* & plures alios Patres hi Magi commoti sint vaticinio Balaam in Moab prolato, & per traditionem accepto, de quo *Numer. 24 Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel.* Moab verò est in Arabia, teste *Hieron. in c. 15. Isaiæ & lib. de Locis Hebraicis.*

43. *Stella quam viderant non erat astrum cæleste.*

Tertiò observandum, stellam, quæ noviter Magis apparuit, non fuisse astrum cæleste, ex creatis initio mundi, ut est communis Patrum & Doctorum sententia; sed formatam esse ex materia sublunari ministerio angelico, quo etiam tam motum quàm statum accepit. Neque enim antea, neque deinceps visa fuit. Deinde habebat motum inconstantem & non continuum, apparebat etiam mediâ die, præterea nunc apparebat, nunc delitescebat. Erat denique terræ adeò vicina, ut distinctè demonstraret domum, & veniens staret super ubì erat puer; quod non rectè consistit cum tam immensa astrorum distantia à nobis.

44. *Cœpit apparere primum in ipso Natali Domini.*

Quartò observandum hanc stellam non apparuisse biennio ante natalem Christi, sed ipso natalis die, ut habet communis doctrina, & favet *Aug. Serm. 4. de Epiphania* (etsi *Serm. 7. de Eodem festo, & Serm. 1.* inter editos à parisiensibus oppositum tradat) & alii communiter. Nam Magi illam acceperunt tamquam signum nati regis, dicentes: *Vbì est, qui natus est, rex Iudæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente*, scilicet existentes, ut quidam; vel potiùs stellam in oriente constitutam, quòd ipsa vicinior terræ foret, quàm ut in Judæa existens congruè apparere potuisset constitutis in Arabia; ut alii passim. Deinde cur alioquin biennio expectassent vel eo elapso sciviſſent jam natum infantem; quod utique illos ante adventum suum pro indubitato tenuisse, constat ex modo interrogandi, cum non interrogent de nativitate, sed eam supponentes, de solo loco: *Vbì est, qui natus est &c.* Denique aliàs Herodes occidisset infantes, etiam plùs quàm biennio natos; cùm biennium jam ante adventum Magorum effluxisset, & adhuc post eorum recessum effluxerint aliquot menses ante cædem innocentium.

45. *Magi adorasse*

Quintò observandum, Magos adorasse Christum, non biennio post nativitatem illius,

raverunt Iesum in Bethlehem decimotertio post nativitatem die.

lius, ut voluit *Epiphanius*, nec post oblationem pueri Jesu in templo; sed tertio decimo post nativitatem die, dromedariorum velocitate adjutos perveniisse in Bethlehem, ibique Christum adorasse. Sic enim habet antiqua traditio Ecclesiastica, cui nil æquale aut præponderans potest opponi. Modus quoque loquendi Sacræ Historiæ *Matth.* 2. illos protinus venisse insinuat: *Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, ecce Magi ab Oriente venerunt &c.* Denique aliàs non invenissent ampliùs puerum in Bethlehem; cùm post oblationem pueri in templo parentes discesserint ad pristinum domicilium in Nazareth, juxta illud *Lucæ* 2. *Et ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth*; quousque scilicet Angelus monuit Josephum de fuga in Ægyptum ob persecutionem Herodianam. An verò adhuc repererint infantem in spelunca seu stabulo, loco nativitatis seu in præsepio, dubitant Nonnulli, aut etiam negant. Affirmant tamen plerique Patres & Doctores, & consonat Ecclesia canens: *Hodie stella Magos duxit ad præsepium.* Nec aliquid multùm urget in oppositum. Quod autem Nonnulli censent Deiparam cessante jam copiâ hospitum facilè deinceps reperisse domum hospitii, solvi potest, dicendo, quòd paupertatis causâ & amore, aut etiam ratione occultæ Dei providentiæ id non fecerit; vel fortè quòd descriptio ista aut multitudo adventantium pluribus diebus perseveraverit.

46. Dices: Hærodes *diligenter didicit tempus stellæ quæ apparuit* Magis, quo scilicet tempore cœperit apparere, & postea *videns quoniam illusus esset à Magis, occidit omnes pueros à bimatu & infrà secundùm tempus quod exquisierat à Magis*, ut refertur *Matth.* 2. Igitur videtur stella à biennio circiter apparuisse, sive ante natale Christi, sive ante adorationem Magorum. Resp. Neg. Cons. Nam Herodes ex furore & timore extendit tempus, veritus ne fortè ante exortum stellæ Christus esset natus, vel grandior esset ceteris, sicut ad majorem cautelam extendit locum, occidendo nimirum pueros masculos etiam in omnibus finibus Bethlehem. Quare processit secundum tempus quod exquisierat à Magis, id est, quod subdolâ exquisitione à Magis factâ ipse sibi callidè præscripserat ad effectum certiùs consequendum. Biennium autem computandum est, non ab adventu Magorum, sed ab edicto Herodis, aliquanto post tempore lato; etsi secùs putarit *Baronius*. Nonnulli etiam ly *secundùm tempus*, subtiliùs fortè quàm solidiùs, solùm referendum putant ad ly *& infrà*; q. d. Occidit omnes masculos incipiendo à bimulis usque ad recens natos secundùm tempus quo cœperat stella apparere, quasi nempe postea natos non occiderit. Quod tamen genio crudelissimi & ambitiosissimi tyranni, & tantæ extensioni

Cur Herodes occiderit infantes à bimatu & infrà.

ad bimatum & loca vicina minùs congruit: ut proinde credibile sit ipsum etiam occidisse infantes post Christum natos, ut securiùs intentum suum obtineret.

Observandum denique Magos singulos obtulisse probabilissimè tria munera, quæ non carebant mysterio speciali, ut omnes Patres constanter advertunt: quidquid impudenter exsibilet *Calvinus*: aurum quidem tamquam Regi magno, thus tamquam Deo, myrrham tamquam homini pro nobis morituro.

Magi singuli obtulerunt tria munera, eaque mystica.

§. IV.

De Oblatione pueri Jesu in templo & Purificatione Deiparæ.

NUNC sequitur agendum de Oblatione pueri Jesu in templo Jerosolymitano, & purificatione Mariæ, quæ contigit quadragesimo die à nativitate Domini. Quando per præsentiam Verbi incarnati in templo præfato cœpit impleri illud *Aggæi* 2. *Et veniet desideratus cunctis Gentibus: & implebo domum istam gloriâ ..... magna erit gloria domûs istius novissimæ plùs quàm primæ.* Et illud *Malach.* 3. *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis &c.*

Propitio die Purificationis impletur.

Sciendum porrò veteri Lege duo fuisse sancita. Primum, ut omne primogenitum offerretur & consecraretur Domino, velut peculium ejusdem speciale; idque in cuitu beneficii à Deo præstiti populo, quem ut liberaret à servitute Ægypti, occiderat omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus. Quare primogenita mundorum animalium immolabantur Deo, primogenita verò hominum redimebantur quinque siclis, eò quod Levitæ subrogati forent loco primogenitorum ad serviendum Deo. Quæ omnia patent *Exodi* 13. & *Numer.* 8. & 18. Secundum erat generalius, ut nempe mulier, quæ suscepto semine pepererit masculum, immunda esset quadraginta diebus, septem quidem juxta dies separationis menstruæ, id est, instar mulieris menstruatæ, quæ quidquid tangebat, immundum reddebat, etiam homines; deinde aliis triginta tribus juxta situm observatu faciliorem; quo ratione profluvii sanguinis arcebatur à Sanctuario & contactu rei sanctæ. Die vero quadragesimo mundanda accedebat ad templum, offerens agnum in holocaustum, quod cremabatur Deo in gratiarum actionem pro felici partu, & pullum columbæ vel turturem pro peccato, scilicet legalis immunditiæ, à qua mulier purgabatur: aut si pauper erat, loco agni alterum turturem aut pullum columbæ. Orabatque pro ea sacerdos, & sic mundabatur; ut habetur *Levit.* 12. Porro ad purgationem matris necesse

Lex primogenitorum declarata.

Lex primogenitorum explanata.

non

non erat adesse infantem, eumque offerri. Quando tamen erat primogenitus, ideòque consecrandus Domino, sed opportunè semper fiebat cum purificatione matris, quæ citiùs ingredi templum prohibebatur.

49. Neutra ligabat Deiparam.

Utramque hanc legem B. Virgo in se & prole suâ servavit; ut patet *Lucæ* 2. ob similes ex parte rationes, ob quas adimpleri curavit legem Circumcisionis, etsi citra obligationem. Nam quod ad legem primogenitorum offerendorum spectat, Lex vetus non comprehendebat hunc infantulum tamquam propriam materiam legis, adeòque nequidem indirectè & ex consequenti erat obligata Deipara ad ejus oblationem ac redemptionem faciendam. Alioquin per ipsa verba legis non excludebatur Christus infantulus (quidquid velit *Suarez* & *Sylvius*) quia lex indistinctè loquitur de primogenitis, etsi juxta modum nascendi usitatum adhibeat verbum apertionis vulvæ; quæ est periphrasis primogeniti. Quare etiam Evangelista Lucas *cap.* 2. significat verba legis quadrare in Christum.

Probatur de lege primogenitorum.

Quod ad legem purificationis attinet, ea similiter juxta communem Patrum & Doctorum sententiam non obligabat Deiparam. Nam lex illa loquitur de muliere quæ suscepto semine pepererit masculum, adeòque verbis legis non comprehendebatur Deipara, quæ conceperat de Spiritu sancto. Adde fœdos illos sanguinis & sordium fluxus, quibus puerperæ purgantur, non fuisse in Deipara, quæ sine dolore, naturæque contumeliâ peperit. Quæ tamen cessatio finis in casu particulari videretur non sufficere, si (quod nonnulli Interpretes contendunt contra *Hieronymum* & alios Patres passim) alioquin verba legis generalia etiam comprehenderent Deiparam.

Probatur idem de lege puerperarum.

50. Oblatio turturis vel pulli columbæ pro peccato non fiebat secundùm legem pro peccato proli, sed pro legali immunditia matris.

Circa oblationem verò à Deipara faciendam notandum est, illam fuisse factam à Deipara more pauperum, scilicet offerendo par turturum, aut duos pullos columbarum. Oblationem autem unius ex columbis seu turturibus pro peccato faciendam, debuisse vi legis pro peccato seu immunditiâ ipsius parientis tollendâ fieri; ut satis apertè docet contextus *Levit.* 12. ubi subjungitur: *Et orabit pro ea*, puerperâ, scilicet Sacerdos, *& sic mundabitur.* Deinde non alia legitur cæremonia legalis, quâ immunditia legalis puerperæ mundaretur, præter hanc. Infans quoque (ut satis constat) non debebat adesse, ipseque erat jam antè mundatus ab originali; ausquam autem legitur ipsum subjacuisse immunditiæ legali, quæ hujusmodi expiatione indigeret. Quare ita censet *Lyranus*, *Abulensis* & alii passim; etsi *S. Augustinus* & quidam alii sentiant sacrificium fuisse offerendum pro peccato ipsius infantis, & *Suarez* existimet fuisse offerendum tam pro infante quàm pro matre. Quibus non favet, quòd in lege *Levit.* 12. dicatur *pro filio sive pro filia*: id enim (ut ipse *Suarez* fatetur) non afficit quod sequitur; *Deferet agnum &c.* sed quod præcedit, *Cùm expleti fuerint dies purificationis*, pro filio nempe vel filia, seu ob partum filii vel filiæ explendi. Agnus enim in holocaustum, & non pro peccato pœnis, jam antè ab originali purgatæ erat offerendus. Similiter quod *Lucæ* 2. dicitur: *Et cùm inducerent puerum Iesum parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo*; intellige, sistendo eum Domino tamquam primogenitum. Vel significatur generatim, quod ejus causâ fiebat, ut mox dicetur. Quod denique in Ecclesiastico officio ad imitationem verborum Scripturæ canitur, *Obtulerunt pro eo Domino par turturum aut duos pullos columbarum* (incertum quid horum obtulerint) intellige sic, ut *pro eo* sit idem, quod *ejus causâ*, ratione scilicet partûs seu generationis ipsius.

§. V.

De Actis in reliquâ Christi ætate usque ad Baptismum.

51. Christi fuga in Ægyptum.

Horum dumtaxat synopsim brevissimam damus, plura relinquentes Expositoribus S. Scripturæ. Itaque post purificationem parentes sunt reversi cum puero Jesu in Nazareth, ut indicatur *Lucæ* 2. Ubi Joseph in somnis admonitus fugit cum Deipara & infante in Ægyptum, mansitque ibi usque ad obitum Herodis: quantum autem temporis præcisè intercurrerit, plane incertum est; cùm plerique varios annos numerent, alii plures, alii pauciores. Si tamen Josephi & Dionis auctoritati deferamus, dicendum foret consequenter, fatente *Petavio l.* 13. *de Doctrina temporum in tabulis annorum* Christum natum Augusto 12. & Cornelio Sullâ consulibus, & Herodem mortuum esse anno sequenti, eodem scilicet quo Christus fugerat in Ægyptum.

Subsecuta cædes Innocentium.

Tum Herodes (ut habetur *Matth.* 2.) videns quoniam illusus esset à Magis, auditis scilicet mirabilibus, quæ in templo die purificationis contigerant; cùm antea facilè sibi persuasisset Magos spe frustratos non fuisse ausos regredi præ pudore, vel aliis implicitus ad id non advertisset, cœpit se convertere ad cædem infantium innocentium.

52. Reliqua Christi gesta usque ad Baptismum.

Post mortem Herodis monitu Angeli Joseph reversus in Nazareth habitavit. Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientiâ, & gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem ad templum, etiam Deipara pro sua pietate, etsi alioquin lex præscribens ut id ter in anno fiat, scilicet in Pentecoste, festo Tabernaculorum, & Paschæ solos

masculos respiceret. Fiebat autem id, quantum licuit, comitante parvulo, quem proinde factum annorum duodecim, cùm in reditu parentes existimarent more solito esse in comitatu, & non invenientes, reversi sunt in Jerusalem, ubì illum post triduum, id est, tertio die invenerunt in certa parte templi ad docendum legem & disputandum deputatâ sedentem in medio Doctorum, audientem illos docentes, & interrogantem, seu excitantem ex auditis quæstiones sive propositiones, ut omnes stuperent velut rapti super prudentia in proponendis dubiis, & super responsis similiter illius ad ea quæ ab ipso interrogabantur. Post hæc descendit cum parentibus in Nazareth, & erat facto subditus illis, perferens pariter labores, quibus quotidianum sibi victum quæritabant; proficiensque jugiter ætate, & effectis ac signis sapientiæ & gratiæ. Sicque complexa manet cum Evangelistis Christi infantia, pueritia & ætas reliqua, usque ad baptismum.

QUÆSTIO III.

De Baptismo & reliquâ vitâ Christi usque ad passionem.

§. I.

De Baptismo & Iejunio Christi.

53. *Baptismus Ioannis quando cœperit.*

Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris filii adoptivi Octaviani Augusti, cœpit Præcursor Christi prædicare & dare baptismum pœnitentiæ præambulum & dispositivum ad baptismum Christi. Quem inter ceteros etiam ipse Christus suscepit, eodem anno, idque dum *erat incipiens quasi annorum triginta*, ut refertur *Lucæ* 3.

Fuit à Deo inspiratus.

Ubì in primis certum est baptismum Joannis fuisse inspirativè à Deo, quatenus illum in genere inspiravit, & inspirando mandavit juxta illud ipsius Præcursoris *Ioan.* 1. *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit.*

A Ioanne institutus.

Ipse autem Joannes Baptista ritum baptizandi instituit, à quo proinde baptismus Joannis dictus fuit, ut tradit *Bellarminus l.* 1. *de Baptismo cap.* 20. sicut baptismus novæ legis à quovis conferatur, baptismus Christi dicitur; non Petri, Pauli &c. ne alius quàm Christus videatur auctor, ut notavit *Aug. l.* 5. *de Baptismo c.* 13. & alibi. Fuit præterea

Et collatus.

idem baptismus à Joanne collatus: an etiam à Discipulis, non constat, quòd ita.

An vel quâ formâ, incertum.

An insuper fuerit datus cum certa forma, incertum est, & variant Doctores. Constat saltem satis non fuisse datum in forma baptismi Christi.

Non contulit gratiam.

Præterea certum est ipsum non contulisse gratiam ex opere operato, eisque, qui illum susceperant, fuisse adhuc necessarium baptismum Christi, postquam lex Christiana cœpisset obligare; utì cœpit post passionem Christi & missionem Spiritus sancti. Unde baptizati Joannis baptismate adhuc jussi fuerunt baptizari ab Apostolis baptismo Christi.

An denique Joannes fuerit vicissim baptizatus à Christo baptismo ipsius Christi; incertum est. Nam quòd sic, censet verisimillimum *Amicus*, ex verbis ipsius Præcursoris *Matth* 3. *Ego à te debeo baptizari*, & responsione Christi: *Sine modò: sic enim decet nos implere omnem justitiam.* q.d. Exequere nunc quod dico, ego postea faciam quod petis. Sed Joannes ibi non petiit baptismum fluminis, neque Christus per consequens illum promittit. Solùm enim significat Joannes, quòd potiùs indigeret ablui à Christo, non baptismo aquæ, quem necdum ratio temporis postulabat, sed Spiritûs sancti & ignis, quem suprà prædixerat, idque quia illo debuerat ab originali & à quotidianis purgari. Quare nec Patres expresserunt aliter quàm in Spiritu, ut *Hieronymus*, vel in cruore & baptismo flaminis, ut *Nazianzenus* fuisse baptizatum. Ideoque verosimilius esse putat *Abulensis q.* 78 *in c.* 3. *Matth.* Joannem non fuisse à Christo baptizatum.

Ratio porrò ob quam Christus Dominus susceperit baptisma Joannis assignari solet, tum ut suo baptismo sanctificaret aquas, eisque vim regenerandi daret, eas destinando ad baptismum à se instituendum, tum ut baptismum Joannis comprobaret; tum ut humilitatis exemplum præberet, tum ut peccati in se incapax, peccata totius naturæ in se & per se abluenda significaret; tum ut medicus ægris assimilatus, ægrotis eò esset gratior, quò familiarior; tum ut homines ad Baptismum suum invitaret; tum ut testimonium cæleste ei redderetur; tum denique ut per descensum columbę significaret gratiam Spiritûs sancti annectendam baptismo Fidelium. Quare decentiam suscipiendi à se baptismatis ipse declarat *Matth.* 3. *Sine modo: sic enim decet nos adimplere omnem justitiam.*

Gravis autem & interminabilis est controversia inter Doctores de præcisa Christi ætate in susceptione baptismi. Nam Varii putant Christum fuisse baptizatum anno ætatis trigesimo inchoato. Quibus præter varios Patres favere videtur, quod Lucas *c.* 3. ait: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Alii putant id factum anno trigesimo expleto. Alii denique noviſſimè censent esse baptizatum anno trigesimo primo expleto, & trigesimo secundo per tredecim dies inchoato. Hi verò sic exponunt verba Lucæ, ut solum voluerit significare, quòd Christus esset triginta annorum circiter seu plus minùs; præsertim quia in ætatibus seu annis exprimendis rotundi numeri in Scriptura sæpè assignantur. Quod autem Evangelista dicit *incipiens* intelligunt hi, quòd non afficiat

annos

annos triginta, sed exercitium efficax sui & prædicationis, quòd scilicet hoc erat incipiens, cùm esset quasi triginta annorum. Prout simili modò & sensu refert idem Lucas *Act.* 1. dictum à Petro Apostolo: *Incipiens* Jesus *à Baptismate Ioannis &c.* Hæc porrò opinionum diversitas oritur ex diversitate & incertitudine opinionum de anno Natalis Domini; quæ similiter interminatæ manent.

57. *Christo baptizato qualiter aperti sunt cæli, Patre apparente in voce, Spiritu sancto in corpore simili columba.*

Christo jam baptizato, ascendentique de aqua mox juxta Matthæum *c.* 3. aperti sunt cæli, subintellige sensibiliter, idque verosimilius per hoc quòd in supremo aëre per congruentem, partim rarefactionem, partim condensationem & illuminationem laterum, profundi hiatûs similitudo apparuerit, ut è cælo omnia proficisci viderentur, vox scilicet Patris etiam sensibilis, humanæ & articulatæ similis, & columba seu potiùs corpus habens speciem columbæ, in qua repræsentabatur persona Spiritus sancti. Neque propterea fuit aliqua fictio: dum enim aliqua species divinitùs formatur, & ad veritatem aliquam significandam refertur, nulla deceptio est, sed veritatis significatio; etsi contingat per accidens aliquos falli. Species itaque columbæ non designabat veram columbam, nec etiam quod Spiritus sanctus esset vera columba, sed sub hoc sensibili involucro ob quasdam convenientias seu symbolizationes Spiritus sanctus apparuit, ut monstraret Christum esse filium Dei & Spiritu sancto plenum.

Qualiter ibi non fuerit filio.

Apparatio hæc non solùm Ioanni sed etiam astantibus patuit.

An vero hæc signa etiam sint ab astantibus percepta, Scriptura quidem suprà non expressit; tamen neque negat. Et omnino videtur, quod sint percepta, attentâ tum signorum sensibilitate, tum eorumdem fine, qui erat, ut manifestaretur conditio & qualitas Christi, non solùm Joanni Baptistæ (qui ipse *Ioan.* 1. sibi dictum refert: *Super quem videris Spiritum descendentem &c. hic est qui baptizat in Spiritu sancto*) sed etiam populo Judaico.

58. *Christus creditur baptizatus recurrente die Epiphaniæ.*

Quæri etiam posset, quo die anni Christus sit baptizatus? Sed communis responsio est fundata in Patribus & traditione Ecclesiasticâ, officioque divino, baptizatum esse ipso die Epiphaniæ. Unde cùm mox à baptismo successerit in desertum, ibi jejunaturus, S. *Franciscus c.* 3. *Regulæ* commendat & citra strictum præceptum præscribit Fratribus suis sanctam quadragesimam ab Epiphania Domini usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit. Solùm posset obstare frigus temporis importunum pro baptismo, qui à Joanne dabatur immersione corporis in aquam. Verùm potiùs tempus id ad exemplum pœnitentiæ erat maximè opportunum baptismo, sicut & Nativitati Jesu, qui propter nos in frigore & nuditate nasci dignatus est. Quàmvis alioquin in locis palestinæ non sit frigus de die adeò exorbitans.

59. *Quale fuerit jejunium Christi, & subsequens tentatio.*

Circa jejunium Christi id solùm notandum est, fuisse continuatum sine cibo per integros quadraginta dies; indeque sumpto exemplo Ecclesiam præscribere jejunium quadragesimale ante Pascha, nostræ infirmitati accommodatum, præsertim suppositâ moderatione hodiernâ, non solius prandii, sed etiam cœnulæ vespertinæ, apud aliquos satìs largæ. Expletis autem quadraginta diebus demum cœpit esurire, dicente Scripturâ, *Postea esuriit*; divinitate nempe humanam naturam, alioquin fami obnoxiam sustentante, actionesque interiores ac contrarias sic temperante, ut fames non oriretur. Similiter tentatio dæmonis, apparentis & colloquentis sensibiliter, contigit post jejunium quadragesimale, insidiatore ansam quoque sumente ex ipsa Christi esurie experiendi, an verè Filius Dei esset. Astus tamen dæmonis Salvator prudentissimis responsis elusit, relinquens illum sine ulteriori instructione mysterii. Qualiter verò tentatio Christi, utì primorum parentum, tota foris, non intùs fuerit, peti potest ex dictis *P.* 1. *Tr.* 3. *d.* 6. *q.* 12. *n.* 100.

§. II.

De Prædicatione Christi.

60. *Jejunio successit prædicatio, & miracula.*

POST jejunium & victoriam dæmonis processit Christus instar veri athletæ ad prædicationis exercitium, discipulorum aggregationem, miraculorum patrationem, quæ velut sigilla Patris cælestis authenticè monstrabant, quia verè à Patre missus esset in mundum velut Salvator ejusdem, ac tamquam in dictis suis verax signatus ab eodem Patre, qui est prima Veritas.

Qualis fuerit doctrina à Christo tradita.

Circa prædicationem Christi observanda est, tum doctrina in prædicatione tradita, tum tradendi modus, & tempus. Quoad primum manifestum est ex Evangelio doctrinam fuisse excellentem & purissimam, ad reformationem interioris hominis & cælestia collimantem. Quoad secundùm, constat fuisse modum prædicandi in Christo singularem, tum quatenus doctrinam plurimis & maximis miraculis confirmabat, tum quia singularissimâ vi & efficaciâ persuadendi loquebatur, tum quia singulari auctoritate doctrinam suam proponebat, tum denique quia quod docebat verbo, firmabat exemplo. Unde *Matth.* 7. dicitur: *Erat docens, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.* Et *Ioan.* 7. *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.*

Quàm singularis tradendi modus.

61. *Ad quem etiam spectat quòd publicè semper docuerit.*

Ad modum etiam tradendi pertinet, quod *Ioan.* 18. Christus dixit: *Ego palam locutus sum mundo: Ego semper docui in Synagoga* (ubì scilicet templum non esset) *& in templo* (scilicet Jerosolymis) *quo omnes Iudæi conveniunt, & in occulto*

occulto locutus sum nihil, quod scilicet occultatum vellem. Nam si quando aliquid coram paucis docuerit, hoc ipsum etiam publicè, scilicet coram discipulis, idque ut illud ipsum omnibus enuntiarent juxta illud Christi *Matth.* 10. *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Unde *Aug. Tract.* 113. *in Ioan. Quis in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur; præsertim si hoc loquitur paucis, quod per eos velit innotescere multis?* Adde, quòd etsi altiora quædam mysteria privatim Discipulis pro temporum opportunitate annuntiaverit, communem tamen doctrinam (de qua interrogabatur *Ioan.* 18 à Pontificibus) coram turba semper tradiderit.

Quo sensu id verum.

62. *Christus potissimùm Iudæu, rarò Gentilibus prædicavit; & quare.*

Quod ad personas attinet, quibus Christus prædicavit, constat ex Historia Evangelica ipsum ex instituto & principaliter solùm prædicasse Judæis; etsi rarò & obiter gentilibus personis interdum prædicaverit, ut Samaritanis *Ioan.* 4. & Chananææ *Matth.* 15. ubi etiam Christus ait: *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domûs Israel.* Et *Matth.* 10. mandaverat Apostolis: *In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potiùs ite ad oves, quæ perierunt, domûs Israel.* Ob quod Apostolus *ad Rom.* 15. Christum vocat *Ministrum circumcisionis*, id est, prædicatorem Judæorum. Congruum porrò erat, ut cùm prædicare per se non posset omnibus, inciperet à Judæis fratribus suis secundùm carnem, habentibus legem veri Dei & promissionem Messiæ ex suo semine nascituri, ac novæ Legis. Dicitur nihilominus Christus in Scriptura *Lux* sive *lumen Gentium*; quia has per Discipulos suos illuminavit, quibus mandavit *Matth.* 28. *Docete omnes gentes.*

63. *Quanto præcisè tempore prædicarit, disputatur.*

Denique ad tempus prædicationis quod attinet, est magna Opinionum diversitas. Sunt enim, qui tempus prædicationis contrahunt ad duos annos & tres circiter menses. Alii extendunt ad annos quatuor & tres ferè menses. Alii denique (& est recepta opinio) ad tres annos & totidem ferè menses.

Tria Paschata inter baptismum & mortem Christi manifesta sunt ex Scriptura, computato saltem illo, quo mortuus est.

Illud satis constat ex Scriptura, quòd post Baptismum Christi ante ejusdem mortem intercurrerint saltem tria Paschata. De quorum uno fit mentio *Ioan.* 2. post miraculum conversionis aquæ in vinum; de altero *Ioan.* 6. Postremum verò refertur *Ioan.* 11. 12. & 13. Item *Matth.* 26. *Marci* 14. & *Lucæ* 22. Estque illud quo passus est Christus. Neque plura admittit *Petavius lib.* 12. *de Doctrina temporum c.* 17. & 18. censens consequenter Christum tantùm duobus annis & aliquot mensibus post Baptismum vixisse.

Neque plura admittit Petavius.

64. *Quartum Paschæ colligitur ex Scriptura.*

Verùm addendum esse quartum Paschæ ex *Ioan.* 5. censent varii Patres & plures Recentiores, & satis plausibiliter suadet *Tannerus d.* 2. *q.* 2. *dub.* 5. *n.* 143. *& seqq.* contra nonnullos Patres & Doctores existimantes esse ibi sermonem de festo Pentecostes vel alio. Tum quia festum Paschæ apud Judæos antonomasticè vocatur festum, quando ex circumstantiis non colligitur esse sermonem de alio. Tum quia illa quæ narrantur contigisse inter Pascha præcedens (de quo *Ioan.* 2.) & hoc festum, videntur facilè spatium anni, saltem plùs quàm paucos menses (qui ante Pascha & Pentecosten vel festum Tabernaculorum intercedunt) requirere. Tum quia colloquium cum Samaritana (quod narratur *Ioan.* 4.) dudum post præcedens Pascha accidit, nempe in hieme sequenti, ut colligitur ex Verbis Christi ibidem: *Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit*; quæ in Palæstina venit inter Pascha & Pentecosten, ut patet *Levitici* 23. Dein quibusdam interpositis *Ioan.* 5 fit mentio ulterioris diei festi; utique colloquium dictum subsequentis. Quod proindè non potuit esse Pentecoste vel festum Tabernaculorum subsequutum præcedens Pascha, sed novum Pascha seu pòst anno vertente occurrens. Singularis porrò opinio *Cajetani* intelligentis Scripturam de festo Enceniorum, quia singularis, minùs curanda videtur. Etsi alioquin videatur non posse efficaciter aliundè redargui, attento quòd constet festum Enceniorum occurrisse in hieme, ut exprimitur *Ioan.* 10.

Nec refert, quòd *Ioan.* 6. fiat rursum mentio alterius Paschatis; adeòque de alio festo videatur locutus *c.* 5. Nam *Ioannes* referens potissimùm ab aliis prætermissa, modò brevior, modò longior est in Historia hujus vel illius anni pertexenda.

Occurrit objectio

Inhærendo autem huic sententiæ consequenter dici posset triennium prædicationis computari solitum esse à Patribus incipiendo à miraculo in Cana Galileæ; aliàs verè intercessisse inter Baptismum & mortem quatuor annos & quinque paschata, quorum primum Evangelista non expresserit. Quia tamen receptæ Patrum opinioni magis consonat simpliciter tantùm intercessisse tres annos & aliquot menses, negari posset miraculum nuptiarum accidisse, anno post Baptismum, sed potiùs inter Baptismum & primum Pascha; ut sanè commodè intelligi potest accidisse. Neque aliud evincunt auctoritates. Nisi quis mallet tenere, & quòd miraculum primum factum sit anno integro post Baptismum, & quòd tantùm intercurrerint tria Paschata, dicendo festum Judæorum, de quo *Ioan.* 5. non fuisse Pascha, sed aliquod aliud, ut *Petavius* & alii plures volunt. Quod quoad posteriorem partem dicendo, & negando annum intermedium inter Baptismum ac Miraculum nuptiarum, facilè defendi posset sententia *Petavii* de triplici Paschate, adeòque de duobus annis &

nis, & aliquot mensibus Prædicationis Christi. Verùm sensus communis militat in contrarium.

§. III.

De Miraculis Christi.

66. *Primum miraculum manifestum fuit conversio aquæ in vinum.*

PRIMUM vero miraculum manifestum, quo gloriam & divinitatem suam populo monstravit (occultum erat, egressus ex utero clausо, & abstinentia à cibo per quadraginta dies) fuit conversio aquæ in vinum facta in nuptiis celebratis in Cana Galileæ vicinâ oppido Nazareth; ad quas cum Matre & aliquot discipulis, quos scilicet tunc sibi aggregaverat, fuerat invitatus.

67. *Quo simiter die sextâ Ianuarii contigisse, habet doctrina satis recepta;*

Circa quod miraculum observandum est, non ita constare de die seu tempore, quo patratum fuit. Recepta quidem satis doctrina est, similiter factum fuisse sextâ Januarii seu die Baptismi, vertente anno. Et consonant non tantùm varii Patres, sed etiam Ecclesia in officio divino canens: *Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus ..... hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias.* Varii tamen Recentiores valdè probabiliter contradicunt, eò quòd traditio ista non videatur adeo certa, prout quoque satis indicat *S. Maximus Serm. de Epiphaniâ* & alii Patres; & satisfiat menti Ecclesiæ, quod tali die repræsentetur facti memoria, sicut simili modo loquendi utitur in die depositionis personæ, sæpè diu antea defunctæ. Aliundè autem minùs videatur credibile, Christum per annum integrum abstinuisse post susceptum baptismum à solemniori prædicatione & miraculis; qui etiam alioquin post baptismum vixisset quatuor annos & tres circiter menses. Qui vero priori Opinioni adhærent, ad hoc respondent, non esse id incredibile, considerando quod inter miraculum istud & baptismum intercurrerit jejunium, reditus in Galilæam seu Nazareth, mora aliquanta ibidem, visitatio Joannis, à quo testimonium acceperat & adhuc accepturus erat, successiva aggregatio discipulorum. Quæ omnia alioquin contigisse debuissent inter diem Epiphaniæ & primum (quod putant) Pascha, ante quod constat fuisse miraculum patratum in Cana, juxta contextum Evangelii *Ioan.* 2. Res est proinde inter incertas relinquenda.

Incerta tamen est.

Et difficultatem patitur,

Ad quam minimomnus respondent adhærentes præfatæ sententiæ.

68. Miracula porro sigillatim recensere ac explicare non est nostri instituti. Solùm aliquid dicendum de gloriosa Salvatoris Transfiguratione, quam Ecclesia solemnizat in officio divino ex promotione seu etiam institutione Calixti III. ut passim Auctores referunt, & declarat *Waddingus ad Annum* 1456. *n.* 71. idque occasione victoriæ mirabilis habitæ contra Turcas, etsi non ipso die, interveniente B. Joanne Capistrano & Joanne Huniade.

Transfiguratio ubi, quo fine, & coram quibus contigerit?

Itaque Christus cùm Discipulis passionem suam prædixisset, crucem à singulis bajulandam monuisset, seque post hæc cum gloria judicaturum prænuntiasset, ascendit in montem excelsum, Thabor scilicet, ut habet *Martyrologium Romanum*, & Opinio vulgata *Hieronymi*, *Bedæ* & aliorum, situm in Galilæa, quò proinde à Cæsaræa Philippi (ubi priores sermones cum Discipulis erant habiti *Matth.* 16.) sex diebus interjectis accesserat. Ubi ut de discipulorum cordibus scandalum crucis tolleret, illosque ad labores & tolerantiam animaret, finemque crucis ac laborum eis prælibandum propinaret, selectiores tres, *Petrum* scilicet *& Iacobum* (utique non Minorem, fratrem Domini, ut putavit *Augustinus*, sed alterum dictum Majorem, utpote fratrem Joannis, de quo sequitur in textu) *& Ioannem fratrem ejus* inquit Matthæus *c.* 17. Ante quos transfiguratus est.

69. *In quo consisteret, declaratur.*

Transfiguratio verò hæc non fuit figuræ aut lineamentorum, sive corporis, sive faciei, immutatio; sed manente eâdem figurâ solùm immutatio quædam speciei per accessionem novi splendoris. Unde Matthæus se ipsum explicans subdit: *Resplenduit facies ejus, sicut sol*, per immutationem scilicet veri splendoris & lucis internæ. Secùs quàm claritas Moysi, quæ solùm erat in facie, extrinsecùsque adveniens ex colloquio Dei. Idipsum etiam declarat Lucas *cap.* 9 dicens: *Facta est species vultûs ejus altera. Vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix*, inquit Matthæus, sive (ut Lucas) *factus est vestitus albus refulgens.* Qui fulgor seu candor vestium procedebat ex fulgore seu luce corporis Christi. Quare albedo ista vestium non propriè albedo erat, sed luminis transparentis fulgor; qualis ferè est nubium soli directè subjectarum.

§. IV.

De Conversatione Christi & cultu corporis.

70. *Conversatio Christi fuit socialis,*

CONVERSATIO Christi in mundo fuit communis & socialis, seu inter homines: vita enim solitaria seu eremitica non conveniebat fini redemptionis & instructionis nostræ. Idem patet ex Evangelio. Ex quo tamen similiter liquet ipsum opportunè solitum fuisse se subducere à publico ad vacandum orationi, præclarè miscens vitam contemplativam activæ, quo & præberet prædicatoribus exemplum, & hanc vitam tamquam perfectissimam Deoque gratissimam indicaret.

Actioni mixtam habens contemplationem.

71. *Qualis ejus victus.*

In victu porro seu cultu corporis regulariter se accommodabat, salvâ honestate &

te & decentiâ, consueto hominum mori quibuscum versabatur; prout congruit cum aliis conversanti. Ideoque *Matth.* 11. Joannes dictus est *neque manducans, neque bibens*; nimirum *quia* (ut ait *August. l.* 16. *contra Faustum c.* 31.) *illo victu, quo Iudæi utebantur, non utebatur. Hoc ergo* (subdit) *nisi Dominus uteretur, non in ejus comparatione manducans & bibens diceretur.* Propter quod S. Franciscus vitam Christi & Apostolorum innovans, suisque præscribens *cap.* 3. *Regulæ* ait: *De omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare*; exceptis scilicet specialibus jejunii Regularis, & Ecclesiastici diebus.

72. *Qualis vestitus,*

Quod ad qualitatem vestitûs attinet, is quoque fuit vulgaris & pauper. Solùm vertitur à quibusdam in dubium, an Christus incesserit calceatus, immo quòd ita regulariter incesserit ab iis affirmatur. Sed oppositum omnino est asserendum, scilicet Christum incessisse nudis pedibus, ad summum cum soleis sive sandaliis pedis plantam ab injuriis viæ defendentibus, supernè autem patentibus; ut expressè tradit *S. Hieronymus Epist. ad Eustochium.* Et ex professo *S. Bonaventura in c.* 3. *Regulæ S. Francisci*, & *in Epistola seu Opusculo de Sandaliis Apostolorum*: quod scripsit adversùs quemdam Magistrum, qui oppositum prædicaverat, in quem tamquam temerè contra veritatem Evangelicam offendentem, & Evangelii candidissimam margaritam tortis expositionibus concultantem invehitur. Ibidemque ad probationem adducit plura Patrum & Scriptorum antiquorum testimonia. Et planum satis apparet ex Evangelio *Matth.* 10. & *Lucæ* 10. Christum discipulis præscripsisse, ut non portarent calceamenta; quæ proinde ipse non tulit: *Nec enim poterat habere Dominus* (ut rectè *Hieronymus Epist. ad Eustochium*) *quod prohibuerat servis*; qui primò cœpit facere, & docere. Nec dici potest, ipsum tantùm inhibuisse discipulis calceamenta duplicia seu mutatoria. Nam sic debuisset explicatiùs dicere, Nolite habere superflua seu duplicia calceamenta, sicut exprimit duas tunicas. Deinde dum ait: *Nolite possidere aurem, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*; non potest id intelligi, quòd solùm prohibeatur pecunia superflua, sed omnis (quod & Apostoli servarunt, dicente Petro *Act.* 3. *Argentum & aurum non est mihi*) adeòque idem est de calceamentis. Præterea *Lucæ* 22. Christus dixit: *Quando misi vos sine sacculo, & perâ, & calceamentis*; utique sine ullis, utì sine ulla pera, & sacculo. Proinde Apostoli sic ad litteram observarunt Christi præscriptum, ut etiam patet ex Patribus, & antiquissimis picturis ac cælaturis Apostolorum, etiam Romæ, in quibus omnibus vel cum soleis vel nudis pedibus exprimuntur. Idem quoque patet ex ipsis, à Christo permissis *Marci* 6. Apostolorum & Christi discipulorum sandaliis, quæ usque in hodiernum diem in plerisque locis ad hujus veritatis adstipulationem, & devotionem Fidelium asservantur, teste *D. Bonaventurâ in Opusculo cit.* Patet etiam per gloriosum Christi significatum Franciscum, qui Spiritu sancto revelante juxta litteralem intellectum prædicti præcepti in Regula sua Evangelica Fratribus suis calceamentorum usum interdixit. Et hinc Christus ad litteram loquendo pedes Discipulorum ante sumptionem Eucharistiæ in ultima cœna lavit, veluti immundos ex eo quòd discalceati incedebant.

Incessisse cum Apostolis discalceatum, ostenditur multipliciter.

Nec refert, quòd Joannes Baptista dixit *Matth.* 3. *Cujus non sum dignus calceamenta portare* seu (ut *Marcus c.* 1. & *Lucas c.* 3. *solvere corrigiam calceamentorum.* Nam (ut taceam verbum Græcum rectè significare sandalia, seu soleas pedibus subligari solitas; & ut omittam alias expositiones ad intentum opponentium nil facientes) usitato proverbio solùm intendebat Joannes prædicare suam parvitatem, Christique dignitatem; cujus respectu non sit dignus ei vilissimum ministerium exhibere. Sicut de homine valde nobili non solito lavare manus posset dicere pauper humilis: Non sum dignus aquam effundere super manus ejus; inquit *D. Bonaventura sup.* Nisi fortè quispiam dicat, quòd Christus tunc temporis, quo nondum publicè prædicabat, nondum regulam vivendi ediderat, nondum in deserto exemplum dans pœnitentiæ jejunaverat, calceamentis utebatur. De quo quidquid sit, saltem manifestè concluditur, quòd post institutionem Apostolicæ vitæ & regulæ, Christus ejusque discipuli sine calceamentis ad litteram incesserunt. 73. *Oppositum non recte colligitur dicto Joannis quod dignus non esset Christi calceamenta solvere.*

74. *Tota vita Jesu paupertate abundans.*

De reliquo tota Jesu vita fuit pauper, ut verissimè dixerit *S. Franciscus c.* 6. *Regulæ: Ipse Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.* Et Apostolus 2. *ad Cor.* 8. *Propter nos egenus factus est; cùm esset dives &c.* Unde ex Matre paupercula in summa paupertate & alieno tecto natus est, pauperculis pannis involutus; in fœno & præsepio paupere reclinatus, pauper & nudus pro nobis crucifixus, alieno denique sepulchro conditus fuit. Et *Matth.* 8. ipse ait: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Et Lucæ* 8. *Sequebantur eum mulieres, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.*

Cujus formam quæ præscripsit desiderantibus perfectionem Christus.

Quare in primis perfectionem concupiscentibus *Marci* 10. proponit, ut vadant & vendant omnia sua & dent pauperibus, & sic nudati sequantur ipsum. Deinde pauperem vitæ formam præscribit Discipulis jam ipsum secutis, proindeque ipse servavit, qui (ut dicitur *Act.* 1.) *cœpit facere & docere.* Præscribit namque Discipulis *Lucæ* 9. ut non habeant duas tunicas, seu

seu non plures vestes quàm unam, non possideant aurum neque argentum, neque pecuniâm in zonis, ut sine pera & sine calceamentis incedant, in domibus alienis divertant, manducantes quæ apud eos sunt, seu sumentes instar pauperum alimenta necessaria, etsi alioquin Prædicatoribus verbi divini debita. Unde Apostolus 2. *ad Cor.* 11. vitam suam planè pauperem describit, in jejuniis multis, in frigore & nuditate transactam. Et 1. *ad Timoth.* 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.*

75. *Vita pauper congruebat prædicationi Evangelii.*

Denique vita pauper congruebat prædicationis officio, tum ob carentiam curæ sæcularis, necessariæ possessoribus divitiarum: tum ne ipse aut Discipuli videri possent quærere humana, sed hominès seu animas: tum ut liberiùs ab omni concupiscentia terrenorum liberi veritatem edicerent: tum ut in abjectione & paupertate Christi ejusque Discipulorum magis divina vis prædicationis Evangelicæ eluceseeret; ne divitiarum abundantia mutationem orbis terrarum videretur operata: tum denique ut ab immoderata opum cupiditate (quæ plurimos ad infernum trahit) homines revocaret salubberrimo paupertatis exemplo.

76. *Interdum Christus habuit aliquarum rerum dominium, ut declarat Ioannes XXII.*

Sed difficultas est, an Christus ita fuerit pauper, ut quidem in communi, saltem cum collegio Apostolorum habuerit aliquarum rerum dominium? Ubi satis constat Christum saltem interdum habuisse dominium aliquarum rerum; prout definivit *Ioannes XXII. Extrav. Quia quorumdam, de Verb. signific.* Et consonat Scripturâ *Ioan.* 13. ubi collegium Apostolorum legitur habuisse loculos, qui servabantur in usus necessarios. Ideoque Discipuli putabant, quòd Christus Judæ dixisset: *Eme ea, quæ necessaria sunt nobis ad diem festum, vel egenis ut aliquid daret.*

77. *Interdum non, ut declarat Nicolaus III.*

Nihilominus interdum etiam Christus fuit sine ullo peculio, non habens ubi caput suum reclinaret; idque non solùm tempore quo ante baptismum vixit de bonis parentum; sed etiam postea, ut expressè tradit *Nicolaus III.* c. *Exiit, de Verb. signif. in* 6. ubi arctam abdicationem omnium rerum propter Deum, tam in speciali quàm in communi, *quam venenosis obtrectationibus aliquorum insensata damnaverat astutia*, declarat *meritoriam esse & sanctam, quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit & exemplo firmavit: quamque primi Fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè vivere, per doctrinæ ac vitæ exempla in eos* (loquitur de Franciscanis) *derivarunt.* Idem colligitur ex *Matth.* 8. & *Lucæ* 8. *suprà cit.* & ex paupertate Christi in cruce.

78. *Qui objectionem à se motam pulchrè dissolvit.*

Nec *his quisquam putet obsistere* (inquit *Nicolaus III. sup.*) *quod interdum dicatur Christus loculos habuisse. Nam* (ut ibidem respondet) *sic Iesus Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret. Sic infirmorum personam Christus susceptit in loculis, sic & in nonnullis aliis infirma carnis assumens* (*prout Evangelica testatur historia*) *non tantùm carne, sed & mente condescendit infirmis. Sic enim humanam naturam assumpsit, quod in suis operibus perfectus existens, in nostris factus humilis, in propriis permansit excelsus. Sic & summæ charitatis dignatione ad actus quosdam nostræ imperfectioni conformes inducitur, quod à summæ perfectionis rectitudine non curvatur. Egit namque Christus & docuit opera perfectionis. Egit etiam infirma; sicut interdum & in fuga patet & loculis. Sed utrumque perfectè perfectus existens, ut perfectis & imperfectis se viam salutis ostenderet, qui utrosque salvare venerat, qui tandem mori voluit pro utrisque.*

79. *Christus aliquando usque ad mendicitatem pauper fuit.*

An autem fuerit Christus pauper aliquando usque ad mendicitatem, inter aliquos controvertitur. Sed dicendum, quòd sic, cum *D. Bonav. Opusculo de paupertate Christi q. 2. D. Thomâ Opusc. contra Impugnantes Religionem cap. 7.* & aliis passim. Nam de Christo, seu in persona Christi David dixit *Psal.* 39. *Ego autem mendicus sum & pauper.* Et *Psal.* 108. *Et persecutus est hominem inopem & mendicum.* Ratio est: quia mendicare est indigentiam petitione eleëmosynæ sublevare; id autem fecit Christus in triduo, quo à parentibus duodennis aberat *Lucæ* 2. Nam (ut interrogat *Bernardus Homil. de Puero perdito*) *Per illud triduum ubi eras bone Iesu? quis tibi cibum ministravit aut potum? &c. An ut te per omnia conformares nostræ paupertati ..... quasi unus ex turba pauperum stipem per ostia mendicabas? Quis dabit me buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, vel saltem divini illius edulii reliquiis saginari?* Idem fecit aliàs, ut quando sitiens petiit potum *Ioan.* 4. & hospitium à Zachæo *Lucæ* 19. & quando circumspectis omnibus Jerosolymâ discessit vesperi in Bethaniam *Marci* 11. tantæ utique paupertatis, ut cùm in tanta urbe hospitium non inveniret, quod utique ad conducendum petio non defuisset, circumspiceret tamquam pauper & mendicus, alibi hospitium petiturus. Cùm autem Magister *Guilielmus de S. Amore* hostis Religionis S. Francisci & S. Dominici, responderet, id non fuisse factum à Christo ex mendicitate, sed ex urbanitate, contrà rectè arguit *S. Bonaventura*, quod Christus non fuerit factus egenus & pauper ad docendam urbanitatem vel curialitatem humanam. Petiit proinde humilitatis Magister ex vera humilitate, eò quòd opportunum id foret ad sublevandam suam indigentiam, ac per hoc ut mendicus & pauper.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Passione, Morte, Sepultura Christi ac descensu ad inferos.

§. I.

De Passione Christi.

80. *Acta Christi circa passionis exordium.*

IMMINENTE tempore misericordiarum Domini Jesu, quo disposuerat salvam facere plebem suam & eam redimere, non corruptibili auro & argento, sed pretiosissimo sanguine suo, ultimam cum discipulis cœnam celebravit, in qua post agnum typicum expletis epulis, postque pedum discipulorum per ipsum Dominum Jesum ablutionem, instituit cœnam sacratiorem, in qua seipsum præbuit tamquam cibum & potum sub speciebus panis & vini. Qua de re fusior erit sermo, ubi de Sacramento Eucharistiæ. Deinde longo & delitioso sermone ad discipulos habito, processit cum eis ad hortum Gethsemani; in quo cœpit amara Christi passio, tum per tristitiam & sanguinei sudoris emissionem, tum per capturam. Seriem porrò omnium tum ibi, tum postea gestorum enarrare non est nostri instituti; sed nonnullas solùm difficultates circa passionem ipsam proponi solitas explicabimus, fusiorem de ea tractatum relinquentes Interpretibus sacræ Scripturæ. Pro ordine autem, quo singula gesta sunt, faciliùs percipiendo juvabit legere *Iansenium in Concordia Evangelica* & alios, qui historiam quatuor Evangelistarum velut unicam catenatim texuerunt.

81. *Passio Christi fuit omnium mortalium in hac vitâ maxima & acerbissima.*

Circa passionem porrò Christi in generali spectatam occurrit in primis considerandum, quòd fuerit omnium maxima & acerbissima; ut rectè ei applicet Ecclesia in Officio feriæ quartæ majoris hebdomadæ illud *Thren.* 1. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Idque rectè declarat *D. Bonaventura 3. d. 16. art. 1. quæst. 2. in corp. & art. 2. quæst. 3.* Et *D. Thomas quæst. 46. art. 5. & 6.* Potest autem hoc taliter declarari. Considerandum enim est, quis sit qui patitur, à quibus, pro quibus seu propter quid; denique in quibus bonis, & quid patiatur. Primò itaque is, qui patitur est Dei filius, agnus innocens sine macula, qui secundùm corpus erat perfectissimæ complexionis, adeòque præditus maximâ sensuum vivacitate, præsertim tactûs; & consequenter ceteris paribus sentiens præ ceteris dolorosa seu afflictiva: secundùm animam quoque & vires interiores vivacissimè apprehendit causas doloris seu tristitiæ. Reliquit insuper quodlibet tormentum agere, & quaslibet vires agere & pati quod proprium est, appetitum quoque confristari quantùm naturæ propensione & efficaciâ posset; uno actu divinitùs non impediente alterum, neque gaudio unius partis in alteram redundante. Martyres verò plerumque sentiunt lenimentum, sive quatenus Deus omnipotentiâ suâ dolorem & afflictionem mitigat aut impedit, sive quatenus sensus vel apprehensio eorum hebetatur aut divertitur; accedente ferventi amore Dei, quo incalescentes ac velut ebrii, tormenta vix ac interdum nullo modo sentiunt.

Quod declaratur, ex consideratione ejus qui patitur & modi patiendi.

Secundò Christus passus est à Gentilibus, ipsisque Judæis, fratribus suis secundùm carnem, & à suo proprio Apostolo traditore, item à primoribus & promiscuâ plebe utriusque sexûs; atque illis quidem, quibus tot bona opera operatus erat, & pro quibus etiam tunc patiebatur: qui ex invidia & odio innocentem & justum tam dirè crucifixerunt.

Tertiò passus est justus pro injustis, & quidem pro omnibus omnino, etiam pro ipsis crucifixoribus; adeòque pro inimicis & ingratis: idque propter culpas alienas, totius videlicet generis humani, ut divinæ justitiæ pro nobis satisfaceret, noscque Deo Patri reconciliaret.

Quartò passus est Jesus in bonis externis, spoliatus etiam indumentis, & coram infami multitudine contra honestatem denudatus; item in amicis eum deserentibus; in Matre, cujus animam compassivi doloris gladius transfigens, etiam transfigebat cor Filii. In fama & honore per falsas accusationes, blasphemias, contumelias, irrisiones. In corpore, quantùm ad singulos sensus, singulaque membra; ut piè consideranti satis patebit. Ut proinde dolor fuerit extensive maximus Imo & intensive, si spinis confixum caput, membra flagris (quibus mancipia cædi solebat) discerpta, manus & pedes clavis perforatos, diuturnitatem passionis, signater suspendii in cruce consideremus. Nam ad tres horas suspendiū ejus continuabatur, & clavi adeò affligebant pendentem, sicut afflixerunt, quando manus ejus & pedes confodiebantur, in quibus maxima erat afflictio propter nervos & musculos ibidem concurrentes, in quibus præcipuè viget sensus; ut rectè *D. Bonav. q. 2. cit.* Et ob hæc erat suppliciuū crucis maximè formidabile; & (ut tradit *Aug. Tr. 36. in Ioannem* & alii) inter genera suppliciorum, quæ lege vel usu reis inferebantur durissimum: adeò ut ubi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocetur, à cruce nominatus. Erat & ignominiosissimum, utpote quo non nisi viliores, ut mancipia, nec nisi valde scelerati solerent affici. Ideoque in persona Judæorum (ut explicat *Cyprianus, Augustinus* & alii) *Sap.* 2. dicitur, *Morte turpissimâ condemnemus eum.* Et *ad Philipp. 2.* cùm dixisset Apostolus: *factus obediens usque ad mortem*, emphaticè addit: *Mortem autem*

autem crucis. Cui accedebant circumstantiæ maximè pœnosæ; scilicet festum Paschæ, immensa etiam advenarum spectantium turba, societas latronum, inter quos velut eorum similis aut princeps suspendebatur, summa denique nuditas.

84. *Tristitia interioris gravissima, ac passionem maximè aggravantis, quænam causa.*

Ex dolore sensibili nascebatur proportionatè maximus dolor seu tristitia interior in parte rationali. Hujus prætereà interioris tristitiæ causa erat mors ipsa, deinde peccata generis humani, quæ quantùm ad satisfactionem assumpserat in se Christus, & specialiter casus Judæorum, ac ingratitudo plurimorum per ipsum redemptorum. Ex quibus juxta *D. Bonaventuram sup. q. 3.* orta fuit major tristitia in anima Christi, quàm ex passione externa. *Quod* (inquit) *eleganter exprimit Cancellarius Philippus in quadam prosula valde notabili:*

Homo vide, quid pro te patior?
Ad te clamo, qui pro te morior.
Vide pœnas, quibus afficior.
Vide clavos, quibus confodior.
Cùm sit tantus dolor exterior:
Interior tamen planctus est gravior,
Tam ingratum dum te experior.

Ex quibus simul junctis satìs constat dolorem Christi fuisse maximum, factâ comparatione cum doloribus ceterorum hominum in hac vita. Majores alioquin dolores sunt in inferno; & quantùm est ex genere pœnæ ac doloris etiam in purgatorio. Etsi non incredibile sit, aliquorum, qui paucâ & parvâ purgatione indigent, pœnam esse minorem, quàm fuerit pœna Christi.

Majores sunt cruciatus in altera vita.

Multùm verò crescit & quidem excessivè passio Salvatoris, si non solùm externa consideretur afflictio, aut etiam internus dolor pro tempore externæ passionis, sed insuper continua & perpetua crux seu passio interior, quam Christus in corde suo sustulit, ab instanti conceptionis suæ. Exinde enim factus est Redemptor noster voluntariè assumens in corpore passionibus aptato peccata nostra, pro iis satisfacturus: quæ omnia proinde ex tunc cum sua fœditate, gravitate, multiplicitate clarissimè vidit, utì & ingratitudinem & interitum plurimorum cum dispendio sanguinis & passionis suæ, item ingratitudinem, cæcitatem & supplicia imminentia genti suæ, scilicet Judaicæ, dolores & compassionem dilectissimæ matris, omnes denique futuras passiones tamquam præsentes. Ex quibus credibile est acerbissimum dolorem in anima Christi jugiter fuisse generatum; etsi exteriùs non semper patefactum. Idemque facit plurimùm ad commendandum Christi viscerosissimam dilectionem, copiosissimam redemptionem, adque excitandum in nobis jugem amorem & gratitudinem. Quàmvis simpliciter loquendo potuisset ex omnibus istis non resultare in anima Christi dolor seu tristitia, præsertim considerando gaudium beatificum, quod anima ab instanti conceptionis habuit. Sed sicut tempore passionis, sic & antea, non solùm per intervalla, quando flevit super Jerusalem, & in morte Lazari, & quando circumcisus est &c. sed jugiter fuisse simul tristitiam dispensativè, videtur aliundè congruentius. Atque ita docent plurimi doctissimi pariterque piissimi Scriptores. Consonatque Scriptura, prout substat expositioni Patrum & Interpretum illam de Christo intelligentium; *Ps. 37. Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Et *Ps. 87. Pauper sum ego, & in laboribus (Hieronymus* legit *miserius, Vatablus* verò vertit *agonizans, Cajetanus* autem legit *sum moriens; Genebrardus* denique, *spiritum exhalans) à juventute mea.* Et *Ps. 108. & persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare.* Compunctum corde appellat, non compunctione culpæ, sed compunctione pœnæ & anxietatis ac solicitudinis, quam pro salute generis humani assiduè Christus gerebat in corde, ut ibi explicat *Bellarminus.* Ex his itaque patet, piè credi posse jugem Christi per totam vitam cordis afflictionem atque interiorem crucem pro nobis peccatoribus toleratam.

Eadem colligitur ex Scriptura.

85. *Interna Christi afflictio seu perpetua per totam vitam crux supra modum augens gravitatem passionum Christi finietur.*

86. *Desperatio & damnatorum pœna per blasphemos Novatores Christo patienti adscripta refutatur.*

Denique quod quidam Novatores dixerunt, Christum etiam esse passum desperationem, & pœnas damnatorum, est blasphemia antè hâc inaudita, repugnans summæ sanctitati & innocentiæ Christi, perpetuæ beatitudini animæ ipsius, sufficientissimo, immo superabundanti valori passionis & mortis; cui proinde constanter in Scriptura adscribitur nostra redemptio, nusquam autem pœnis impii & damnati hominis. Nec identitas pœnæ cum ea quæ pro peccatis nostris debebatur, sed valor & proportio debet spectari.

87. *Explicantur verba Christi: Ut quid dereliquisti me?*

Neque obstat illud *Psalm. 21.* (quod Christus in cruce clamans dixit) *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Nam hæc verba non esse desperantis, satìs docet ly *Deus meus*, & quod eodem psalmo in persona Christi dicitur *Spes mea ab uberibus matris meæ.* Quodque eodem quoque tempore Latroni Christus promisit *Lucæ 23. Hodie mecum eris in paradiso.*

Itaque verbis istis continetur partim quædam protestatio acerbissimæ passionis, declarativa veræ in Christo humanitatis, idque in forma querimoniæ citra impatientiam; qualis ista: *Transeat à me calix iste.* Partim interrogatio causæ, velut cum admiratione quadam, citra ignorantiam, ob nostram instructionem. Quæ nempe causa erat, tum divina benevolentia, tum peccata generis humani; quæ Christus in se assumpserat, juxta id quod *Psalm. 21.* instar responsi cujusdam sequitur: *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Addit *Cyrillus* & alii

alii esse verba Patrem provocantis ad benevolentiam, instar sacerdotis sacrificio suo cruento Patrem placare satagentis, q.d. Memento, ob quam causam dereliqueris me.

88. *Explicatur locus Isaiæ 53.*

Non obstat etiam illud *Isaiæ* 53. *Et nos reputavimus eum quasi leprosum & percussum à Deo.* Nam velut leprosus seu immundus, & percussus à Deo pro suis peccatis fuit habitus à vulgo Judæorum & incredulorum. Quorum errorem Propheta mox corrigit dicens: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras.* Adde percussum à Deo quodam sensu, utì traditum fuisse ad occisionem; non tamen ex odio aut vindictâ ipsius, sed partim in quantùm Deus præordinavit ejus passionem propter nos, partim in quantùm ei inspiravit voluntatem patiendi, partim quatenus eum non protexit, sed iniquos permisit in eum debacchari.

Quo sensu dicatur Act. 2. Christus esse suscitatus solutis doloribus inferni.

Non obstat denique illud *Act. 2. Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Nam significatur solutos esse per Christum dolores inferni in animabus justorum ibi beatitudine carentibus, aut fortè etiam in purgatorio pœnam sensûs patientibus. Vel si significetur Christum quoad seipsum solvisse & dissipasse laqueos dolorum inferni, qui descendentibus ad inferos tendi solent; intellige, ne ipse ab iis teneretur: sicut secundùm *Aug. Ep.* 99. solvi dicuntur laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerunt. Juxta quod impossibile erat Christum innocentem & aliorum redemptorem teneri ab inferno ejusve doloribus. Unde infernus & mors mox eum revomuit, sicut cetus Jonam.

89. *Tenebræ factæ sunt ab hora duodecima, usque ad tertiam pomeridianam.*

Inter prodigia, quæ tempore illo, quo Salvator in cruce pependit, acciderunt, est, quam Evangelistæ referunt, obscuratio solis, & tenebræ in meridie. Nam (inquit *Matthæus* c. 27.) *à sexta hora* (id est, *factâ horâ sextâ*, ut habet *Marcus* c. 15.) *tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*, id est, tertiam nostram pomeridianam, adeoque per tres horas, ne naturaliter accidisse putarentur. Unde videntur duravisse, quousque Salvator vivus pependit in cruce. Et (addit *Lucas* c. 23) *obscuratus est sol*, quasi retrahens radios suos & spectare non ausus Dominum in cruce pendentem, condolensque morti ejus; simul & testimonium præbens divinitati patientis, & cæcitati Judæorum, quos etiam velut indignos suâ luce privavit.

Ob quam causam.

90. *Fuerunt universales super totum orbem.*

Circa hoc autem prodigium est observandum, tenebras fuisse universales *super universam terram*, absolutè intellectam, & non solùm super universam Judæam; ut sine ratione restringit *Origenes*, *Erasmus*, & tandem *Maldonatus in c. 27. Matth.* contra proprietatem verborum toties in Evangelio iteratorum, idque in re historicâ, propriè, ut sonat, intelligendâ, dum (ut hîc contingit) nil obstat. Idem quoque confirmatur non tantùm ex communi consensu Doctorum & Interpretum, sed etiam ex traditione Patrum & antiquitatis. Nam ita censent *Chrysostomus*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Theophylactus* & alii passim. Et ante hos *Dionysius Areopagita*, oculatus ejus rei testis, cum eo tempore Heliopoli in Ægypto existens annum ætatis quintum ferè & vigesimum exolveret, ubì simul cum Apollophane hoc prodigium instituitus est; ut patet ex *Epist. 7. ad Polycarpum*. *Tertullianus* quoque *Apologet. c. 21.* testis est, illum mundi casum à Romanis in archiva relatum esse. Item *Phlegon* ethnicus Scriptor, Hadriani Imperatoris libertus, apud *Eusebium in Chronico*, refert defectionem inter omnes quæ acciderunt fuisse maximam. Ipseque *Eusebius* tradit se in Commentariis Ethnicorum reperisse consignatum, quòd tenebræ factæ fuerint super universam terram. Quòd autem *Strabo*, *Valerius Maximus* & ceteri Scriptores exteri id non notaverint, solùm procedit ab auctoritate negativâ. Potuit autem id fieri, quòd Astrologi non fuerint soliciti aut intenti ad observandam Eclypsin, utpote tempori non congruentem; vel quia obscuratio solis non ubique locorum accidit per Eclypsin, proindeque eam obscurationem ex aliqua aëris passione accidisse existimare potuerunt.

Acciderunt porrò universales hæ tenebræ, non per hoc, quòd Sol verè occiderit in Occidente, ibique per tres horas manserit (sic enim non fuissent tenebræ universales, sed dies in oppositio hemisphærio) sed per Eclypsin Solis: nam *Dionysius*, testis oculatus *Epist. ad Polycarpum* asserit Lunam ab ortu Solis seu Oriente, extra conjunctionis tempus, subingressam esse Solem, & rursus horâ nonâ recessisse versùs Orientem. Sicque impletum est, quod allegoricè præsignatur *Amos* 8. *Occidet Sol tuus in meridie.* Quatuor autem miracula ibi observat *D. Thomas q. 44. a. 2.* Primum, quòd esset plenilunium, quo naturaliter fieri nequit Eclypsis Solis, utpote à quo tunc Luna diametraliter opposita distat. Secundum, quòd Luna subitò maximâ celeritate retroacta est, Solique objecta, & post tres horas rursus celerrimè reversa ad eum locum, quò aliàs interea proprio motu naturaliter perveniisset. Tertium, quòd Luna ab Oriente retroacta Solem subintrarit, & tegere cœperit; cùm aliàs naturaliter & proprio motu incipiat Solem obscurare ab Occidente. Quartum, quòd post Eclypsin rediverit eâdem viâ, relinquens primò rectam illam partem Solis, quàm ultimò texerat seu obscuraverat; cùm naturaliter debuisset oppositum fieri. Addi potest quintum, quòd Luna immota sub

sub Sole steterit per tres circiter horas; cùm alioquin Eclypsis Solis brevissima esse soleat.

92. *An vel quomodo Luna interpositio potuerit causare adeò universales tenebras.*

Sed difficultas est, quomodò Luna, tanto minor Sole, potuerit efficere, ut fierent tenebræ super universum Orbem? Ad quod tamen facilè respondetur, id fieri potuisse per hoc, quod divinâ potentiâ Sol quâ parte non foret tectus per Lunam ad hæc sublunaria loca non emitteret radios; aut certè adeo exiliter terram illuminaret, ut tenebræ quasi noctis apparerent. Quod enim non fuerint densæ, quales Ægyptiacæ, satis constat ex interea gestis, scilicet agnitione & alloquio Matris & Discipuli, potatione aceti, subsannatione adstantium &c. Unde fuerunt, quales ferè solent esse serenâ nocte, cum astra lucent: stellas namque in toto cælo visas esse, refert *Eusebius sup.* ex *Phlegonte*. Vel certè Deo disponente fieri poterat, ut Luna divinitùs appareret ubivis in hoc hemisphærio (in altero erat tunc naturaliter nox) modo consimili obversa Soli. Aut denique poterat id in Judæa, & vicinioribus locis, ut Syriâ, Ægypto &c. fieri per Eclypsin, in remotioribus autem partibus per alterius obstaculi interpositionem, v. g. per extraordinariam multiplicationem & condensationem nubium, ut sentit *Tannerus disp. 2. q. 3. dub. 2.* aut alio modo Deo bene viso.

Quales fuerint hæ tenebræ.

93. *Terræ motus in morte Christi & inde orta petrarum scissio, non in sola Judæa, sed & in aliis orbis partibus accidit.*

Quod attinet ad terræ motum & petrarum scissionem, quæ subsecuta sunt, ut Evangelistæ referunt, testis est *Phlegon* apud *Eusebium sup.* hoc terræ motu Bythiniam, & in ea Nicæam præcipuè concussam esse. Scissio porrò petrarum ex terræ motu seu concussione accidit. Cujus monumenta suo adhuc tempore in monte Golgotha supersuisse testatur *Cyrillus Hierosolymitanus Catech.* 13. Sed & in plerisque aliis orbis terrarum partibus montes eodem terræ motu scissos esse, incolæ firmâ traditione testantur: puta in Hetruria montem Alvernæ dictum (in quo postmodum passionis suæ sacra Stigmata Christus in corpore Seraphici Francisci renovavit) & prope littus campanum Cajetæ promontorium. De quo vide *Baronium ad annum Christi* 34.

§. II.

De Morte & Sepultura Christi.

94. *Congruentia mortis Christi.*

Quod ad Mortem attinet, congruè Deus ordinavit, ut Christus mortem gustaret: tum ut eam omnibus debitam occisus occideret, sicque moriendo impleret illud *Oseæ* 13. *Ero mors tua ô mors.* Tum ut veritatem assumptæ naturæ ostenderet: tum ut à mortuis resurgendo spem nobis resurgendi præberet, & exemplum mortem superandi donaret.

Mors autem Crucis in pluribus figuris veteris Testamenti adumbratur. Crux enim præfigurabatur per arborem vitæ, per lignum contemptibile salvans Noë cum suis, per ligna quæ Isaac immolandus in humeris portavit, per arborem malum, sub qua suscitata est Sponsa, per baculum Eliszei. Et (ut ait *D. Bonaventura*, sive quisquis est Auctor, *Compendii Theol. Verit. l. 4. c. 16.*) *Ipsa est Clavis cæli, Vectis arcæ, Navis maris, Arbor Danielis, Palma fructuum, Ferculum Salomonis, Baculus Jacob quo transivit Iordanem, Speculum imitationis, Scala ascensionis, Hamus quo Leviathan capitur, Torcular, quo Christi sanguis exprimitur, Cithara, quâ dæmon Saulis compescitur, Palus, in quo serpens æneus suspenditur, Thau, quo frontes fidelium signantur, Candelabrum, quo tabernaculum illuminatur, Lignum aquas Marath dulcorans, Virga Moysi per mare rubrum populum Dei ducens, Gladius impium Goliam decapitans, Vexillum ad pugnam spiritualem colligens, Cathedra discipulos Christi erudiens, Equus Dei amicos honorans, Clypeus Iosue Hai impugnans, Liber mysteria profunda continens, Altare acceptissimam oblationem recipiens.*

Crux multiplicitèr præfigurata.

95. *Cur mortem crucis Christum pati conveniret.*

Itaque congruebat Christum pati mortem crucis, *ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*, ut canit Ecclesia in Præfatione Missæ de Cruce. Deinde ut in electione acerbissimæ & ignominiosissimæ mortis, partim copiosior appareret redemptio non tantùm ex parte personæ patientis, sed etiam ex parte passionis & pœnarum; partim clariùs ostenderetur severitas divinæ justitiæ in peccatis nostris vindicandis, eorumque fœditas, ob quæ Filio suo proprio innocenti non pepercit: partim manifestius eluceseeret nimietas dilectionis Jesu erga nos, & constans obedientia erga Patrem: partim denique arctius & perfectius imprimeretur nobis affectus gratitudinis & amoris reciproci, nec non desiderium omnigenarum virtutum, quas Christus magister noster in cathedra Crucis verbo & exemplo edocuit; atque ita nos Christus exaltatus à terra ad se per amorem attraheret.

96. *Christus dicitur sepultus per synecdochen.*

Quantum ad sepulturam spectat, Christus dicitur in Scriptura & Symbolo sepultus, intellige per synecdochen, scilicet secundum corpus; prout etiam simili tropo dicitur descendisse ad inferos, scilicet secundum animam. Ratio porrò cur congruebat Christum sepulturâ donari, est; partim ut comprobaretur verè fuisse mortuus; nemo enim sepulchro conditur, nisi jam constet de veritate mortis, cujus proinde rei explorationem prius quoque factam fuisse à Pilato, refertur *Marci* 15. partim ut reliquis sepultis non deesset spes resurrectionis; partim ut resurrectio subsequens appareret mirabilior. Sepelitur autem in

Cur conveniebat Christum sepeliri.

Idq; in sepulchro alieno & novo,

monumento alieno & novo : nam sicut propriâ domo præ paupertate caruit vivus, ita & sepulchro proprio jam defunctus. Novo autem, in quo scilicet nondum quisquam positus fuerat, tum quòd id deceret dignitatem personæ, tum potissimùm (ut rectè *Ambrosius l. 3. de Virginibus*) ne aliàs suscitatus à perfidis crederetur aut prædicaretur. Ad utrumque etiam conducit forma sepulchri, quod nempe excisum erat in petra instar cubiculi, hujusmodi enim sepulchrum non nisi personis notabilibus parari consueverat, idemque idoneum erat ut esset posteris perpetuum Dominicæ resurrectionis monumentum. Denique ad fidem resurrectionis congruebat, ne aliàs corpus suffusis aut dirutis fundamentis, iterumque repositis lapidibus esse à discipulis sublatum quis fingeret. Ad quod etiam deserviebat saxum magnum, quod advolutum fuit ad ostium monumenti, ut ipsum proinde sine auxilio plurimorum referari non posset. Custodia quoque sepulchri singularisque diligentia ab inimicis adhibita fuit singulari providentiâ ac permissione Dei, ut fides Resurrectionis esset certior, & gloria major, plebisque animus ad credendum paratior.

Eoq; exciso de petra.

Advolutio saxi, ac diligentia hostium fidei resurrectionis nescientes serviebat.

97. *Qualiter computandum sit triduum sepultura Christi.*

Difficultas verò est de Triduo sepulturæ Christi; quod, uti Resurrectio tertiâ die secundùm Scripturas facta, ab omnibus creditur, & exprimitur *Matth. 11. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ* (quo significatur sepulchrum pro ejus corpore, & limbus pro ejus anima) *tribus diebus & tribus noctibus.* Sed facilè solvitur, dicendo esse ibi periphrasim Hebræis familiarem trium dierum naturalium viginti quatuor horarum, qui die artificiali & nocte seu luce & tenebris constant; q. d. erit ibi tribus diebus naturalibus; intellige per synecdochen, scilicet posteriori parte diei veneris, toto sabbato, & nocte seu parte anteriori diei Dominicæ usque ad resurrectionem. Estque perinde, sive dies naturalis computetur à vespera in vesperam, sive (quod consuetum) à media nocte in mediam noctem. Neque opus est, solicitè quærere tres luces & tres noctes, quia tertiam lucem non erit reperire; nisi fortasse quis vellet initialem auroram (quâ Christus probabiliter resurrexit) computare pro tertia luce, seu die artificiali; qui equidem non ab aurora, sed ab ortu solis initium sumit.

§. III.

De Descensu ad Inferos.

98. *Christus juxta fidem secundum animam*

INDUBITATA fide tenendum est Christum secundùm animam descendisse ad inferos, seu locum subterraneum nomine Inferni significatum, qui scilicet limbus Patrum vocatur: & quidem descensu reali, ita ut realiter illic esset præsens, ut tradunt unanimiter omnes Catholici Doctores contra *Durandum* existimantem, quòd Christus descenderit in infernum solùm secundùm virtutem & efficaciam, seu secundùm operationem & effectum; quem ibi anima Christi vel divinitas sit operata; eò quòd putaret substantias spirituales (cujusmodi erat anima Christi separata) non esse in loco, nisi ratione operationis transeuntis ad corpora; quòdque anima separata nequeat moveri localiter. Sed totum hoc est falsissimum, & carens fundamento.

descensus inferni.

Et quo descensu realis.

Simpliciter autem Scriptura, *Symbolum Apostolorum & Athanasii, Concilium Lateranense,* quod refertur c. *Firmiter, de summa Trinit. &* Patres tradunt Christum secundùm animam descendisse ad inferos; quo modo tradunt secundùm corpus jacuisse in sepulchro, & secundùm utrumque ascendisse in cælum. Ut rectè de Christo dixerit *Aug. Ep. 99. Secundùm animam eum fuisse apud inferos apertè Scriptura declarat, & per prophetiam præmissa, & per Apostolicum intellectum satìs exposita, quâ dictum est* (scilicet *Ps. 15.*) *Non derelinques animam meam in inferno.* Quod Petrus Apostolus *Act. 2.* de Christo interpretatur. Similiter *ad Ephes. 4.* de Christo dicitur: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?* unde nimirum captivam duxit captivitatem, prout ibidem præmittitur. Et *1. Petri 3.* dicitur Christus *mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu,* seu animâ, *in quo,* spiritu, *& his qui in carcere erant spiritibus,* animabus scilicet separatis, *veniens prædicavit,* seu bonum nuntium redemptonis attulit, & iis quidem, *qui increduli fuerant aliquando,* Noë scilicet prædicenti diluvium, dolore illud experti cum pœnitentia peccatorum in ipso diluvio corporaliter perierant. Vide *Estium in Commentario hujus loci.*

Quod

Huc etiam facit illud *Zachariæ 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Et quod *Matth. 12.* dicitur Filius hominis futurus *in corde terræ,* scilicet etiam secundùm animam; ut *Tertullianus, Hieronymus* & alii exponunt, per cor terræ intelligentes infernum, prout phrasi usitatâ cor (quod est intimum animalis) significat imum seu profundum terræ: sicut *Ps. 45.* dicitur: *Transferuntur montes in cor,* id est, profundum *maris.*

Putant Christum subsistentiam non dissolvi

An autem Christus substantialiter descenderit etiam ad infernum damnatorum, an vero secundùm effectum tantùm, quatenus in damnatis operatus est terrorem & confusionem, non ita constat. Posterius censent *D. Bonaventura, D. Thomas* & serè ceteri Scholastici. Prius censet *Bellarminus l. 4. de Christo c. 16.* ob verba *Eccli. 24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ; &*

inspi-est.

inspiciam omnes dormientes. Quod tamen non urget, cùm satis de limbo, aut saltem simul de purgatorio explicetur: nam ad damnatos non spectat quod immediatè sequitur: *Et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Ratio etiam seu congruentia non suaserat quoad infernum damnatorum, utì quoad limbum. Res equidem est incerta. Utì etiam, an descenderit ad limbum puerorum substantialiter. Immo Nonnullis incertum est, an Christus his omnino se manifestaverit; cùm non deceret ipsos, utpote damnatos, inde recreari; neque etiam, veluti sine propria culpa damnatos, plùs inde torqueri.

Vìt etiam, an descenderit ad limbum puerorum.

101. *Ad purgatorium verò similiter descendit.*

De purgatorio denique, etsi plures similiter censeant Christum eò tantùm per operationem descendisse quoad consolationem aut similem effectum, non pauci tamen (quibus favent quidam Patres) putant, Christum eò substantialiter descendisse, tum consolationis, tum liberationis, sive aliquorum, sive omnium, causâ. De purgatorio quoque à Nonnullis accipitur locus citatus *Zachariæ 9.* Atque etiam *Sylvius 3. p. q. 52 a. 2.* verosimilius putat fuisse adhuc in purgatorio spiritus illos seu animas, quibus in carcere veniens Christi anima prædicavit. Quod si verum foret, sanè longissimo tempore, scilicet ampliori quàm bis mille annorum, fuissent animæ istæ in pœnis purgatorii. Hoc autem sine alio fundamento gratis asseri videtur.

102. *Christus præsentiâ suâ animas Patrum lætificavit & eu beatitudinem essentialem tunulit.*

Si verò quæratur, quid Christus sit operatus circa animas Patrum in limbo? Resp. ipsum eis contulisse consolationem, immo statim beatitudinem essentialem (ut habet certa Catholicorum doctrina, & patet ex definitione *Benedicti XI.* aliàs *XII.* Extravag. *Vnigenitus*) sicque ex carcere palatium regium, & ex inferno feciisse paradisum Dei, in quo Latronem ipsâ die secum futurum moriens promiserat. An autem ipso instanti mortis Christi fuerint beati, incertum videtur. Constat equidem, quòd fuerit eis beatitudo data ex merito Christi mox ad infernum descendentis; ut respondet *Durandus. Suarez* autem *disp. 43. sect. 3.* ob hoc putat Christum ipso instanti mortis fuisse in inferno per motum instantaneum. Quòd tamen non est necesse, neque consideratum in auctoritatibus, quæ satis salvantur, etsi brevissima mora inter mortem Christi & præsentiam infernalem atque adeò beatitudinem animarum interceserit.

103. *Mansit cum eisdem toto mortis triduo.*

Quæritur etiam, an anima Christi toto triduo mortis manserit in limbo apud animas Patrum usque ad resurrectionem? Responsio affirmativa est communis Theologorum, post *Irenæum l. 5. adversùs Hæreses c. 31. Tertullianum, Nyssenum* & alios Patres. Et consonat Ecclesia in benedictione cerei Paschalis canens: *Hæc nox est, in qua Christus ab inferis victor ascendit.* Sic etiam planè accipitur, quòd *Matth. 12.* dicitur: *Filius hominis erit in corde terræ* (intelligendo infernum) *tribus diebus & tribus noctibus.* Similiter *Act. 2.* non derelictio in inferno, solutioque dolorum inferni, jungitur resurrectioni, velut quid indivulsè connexum. *Quem* (inquit Petrus ibidem) *Deus suscitavit solutis doloribus inferni.* Et infrà: *Providens* David *locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Ratio est: quia locus ille erat per se consentaneus statui animæ separatæ, corpore interea in sepulchro manente.

Quæritur denique, an Christus in resurrectione ex eodem inferni loco eduxerit animas Sanctorum eò usque ibi detentas? Responsio affirmativa videtur communis; etsi Nonnulli dubitativè loquantur. Eique consonat illud *Zachariæ 9. Tu verò in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Allegatur & illud *ad Coloss. 2. Expolians principatus & potestates traduxit eos,* id est (ut quidam volunt, etsi minùs ad litteram) expoliavit infernales potestates auferens è locis infernalibus animas justorum, easque traducens ad cælum. Nec sanè congruebat, ut ibi remanerent sine consortio Christi, qui eas liberatum venerat. Et quàmvis non ascenderint substantialiter ad cælum ante Ascensionem Domini, quando Christus *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem Ps. 67.* & *ad Ephes. 4.* congruebat tamen eas interim super terram esse cum Christo; præsertim cùm multæ animæ corporibus reunitæ fuerint, dum resurgente Christo *multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt,* ad vitam scilicet immortalem, ut *quæst. seq.* dicetur.

104. *Et secum ex infernalibus locis eas in resurrectione eduxit.*

QUÆSTIO V.

De Resurrectione Christi.

POST mortem & sepulturam Christus resurrexit, resumendo corpus impassibile & immortale. Caro enim Christi, quæ in nativitate floruit, in passione aruit, per gloriam Resurrectionis refloruit, ficque renovata est ut aquilæ juventus Christi. *Tunc* (ut habet *Compendium Theol. verit. l. 4. c. 23. To. 7. oper. S. Bonaventuræ*) *Leo catulum suum suscitavit: tunc Phœnix revixit: tunc sicut dixit Hieremias, figulus ex eodem luto fractli vasis fecit vas aliud, sicut placuit in oculis ejus: tunc Jonas de ventre ceti illæsus exivit: tunc vestitum est candelabrum auro: tunc suscitatum est tabernaculum Dævid quod cecidit: tunc resulsit sol, qui priùs erat in nubilo: tunc vivificatum est granum frumenti, quod cadens in terram mortuum fuerat: tunc cervus resumpsit Cornua: tunc Sampson tulit portas cum postibus: tunc Ioseph eductus de carcere tondetur, & constituitur Dominus Ægypti: tunc conscissus saccus circumdatur lætitiâ.*

105. *Christi resurrectio in corpore impassibili diversimodè comparatur.*

106. *Ejus necessitas & congruentia multiplex ostenditur.*

Resurrectio porrò Christi patentior ex Scriptura, quàm ut eam probari oporteat, necessaria fuit ex suppositione divinæ ordinationis. Congruentias varias allegat *D. Thomas q. 53. a. 1.* Nam in primis necessaria erat resurrectio Christi ad commendationem divinæ justitiæ, cui convenit exaltare & remunerare Jesum humiliatum & bene meritum. Secundò ad confirmationem fidei nostræ, quæ falsa, adeoque inanis foret, si (ut arguit Apostolus 1. *ad Cor.* 15.) Christus non resurrexit; utpote cujus resurrectio fuerat ab ipsomet prædicta *Matth.* 10. & 12. Eamdem quoque præfiguraverat Isaac immolatus, & tamen servatus; Joseph anno tertio è carcere liberatus & Ægypto præfectus, Jonas triduo in visceribus balenæ servatus. Eam denique prædixerat David *Ps.* 2. *Ego hodie genui te*; ut explicat ipse Paulus *Act.* 13. Item *Ps.* 15. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quo loco utitur idem Apostolus *suprà*, & Petrus *Act.* 2. Similiter eam prædixerat Sophonias *c.* 3. dicens: *Expecta me dicit Dominus in die resurrectionis meæ in futurum.* Et Oseas *c.* 6. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Quod ad propositum intelligit *Augustinus, Tertullianus* & alii Veteres, conformiter Ecclesiæ, quæ in die Parasceves id decantat. Tertiò per Resurrectionem Christi capitis nostri erigitur spes omnium nostrûm, qui sumus membra illius. Quartò per illam informatur vita nostra juxta Apostolum *ad Rom.* 6. ut scilicet peccato mortui deinceps non moriamur spiritualiter, sed in novitate vitæ Christo serviamus. Quintò resurrexit Christus propter justificationem nostram, ut habet Apostolus *ad Rom.* 4. quia juxta modernam dispositionem, justitiam, quam moriendo meruerat, non fuissemus assecuti, neque venisset Spiritus sanctus (cujus adventus supponebat glorificationem Jesu in Resurrectione & Ascensione) nec Apostoli prædicassent.

170. *Resurrectio fuit signum divinitatis Christi.*

Si quæratur, quo sensu Resurrectio Christi sit signum manifestans ejus divinitatem? Resp. tum quatenus se ipsum suscitavit, quod est solius Dei: tum quatenus Resurrectionem prædixit tamquam signum, quòd esset verus Messias, *Matth.* 12. quodque vera esset sua doctrina: tum quatenus ipsi quoque Apostoli in confirmationem veræ doctrinæ Christianæ (cujus caput est, quod Christus sit Deus) Resurrectionem Christi allegarunt. Quod autem *Act.* 2. dicitur: *Quem Deus suscitavit*, intellige, conjunctus ei in unitate personæ: quo modo etiam mox ibidem præmittitur: *Quæ prodigia fecit Deus per illum.* Nimirum Petrus in Pentecoste prædicationem Evangelii incipiens prudenter primo de Christo velut homine loquitur, quem etiam virum appellat, ut paulatim ad majora sine Judæorum offensione ascenderet.

Circa diem & horam Resurrectionis, in primis certum est ex prædicatione Christi *Matth.* 12. & 17. Ex verbis Christi post resurrectionem *Lucæ* 24. & ex Apostolo 1. *ad Cor.* 15. & *Symbolo Apostolorum*, *Athanasii* & *Nicæno* Christum resurrexisse tertiâ die; adeoque cùm constet satis, esse mortuum in Parasceve seu feriâ sextâ, resurrexisse ipsum die Dominico, sic dicto, quia Domino est sacer. Etenim ob memoriam Resurrectionis Christi Domini cœpit ab initio Ecclesiæ loco Sabbati festivus haberi, adeò ut etiam *Apoc.* 1. fiat mentio diei Dominicæ. Quam quoque per unam seu primam sabbati, in qua Christiani conveniebant ad frangendum panem Eucharisticum, expressit Lucas *act.* 20 & in qua ob solemniorem conventum fiebant collectæ eleemosynariæ 1. *ad Cor.* 16.

Congruè porrò resurrexit Christus post hanc tridui moram, quia fidei speique Ecclesiæ non conveniebat resurrectionem diu differri; utì neque congruebat dignitati resurgentis. Mora quoque aliqualis, eaque sufficiens ad probandum quòd verè mortuus fuerit, quæ debebat intercedere, jam intercesserat. Vide *D. Bonaventuram d. 22. a. 1. q. 3. in corp.*

Quâ vero præcisè horâ, non ita constat: cùm Hieronymus & Nonnulli censeant ipsum resurrexisse non diu post mediam noctem, v.g. circa horam primam. Communior tamen Patrum & Doctorum opinio est, ipsum resurrexisse aurorâ illucescere incipiente. Quod indicatur in Hymno Ecclesiæ. *Aurora lucis rutilat..... cùm Rex ille fortissimus mortis confractis viribus, &c.* Idem significatur *Marci* 16. *Surgens manè primâ sabbati*, id est, primâ die post sabbatum; seu potiùs primâ die septimanæ, quæ transacto sabbato rursum incipit. Sicut illud Pharisæi *Lucæ* 18. *Jejuno bis in sabbato*, id est, in septimana. Unde Dominus noctu natus est, & (ut ex *Augustino* tradit *Prosper sent.* 203.) vesperè mortuus, manè surrexit, meridie ascendit.

Sed implexa satis difficultas oritur ex diverso, & (ut alicui primâ fronte apparere posset) contrario modo narrandi Evangelistarum. Nam *Matthæus c.* 28. ait: *Vesperè autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalenæ & altera Maria videre sepulchrum. Marcus* autem *c.* 16. sic: *Et cùm transisset sabbatum Maria Magdalenæ, & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et valde manè unâ*, id est primâ die, *sabbatorum*, seu hebdomadæ, *veniunt ad monumentum orto jam sole. Lucas* vero *c.* 24. *Vnâ autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum. Ioannes* denique *c.* 20. *Vnâ autem sabbati Maria Magdalenæ venit manè, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum.*

Omissis autem aliorum dicendi modis, apparet rectè concordia hoc modo. Mulieres transacto sabbato vesperi post occasum solis

solis emerunt & paraverunt aromata, ut postridiè diluculo venientes ad monumentum ungerent corpus Jesu. Vesperè autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, id est, nocte sequente sabbatum (quæ etsi non pertineret ad sabbatum quatenus festivum, nomen tamen accipit diei solaris præcedentis, cum quo simul constituit diem naturalem) vel conformiter ad lectionem græcam idem est, quod serò sabbati seu post sabbatum dudum transactum, idque appropinquante jam luce primæ sabbati seu diei Dominicæ, mulieres valde diluculo, cùm adhuc tenebræ essent, non densæ, sed quales esse solent cælo albescere incipiente venerunt ad monumentum, orto jam sole, non quidem sic, ut elevatus supra horizontem conspiceretur, sed ut inciperet illuminare terram; cùm ipse Marcus dicat venisse illas *valde manè*. Nisi quis malit, cœpisse quidem illas tunc iter aggredi seu venire, sed pervenisse demum ad monumentum post solis ortum. Exprimit autem Joannes Magdalenam, Matthæus adhuc alteram, Marcus tres, Lucas adhuc plures; sed sine contrarietate. Nam expressio unius non est negatio plurium.

III. *Conciliantur ea, quæ diversimodè narrant Evangelistæ de visione Angelorum, apparitione Christi &c.*

Difficultas secundò est circa ea, quæ de visione Angelorum, nuntiatione factâ Discipulis, apparitioneque ipsius Christi mulieribus factâ diversimodè à singulis Evangelistis referri videntur. Quæ rectè dissolvitur hoc ferè modo. Mulieres, scilicet Magdalena, Maria Jacobi, & Salome cum ceteris quæ venerant de Galilæa ante mortem Christi, valde diluculo pergentes ad monumentum: cùm in itinere quærerent, *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti*, *Marci* 16. appropinquantes monumento viderunt revolutum lapidem per Angelum, qui suâ visione & terræ motu sic exterruit milites custodes sepulchri, ut facti sint velut mortui. Idem autem videtur à mulieribus sedere super lapidem revolutum ad latus dextrum ostii extra sepulchrum, intrà tamen cryptam exteriorem: quæ ab eodem instruuntur de vita seu Resurrectione Christi, atque invitantur, ut ingressæ videant locum vacuum corpore, discipulisque visa & audita nuntient. Consternatæ autem exeunt è monumento, & mox ecce nova visio duorum Angelorum eis monitratur: nam duo viri steterunt juxta illas in veste fulgida, qui eis dixerunt consimilia dictis per primum Angelum. Nuntiant proinde Apostolis corpus esse sublatum, & visionem Angelorum, qui dicunt eum vivere. Quare Petrus & Joannes currunt simul ut veritatem explorent, & non invento corpore sublatum esse putarunt. Apostolos autem hos rursum subsecuta est Magdalena & ceteræ mulieres; cumque Apostoli, non invento corpore domum redeuntes, abirent ad semetipsos, id est ad locum ubi antea fuerant cum aliis congregati, Magdalena stabat ad monumentum foris (fortè in vestibulo seu primâ cryptâ, ut vult *Quaresmius To. 2. Elucidat. Terræ sanctæ l. 5. peregrinat. 2. c. 10*) plorans, sive quòd ceteræ necdum advenissent, sive quòd jam rursum recessissent. Dum ergo fleret, prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu; quibus causam fletûs scisscitantibus respondit: *tulerunt Dominum meum*. Interim audiens aliquid post tergum, conversa vidit Jesum in specie hortulani; quo agnito, & accepto mandato nuntiandi discipulis, revertitur. Interim occurrit rursum Dominus in itinere mulieribus (quas præeuntes apparenter Magdalena rursum fuerat assecuta) dicens, *Avete*. Nuntiantibus autem mulieribus, se vidisse Dominum, discipuli non crediderunt. Proinde ipsâ die rursum apparet duobus discipulis euntibus in Emmaus; qui sub vesperam reversi ad ceteros congregatos nuntiarunt, quod factum fuerat, discipulis ceteris in confirmationem addentibus, quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni Petro. Tandem durantibus istis sermonibus, cùm serò esset eadem die illa una seu prima sabbatorum, & fores essent clausæ, venit ipse Jesus & stetit in medio, & dixit: *Pax vobis*. Tunc tamen per occasionem aberat Thomas; sed hic adfuit alteri apparitioni factæ post octo dies, seu Dominicâ in albis. Hoc modo videntur verosimiliùs contexi ea, quæ habet Evangelica Historia: quàmvis differenter valde se habeant Interpretes & Scholastici.

112. *Plures aliæ apparitiones contigerunt, partim expressæ in scripturis, partim non.*

Præter ea aliæ narrantur apparitiones in Evangelio. Nonnullæ etiam referuntur 1. *ad Cor.* 15. quod scilicet apparuerit Jacobo, item aliàs quingentis fratribus simul: præter quas adhuc sunt variæ non scriptæ. Nam (ut patet *act.* 1.) Christus satìs familiariter, etiam convescendo, etsi per intervalla, cum Discipulis versatus, eis *præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis*, ad stabiliendam veritatem resurrectionis, *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*. sive instruens eos de rebus ad Ecclesiam spectantibus, ac instituens etiam quædam sacramenta necdum instituta, aut adhuc ex parte complenda. Non est etiam dubium, quin interdum, & quidem familiariùs, pro opportunitate apparuerit & adfuerit per id tempus dilectissimæ suæ Matri, ut suadet affectus pietatis filialis, & charitas ac dignitas materna. Immo ob id censent *D. Bonaventura, Rupertus* & plerique Recentiores, Christum post resurrectionem primo omnium apparuisse B. Virgini. Quod autem *Marci* 16. dicitur: *Surgens manè primâ sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ*; intellige inter Discipulos Domini, & apparitione ad veritatem resurrectionis persuadendam ordinatâ. Non desunt tamen, qui probabile censent Christum priùs

Tempore isto interdùm & quidem familiariùs apparuit Christus Matri:

Immo huic omnium primò.

apparuisse peccatrici, de qua septem dœmonia (à quibus verosimillimè fuerat corporaliter possessa) ejecerat, quàm Matri, in fide resurrectionis minimè vacillanti. Pro quo fusè disputat *Sylvius q. 55. a. 1.* Tempore verò horum quadraginta dierum, quo Christus interdum à conversatione suorum mortalium aberat, credendum est adfuisse Patribus è limbo liberatis & jam beatitudine donatis. Quos insuper, etsi viatoribus invisibiles, credibile est jugiter in comitiva Christi toto isto tempore adfuisse.

113. Circa resurrectionem denique Christi movetur quæstio, an Christus omnium primus resurrexerit ad vitam immortalem. Ratio dubitandi sumitur ex eo, quòd *Matth. 27.* referantur in morte Christi *monumenta aperta esse & multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexisse.* Resp. nihilominus Aff. Nam *1. ad Cor. 15.* dicitur: *Christus resurrexit primitiæ dormientium.* Ipse quoque *Act. 26.* dicitur *primus ex resurrectione mortuorum. Ad Coloss. 1. primogenitus ex mortuis. Apoc. 1. primogenitus mortuorum.* Decebat etiam, ut stola gloriæ corporalis nulli ante Christum daretur.

Christus omnium primus resurrexit ad vitam immortalem,

114. Ad rationem dubitandi post *Augustinum* respondet *D. Thomas q. 53. a. 3.* cum quibusdam aliis, illos, de quibus *Matth. 27.* surrexisse ad vitam mortalem. Sed rectiùs respondetur cum *Hilario, Ambrosio, Epiphanio*, & (quod amplius est) *Sophronio in Epistola Synodali*, quam probavit *VI. Synodus act. 11.* ac Recentioribus communiter, illos surrexisse ad vitam immortalem: tum quia animæ istorum jam erant donatæ beatitudine essentiali, quibus proinde congruebat corpus immortale, aut aliàs non fuisset collatum beneficium, sed potiùs pœna: tum quia surrexerunt in testimonium resurrectionis Christi, quæ fuit ad vitam immortalem: tum denique quia non referuntur rediisse ad consuetum convictum mortalium, sed (quod corporum glorioforum est indicium) apparuisse multis.

Corpora multa Sanctorum sub id tempus surrexisse ad vitam immortalem, probatur;

Matthæus itaque loquitur per prolepsin seu anticipationem, quia licèt dicatur in tractatu de passione, non tunc surrexerunt, sed post Christum vel cum Christo, sic ut is sit primogenitus ex mortuis, tum ordine dignitatis & naturæ, tum etiam ordine temporis, si non positivè, certè negativè, quatenus nullus ante ipsum resurrexit; immo etiam positivè, quatenus demum post resurrectionem Christi exierunt de monumentis, ut significatur *Matth. 27.* Quare per hoc Matthæus se ipsum satis explicat, dicens: *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus.* Neque enim toto illo triduo in monumentis apertis mansisse corpora ista viventia est verosimile. Ut proinde ly *post resurrectionem ejus*, etiam referatur ad id quod præcesserat: *quæ dormierant, surrexerunt.* Etsi fortè cum terræ motu petræ scinderentur in morte Christi, pariter ex tunc fuerint monumenta reserata (quod Nonnulli censent; sed alii incertum putant) & hâc occasione Matthæus simul narret resurrectionem istorum corporum.

Non tamen ante Christum surrexisse indicat Matthæus, utpote locutus per anticipationem,

Vox ipsomet colligitur.

Dices 1. *Act. 2.* Petrus supponere videtur corruptionem corporis David, inde probans non de seipso, sed de Christo Davidem cecinisse *Ps. 15. Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*; igitur David (qui aliàs fuisset cum ceteris aut præ ceteris donatus isto privilegio) non surrexerat tunc ad vitam immortalem. Resp. gratis concesso, quòd corpus David fuerit inter ista corpora Sanctorum, quæ surrexerunt cum Christo, adhuc monumentum, quod corpus Davidis tam diu continuerat (etsi fortè tunc ampliùs non contineret, cùm Petrus ista diceret) erat sufficiens argumentum corruptionis ipsius.

Dices II. *Ad Hebr. 11.* de Sanctis veteris Testamenti dicitur: *ut non sine nobis consummarentur*; intellige etiam quoad gloriam corporis. Resp. Scripturam istam pati varias expositiones. Gratis autem admisso intellectu illius, qui in objectione obtenditur, dico intelligi de lege ordinaria & communi, secluso quorumdam privilegio. Communis enim consummatio gloriæ quoad stolam duplicem, etiam corporis, fiet in communi resurrectione.

QUÆSTIO VI.

De Ascensione Christi, & Sessione ad dexteram Patris.

HÆc *est felix clausula totius itinerarii Filii Dei*, ut ait *Bernardus Serm. 2. de Ascens. Domini.* Circa quam id certum est ex Scriptura, contigisse illam die quadragesimo à die Resurrectionis, hâc simul computatâ. Quâ præcisè horâ contigerit non ita expressum est in Scriptura. Nisi quod ex modo referendi satis colligatur, illam contigisse post vel circa meridiem. Dicitur enim *Act. 1. Et convescens præcepit eis &c. Et cùm hæc dixisset, videntibus illis elevatus est.* Ubi significatur contigisse Ascensionem post comestionem cum Discipulis. Quare in meridie Christum ascendisse, docet *Augustinus, Prosper* & reliqui, videturque consonum sensui Fidelium. Immo videtur Ascensio contigisse aliquantò post meridiem præcisè sumptam; cùm inter comestionem & Ascensionem intercesserit iter versùs Bethaniam, locum scilicet Magdalenæ & Marthæ (fortè causâ valedictionis) quæ distat à Jerosolyma 15. stadiis, id est, duobus milliaribus Italicis, uno stadio minùs; sitaque est ultra montem Oliveti in plaga illius Orientali, vergendo tamen parum ad Austrum; ut habet noster

Fran-

Franciscus Quaresmius To.2. Elucidat. Terræ sanctæ l.4. peregrinat.10. c.5. qui loca sancta incoluit, & diligentissimè perscrutatus fuit.

117. *Ex monte Oliveti.* Quod attinet ad locum undè Christus ascendit, is est mons Oliveti, ut satìs patet ex *Act.1.* Idemque habet traditio Fidelium & *Martyrologiũ Romanum.* In quo etiam monte per plura sæcula apparuerunt vestigia Christi relicta in terra seu rupe, quæ deleri non poterant; ubi neque Ecclesia seu oratorium in loco construendum desuper operiri. Sed hodie Ecclesia concamerata est, & vestigium pedis dextri cum petrà ablatum; quod Mahumetani dicuntur solicitè custodire. Alterum adhuc ex parte cernitur, exhibens articulos seu digitos pedis versùs Aquilonem, aliquantulum versùs occidentem; ut testatur *Quaresmius sup. peregrinat. 9. c.8.* censens consequenter Salvatorem ascendisse facie versâ ad Aquilonem, non (quod tamen plures volunt) ad Occidentem.

Facie ad Aquilonem versâ.

Ascendit autè Christus propriâ virtute. Dicitur verò elevatus & assumptus in cælum, scilicet à divinitate sibi non extraneâ; vel à Patre, cui attribuuntur opera omnipotentiæ. Quàmvis alioquin virtute propriâ *ferebatur in cælum*, ut *Lucas c.24.* virtute, inquam, propriâ divinitatis tamquam causæ magìs principalis; virtute verò humanitatis jam præditæ supernaturali dote agilitatis ac subtilitatis tamquam causæ minùs principalis.

118. *Attollendo totum corpus.* Ascendit præterea paulatim sese attollendo secundùm totum corpus simul, videntibus Apostolis; donec tandem (ut dicitur *Act.1.*) *nubes suscepit* seu subduxit *eum ab oculis eorum*; adeoque non ut ipsa Christo ascendenti vehiculum præberet, sed ut eum ab oculis intuentium subduceret, simul ad testandam ascendentis majestatem, cui nubes accurrens in formam throni se ei circumvolvit (prout etiam ad judicium veniet in nube instar throni apparente) paulatim cum ipso mota sursum, ut credibile est.

Qualiter in nube?

An fuerit successivè motus per omnes cælos intermedios. An autem Christus deinceps successivè motus fuerit per omnes cælos intermedios usque ad intima Empyrei, dubitari posset. Ob nimiam enim distantiam, adeoque necessariam successionem satìs diurnam, videri posset in instanti deinceps fuisse in cælo Empyreo, transeundo in extremum sine transitu per medium. Nihilominus id non admittit *D. Thomas q. 57. a. 3. ad 3.* & alii communiter: eò quòd per Dei omnipotentiam facilè potuerit immensum istud spatium brevi tempore pertransiri.

Quo stipatus comitatu ascenderit. Circa comitatum Christi ascendentis observandum, ipsum ascendisse stipatum catervâ Sanctorum quos è limbo liberaverat, juxta illud *Ps. 67. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem.* Quod resumit Apostolus *ad Ephes.4.* Non defuit quoque innumerabilis cælestium spirituum copia; qui honoris ergò Christum ascendentem partim comitati sunt, partim obviam processerunt. Illi porrò, quos cum Christo ad vitam immortalem surrexisse diximus; consequenter cum corpore & animâ in cælum cum eo regnaturi ascenderunt.

119. *Christus sedere ad dexteram Patris dicitur locutione metaphoricâ,* Quia vero in Scriptura frequenter, atque etiam in *Symbolo Apostolorum, Athanasii & Nicæno*, dicitur Christus post ascensionem sedere ad dexteram Dei Patris; ad quod illum Pater invitat *Ps. 109.* dicens, *Sede à dextris meis*, operæ pretium est indagare quid per hoc denotetur. Ubi sciendum in primis, locutionem istam esse metaphoricam: Deus Pater enim non habet corporalem dexteram, ad quam Christus corporaliter sedeat in cælo. Itaque dextera honoris & felicitatis statum significat, adeoque dextera Patris significat æquale consortium gloriæ & regni super omnes creaturas cum Deo Patre. Similiter sessio partim quietem, partim etiam auctoritatem, præcipuè regiam & judiciariam significat: regis enim & judicis est sedere in throno. Quare sessio Christi ad dexteram Patris est quieta possessio æqualis consortii in divinitate, gloriâ & beatitudine, nec non regiâ ac judiciariâ super omnes potestate.

Quæ explicatur.

120. *Pater nõ est in sinistra Filii, sed in eadem dextera.* Neque ob hoc concipiendus est Pater in sinistra Filii: nam illa ipsa dextera pariter & indivulsè competit Patri. *Ibi* (inquit *Aug. lib. 1. de Symbolo c. 4.* loquens de beatitudine) *omnis dextera est, quia nulla est ibi miseria.*

Nec tamen sedet ad dexteram Filii: Non rectè tamen Pater similiter diceretur sedere ad dexteram Filii; quia iste modus loquendi denotat participationem gloriæ & regni provenientem ab eo, ad cujus dexteram sedere dicitur; sic autem Filius à Patre, non contrà, participat gloriam & divinitatem, scilicet per originem seu generationem æternam. Rectè autem Spiritus sanctus diceretur sedere ad dexteram Patris & Filii; ut ex dictis satìs colligitur. Quàmvis iste modus loquendi approprietur Filio, cui appropriatur æqualitas. Sunt tamen, qui illud *Ps.109. Dominus à dextris tuis*, intelligunt de Patre, qui etiam sit à dextris Filii. Sed rectiùs cum *Augustino* per Dominum ibi intelligitur ipse Filius: ut proinde sermonem ibi Propheta convertit ad Patrem, cujus antea sermonem ad Filium præmiserat. Vide *Bellarminum in Ps. cit.*

Sedet ad dexteram utriusque Spiritus sanctus; sed locutio est insueta.

121. *Iuxta explicationem datam an sessio ista dem ũ competat Christo post mortem.* Juxta præmissam explicationem sedere ad dexteram Patris, quod ad rem attinet, convênit Christo ab instanti conceptionis, quo fuit æqualis gloriæ & potestatis cum Patre. Dicitur tamen post mortem exaltatus ad dexteram Patris, quantùm ad notitiam publicam; sicut *Apoc. 5.* dicitur: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere*, in notitia scilicet Ecclesiæ, *gloriam & divinitatem.* Et hanc exaltationem meruit Christus homo per humilitatem crucis *ad Philipp. 2.* Convenitque hæc sessio ad Patris dexteram Chri-

Christo quidem Deo homini, sed secundùm divinam naturam, adeòque humanitati concretim expressæ per communicationem idiomatum. Neque alio sensu fragilitatis nostræ substantia est collocata in gloriæ paternæ dexterâ hoc modo acceptâ.

122. *Alius sensus, quo sessio ad dexteram convenit Christo quà homini, declaratur.*

Alio tamen sensu potest convenire Christo, etiam secundùm humanam naturam, sedere ad dexteram Patris; quatenus id significat assumptionem ad bona potiora Patris, excellentiorem scilicet super omnes creaturas beatitudinem ac gloriam, nec non regiam ac judiciariam potestatem sub Patre, cui scilicet sit præ omnibus proximus. Quo modo rex in medio super excelso throno collocatus asciscceret sibi assidentem ad dexteram; velut primo & honoratissimo post regem loco. Et satis consonat contextus Symboli, ubi in antecedentibus & sequentibus est sermo de Christo quà homine. Sic etiam aptè intelligitur, quod sub canone Missæ in festo Ascensionis legitur: *Vnitam sibi fragilitatis nostræ substantiam in gloriæ suæ dexterâ collocavit.* Quod secundùm rem contigit in die Ascensionis, quo Christus homo secundùm animam beatus etiam in via, at secundùm corpus à die Resurrectionis beatus, cœpit corporalem & quietam etiam loci possessionem cum augmento gloriæ accidentalis.

Utrovis autem modo explicetur, est Christo proprium cum exclusione creaturarum. *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando: Sede à dexteris meis?* inquit Apostolus *ad Heb.* 1. Nulla namque etiam angelica creatura est in æqualitate, aut tam excellenti super omnes creaturas possessione gloriæ paternæ, potestatisque regiæ ac judiciariæ. Quàmvis omnes sancti potientur quietâ possessione æternæ felicitatis, & cum Christo eidem subjecti suo modo regnabunt, nec non perfectiores præsertim participabunt judiciariam aliquam potestatem, sed longè infra Christum. Quod verò *Matth.* 20. Filii Zebedæi seu mater eorum nomine postulaverint sessionem ad dexteram & ad sinistram Christi; & Christus responderit illam dandam iis, quibus hæc dignitas à Patre parata foret; nil obstat: cùm ibi sit sermo de primo & secundo dignitatis post Christum loco in gloria, non autem de sessione ad dexteram Patris.

DISPUTATIO QUINTA.

De Adventu Christi ad Iudicium.

QUIA in Symbolo Fidei post Ascensionem Christi in cælum subditur articulus de Adventu Christi ad Judicium, idemque complet ultimatè œconomiam Christi seu actiones ejus circa homines in hoc mundo, neque operæ pretium apparet de Judicio, præsertim universali, postmodum instituere peculiarem Tractatum, convenienter hîc de eo, idemque antecedentibus & consequentibus tractabitur.

QUÆSTIO I.

An sit duplex Iudicium, particulare & universale?

1. *Datur Iudicium particulare singulorum.*

DICO I. Datur Judicium particulare, quo singulorum animæ post egressum è corporibus judicantur, sententiamque æternitatis accipiunt. Est indubitatum apud omnes Theologos, immo videtur de fide, ut notat *Suarez d.* 52. *sect.* 2. Et patet ex eo, quòd fides (ut alibi dictum est) tradat animas defunctorum purgatione non indigentes mox frui cælesti gloriâ, animas autem impiorum mox descendere in infernum ad pœnas, animas denique justorum purgandas interim detineri pœnis purgatorii, etsi (ut indubitata itidem habet doctrina) de æterna gloria securissimas. Quæ omnia apertè supponunt sententiam Judicis retributoriam præmii vel condemnatoriam ad pœnam. Confirmatur ex *Eccli.* 11. *Facile est coram Deo, in die obitûs retribuere unicuique secundùm vias suas ..... In fine hominis denudatio operum illius*; quia videlicet Deus ista conscientiæ tunc manifestabit, & cognitâ causâ, latâque sententiâ retributionem præmii vel supplicii faciet. Huc etiam juxta Quosdam facit illud Apostoli *ad Heb.* 9. *Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium.* Quod tamen Plures intelligunt de Judicio universali. Consonant quoque Patres, *Augustinus, Gregorius* & alii; & plurimæ historiæ probatæ.

DICO II. Exercetur judicium particulare statim in primo instanti, quo verum est dicere de quolibet: Jam non est. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia non est cur ulteriùs differatur; & aliunde Fides docet animas mox à morte affici gloriâ aut pœnâ. Ante mortem autem homo adhuc est in via, seu statu merendi & demerendi.

Nec obstant quædam visiones seu historiæ, quarum nonnullæ indicant quosdam accipere sententiam damnationis, dum adhuc vivunt. Nonnullæ è contrà quosdam accipere illam dudum pòst, ut historia famosa Doctoris Parisiensis (quam refert *Antoninus* & alii) è cujus corpore in sere-

tra

tro jacente unâ die prodibat vox dicens: *Accusatus sum*; alterâ verò: *Judicatus sum*; tertiâ denique die: *Condemnatus sum.*

Quæ explicantur.

Non obstant (inquam) nam istis indicatur veritas Catholica de Judicio particulari, etsi non quoad modum & ordinem. Et primæ quidem ostendunt quosdam homines perditissimæ vitæ in extremis constitutos, & à gravante conscientia cruciatos; divinâque permissione in desperationem lapsos, dedisse indicia quædam imminentis judicii, quod effugere nequibant. Doctor verò Parisiensis (cujus tamen historia in recentioribus Breviariis ex Officio S. Brunonis ex ordinatione Sedis Apostolicæ, seu S. Congregationis expuncta est) mox à morte sententiam damnationis acceperat, etsi ab ipso non statim, sed cum temporis intervallo opportunè & palam coram solemni populi conventu propalatam, unde terror divini judicii, & per S. Brunonem orta est occasionaliter vitæ anachoreticæ restauratio.

Conclusio tamen intelligenda est regulariter, & quare.

Nihilominus Conclusio est intelligenda regulariter: in iis enim qui resuscitantur extraordinariè ad vitam mortalem differtur judicium, quousque in iis deinceps sic non resuscitandis per mortem ultimus vitæ (quam prior mors non stabilis tantùm suspenderat seu interruperat) terminus advenerit.

3. *Judicium hoc peragendum spiritualiter, non requisità temporis morâ,*

Notandum verò judicium hoc peragi spiritualiter seu per locutionem spiritualem utpote concernens animam separatam; neque ad illud moram temporis esse necessariam, sed Deum facilè id peragere in instanti: etsi post illud mora aliqua brevis intercurrat in motu locali animæ judicatæ ad locum præmii vel supplicii. Unde etiam credibile est ipsum peragi circa animam in loco egressûs, utì in instanti egressûs. Idque est facile & caret inconvenienti. Sic quoque non erit excogitandus frustraneus raptus animæ ad cælum (quod insuper non quadrat damnandis aut adhuc purgandis) aut locum dissitum, ibi sistendæ coram tribunali.

Apparenter in loco obitûs.

4. *A Deo.*

Is denique qui exercet judicium indubiè Deus est, sic ut ante Incarnationem Christus homo, utpote necdum existens, nequidem concurrerit tamquam judex. Immo etsi huic in ipsa Incarnatione data sit omnis potestas judiciaria veluti annexa Unioni hypostaticæ; tamen usque ad mortem non fuit eâ usus, qui non venerat in carnem mortalem judicare, sed judicari. Post gloriosam tamen resurrectionem, aut etiam fortè mox post mortem, cœpit exercere ipse quoque Christus homo (cui omne judicium Pater dedit *Ioan.* 5. & omnem potestatem in cælo & in terra *Matth.* 28.) hanc judiciariam potestatem; cujus nimirum usui deinceps nil obstabat. Ad quod non est necessaria præsentia realis humanitatis Christi in loco animæ judicandæ; sed sufficit hanc elevari ad audiendam seu intellectualiter percipiendam sententiam Christi Judicis.

Post resurrectionem verò Christi ab ipso:

Cujus tamen realis in loco judicii præsentia non requiritur.

Putant nihilominus Nonnulli Christum in specie humana appariturum cuique animæ judicandæ in tempore seu instanti particularis judicii ad solatium bonorum, & terrorem malorum: tum quia id apparet congruum estque Christo facile: tum quia sic apparebit in judicio universali. De quo deinceps agendum pluribus.

Et si fortasse in specie humana anima judicanda etiam reapse apparebit.

5. *Futurum est Judicium universale.*

Dico III. Futurum præterea est judicium universale. Est clarissimum ex *Matth.* 25. *Act.* 17. 2. *Petri* 2. & plurimis aliis Scripturæ locis. Item ex *Symbolis* fidei, *Apostolorum* scilicet, *Nicæno* & *Athanasii*. Neque est res magìs in confesso apud Patres, Theologos & universos Fideles. Rationes porrò instituendi universale judicium sunt. Tum ut divina misericordia & justitia (quæ hîc interdum, aut multis non ita manifesta est, vel etiam quandoque deluditur) coram toto mundo manifestè appareat. Tum ut totus homo, etiam secundùm corpus (quod quandoque præter meritum honorificè sepelitur, quandoque insepultum abjicitur, eritque particeps gloriæ aut pœnæ) judicetur; cùm in judicio particulari sola fuerit anima judicata. Tum ut Filius Dei, qui in primo adventu humilis & instar rei judicandus apparuit, in secundo adventu clarificandus appareat in majestate & gloria, palamque judicaturus omnes, etiam illos, à quibus injustè fuerat judicatus. Tum ut electi, qui hîc plerumque apparuerunt contemptibiles, publico atque etiam divino testimonio honorentur, ac è contrà confundantur impii, qui hîc in pretio habiti ceteros depresserunt; juxta illud *Sap.* 5. *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperii &c. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Tum quia opera justorum aut impiorum, quæ quodammodò post mortem manent, sive in hominum æstimatione & famâ, sæpè veritati contrariâ, sive in effectu, prout bene vel malè verbo, scripto aut exemplo præiverunt, de quibus durante hoc sæculo perfectum manifestumque judicium haberi non potest; hæc, inquam, meritò subdi debent novissimo Dei Judicio, quo hæc omnia in veritate manifestentur, non sine augmento saltem accidentali gloriæ sive pœnæ; atque ità super illis cum sæculo finiendis generaliter feratur judicium.

Rationes, ob quas sit servandum.

Circa judicium porrò universale considerari possunt quædam illud antecedentia, quædam illud concomitantia, sive ad ejus formam vel integritatem spectantia, quædam denique idem consequentia. De quibus in particulari agendum restat.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Antichristo.

6. *Signa futuri judicii quædam sunt generalia & remota quædam propria & propinqua,*

PRÆTERMISSIS signis quibusdam communibus ac generalibus futuri judicii (inter quæ Apostatarum, Hæreticorum & Pseudoprophetarum seductiones ac scandala, prælia, pestilentiæ, fames, terræ motus per loca, terroresque de cælo; de quibus *Matth.* 24. & alibi) quæ initia sunt dolorum, & quibus positis nondum est finis; breviter agendum est de signis propriis & propinquis, etsi non immediatis. Inter quæ primarium ferè locum obtinet adventus seu regnum Antichristi. De quo fit mentio *Dan.* 7. & 12. 2. *Thessalon.* 2. *Apoc.* 13. & in omnium Patrum ac Catholicorum Doctorum de fine mundi seu judicio tractantium Scriptis.

Inter qua singulariter notabile erit regnum Antichristi.

7. *Is erit verus homo.*

DICO I. Magnus ille antagonista seu adversarius Dei, qui nomine Antichristi intelligitur, erit verus homo. Est certum apud Patres & Doctores *ex* 2. *ad Thessalon.* 2. ubi appellatur *homo peccati ..... quem Dominus Iesus interficiet.* Etsi fuerit error quorumdam, putantium, non fore hominem, sed diabolum. Omnis quoque veri specie caret figmentum aliorum, qui putarunt fore diabolum incarnatum. Quod insuper non sine grandi miraculo, eoque non satis consono divinæ pietati, fieri posset, si tamen absolutè non sit impossibile. Hoc denique necessariò non confunderet voluntates aut libertates, neque aliter quàm nunc, scilicet per inductiones, posset natura diaboli deducere voluntatem humanam ad peccandum; cui alioquin non possent in culpam imputari, quæ faceret diabolica sibi unita natura & potentia.

Non diabolus incarnatus.

An ab eo corporaliter possidendus, non satis constat;

Putant tamen Aliqui ipsum fore corporaliter possidendum à diabolo; vel multis dæmonibus. Verùm & hoc non satis constat; & aliundè quæ diabolus in energumenis agit, iis per se loquendo non imputantur. Id saltem constat, fore hominem maximè Deo adversarium, adeòque diabolo plenè devotum; cujus proinde suggestiones & artes à teneris imbuet, cuique familiaris erit. Quod satis indicatur 2. *ad Thessalon.* 2. ubi vocatur *homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tamquam sit Deus.*

Saltem erit ei summè devotus, & maximus Dei adversarius.

8. *Erit quoque unus & determinatus homo.*

DICO II. Antichristus erit homo unicus & determinatus. Est etiam certum apud omnes Patres & Doctores, nec non Fideles, qui de Antichristo velut de particulari homine sentiunt & loquuntur. Idem quoque satis manifestè patet ex Scriptura *Ioan.* 5. *Ego* (inquit Christus) *veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, si* seu cùm, *alius venerit in nomine suo, illum recipietis*; intellige, pro Messia, scilicet Antichristum (ut communiter veteres Patres intelligunt) qui proinde erit singularis homo, uti Christus, cui opponitur. Nec sanè Judæi regnum vel multitudinem, sed singularem hominem pro Messia recipient. Similiter manifestè de singulari homine intelligenda sunt, quæ *Dan.* 7. de Antichristo (ut Patres communiter exponunt) prædicuntur; prout consideranti patebit. Quemadmodum & illa, quæ de Bestia ista prædicuntur in Apocalypsi *c.* 13. & alibi. Postremò & principaliter idem quoque patet ex 2. *ad Thessal.* 2 in verbis *n. præc.* relatis, ubi manifestè est sermo de particulari aliquo nequam. Ob quod in textu Græco singulis epithetis præponitur articulus, cujus adeò frequens præsertim repetitio communem significationem trahit ad certum individuum designandum q. d. *Ille homo peccati, ille filius perditionis, ille adversarius, ille iniquus.* Quàmvis alioquin articulus in Græco additus interdum non habeat emphasim specialem, sed redundet.

Nec refert quod 1. *Ioan.* 2. dicitur: *Sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* Et infrà: *Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium.* Et *cap.* 4. *Omnis spiritus qui solvit Iesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo est.* Et *in Epist.* 2. *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem: hic est seductor & Antichristus.* Respond. Joannem Apostolum in primis satis clarè asserere, quòd Fidelibus esset à Christi Apostolis traditus adventus Antichristi, id est, adversarii Christi, cui scilicet per antonomasiam quamdam id nomen tribuatur, de quo dicit, *quia venit*, id est venturus est, ut rectè vertit *Erasmus* & alii. Nam est verbum præsentis temporis habens significationem cujusdam futuri; quod idem est *Matth.* 17. ubi tamen Interpres noster de Elia vertit, *venturus est.* Simul equidem significat idem Apostolus illum Antichristum multos ex tunc cœpisse prodromos seu præcursores habere, qui spiritu scilicet simili ducti Christianæ fidei, ipsique præsertim Jesu adversantes, eumque esse redemptorem & Filium Dei negantes (inter quos *Cerinthus* & similes) nomen Antichristi participare merentur. Qui etiam possent vocari Antichristi in genitivo, subintellige affines seu emissarii. Prout *cap.* 4. ubi noster Interpres vertit: *Et hic est Antichristus*; Græci legunt: *Et hic est ille ipsius Antichristi*, subintellige, spiritus, præcursor, aut quid simile.

Explicatur ea, quæ Ioannes Epistola Canonica tradit de adventu Antichristi.

DICO III. Antichristus sive regnum ejus necdum venit. Est certum apud omnes. Et patet: quia hactenus non apparuit quispiam, in quo signa illa concurrant, quæ Scriptura de Antichristo tradit. Nam in primis 2. *ad Thessal.* 2. Antichristi adventui præmittitur: *Quoniam nisi venerit discessio primum.*

Antichristi regnum dum non venerit.

Cujus signum ponitur defectio Romani Imperii,

Aut quasi generalis ab Ecclesia.

mùm. Quòd Veteres passim intelligunt de defectione seu destructione Romani Imperii; quod etsi à multis sæculis satis diminutum sit, & in Oriente dudum defecerit, antequam tamen ibi defecisset, restitutum fuit sacratiori modo per Leonem III. in Occidente, in quo adhuc titulo & re perseverat. Quòd si cum *D. Thomâ, Lyrano, Estio* & aliis per discessionem (Græcè est apostasia, seu defectio) intelligatur defectio spiritualis, à fide scilicet atque Ecclesiâ (prout nomen apostasiæ in sacris Litteris magis sonat; accedente eo, quòd vetus illud Romanum Imperium quasi solo titulo supersit) adhuc conficitur intentum: nam hactenus defectio illa, generalis scilicet vel quasi generalis, à fide & obedientiâ Ecclesiæ per omnes pænè provincias & regna (qualem hi Doctores intelligunt; quoad particulares enim personas, ac multas provincias dudum & sæpè contigit) nondum apparuit, ut ad oculum patet. Etsi illam non parum promovere studuerint post schisma Græcorum & Mahumetem, *Lutherus*, *Calvinus* similesque Sectarii recentiores. *Tunc* igitur primò *revelabitur ille iniquus*, ut Apostolus subjungit.

11. *Plura alia Antichristo competentia necdum apparent,*

Secundò hactenus non apparuit, qui à Judæis reciperetur pro Messia; qui Monarchiam omnibus anterioribus eminentiorem, tribus dumtaxat annis cum medio duraturam super omnes regiones attentaverit; qui universim publicum fidei Christianæ cultum sustulerit; qui in signis & prodigiis mendacibus apparens sese pro Deo colendum & adorandum vi vel fraude adegerit &c. quæ in Scriptura Antichristo tribuuntur, ut infrà patebit.

Accedit, quod de adventu Heliæ & Henoch, qui sub tempus Antichristi venient, nondum aliquid appareat.

12. *Clarissimè redarguitur insania Hæreticorum calumniantium, Pontificem esse Antichristum.*

Ex dictis patet, quàm ineptè *Lutherus* aliique Antichristi præcursores satanico spiritu effutierint Pontificem Romanum esse Antichristum: cùm antea tota antiquitas pro Vicario Christi, Pastore Pastorum in terris, ipsum agnoverit. Sanè Pontifex Romanus non est una persona determinata, sed plures invicem succedentes; non est homo peccati, filius perditionis, qui extollat se supra Deum, & celatur tamquam Deus; non est adventus ejus secundùm operationem satanæ in signis & prodigiis mendacibus & in omni seductione iniquitatis: non interficit eum Dominus Jesus spiritu oris sui. Denique plura alia, quæ antiquitas & Scriptura attribuit Antichristo, manifestè non quadrant in Pontificem Romanum, ut digni non sint isti impii, contra quos hac in parte fusiùs disputetur.

13. *Explicatur illud Apostoli.*

Quibus non favet, quod 2. *ad Thessal.* 2. dicitur: *Nam mysterium jam operatur iniquitatis*, scilicet Antichristus, qui proindè jam tum tempore Apostolorum fuit, etsi nondum revelatus. Nam certè tunc sanctus Petrus, Apostolorum Princeps erat Pontifex Romanus, isque solus; anne igitur hic fuerit Antichristus, qui veluti mysterium iniquitatis tunc operabatur? Procul hæ blasphemiæ. Inter varias porrò expositiones præfati loci (quarum nulla favet Hæreticis) videtur illa satis commoda, juxta quam ly *operatur* sumitur passivè, utì sæpè alia verba deponentia (de quo vide *Estium* in illud *ad Gal.* 5. *Fides quæ per charitatem operatur*) hoc sensu: Arcana & latens iniquitas, aliquando palam grassatura, nunc agitur seu cuditur per Hæreticos seductores atque Antichristi præcursores. Ita *Estius* in hunc locum.

2. Thess. 2. *Mysterium jam operatur iniquitatis.*

14. *Ex numero nominis Bestiæ fundatè præsciri nequit determinatum nomen, multò minùs inde aliquid contra Pontificem inferri potest.*

Non favet quoque Sectariis, quòd numerus nominis Bestiæ seu Antichristi erit 666. ut patet *Apoc.* 13. quem numerum exhibet vox *Latinus* congruens Papæ Romano. Nam ista vox convenit æquè ceteris Latinis, signanter Petro Martyri aliisque Sectariis, qui ex Italia seu latio prodierunt. Deinde incertum est nomen singulare Antichristi, & in qua lingua, Græca scilicet an Hebræa (in quibus numeri consuetò designantur per litteras alphabeti) exprimetur is numerus nominis ejus. Possent denique plura hujusmodi nomina adinveniri, atque etiam alicui tribui, qui idcirco non esset Antichristus. Quocirca frustrà se torquent etiam multi Catholici Scriptores, ut ex præfata prophetia colligant determinatè nomen futurum Antichristi, quod nunc ignotum, post adventum ejus erit notissimum, utì & numerus designatus per litteras nominis ejus. Sicut ante adventum Christi ignotum erat ejus nomen, postea notissimum, & simili modo in oraculo Sybillæ prædictum numerum scilicet nominis ejus fore 888, quem nomen Jesus in Græco conficit.

15. *Antichristus verosimiliter nascetur ex tribu Dan.*

Dico III. Valde probabiliter nascetur Antichristus ex tribu Dan. Tum quia est recepta sententia, etiam apud veteres Patres. Tum quia non desunt indicia ex sacris litteris petita. Nam vaticinium Jacob *Gen.* 49. *Fiat Dan coluber in via, & cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrò*; etsi ad litteram principaliter intelligatur de Sampsone, tamen secundò litteraliter, aut certè in sensu allegorico explicatur à Patribus passim (quorum auctoritas non leve pondus tribuit) de Antichristo. Similiter illud *Jeremiæ* 8. *A Dan auditus est fremitus equorum ejus, à voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra*; etsi intelligatur ad litteram de Nabuchodonosor, qui cum suis Assyriis venturus erat per terram Dan ad evertendam Jerosolymam; nil tamen vetat, simul intelligi, saltem allegoricè, de Antichristo, cujus figura erat Nabuchodonosor. Denique ob hoc *Apoc.* 7. tribum Dan non numerari inter ceteras

Magis receptum est, fore Iudæũ.

tribus velut in odium Antichristi, censet *Irenæus lib. 5. cap. 30.* & alii. Constantiùs receptum est sensu communi Doctorum, quòd saltem erit genere Judæus, aliàs utique non recipiendus à Judæis pro Messia. In quem finem finget se de tribu Juda & progenie David, qui templum olim à Salomone extructum ipse sit reædificaturus, juxta *Cyrillum Ieroſolym. Catech. 15.* Simili porrò astu posset se fingere Iudæum, etiam assumptâ circumcisione, esto non foret; præsertim cum Judæi non anxiè inquirent genealogiam personæ tam portentosæ, sibique tam charæ, qui etiam in hoc, uti in qualitate tribûs possent illudi. Sanè in Babylone (quæ typus est impiorum, omnisque confusionis, sedes antiqua hostium Ecclesiæ ac Synagogæ, in qua denique multi Judæi solutâ captivitate olim remanserunt) nasciturum, plures veteres Patres censent; & quidem sectâ (quidquid sit de genere) Mahumetanum fore, putat noster *Quaresmius lib. 1. Elucidat. terræ sanctæ cap. 78.* etsi instar Protei se transformaturum in varias formas, signanter Judaismum. Quæ tamen satis conjecturalia sunt, uti & plura alia educationem Antichristi spectantia.

Finget se de familia David.

Similiter genus Iudaicum simulare posset.

Nascetur in Babylone juxta plures Veteres.

Ridiculum porrò est, quod dicta Veterum de Babylone (quæ usitatè hoc nomine intelligitur) manifestè loquentium detorqueant quidam Sectarii ad urbem Romam odio S. Sedis Apostolicæ.

16. *Erit potentissimus Orbis Monarcha.*

Dico IV. Antichristus evadet in potentissimum Monarcham totius mundi. Patet ex *Dan. 7. & 11.* & *Apoc. 13. & 17.* Ex quibus locis (junctâ præsertim expositione veterum Patrum) ejusmodi series regni ejus colligi solet. Quarta bestia, quam vidit Daniel *cap. 7.* significat quartam Monarchiam, scilicet Romanorum. *Quaresmius tamen lib. 1. Elucidat. terræ sanctæ cap. 78.* contendit, significare Monarchiam Turcicam, veteribus Patribus non cognitam. Quidquid sit, quædam Monarchia circa tempus Antichristi habebit decem cornua, id est, erit dissecta in decem reges. *Et ecce* (inquit Daniel *cap. 7.*) *cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum*, scilicet Antichristus: *& tria de cornibus* seu regibus *primis evulsa sunt à facie ejus.* Quos scilicet reges ipse, in initio despectus & parvulus, delebit seu destruet. Tres vero reges illos fore Ægypti, Libyæ & Æthiopiæ, colligi solet ex *Daniel. 11. Ipse* vero (ut dicitur *cap. 7.*) *potentior erit prioribus* decem regibus. E quibus postquam tres deleuerit, reliqui septem se ei subjicient. Ideoque *Apocalyp. 13.* describitur Antichristus velut bestia habens capita septem, ratione septem regum sibi subjugatorum, & cornua decem ob decem regna decem regum. De quo ibidem subditur: *Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam & gentem.*

17. *Figet regni*

Porro *figet tabernaculum suum Apaduo* (locus est fortè accepturus tunc hoc nomen ab eventu; sicut locus cladis Antichristi cum suis, adhuc ignotus & sine nomine præsenti, appellatur propheticè *Apoc. 16.* Armagedon, id est, excidium excidii) *inter maria super montem inclytum & sanctum*, ut dicitur *Dan. 11.* Quod etsi verificetur juxta multos in Antiocho Epiphane Antichristi typo, tamen juxta sensum sublimiorem, etiam à Spiritu sancto intentum, id explicant veteres Patres de Antichristo, qui fixurus sit solium suum in Judæa interjacente inter mare mortuum & mare mediterraneum, idque in monte sancto, scilicet Moria sive Sion, in quo templum Judaicum ex parte conditum fuit; aut etiam in monte Oliveti. Ad quod etiam facit, quòd Judæi eum recipient pro Messia, rege splendido ac opulento diuque desiderato, ac proinde regni sedem inter ipsos fixuro. Ad idem facit, quòd *Apoc. 11.* dicantur Henoch & Elias debellandi & occidendi ab Antichristo, quodque *corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est*; qui utique Jerosolymis est crucifixus. Quàmvis *Estius* hunc locum in Notis ad eumdem sic explicet, ut non faciat ad præsens intentum.

Ex his etiam colligitur Antichristum in principio simulaturum esse Judaismum, ejusdemque restaurationem, & (quod multi volunt) templum quoque Jerosolymitanum, saltem ex parte seu inchoativè, ædificaturum. Quo non obstante verificari potest prædictio Danielis *cap. 9.* perseveraturæ usque ad finem vastitatis, & statutæ desolationis templi: si quidem illo ipso tempore erit quasi finis sæculi. Deinde desolatio tunc vel maxima erit, quando is in illo templo volet coli tamquam Deus, adeoque veri Dei cultus eliminatus erit.

Quare etsi in principio repudiato Christo videndus sit sectator Judaismi, seque pro Christo & Messia gesturus; postea tamen divinitatem sibi soli arrogabit, & elevabitur adversùs Deum Deorum, sive omnem Deum, adeoque etiam Deum Patrum suorum non reputabit, ut colligitur ex *Dan. v. 2. Thessal. 2.* & *Apoc. 13.* Quàmvis in occulto ex privato pacto cum dæmone credatur, hunc esse adoraturus. Ad quod stabiliendum allegatur illud *Dan. 11. Deum Maozim in loco suo venerabitur, & Deum, quem ignoraverunt Patres ejus, colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebusque pretiosis.*

Dico V. Gravissimam excitabit Antichristus persecutionem contra Ecclesiam, adeo ut præcipuam partem Fidelium sit partim occisurus, partim seducturus. Ita significatur in variis Scripturæ locis. *Dan. 7.* de Antichristo dicitur: *Faciebat bellum adversùs sanctos, & prævalebat eis ..... Et sanctos Altissimi conteret. Dan. 11. Et venies tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, usque ad*

ad tempus illud. Simile quid habetur *Matth.* 24. Hoc tamen juxta contextum *Chrysostomus, Augustinus* & plures non incongruè explicant à Christo fuisse dictum de vastatione Jerosolymitana, hoc modo: *Erit tunc tribulatio magna*, scilicet in Judæa & Jerusalem; *qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet*, intellige in populo Judaico, ut ait *Augustinus Epist.* 80. *circa med.* Præterea dicitur de Bestia *Apoc.* 13. *Et est datum illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos. . . . & adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram: quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ Agni.* Et *Apoc.* 20 significatur, quòd tempore Antichristi *solvetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ.* Omnes autem, qui reperientur non adorare Bestiam, occidendos esse, satis patet ex *Apoc.* 13. Eò autem faciliùs ad se plures trahet, quòd jam defectio velut generalis ab Ecclesia in plerisque præcessura erit. Trahet autem populos, partim timore & violentiâ, partim miraculis falsis ope dæmonum patrandis, juxta illud 2. *ad Thessal.* 2 *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, eis, qui pereunt.*

Omnes à non adoratores occidentur:

Plerosque metu & falsis signis seducturus.

Itaque omne exercitium alterius Religionis, præsertim Christianæ, interdicetur. De quo *Dan.* 12. dicitur: *Et à tempore cùm ablatum fuerit juge sacrificium*, scilicet continuus Dei cultus, præsertim sacrificium Missæ, quod quotidiè per universum mundum (ut olim juge sacrificium agni, immo singulis horis diei naturalis, spectando simul Antipodes, offertur: *Et posita fuerit abominatio*, id est, idolum, puta Antichristus qui loco Christi coli volet ut Deus, *in*, seu ad *desolationem* seu perditionem bonorum operum & veri cultûs divini. Non tamen cessabit in locis abditis oblatio jugis sacrificii, utique perennaturi usque ad diem judicii, juxta illud 1. *ad Cor.* 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc & mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, supple, gloriosus ad judicium.

20. *Omnem de nigue cultū alterius religionis, præsertim Christiana interdicturus.*

21. DICO VI. Habebit Antichristus quemdam insignem præcursorem & Pseudoprophetam, veluti suum præconem & antesignanum. Ita communiter Interpretes, tum veteres, tum recentiores accipiunt, quod *Apoc.* 13 post sermonem de priori Bestia seu Antichristo, subditur de altera bestia velut particulari quodam homine: *Vidi* (inquit) *aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia Agni*, simulans scilicet mansuetudinem & sanctitatem, *& loquebatur sicut draco* insciens scilicet & interficiens animas. *Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus*, velut minister ipsius. *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum. Et seduxit habitantes in terra propter signa &c. Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ, & ut loquatur imago bestiæ*, scilicet diabolus per illam; ut olim per idola responsum dabat; *Et faciat, ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ*, seu bestiam principaliter in imagine, *occidantur. Et faciet omnes . . . . . habere characterem in dextera manu sua aut in frontibus suis*, velut signum Antichristianismi, & *ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus*; id est, nisi qui habet sibi impressam sive imaginem Antichristi, sive nomen ejus explicitè aut per compendium expressum. De eodem seductore, tamquam particulari persona, erit sermo *Apoc.* 19. *Apprehensa est bestia & cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso . . . . . Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis.*

Habebit quoque insignem pseudoprophetam velut suum præconem & præcursorem descriptum. Apoc. 13.

DICO VII. post reges sibi subjugatos regnabit Antichristus tribus annis & dimidio vel circiter; dein occidetur à Christo. Ita communiter Patres & Doctores. Prima pars colligitur ex *Dan* 7. ubi dicitur: *Tradentur in manu ejus*, Antichristi, *usque ad tempus & tempora & dimidium temporis.* Ubi per *tempus* intelligitur annus, per *tempora* duo anni, per *dimidium temporis* medius annus, juxta *Hieronymum Augustinum* & veteres passim. Unde idem Propheta per septem tempora mutanda super Nabuchodonozor intelligit septem annos; & infrà *cap.* 12. se ipsum explicans, tradit persecutionem Antichristi duraturam dies mille ducentos nonaginta, qui faciunt dies circiter duodecim ultra tres annos cum dimidio. Idem confirmatur ex *Apoc.* 11. ubi dicitur: *Civitatem sanctam conculcabunt mensibus quadraginta duobus*, qui conficiunt similiter tres annos cum dimidio. Et infrà dicitur: *Prophetabunt Henoch & Helias diebus mille ducentis sexaginta.* Et *cap.* 12. dicitur mulier, id est, Ecclesia, tempore Antichristi fugisse in solitudinem per dies mille ducentos sexaginta. Et infrà dicitur ali in deserto loco per tempus & tempora & dimidium temporis. Et *cap.* 13. dicitur: *Data est ei potestas facere menses quadraginta duos.* Et *cap.* 20. *Post hæc oportet illum, Satanam, solvi modico tempore*, scilicet persecutionis Antichristi; idque ob nimiam sævitiam & vehementiam persecutionis, atque adeò propter electos.

22. *Monarchia ejus durabit tribus annis cū dimidio.*

Secunda pars patet ex 2 *ad Thessal.* 2. *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*, scilicet per imperium, atque Angeli, scilicet S. Michaëlis, ministerium. Hoc sensu etiam intelligitur passim illud *Isaiæ* 11. *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Idque juxta multos in monte Oliveti, dum simulabit se velle in cælum conscendere, ceteris illius jam in aërem evehi cœpti divinitati acclamantibus. Quò Nonnulli applicant illud *Dan.* 11. *Figet tabernaculum suum super montem inclytum & sanctum . . . . . & nemo auxiliabitur ei.* Verosimiliter autem

23. *Post quos occidetur à Christo per S. Michaëlem juxta multos in monte Oliveti.*

Modus occisionis describitur.

instar Chore, Dathan & Abiron deglutietur cum suo pseudopropheta vivus à terra, & sic per Angelum præcipitabitur in infernum. Cui consonat illud *Apoc.* 19. *Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta. ..... Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure: & ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius*; id est, jussu & imperio Christi, quo scilicet ignis de cælo descendit, & exercitus cum regibus Anti christo adhærentibus devoravit, ut colligitur ex *Apoc.* 20.

Cum eo occidetur pseudopropheta, & exercitus adhærentes.

24. *Quanto ab hinc tempore sequetur judicium non constat.*

Quantum denique temporis post mortem Antichristi superierit usque ad diem Judicii, incertum est. Varii quidem numerant solos quadraginta quinque dies ex *Dan.* 12. ubi cùm ab abolitione jugis sacrificii Angelus numerasset mille ducentos nonaginta dies, superaddens alios quadraginta quinque dies, subdit: *Beatus qui expectat & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque*, quasi videlicet tunc Christus venturus sit ad judicium. Sed sine fundamento. Nam (ut omittam quòd Nonnulli accipiant hos dies mille trecentos triginta quinque velut prioribus condistinctos; alii per quadraginta quinque dies intelligant totidem annos, inconsequenter tamen ad dies priores secundùm litteram intelligendos) in primis sic alioquin determinatè præsciri posset dies judicii, ab initio persecutionis Antichristi, inde scilicet computando dies mille trecentos triginta quinque, cùm tamen etiam tunc sit futurus dies domini ignotus, utpote venturus sicut fur in nocte 1. *ad Thessal.* 5. Et illud *Matth.* 24. *De die autem illa & hora nemo scit*; etiam tunc erit verum. Nam (ut subditur) erunt homines sicut in diebus Noë, scilicet edentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes usque ad diem judicii. Quod similiter non consistit cum ista temporis brevitate, & quidem adeò determinatè expressâ, post tantas clades & persecutiones.

Rejicitur, quòd quidam ex Dan. 12. conjiciunt de quadraginta quinque diebus.

Longius omnino tempus superierit.

Præterea cum Antichristo cædetur à Deo Gog & Magog (quorum nominum mentio est *Apocal.* 20. De eodem prælio agitur *cap.* 19. & fusè *Ezechiel* 39.) clade tantâ, ut sepulturæ cadaverum sint impendendi septem menses ad mundandam terram *Ezech.* 39. ubi insuper fit mentio septem annorum. Sanè longius tempus videtur requirere perfecta Judæorum conversio cum subsequenti pacifico exercitio fidei Christianæ. Ut proinde Ecclesia tunc reditura credatur ad magnam pacem & tranquillitatem: post quam, etsi non longam, inopinatè veniet Dominus ad judicium. Dicitur itaque beatus, qui pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque, quia cæsis hostibus circa illud tempus incipient prodire securè in publicum ministri Ecclesiæ, & fungi officiis suis, atque restaurare destructa, omni metu depositò & plenâ atque jam publicè & tâ certitudine de omnis periculi cessatione.

QUÆSTIO III.

De Adventu & Prædicatione Henoch & Eliæ.

DE hac re sic in primis enuntiat Propheta Evangelicus *Apoc.* 11. *Dabo duobus Testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.* Hinc certum est apud omnes, duos à Deo mittendos in testimonium contra Antichristum durante ejus persecutione, veluti præcursores secundi adventûs ad judicium, illosque ab Antichristo circa finem suæ tyrannidis afficiendos martyrio.

Porrò duos hos testes fore Henoch & Eliam est communis doctrina Patrum & Theologorum ac Interpretum, atque etiam sensus Fidelium. Quod de utroque probatur ex eo, quòd communi sensu Patrum & Fidelium constet, eos adhuc vivere, adeoque non ob alium finem translatos esse in locum secretum, quàm ut in fine mundi testimonium dent Christo; Henoch quidem, quia vixit tempore Legis naturæ, specialiter pro conversione Gentium, Eliam verò, quia tempore Legis scriptæ, pro conversione Judæorum. Idem quoque satìs exprimit Scriptura. De Henoch *Genes.* 5. ubi non dicitur de illo, uti de reliquis, *& mortuus est*, sed, *Ambulavitque coram Deo, & non comparuit, quia tulit eum Deus.* Et *ad Hebr.* 11. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem &c.* De Helia verò 4. *Regum* 2. ubi dicitur, quòd per turbinem in curru igneo ascenderit cælum.

Præterea probatur ex eo, quòd *Eccli.* 44. dicatur *Henoch Translatus in paradisum* (Nota in Græco non haberi ly *in paradisum*, nec nominari aliquem locum) *ut cauderet Gentibus pœnitentiam*, prædicando scilicet in fine sæculi. Et *cap.* 48. de Elia dicitur: *Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Et clarius *Matth.* 17. *Elias venturus est, & restituet omnia.* Et *Malach.* 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Ad Eliam quoque satìs apertè alluditur *Apoc.* 11. ubi dicitur: *Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum & devorabit inimicos eorum; & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum.*

Ex quibus etiam & sequentibus patet, quòd ipsorum prædicatio erit in veris signis & prodigiis, quibus contra & supra Antichristum veritatem prædicationis suæ confirmabunt, ac tum Gentes, tum Judæos ad fidem Christi convertent. Quæ Judæorum conversio sub vesperam seu finem

nem mundi, juxta varios prædicta quoque est *Psal.* 58. *Convertentur ad Vesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.*

27. An verò omnes omnino Judæi tunc convertendi & salvandi sint, meritò dubitari posset, ideo quòd *Matth.* 17. de Elia dicatur: *Restituet omnia.* Et quòd *ad Rom.* 11. tamquam singulare mysterium Apostolus tradat, *quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec intret plenitudo gentium, & sic omnis Israel salvus fieret.* Sed hæc loca satis verificantur in maxima convertendorum ex omnibus tribubus multitudine, ex quarum tamen singulis de facto seu constanter convertentur soli electi (quales utique non erunt, omnes tunc usque ad unum) prout satis exprimitur *Dan.* 12. *In tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro*; supple, vitæ: in quo soli electi sunt scripti. Idemque videtur conformius libero & instabili hominis arbitrio in tanta multitudine. Eodem sensu & modo intrare dicitur plenitudo Gentium; ex quibus tamen plurimi non salvantur. Credi tamen potest, plerosque Judæos tunc seriò convertendos. Quòd verò *Apoc.* 7. referantur signati ex quavis tribu duodecim millia salvandorum; non denotat istum præcisè fore numerum, sed numerus duodenarius velut universalis positus est; certus pro incerto. Quàmvis quoque tribus Dan ibi non annumeretur, sive in odium Antichristi, sive quia tribus ista deflexit primò ad idololatriam; non infertur tamen indè, quòd nulli, vel non multi ex ista tribu convertendi sint: præsertim cùm Scripturæ aliæ sint generales. Et dato, quòd ex ea sit Antichristus nasciturus, ei tamen veluti se gerenti quasi de familia David, non potiùs adhærebit ista tribus, quàm ceteræ. Denique post cladem Antichristi adhuc locus esse posset conversioni eorum, qui ex ista tribu Antichristo adhæserant; ut mox ostendetur.

Quorum pars maxima tunc convertetur.

28. Si quæratur, quo modo Judæi sint per Eliam convertendi; cùm sint adhæsuri omnes Antichristo tamquam Messiæ? Resp. Antichristum quidem in initio Judæis placiturum, postea tamen defecturum ab eorum religione, ac contempto Messiæ titulo se gesturum pro Deo unico, & solo adorando: adeòque Judæos visis miraculis & auditâ prædicatione Eliæ, omnique spe venturi Messiæ privatos reversuros ad Dominum, & Christum ejus Jesum. Quòd si vivente adhuc Elia plures non sint conversi, convertentur saltem postea, visâ resuscitatione Henoch & Eliæ post occisionem, ac mirabili assumptione in cælum, de qua statim; visâ quoque brevi sequente strage & mirabili punitione Antichristi cum suis; sicque in memoriam revocatâ prædicatione, confirmandâ quoque deinceps per ministros Ecclesiæ.

Partim Elia vivente, partim eo mortuo.

Contra certam & communiter receptam doctrinam, Nonnulli olim censuerunt Moysen. Alii (ut *Victorinus* Martyr) Jeremiam venturum cum Elia in fine mundi. Denique *Hippolytus* Martyr putavit Joannem Evangelistam mittendum ad resistendum Antichristo. Sed hæc somnia sunt infundata. Constat enim ex Scriptura Moysen esse mortuum. Idem constat ex *Martyrologio Romano* & veteribus Patribus de Jeremia, eum scilicet esse in Taphnis oppido Ægypti, quò à Judæis eò confugientibus abductus fuerat lapidatum, ibidemque sepultum. Idem constat ex Patribus communiter de Joanne Evangelista, quòd scilicet obierit sub Trajano Anno Domini 68. Contra quem præterea facit, quòd in Apocalypsi fiat tantùm mentio duorum testium.

29. *Præter hos nemo alius venturus est, sive Moyses, sive Ieremias, sive Ioannes Apostolus.*

Nec refert, quòd *Apoc.* 11. referantur plagæ similes Ægyptiacis infligendæ per duos testes seu prophetas. Nam inde non sequitur fore eosdem infligentes.

30. *Ostenditur oppositam conjecturam esse infundatam quoad Moysen. Et Ieremiam.*

Similiter non refert, quòd *Jerem.* 1. dicitur: *Prophetam in Gentibus dedi te.* Datus enim est propheta ad Gentes, quatenus partim in Judæa, partim in Ægypto multa diversis Gentibus prædixit, signanter Ægypto instans à Nabuchodonozor rege seu Chaldæis excidium.

Denique non refert, quòd Christus *Matth.* 16. dixerit: *Sunt de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Et *Joan.* 21. *Sic eum*, Joannem, *volo manere donec veniam.* Et *Apoc.* 10. eidem dicitur in spiritu: *Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis & regibus multis.* Non refert, inquam, nam primum fuit impletum juxta quosdam in gloriosa Christi resurrectione; vel (ut rectiùs Alii) in Joanne & duobus aliis post sex dies in transfiguratione Christi. Secundum non est asserentis, sed conditionatè supponentis, q. d. Si (ut Syriaca & Græca & nonnulla Exemplaria Latina & passim Commentatores Græci habent) vel esto, sic eum volo manere donec veniam ad judicium, quid ad te pertinet hoc curiosiùs inquirere? Unde ipse Joannes c. 21. infundatum sermonem, qui exiit inter fratres, quòd discipulus ille non moritur, corrigens ait: *Et non dixit Jesus*, assertivè scilicet, *non moritur*, *sed*, conditionatè, *sic* (aliàs si) *eum volo manere donec veniam*, *quid hoc ad te.* Tertium denique impletum est in sequentibus capitibus Apocalypsis. Addo 3°. *prophetare* à multis Patribus explicari, ut sit idem ibi, quòd prædicare seu evangelizare; id autem Joannes post id tempus denuo præstitit.

Similiter quoad Ioannem evangelistam.

Cùm itaque hi duo testes *finierint testimonium suum* contra Antichristum, idem seu *bestia . . . . . faciet adversùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos*, ut dicitur *Apocal.* 11.

31. *Descriptum Apoc. 11. Henoch & Eliæ Martyrium.*

Moxque subditur: *Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, ubi & Dominus eorum crucifixus est*; scilicet *per tres dies & dimidium, & corpora eorum non sinent poni in monumentis, & inhabitantes terram gaudebunt super illos..... quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant super terram.*

Ac subsequens resuscitatio gloriosaq; in cælum ascensio.

Postea ibidem subditur eorum resuscitatio & glorificatio: *Et post dies tres & dimidium spiritus vitæ à Deo intravit in eos, & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt*, per dotem agilitatis, *in cælum in nube: & viderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus est terræ motus magnus & decima pars civitatis cecidit: & occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia, & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cæli.* De quibus præterea nil superest dicendum. Si quæ in verbis præfatis occurrerit dubitatio videri poterunt Interpretes.

Cum horribili terræ motu.

QUÆSTIO IV.

De reliquis Signis antecedentibus Iudicium universale.

32. *Iudicium antecedet Evangelii prædicatio ac successiva receptio per totum mundum,*

PRIMUM inter signa alia judicium extremum antecedentia ponitur, tum à veteribus Patribus, tum à recentioribus Doctoribus prædicatio Evangelii per totum mundum. Omnibus enim Gentibus & Nationibus successivè ac temporibus divinæ providentiæ opportunis annuntiandus est Christus, atque etiam recipiendus, eatenus saltem, quòd ubique aliquanto tempore vigebit ac prævalebit publicum fidei Christianæ exercitium: ut impleatur promissa Christo omnium Gentium hereditas *Psal. 2. Dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Psal. 71. Dominabitur à mari usque ad mare, &c. omnes Gentes servient ei. Psal. 85. Omnes Gentes quascumque feciſti venient & adorabunt coram te Domine &c.* Et *Apoc. 7.* describuntur electi ex omnibus gentibus, populis & linguis. Denique *Matth. 24.* dicitur: *Et prædicabitur Evangelium hoc in universo orbe in testimonium omnibus Gentibus; & tunc veniet consummatio.* Quod etsi *Chrysostomus*, *Theophylactus* & nonnulli alii explicent de consummatione seu destructione Jerosolymitana; tamen Patres passim & Interpretes intelligunt, saltem principaliter, simul de consummatione sæculi; de qua præcesserat interrogatio Discipulorum: *Quod signum adventûs tui, & consummationis sæculi.* Sanè ipsis temporibus Apostolorum Evangelium quidem jam tum dissem-inatum erat per plurimas mundi plagas, & radicaliter in virtute seminis per totum orbem, quem vi jacti tum seminis esset aliquando repleturum (ut indicat *August. Epist.* 80.) ob quod *ad Rom. 10.* indicatur jam tum impletum fuisse illud *Psal. 18. In omnem terram exivit sonus eorum &c.* Et *ad Coloss. 1.* dicitur Evangelium prædicari in *universa creatura, quæ sub cælo est.* Propriè tamen & in rigore id verum non erat (prout verificari debent Scripturæ prædictæ) sed quodam modo loquendi, ut præmissum est; aut per quamdam hyperbolen, prout *Actor. 2.* dicuntur tempore adventûs Spiritûs sancti fuisse *Ierosolymis habitantes viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.*

Admisso itaque hoc signo, constat necdum illud ubique satis impletum, ob varias regiones veteribus incognitas, immo etiam recentissimè inventas, in quibus Evangelium necdum est satis plantatum & radicatum. Ex illo tamen posito necdum irrefragabiliter sequeretur judicium mox posteà secuturum: posset enim quis illud ita intelligere, ut consummatio sit ventura tunc, subintelligie primùm, id est, non antè; non autem, quasi illo tempore transacto sit brevi secutura consummatio; ut observat *Aug. Epist. 78.* & post eum *Beda in cap. 24. Matth.*

33. *Quidam putarunt antichristum jam venisse.*

Edam. Posita consequentia.

instantem dicunt.

Præter hæc erunt varia signa horribiliora seu plagæ antea non visæ in cælis & elementis, quæ diem istum tremendum præ-nuntiabunt tamquam mox instantem. Sicut enim multimodæ plagæ præcesserunt deletionem Ægyptiorum in mari rubro, variaque prodigia & flagella destructionem Jerosolymitanam, vastationemque populi Judaici (cujus utriusque nationis calamitas & excidium typus est excidii mundi) sic quoque ultima tribulatio multis tribulationibus prævenietur, priusquam scilicet extrema severitas in resipiscere nolentes stringatur. Quas quidem plagas indicat Scriptura *Matth. 24. Marci 13. Lucæ 21. Apoc. 6. 8. 9. & 16.* & alibi. Eas fusè delineat *Lessius lib. 13. de perfect. divin. cap. 18.* ubi *num. 105.* contendit, & optimè à *Ribera* ostensum asserit, plagas istas horrendas, quæ in Apocalypsi referuntur, non solùm allegoricè seu mysticè, sed etiam historicè & secundùm litteram esse intelligendas. *Præterea ex Hieronymo* refert *D. Thomas quæst. 73. Supplem. art. 1. & in 4. dist. 48. quæst. 1. art. 4.* & *D. Bonav. eâdem dist. in Expos. textûs dub. 3.* quindecim extraordinaria signa antecedentia judicium. Hæc tamen (ait *D. Thomas in Supplem. sup.*) *Hieronymus non asserit, sed in Annalibus Hebræorum se ea scripta reperisse dicit; quæ etiam* (magnâ scilicet ex parte) *valde parum verisimilitudinis habent.* Undè *utrùm ita se habeant, Deus novit*, inquit, *D. Bonav. sup.*

34. *Varia signa per ipsa horribilia & ante illud præcurrentia.*

In cælis proinde *Sol obscurabitur. Matth. 24.* fiet *niger tamquam saccus cilicinus, Apocal. 6.* sive per obtectionem densissimarum nubium tenebras generantium, sive per subtractionem divini concursûs ne illuminet terram, sive per extraordinarias etiam & prodigiosas eclypses.

Luna

In Luna,

Luna non dabit lumen suum Matth. 24. ob defectum scilicet Solis, à quo lumen mutuatur. Et ut prædicitur *Apoc.* 6. *Luna tota facta est sicut sanguis.* Ita enim esse solet, cum defectu luminis solaris obscuratur.

In Stellis.

Stellæ cadent de cælo, ut dicitur *Matthæi* 24. non tantùm quatenus propter obscurationem Solis non lucentis cecidisse videbuntur; sed etiam quia verè *cadent de cælo super terram*, ut dicitur *Apoc.* 6. quatenus videlicet de suma aëris regione cadent multæ ignitæ faces aut comètæ instar stellarum, sic ut Scriptura loquatur juxta morem & apprehensionem vulgarem. Quare generaliter *virtutes cælorum commovebuntur Matth.* 24. astraque de suo solito statu deturbabuntur. Eritque obscuratio solis, lunæ, & stellarum ad tertiam partem, ut significatur *Apoc.* 8. Huc etiam facit, quòd ob hujusmodi indispositiones cæli dicuntur complicandi sicut liber involutus. De quo vide dicta *Part.* 1. *Tr.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 5.

36. In aere & ceteris Elementis.

Ad cælorum conturbationem etiam revocari potest inordinatus seu vagus & incertus illorum motus, per intervalla cessatio à motu, perturbatio aëris tanta, ut ipsi cæli commoti appareant. Itaque simili modo erunt in aëre insoliti motus & horrenda metheora: in mari similiter & aquis alteratio, infectio, horrendaque perturbatio: in terra denique præter alias plagas, horrendi terræ motus, sic ut omnis mons & insulæ de locis suis sint movendæ *Apoc.* 6. Ubi est sermo de motu antecedente regnum Antichristi. Maximus autem omnium tempore Antichristi futurus describitur *Apoc.* 16. *Facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus factus est magnus, qualis numquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terræ motus, sic magnus.*

QUÆSTIO V.

A quo, ubi, qualiter peragendum sit Iudicium universale?

37. Iudicium peragetur à Christo in divina & humana natura.

DICO I. Certum est judicium universale peragendum à Christo in humana natura, & secundùm naturam, tum divinam principaliter, tum humanam secundariò & ex commissione. Ita omnes Patres & Doctores. Et in primis quòd in humana natura sit peragendum à Christo, patet eo ipso, quòd Christus sit judicaturus vivos & mortuos, secundùm Scripturas passim & Symbola fidei; qui utique humanam naturam tunc non deponet, sed in unitate personæ conjunctam habebit. Deinde idcirco tam signanter dicitur *Dan.* 7. *Matth.* 16. & 24. Et alibi Filius hominis venturus esse in nubibus cæli ad judicandum. Idem confirmatur ex dicendis in probatione postremæ partis Conclusionis.

Ex quo præterea evidenter patet judicium hoc peragendum à Filio Dei, quatenus in loco judicii unito ipsi naturæ humanæ. Et quidem apparebit in forma corporali glorioſa, ut patet *Matth.* 24. & alibi, & signanter *Actor.* 1. ubi Angeli Apostolis intuentibus in cælum eunte seu ascendente Christo, dixerunt: *Sic veniet*, scilicet glorioſus & visibilis ad judicium, *quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Ideoque in forma glorioſa apparebit, non tantum bonis, sed etiam reprobis, ut habet communis doctrina, quam explicans *D. Bonav.* 4. *dist.* 48. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corp.* ait: *Et non erit differentia ex parte apparentis, sed ex parte respicientium: boni enim respicient glorioſam formam cum gaudio & gloria, sed mali cum confusione & pœna. Confundentur enim in aspectu ejus, & non poterunt ejus sustinere intuitum propter conscientiæ remorsum, & propter expectationem ferendæ sententiæ contra eos: è contra boni oblectabuntur.* Quare etiam videbitur à suis crucifixoribus, juxta illud *Apoc.* 1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Et *Zachar.* 12. *Aspicient ad me, quem confixerunt.* Et *Matthæi* 26. Christus Caiphæ, & Concilio Judæorum (qui erant reprobi, saltem plerique) dixit: *Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Divinitatem tamen Christi soli justi seu beati aspicient, utì est in confesso. Congruum autem erat, ut quoniam judicandi sunt boni & mali, omnes judicem suum viderent, in forma quidem servi utrique, in forma verò Dei soli boni.

38. *In quo apparebit corporaliter visibilis omnibus,*

Electis quidem ad gloriam, reprobis ad pœnam,

Secunda pars patet: quia requiritur ad judicium auctoritas seu potestas; illa autem, sive ad sententiam ferendam, sive ad executioni mandandam, tum in præmio vitæ æternæ, tum in supplicio mortis sempiternæ, principaliter & ex natura sua competit divinitati, sicut ei competit principale, absolutum & independens dominium, quod potestas judicandi consequitur. Et hac ratione convenit æqualiter toti Trinitati. Per quamdam tamen appropriationem potest tribui Filio, quatenus ei ita convenit sapientia, à qua velut propria ratione actus judicandi procedit. Nihilominus potest etiam aliâ consideratione attribui ceteris personis, quatenus scilicet ad rectum judicium præter sapientiam concurrit judicandi potestas seu auctoritas, quæ appropriatur Patri, & zelus justitiæ seu amor rectitudinis, qui appropriatur Spiritui sancto.

39. *Christus judicabit primariò secundum divinam naturam.*

Auctoritas suprema judicandi tribus communis, appropriatur quodāmodo singulis, præsertim Filio.

Tertia pars probatur ex *Ioan.* 5. ubi de Patre ait Christus: *Potestatem dedit ei*, Filio scilicet, tamquam Filio hominis, *judicium facere, quia Filius hominis est. Act.* 10. *Qui constitutus est à Deo Iudex vivorum & mortuorum. Matth.* 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Eodemque sensu de Christo etiam quà homine dicitur in Symbolo Apostolorum: *Inde venturus est judicare vivos & mor-*

40. *Secundariò & ex absoluta commissione judicabit Christus secundum humanam.*

mortuos. Usum autem hujus judiciariæ potestatis suâ morte promeruit. Et tunc quoque ei curvabitur omne genu, ut dicitur *Isaiæ* 45. & *ad Rom.* 14. sive omne genu flectetur, cælestium, terrestrium & infernorum, ut dicitur *ad Philipp.* 2.

Non tàm ministeriàliter sed auctoritativè.

Proinde in forma hominis non tantùm ministerialiter proferet sententiam, sed etiam auctoritativè, & quidem auctoritate suprema infrà divinam, utpote ab hac commissâ. Et *quia Christus est Deus & homo*, seu eadem persona, *sententia ejus non erit tamquam judicis delegati, sed tamquam principalis. Et ideo ab ea propter utramque potestatem nemo poterit appellare* inquit *D. Bonav. 4. dist. 48. art. 1. quæst. 1. in corp.*

41. *Locus judicii erit Vallis Iosaphat.*

Dico II. Locus in quo congregandi sunt reprobi est vallis Josaphat (quæ est inter montem Oliveti & Jerusalem) cum locis adjacentibus circumquaque, justis è contrà in aëre cum Christo elevatis, juxta illud *1. ad Thessal. 4. Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra.* Conclusio est communior Patrum & Doctorum. Suadetur ex *Joel. 3.* ubi constat sermonem esse de extremo judicio: *Congregabo* (inquit Propheta) *omnes gentes, & deducam illas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi.* Et infrà: *Consurgant & ascendant Gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes Gentes in circuitu.* Et rursum: *Dominus de cælo rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam.* Quàmvis autem ly *Vallis Iosaphat* interpretatum sonet vallis judicii, sicut ly *Bethlehem* domus panis; cùm tamen vallis ista determinato suo nomine exprimatur, censendum est illam fore determinatè locum judicii. Gratis præterea Nonnulli censent quidem intelligi locum determinatum, sed incognitum, qui ab effectu futuro nomen desumat: cùm enim de facto habeamus locum determinatum isto nomine insignitum, is potiùs censendus est locus judicii. Idemque satis suadet circumstantia loci: congruebat enim, ut ibi in majestate descendens & conspiciendus judicet omnes, opusque nostræ salutis completè terminet, ubi in abjectione & humilitate descendens opus salutis nostræ cœpit, & visus, reprobatus, ac judicatus est. Unde cùm inter montem Oliveti & montem Moria seu Calvariæ interjecta sit vallis Josaphat & vetus Jerusalem, hinc Christo Judice super montem Oliveti, unde ascendit, rursum descendente (super quem in aëre à Doctoribus statui solet thronus judicialis) vallis Josaphat, mons Calvariæ & Jerusalem in conspectu erunt, vallis autem gehennon (quæ est typus inferni) ad sinistram.

Suadetur ex Scriptura.

Et congruentiâ.

42. *Resurrectio fiet in procinctu judicii.*

Quocirca cùm Salvator incipiet de cælo descendere, aut descensus velut in procinctu erit, præmittet Angelos cum tuba, ut mortuos excitent & convocent ad judicium. Quâ tubâ personante, in ictu oculi tamquam à somno excitati resurgent, & comparebunt super terram, celeriterque in locum judicii transferentur, reprobis quidem in terra mansuris, justis verò in aëra obviam Christo rapiendis, seu per dotem agilitatis obviam processuris. De resurrectione verò nil superest hîc dicendum; cùm de ea pleniùs actum sit P. 2. *Tract. 1. d. 3. qu. 1. & 2.* Ubi etiam *n. 16.* de hora, quâ futurum videatur judicium, egimus.

De qua missa.

43. *Christus judicium veniet cum maxima gloria.*

Dico III. Christus Dominus tamquam Judex descendet cum maxima gloria & majestate. Patet ex Scriptura: *Matth. 24. Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & majestate.* Item *cap. 25. Marci 13. Lucæ 21.* & alibi.

Cum signo crucis cælo ipsum circumdante.

Ad Judicis porrò majestatem facit Primò, quòd *tunc parebit signum Filii hominis, Matth. 24.* Intellige cum Patribus & Doctoribus communiter, signum crucis. Secundùm quod canit Ecclesia: *Hoc signum crucis apparebit in cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit.* Proinde rejicienda est singularis & ficta expositio *Calvini*, per hoc signum intelligentis ipsum Filium hominis. Quæ insuper indè refutatur, quòd juxta communem conceptum per signum alicujus personæ intelligatur quid ab ea distinctum.

Et nubibus formandam, eoque distans.

An autem ipsa Crux individua, in qua Christus pependit, instar solis fulgida, sit apparitura, ac deinceps in cælo æternùm servanda, non ita exploratum est. Quàmvis enim id Quidam senserint, solâ tamen nituntur conjecturâ. Expeditius verò est, quod Alii censent, ex aëre scilicet vel nubibus formandam ingentem quamdam & lucidam (immo solè fulgentiorem, ut Quidam Patres loquuntur) crucis figuram, quæ à cunctis conspici longissimè possit. Cui consonat, quod Ecclesia canit fore in cælo *signum crucis.* Ipsum verò vel instar labari seu vexilli deferetur ab Angelis ante faciem regis & judicis, vel certo loco fixum apparebit instar signi Judicis jam jam adfuturi. Et *tunc plangent omnes tribus terræ*, ait Christus *Matth. 24.* scilicet impii. Justi enim sine pavore & fletu læti Judicem expectabunt, utpotè de sententia securi, & jam actu beati.

44. *Cum majori fulgore quàm corpora.*

Secundo ad majestatem Judicis facit claritas seu gloria corporis supra solis fulgorem splendidi; longè ampliùs quàm ceterorum justorum, qui sicut sol fulgebunt. Cujus quidem gloriæ specimen exhibuit in transfiguratione, in qua resplenduit facies ejus sicut sol.

Scripturæ communiter Angelorum.

Tertiò augebit majestatem comitatus omnium Angelorum sanctorum. Juxta illud *Matth. 25. Cùm venerit Filius hominis in majestate* (græcè est, gloriâ) *suâ, & omnes Angeli cum eo*, constituentes exercitum innumerabilem optimè ordinatum; & quidem in corporibus splendidis assumptis juxta *Lessium lib. 13. de Perfect. divin. n. 132.* & alios, eò quòd judicium sive tragedia fiet sensibili modo, atque ut hoc cedat ad incredibile

Forma corporum splendidorum apparens.

aug-

augmentum extrinsecæ majestatis seu gloriæ, alioquin non conspiciendæ ab impiis, quorum causâ præcipuè exhibebitur. Angelis accedet in aëre ad dexteram Judicis (sive propriè dictam, sive per illam intelligendo cum Variis locum honoris & felicitatis) innumerabilis electorum caterva cum corporibus gloriosis. Tunc stabunt justi in magna constantia, impii verò in terra depressi ad sinistram judicis propriè dictam, vel circumquaque diffusi, per sinistram intelligendo locum indignitatem & miserorum turbabuntur timore horribili dicentes: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum &c. Ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei &c. Sap.* 5. Quibus etiam aderit immensa multitudo cunctorum dæmonum; quos in corporibus apparituros ad confusionem impiorum (à quibus aliàs non viderentur) & gloriam Christi in judicio sensibili, putat *Lessius sup. n.*134 valde credibile.

Quibus accedent in aëre omnes electi cum gloriosis corporibus.

45. *Sedebit judicaturus in throno ex nubibus formando Angelorum ministerio.*

Quartò veniet cinctus nubibus, ut habetur *Dan.* 7. *Matth.* 24. & alibi sæpè. Ex quibus etiam thronus augustissimus ministerio Angelorum componetur (uti & olim majestatem suam Deus per nubem declarare solebat, & in nube cælum Christus ascenderat) super quem judicaturus appareat in forma sedentis, more judicum. Unde dicitur *Matth.* 25 *Tunc sedebit super sedem majestatis suæ*; græcè est, super thronum gloriæ suæ. Et *Dan.* 7. *Aspiciebam donec throni positi sunt*, scilicet ad sedendum pro tribunali, unus scilicet pro Deo trino invisibiliter judicante, seu *antiquo dierum*, alter pro *Filio hominis* visibiliter judicante.

46. *Ad majestatem judicis quoque spectat universalitas judicandorum, Etiam parvulorum.*

Quintò ad majestatem Judicis faciet universalitas judicandorum, omnis scilicet creaturæ rationalis. Nam quantùm spectat ad homines, sunt sententiæ generales *ad Rom.* 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Et alibi sæpè. Quò etiam facit, quòd generaliter dicitur Christus judicaturus vivos & mortuos. Quare omnes parvuli in originali decedentes, juxta Doctores communiter contra *Durandum*, erunt tunc (uti modò post mortem singuli judicantur) judicandi seu condemnandi: *Sicut per unius* Adæ *delictum judicium* seu reatus pertransiit *in omnes homines*, etiam in istos parvulos, *in condemnationem* juxta Apostolum *ad Rom.* 5. Quemadmodum è contrà indubiè quoque judicio universali assistent parvuli cum solo baptismo salvati. Utrumque enim exigit universalitas judicii, & gloria Christi omnium capitis. Idem est de infidelibus. Ad quod præterea facit illud *Marci ult. Qui non crediderit, condemnabitur.* Et 1. *ad Cor.* 5. de iisdem dicitur: *Eos qui foris sunt, Deus judicabit.*

Et infidelium.

47. *Quo sensu fideles dicantur non judicari, & infideles jā judicati.*

Nec refert, quod *Joan.* 3. dicitur: *Qui credit in eum non judicatur; qui autem non credit jam judicatus est.* Nam constat esse ibi sermonem de judicio condemnationis, de quo *cap.* 5. dicitur: *Qui mala egerunt, in resurrectionem judicii*; supple, *procedent.* Quare sensus est: qui credit in Christum, fide vivâ scilicet & perseveranti, non condemnatur; qui autem non credit, id est, credere noluerit (agitur enim de infidelitate positiva, ut notat *Ejius ibidem*, & significatur tùm per causam subjectam: *quia non credidit &c.* tum per id quod dicitur in fine capitis: *Qui autem incredulus est &c.* quàmvis alioquin sententia generaliùs de omnibus omnino etiâ infidelitate negativâ laborātibus intellecta sit vera ratione iræ & damnationis ob peccatum originale) jam evidens est ejus damnatio, eamque quodammodo secum adfert, veluti rejiciens salutis fundamentum quod est fides, *quia* nimirùm *non credidit in nomine Unigeniti Filii Dei.* Sicut *ad Titum* 3. de Hæretico dicitur, quod sit proprio judicio condemnatus, ut nempè non sit ratio de causa damnationis illius disceptandi. *judicati.* Ioan 3.

Quantùm ad Angelos, etiam est recepta satis Doctorum sententia satis expresè tradita ab *Augustino* 21. *de Civit. cap.* 23. eò quòd similiter id spectet ad publicam gloriam divinæ justitiæ; item ad gloriam Christi capitis omnium etiam Angelorum; ex quibus & hominibus adunatur Ecclesia triumphans. Serviet id ipsum ad gloriam bonorum tum Angelorum tum hominum, & ad confusionem malorum angelorum; quorum pœna accidentaliter, uti bonorum præmium, crescet. Tunc enim recludentur omnes pro semper inferno, ablatâ facultate nocendi electis, & potentiâ honores sibi arrogandi divinos, eruntque exponendi publicæ ignominiæ coram universis. Denique idem satis indicat Scriptura 1. *ad Cor.* 6. *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus?* Quod specialiter de angelis apostatis in die judicii per Christum & Sanctos judicandis intelligunt Patres, *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Theodoretus*, *Theophilactus* & alii. Iidem dicuntur in judicium magnæ diei reservari *in Epist. Judæ.* Simile quid habetur de iis 2. *Petri* 2. Quare tunc perfectè implebitur, quod *ad Colos.* 2. de Christo dicitur: *Palam triumphans illos* (dæmones) *in semetipso*, prout victores solent in triumphò ducere & ostentare potiores captivos. 48. *Etiam Angeli erunt tunc judicandi.*

Sextò denique ad Judicis majestatem spectat judicandorum qualitas, quòd scilicet sint omnes proprii servi & subjecti ipsius Judicis, qui proinde de servis suis judicabit: Christus enim est Dominus & judex omnium; quatenus Deus quidem, ratione creationis, conservationis & ultimi finis. Quatenus homo verò ratione Unionis hypostaticæ, & meriti, quo sibi hanc excellentiæ potestatem ejusve usum comparavit. Accedit in hominibus titulus redemptionis, quatenus eos captivos & perditos redemit & salvabit. *Denique ad gloriam judicis pertinet qualitas judicandorum.*

Dico IV. Judice dein sedente pro tribunali sequetur discussio judicandorum in hoc consistens, quòd omnia omnium & singu- 49. *Discussio fiet judicandorum.*

quâ singulis patebunt facta propria & aliena omnia.

singulorum opera, sive cogitata, dicta & factâ, præmio vel pœnâ in foro Dei digna, quæque adeò sunt materia judicii, usque ad verbum otiosum & potum aquæ datum sitienti, manifesta fient & publicè coram omnibus detegentur, non per externa signa aut locutionem (nam id requireret longam valde temporis moram) sed per spiritualem illustrationem, Deo per omnipotentiam suam in memoriam revocante omnia singulorum facta, nec non notitiam præbente apertam omnium à quovis alio patratorum, ac si perpetrari ea vidissent & haberent ea in recenti memoria; idque cum æstimatione singulorum secundùm justitiæ normam; ut scilicet omnes & singuli de quibuslibet intelligant, quid boni, quidve mali gesserint, adeòque æquitatem sententiæ mox secuturæ. Ita communiter Patres & Theologi. Patet ex Scriptura. *Dan. 7. Judicium sedit, & libri aperti sunt*; id est, conscientiæ, & opera singulorum omnibus revelabuntur, ut explicat *Hieronymus ibidem. Apoc. 20. Libri aperti sunt &c. Matth. 10. Nihil opertum, quod non revelabitur, & occultum quod non sciatur.* Et 1. *ad Cor. 4. Nolite ante tempus judicare*, de occultis scilicet, *quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum*, seu latentia velut in tenebris & occulto, *& manifestabit consilia cordium*, quæ tunc erunt conspicua. Ratio est: quia hoc est veluti debitum ad finem publici & generalis judicii, ut scilicet singulis innotescat æquitas judicii, adeoque misericordia & veritas seu justitia Dei. Quemadmodum etiam in publico judicio humano solent proponi publicè coram judice & adstantibus facta eorum. Unde idem postulante fine & perfectione judicii singulis innotescet singulorum præmium & pœna, quò scilicet perfectè possint & debeant, etiam reprobi vel inviti probare judicii æquitatem.

Cum æstimatione singulorum juxta normam justitiæ.

5°. *Etiam peccata Sanctorum per pœnitentiam remissa.*

Ex his colligitur cum Doctoribus communiùs etiam manifestanda peccata Sanctorum per pœnitentiam deleta (idem è contrario est de operibus bonis reproborum per peccatum mortificatis) nam *cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium, sive bonum sit, sive malum; Eccle. ult.* Similiter aliæ locutiones Scripturæ & Patrum sunt generales; neque est ratio excipiendi. Id enim non cedet Sanctis ad confusionem, sed ad gloriam & gratiarum actionem. Unde etiam nunc sanctissima Magdalena sine confusione, sed cum gloria vocatur peccatrix, subintellige, conversa. Spectat deinde ad gloriam Christi & finem judicii, ut declaretur, quæ iam peccata sint in iis per suam gratiam deleta; declaratisque satisfactionibus & pœnitentiis, æquitas sententiæ pateat, ad confusionem reproborum, qui pœnitentiam agere neglexerunt.

51. *Nullus ibi*

Colligitur II. nullos ibi fore accusatores propriè aut testes, nullos patronos, nullam judicis cum reis disceptationem. Sed singulorum conscientiæ sine voce externa manifestè accusabunt singulos, & testimonium præbebunt, tum causis seu factis, tum dignitati præmii vel pœnæ absque aliqua tergiversatione, aut spe remissionis pœnarum, cujus tunc non erit locus vel tempus; perinde ac si accusatores, testes, patroni, disceptationes in plenissima forma interessent. Unde *ad Rom. 2.* tradit Apostolus, quòd ipsa singulorum conscientiæ, testis omni exceptione major, quemlibet accusabit aut defendet, ac mox convincet in die judicii; *Testimonium* (inquit) *reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm judicabit Deus occulta hominum.*

DICO V. Factâ manifestatione operum succedet sententia Judicis, afficiens singulos, & singulis intellectualiter intimanda, quoad gradum, qualitatem seu intensionem, proportionatè ad merita vel demerita, in plerisque valde disparia. Eritque insuper duplex sententia generalis: prima pro electis, *Venite benedicti &c.* Secunda aspera pro reprobis: *Ite maledicti in ignem æternum*, quâ hos omnes damnabit ad æternum exilium à regno, & perpetuos carceres ac cruciatus; salvo quoad pœnam sensûs dubio de parvulis solo originali infectis, juxta dicta P. 2. Tr. 2. disp. 6. q. 6. Patet ex *Matth. 25.*

Sententiam porrò generalem ferendam esse voce sensibili, verius est, attentâ qualitate judicii, quod erit externum & sensibile, item judicandorum, qui erunt homines; aliisque circumstantiis judicii sive antecedentibus, sive concomitantibus, quæ quasi omnes, quantùm congruè fieri potest, erunt sensibiles. Nec aliquod est in hac parte inconveniens, ob quod non fiat sensibiliter.

An verò similiter inter prolationem sententiæ miscebitur sensibilis laudatio Electorum per judicem, quæ habetur *Matth. 25.* scilicet: *Esurivi, & dedistis mihi manducare &c.* vel contraria (quæ ibid. refertur) correptio reproborum: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare &c.* magis incertum est. Affirmant Plures, negant Alii. Id quidem credo, non fore laudem aut vituperium enuntiandum istis in specie verbis seu sententiis, quæ neque continent præcipua opera præmio vel pœnâ digna, neque etiam in omnibus locum habebunt, sed ad complementum parabolæ à Christo in Evangelio loquente ad Fideles (quibus opera misericordiæ erant inculcanda) sunt adjecta: satis tamen credibile est, sententiæ sensibili præmittendam vel addendam generalem laudationem ac vituperationem, sive causam ipsius sententiæ etiam sensibiliter; quamquam de hoc nil certi possit statui.

DICO VI. Cum Christo judicabunt quodammodo Apostoli, & eorum perfecti imitatores. Patet ex *Matth. 19. Vos, qui secuti estis*

bunt Apostoli & viri miris in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super Apostolici; sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israël.

ti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israël. Ubi hæc prærogativa cujusdam judiciariæ potestatis tribuitur in primis Apostolis; non tamen solis, cùm per sedes duodecim significetur universitas judicantium, uti per duodecim tribus Israël universitas judicandorum, ut docet *Augustinus, Beda* & alii Patres. Aliàs enim neque Barnabas neque Paulus haberet istam prærogativam; quod est absurdum. Deinde *Apoc.* 4. fit mentio seniorum & sedilium seu thronorum viginti quatuor. Ubi similiter numerus quidam universalis designatur; à quo non excluduntur quatuor animalia visa in circuitu sedis, seu quatuor Evangelistæ specialiter exhibiti extra istum numerum ob specialem quamdam inter seniores dignitatem. Quare hanc prærogativam specialem tribuunt SS. Patres & Doctores excellentioribus Sanctis, qui veluti primores regni Christo proximi considebunt in thronis veluti judices quidam assessores; *quam* (inquit *D. Bonav.* 4. *d.* 47. *a.* 1. *qu.* 1. *in corp.*) *possumus appellare juxta verbum Domini honorabilem confessionem.* Quas verò partes sive in sententiæ intimatione, sive in causæ declaratione, sive aliter sint habituri, conjecturæ locus esto.

Velut quidam judices assessores,

55. Et quodam sensu omnes electi.

Adde omnibus electis quodam sensu competiturum judicandi officium, juxta illud 1. *ad Cor.* 6 *Si in vobis*, id est, per vos *judicabitur mundus* totus, *indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam Angelos judicabimus?* Et *Sap.* 3. *Judicabunt nationes & dominabuntur populis.* Idque non tantùm impropriè seu per quamdam comparationem: quo modo etiam Regina Austri, & viri Ninivitæ surgent in judicio, & condemnabunt generationem seu gentem Judæorum *Matth.* 12. per hoc scilicet, quòd hi illorum comparatione meritò damnabuntur: sed partim approbando sententiam judicis, partim laudando justos & damnando malos tum homines tum dæmones, atque exprobando eis suam vilitatem & malitiam, quod præsertim superbissimis illis spiritibus erit pœna molestissima. Signanter boni Angeli & prædicatores atque animarum curatores accusabunt sive exprobrabunt malitiam & pertinaciam eorum, qui bonis inspirationibus, & monitionibus fidem seu aurem præbere noluerunt.

56. Sententia executio describitur.

Dico VII. Sententiam judicialem, utpote efficacissimam, mox sequetur executio; adeoque *ibunt hi* impii *in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam Matth.* 25. Itaque accepto ultimo ac tremendo vale pro tota æternitate à Judice irato, cujus vultum ferre nequibunt, mox sese terra maximo hiatu aperiet usque ad inferos, illucque spectante electorum cœtu tota illa innumerabilium hominum damnatorum colluvies cum dæmonibus præcipitabitur cum miserandis ejulatibus, & immenso fragore terræ dissultantis. Quo quidem quàm citissimè divinâ virtute pervenient, & mox atque ad terminum peruenerint, terra sese firmissimè claudet, & in omnem æternitatem clausa manebit, sic ut nullus damnatorum hominum vel dæmonum possit umquam exire vel ad superiora emergere. Quæ autem sint ibi supplicia, quanta confusio, & nullus ordo in terra ista miseriæ, ubi sempiternus horror inhabitat, colligi potest perspeciem quamdam ex dictis de inferno *P.* 2. *Tr.* 1. *disp.* 4. *qu.* 5. Justi denique cum Christo Judice ibunt glorioси in cælum possessuri æternum illud regnum ac gloriam, de cujus immensitate quædam libavimus *P.* 1. in materia de visione beatifica, & plura *P.* 2. *in Tract. de Beatitudine*: quæ tamen ipsa pauciſſima & quasi umbratica solùm sunt, si consideremus gloriam ipsam, prout in se est: ad quam nos benignissimus Salvator perducat.

QUÆSTIO VI.

De Conflagratione & Innovatione Mundi.

IN fine sæculorum excitandum esse à Deo ignem universalem, quo mundus inferior conflagrabit, sicque purgabitur & innovabitur. Est certa Patrum & Theologorum doctrina, estque apud omnes Fideles persuasissimum, quod mundus finaliter peribit incendio, qui olim diluvio. Unde etiam in publicis Ecclesiæ precibus sæpè repetitur: *Qui venturus est judicare sæculum per ignem.* Immo ipsa quoque Scriptura apertè id expressit 2. *Petri* 3. & alibi. 57. *Mundus in fine conflagrabit.*

Sed difficultas in primis est, an ignis ille conflagrationis præcessurus sit judicium, an verò secuturus. *S. Aug.* 20. *de Civit. cap.* 30. secuturum putat. Quod etiam sentit *Suarez Tom.* 2. *in* 3. *Part. disp.* 57. *sect.* 1. & Nonnulli alii. Sed communior sententia Doctorum præcessurum censet. Quod non obscurè elicitur ex *Psal.* 96. ubi est sermo ad litteram de futuro judicio: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus &c.* Et *Isaiæ* 66. *Ecce Dominus in igne veniet &c.* Et 1. *ad Cor.* 3. docet Apostolus uniuscujusque opus manifestum fore & per diem Domini (quo phrasi Scripturæ usitatâ intelligitur dies judicii) declarandum quale fuerit, *quia in igne*, scilicet conflagrationis, *revelabitur.* Tunc itaque *uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*; quo nempe homines tunc adhuc superstites examinabuntur seu probabuntur, & qui aliquid purgandum habuerint, purgabuntur, dein salvandi, juxta id quod sequitur: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ita hunc locum explicat *Estius ibidem* videndus, *A Lapide, Lessius lib.* 13. *de perfect. divin. num.* 113. & alii passim. 58. *Ignis conflagrationis præcedet judicium.*

Varii

59. *Impios affliget, purgabit electos, atque omnes interimet.*

Varii porro sunt effectus hujus conflagrationis. Nam in primis purgabit cum proportione justos purgatione indigentes, inflammabit & affliget impios, omnes autem tunc adhuc superstites verosimiliùs interimet. Putant vero varii Patres, signanter *Ambrosius* & *Lactantius* apud *Estium in 2. Petri 3.* (qui idem quoque censet cum plurimis aliis) ignem istum non afflicturum justos purgatione non indigentes, utì non afflixit tres pueros in fornace Babylonica. Quod tamen velut haud satìs fundatum Varii non recipiunt: cùm alioquin id foret contra activitatem ignis naturalem, & afflictiva mors rectè acceptanda posset justis cedere ad augmentum meriti, nec aliàs igne secluso morerentur quantumlibet sancti sine doloribus & pœnalitate afflictivâ. Fortè non incongruè dici posset, ignem istum afflicturum etiam perfectè sanctos, quantùm affligeret mors aliàs naturaliter obeunda, sicut etiam purgatione indigentes inæqualiter pro qualitate culparum tamquam divinæ justitiæ instrumentum affliget. Verumtamen ex conjecturis solùm procedi hic potest.

60. *Destruet omnia mixta, purgabit elementa.*

Denique idem ignis mundum inferiorem peccatis quodammodo infectum purgabit; destruetque omnia corpora mixta, scilicet animantia terræ, volucres cæli, pisces maris, plantas, inanimata, etiam mineralia in visceribus terræ, adeoque montium fundamenta comburet; & quidquid in iis purgandum est, purgabit. Unde etiam omnia ædificia, oppida & cetera artefacta destruet. Aërem quoque ipsum, quousque scilicet vaporibus & fecibus infectus est, seu quousque purgatione indiget, pervagabit. Patet ex 2. *Petri* 3. ubì cæli, scilicet aërii, & terra dicuntur *igni reservati in diem judicii*. Et infrà: *In quo cæli magno impetu transient* instar procellæ, *elementa verò* crassiora, terra scilicet & aqua, *calore solventur. Terra autem & quæ in ipsa sunt opera*, scilicet corpora mixta & artefacta, aut (ut *Estius* putat) opera peccaminosa *exurentur*. Ratio est: quia cùm mixta sint ad usum hominis, hoc fine cessante, convenit ipsa cessare; quæ alioquin sunt continuæ vicissitudini obnoxia, secùs quàm elementa seu corpora simplicia.

61. *Non tamen attinget sidera,*

Satìs tamen constat ex communi sententia Patrum & Doctorum solum hunc mundum inferiorem arsurum; non autem cælos sidereos, utpote non subjectos impuritatibus & vicissitudinariæ generationi & corruptioni, adeoque purgatione non indigentes. Et consonat illud 2. *Petri* 3. *Cæli autem qui nunc sunt & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii*. Ubì per cælos (quæ vox in Hebræo caret singulari) intelligi aëris loca & regiones, docent Interpretes, & patet ex contextu, cùm de iisdem cælis immediatè præmittatur: *Per quæ ille tunc mundus aquâ inundatus periit*; qui utique non periit per cælos sidereos, sed per pluvias ex aëre subministratas, & aquas è visceribus terræ prorumpentes. Proinde sacri Doctores consequenter existimant ignem ascensurum tam altè, vel (ut *D. Bonaventura 4. d. 47. a. 2. q. 3. in corp.*) paulò altiùs, quàm ascenderit diluvium, ad cujus instar succedet purgatio ignea.

62. *Minus certum an saltem quoad quos effectum, an secuturus judicium.*

Minus autem exploratum est, an ignis conflagrationis præcedet judicium quoad omnes suos effectus, & ut homines sint resurrecturi ad vitam immortalem in mundo jam innovato, ut plures censent & loquuntur: an potiùs sit præcessurus judicium quoad interremptionem viventium & aliorum super terram, ac purgationem justorum, quoad perfectam verò expurgationem & innovationem mundi sublunaris sit secuturus, sive idem ignis adhuc perseverans, sive noviter excitandus, qui celerrimè perficiat hanc rem, simulque impios involvat in tartara, ut censet *D. Bonaventura sup. a. 2. q. 4.* Saltem non fore completam hujus mundi innovationem ante judicium vel inde colligitur, quòd deinde terra erit perfectè sphærica, aquis undique tecta, juxta situm earumdem connaturalem, id autem non erit, nisi post judicium.

63. *Mundi mutationem etiam quoad cælos prædicant.*

Conflagrationem itaque consequetur cæli & terræ innovatio. Cujus quidem meminit Scriptura *Isaiæ 65. Ecce ego creo cælos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor*, tantæ scilicet erunt præ prioribus pulchritudinis. Et *Apoc. 21. Vidi cælum novum & terram novam: primum enim cælum & prima terra abiit &c.* Et infrà: *Ecce nova facio omnia*. Et *ad Rom. 8. Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat*, seu anxiè illam desiderat omnis creatura etiam inanimata, quam Apostolus inducit per prosopopeiam instar alicujus personæ; nimirum quia nunc *vanitati subjecta est* seu mutabilitati, ex ordinatione Dei sub spe commutationis in melius, *quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*, seu ab ista mutabilitate & defectione, quando advenerit libertas gloriæ filiorum Dei. *Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit & parturit usque adhuc*; id est, scimus enim omnia creata velut nobiscum sub pondere servitutis gemere, & requiem & innovationem in istatum meliorem expectare. Ita explicat *Tirinus, Titelmannus, Sasbouth, Estius* & alii passim.

64. *Non per substantialem mutationem, sed per accidentalem cælorum.*

Innovatio equidem hæc non erit per substantialem cælorum, astrorum & elementorum mutationem, sed per accidentalem eorumdem meliorationem, ut habet communis quasi Scholasticorum sententia post *Hieronymum, Augustinum* & alios Patres Latinos. Nam (ut *Aug. 20. de Civit. c. 14.*) *mutatione rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus. Unde & Apostolus ait: Præterit enim figura hujus mundi. Figura ergo præterit, non natura*. Et (ut *Hieronymus in c. 65. Isaiæ*) *novos cælos,*

cælos, & novam terram videbimus. Non dixit Petrus, Alios cælos & aliam terram videbimus, sed veteres & antiquos in melius commutatos. Quod namque veterascens innovatur, non perit substantialiter. Unde quod de cælis dicitur Ps. 101. *Ipsi peribunt*: intellige secundùm externam speciem; ut colligitur ex iis quæ sequuntur: *sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur*; vestis autem seu opertorium dum invertitur, non mutatur substantiâ, sed specie externâ. Similiter modo intelligitur illud *Matth.* 24. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Nisi malis subintelligere, potiùs seu faciliùs, q. d. potiùs id fieret, quod numquam fiet, quàm verba Dei præterirent. Et sic concordatur Scriptura alteri *Ps.* 148. *Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit.* Deinde eamdem innovationem Scriptura alibi specificans, solius accidentalis mutationis meminit, ut ex loco *Isaiæ* 30. mox referendo patebit.

65. Itaque consistet innovatio mundi in mutatione statûs & qualitatum, uti & consistet innovatio ipsius humani corporis resurgentis, sic ut alia facies cæli & terræ appareat. Nam primò cessabit motus cælorum juxta Doctores communiter. Quo sensu multi Interpretes ad litteram intelligunt illud *Apoc.* 10. *Tempus non erit amplius*: Quàmvis Quidam id referant ad tempus operandi meritorie. Quod equidem consistit cum altera expositione: nam dum tempus seu vicissitudinarius motus cælorum cessabit, etiam cessabit tempus bene operandi. Ad præsens quoque intentum passim explicatur illud *Isaiæ* 60. *Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur.* Et quàmvis intelligeretur de sole & luna spirituali, ipsâ scilicet divinitate ejusque visione, quæ perpetua erit sine occasu vel imminutione: tamen simul fit allusio ad Solem & Lunam materialem, qui post diem judicii stabiliter in eadem constitutione permanebunt; Solè videlicet unùm hemisphærium, Lunâ plenâ atque perfectâ, soliquè oppositâ alterum hemisphærium illuminante. Ratio est: quia tunc cessabit finis motus; qui est deservire hominibus, quotidianæque generationi & corruptioni. Neque erit quies ista cælis violenta: cùm ex natura sua non petant moveri, præsertim sine alia utilitate. Immo communi sententiâ cæli moventur per Angelos; qui cur per totam æternitatem absque alia utilitate occuparentur continuo eorumdem motu causando? Tunc igitur cessabit vicissitudo diei ac noctis, hiemis & æstatis, frigoris & æstûs, ortûs & interitûs, eritque semper eadem cæli & terræ facies, eadem serenitas & pulchritudo; conformiter ad stabilitatem ipsius æternitatis.

Post judicium cessabit motus cælorum.

Erit ea-dem perpetuò cæli & terræ facies.

Præterea astra singula erunt multò lucidiora secundùm proportionem convenientissimam Deo cognitam; juxta illud *Isaiæ* 30. *Erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis septempliciter, sicut lux septem dierum*, in unum scilicet collecta, adeoque erit septuplùm seu plurimùm aucta. Quare ex hac mirificâ illustratione orbes cælestes, ipsaque elementa aliam speciem induent. Stellæque simul collustrantes videri poterunt; quarum lumen nunc solis luce offuscatur, non quidem in se, sed solùm imbecilli nostro aspectui, tunc validè roborando. Astra tamen quæ nunc lucem à sole mutuantur, etiam tunc mutuabuntur, signanter luna, etsi juxta proportionem lucis solaris ampliorem lucem participatura. 66. *Astrorum lux seu splendor erit augendus.*

Elementorum denique innovatio consistet in ablatione omnis qualitatis peregrinæ, ordinato singulorum situ, sic terra depurata, & in corpus perfectè sphericum redacta, locum infimum sit obtentura, & juxta alios instar auri fulgida, vel instar vitri pellucida usque ad aliquam profunditatem; aqua terram sit tectura, limpida instar purissimi chrystalli; aër consequenter pellucidus aquam circumdaturus sit. 67. *Elementorum innovatio declaratur.*

Quod autem *S. Beda* existimavit aquam post judicium non remansuram, sed substantialiter corrumpendam per ignem, caret fundamento, & repugnat communi sensui Doctorum.

Nec obstat, quòd *Apoc.* 21. dicatur: *Et mare jam non est.* Nam intelligendo id ad litteram, uti debet, conformiter ad præcedentia litteraliter intelligenda (etsi *S. Augustinus* dubitaverit, an intelligeretur ibi per mare sæculum hoc amarum & turbulentum) facilè intelligitur, quòd non tunc sit secundùm externam faciem, uti cælum & terra, quæ dicuntur ibidem abiisse. Quòd si etiam contendatur aliquid amplius & speciale isto loquendi modo indicari de destructione maris, adhuc facilè respondetur, quòd mare simpliciter non manebit sub ratione maris, tum quia congregationes aquarum in unum alveum separatarum à terra (quæ post judicium rursus terram tegent) Deus vocavit maria; tum quia mare significat propriè congregationem aquarum salsarum, æstui procellisque obnoxiatum, vaporibus quoque & impuritatibus impletarum. Proinde recedent vetera, ablatâ ab iis vetustate, non naturâ; novaque & meliora erunt omnia. Cujus novitatis nos faciat esse participes Jesus Christus Dominus noster. 68. *Quo sensu Apoc. 21. dicatur mare tunc non futurum.*

TRACTATUS II.

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI, AC DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE IN PARTICULARI.

PRÆFATIO.

EXPLICATA *Christi vitâ, & ex parte œconomiâ, sequitur adhuc explicanda non modica ejusdem œconomiæ pars, videlicet institutio & natura septem Sacramentorum novæ Legis. Quæ sunt septem illa columnæ, quas excidit Patris Sapientia Christus ad fundandam super illas Ecclesiæ suæ immobilem structuram. Eadem sunt uberrimi fontes, per quos divina gratia in nos derivatur, juxta illud* Isaiæ 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; *sanctis nimirum Sacramentis, quæ sunt fontes Jesu, qui in Evangelio clamabat:* Qui sitit, veniat ad me, & bibat, & per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur, *ut ait* Trid. sess. 7. in Proœmio. *Hæc denique sunt illa fortissima vincula, quibus Deus societatem novi populi colligavit. De quibus plurima sunt pertractanda, hoc præsertim tempore, quo vincula ista disrumpentes Sectarii recentiores, variis & invicem repugnantibus erroribus etiam dissecti, societatem populi Christiani multis in locis fœdissimo schismate & hæresi dissolvere, ac tunicam inconsutilem Christi lacerare non cessant; id operante humani generis inimico, ut fontes illos salutares & pharmaca illa cælestia sanguine Christi quodammodo confecta Christianis eriperet. Quare hanc ipsam materiam*

Tracta-

Tractatu non unico, ne nimium excrescat, sed pluribus explicabimus; & in præsenti quidem illa, quæ tum Sacramenta omnia genericè spectata, tum quæ Sacramentis novæ Legis in communi, vel saltem pluribus conveniunt, nec non ea, quæ in speciali pertinent ad Sacramentum Baptismi, quod est caterorum janua, & Sacramentum Confirmationis, quod est Baptismi velut complementum seu consummatio.

DISPUTATIO PRIMA.

De Definitione Sacramenti, & Differentiâ Sacramentorum.

QUÆSTIO I.

De Nomine Sacramenti.

1. *Sacramentum à sacro derivatum.*

NOMEN Sacramenti à sacro derivatum juxta diversas ad rem sacram habitudines diversas sortitur significationes. Nam primò antiquitùs, teste *Varrone l. 4. De Lingua Latina prope finem*, sumebatur pro pignore seu pecuniâ à litigantibus deponi solitâ apud Gentilium pontifices, eâ conditione, ut pecunia illius qui causâ caderet, divino cultui seu ærario cederet, in pœnam injustæ litigationis, victor verò suam reciperet.

Antiquitùs apud profanos Scriptores sumebatur pro certo pignore à litigantibus deposito.

Secundò etiam juramenta, eò quòd fiant per res sacras, vel ipsa tamquam sacra inviolabiliter servari debeant, dicuntur sacramenta. Qui nominis usus etiam in Jure invaluit, ut patet ex *L. Sacramenta puberum C. Si adversùs venditionem*, & *Can. Si publicis*, & *Can. Qui Sacramento* 22. q. 4. Similiter *Tertullianus lib. ad Martyres c.* 3. sponsionem factam in baptismo vocat sacramentum.

In jure sumitur interdum pro juramento.

2. *In Scriptura frequenter pro re sacra occulta, Græcè mysterio.*

Tertiò frequenter in Scripturâ usurpatur pro re occulta, ut sacramentum sit quasi sacrum secretum, quod Græcè dicitur mysterium, ut *Sap.* 2. *Nescierunt sacramenta Dei. Ad Ephes.* 1. *Ut notum faceret sacramentum voluntatis.* & alibi. Quibus locis in Græco correspondet vox mysterium: quæ etiam à latino Interprete subinde est retenta, ut *Matth.* 13. 1. *ad Cor.* 13. & alibi. Et utraque vox est posita ad *Ephes.* 3. ubi ait Apostolus: *Notum mihi factum est sacramentum..... prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio.* Subinde tamen vox sacramentum vel mysterium sumitur pro secreto, etsi non sacro, ut pro occulta quadam & notabili malitiâ, 2. *ad Thess.* 2. *Mysterium jam operatur iniquitatis. Apoc.* 17. *Sacramentum mulieris & bestiæ.* Vel per quamdam analogiam pro secretis Regum & amicorum; ut *Tobiæ* 12. *Sacramentum regis abscondere bonum est.* Et *Proverb.* 20. *Ei qui revelat mysteria &c.*

Interdum etiam pro secreto non sacro:

Hinc ulteriùs factum est, ut non tantùm res sacræ & secretæ, sed etiam illarum signa subinde à Scriptura & Patribus dicantur sacramenta. Sic *ad Ephes.* 5. conjugium dicitur *sacramentum magnum*, eò quòd significaret conjunctionem Christi cum Ecclesia. Et eodem sensu *Apoc.* 1. agitur de sacramento septem stellarum. Patres vide apud *Suarez in præfatione.* Inter quos *Augustinus l. 4. de Symbolo ad Catechumenos*, nomine Sacramenti appellat exorcismos, insufflationes & reliquas ceremonias, quas nos Sacramentalia appellamus.

3. *Interdum etiam pro signo rei sacræ & secretæ.*

Ex dictis patet, quàm falsò *Lutherus l. de Captivit. Babylonica c. de matrimonio* scripserit: *Non habet universa Scriptura sancta hoc nomen, Sacramentum, in ea significatione, quâ nostri usus, sed in contrariâ. Vbique enim significat, non signum rei sacræ, sed rem sacram, secretam & abditam.* Quamvis idem postea in aliis libris nomen Sacramenti in hac significatione mordicus defendat contra *Carolstadium* & *Zwinglium.*

Vnde refellitur calumnia Lutheri.

Denique communi usu Ecclesiæ, Patrum & omnium posteriorum Doctorum, nomen Sacramenti specialiter accommodatum est ad illa signa sacra, quæ simul sunt sacrantia seu sanctificantia, sive ad signa rei sacræ quâ sanctificantis. Et hoc modo Baptismum & Confirmationem sacramenta vocat *Cyprianus l. 2. Epist.* 1. quæ est ad Stephanum dicens: *Tunc enim demum planè* (aliàs *plenè*) *sanctificari & esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur.* Vide eumdem *l. 2. Ep.* 3. *ad Cæcilium*, ubi de Sacramento Eucharistiæ. Et *l.* 4. *Ep.* 7. *ad Magnum*, ubi de Baptismi *sacramento salutari* est sermo. Similiter Ecclesiæ Sacramenta hoc nomine appellat *Tertullianus*, *Lactantius*, *Hilarius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, quos citat *Bellarm. l. 1. de Sacram. c.* 7. Proinde non novum, sed vetustissimum est in Ecclesia Dei nomen Sacramenti in sensu præfato; adeò ut in Latina Ecclesia omnes linguæ

4. *Communi Patrum & Ecclesiæ usu sumitur pro signo rei sacræ sanctificantis.*

Sic hoc nomen usurpare, immo instituere licuit Ecclesiæ.

vulgares hoc nomen retinuerint, ut Italica Gallica, Hispanica, Germanica, Flandrica &c. Licuitque indubiè Ecclesiæ hujusmodi nomen tali sensu usurpare, aut etiam instituere, quantumvis in Scripturis non haberetur; uti nomina Trinitatis, Personæ, consubstantialis &c. quæ non sunt in Scripturis expressa, Ecclesia meritò usurpat ad explicandas fidei veritates in Scriptura contentas. Denique congruit postremæ significationi ipsa nominis Etymologia: Sacramentum

Et congruit huic acceptioni Etymologia.

enim aptè deducitur à sacrando, ut significetur illud quod sacrat seu sanctificat, sicut medicamentum dicitur id quod medetur, & nocumentum id quod nocet. Ea verò Symbola externa seu ceremonias sacras, quas Ecclesia Catholica hoc sensu Sacramenta appellat, veluti instrumenta gratiæ verè hominem Deo consecrare seu ipsum sanctificare suo loco patebit ex Scriptura & aliis auctoritatibus.

QUÆSTIO II.

De Definitione Sacramenti.

§. I.

Definitiones Lutheranorum & Calvinistarum proponuntur & refutantur.

5. *Lutherana Sacramenti descriptio.*

LUTHERUS cum suis vult Sacramentum nil aliud esse, quàm *Testimonium divinum ad excitandam vel nutriendam fidem institutum, quod instar miraculi confirmet & instar sigilli obsignet promissionem gratiæ*, contentam scilicet in verbo Dei, quæ velut generalis per Sacramentum applicetur seu obsignetur singulis, qui eo cum fide utuntur. Unde *Lutherus* confert Sacramentum cum vellere Gedeonis & cum iride quam Noë in signum accepit. Vultque *Kemnitius* promissionem præfatam debere esse de remissione peccatorum; non quòd Sacramentum illam causet, sed quòd juxta promissionem divinam esse Petro v.g. qui baptizatur factam remissionem peccatorum, Deus testetur per ablutionem, seu baptismum, qui consequenter sit velut sigillum affixum diplomati seu verbo Dei promittentis remissionem peccatorum, idemque diploma seu verbum confirmans.

Definitio Calvinistica.

Calvinistæ ex *Calvino l. 4. Instit. c. 14. §. 1.* Sacramentum definiunt *Symbolum externum, quo Deus benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris obsignat ad sustentandam fidei nostræ imbecillitatem.* Loquuntur autem hi de promissione gratiæ prædestinationis, adeoque volunt hujus divinæ benevolentiæ & electionis tesseram esse Sacramentum, ipsumque non justificare instar causæ instrumentariæ, sed solùm valere ad hoc objectivè excitando fidem.

6. Verùm utraque Definitio est inepta, utpote ex mente definientium exclusiva à Sacramentis novæ Legis vim justificandi; quâ tamen Scriptura & recta fides iis adscribit: dicitur enim v.g. Baptismus in Scriptura abluere peccata, mundare, regenerare &c. De quo post. Deinde non possunt Sacramenta parvulis seu eorum conscientiis obsignare promissiones Dei, eorumque fidem excitare (quidquid *Lutherus* deliraverit illos, dum baptizantur, habere usum rationis) qui tamè rectè & utiliter baptizantur & à peccato mundantur. Tertiò falsissimum est Deum v. g. per ablutionem baptismalem testari in particulari ei qui baptizatur, sive quòd ei remiserit peccata, sive quòd eum ab æterno prædestinaverit: neque enim de justificatione aut salute quisquam est certus vi Sacramenti. Neque ullibi talis promissio aut testificatio est scripta vel tradita: sed illa solùm, quâ promittitur cuivis gratia sanctificans vi Sacramenti, si sit ritè dispositus; & vita æterna, si usque in finem in gratia perseveraverit. Sanè etiam Judas, aliive reprobi, aut etiam indispositi suscipiunt Sacramentum: & tamè eis non fit testificatio divina, qualem sive *Lutherani* sive *Calvinistæ* fingunt; quæ utique falsa foret. Denique (ut plura præteream) Sacramenta potiùs à verbo Dei ac in eo contentis divinis promissionibus accipiunt testimonium, quòd sint res sacræ & sanctificativæ, quàm è contra ipsa præbeant attestationem verbo Dei divinisque promissis; ut proinde potiùs verbum Dei sit sigillum Sacramenti, quàm è contrà. Nam uti sigillum etiam sine diplomate vim suam habet & agnoscitur, diploma non sine sigillo; sic verbum Dei sine Sacramento suam eamque summam auctoritatem habet, Sacramentum verò sine verbi testimonio nullam. Neque enim ex lotione baptismali quis fidem incipiet habere verbo Dei, sed ex hoc discit fidem habere virtuti & efficaciæ lotionis. Quæ verò verbum Dei confirmant, & faciunt tamquam tale agnosci quod per prædicatores proponitur, sunt consequentia signa seu miracula per quæ, & non per Sacramenta (quæ etiam nil speciale habent ad objectivè excitandam fidem; quod longè excellentiùs non habeat concio) sermonem suum Dominus confirmavit.

Vtraque falsitur.

7. *Nec sacramenta sint signa divina erga nos benevolentiæ.*

Nihilominus fide rectâ suppositâ de Sacramentorum institutione & fructu sunt eadem nobis signa divinæ erga nos benevolentiæ, quâ dignatus est nobis de tam salutaribus salutis remediis providere; & per gratias, quas conferunt, excitant in nobis sancta desideria, ac fiduciam christianam de justificatione & salute; præsertim sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, quod futuræ gloriæ pignus seu arrha vocatur. Baptismus quoque dicitur sacramentum fidei, & obsignatio fidei, quatenus scilicet est professio fidei Christianæ, & janua quâ quis in Ecclesiam seu cœtum Christianorum

Item baptismus est professio fidei & janua & sigillum

rum admittitur. Eatenus quoque publicè & exteriùs, & per characterem interiùs homo secernitur à non baptizatis. Et sic etiam sano sensu sigillum quoddam dici potest. Vide *Bellarminum in Præfat.* & *l.* 1. *De Sacram. c.* 14. *& seqq.* ubi fusè errores Sectariorum circa definitionem Sacramenti refutat.

§. II.

Definitio Sacramenti latè sumpti.

8. *Definitio antiqua communiter explicanda non valuit.*

EXCLUSIS Hæreticorum definitionibus, Theologi antiquiores Sacramentum definiunt *Signum rei sacræ*. Quæ definitio ut bona & adæquata sit, debent multa subintelligi, scilicet ut sensus sit, quòd sit signum sensibile divinitùs institutum practicum rei sacræ hominem sacrantis.

Commoda definitionis Sacramenti prout est commune ad vetera & nova.

A Recentioribus quoque Sacramentum latè sumptum, prout est commune ad antiqua & nova, variè describitur. Inter ceteras autem definitiones videtur hæc satis commoda (quæ in re est communis Doctorum) *Est signum sensibile gratiæ divinitùs institutum, hominemque suo usu sanctificans* vel (quod coincidit) *ceremonia sacra significans gratiam, à Deo instituta, ut usu suo hominem sanctificet.* Dicitur *signum gratiæ*, scilicet sanctificantis: nam hanc non solùm Sacramenta novæ legis, sed & vetera significabant, ut ex *Florentino in Decreto de Armenis*, & Patribus; communique consensu constat. Quarè cùm hîc describatur Sacramentum secundùm rationem quatenus commune veteribus & novis, rectè additur ly *gratiæ*. Ideoque magis probanda est hæc descriptio, quàm illa quâ definitur simpliciter, *Signum practicum sanctitatis alicujus sive internæ sive externæ*. Ubi præterea desideratur particula *divinitùs institutum*: cùm alioquin etiam pænes Ecclesiam sit potestas instituendi signa practica cujusdam sanctitatis externæ seu legalis, ut patet in sacramentalibus. Dicitur, *hominem suo usu sanctificans*; intellige, sive exteriùs, ut vetera, sive interiùs, ut nova.

9. *Cur non rectè additur ly causa gratiæ, sanctificantis.*

Non rectè autem *Lugo d.* 1. *sect.* 2. *n.* 23. addit, omne Sacramentum etiam causare gratiam veram, quasi etiam vetera sacramenta fuerint causæ gratiæ, non quidem illa suscipienti, sed nova suscepturis: eò quòd novorum Sacramentorum, adeòque gratiæ per illa dandæ erant promissiones, promissio autem sit causa moralis rei promissæ. Non rectè (inquam) id addit, prout fusè contra arguit *Dicastillo d.* 1. *dubit.* 2. Nam sic v. g. præteritus ante millenos annos esus agni etiam nunc esset causa moralis gratiæ, quæ datur in Sacramentis novæ Legis. Deinde promissio ut sit causa moralis effectûs, debet eatenus illum præcedere, & non præsupponere; vetera autem Sacramenta præsupponebant Christum venturum & gratiam per ipsum dandam, utì umbra corporis præsuponit corpus. Nec tam erant promissiones (etsi non malè sic vocentur, sed sensu congruo) quàm earumdem Patribus jam factarum signa & monumenta; immo ipsæ promissiones Patribus factæ Christum tamquam datorem omnis gratiæ præsupponebant.

10. *Univocatio veterum & novorum sacramentorum non est necessariò asserenda.*

Potissimùm quod posset objici huic definitioni est, quòd per illam non salvetur univocatio Sacramentorum veterum & novorum, ex eo quòd sanctificatio interna & externa non conveniant univocè in ratione sanctificationis, utì nec utraque sanctitas correspondens in ratione communi sanctitatis. Sed si salvari non posset univocatio, quid inde? Ubì enim scriptum est, omnia Sacramenta esse univocè talia? Quod ad rem attinet, multi Doctores univocationem non admittunt, nisi inter Sacramenta novæ Legis, & illa antiqua, quæ conferebant seu causabant quoque gratiam sanctificantem, si quæ talia fuerint; prout fuisse circumcisionem & remedium Legis naturæ, patebit *quæst.* 4. Cetera autem sunt univocè cum novis signa sanctitatis non tamen univocè causæ sanctitatis; cùm nec ipsa sanctitas per illa causata sit univocè sanctitas, sed tantùm figura sanctitatis, sicut homo pictus est homo.

Conveniunt in ratione signi, sed non in ratione causæ sanctitatis.

11. *Quod solutione objectionis confirmatur.*

Dices I. cum *Coninck q.* 60. *a.* 4. *dub.* 2. & quibusdam aliis: sicut Sacramenta nostra causant sanctitatem veram, sic vetera causabant umbraticam; ergo sunt univocè causa. Resp. Dist. Seq. sunt univocè causa in generali, Conc. univocè causa sanctitatis, Neg. Seq. Nam ad hoc deberet esse univocatio in ipsis sanctitatibus causatis. Sicut videns risum hominis & videns risum prati sunt univocè videntes ut sic, non tamen quatenus videntes risum. Et sicut pictor & generans verè conveniunt in ratione operantis, non tamen in ratione producentis hominem, eò quòd hic pictum, is vivum producat, qui non sunt univocè homo. Non enim est univocatio, nisi quatenus est convenientia; hæc autem requirit convenientiam ipsarum rerum.

12. *Dissolvitur altera objectio.*

Dices II. cum *Lugo* etiam ipsa sanctitas vera & umbratica conveniunt in conceptu communi sanctitatis; puta, formæ Deo consecrativæ. Resp. in ipsa ratione consecrativi (quod est terminus synonimus) esse similem æquivocationem, ut arguit *Dicastillo d.* 1. *dubit.* 3. & *Arriaga d.* 1. *sect.* 7. *n.* 65. Nil enim commune habet consecratio veterum Sacramentorum cum consecratione novorum, nisi quòd ista hanc significaverint, scilicet filiationem Dei &c. quæ ratio signi non sufficit ad univocationem. Deinde sanctitas determinatè significat sanctitatem veram, sicut homo hominem vivum, & utrumque cum determinatione

quadam alienante sanctitatem umbraticam sive hominem pictum. Alioquin pari ratione dici poterit homo vivus & homo pictus esse univocè homo, canis terrestris & marinus esse univocè canis; concipiendo seu fingendo, quòd ly *homo* significet conceptum communem, scilicet sensibile coloratum certâ figurâ & proportione præditum, ly *canis* substantiam corpoream præditam figurâ utique convenientem.

13. *Arriaga propriam & univocam notionem Sacramenti statuit in ratione pignoris gratiæ.*

Dices III. cum *Arriaga*: Sacramenta vetera & nova conveniunt univocè in ratione pignoris gratiæ: propria autem notio Sacramenti consistit in hoc, quòd *sit ceremonia sacra sensibilis, stabilis, in pignus gratiæ instituta*, prout ipsum definit *Arriaga disp. 1. sect. 5.* Quarè non requirit, ut Sacramentum sit causa moralis gratiæ (quod asserentem *Lugo* refutat *n. 46. & seqq.*) sed merum pignus gratiæ promissæ; pignus autem præsupponit rem promissam, daturque in assecurationem. Sacramentum itaque (ut habet *n. 43.*) est quasi quædam Dei loquela, quâ nobis exteriùs promittit dare gratiam, seu est quasi pignus, quo se ipsum obligat ad eam conferendam, vel statim quando exercetur, ut contingit in nostris, vel post aliquod tempus, ut contingebat in antiquis, per quæ promittebatur gratia hoc tempore danda per Sacramenta novæ Legis. Ita hic Auctor, in quem secùs incidi; qui quidem videtur professionem fecisse impugnandi aliorum sententias, an potiùs, quèm stabiliendi suas, alii judicent. Quare fusissimè per integram ferè Disputationem primam occupatur refutandis aliorum definitionibus & explicationibus; quarum tamen nonnullæ vel solùm sunt datæ pro Sacramentis strictè dictis, qualia sunt nova, vel facilè recto sensu explicari possunt. Ipse autem novam definitionem astruens cæteris refutatis, id quod potissimum erat, non satis ostendisse videtur, proprium nempe conceptum Sacramenti consistere in ratione pignoris. Itaque

14. *Quod reprobatur.*

Resp. Definitionem istam displicere ob suam novitatem; cùm hactenus ratio Sacramenti putata fuerit consistere in ratione, tum signi, tum causæ sanctitatis. Estque potiùs neganda univocatio veterum & novorum Sacramentorum, quàm communis & adeò recepta ratio Sacramenti. Deinde insolens est locutio in Ecclesia, ut v. g. Eucharistia (idem est de aliis Sacramentis novæ Legis) dicatur pignus gratiæ; sed potiùs dicitur ipsa pignus futuræ gloriæ. Et meritò cùm pignus propriè detur creditori ad securitatem seu in secururæ solutionis assecurationem; nec locum habeat, quando ipso facto fit solutio, immo per illud ipsum, quod pignus dici contenditur: prout in ipsa susceptione Sacramentorum novæ Legis, immo per ipsamet Sacramenta confertur & donatur gratia promissa: quæ proinde non tam sunt pignora, quàm vasa seu instrumenta significantia gratiam quam continent, ut Catholici loquuntur. Insuper quod attinet ad vetera Sacramenta, hæc non desinerent esse talia, hoc ipso quòd sunt signa sacra gratiæ hominem ex divina institutione sanctificantia, quantumvis deesset illis prætensa ratio pignoris. Nec potest meritò verti in dubium, quin (quod habet communis & fundatus conceptus) circumcisio quatenus parvulis Judæorum conferebat in præsenti gratiam originalis remissivam (prout ipsam contulisse fatetur etiam *Arriaga*) fuerit verum Sacramentum; & tamen ipsam non fuisse pignus gratiæ istius præsentis, sed tantùm futuræ in nova Lege, supponit idem *Arriaga sup. n. 57. & seq.* Denique minùs aptè Sacramentis Mosaicis videtur congruere ratio pignoris, sed potiùs figuræ futuræ gratiæ, & signi præteriti fœderis: tum quia pignus dari solet provisionaliter illis ad quos alioquin pertinet ipsum principale quod solvendum est; gratia autem conferenda per novæ Legis Sacramenta non pertinebat ad veteres Prophetas & Israëlitas, sed ad Christianos. Tum quia pignus solet habere, valorem quodammodo proportionatum & notum accipientibus ipsum pignus, ut inde assecurentur de futuro: umbræ autem istæ legales nil magni præter meram significationem continebant aut valebant. Secùs quàm Eucharistia, quæ nobis est pignus futuræ gloriæ, quatenus inde assecuramur de illa, dum etiam in hoc exilio Christus semetipsum nobis in cibum & potum exhibet.

Sed instabis: statuendo Sacramentum ut sic esse pignus gratiæ optimè patet, quòd Sacramenta, etiam qualia erant antiqua, à solo Deo principaliter instituti potuerint; cùm tamen possit etiam per homines v. g. Ecclesiam institui signum gratiæ sanctificantis legaliter seu externè. Resp. quòd ex communi conceptu & usu vox *Sacramentum* significet sola hujusmodi signa instituta à Deo, cujus utì est instituere Synagogam & Ecclesiam, sic & communia Symbola, quæ Sacramenta vocentur, quidquid sit de eo, an homines possint instituere signa de cetero similia. Deinde adhuc id non possent homines, instituere scilicet signa infallibiliter promissiva vel collativa gratiæ sanctificantis, sive signa infallibilia gratiæ per ipsum instituentem donandæ in præsenti aut futuro; qualia sunt & esse intelliguntur Sacramenta à Deo instituta. Quàmvis homines possint signum sensibile instituere speculativè significans essentiam gratiæ v. g. vocem *gratia*, utì voces significantes Deum, Trinitatem, chymeram &c. & similiter possunt sanctitatem quamdam externam legali similem (non tamen illam ipsam, quam Deus in sua lege determinaverat) per aliqua Symbola conferre.

Insta-

16. *An vel qualiter à ratione sacramenti excludantur vetera sacrificia.*

Instabis iterum: Non satis excluduntur à ratione Sacramenti sacrificia vetera; quæ omnia alioquin forent dicenda Sacramenta. Item ceremoniæ multæ, vable probabiliter (ut censet *Arriaga d. 1. sect. 2. in fine*) à Christo post resurrectionem per se immediatè institutæ, & Apostolis traditæ, ac perpetuò in Ecclesia servatæ, forent alioquin Sacramenta. Resp. nos Sacramenta vetera æquè facilè excludere, quàm excludat *Arriaga*; quòd scilicet quà sacrificia non sint instituta in signa gratiæ, sed præcisè ad protestandum ex parte nostra supremum Dei dominium. Deinde non omnia conferebant sanctitatem legalem. Quæ verò illam conferebant (estò illam contulissent omnia) dicantur merè & concomitanter fuisse Sacramenta; quod inde inconveniens sequitur? Quod autem addit *Arriaga* de ceremoniis per Christum immediatè institutis, est nova & mera conjectura; habens hoc etiam inconveniens, quòd non forent illæ mutabiles per Ecclesiam: cùm tamen præter ea quæ ad substantiam Sacramentorum spectant, cetera subsint dispositioni Ecclesiæ, juxta communissimam Doctrinam, quæ colligitur ex *Trid. sess. 21. c. 2.* Unde Christus per se illas non instituit, sed de instituendis per Ecclesiam Apostolos instruxit. Quòd si verè tales ipsi instituissent, quæ & forent signa divina gratiæ habitualis, & sanctificarent quodammodò, consequenter forent Sacramenta; sed non strictè dicta seu causativa gratiæ, qualia sunt solùm septem in nova Lege juxta fidem.

§. III.

Definitio Sacramenti strictè dicti.

17. *Sacramenti strictè dicti multiplex definitio.*

Sacramentum strictè dictum nil est aliud, quàm Sacramentum collativum gratiæ sanctificantis. Quod quidem diversimodè definiri solet; videlicet *Signum sensibile gratiæ ad nostram sanctificationem* (subintellige, efficiendam) *divinitùs institutum.* Vel (ut definit *Catechismus Romanus Tit. de Sacram. in genere*) *Res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Quæ definitiones etiam possent accommodari Sacramentis latè dictis, sanctitatem scilicet & sanctificationem sumendo generatim. Aliter & satis clarè definiri potest: *Signum sensibile institutum à Deo ad conferendum infallibiliter ex opere operato gratiam sanctificantem homini suscipienti non indispositò.* Ita ferè *Poncius dist. 41. q. 1. n. 3.*

18. *Definitio tertia.*

Denique *Scotus 4. d. 1. q. 2. n. 9.* aliam assignat definitionem, in qua magis explicatur effectus, finis & subjectum Sacramenti; nempe, *Signum sensibile gratiam vel effectum Dei gratuitum ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris,* Quâ definitione explicatâ, ceteræ quoque sufficienter declaratæ manebunt.

Qualiter sacramentum debeat esse sensibile.

Dicitur *signum sensibile.* Sufficit autem, ut absolutè secundùm aliquid sit per se sensibile, & per illud ipsum reliqua fiant quodammodò sensibilia. Unde quædam partes aliquorum Sacramentorum, non sunt per se & immediatè sensibiles; ut contritio, quæ est pars Sacramenti pœnitentiæ, & proditur per externam confessionem. Et consensus mutuus, qui est pars Sacramenti matrimonii, & proditur per signum consensûs expressivum. Sic denique in Eucharistia corpus Christi fit sensibile per species & verba.

19. *Et quarè.*

Ceterùm etsi Deus absolutè potuisset instituere sensibilia & merè spiritualia gratiæ signa (quæ non forent Sacramenta juxta præsentem acceptionem, sive ejusdem rationis cum præsentibus, etsi juxta aliam vocis institutionem aut acceptionem Sacramenta dici possent) congruenter tamen pro hominibus sensibilibus sensibilia instituit: nam (ut pulchrè ait *Chrysost. Hom. 83. in Matth.*) *Si tu incorporeus esses, nuda ipsa dona tradidisset tibi: quoniam verò corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* Deinde non nisi per signa sensibilia possunt homines congregari & uniri in unum corpus Ecclesiæ visibilis, ac ab aliis discerni; ut rectè *Aug. l. 19. contra Faustum c. 11.* & alibi. Denique si intelligibilia tantùm media salutis nobis fuissent data, non potuissent per homines applicari, & consequenter non fuisset subordinatio inter homines quoad participationem mediorum salutis, ex qua tamen subordinatione multùm fovetur humilitas & charitas inter membra ejusdem corporis Ecclesiæ, dum videlicet pastores, aliæque Ecclesiasticæ personæ exercent officium charitatis administrando, & subditi humilitatis petendo. Plures congruentiæ videri possunt in *Catechismo Romano*, & apud alios.

20.

Additur in definitione *gratiam*, intellige habitualem seu sanctificantem. Secundariò tamen & minùs principaliter posset etiam comprehendi gratia actualis, quam Sacramenta ultra habitualem quoque conferunt; ut postea patebit.

Dicitur insuper, *veleffectum Dei gratuitum*; intellige, accumulativè, q. d. vel etiam effectum gratuitum, eumque non quemlibet, sed talem, qui etsi secundùm se non sit gratia actualis vel habitualis, confertur tamen à Deo ad gratiam suscipienti vel alteri conciliandam; prout est character sacramentalis. Similiter Sacramentum Eucharistiæ cùm sit aliquid permanens, non significat proximè & primariò gratiam, quæ tantùm in illius usu seu sumptione confertur, sed corpus & sanguinem Christi: quæ tamen possunt quoque intelligi nomine gratiæ, non quidem accidentalis, sed substantialis.

21. *Sacramenta sunt signa ex institutо.*

Additur *ex institutione divina*: Sacramenta enim sunt signa divinitùs tradita, non hominitùs inventa, neque etiam sunt signa naturalia: cùm nihil sensibile possit ex natura rei esse signum efficax gratiæ: quæ enim est ex natura rei connexio aquæ aut verborum seu vocum ad gratiam sanctificantem? Quàmvis Sacramenta habeant de facto appositam quamdam proportionem ad significandos effectus sacramentales. Sic ablutio sive baptizatio corporalis apta est ad significandam ablutionem animæ in Sacramento baptismi; species panis & vini ad significandum spirituale alimentum animæ in Eucharistia &c. Et hoc putat *Suarez disp. 1. sect. 3.* intendere *Augustinum Ep. 23. ad Bonifacium* ubi ait: *Sacramenta quamdam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt Sacramenta; quam si non haberent, omnino Sacramenta non essent.* Quod ut subsistat, intelligi consequenter deberet, de congruo, quia nimirum congruè non instituerit Christus Sacramenta, nisi simul aliquam antecedentem proportionem haberent; sine qua proinde Sacramenta non essent, utpote aliàs non instituenda. Alioquin intelligi deberet *Augustinus* (ut eum explicat *Coninck. q. 60. a. 2. dub. 2.* & revera aptiùs explicatur) de similitudine consequenti: quia nimirum per institutionem (quæ absque alia prævia similitudine sufficit) accipiunt vim repræsentandi, quâ deficiente signa atque adeò Sacramenta non essent.

Habent tamen quamdam appositam proportionem cum significatis suis.

Explicatur locus Augustini.

22. *Sunt signa practica.*

Dicitur etiam *efficaciter significans*, quo indicatur Sacramentum esse signum practicum, quod non solùm significat, sed etiam significando causat suum significatum, idque ex opere operato, ut loquuntur omnes Theologi, sive ex vi signi extrinseci citra meritum operantis. Unde Baptismus v. g. etiam malo fine collatus confert gratiam, tum adultis, tum parvulis; utique vi suâ, & non ex opere aut merito operantis. Per hoc proinde excluduntur à Definitione opera meritoria.

Postrema particula denotat finem Sacramentorum & subjectũ.

Denique dicitur *ordinatum ad salutem hominis viatoris*, ut significetur tum finis, tum subjectum seu quinam sint capaces Sacramentorum; ii nimirum, qui necdum in termino constituti possunt gratiam accipere, acceptam augere, vel perditam recuperare.

23. *Excluditur Martyrium à ratione Sacramenti.*

A definitione Sacramenti primò excluditur martyrium; quod licèt gratiam practicè significet, tamen inferri vetitum est: Sacramentum autem debet esse signum à Deo in illum finem institutum, sive jussum conferri, ut sanctitatem causet. Quare definitio loquitur de institutione seu voluntate, quâ Deus ordinavit signum simul cum ipso usu; qualiter non ordinavit usum seu actionem martyrii.

Sacrificium novæ Legis

Secundò solet excludi sacrificium, scilicet sumptum sub formali ratione sacrificii, nam quatenus tale non est institutum ad significandam aut conferendam sanctitatem, sed ut sic tantùm ordinatur ad significandam divinam excellentiam & nostram submissionem per immutationem hostiæ sive cultum qui Deo in sacrificio exhibetur. Quàmvis in sacrificio possit materialiter simul concurrere ratio Sacramenti; ut videre est in sacrificio novæ Legis, cujus hostia est verum Sacramentum sui sumptione nos sanctificans. Immo non sola hostia seu victima, sed ipsum quoque sacrificium novæ Legis videtur concomitanter posse dici Sacramentum; transiens scilicet, & completè idem cum Eucharistia: nam consecratio significat practicè corpus & sanguinem Christi, & remotè saltem gratiam sanctificantem. Addunt Aliqui etiam sumptionem hostiæ (quæ fit à sacerdote, & est pars, sive essentialis, sive saltem integralis sacrificii) significare practicè & immediatè gratiam. Alii tamen censent esse meram applicationem causæ sanctificantis. Quidquid dicatur (de quo postea) manet hoc saltem, quòd censeatur idem Sacramentum cum hostia quæ sumitur.

An & qua ratione ab excludendum.

24. *Excluditur lotio pedum.*

Tertiò excluditur lotio pedum: etsi enim latè loquendo à *Cypriano, Ambrosio & Bernardo* vocetur Sacramentum: in rigore tamen non est, utpote non instituta à Christo ad sanctificandum ex opere operato; sed partim ad præbendum humilitatis exemplum, in similibus occasionibus à discipulis imitandum, adhibita, per quam ex opere operantis conducere potest ad purgationem venialium peccatorum: partim etiam adhibita ad designandum, quantâ animi puritate ad Sacramentum Eucharistiæ oporteat accedere. Quod autem Christus *Joan. 13.* dixit Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*; solùm indicat mandatum ad voluntatem Christi, nolentis alioquin Petrum ad communicationem sui corporis aut etiam regni admittere: non quòd humilis Petri recusatio præcedens meruisset tantam pœnam, sed pertinax contra voluntatem Christi reluctatio meruisset illam, si perstitisset.

25. *Excluditur Sacramentalia &*

Quartò excluduntur sacramentalia & ceremoniæ Ecclesiasticæ; tum quia sunt ab Ecclesia, non à Deo immediatè instituta, à quo tamen Sacramenta instituti debent: tum quia non conferunt gratiam ex opere operato. Quàmvis prima tonsura, benedictio Abbatis, absolutio à censura, & similia sacramentalia conferre videantur sanctitatem aliquam externam & velut legalem, quæ statui Sacramentorum novæ Legis non est proportionata. Usus etiam aquæ benedictæ per se non operatur remissionem venialium peccatorum ex opere operato; prout nec ad illum effectum ordinatur, ut ex ejus benedictione potest intelligi: sed propter Ecclesiæ preces, quæ adhibentur, valet in primis ad compressionem dæmonum & tempora-

poralia beneficia impetranda. Similiter potest in utentibus per modum impetrationis causare aliquos pios motus, & his mediantibus venialia delere.

26. *An requiratur stabilitas in signis sacramentalibus,*

Denique excludunt Varii signa quædam sensibilia, quibus Christus subinde usus est ad conferendam gratiam, sed non stabiliter instituit pro communitate seu Ecclesiâ suâ: ut quando dixit paralytico *Matth. 9.* & Magdalenæ *Lucæ 7. Remittuntur tibi peccata tua.* Et quando mediante flatu seu insufflatione contulit Apostolis Spiritum sanctum *Joan. 20.* Sed hoc pertinet ad meram quæstionem de nomine Sacramenti; quod omnino ita posset accipi, ut etiam similia signa comprehenderet, quæ quàmvis non stabilia, dici possent Sacramenta. Prout etiam vocaretur & esset verum sacrificum, etsi non stabiliter, immo etsi pro una tantùm vice foret à Deo institutum. Verùm quia communiùs videtur exigi quædam stabilitas in proprii nominis Sacramentis, exigatur, & loquamur ut multi.

Quid sentiendum de verbis Christi ad Paralyticum & Magdalenam.

Quod equidem ad exempla præfata attinet, videntur verba Christi *Lucæ 7.* non tam fuisse remissiva peccati, quàm declarativa remissionis jam factæ, ut ex antecedentibus patet. Idemque dici posset de iisdem verbis dictis paralytico. Quia tamen de hoc non constat, quòd ei priùs fuerint peccata remissa, conjectant alii, signanter *Dicastillo disp. 1. n. 322.* illa fuisse remissiva practicè peccatorum; adeòque posse dici Sacramentum. Sed conjecturam istam non ausim assertivè defendere; cùm minùs credibile videatur paralyticum dumtaxat fuisse attritum, & per ista verba velut Sacramentum mortuorum accepisse gratiam remissionis peccatorum. Textus quoque græcus habet: *Remissa sunt tibi peccata tua;* quod potiùs significat declarationem remissionis interioris per Christum jam factæ.

Item de insufflatione in Apostolos.

De insufflatione autem potiori jure dici posset fuisse sacramentum; cùm per illud signum fuerint Apostoli facti completè sacerdotes, scilicet quoad potestatem absolvendi à peccatis. Quòd autem de facto Ecclesia non utatur insufflatione parum refert: cùm hoc sit velut materiale, & loco illius utatur impositione manuum; sicut in materia & forma Ordinum similis variatio seu differentia in Ecclesia Latina & Græca alibi notabitur. Quemadmodum etiam etsi Apostoli per solam impositionem manuum dispensativè ex voluntate Christi contulerint Confirmationem sine crismate, rectè tamen asseritur istam cæremoniam fuisse sacramentum.

An formalis ratio Sacramenti sit ens rationis.

Petes, An formalis ratio Sacramenti sit ens rationis? Resp. sic loqui Plurimos, etiam ipsum *Scotum*, qui generaliter idem dicunt de ratione signi ex instituto ut sic, cujus species est sacramentum: attendunt enim nostrum modum concipiendi, quo solemus tale signum concipere instar cujusdam respectûs, qui indubiè non potest esse realis. Nihilominus considerando rem ipsam, Sacramentum, uti & alia signa ex instituto, pro materiali quidem est ens reale sensibile; quàmvis aggregatum per accidens, habens effectum præstantissimum: pro formali verò est ens quoddam morale, seu denominatio extrinseca realis desumpta à voluntate instituentis, quæ res istas sensibiles denominat mediante institutione in iis moraliter perseverante; idque citra ullam fictionem, quæ ex nullo capite apparet esse necessaria. Nec *Scotus* umquam contrarium voluit, uti nec fortè plures alii Doctores.

QUÆSTIO III.

De Sacramentis quæ fuerunt ante statum Legis novæ.

28. *In statu innocentiæ de facto nulla fuerunt Sacramenta.*

DICO I. In statu Innocentiæ qui duravit à creatione Adami usque ad lapsum ejusdem, nullum fuit Sacramentum. Ita *D. Thomas q. 61. a. 2. Scotus d. 1. q. 3. n. 7.* & alii communiter. Probatur: quia de nullo Sacramento constat ex aliquo fundamento; nec fuit ullius necessitas, immo nec operæ pretium pro tantillo tempore quo duravit, immo ipsum matrimonium Adami & Hevæ (de quo maximè dubitari potuisset) non fuisse Sacramentum constat satis ex sensu Ecclesiæ: quàmvis ab Apostolo *ad Ephes. 5.* sic vocetur, largè sumpto vocabulo Sacramenti; quia videlicet erat mysterium figurativum Incarnationis Christi, seu conjunctionis Christi cum Ecclesia.

29. *An fuissent, si status iste perseverasset,*

Utrùm autem futura fuissent Sacramenta sive gratiæ sanctificantis, sive solius sanctitatis externæ collativa, si status innocentiæ perseverasset, disputant varii Auctores fusiùs, quàm res tam incerta pendens à solo Dei beneplacito nobis ignoto mereatur. Et quidem satis constat futuras fuisse oblationes, sacrificia, similesque ceremonias ad divinum cultum pertinentes; hi enim actus fundantur in ipsa præcisè hominis natura; quæ cùm pro parte saltem sit corporea & sensibilis, convenientissimum etiam fuisset in illo statu cultum externum & sensibilem ab homine exhiberi. De Sacramentis autem, saltem gratiæ collatiuis, non fuisset par congruentia aut necessitas pro statu isto, quæ pro statu naturæ lapsæ, respectu cujus Sacramenta sunt medicinæ infirmitatem sanantes, eamque præcaventes, & naturam debilitatam confortantes. Aliæ nihilominus congruentiæ adferri possent, ob quas convenienter Sacramenta, sive gratiæ sanctificantis non collativa, sive ex liberalitate divina etiam gratiæ collativa, tunc quoque fuissent instituta. Et maximè id conjectare licet de Sacramento & sacrificio

Eu-

Eucharistiæ, ob excellentiam illius statûs & charitatem Christi, si (quod docet *Scotus* cum plurimis aliis) Adamo non peccante Filius Dei fuisset incarnatus. Vide *Suarez disp. 3. sect. 3.* circa finem. Et *Cominck q. 61. a. 2. n. 7.* qui addit Sacramentum Ordinis, quo decuissent tam venerabiles Sacramenti ministros consecrari. Quid autem factum fuisset, si Adamo non peccante peccassent posteri, quibus consequenter opportuna fuisset Sacramenti medicina, pariter incertum est, utpote dependens à libera Dei voluntate, cujus nulla facta est revelatio.

30. *In statu Legis naturæ fuit aliquod sacramentum,*

DICO II. In statu Legis naturæ (qui duravit à lapsu Adæ usque ad Legem Mosaicam, quoad posteros Abrahæ descendentes per Isaac & Jacob ac proselytos, quoad cæteros autem usque ad Legem novam) fuit aliquod Sacramentum à Deo institutum in remedium peccati originalis pro parvulis. Ita *Scotus d. 1. q. 7.* & alii communiter. Conclusio supponit in isto statu fuisse aliquod remedium peccati pro parvulis. Quod probatur: tum ex communi consensu *Scilicet remedium contra originale.* Theologorum post *Augustinum l. 5. contra Julian. c. 11. Gregorium 4. Moral. c. 2. Bedam, Bernardum* & *Hugonem Victorinum.* tum etiam ex benigna & generali voluntate Dei, salvandi omnes hominum status, ut ponderat *Innocentius III. cap. Majores de Baptismo*, agens quidem de tempore Baptismi & Circumcisionis, statuens tamen rationem generalem, quæ æquè locum habet pro tempore Legis naturæ: *Absit enim* (inquit) *ut universi parvuli pereant, quorum quotidiè tanta multitudo moritur, quin ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* Hoc supposito

31. *Quod fuisse Sacramentum, probatur 1. ex Augustino*

Probatur Conclusio I. auctoritate *S. Augustini sup.* ubi ait: *Nec tamen credendum, ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem iis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis: quàmvis quod illud esset, aliquâ necessariâ causâ Scriptura latere voluerit.* Ex quibus verbis satis constat *Augustinum* loqui de aliquo signo externo; cùm illud vocet Sacramentum, & conferat cum baptismo ac circumcisione. Deinde dicit Scripturam voluisse nos latere, quodnam illud esset; quod de solo signo externo potest verificari, cùm si in actu interno consisteret, pateat ex verbis *Augustini* & sensu aliorum fuisse actum fidei.

Probatur secundò ex congruentia.

Probatur II. Quia conveniebat ut membra cœtûs sensibilis humano modo & per sensibile signum Deo ac veræ Religioni consecrarentur. Deinde potuissent alioquin parvuli etiam absentes, immo in utero materno adhuc existentes sanctificari, quemadmodum fides interna potuisset ad illos dirigi, & ex supposito non fuisset necessaria actio exterior exercenda circa parvulos. Quare nihil obest, quò minùs peccatum originale possit auferri à parvulo in utero matris existente tempore Legis novæ, nisi quòd baptismus ei nequeat applicari. Remedium autem istud specialiter sic fuisse à Deo restrictum, ut non posset prodesse, nisi parvulo præsenti, voluntariè excogitatum videtur. Accedit, quòd non rectè fuisset provisum parvulis, si fides supernaturalis, præsertim charitate formata, velut meritum saltem congruum operantis debuisset concurrere in isto tempore. Immo sic finis venialiter malus remedium irritum fecisset, utì rationem meriti destruxisset. Fides autem naturalis videtur omnino impertinens ad hujus remedii, immo ad omne meritum. Denique circumcisio adhibita à Samaritanis (qui erant Hæretici aut semigentiles) proderat juxta *Augustinum l. 1. contra Cresc. c. 31.* Neque aliquid hîc obstat.

32. *Quid sufficiat parvulis pro remedio originalis.*

Nihilominus varii Doctores existimant suffecisse solam fidem internam parentum, juxta aliquos saltem naturalem, juxta alios necessariò supernaturalem, aut etiam explicitam Mediatoris, juxta paucos insuper charitate formatam. Quibus, *Augustino* excepto, cæteri Patres suprà citati favere videntur; signanter *Gregorius loc. cit.* dicens: *Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui de stirpe Abrahæ prodierunt, mysterium circumcisionis.* Omissis aliorum responsionibus, dico Patres velle parvulis sufficisse solam fidem expressam in aliquo signo externo fidei protestativo; quod non inusitatè etiam fides vocatur (scilicet exterior, seu fidei confessio, procedere solita à fide parentum), adeoque illos fidem tam internam, quàm externam opponere sacrificiis propitiatoriis, quibus expiabantur adulti, habentes peccata actualia. Vide *Scotum d. 1. q. 7. n. 3.*

33. *In quo signo fides esse debeat ut remedium Legis naturæ.*

Sed dubium restat, an signum illud externum fuerit determinatum; an verò determinata fuerit sola fides, parvulo applicanda in aliquo signo fidei protestativo ad libitum parentum aut curatorum parvuli vel aliorum assumendo. Pro utraque parte sunt Auctores, & incertæ conjecturæ. Verosimilius tamen est, quod insinuat *Scotus sup.* & docet *Bellarminus lib. 1. de Sacram. c. 21. Prop. 1.* in fine, *Cominck sup. n. 22.* & alii, fuisse signum determinatum; etsi incognitum, consistens fortè (ut ait *Scotus*) in verbo aliquo invocandi Deum, vel offerendi parvulum Deo; idque quia *Augustinus* (cujus auctoritas in hac quæstione est præcipua) id significat, loquens de isto remedio tamquam de uno ac determinato aliquo Sacramento, quod dicit Scripturam latere voluisse; non latet autem, si fuerit aliqua ceremonia religiosa in communi ad libitum assumenda, actus nempe quicumque fidei protestativus.

34. *Præter Remedium contra pecca-*

DICO III. Præter Remedium contra pecca-

Nullum peccatum originale in isto statu tollit Sacramentum,

peccatum originale nullum fuit in statu Legis naturæ verum Sacramentum. Ita Doctores communiùs. Probatur: quia cum institutio Sacramentorum pendeat ex voluntate Dei, non sunt sine sufficienti auctoritate vel ratione multiplicanda, quæ hîc nulla est. Fuerunt quidem in illa Lege sacerdotes; sed non constat eos fuisse ordinatos, aut ritu externo à Deo instituto consecratos.

Similiter etsi fortasse aliqua sacrificia istius temporis fuissent à Deo instituta (ut aliqui arbitrantur de sacrificio Abrahæ *Gen. 15.*) non constat tamen quòd ex eadem institutione contulerint aliquam sanctitatem, etiam externam: adeoque videntur fuisse mera sacrificia. Nisi quod Aliqui arbitrentur, sacrificium Melchisedech fuisse simul sacramentum, uti indubiè fuit typus novi sacrificii & Eucharistiæ, & panem ac vinum in eo oblata quodammodo sanctificasse Abrahamum, cui Melchisedech illa in cibum & potum dedit, ut antiqui Patres docent. Equidem non constat sacrificium istud fuisse immediatè à Deo institutum. Et hoc dato, non constat de stabilitate; etsi *Suarez* conjectet stabiliter fuisse institutum pro familia Melchisedech.

35. Sola circumcisione exceptâ, ac pro familiâ Abrahæ institutâ, & Legi Mosaicæ asservitâ.

Denique Circumcisio fuit quidem Sacramentum pro familia Abrahæ diu ante Legem scriptam institutum; propter quod *Joan. 7.* dicitur esse, *non ex Moyse, sed ex Patribus.* Sub Moyse fuit tamen confirmata & legi inserta, immo sic conjuncta, ut illius esset janua ac professio: ideoque vulgò inter veteris Legis sacramenta censetur, immo subinde pro ipsa veteri Lege supponitur.

Quæ convenienter adhibebatur in membro generationis.

Circumcisio porrò convenienter fiebat in membro generationis, in quo spes generationis & naturæ propagandæ in Abrahamo deficiebat: tum quia signum Christi ex semine illius juxta promissionem nascituri: tum quia ibi urget concupiscentia frænanda.

In octavo die.

Fiebat octavo die, eò quòd antea fuisset parvulis periculum creatum. Per quod Mysticè significatur circumcisio spiritualis, in octava resurrectionis (quæ octava ætas per octavum diem figuratur) perfectissimè consummanda. Non poterat cessante periculo differri; etsi dies sabbati foret, juxta illud *Joan. 7. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi*, scilicet de circumcidendo parvulo die octavo.

Instrumentum lapideum fuerit, an ferreum, perinde.

Instrumentum autem poterat esse ferreum juxta *D. Thomam q. 70. a. 3. ad 2.* cùm nusquam lapideum præcipiatur, etsi aliquando cultèr lapideus fuerit adhibitus *Exod. 4.* & *Josue 5.* Unde & Judæi frequentiùs cultro ferreo usi sunt & adhuc utuntur; ut de suo tempore indicat *D. Thomas*, & etiamnum patet experientiâ. Judæi quoque per chirurgos circumcidunt nunc parvulos, eò quòd alioquin facilè nasceretur periculum prolibus.

Locus & minister non sunt quoque determinati in Scriptura.

Denique in Scriptura nil est determinatum, quantùm ad locum in quo fieri, & ministrum à quo adhiberi deberet circumcisio. Unde & femina, uxor scilicet Moysi, legitur circumcidisse filium; & Abraham seipsum. De his vide *Suarez q. 70. a. 3. Vasquez disp. 163.*

36. In Lege Mosaica fuerunt varia sacramenta.

Dico IV. In statu legis scriptæ seu Mosaicæ (quæ Israëlitas seu posteros Jacob & Proselytos concernebat, & duravit usque ad statum Legis novæ) fuerunt varia sacramenta, saltem non collativa gratiæ sanctificantis. Ita unanimiter Theologi, & apertè supponit *Concilium Florentinum in Decreto de Armenis, ac Trid. sess. 7. can. 2. de Sacram. in genere.*

Et quidem si Sacramentum latiùs capiatur pro quolibet signo rei sacræ, fuerunt quasi innumera, ut ex libris Exodi, Levitici, Numerorum, & Deuteronomii constat, omnes scilicet sacræ figuræ & ceremoniæ ibi præscriptæ.

Quæ præter circumcisionem ad tres classes reducuntur.

Si verò paulò strictiùs (uti solet) sumatur pro signo aliquo modo sanctificante, & perfectam sanctitatem per Sacramenta Legis novæ conferendam saltem præfigurante, solent Sacramenta antiquæ Legis ex *D. Thoma 1. 2. q. 102. a. 5.* reduci ad tres classes præter circumcisionem carnis, cui successit circumcisio mentis in Baptismo per illam adumbrata: nempe ad Esum agni paschalis, qui fuit typus Eucharistiæ, & confirmabat in sanctitate legali. Cui adjungi potest esus panum propositionis. Secundò ad purificationes & lustrationes legales, quibus correspondet Pœnitentia. Tertiò ad consecrationes Sacerdotum & Levitarum, quæ erant signa Ordinis. Confirmationi autem & Extremæ-Unctioni nullum in antiqua Lege Sacramentum correspondere reperitur: quod pendet à voluntate Dei. Cujus congruentiam satis infirmam assignat *D. Thomas sup.* ad 3. quòd in Confirmatione detur gratiæ plenitudo, quæ ad novam Legem pertinet; quòdque Extrema-Unctio sit immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus nondum patebat in veteri Lege. Cur enim hoc non obstante congruè nequivissent in ista lege dari Sacramenta adumbrativa illius, quod futurum erat in Lege nova, non quod fiebat tunc in præsenti? Matrimonium quoque tunc non erat Sacramentum, sed nudus contractus & naturæ officium: quia non erat à Deo institutum, ut conferret suscipientibus aliquam sanctitatem. Infirma autem est ratio, quam assignat *D. Thomas suprà*, scilicet quòd tunc nondum facta erat conjunctio humanitatis cum Verbo, cujus est symbolum: nam bene potuisset esse Sacramentum præfigurativum conjunctionis futuræ. Similiter quod addit in veteri Lege locum habuisse libellum repudii, quod est contra Sacramenti rationem;

nem; falsum est, id rationi genericæ Sacramenti adversari: immo cum dissolubilitate aliqua consistit in nova Lege Sacramentum Matrimonii; cùm in ea ratum solvatur per professionem solemnem Religionis. Neque inter figuram & figuratum debet esse omnimoda proportio.

QUÆSTIO IV.

De Efficacia veterum Sacramentorum, præsertim Circumcisionis.

37. *Veteris Legis Sacramenta non contulerunt gratiam, sed legalem sanctitatem.*

DE Sacramentis veteris Testamenti (si Circumcisionem seu remedium parvulorum excipias) satis convenit inter Theologos Catholicos, ea non causasse in recipientibus gratiam sanctificantem ex opere operato, sed solùm legalem aliquam sanctitatem. Unde Apostolus in Epistola ad Hebræos pluribus inculcat sacrificia & ceremonias veteris Legis generatim nihil ad perfectum adduxisse, neque potuisse (ut expressit *cap.* 9.) juxta conscientiam perfectum facere servientem, sed tantùm sanctificasse ad emundationem carnis. Deinde *Concilium Florentinum in Decreto de Armenis* de Sacramentis novæ Legis ait: *Quæ multùm à Sacramentis differunt antiquæ Legis: illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant: Hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Et *Aug. in Psal.* 73. ait: *Alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem: Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.* Idem tradit aliis locis. Dum verò *Tract.* 26. *in Ioan.* significat Sacramenta vetera & nova posse dici paria, sive eadem virtute spirituali, solùm vult esse paria in virtute seu ratione signi, adeoque eadem analogicè ex parte rei significatæ, quia idem significant, non tamen esse in ratione causæ eadem aut paria. Allegatque illud 1. *ad Cor.* 10. *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt &c.* Quàmvis alioquin verè Apostolus, ibi non conferat Judæos cum Christianis (ut vult *Calvinus*) sed ipsos inter se, ut patet ex contextu: *Patres* (inquit) *nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt &c. & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt &c. sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo,* seu plures eorum Deo non placuerunt, puniti in deserto.

Quo sensu Augustinus illa & nova dicat esse paria.

38. *Sacrificia expiatoria non valebãt ad delendum peccata, nisi ex opere operantis,*

Nec refert, quòd *Levitici* 15. & 16. expressè præscribantur sacrificia pro expiatione peccatorum, sic ut etiam promittatur remissio: non enim valuerunt nisi quoad legalem immunditiam abstergendam, & simul etiam avertendas plagas hujus vitæ Judæis à Deo solitas intentari; non autem quoad remissionem culpæ, aut pœnæ futuri sæculi, nisi ex opere operantis, accedente nimirum contritione ipsius peccatoris, pro quo offerebantur sacrificia protestativa adventûs Messiæ. Quemadmodum etiam constat exercitium reliquarum antiquæ Legis ceremoniarum, cùm forent cultus Religionis & actus veræ virtutis, fuisse ex opere operantis meritorium, sive de congruo sive de condigno, eo modo quo actus aliarum virtutum. Quod apparet indubitatum apud omnes Doctores. Quidquid Nonnulli antiqui videantur existimasse, ea tantùm fuisse in onus imposita, sic ut quantumvis justi illa susciperent, nil fructûs vel augmenti gratiæ ac meriti apud Deum obtinerent. Quod sanè absurdum est, & à communibus de merito regulis alienum. Deinde quid dicerent isti de oblatione sacræ Virginis, cùm obtulit par turturum aut duos pullos columbarum, numquid & ista à merito vacua fuit? inquit *D. Bonaventura* 4. *d.* 1. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 5.

Præcipua igitur difficultas manet de Circumcisione. Pro resolutione

39. *Circumcisio principaliter instituta figuram gerit.*

DICO I. Circumcisio primariò quidem fuit instituta, ut esset signaculum fœderis, quod popigit Deus cum Abrahamo, & distinctivum posteritatis & familiæ Abrahæ à reliquis populis: simulque protestativum fidei in Messiam venturum. Colligitur ex institutione Circumcisionis, prout refertur *Genes.* 17. & de Abrahamo *ad Rom.* 4. dicitur: *Signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio.* Idipsum saltem volunt Patres; *Justinus Martyr Dial. contra Tryphonem*; *Circumcisionem* (inquit) *accepit Abraham, significationis gratiâ, non justitiæ. Irenæus lib.* 4. *contra hæreses cap.* 3. ubi asserit Circumcisionem esse datam, non ut consummationem justitiæ, sed ut cognoscibile perseveraret genus Abrahæ. *Cyrillus l.* 10. *in Iulianum* negat valuisse ad justitiam. Similia habent alii Patres.

40. *Secundario in remedium originalis peccati.*

DICO II. Nihilominus circumcisio secundariò & consequenter instituta fuit remedium originalis peccati pro parvulis masculis, quo ipsum originale delebatur, & per consequens gratia justificans infundebatur. Ita communiter Doctores cum *D. Thoma q.* 70. *art.* 4. *in corp.* qui addit ita ab omnibus sentiri, ut mirer ipsum citari à *Vasquez* & *Lugo* in contrarium ex hoc loco aut ex *q.* 62. *art.* 6. *ad* 3. ubi similiter tradit potiùs Conclusionem nostram. Quam etiam tradit *Do. Bonav. d.* 1. *p.* 2. *in Expos. textûs dub.* 1. & *art.* 2. *q.* 1. *in Conclus.* & *q.* 3. *in corp.* Immo *Scotus d.* 1. *q.* 6. *n.* 1. ait, *hoc supponendum esse tamquam certum.* Quod censent etiam variis alii Doctores. Probatur ex *August. lib.* 3. *contra Iulian. cap.* 18: *Responde, si potes: cur ipse Isaac, nisi baptismatis Christi signo circumcisus die octavo fuisset, periisset anima ejus de populo suo? Explica si potes: tanta pœna quo merito plecteretur, nisi ab hac illo Sacramento liberaretur? Lib.* 2. *contra*

litteras

litteras Petiliani c.72. Antiquus populus Dei circumcisionem pro baptismo habebat. Lib.4. de Baptismo contra Donatistas c. 24. cur præceptum est ei, Abrahæ, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, nisi quia & ipsum per seipsum Sacramentum multùm valebat? Et alibi sæpè. *Gregorius 4. Moral. c. 2. Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud Veteres..... pro iis qui de stirpe Abrahæ prodierunt mysterium circumcisionis.* Idem tradunt *Prosper Ep. ad Demetriadem, Fulgentius de Incarnat. cap.15. Isidorus, Beda, Bernardus, Rupertus, Hugo Victorinus.*

Nec non Innocentius III. c. *Majores de Bapt.* dicit, quòd *Baptisma circumcisioni successit.* Et confert verba *Genes. 17. Masculus cujus caro præputii circumcisa non fuerit &c.* verbis Christi *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei.* Explicansque utriusque effectus subjungit: *Etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cælorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum.*

Habet insuper hæc Patrum doctrina fundamentum in illis verbis *Gen. 17. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quæ verba licèt Varii intelligant de solis adultis; tamen *Septuaginta Interpretes*, & ex iis *Augustinus* ac multi veteres Patres repetunt, *octavo die.* Quod etiam noster Interpres antea v. 12. posuerat. Et quàmvis postea rursum id non addat, sententia tamen generalis est, ut etiam de parvulis intelligi possit. Unde lectio *Septuaginta* (quæ etiam in nova editione factâ jussu Sixti V. retenta fuit) explicat editionem vulgatam. Cùm itaque parvuli octavo die non circumcisi anima fuerit delenda de populo Dei, non solùm carnali Judaico, sed potissimùm spirituali, nempe justorum, ut constanter hunc locum intelligit *Augustinus 16. de Civit. c.27.* & frequenter in libris contra *Julianum*, signanter *lib. 2. cap. 6.* sequitur circumcisionem purgasse à peccato originali, cui soli anima pueri est subjecta.

Denique idem confirmat ratio, quæ in prædictis verbis allegatur, videlicet, *quia pactum meum irritum fecit:* cùm enim parvulus octavo die non circumcisus damnari non potuerit ex eo præcisè, quòd irritum fecerit pactum de adhibenda circumcisione, quandoquidem pacti personalis sit incapax; sequitur fuisse damnandum ex eo, quòd insuper irritum fecerit pactum peccando in Adamo, à quo peccato debebat per circumcisionem purgari. Ita *Aug. l.2. de Nupt. & Concupisc. c.11.*

Est tamen observandum circumcisionem nõ potuisse adhiberi seminis, nec ante octavum diem masculis ob infantium teneritudinem; etsi fortè citiùs adhibita, fuisset valida quantùm ad præsentem effectum, cùm tempus juxta *D. Bonaventuram 4. d. 1. p. 2. art. 2. q. 2.* sit quidem necessarium quoad observantiam, non tamen quoad efficaciam. Deinde ipsa fuit omissa in deserto quadraginta annis, ut colligitur ex *Josue 5.* Unde cùm non sit credibile feminas generaliter, aut masculos ante octavum diem fuisse destitutos Sacramento justificante, seu remedio, quod licitè potuerit adhiberi, aut fideles tanto tempore tam universaliter neglexisse medium unicè necessarium parvulis frequenter mox à nativitate morientibus; existimandum est feminis generaliter & masculis periclitantibus ante octavum diem potuisse adhiberi remedium legis naturæ: idemque ex dispensatione aut instinctu divino fuisse adhibitum tempore peregrinationis Israelitarum per desertum, quo tempore ob incertitudinem motûs castrorum, quæ movebantur ad motum nubis, non poterat servari circumcisio. Quæ insuper tunc erat minùs necessaria in quantùm erat signum distinctivum: cùm in deserto non possint Gentibus commisceri. Unde postmodum præcepta fuit una generalis circumcisio in terra promissionis, in typũ illius quæ futura est in patria. Quæ rectè notavit *D. Bonav. sup.*

remedium legis naturæ.

Ex dictis hac Conclusione satìs colligitur insundatam esse recentem opinionem *Lugo disp. 5. sect. 2.* qui volens componere auctoritates Patrum specietenus repugnantes dixit circumcisionem tantùm fuisse à Deo institutam in signum, adeoque ex institutione sua non deleviss̃e originale; equidem solitam fuisse eâdem operâ assumi pro remedio legis naturæ (quod putat fuisse ceremoniam liberam) quoad masculos parvulos, quibus aliud necdum erat applicatum. Hoc namque manifestè dissonat allegatis auctoritatibus, quæ apertè tribuunt hanc vim circumcisioni vi institutionis factæ *Gen. 17.* Quas proinde constanter ita intellexerunt antiquiores Theologi. Deinde gratis dissimulato, quòd determinatio remedii legis naturæ fuerit olim in arbitrio illud applicantium: unde didicit *Lugo* Judæos adeò concorditer relicto veteri remedio adhibuisse masculis suis novum circumcisionis, & usque ad octavum diem expectasse, non adhibitâ citiùs aliquâ oblatione parvuli mundativâ, si non erat vi divinæ ordinationis seu institutionis obligatio in hunc finem regulariter adhibendi circumcisionem?

43. *Nova Patrum explicatio, quam Lugo allegat, refutatur.*

Dico III. Circumcisio (idem ferè est de Remedio legis naturæ) rectè dici potest parvulis contulisse gratiam deletivam peccati originalis ex opere operato. Ita *Scotus sup. num.11.* & plurimi alii. Probatur ex auctoritatibus præced. concluſ. citatis, in quibus ex vi institutionis divinæ idem tribuitur circumcisioni quod baptismo; diciturq; *tantum Sacramentum liberare à pœna interitûs, per seipsum multùm valere, & originalem culpam*

44. *Circumcisio conferebat gratiam ex opere operato saltem parvulis.*

per mysterium circumcisionis remitti; & consequenter per illud conferri gratiam sanctificantem, sine qua juxta legem ordinariam peccati non fit remissio: atqui nihil aliud requiritur ad conferendam gratiam ex opere operato, ergo &c. Confirmatur: quia circumcisio non habet vim ex opere operantis parvuli, qui est incapax meriti personalis; nec ex opere operantis ipsius parentis aut circumcidentis parvulum: nam alioquin malè fuisset provisum parvulis, utpote qui à malis circumcisi nullum fructum habuissent. Unde falsum est fuisse requisitam fidem internam parentum, velut meritum operantis: sufficiebat enim implicita seu objectiva in ipsa circumcisione, quæ adhibebatur, inclusa, vel ad summum fides Ecclesiæ aut congregationis Fidelium: alioquin non rectè auctoritates remissionem culpæ in solam circumcisionem refunderent. Unde *Aug. lib. 1. contra Cresc. c. 31.* & alibi asserit circumcisionem etiam Samaritanorum parvulis valuisse.

45. Dices I. Circumcisio non contulit gratiam adultis, ut ex Patribus fusè probat *Bellarminus l. 2. de Sacrament. c. 14. & seqq.* ideoque Apostolus *ad Rom. 4.* docet Abraham non fuisse justificatum ex circumcisione, sed ex fide, scilicet vivâ per charitatem, & accepisse circumcisionem tamquam signaculum justitiæ fidei, quæ erat in præputio Abrahæ: ergo circumcisio non confert gratiam ex opere operato: alioquin etiam conferret illam omni non ponenti obicem, idque præter ejus meritum. Resp. dissimulato Antec. Neg. Cons. ad cujus probationem dico sufficere ut conferat gratiam non ponenti obicem, quando adhibetur illi, pro quo est instituta in ratione signi efficacis gratiæ; prout solùm instituta fuit pro parvulis peccato originali infectis, seque per actus proprios ad justificationem disponere non valentibus, ut ex auctoritatibus & congruentiâ colligitur, & innuitur à *Scoto sup.* Pro adultis verò tantùm fuit instituta in signum fœderis & distinctivum populi Dei à reliquis gentibus. Idemque communiter dicitur de Remedio legis naturæ, quod etsi respectu parvulorum esset efficax gratiæ, non tamen respectu adultorum. Aliqui nihilominus existimant remedium externum deletivum originalis peccati potuisse cum fructu semel singulis, etiam adultis, quibus necdum fuisset adhibitum, vel antea justificatis per actum internum, potuisse applicari; non quidem causando in adultis primam gratiam cum attritione instar sacramenti mortuorum (quod imperfectionem istius statûs excedit) sed conferendo gratiæ augmentum. Quare idem consequenter dicunt de circumcisione quoad masculos Hebræorum: etsi ita non profuerit Abrahæ, utpote qui dudum per remedium legis naturæ gratiam acceperat. Quæ tamen satis gratis videntur dicta, minusque imperfectioni istius statûs congruentia.

Ex quo non rectè arguitur contulisse gratiâ adultis,

Quàmvis & his gratiam contulisse sit incerta quorumdam nec adeò fidata conjectura,

Non tamen Abrahæ illam contulit.

Dices II. Apostolus *ad Rom. 3. & 4. ad Gal. 3. & 5.* aliisque locis videtur adimere circumcisioni vim justificandi, quod etiam faciunt varii Patres. Idem continetur in generalibus locutionibus Scripturæ & Patrum, dicentium Sacramenta veteris legis (sub quibus communiter recensetur circumcisio) non contulisse gratiam, sed illam tantùm præfiguràsse conferendam per passionem Christi in Sacramentis novæ legis. Quod clarè expressit *Concilium Florentinum in Decreto de Armenis*, cujus verba in principio quæstionis retulimus. Resp. Auctoritates istas posse & debere explicari, ut non contrarientur auctoritatibus *Augustini, Gregorii, Innocentii III.* & aliorum Patrum manifestè tradentium doctrinam nostræ Conclusionis.

Dico itaque Apostolum subinde loqui de circumcisione pro statu novæ Legis; prout *1. ad Cor. 7.* ait: *Circumcisio nihil est*, scilicet homini qui Christianam fidem suscepit. Subinde eam sumit pro ipso Judaismo. Quo sensu *ad Galat. 5.* ait: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium*, id est, in Christianismo neque Judaismus, neque Gentilismus quidquam valet ad justitiam seu beatam vitam.

Aliis autem locis ad sensum Judæorum negat circumcisionem aut ulla opera Legis valuisse ad justificationem sine spiritu fidei & meritis Christi Jesu; cùm tamen ipsi plus æquò in efficacia operûm suæ legis præ Gentibus gloriarentur. Ad quod impertinens est, circumcisionem profuisse parvulis masculis Hebræis ex secundaria ordinatione Dei ad deletionem originalis peccati: cùm & illam vim habere ipsam dicamus, quatenus erat protestatio fidei in Christum, atque adeò ex ejus meritis & passione. Et Judæi hac ratione non possent præ Gentibus gloriari, cùm non justificaret tamquam opus legis, sed deserviret tantùm parvulis masculis loco remedii legis naturæ, quod etiam habebant Gentes. Alioquin cùm Apostolus etiam excludat gloriationem Gentium, sequeretur nec remedium Legis naturæ quidquam valuisse ad justificandum parvulos.

47. Eodem modo intelligendi sunt Patres, qui phrasi Apostoli non nisi utilitatem specialem circumcisionis præ præputio aut favore Gentibus concesso excludunt. Vel certè volunt non valuisse Abrahæ adulto & dudum justificato etiam per remedium legis naturæ ad justitiam; neque valere ex primaria institutione: non autem, quin saltem parvulis ex secundaria institutione valuerit. Vel illam sic esse institutam tamquam remedium sine quo non possit obtineri universaliter justificatio, utpote quæ sine illa feminis, nec non ante institutionem

nem etiam masculis obtigerit, ut arguunt quidam Patres. Vel denique illam non fuisse datam velut consummationem seu statum consummatum justitiæ; neque ut dispositionem immediatam ad gloriam, quia non aperuit januam. Vide *Scotum d. 1. q. 6. n. 11.* Si unus vel alter nullam explicationem patereturr (ut solus *Chrysostomus* juxta *Arriaga disp. 9. s. 4. n. 19.*) id non debet præjudicare nostræ doctrinæ.

48. Ad auctoritates aliorum generaliter asserentium inefficaciam Sacramentorum veteris Legis, dico illos non comprehendere Circumcisionem respectu parvulorum infectorum peccato originali. Nam præterquam quòd circumcisio non sit ex Moyse, sed ex Patribus, ut dicitur *Ioan. 7.* non conferebat quoque ipsa gratiam quatenus erat præcisè opus legis, sed quatenus erat remedium Legis naturæ, Gentibus quidem commune, sed pro Israëlitis masculis divinitùs restrictum ad tale signum; ac proinde non poterant Judæi idcirco præ Gentibus gloriari. Specialiter autem id censendum est de *Concilio Florentino*, quod agit contra Armenos ex errore existimantes Sacramenta novæ Legis non habere efficaciam, sed esse nuda signa instar Sacramentorum aut ceremoniarum legis Mosaicæ: non enim solent Concilia in locutionibus generalibus condemnare *Augustini, Gregorii, Innocentii III.* & tot aliorum Patrum ac Theologorum doctrinam: de qua in *Concilio Florentino* non fuerat mota controversia specialis. Loquitur itaque *Florentinum* stylo consueto etiam ipsius *Augustini* (de cujus tamen mente quis meritò dubitet, quantùm ad efficaciam circumcisionis?) qui iisdem ferè verbis in *Psal. 73.* & *Ep. 19.* quæ est ad Hieronymum, docet Sacramenta antiquæ legis non contulisse gratiam sed tantùm præfiguraſſe. Similia habet *lib. 19. contra Faustum c. 13.* Unde sicut ipse *Augustinus* non comprehendit circumcisionem quatenus erat remedium pro originali pro Israëlitis, sic nec *Florentinum* simili modo loquens, aut alia Concilia. Vel certè cum *Arriaga d. 9. sect. 4. num. 19.* & aliis dicendum foret *Florentinum* loqui de antiquis, utì de novis, universaliter, adeoque discrimen subsistere per hoc quòd omnia nova contineant & causent gratiam; non tamen omnia antiqua, sed potius vix ulla, unum scilicet vel alterum. Et planè ipsi adversarii debent simili aliquo modo explicare *Florentinum* quantùm ad remedium legis naturæ, quod etiam cum Sacramentis ceteris in antiqua lege quoad fe mimas perseveravit, adeoque simili quâ circumcisio ratione inter antiqua Sacramenta recensendum esset.

49. Instabis: Concilia videntur continentiam & efficientiam gratiæ appropriare Sacramentis novæ Legis; adeò ut nequidem remedium legis naturæ videatur posse conferre gratiam ex opere operato, & per consequens nec circumcisio. Resp. Neg. Ass. cùm ex antè dictis satis constet institutum fuisse remedium contra peccatum originale, idque pro masculis de posteritate Abrahæ fuisse regulariter circumcisionem; adeòque non potuerunt Concilia prædicto remedio efficientiam gratiæ denegare, & consequenter loquuntur de Sacramentis & ceremoniis legis Mosaicæ, non comprehensis præfatis remediis. Quàmvis Sacramenta novæ Legis speciali ratione contineant gratiam, tamquam scilicet sibi propriam, eamque abundantiorem, cùm etiam remedium legis naturæ gratiam, quam conferebat parciorem, deberet ex lege Evangelica mendicare. Sunt tamen Nonnulli, qui putent remedium hoc sive circumcisionem non tam causasse gratiam ex opere operato, quàm fuisse meram conditionem sine qua non. Sed hi reducunt difficultatem ad quæstionem de nomine, in qua sine ratione negant remedium illud sive circumcisionem fuisse causam moralem gratiæ, contra aperta testimonia *Augustini, Gregorii, Innocenti III.* & aliorum suprà citatorum.

Solutio.

Quid specialiter declaretur de Concilio Florentino.

Latissimè generaliter de inefficacia Sacramentorum veteris legis non comprehendit circumcisionem respectu parvulorum.

Tuetur instantiam.

Dices denique: Si circumcisio habuerit istum effectum, mirum est, quòd *Iosephus* & *Philo* illius non meminerint, cùm tamen exactè omnia describant. Resp. Neg. Ass. quia nec meminerunt remedii Legis naturæ: effectus autem ille circumcisionis nō est, quatenus ipsa est ceremonia legis Mosaicæ (de qua agunt) sed quatenus jam ante erat subrogata in locum remedii legis naturæ.

50. *Cur Iosephus & Philo non meminerint singularis effectus circumcisionis.*

QUÆSTIO V.

An, Quot, & à quo instituta sint Sacramenta novæ Legis?

51. ESSE in nova Lege proprii nominis Sacramenta apud omnes est indubitatum, & patebit ex dicendis de eorum numero, ac singulis in particulari. Necessitas porrò ea instituendi non fuit absoluta & simpliciter: poterat enim Deus aliis externis symbolis, præsertim sacrificiis, populum Christianum adunare, & gratiis liberaliter donandis efficaciam Sacramentorum supplere. Congruentissimum tamen fuit, attentâ Dei benignitate, hominisque infirmi indigentiâ & conditione, hujusmodi sensibilia signa instituì. Quare *pauca pro multis* antiquis, *eademque facta facillima, & intellectu augustissima, & conservatione castissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina*; ut inquit *S. Aug. l. 3. de doctrina Christiana c. 9.* quibus Deus, (ut ait *Ep. 118. in princip.*) *societatem novi populi colligavit*; & in quibus (ut ait *Trid. sess. 14. in proœmio de Extrema-Vnct.*) *auxilia maxima præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori spiritûs incommodo possint.*

In nova lege Sacramenta instituta sunt congruentissimè.

52. *De quorum numero valdè incẽstanter & diversimodè loquuti sunt Sectarii recentiores.*

De numero Sacramentorum Hæretici recentiores tam diversimodè & inconstanter scripserunt, ut omnes inter se, & iidem sæpè secum pugnent; ut ex illorum scriptis deducit *Bellarminus l. 2. de Sacrament. in genere c. 23.* Calvinistæ quidem communiter solùm admittunt Baptismum & Cœnam: *Calvinus* ipse *l. 4. Instit. c. 19. §. 28. & 31.* illis addit Ordinationem: quam ideo non posuit in numero, quòd non esset Sacramentum Ordinarium, nec commune apud omnes fideles, ut habet §. 28. *citato.* Alii admittunt Baptismum, Cœnam & Matrimonium, ut *Zwinglius. Lutherani* communiùs admittunt Baptismum, Eucharistiam & Pœnitentiam, secuti *Lutherum*; qui tamen aliquando docet, secundùm usum Scripturæ loquendo tantùm esse unum, aliquando verò, si rigidè loqui velimus, esse duo, Baptismum & Eucharistiam. Alii his tribus etiam annumerant Ordinem; ut *Melanchton*; qui alibi propendet ad superaddendum Matrimonium: quàmvis idem nunc duo, nunc tria, nunc quatuor admittat. Tandem *Lutherani* aliqui admittunt septem: quæ etsi neganda censuerit *Lutherus in lib. de . Babylonica in initio*, tamen in medio libri *. ap. de Confirmat.* dixit se non damnare septem Sacramenta, sed tantùm negare ea ex Scripturis probari posse. De quibus vide *Bellarminum sup.*

53. *Sed fides Catholica non plura neque pauciora statuit, quàm septem.*

Fides Catholica docet esse septem, & non plura, neque pauciora novæ legis Sacramenta propriè dicta; quæ sunt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo & Matrimonium. Ita definit *Trid. sess. 7. de Sacram. in gen. can. 1.* Idem antea definierat *Florentinum in Decreto de Armenis*, consentientibus non solùm Latinis, sed etiam Græcis & Armenis. Idem jam ab annis ampliùs quadringentis cum *Magistro* docuerunt unanimiter Theologi. Ratio principalis est voluntas Christi; cujus certissimum testimonium, sumitur ex Ecclesiæ universali traditione: quam à Christo & Apostolis profluxisse inde patet, quòd nec inter Catholicos hac de re, umquam fuerit dissensio, nec Hæretici *Lutherani* & *Calvinistæ* antiquiores contradixerint; nullum etiam Concilium aut Pontifex istum numerum primò introduxisse legatur, nec ullus Historicus umquam retulerit primum istius doctrinæ auctorem, vel tempus quo cœpit doceri; utì de singulis hæresibus origo earum refertur ab Auctoribus res sui temporis conscribentibus. Provenit ergo ex traditione Christi & Apostolorum, juxta regulam *Augustini l. 4. de Baptismo c. 24. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Deinde agendo de singulis Sacramentis in particulari ostendetur, quòd sint verum Sacramentum; de aliquo autem alio, præter septem prædicta, ex nullo capite ostendi potest.

Quæ fundatur in universali traditione Ecclesiæ.

Congruentiam hujus numeri septenarii assignat *Florentinum sup.* Nam cùm Sacramenta ordinentur ad hominem perficiendum; isque perfici possit, vel in ordine ad communitatem, vel in ordine ad seipsum: Hinc quinque prima Sacramenta ad spiritualem hominis in se ipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt. Nam baptismo spiritualiter regeneramur, confirmatione augemur & in spiritu roboramur: renati & roborati nutrimur divinæ Eucharistiæ alimoniâ: infirmati sive vulnerati per peccatum medicinali Pœnitentiæ Sacramento sanamur; sicut & per Extremam-Unctionem sublatis infirmitatum reliquiis ex peccato relictis spiritualiter sanamur, pro extrema lucta roboramur, ac etiam corporalem (si expediat) sanitatem recipimus. Ordine Ecclesia gubernatur ac propagatur spiritualiter, corporaliter Matrimonio. Vide *D. Bonav. l. 2. art. 1. q. 3. in corp.* & *D. Thomam q. 65. a. 1.*

54. *Ejusdem numeri septenarii necessitas non minor quàm Scripturæ vel traditionis.*

Nec obstat, quòd Scriptura & Patres nullibi dicant esse septem Sacramenta: nam nullibi etiam hoc negant: adeoque id non concludit ab auctoritate negativa. Quemadmodum non sequitur, non esse quatuor Evangelia, quia Scriptura nullibi hoc dicit. Prout etiam minimè dicit Scriptura aut Patres esse tantùm duo, aut tria aut quatuor Sacramenta: qualem tamen numerum statuunt Hæretici. Non fuit etiam Scripturæ aut Patrum propositum omnia Sacramenta enumerare; quàmvis singula sparsim satis tradant, prout nos suis locis ostendemus. Interea videri potest *Bellarm. sup. c. 24.*

55. *Sufficit singula sparsim tradi.*

Sufficere profectò deberet auctoritas & traditio Ecclesiæ, ut de ea præclarè *Hieronymus Dialogo contra Luciferianos ante med.* An nescis (inquit) *hunc esse Ecclesiæ morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? in actibus Apostolorum. Et etiamsi sacræ Scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

56. *S. Augustinus multa exemplo gratiâ proponit aliqua, quæ solùm exemplificatur.*

Non obstat etiam, quòd *Augustinus Ep. 118. in princ.* dicat, Christianos frui *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis ..... sicut est Baptismus nomine Trinitatis consecratus, Communicatio corporis & sanguinis ipsius; & si quid aliud Scripturis Canonicis commendatur.* Nam ibi duo principalia, facilia & communia solum exprimit gratiâ exempli, non dubitans tamen, sed potius supponens esse plura. Pro quo remittit se ad commendationem Scripturæ, haud tamen excludens Traditionem Ecclesiæ, quam tanti fecit, ut *l. contra Epistolam fundamenti c. 5.* dicere non dubitaverit: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi Catholicæ Ecclesiæ me commoveret auctoritas.*

Simili modo quo *Epist. 118.* loquitur etiam *l. 3. de Doctrina Christiana c. 9.* ubi post

post verba relata n. 51. subdit: *Sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.* Quare alibi apertè plura significat. Nam *Conc. 1 in Psal. 103. circa medium* ait: *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ: Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in ceteris Sacramentis.* Et *lib. 5. de Baptismo cap. 20.* ait: *Quomodo exaudit Deus homicidam deprecantem, vel super aquas baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur?* De Confirmatione *lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* De ordine *l. 2. contra Epist. Parmeniani c. 13.* inquit: *Utrumque* (scilicet Baptismus & Ordinatio) *Sacramentum est, & quædam consecratione utrumque homini datur.* De Extrema-Unctione videndus est in *libro de Speculo*, & *Serm. 215. de temp.* & *l. 2. de Visitat. infirmorum* (de quo tamen non constat, quòd sit *Augustini*) *c. 4.* De Sacramento Matrimonii clarè tractat *lib. de bono conjugali c. 16. 18. 19. & 24.* Unde patet *Augustinum* omnia septem Sacramenta agnoscere.

Quæ alibi apertè tradat, prout ea singulis examinantur.

57. *An & quis sit ordo inter Sacramenta novæ legis.*

Quod ad ordinem Sacramentorum attinet, enumerantur ea ordine à nobis superiùs posito, tum à *Florentino* & *Tridentino*, tum à Catholicis Scriptoribus communiter. Idemque ferè est ordo susceptionis seu executionis: cùm ingressis Ecclesiam per Baptismum adultis mox, si opportunum sit, detur Confirmatio, dein Eucharistia, etiam parvulis post Baptismum olim præberi solita; quam proinde per accidens ab aliis præcedit Pœnitentia, cujus, ipsiusque Christianæ vitæ consummativa est Extrema-Unctio. Ordo & Matrimonium inter se non habent ordinem. Quantùm ad ordinem dignitatis, non omnia esse inter se paria definit *Trid. sess. 7. can. 3.* Dignissimum siquidem constat esse divinum & Venerabile Sacramentum, quod & sanctitate & mysteriorum numero ac magnitudine longè cæteris antecellit. In reliquis variæ possunt considerari rationes, quibus singula singulis præferantur, ut in Baptismo major efficacia, in Confirmatione dignior minister, in ordine nobilior gradus seu status &c.

58. *Christus immediatè instituit omnia novæ legis Sacramenta.*

Denique quod attinet Auctorem sive institutorem novæ Legis, is indubiè est Christus Dominus, qui omnia instituit per se immediatè. Ita unanimiter Theologi, præsertim post *Tridentinum.* Nonnulli tamen (quod non mirum) qui olim ante *Tridentinum* scripserunt aliter sensérunt, vel sensisse visi sunt de quibusdam Sacramentis, signanter Confirmatione velut institutâ à *Concilio Meldensi*, & Extrema-Unctione velut institutâ ab Apostolis; nisi fortasse de promulgatione loquantur. Difficilia quædam de his habet *S. Bonaventura 4. d. 7. art. 1. q. 1. in corp.* ubi videtur præferre illam sententiam, quæ docebat Confirmationem quoad formam fuisse postmodum institutam à Spiritu sancto & *q. 2. Christus* (inquit) *hoc Sacramentum non instituit.* Similiter *d. 23. art. 1. q. 2. in corp.* videtur docere Extremam-Unctionem esse à Spiritu sancto per Apostolos velut promulgantes institutam; sicut præcepta Legis veteris sunt à Deo data per Moysen, ut explicat *ibid. ad 2.* Nihilominus sensum *S. Bonaventuræ* non differre à doctrina hodie communi observat *Angelus Rocca in Præfat. ad Lectorem* præfixâ Tomo 5. Ex *Breviloquii p. 6. c. 4. Centiloquii p. 3. sect. 47. Hoc tenendum est* (inquit *Breviloq. loco cit.*) *quòd septem Sacramenta legis gratiæ Christus instituit tamquam novi testamenti mediator, & præcipuus lator legis, in qua vocavit ad promissa æterna, dedit præcepta dirigentia, & instituit Sacramenta significantia.*

Et infra subdit: *Instituit autem prædicta Sacramenta diversimodè: Quædam scilicet ex eis confirmando, approbando & consummando, ut matrimonium & Pœnitentiam* (quæ nempe ante legem novam extiterant, & per Christum sunt confirmata & consummata in ratione Sacramenti novæ legis) *Quædam autem insinuando & initiando, ut Confirmationem & Unctionem extremam* (quæ nimirum velut novæ legi propriissima insinuavit, dum pueris manum imposuit, & Apostolos misit ungere ægrotos, & quibus sua institutione primum initium dedit) *Quadam vero initiando, & consummando, & in semetipso suscipiendo, ut Sacramentum Baptismi, Eucharistiæ & Ordinis. Hæc enim tria, & plenè instituit, & etiam primus suscepit.*

58. *Quod efficaciter infertur ex Tridentino.*

Probatur doctrina communis ex *Trid. sess. 7. can. 1.* ubi dicitur: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta ..... anathema sit.* Ubi licèt Concilium non addat, *immediatè*; id tamen exigit verborum proprietas: cùm non dicatur propriè quis aliquid instituere, ad quod instituendum alteri solùm tribuit potestatem. Sic etsi Deus sive Christus Ecclesiæ dederit potestatem ferendi leges, tamen leges ab Ecclesia latæ, non dicuntur divinæ aut latæ à Deo. Deinde *Trid. sess. 14 can. 1.* de Sacramento Extremæ-Unctionis (de quo poterat maximè dubitari) definit, illud *esse à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum.* Ubi cùm Apostolo solùm tribuat promulgationem, clarè patet, ipsum non Apostolis, sed Christo adscribere immediatam institutionem. Denique quia aliàs rectè diceretur, Christum instituisse omnia sacramentalia, quia dedit Ecclesiæ potestatem ista instituendi.

Probatur II. Quia *Trid. sess. 21. cap. 2.* supponit Ecclesiam nihil posse mutare circa substantiam Sacramentorum: existimavit ergo Ecclesiam non posse instituere; cùm ejus sit legem mutare, cujus est ferre.

Confirmatur I. ex Apostolo *1. ad Cor. 4.* ubi

ubi dicuntur Apostoli non Auctores, sed dispensatores mysteriorum Dei. Confirmatur II. quia aliqua Sacramenta sunt immediatè à Christo instituta; ergo omnia: cùm de omnibus sit par ratio: omnia enim significant & efficiunt gratiam, quæ à solo Deo potest causari: omnia concurrunt tamquam columnæ & ædificium Ecclesiæ, cujus architectus & caput est Christus.

Quanta sit hujus doctrinæ certitudo.

Ob evidentiam horum testimoniorum, signanter *Tridentini*, censent Aliqui Conclusionem esse de fide: Alii (ut *Sotus* & *Suarez*) eam sine temeritate negari non posse. Nec mitiorem censuram alii recentiores Scriptores de oppositâ doctrina ferrent, qui nostram velut indubitatam unanimiter tradunt.

60. Nec obstat illud *Cypriani Serm. de ablutione* pedum dicentis: *Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti* (intellige, Eucharistiæ) *institutor & auctor: in cæteris homines Spiritum sanctum habuere Doctorem.* Nam ex hoc, ut sonat, accepto contra ipsos Hæreticos sequeretur Christum nequidem baptismi esse auctorem. Deinde ex stylo & aliundè satis colligitur auctorem non esse *Cyprianum*, qui etiam præjudicare non posset doctrinæ ab Ecclesia declaratæ. Præterea responderi posset, per *suum Sacramentum*, intelligi omnia septem, utpote verè Christi Sacramenta, à quo & alia præcepta immobiliter instituta esse Auctor præmiserat, inter illa recensens Baptismum, Confirmationem & Ordinem. Quare ly *in cæteris* non refertur ad Sacramenta, sed ad ea, quæ Apostoli Spiritu sancto dictante scripserunt & tradiderunt, quibus similiter nihil addi, nihilque subtrahi potest, ut idem Auctor ait. Vide *Vasquez disp.* 135. *n.* 12. & 13.

Auctor Sermonis de ablutione pedum non est Cyprianus:

Cujus equidem verba explicantur.

61. Non obstat etiam, quòd *Aug. Epist.* 118. *c.* 1. postquam dixisset: *Sacramentis numero paucissimis ..... societatem novi populi colligavit; sicuti est Baptismus, Communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur*; subdat: *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis ..... commendata atque statuta retineri.* Nam hæc verba non refert *Augustinus* ad Sacramenta (ut explicat *Poncius disp.* 41. *n.* 43. consequenter sic torquens verba *Augustini*, quasi significet ea retineri in Ecclesia tamquam instituta & commendata à Deo, & data intelligi per Apostolos vel Concilia) quæ quidem generatim jam antea expresserat, sed ea refert ad instituta Ecclesiastica, *sicuti* (verba sunt *Augustini* immediatè subjecta) *quòd Domini passio & resurrectio & ascensio in cælum, & adventus de cælo Spiritûs sancti, anniversariâ solemnitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universâ quacumque se diffundit Ecclesiâ.*

Explicatur locus Augustini ex Epist. 118.

62. Sed controversia manet inter Scholasticos, an ex speciali Dei commissione potuisset înstitui aliquod Sacramentum à puro homine. Quæ lis cum videatur de nomine; breviter

An pura creatura constituere possit aliquod Sacramentum.

Dico, quòd posset Deus committere creaturæ potestatem designandi certa signa, quibus Deus infallibiliter annecteret gratiam, sicut est annexa Sacramentis de facto institutis: cùm nulla in hoc appareat repugnantia. Unde si institutio Sacramenti nil aliud importet (præut vult *Suarez* & plures alii) potest creaturæ comunitti facultas instituendi Sacramenta. Non potest tamen creaturæ à Deo committi potestas instituendi signa efficacia gratiæ tali modo, ut sicut vis significandi, sic etiam vis causandi gratiam (quod utrumque importat Sacramentum) in voluntate seu institutione creaturæ radicetur, aut illâ principaliter nitatur: quàmvis enim significatio ex instituto non excedat facultatem hominis tamquàm instituentis & causæ principalis; gratiæ tamen causatio vires illius superat. Unde *Scotus d.* 1. *q.* 3. *n.* 5. & 6. *Vasquez disp.* 135. *c.* 2. & alii considerantes institutionem Sacramenti seu signi causativi gratiæ, quatenus æqualiter referretur in instituentem, tum sub ratione signi, tum sub ratione causæ gratiæ, rectè illam creaturæ esse delegabilem negarunt. Atque ita constat, esse quæstionem de nomine; in qua optimè dici videtur, potestatem instituendi Sacramentum sic posse delegari creaturæ, ut tamen institutio simul & principaliter foret à Deo, tum quatenus delegante auctoritatem designandi signa quæ vellet, tum quatenus ipse dat efficaciam conferendi gratiam, scilicet per volitionem suam institutione creaturæ priorem, quâ voluit gratiam annecti signis à creatura designandis, posito quòd designentur. Ita *Poncius d.* 41. *q.* 6. *n.* 40.

An pura creatura possit excellentiam quasi infinitam Sacramenti instituendo humanitati Christi communicare?

Si verò quæratur, an potestas excellentiæ, quæ competit humanitati Christi circa institutionem Sacramentorum, potuisset divinitùs communicari puræ creaturæ? Resp. Doctores passim id quidem negare, quæstionem tamen indigere declaratione. Nam humanitas Christi concurrit in primis designando signa sensibilia, eaque Ecclesiæ præscribendo. Et hoc constat potuisse communicari puræ creaturæ. Secundò concurrit merendo de condigno gratiam remissionis peccatorum vel augmentum justitiæ istis signis annecti, adeoque ipsam gratiam moraliter causando. Et de hoc quoque censendum est non implicare quantùm ad meritum augmenti gratiæ. Sed est controversia, quæ non est hujus loci, an divinitùs possibile sit meritum puræ creaturæ, quàmvis sanctæ, quod sit condignum remissionis alienorum peccatorum mortaliū, asserentibus id *Scotistis*, cæteris ferè id negantibus. Verùm independenter ab hujusmodi merito potuisset in humanitate Verbo

bo unitâ; adeoq; etiam in pura creatura, esse potestas excellentiæ quantùm ad præsens, quàmvis non tam perfectè defectu tituli meriti seu moralis causalitatis gratiæ. Denique concurrit humanitas Christi sic, ut in ordine ad habendam causam completè institutivam non foret opus ire extra personam; utpote in qua junctim erat humanitas & divinitas. Et hoc constat non esse communicabile puræ creaturæ manenti tali: uti nec communicabilem esse potestatem excellentiæ, quatenus connotat suam radicem seu fundamentum, scilicet Unionem hypostaticam. Et sic satis declaratum manet, an vel qualiter pura creatura divinitùs potuisset circà institutionem Sacramentorum facere id quod humanitas Christi fecit.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Materia & Forma Sacramentorum novæ Legis.

1. In Sacramentis aggregatum signorum sensibilium quodà sensu est materia, significatio forma.

CUM omne Sacramentum novæ Legis sit signum sensibile, dubitari non potest, quin in eo reperiatur illud quod signum est, & insuper ipsa significatio, quæ se habet ad rem, quæ signum dicitur, tamquam forma ad materiam: sicut figura v. g. sedis habet se per modum formæ respectu ligni, ex quo tamquam materia illud arte factum componitur. Sed sicut in hac ipsa materia v. g. ligno est præterea materia & forma ligni: sic quæritur, an in ipsis rebus sensibilibus, quæ signa Sacramentalia sunt, reperiatur præterea quod se habet instar materiæ, & aliud quod per modum formæ.

In ipsis insuper rebus sensibilibus est distinguere materiam & formam.

QUÆSTIO I.

An Sacramenta novæ Legis consistent rebus ut materiâ, & verbis ut formâ?

2. Sic ut Sacramenta consistent rebus tamquam materiâ, & verbis tamquam formâ.

RESP. affirmativè. Est certa & communis Theologorum Doctrinà. Eamque expressit *Concilium Florentinum in Decreto de Armenis* dicens: *Hæc omnia Sacramenta perficiuntur rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ.* Ideoque *Innocentius III. c. Nam ut apponeres* 5. *De Baptismo* definit, non esse Baptismum, qui collatus fuit per salivam defectu aquæ. Et *Alexander III. c. Si quis eod. tit.* determinat non esse baptismum collatum per ablutionem aquæ sine prolatione verborum: *Ego te baptizo.* Idem de quibusdam Sacramentis v. g. Baptismo & Eucharistia, colligitur ex Scriptura, & de omnibus docet Ecclesiæ traditio, quæ ab Apostolis profluxit. De quibus *Dionysius Areopagita c. 1. Ecclesiasticæ Hierarchiæ* ait: *Primi Duces sacerdotalis muneris visibilibus signis cælestia Sacramenta texuerunt, & partim scriptis, partim non scriptis institutionibus nobis tradiderunt.* Ratio à priori est voluntas Christi nobis per Ecclesiam intimata: supposito enim quòd Christus determinata signa instituerit, patet ea necessariò esse observanda: cùm significatio practica gratiæ competere nequeat signis, nisi ex divina institutione. Congruètia est, quòd Sacramenta novæ legis proportionatè ad ipsam legem debeant esse signa perfectissima; adeoque sensibilia sensibus perfectioribus, qui sunt visus & auditus; res autem videntur, verba audiuntur: & quia res præsupponuntur verbis, & ab his quasi determinantur, ideo res dicuntur materia, verba forma.

In veteri tamen Lege pleraque aut etiam fortè omnia Sacramenta constabant solis rebus: non enim reperitur aliqua verborum formula pro Circumcisione cæterisque illius legis Sacramentis præscripta. Idque congruebat obscuritati istius statûs & Sacramentorum umbraticorum; cùm verba clariùs & expressiùs significent, quàm res.

Notandum autem non velle *Concilium Florentinum*, quòd in quolibet Sacramento quævis verba concurrentia sint forma: cùm idem Concilium, ac etiam *Tridentinum sess. 14. c. 3. & can. 4.* Confessionem verbalem recenseant tamquam materiam Sacramenti Pœnitentiæ; ac similiter satisfactio sæpè consistat in verbis, v. g. precibus vocalibus. Manet equidem doctrina Concilii generaliter vera: quidquid aliquam exceptionem fecerit *Durandus 4. dist. 1. q. 3. n. 8.* quia etiam Sacramentum Pœnitentiæ constat verbis absolutionis tamquam formâ, & rebus tamquam materiâ, scilicet peccatis, quæ sunt materia circa quam, & contritione, quæ est materia proxima. Confessio etiam, etsi consistat in verbis, sive propriè dictis, sive æquivalentibus in necessitate; habet se tamen instar rei, quatenus ulteriùs determinatur per verba absolutionis tamquam formam. Similiter in Matrimonio reperiuntur res tamquam materia, scilicet corpora contrahentium, quæ sunt materia circa quam & objectum contractûs ac Sacramenti matrimonii: nec opus est aliam ibi materiam quærere, ex qua Sacramentum componatur (qua in re plurimum laborant Varii, signanter *Lugo d. 2. sect. 1.*) cum illud imitetur naturam contractuum, quorum materia censetur esse ipsum objectum quod in contractu proponitur. Ex quibus solutæ manent rationes dubitandi *Durandi.*

3. Etsi non quævis verba in omnibus Sacramentis sint forma.

Generaliter tamen vera manet doctrina Florentini quoad materiam & formam.

4. *Excepto, quòd solùm matrimonium possit perfici sine verbis stricte dictis,*

Notandum II. non velle *Concilium Florentinum*, quòd omnia Sacramenta debeant constare verbis propriè dictis sive vocibus tamquam formâ: quandoquidem matrimonium possit etiam celebrari per nutus & signa, v.g. à surdis & mutis, ut determinat *Innocentius III. c. Tuæ fraternitati 23. de Sponsalibus:* Et apertè insinuat ipsum *Florentinum in Decreto* dicens: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Ubi addendo, *regulariter*, significat extraordinariè posse perfici sine verbis. Ex quo etiam colligitur in aliis Sacramentis semper oportere adhibere verba propriè dicta; cùm in solo matrimonio fiat exceptio, quæ firmat regulam in contarium. Idem etiam habet communis sensus Doctorum & praxis Ecclesiæ.

5. *Nõ est equidem mens Florentini, quòd omnia essentialiter constituantur ex rebus & verbis.*

Notandum III. non velle *Florentinum*, quòd omnia Sacramenta intrinsecè & essentialiter componantur ex rebus & verbis, sive ex materia & forma. Ut proinde nullius momenti sit argumentum, quod inde Nonnulli desumere tentarunt, ad probandum, quòd in hoc vel illo Sacramento materia vel forma sit essentialis & intrinseca. Patet manifestè ex ipso Concilio, quod postea specificans & declarans res, quibus singula Sacramenta perficiuntur, pro materia Eucharistiæ assignat panem & vinum; quæ utique essentiam illius non ingrediuntur, immo vi consecrationis destruuntur. Similiter pro forma ejusdem assignat verba; quibus hoc conficitur Sacramentum; quæ similiter juxta plurimos Doctores non sunt de intrinseca ratione Eucharistiæ; sed eidem potiùs extrinseca, utì solet esse causa efficiens. De quo tamen suo loco. De Sacramento etiam Pœnitentiæ docet *Scotus* essentiam illius consistere in sola absolutione; quæ tamen cadere debeat super pœnitentem contritum & confessum. De quo postea. Similiter satisfactio, quæ assignatur tamquam materia partialis Sacramenti Pœnitentiæ, indubiè non est ei essentialis. Sacramentum quoque Matrimonii, utì ipse contractus, non includit intrinsecè corpora contrahentium, sed essentia illius consistit in solo signo expressivo mutui ac legitimi consensûs. De quo similiter suo loco agetur.

Accedit quòd *Florentinum* specificans materias Sacramentorum ferè tantùm assignet materiam remotam, v. g. aquam pro baptismo; & tamen aqua non est intrinseca Sacramento Baptismi (quod est actio quædam transiens) sed est potiùs materia circa quam versatur ipsa materia proxima & Sacramento intrinseca, scilicet ablutio, per quam applicatur aqua corpori baptizandi.

6. *Personam & intentionem ministri esse par-*

Denique accedit, quòd eodem planè modo *Florentinum* suprà dicat, *Omnia Sacramenta perfici personâ ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia:* & tamen minister ejusve intentio non ingreditur intrinsecè essentiam Sacramenti, juxta Doctores passim: quàmvis aliter opinetur *Lugo d. 2. sect. 7.* Quem operosè refutat *Dicastillo d. 1. dub. 19.* & rursum in simili *d. 4. De Sacramento Pœnitentiæ dub. 5. parte 2.* Sanè nimis procul *Lugo* abscessisse videtur, dum consequenter etiam ipsa peccata censuit esse de intrinseca essentia seu partem essentialem Sacramenti pœnitentiæ; quasi nimirum quidquid necessariò omnino ab aliquo requiritur vel præsupponitur sit pars essentialis ejusdem. Cujus equidem falsitas patet: tum quia Deus v.g. involvitur in objecto contritionis, & tamen non est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ: utì neque est pars essentialis aliorum Sacramentorum, vel cujuslibet creaturæ, à quibus omnibus necessariò præsupponitur. Tum quia agens non est pars essentialis respectu actionis, terminus respectu relationis, objectum respectu actûs vitalis; quorum tamen singula sunt respectivè necessariò, aut essentialiter prærequisita. Aliàs quoque prædicta forent aggregata per accidens ex Deo & creaturâ, substantiâ & accidente &c. Accedit, quòd ex eodem fundamento etiam persona suscipientis, nec non intentio ejusdem (si sit adultus; cujus proinde baptismus v. g. haberet plures partes diversæ rationis, quàm baptismus parvuli, in quo non requiritur intentio) item in quibusdam Sacramentis Sacerdotium, in Pœnitentia jurisdictio, in Extrema-Unctione infirmitas, in sex posterioribus Sacramentis Baptismus includeretur tamquã pars essentialiter componens; quæ absona & hactenus inaudita videntur; cùm tamen Sacramenta cum suis partibus adeò membratim à Conciliis & Doctoribus Catholicis fuerint recensita & enucleata.

Magis tolerabile foret, si intentio ministri diceretur esse pars essentialis ipsius actionis Sacramentalis; v.g. ablutionis baptismalis, consecrationis, &c. pars, inquam, indistincta, & sub ipsa actione computata: cùm intelligatur per ablutionem v.g. ablutio libera, & quidem certæ speciei moralis. Quare sicut intentio non tantùm proferendi verba seu signa consensûs, sed etiam contrahendi seque obligandi censetur esse de intrinseca essentia contractûs, & intentio orandi de essentia orationis: sic actio Sacramentalis, quæ est libera & certæ speciei moralis, videri posset in se includere intentionem illius quà talis. Nec contra hoc urgent ea, quæ suprà contra *Lugo* allegata sunt. Solùm occurrit disparitas inter Sacramenta ex una parte, & orationem, votum, contractum &c. ex altera parte, quòd hæc essentialiter & primariò consistant in actu interno, in quo etiam consummari possunt; nisi quòd contractus, quatenus est inter homines, exigat signum externum consensûs expressivum: ut proinde actus externi

sint

sint signa internorum, & ab his participent nomen orationis &c. At Sacramenta sunt ex prima & propria sua ratione externa symbola, quæ non sunt signa interni actûs, cui primariò conveniat ratio Sacramenti; sed solùm exigunt actum internum, tamquâ conditionē sine qua non, quo determinentur ad significandum quod Christus instituit. Is etenim instituit seu decrevit, ut certa symbola sensibilia efficaciter significarent gratiam, dummodo in subjecto capaci seu disposito ponerentur liberè tamquam substantia institutioni Christi; ubi apparet ratio Sacramenti esse velut effectus internæ intentionis. Quod non facilè improbari potest. Tamen fortè quis responderet, non obstante hac disparitate potuisse internam intentionem esse minùs principaliter de essentia actionum Sacramentalium, etsi primariò externarum; uti est de essentia aliarum actionum primariò internarum, v. g. orationis vocalis, contractus civilis &c, quarum essentiam complet, tum interior, tum exterior operatio.

8. Specialiter constituuntur Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia & Unctio ex materia proxima & forma.

Finaliter satis conveniunt Doctores in eo, quòd Baptismi, Confirmationis, extremæ-Unctionis & Ordinis essentiam ingrediantur, tum materia proxima, scilicet ablutio, chrismatio &c. tum forma, seu verba correspondentia: quia non est potior ratio de una quàm de altera: cùm utraque sit à Christo instituta, habeatque proportionem ad significandum effectum Sacramenti, ut singulas applicanti constabit.

QUÆSTIO II.

An verba Sacramentorum debeant esse concionatoria, an verò ritualia?

9. Hæretici retinentes exigunt verba concionatoria, Refutantur.

HÆRETICI variè & inconstanter ad Sacramenta requisierunt concionem, quâ divinæ promissiones proponantur, & fides circa eas excitetur. Et quidem aliqui eam requirunt tamquam partem essentialem Sacramenti, ut *Calvinus l. 4. Institut. c. 4. §. 4.* & in *c. 5. ad Ephes.* ait: *In Papatu nullam esse legitimam signorum observationem, quia nulla sit mysterii explicatio ad populum, quæ sola facit, ut mortuum elementum incipiat esse Sacramentum.* Alii aliter loquuntur. Sed repugnat praxi & sensui totius Ecclesiæ: cui velle refragari est insolentissima insania, ut ait *Aug. Epist. 118. ad Januarium.* Deinde si requiratur concio, utique quâ excitetur fides vera, adeoque à ministris veræ Ecclesiæ, & consequenter non posset quis validè suscipere Sacramentum nisi ab eisdem: quod tamen est contra ipsos Hæreticos, qui censent non esse rebaptizandos baptizatos à Papistis, ut docet *Calvinus l. 4. Instit. c. 15. §. 16.* Etsi inconsequenter ad prælegata ex eodem. Tertiò sequeretur nec *Calvinum* nec alios primos Hæreticos validè fuisse baptizatos; quippe qui sunt baptizati ritu Catholico sine concione. Denique parvulis saltem sine fructu conferetur Sacramentum Baptismi, cùm in illis per concionem nequeat excitari fides. Idem est de surdo, amente &c. Neque plebeis posset aliâ linguâ conferri, quàm vulgari: neque etiam in necessitate conferri v. g. Baptismus ab inidoneo ad instruendum seu concionandum.

10. *Catholici exigunt verba ritualia sic consecratoria.*

Veritas itaque Catholica habet, quòd verba, quibus conficitur Sacramentum, sint ritualia, seu consecratoria, quia videlicet sunt certa & determinata verba, quibus materia Sacramenti consecratur, & quæ sunt operatoria, independenter ab instructione audientium. Cùm enim ex dictis constet, non debere esse verba concionatoria, sequitur esse consecratoria; cùm hoc non ob aliam rationem negaverint Hæretici, quàm quia existimabant prius, quod jam refutavimus. Patet etiam ex perpetuo usu Ecclesiæ: quæ proinde jam olim in *Concilio Nicæno Can. 19.* baptismum *Cataphrygarum* & *Patulianistarum* reprobavit, eò quòd non uterentur sacris verbis seu formâ à Christo præscriptâ; quæ utique non sapit concionem, sed consecrationem seu benedictionem. Patet quoque ex auctoritatibus Patrum, quæ videri possunt apud *Bellarm. l. 1. de Sacram. c. 19.* Nobis sufficiat *Cyprianus* (sive alius antiquus Auctor) in docto *Tractatu de Operibus Christi Cardinal. Tit. De Baptismo Christi*, dicens: *Verborum solemnitas & sacri invocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis Sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum.* Et *Aug. l. 20. contra Faustum c. 13.* ubi ait: *Noster panis & calix certâ consecratione mysticus fit nobis.* *Eadem sola semper Ecclesia requisivit.*

11. *Et consonat Scriptura.*

Idem denique intelligitur ex Scriptura, quam semper ita intellexit Ecclesia, optima Scripturarum interpres: quia verba præscripta à Christo pro Sacramento Baptismi *Matth. 28.* non habent formam concionis, sed invocationis sive benedictionis: non enim dixit Christus: docete omnes gentes nomen Patris & Filii & Spiritûs; qualiter dicere debuisset, si verba illa respexissent actum docendi; sed dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* quod respicit actum baptizandi, & sonat invocationem Trinitatis super aspersionem aquæ. Quemadmodum ly *in nomine*, passim in Scriptura sonat invocationem, non instructionem; ut *Marci ultimo: In nomine meo dæmonia ejicient. Act. 3. In nomine Jesu Christi surge, & ambula.* Et alibi. Quàmvis igitur docendi sint adulti, necdum satis instructi, mysteria fidei juxta monitionem Christi: *docete omnes gentes*; non tamen per formam Baptismi: hæc enim non se extendit ad omnia mysteria, in quibus necessariò instruuntur adulti baptizandi, sed hi docendi sunt per prævias catechisationes, ut

in

in mysteriis fidei sufficienter instructi Baptismum debitè & legitimè suscipiant: quàm vis nec hoc tunc requiratur ad Baptismi valorem. Insuper 1. *ad Cor.* 10. verba quæ adhibentur in consecratione Eucharistiæ dicuntur verba benedictionis: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* quæ certè non instructionem, sed ritum & consecrationem indicant. Prout etiam faciunt verba consecrationis: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*; quæ tam explicitè & in substantia uniformiter à tribus Evangelistis sunt expressa, & perpetuò in Ecclesiâ Catholicâ adhibita.

12. *Calvinus fundat se in Augustino.*

Calvinus in patrocinium sui erroris, omissis locis claris *S. Augustini* pro veritate Catholica, more Hæreticorum adducit obscuriorem ejusdem ex *Tract.* 80. *in Joan.* ubi de Baptismo ait: *Unde ista virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus.* Ergo secundùm *Augustinum* verbum Baptismi abluit cor, quia creditur; adeóque in quantùm instruit & inducit suscipientem ad credendum.

Qui tamen apertè vim sanctificandi tribuit verbo rituali.

Resp. *Augustinum* variis locis tribuere verbo rituali vim mundandi, signanter *l.* 6. *contra Donatistas c.* 25. *Certa*, inquit, *ista Evangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari tantum valent, ut per illa sic evacuentur quæcumque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur &c.* Immo *Tract.* 80. *citato* dicit de Baptismo: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Concio autem non accedit, sed præcedit Baptismum. Deinde non accedit ad elementum, ad quod nullo modo dirigitur, sed potiùs ad circumstantes; ad elementum autem accedit verbum consecratorium, quod afficit ablutionem. Dicit insuper ibidem *Augustinus, Hoc verbo consecrari Baptismum, ut mundare possit*; Baptismus autem non consecratur concione, quæ ad populum dirigitur, sed invocatione sanctissimæ Trinitatis, quæ fit per verbum rituale. Denique dicit infantes mundari per verbum fidei, qui tamen corde credere ad justitiam non possunt, adeóque pro quibus concio esset inutilis.

13. *Explicatur locus ejus celebris ex* Tract. 80. *in* Ioannem.

Dico itaque *Augustinum Tract. cit.* occasione verborum Christi, *Iam vos mundi estis propter sermonem* (*Augustinus* legit *verbum*) *quem locutus sum vobis*; inquirere, cur ita potiùs dixerit Christus, quàm, *propter Baptismum quo loti estis*; & appositè magis quàm litteraliter respondet id factum ideo, quòd sermo seu verbum Christi sit radicale quasi & generale mundatorium, loquens universaliter de verbo sive concionatorio, sive consecratorio, adeò ut etiam Baptismo vim tribuat verbum Christi, scilicet institutum ab ipso pro forma Baptismi, quod proinde creditur. Quare per illud, *sed quia creditur*, intelligit ipsum fidei objectum, q. d. quòd animam abluat verbum Baptismi, non oritur à sono verborum, qui naturalis & transiens est, sed à mysterio illo sacramentali, quod ab omnibus creditur iis verbis inesse. Nam sicuti Deus trinus & unus dicitur fides nostra, sic etiam *Augustinus* formam Baptismi, quæ præcipuum istud mysterium continet verbum fidei vocavit. Simili modo dicimus, nomen Jesu esse dæmonibus terribile, non præcisè ut est sonus aure perceptibilis, seu quatenus continet seu repræsentat Filium Dei, qui vires dæmonum confregit. Quòd si etiam per illud, *sed quia creditur*, intelligeremus ipsum fidei actum; non deberet intelligi actus eliciendus semper ab ipso Baptizando, qui sæpè est parvulus; nec ab ipso ministro, qui potest esse hæreticus seu infidelis; sed ipsius, sive Baptizandi, si sit adultus (in quo ad fructuosum Baptismum prærequiritur actus fidei) sive Ecclesiæ, in cujus sola fide parvulos baptizari supponit *Trid. sess.* 7. *de Baptismo can.* 13. & satis insinuat *Aug. sup.* tractatum sic concludens: *Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem & offerentem, mundet infantem &c.* Et *Ep.* 23. ait, *Parvulos offerri ad percipiendam gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quàm ab universa societate fidelium.*

14. *Verba à Christo determinata, ita Ecclesiæ immutare non licet, ut in substantia maneant.*

Porrò verba hæc consecratoria (idem est de rebus seu materiâ) ita sunt à Christo determinata, ut non sit in potestate Ecclesiæ illa immutare quoad substantiam, juxta Doctores unanimiter, & apertè insinuat *Trid. sess.* 21. *c.* 2. ubi, *declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ eorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi magis expedire judicaret.* Ubi dum addit, *salvâ eorum substantiâ*, satis indicat hanc non fuisse relictam Ecclesiæ arbitrio, sed fuisse determinatam à Christo. Unde *Florentinum* pro singulis Sacramentis materiam & formam determinatam assignat. Idemque confirmat perpetuus usus & sensus Ecclesiæ. Ideoque omnes Patres *Concilii Nicæni* baptismum *Cataphrygarum & Paulianistarum* esse nullum definierunt *can.* 19. quia isti mutaverant formam à Christo præscriptam; Congruentia est, quòd hoc serviret ad majorem unitatem & decorem Ecclesiæ; quæ. sicut est una per universum orbem diffusa, sic decens fuit certis ubique ac iisdem signis illam uti, suamque in Deum fidem profiteri.

15. *Negatur quòd matrimonia clandestina sint vera Sacramenta.*

Nec obstat quòd Ecclesia irritaverit matrimonia clandestina, quæ alioquin erant verum Sacramentum inter fideles: nihil enim mutavit circa substantiam Sacramenti, sed tantùm irritavit naturalem contractum, sive consensum clandestinè expressum; qui factâ irritatione uti non manet validus & legitimus ad transferendum jus in mutua corpora, sic non manet sufficiens

ad

ad ratiqnem Sacramenti : cùm ad hanc elevaverit Christus solum consensum validum & legitimum. Aliud esset, si Ecclesia noluisset contractum aliquem legitimum in baptizatis esse Sacramentum. Quemadmodum etiam qui destruit substantiam panis & vini, non mutat formaliter materiam Eucharistiæ, sed tantùm facit, ut non maneant verus panis & verum vinum, prout Christus requisivit.

16. *Tit neque inter Ordinationem Græcorum & Latinorum ejs substantialis differentia.*

Similiter in Sacramento Ordinis inter ritum nostrum & Græcorum nulla cernitur substantialis diversitas, sed tantùm materialis: utrobique enim adhibentur verba & signa externa quibus sufficienter significatur collatio proportionatæ potestatis: quod Christus tantùm determinasse videtur, ut colligi solet ex allegata differentia utriusque Ecclesiæ : adeoque videtur permisisse dispositioni Ecclesiæ physicam velut ac magis specificam signorum determinationem. Similiter in Sacramento pœnitentiæ materia sufficiens est peccatum mortale vel veniale, contritio vel attritio. Materia quoque Eucharistiæ non est ita determinata ad certam speciem, quin indifferens sit, cujus v. g. coloris vel speciei vinum consecretur; materia autem & forma Baptismi est magis determinata. De quibus plura agendo de singulis in particulari.

QUÆSTIO III.

Quæ Mutatio in materia vel forma reddat Sacramentum invalidum, aut administrationem illicitam.

17. *Omnis mutatio substantialis irritat Sacramentum.*

DICO I. Omnis mutatio substantialis reddit Sacramentum irritum; non autem accidentalis. Ita omnes Thelogi. Et patet ex sensu & praxi Ecclesiæ. Ratio est, quòd in ceteris rebus mutatio substantialis, & non accidentalis destruat ipsam rem. Confirmatur : quia omnis valor & vis Sacramenti dependet à Christi institutione; hanc autem destruit sola mutatio substantialis; ut ampliùs declarabitur.

Quando censeatur illa cadere in materia Sacramenti.

Itaque censetur mutatio substantialis materiæ, quando tanta contingit diversitas, ut juxta communem usum & nominum æstimationem sit alterius nominis & rationis ab illa, quam Christus præscripsit; aliàs tantùm est accidentalis, v. g. in Baptismo est mutatio substantialis materiæ, si loco aquæ naturalis accipiatur rosacea, vel alia distillata, aut succus è pomis expressus; aut glacies, utpote inepta ad usum abluendi, ad quem in Baptismo est principaliter instituta, etsi specie physicâ glacies ab aqua non distinguatur. Secùs est, si loco aquæ frigidæ assumatur calida: si in missa loco panis azymi adhibeatur fermentatus &c.

Mutatio formæ est substantialis, quotcumque corrumpitur verus & legitimus sensus illius, aliàs est accidentalis: cùm enim sensus sit velut anima verborum, manente eodem sensu censetur manere eadem verborum forma. Si dubia sit verborum æquivalentia, dubius similiter erit valor Sacramenti. Ille autem est sensus legitimus, quem Christus in institutione cujusque Sacramenti requisivit seu intendit: quem proinde si forma servet, indubiè est vera & legitima, & à Christo instituta. Sensus porrò iste à nobis est colligendus ex doctrina & traditione Ecclesiæ. Pro praxi autem notandæ sunt quædam speciales regulæ.

18. *Quando generaliter in forma.*

Regulæ ad hanc mutationem dignoscendam.

Contingit itaque mutatio substantialis formæ primò, quando omittitur vel additur verbum quod sensum formæ immutat aut falsificat. Intellige, si verbum falsificans afficiat illud quod est de substantia : nam si *Prima,* quis v.g. falsò diceret, *ego Episcopus te baptizo, vel baptizo te hac aquâ clarâ*, cùm sit turbida, validè baptizaret. Item validè absolveret, qui formæ absolutionis adderet, *in nomine Patris majoris & Filii minoris &c.* quia sicut vox accidentalis potest omitti, ita & falsificari absque præjudicio formæ substantialis.

19. *Corollarium.*

Hinc non valet Baptismus, si omittatur verbum *baptizo*; neque consecratio hostiæ, si omittatur vox *corpus* aut *meum*. Similiter si forma Baptismi proferatur, *in nomine Patris increati & Filii creati &c.* eò quòd invocatio veræ & divinæ Trinitatis sit de substantia formæ Baptismi. Idem est, si dicatur. *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti & beatæ Virginis*, sumendo ly *in nomine* utrobique in eodem sensu, ut scilicet designet Baptismum æquè dari in auctoritate B. Virginis; eò quòd sensus substantialis formæ exigat ablutionem fieri in auctoritate solius Trinitatis, non quaternitatis. Secus si ly *in nomine B. Virginis* adderetur designando solam invocationem intercessionis; prout designare potest, & de facto designat, dum in Commendatione animæ Ecclesia orans eam de hoc mundo proficisci in nomine Trinitatis, addit in eadem orationis serie *in nomine Angelorum & Archangelorum &c.* Similiter invalida foret hæc consecratio, *Hoc est corpus meum aërium*; utpote falsificata in significatione substantiali per ly *aërium*, quod distrahit ly *corpus* à significatione veri corporis Christi. Nisi fortè (quod tamen foret contra ordinarium agendi modum) legitimis verbis consecrationis debitâ intentione prolatis, per novam intentionem subitò quis adderet similem particulam falsificantem: quæ juxta *Poncium d. 44. n. 44.* tunc non obstaret valori formæ, utpote perfectæ, & ex priori intentione sensum ac significationē habentis, adeoque effectum ipso instanti ultimo operantis; quē subsequens intentio impedire nequit. Idem consequenter dicendū foret in

Quid censendum, si forma Baptismi addatur ly & B. Virginis.

Quid censendum de hac forma consecrationis. Hoc est corpus meum aërium.

in ſimili caſu de Baptiſmo, cujus formæ adderetur ly *& B. Virginis.*

20. *Item de iſta:* Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis non effundetur.

Quod autem dictum eſt de falſificatione & invaliditate formæ conſecrationis prædallegatæ, etiam locum habet, etſi dicatur v.g. *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis non effundetur*: quamquam diverſum quid cenſeat de hoc *Lugo*, ob implexam ibi mediante relativo novam propoſitionem, cujus falſitas non inficiat formam ſubſtantialem. Re verâ tamen perinde hoc eſt, ac ſi diceretur: *Hic eſt ſanguis meus pro vobis non effundendus*: adeoque non minus in illa, quàm in hoc exprimendi modo ſignificatur alius ſanguis, quàm qui ex Chriſti inſtitutione eſt ſignificandus. Niſi fortaſſe Sacerdos volens ſignificare verum ſanguinem veri Salvatoris, ſolùm erret circa punctum effuſionis illius pro nobis; ſic enim videretur intactus relinqui ſenſus ſubſtantialis formæ: ſicut ſi quid aliud erroneum apponeretur ad ſenſum formæ non pertinens ex ſimili errore, v. g. *Hoc eſt corpus meum, quòd alterâ poſt ſepulturam die reſurrexit &c.* Quare rectè *Scotus d. 3. q. n. 11. Si* (inquit) *anteponitur vel poſtponitur aliquid non repugnans, ſit: ſi aliter, non* fit Sacramentum. Ejuſmodi autem appoſitio non repugnat vero & reali Corpori Chriſti, quod per formam conſecrationis oportet deſignari.

Æquivoca determinantur ad certum ſenſum etiam ab intentione loquentis.

Hinc dum verba ſunt æquivoca ſeu indifferentia ad varios ſenſus, poſſunt, tum ex circumſtantiis, tum etiam ex mera intentione proferentis determinari ad certum ſenſum: qui ſi illegitimus ſit, Sacramentum non valebit defectu formæ, utpote non aliud hîc & nunc ſignificantis, quàm quod loquens intendit. Prout pronomen *hoc* indifferens ad ſignificandum ſeu demonſtrandum diverſas hoſtias præſentes, per internam Sacerdotis intentionem determinatur ad hanc potiùs quàm illam demonſtrandam, utì hæc conſequenter potiùs quàm illa conſecratur.

21. *Regula ſecunda.*

Secundò contingit mutatio ſubſtantialis formæ per tranſpoſitionem verborum tantam, ut non maneat idem ſenſus. Quod ex uſu & communi judicio eſt diſcernendum. v.g. ſi dicatur, *Hoc corpus eſt meum*; ſic videlicet ut ly *corpus* ſe teneat ex parte ſubjecti, prout iſta propoſitio nata eſt accipi.

Tertia.

Tertiò quando inter verba intercedit tanta interruptio, ut moraliter non cenſeantur coaleſcere in unam orationem; ut ſi unio aut altero verbo formæ prolato poſt unum miſerere ſubjungantur reliqua: vel ſi inter ſyllabas ejuſdem verbi, aut verba ejuſdem formæ tam multa miſceantur extranea, ut moraliter loquendo ex tot diſjunctis non coaleſcat unum verbum aut oratio. Quæ res, utpote moralis, pendet ex judicio & arbitrio prudentis.

Quarta.

Quartò quando verba ſic corrumpuntur, ut nequidem in materia & circumſtantiis, in quibus proferuntur, reddant debitum ſenſum apud audientes. Quod potiſſimùm fit, quando corruptio contingit in principio dictionis; non ita ſi in fine; ut ſi loco *Patris* baptizans dicat *Matris*.

22. *Quinta.*

Ad mutationem etiam ſubſtantialem pertinet, ſi inter materiam & formam alioquin legitimam non ſervetur debita connexio: cùm enim verba & res habeant ſe in Sacramento ut materia & forma alicujus compoſiti, debent ita ſimul adhiberi, ut coaleſcant in unum totum. Et quidem Sacramentum Euchariſtiæ requirit phyſicam coëxiſtentiam & præſentiam materiæ conſecrabilis pro tempore conſecrationis, propter pronomen demonſtrativum, quod deſignat materiam, quæ eſt permanens, loco & tempore præſentem miniſtro.

In reliquis Sacramentis non requiritur phyſica præſentia vel coëxiſtentia materiæ & formæ, quaſi eodem inſtanti debeant adhiberi, aut etiam unum non poſſit finiri antequam aliud incipiat adhiberi (quod poſterius negat *Cajetanus* & quidam alii contra Doctores communiter) ſed requiritur & ſufficit moralis coëxiſtentia, in aliquibus major, in aliquibus minor, juxta ſignificationem formæ, & qualitatem actionis, aut materiæ, quam forma afficit, ac prudentum æſtimationem. In Baptiſmo enim, Confirmatione, Extrema-Unctione & Ordine non poteſt notabile tempus interponi abſque invaliditate Sacramenti, eò quòd forma ibi ſignificet præſentiam actionis ſeu materiæ proximæ utpote deſignans aliquam actionem actu fieri circa ſuſcipientem: ne igitur ſit falſa, debet iſta actio eodem ferè tempore poni. Non tamen requiritur phyſica coëxiſtentia aut immediata ſucceſſio; eò quòd nihilominùs forma cenſeatur eſſe vera ſecundùm communem & humanum loquendi modum; v. g. ſi miniſter manum ad aquam extendens formam proferre incipiat, & ob fortuitum impedimentum, vel quia ex loco altiori fit effuſio, formam finiat, antequam aqua tangat corpus baptizandi. Sanè aliàs requireretur, ablutionem fieri ipſo inſtanti quo profertur ly *abluo*, aut cum immediata ad iſtud verbum ſucceſſione: quod abſurdiſſimum eſt. Neque repugnat *Scotus d. 6. q. 3. n. 4.* Nam non requirit coëxiſtentiam phyſicam ad valorem (quod ex ipſomet *n.* 2. ſatis colligitur) ſed loquitur ſecundum id, quod congruit à miniſtro obſervari. Ideoque *Rituale Romanum Tit. de Baptiſmo, §. de forma baptiſmi* in principio: *Quoniam* (inquit) *Baptiſmi forma his verbis expreſſa*, Ego te baptizo &c. *omnino neceſſaria eſt, ideo eam nullo modo licet mutare, ſed eadem verba uno & eodem tempore, quo fit ablutio, pronuntianda ſunt.*

Quod attinet ad Sacramentum pœnitentiæ, ejus forma, quia eſt inſtar judicii, habet plenam ſignificationem, etſi contritio & confeſſio diutiùs præceſſiſſent, modò pœni-

pœnitens non censeatur retractasse. Unde decedens in diuturna phrenesi absolvitur ob confessionem vel doloris signa antè exhibita. Similiter in Matrimonio, quod sequitur rationem cæterorum contractuum, potest consensus unius contrahentium tam diu sequi consensum alterius, quàm diu hic censetur moraliter manere, uti in aliis contractibus: nec magis consensus requirit præsentiam corporum (quæ sunt materia circa quam hujus Sacramenti) quàm in aliis contractibus consensus requirat præsentiam objecti seu materiæ contractûs, ideoque matrimonium sæpè perficitur inter absentes, etsi consensus unius diu subsequatur consensum alterius.

24. *Additio vel omissio non falsificans sensum formæ est mutatio accidentalis,*

Mutatio accidentalis formæ contingit, primò, si verba quæ adduntur vel omittuntur non falsificent, neque sensum legitimum mutent, v. g. si in consecrationis forma omittatur adverbium, *Enim*; aut in forma Baptismi dicatur, *in nomine Patris omnipotentis & Filii Iesu Christi &c.* Immo etsi additio fiat animo inducendi novum ritum; modò equidem adsit intentio faciendi quod Christus instituit aut vera Ecclesia facit: quia privatus error non obstat Sacramento, dummodò ad illud omnia necessaria adhibeantur. Unde Græci validè consecrant corpus, etsi tali animo addant: *quod pro vobis datur*; quæ verba putant esse essentialia. Quod quidem indubitatum est. Errorem verò hunc esse ab Ecclesia toleratum (ut quidam respondent, censentes obstare valori Sacramenti animum inducendi errorem, quando non est ab Ecclesia toleratus) est impertinens, tum ad valorem formæ, uti ad sensum ejusdem à sola Christi institutione dependentem; tum ad debitam intentionem ministri, quæ non obstante errore speculativo, uti tolerato, sic & non tolerato, potest pariter esse conformis institutioni Christi, dum minister generaliter & absolutè vult facere quod Christus instituit, quidquid sit de proprio errore. Ita Doctores ferè communiter.

Etsi fiat animo inducendi ritum, etiam non toleratum.

25. *Ostenditur nimis rei non obstare sanctam decretum Zachariæ Pontific.*

Nec obstat, quod *Zacharias Papa Ep. 6. ad Bonifacium* in Tomis Conciliorum Binii, & refertur c. *Retulerunt* 186. *de Consecr. dist.* 4. approbet Baptismum *in nomine Patria & Filia & Spiritu sancta* collatum, *si* (quod casus supponebat, estque ex epistola manifestum) *ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut suprà, dixisset.* Ubi à contrario sensu supponit Pontifex, Baptismum fuisse reprobandum, si animo inducendi hæresim ita fuisset collatus. Non obstat, inquam: quia tali casu non valuisset Baptismus defectu formæ, utpote falsificatæ. Quàmvis enim verba sic corrupta præ mera ignorantia linguæ Latinæ in talibus circumstantiis etiam ex intentione proferentis referrent & significarent sensum debitum, ut bene *Scotus* 4. *d.* 3. *q.* 2. *num* 12. intentio tamen hæreticalis ministri immutasset sensum legitimum, si videlicet studiosè intendisset significare errorem, tres v.g. personas esse feminini sexûs. Aliter respondetur, Pontificem tali casu tacitè præsumere contra valorem Baptismi, ob defectum intentionis: cùm talis minister potiùs ludere, quàm velle Sacramentum Baptismi conficere videatur. Denique nonnulli respondent Pontificem à tali casu abstrahere, decidendo solùm, more Pontificibus consueto, id quod suberat in terminis apertis quæstionis propositæ. Proinde *Arriaga d.* 7. *sect.* 2. verba decisionis Pontificiæ non purè refert.

26. *Omittens, quod falsò putat essentiale ordinariè non conficit,*

Petes, An si quis omittat aliquid, quod ex errore putat essentiale, cùm re vera non sit, conficiat Sacramentum. Resp. ordinariè non conficere; cùm habeat voluntatem omittendi aliquid essentiale, adeoque non ponendi substantiam Sacramenti. Quare talis censetur nolle seriò agere. Nisi tamen haberet voluntatem conficiendi Sacramentum, casu quo sufficerent verba quæ profert. Unde Græcus v. g. putans ly *quod pro vobis datur* esse de essentia consecrationis corporis, & tamen omittens, si nihilominus velit per reliqua verba facere quantùm potest, cogitans fortasse additamentum istud, utpote à Latinis selictum, non esse necessarium, validè consecraret.

27. *Substitutio vocis synonimæ est accidentalis mutatio:*

Secundò contingit mutatio accidentalis, si loco verbi consueti ponatur synonimum, v. g. *abluo* pro *baptizo*; aut verbum activum mutetur in passivum, prout Græci dicunt: *Baptizetur servus Christi.* Debent tamen synonima idem æquè distinctè significare: ideoque non valet Baptismus collatus *in nomine Trinitatis* sine expressione singularum personarum.

Similiter transpositio, quæ tamen relinquat eumdem sensum.

Tertiò si transpositio verborum relinquat eumdem sensum; v. g. si dicatur: *Hoc est meum corpus.* Item juxta *Scotum d.* 3. *q.* 2. *num.* 13. si Baptismus detur *in nomine Filii & Spiritûs sancti & Patris*: ista enim ordinis mutatio non variat sensum, nec designat inæqualitatem Patris ultimò nominati, uti nec ordo consuetus significat inæqualitatem Spiritus sancti ultimò nominati. Idem varii dicunt de Baptismo hoc modo collato: *Ego, Patris baptizo te in nomine, Filii & Spiritus sancti.* Quod potest admitti si ly *Patris*, non afficiat pronomen, *Ego.* Alioquin meritò *Scotus sup.* (quem immeritò reprehendit *Lugo d.* 2. *num.* 112.) censet mutari conceptum orationis, adeoque invalidam esse formam præfatam, supposito (quod supponit *Scotus*) quòd ly *Patris* afficiat ly *Ego* q. d. *Ego Patris*, (supple, servus aut simile) *baptizo te in nomine Filii &c.*

Idem est de interpolatione aut extraneo-

Quartò si partes formæ notabiliter non interpolentur, aut verba interjecta ex communi apprehensione non tollant sensum con-

rum interpositione nō notabili.

consuetum & unitatem debitam propositionis. Utpote si quis inciperet orationem, & per modum parenthesis diceret, *tacete*, vel *recedite* &c. ut rectè *Scotus dist.* 3. *q.*2. *num.* 11. Sicut enim in communi loquela, non obstante hujusmodi interpositione, continuatur oratio, consimiliter debet in præsenti proposito judicari.

28. *Item de mutatione aut mixtione idiomatum,*

Quintò si mutetur idioma: aliàs enim oporteret omnes uti idiomate quo Christus est usus. Item si diversa idiomata misceantur: nam etiam in communi sermone sæpè illa miscemus; & in forma Latina Baptismi retinetur verbum Græcum, *baptizo*. Item si ex scrupulositate, balbutie, aut etiam imperitiâ verba corruptè pronuntientur, modò juxta communem apprehensionem adhuc generent in audientibus eumdem sensum, etsi verba sic corrupta per se sumpta illum non significarent in rigore. Sic *Zacharias Papa* c. *Retulerunt de Consecrat. dist.* 4. approbavit Baptismum ex imperitia latini sermonis collatum, *in nomine Patria & Filia & Spiritu sancta.* Ex quo idem de similibus verborum vitiationibus est judicandum. Ut si quis ex balbutie, blesitate, aliove impedimento aliquam literam non rectè pronuntiare posset, vel barbarè consecrando diceret, *Hoc est corpus meus*; vel per syncopam aliquam syllabam subtraheret. Non enim (inquit *Scotus suprà*) voluit Deus omnino determinare hominem ad verba in Sacramentis ultra illum modum quo verba sufficiunt ad exprimendum conceptum; qui non obstante barbarismo seu vitio latinitatis, syncopâ &c. sufficienter exprimitur atque intelligitur. Quàmvis ab his magis sit cavendum in verbis sacramentalibus ob reverentiam Sacramenti; ut rectè *Scotus sup.* Vide *Bonacina d.* 1. *de Sacram. q.*2. *pu.* 1.

Et de barbara aut mutilata pronuntiatione, quæ cum expressione veri sensûs sit compatibilis.

29. *Mutatio substantialis est mortaliter peccaminosa;*

Dico II. Mutatio substantialis materiæ vel formæ semper est peccatum mortale; nisi excuset indeliberatio. Accidentalis autem mutatio aliquando est mortale, aliquando veniale. Prima pars patet: quia cùm Sacramentum tunc sit irritum committitur grave sacrilegium.

Immo etiam adhibitio materiæ aut formæ dubiæ,

Immo qui sine necessitate utitur materiâ vel formâ dubiâ, cùm possit commodè adhibere certam, peccat mortaliter: quia sine ratione exponitur Sacramentum periculo invaliditatis, & proximus carendi fructu Sacramenti. Si tamen occurrat gravis necessitas, & materia certa haberi nequeat, licitè ministratur in materia dubia; immo aliquando ministrari debet, ut proximus juvetur quantùm fieri potest. Ad quod etiam sufficit necessitas extrinseca, v.g. metus mortis, quo aliquis urgetur ad utendum formâ, vel materiâ dubiâ; modò id non fiat in contemptum fidei aut Religionis. Quid censendum sit de materia & forma probabili, peti potest ex dictis *P.*2. *Tr.*2. *d.*4. §. 4. *n.* 95.

Dixi, *nisi excuset indeliberatio*: hæc enim excusat à mortali, sicut omnimoda inadvertentia ab omni peccato, juxta regulas generales. Unde non facilè peccat graviter, qui bonâ fide procedens adhibet diligentiam adhiberi solitam à viris prudentibus & timoratis.

Ubi quoque advertendum cum *Præpositio quæst.* 60. *art* 8. *dub.* 2. repetitionem formæ (quæ per se loquendo est mortale peccatum; cùm secunda sit invalida, nec proinde sine gravi irreverentia bis super eadem materia pronuntietur) excusari à peccato ratione dubii, quo aliquis hæret, num formam legitimè pronuntiaverit. Quod anxiis sæpè potest contingere. Qui tamen dubium possent deponere, si soleant verba formæ distinctè proferre. Potest etiam quis excusari, qui præ eadem anxietate in forma unum vel alterum verbum repetit, existimans quòd non satis distinctè pronuntiaverit. Quàmvis & hoc sit vitandum; utpote ex scrupulositate oriri solitum, eamque augere idoneum. Inadvertentia tamen seu ignorantia, scrupulorum comes, iterationem ex dubio in se irrationabili factam excusat à mortali.

Secunda pars probatur: quia est deordinatio & irreverentia aliquid in re tam sacrâ mutare, major vel minor pro ratione mutationis (cujus gravitas est prudenti judicio determinanda) Ecclesiâ præcipiente, ut materia & forma consueta, ac etiam ritus accidentales serventur. Sic mortaliter peccaret Latinus celebrans missam in pane fermentato, idiomate flandrico, omittens in consecratione calicis *novi & æterni Testamenti &c.* Venialiter peccaret, secluso contemptu, omittens in consecratione particulam, *enim*, aut in forma Baptismi pronomen, *ego*. Similiter qui privatim baptizaret linguâ vernaculâ. Sed in casu necessitatis nullum hîc subest peccatum. Immo *Emanuel Saa V. Baptismus*, *Victoria*, *Toletus* & alii dicunt consultius esse, ut femina baptizans in necessitate utatur linguâ vernaculâ.

DISPU-

DISPUTATIO TERTIA.

De Ministro & Subjecto Sacramentorum novæ Legis.

QUÆSTIO I.

Quis sit validus Minister Sacramentorum novæ Legis?

1. Is est validus minister, quem Christus instituit,

DICO I. Certum est illum omnem & solum esse ministrum validum, quem Christus in sua institutione designavit: nam sicut efficacia, sic & ministerium Sacramentorum dependet à Christi institutione nobis per Scripturam & Ecclesiæ traditionem declaratâ. Deindè minister est velut instrumentum Christi, in cujus nomine & virtute ipse Sacramenta & gratiam confert: ergo solus ille est minister, quem Christus ipse ad hoc assumpsit.

2. Qui non Angeli, sed homines designavit tanquam ordinarios ministros:

DICO II. Non Angeli, sed soli homines sunt ordinarii ministri Sacramentorum. Est certum contra *Lutherum* qui teste *Bellarm. lib. 1. de Sacram. in genere cap. 24.* docuit, etiam Angelos tam bonos quàm malos esse ministros; utpote qui possint concionando excitare fidem, quâ tantùm ratione verba sacramentalia ad justitiam concurrere Hæretici existimant, ut suprà diximus. Probatur Conclusio: quia solis hominibus legitur concessa potestas: nulli enim aliquando Angelorum, sed Apostolis dixit Christus *Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Matthæi ult. Baptizantes eos &c. Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata &c.* Et de Extrema-Unctione *Jacobi 5.* dicitur: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* Et *1. ad Cor. 4.* soli homines dicuntur *dispensatores mysteriorum Dei.* Et *ad Hebr. 5.* describitur Pontifex, quòd debeat esse *ex hominibus assumptus, & pro hominibus constitui in iis, quæ sunt ad Deum*; inter quæ sunt Sacramenta excellentissimæ cæremoniæ Religionis Christianæ, & præcipuus Dei cultus. Denique *Florentinum* semper assignat homines pro ministris Sacramentorum. Accedit congruentia: decens enim erat, ut Sacramenta, quæ sunt signa sensibilia, quibus homines in unum corpus mysticum Ecclesiæ visibilis adunantur, hominibus per homines administrarentur. Adde, formas Sacramentorum consistere in vocibus naturalibus; quales sunt tantùm istæ; quæ formantur ab homine per organum corporis, ad vitalis vocis efformationem requisitum.

3. Etsi extraordinariè potest Angelis à Deo committi ministerium Sacramentorum:

Dixi, *ordinarii ministri*: nam extraordinariè potest Angelis à Deo committi ministerium Sacramentorum. Sic teste *Nicephoro lib. 11. hist. c. 20.* S. Amphilochius ab Angelis fuit ordinatus in Episcopum, quam ordinationem alii Episcopi postea ratam habuerunt. Fortè tamen effectus Ordinis non per Sacramentum, sed per aliam actionem angelicam & intellectualem fuit collatus; ut insinuat *Nicephorus* dicens: *Intellectuali modo consecrarunt.* Quidquid sit, si aliquod sacramentale ministerium à bonis Angelis constaret esse perfectum, non esset reiterandum. Prout Michaël Archangelus prohibuit Episcopo dedicare Ecclesiam suâ in monte Gargano, asserens eam à se fuisse dedicatam. Dum namque constat fuisse bonos Angelos, præsumendum est, potestatem eis à Deo factam esse. Secùs est de malis Angelis, ut rectè *D. Thomas q. 64. art. 7. Scotus dist. 6. q. 1. n. 2.* Quàmvis Deo volente & cogente etiam posset malus Angelus per sonos humanæ voci similes v. g. baptizare.

Quorum si boni esse sciatur, ministerium non foret revocandum in dubium.

Quòd dictum est de Angelis, etiam dicendum est de anima separata, etsi retineat characterem v. g. sacerdotii: quia anima non est homo.

De animabus separatis idem est, quod de Angelis.

4. Beatus in corpore reassumpto, si mortale sit, esset indubiè minister ordinarius.

Verùm aliqualis controversia est, an Beatus reassumpto corpore, non quidem mortali (sic enim fieret viator, adeoque cessaret quæstio seu ratio de valore dubitandi) sed glorioso, haberet hanc potestatem ordinariam. Plures negant. Sed affirmat *D. Thomas Jup. ad 2. Suarez* & alii.

In hac re in primis non foret dubitandum de valore Sacramenti, quod constaret esse ab hujusmodi Sancto collatum, immo etsi ab anima separata hominis sancti foret collatum: nam utique id non fieret sine potestate, vel commissione, saltem speciali.

An similiter, si in corpore glorioso, est plane incertum.

An autem Beato in corpore glorioso competat potestas ordinaria, uti viatori, ministrandi Sacramenta, censeo esse planè incertum. Nam posset potestas ista à Christo esse restricta ad solos viatores, quibus fuit locutus. Nec incongruè; ut sicut soli viatores sunt suscipientes, sic & soli essent ordinarii Sacramentorum administri. Ad quod etiam solet adduci illud *Jacobi 5. Inducat Presbyteros Ecclesiæ.*

5. Congruentia pro parte negativa sunt ineffaces.

Hæc tamen non urgent sic factum esse. Nam quidem fuit data potestas hominibus dum erant viatores, qui etiam soli ordinariè ministrant; non sequitur tamen, quòd potestas, iis semel data non perseveret tali casu, sed restricta sit simpliciter ad statum viatoris. Non mirum quoque, quòd Apostolus Jacobus moneat infirmum ut inducat Presbyteros Ecclesiæ: qui enim alii possent humanitùs reperiri? Non negat tamen, quin si divinitùs adesset is, de quo quæstio, validè assumeretur, veluti Presbyter ab Ecclesia ordinatus, etsi de facto non

non sit membrum Ecclesiæ militantis, utì neque est excommunicatus, similiter nec infidelis seu paganus, qui insuper non est quoque Ecclesiæ subditus, & tamen validè baptizat. Ut proinde nec rectè quispiam probet intentum ex hoc, quòd Deus ministerium Sacramentorum quoad valorem restrinxerit ad subditos Ecclesiæ.

Similiter & aliæ pro parte affirmativa.

Partem quoque affirmativam non satis probat, quòd character maneat in Beatis: nam etiam manet in damnatis: immo & in animabus Beatorum separatis. Denique manet in his ad ornatum & signum potestatis præteritæ ac ministeriorum probè functorum: ideoq; manebit etiã post diem judicii; ad quem tamen potestas consecrandi & Sacramenta conficiendi est saltem restricta. Quocirca hæc modicæ utilitatis controversia in sua est incertitudine relinquenda.

6. *Non omnis etiam fidelis est legitimus seu validus minister quorumlibet Sacramentorum.*

Dico III. Præter Baptismum & Matrimonium non habet quilibet homo etiam baptizatus potestatem ministrandi Sacramenta, sed is solùm, qui juxta Christi institutionem ritè est ab Ecclesia ordinatus. Patet apertè ex definitione *Trid. sess. 7. can. 10.* contra *Lutherum*; cujus futilia argumenta soluta videri possunt apud *Bellarminum* & alios Auctores. Patet etiam ex perpetuo usu Ecclesiæ & *Florentino* assignante certos quosdam Sacramentorum ministros. Denique in Republica bene ordinata (qualis indubiè est Ecclesia) est distinctio functionum ac officiorum: non enim omnes sunt duces, sed alii præsunt, & alii subsunt.

7. *Infantes & amentes nullum possunt conficere Sacramentum: Muti verò solum matrimonium.*

Dico IV. Infantes & amentes excluduntur etiam à ministerio Sacramentorum, defectu moralis intentionis; quæ juxta dicenda requiritur, & in carentibus usu rationis non reperitur. Similiter muti nullum Sacramentum possunt ministrare, excepto Matrimonio: cùm cætera perfici debeant verbis strictè dictis.

Distributio tamen seu applicatio Eucharistiæ ab his fieri posset validè.

Hæc tamen intellige de administratione Sacramenti, prout involvit ejusdem consecrationem: quemadmodum omnia conficiendo ministrantur, exceptâ Eucharistia, quæ est permanens, ideoque confectione seu consecratione suppositâ potest à stultis & quibuscumque aliis, etiam dæmonibus, validè administrari sive applicari. Et hoc modo leguntur Angeli interdum Eucharistiam distribuisse; prout contigisse S. Bonaventuræ, refertur in ejus vita.

QUÆSTIO II.

An Fides vel Probitas requiratur in Ministro ad valorem Sacramenti?

8. *Fidem in ministro re-*

Fidem esse necessariam, adeoque defectu illius baptizatos ab Hæreticis esse rebaptizandos, primò docuit *Agrippinus* Episcopus Carthaginensis. Eumdem errorem acriter defendit martyr *Cyprianus* successor *Agrippini*, etsi (ut apertè colligitur ex *Cypriano Ep. 72. ad Jubaianum*) non immediatus, cum multis Episcopis Africanis, & in quodam Concilio Provinciali definivit, teste *Hieronymo Dialogo contra Luciferianos*, ut idcirco fortasse ab *Eusebio*, & clariùs à *Nicephoro* dicatur esse erroris auctor. Quem postea resuscitarunt *Donatistæ* (ut patet ex libris *Augustini*, quos contra eosdem conscripsit) ardentes etiam peccatum ministri impedire valorem Sacramenti, ut significat *Aug. l. 2. contra Ep. Parmeniani c. 10. & 15. & l. 2. contra Cresconium Grammaticum c. 28.* & alibi. Postmodum hæretici dicti *Apostolici* ac *Pauperes de Lugduno* nec non *Joannes Viclef*, etiam docuerunt fidem & probitatem esse in ministro necessariam: immo existimavit *Viclef* (teste *Waldensi lib. 5* sive *Tom. 2. de Sacram. c. 14.*) reprobos seu præscitos non conficere valide Sacramenta.

Sed contrarium est certum de fide; modò hæreticus minister aut improbus nihil omittat quod est de substantia Sacramenti. Patet ex *Concilio Carthaginensi 1. can. 1. Constantiensi sess. 8. Trid. sess. 7. can. 12. de Sacram. in gen. & can. 4. de Baptismo.* Idem constat ex *Concilio Nicæno can. 19.* ubi de solis Paulianistis statuitur, ut conversi baptizentur in forma Ecclesiæ, quâ ii non utebantur. Ideoque *can. 8.* id non imponit *Novatianis* utpote legitimè etsi extra Ecclesiam baptizatis. Quod proinde distinctè expressit *Innocentius I. Ep. 22. c. 5.* & refertur c. *Paulianistæ 1. q. 1.*

Patet etiam ex constanti & antiquissimâ Ecclesiæ traditione; quam *Stephanus* Papa potissimùm urgebat referibens *Cypriano: Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Quam salubérrimam consuetudinem docet *Aug. l. 2. de Baptismo c. 7.* ex Apostolica traditione venire: sicut multa non inveniuntur in litteris eòrum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur. Eamdem veritatem docent Patres, præsertim *Hieronymus*, & *Augustinus* in libris contra *Donatistas* & signanter *l. 2. contra Epist. Parmeniani.* Quapropter credendum non incongruenter est, quòd uti cæteri Episcopi Africani (teste *Hieronymo Dialogo contra Luciferianos*) sic etiam ipse *Cyprianus* errorem suum ante mortem correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis qui hoc errore nimiùm delectati sunt, juxta *Aug. Ep. 48. versùs finem*; aut si quid haberet purgandum, passionis falce ultimâ fuerit sublatum sive purgatum, inquit *ibidem* & *l. de unico Baptismo contra Petilianum c. 13.* Nam certum est (ut docet idem *Aug. l. 1. de Baptismo c. 18.*) *Cyprianum non* fuisse docturum suum errorem, qui eousque humanus fuerat, neque destruens unitatem, si vidisset definitionem Concilii plenarii, scilicet Nicæni, de quo *Hieronymus supra*

suprà circa finem a°: Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis; id est, ceterorum Baptismum approbavit, non tamen Paulianistarum, qui legitimâ formâ non utebantur.

10. *Eadem confirmatur multiplici congruentiâ sive ratione Theologica.*

Probatur eadem veritas ratione, quia ministri Sacramentorum operantur tamquam instrumenta Christi, ac velut dispensatores nomine ejusdem, opusque, quod agunt, ex se sanctum est, unde non debuit valor Sacramenti gratiæ ex opere operato collativi ac nomine Christi collati, à fide vel sanctitate ministri dependere: *Quid enim tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? quidve impedit malitiosus præco, ubi benevolus est Judex?* inquit *Aug. Tract. 5. in Joan. sub med.* Ubi adducit similitudinem aquæ transeuntis per canalem lapideum, in quo etsi non fructificet eò quòd lapideus sit, tamen prodest hortis ad quos transit. Sic igitur Sacramentum etsi non prosit infideli aut malo ministro, tamen prodest suscipienti bene disposito.

Secundò, quia Christus alioquin non bene consuluisset Ecclesiæ suæ unicè dilectæ, requirens conditionem tot perplexitatibus obnoxiam.

Tertiò, quia characterem (quem peccator retinet; cùm semel ordinatus, post lapsum non iterum ordinetur) inseparabiliter in hac vita comitatur potestas validè conficiendi Sacramentum. Denique cùm ministerium Sacramentorum, non tam bonũ ministri, quàm suscipientium respiciat, non debuit ab illius bonitate dependere; ut etiam patet in prophetia, gratia sanitatum, & aliis gratiis gratis datis ad aliorum bonum.

11. *Quo sensu Schismaticus non conficiat corpus Christi.*

Objicitur I. *Pelagius Papa c. Schisma 24. q. 1.* dicens: *Non est Christi corpus, quod Schismaticus conficit.* Resp. Pontificem velle, quòd Sacerdos schismaticus non conficiat Christi corpus, quatenus hoc significat corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesiam, ac membrorum illius inter se & cum capite unitatem, à qua Schismaticus est divisus; ut patet ex contextu & discursu Pontificis.

Item quo sensu Patres dicant Sacramenta Hæreticorũ polluere.

Objiciuntur II. varii Patres, qui dicunt Sacramenta ab hæreticis collata polluere potiùs, quàm mundare. Resp. mentem Patrum esse manifestam pro Catholica veritate. Itaque similibus loquendi modis docent, Sacramenta ejusmodi, etsi valida, inquinare plerumque adultos defectu dispositionis, qui regulariter peccant suscipiendo ab hæreticis Sacramenta, vel loquuntur de hæreticis, qui non adhibent materiam vel formam debitam; Vel qui non erant legitimè ordinati; quales videntur fuisse hæretici *Apostolici*, contra quos agit *Bernardus serm. 66. in Cant.* qui proinde non habebant potestatem conficiendi corpus & sanguinem Christi. Subinde etiam per fidem, quam requirunt, intelligunt intentionem operandi juxtà Christi institutionem. Vide *Alanum lib. de Sacram. in gen. cap. 53.*

Objicitur III. Nemo dat, quod non habet: ergo requiritur in ministro sanctitas, ut eam per Sacramenta conferat. Resp. posse aliquem causaliter seu instrumentaliter conferre sanctitatem, quam non habet in se formaliter, sic æger medicus potest sanare aliquem infirmum adhibendo pharmacum sanativum. Et saltem id potest fieri Deo ordinante; de cujus ordinatione in præsenti constat.

12. *Excusandus omnino est ab hæresi. S. Cyprianus.*

Ex dictis hâc quæstione nascitur dubium, an vel quomodo *S. Cyprianus* cum suis Collegis & Antecessoribus sit excusandus ab hæresi; præsertim cum *S. Cyprianus* repugnaverit sententiæ *S. Stephani* Papæ: item *S. Cornelii* prædecessoris, qui etiam hanc ob rem coëgerat Concilium Episcoporum ac Sacerdotum Italiæ, ut ex *Eusebio* refert *Bellarminus l. 2. de Concil. auctorit. c. 5.* Nihilominus Resp. certum esse ex communi consensu Ecclesiæ ac Patrum, *S. Cyprianum* (idem est de aliis) esse excusandum ab hæresi, eò quòd doctrinam suam animosiùs quidem, non tamen pertinaciter, sed salvâ unione cum Ecclesia tueretur; ut proinde nec ipse à se dissidentes haberet pro hæreticis, neque ab his baptizatos rebaptizaret. Secùs quoad *Donatistas*, qui etiam post definitionem Concilii Generalis fuerunt in errore pertinaces. Et quàmvis *S. Stephanus* oppositum velut traditionem Ecclesiasticam *Cypriano* rescripsisset, necdum tamen determinaverat velut articulum fidei, sed contra *Cyprianum* agebat allegando auctoritatem traditionis; quam is suæ sententiæ non putabat adversari. Quanti alioquin fecerit traditionem Ecclesiæ *Cyprianus*, constat ex *Ep. 74. ad Pompeium.* Quòd etiam noluerit definitioni Ecclesiæ Catholicæ adversari, sed eius fidem in omnibus sequi, constat ex *Ep. 71. ad Quintum.* Quare in *Concilio Africano* non voluit quoque suam doctrinam haberi pro articulo fidei, sed potiùs declaravit velle se retinere unitatem cum cæteris. Unde ex proposito videtur consummata rei definitio reservata Concilio plenario, cui aliter sentientes possent quoque personaliter adesse. *Objectioni satisfit.*

QUÆSTIO III.

An requiratur certa intentio in Ministro ad valorem Sacramenti?

13. *Intentio alia versatur circa actiones exteriores materialiter spectatas.*

TRIPLICITER potest versari intentio ministri circa actionem sacramentalem. Primò, ut minister intendat solùm exercere actionem externam physicè & materialiter spectatam, v.g. applicationem aquæ ad corpus, & pronuntiationem verborum, prout sunt actiones physicæ, absque

que respectu ad intentionem faciendi illas, prout sunt sacræ vel à Christo institutæ, aut ab Ecclesia frequentatæ.

Alia circa illas quatenus Sacramentales seu à Christo institutas,

Secundò, ut minister intendat etiam actionem exercere tamquam Sacramentum, saltem in confuso seu implicitè, quatenus intendit facere, quod Christus instituit, quod vera Ecclesia facit, quod Christiani faciunt, quod Episcopos, aut Sacerdotes Catholicos vidit facientes &c.

Alia denique circa effectum.

Tertiò, ut minister insuper intendat per illas actiones tamquam à Christo institutas conferre effectum spiritualem, ad quem sunt ordinatæ, v. g. gratiam, remissionem peccatorum, characterem &c.

10. *Primam intentionem Hæretici putant sufficere ad valorem Sacramenti;*

Prima intentio etiam requiritur ab ipsis hæreticis, qui volunt illam quoque sufficere: ut patet ex *art.* 12. *Lutheri* damnato à *Leone X.* Idemque senserunt *Calvinus* & *Kemnitius*, ut refert *Bellarm. l. 1. de Sacram. in gen. c. 27.* qui proinde docent Baptismum v.g. esse validum hoc ipso, quòd ipsæ actiones externæ materialiter exercentur à ministro, etsi hic agat joco aut irrisoriè.

15. *Sed requiritur à Catholicis secunda, faciendi scilicet quod Christus fecit aut Ecclesia facit.*

Secundam nihilominus intentionem ad valorem Sacramenti insuper esse necessariam docent communissimè Doctores Catholici. Quod etsi à priori omnino efficaciter probari nequeat, certum tamen esse debet ex institutione Christi nobis per Ecclesiam revelatâ. Nam *Florentinum in decreto de Armenis* definit in ministro requiri *intentionem faciendi quod facit Ecclesia.* Similiter hanc saltem intentionem requiri, contra errorem Sectariorum suprà relatum definit *Trid. sess. 7. can. 11.* Et *sess. 14. c. 5.* docet absolutionem esse nullam, *si Sacerdoti animus seriò agendi & verè absolvendi desit.* Et *can. 9.* definit non valere absolutionem, *si Sacerdos non seriò, sed joco absolvat.*

16. *Ut non sufficiat externa seriositas juxta Tridentinum.*

Ex quibus manifestum est non sufficere etiam intentionem faciendi seriò actus externos materialiter spectatos, nisi adsit intentio conficiendi Sacramentum: talis enim non intendit facere quod facit Ecclesia, quæ non tantùm fertur seriò in actum externum materialem, sed insuper intendit conficere Sacramentum. Deinde cum ista intentione ponendi actus externos potest consistere defectus seriò agendi, immo potest stare animus merè illudendi: quàmvis enim talis habeat animum ostendendi se seriò agere, verè tamen non vult seriò id agere, sed illudere. Similiter cum ista intentione stare potest defectus animi verè absolvendi, immo stare potest animus oppositus. Et tamen *Trid. c. 6. tit.* ad valorem absolutionis requirit in ministro animum verè absolvendi & seriò agendi.

17. *Etsi oppositâ Catharini sententiam exinde excuset Palavicinus.*

Nec refert, quod *Tridentinum* in fine capitis addit: *Nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, & non alium seriò agentem sedulò requireret.* Ex quibus verbis conjicere potest (juxta *Palavicinum l. 12. Histor. Trid. c. 10. n. 34.* quisquis ea legerit, haud esse expunctam sententiam *Catharini*, & aliorum Theologorum (quam operosè conatur defendere inter recentiores Scriptores *Joannes Marius Scribonius disp. 6. de Sacram. in gen. q. 6.* & præsertim *quæst. 7.*) opinantium sufficere voluntatem faciendi omnia externa, quæ facit Ecclesia, per exteriorem speciem hominis seriò agentis, etsi internus animus desit, si absit jocus, quem Sacramentum suscipiens cognoscere possit. Verùm ex his verbis id minimè conjicere possim: quippe quæ salutis negligentiam arguunt in cognoscente jocum ministri, esto universim invalidantem: eò quòd ob planè incognitum non possit quis adeo negligentiæ argui. Alioquin ex Concilii sententiis satis redarguta est opposita sententia, quæ post *Tridentinum* præsertim censetur à multis improbabilis.

Quam etiam ipse *Palavicinus l. 9. c. 6.* falsam existimat: tum ex natura donationum & concessionum, præsertim cum earum executio spectat ad illum, cui ex se patet interioris voluntatis defectus; prout in præsenti spectat ad Deum, gratiæ & characteris auctorem, qui corda scrutatur. Tum arguendo pro quibusdam Sacramentis (de ceteris est eadem ratio) ex Scriptura. Nam ministris Sacramenti Pœnitentiæ dictum est: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* non censetur autem remittere, qui verba sine remittendi voluntate pronuntiat. Et clarius in extrema unctione Jacobus Apostolus requisivit sacerdotis preces, quæ sine dubio intentionem orandi Deumque alloquendi requirunt. Ita *Palavicinus*, alioquin de liberando, tum hîc, tum alibi, *Catharino* à censura Concilii sollicitus; cujus doctrinam ab omnibus commendari scripserant legati *die 16. Octob.* 1546. rogantes proinde Pontificem, ut Magistrum sui Palatii moneret, ab inferenda *Catharino* molestia, occasione cujusdam litterariæ controversiæ inter utrumque exortæ, desisteret. Quæ tamen Epistola dudum ante sessionem 7. & 14. scripta fuerat; ubi de intentione necessaria actum est. Neque doctrinæ aut etiam vitæ singularis commendatio obstat, quin in variis de certitudine gratiæ, duplici ordine prædestinatorum, ac in præsenti materia noscatur à sensu communi declinasse *Catharinus*, atque esto non dissertè damnatus fuerit à Concilio, ex sententiis tamen Concilii efficaciter per consecutiones quasdam redargui queat.

Confirmatur communis doctrina: quia ex praxi Ecclesiæ constat posse ex pluribus hostiis unam solâ mente determinatam consecrari. Similiter pœnitens dubius sub conditione animo retentâ absolvi solet: ergo ratio Sacramenti non pendet à sola intentione ponendi actiones exteriores circa aliquam materiam, sed insuper ab intentione

tione conficiendi in illa Sacramentum.

Confirmatur doctrina Catholica multiplicitèr.

Specialiter autem contra hæreticos confirmatur: quia actiones exteriores fieri possunt in comœdiis absque ulla Sacramenti collatione. Similiter qui in convivio legens Evangelium aut discurrens de facto Christi profert verba Consecrationis absque ulteriori intentione, non consecrat panes præsentes; & oppositum non est credibile. Item (quod etiam facit contra *Catharinum*) si quispiam nil sciens aut cogitans de Sacramento Baptismi lavaret prolem, eique bene precando simul diceret: *Ego te lavo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*; is exteriùs seriò agere vellet illam actionem quam facit Ecclesia; & tamen quis dicat eum validè baptizare? Intentio igitur faciendi quod facit Ecclesia, quam Tridentinum requisivit, ampliùs importat. Denique cùm Christus instituerit Sacramenta tam quam ceremonias sacras suo nomine à ministro exercendas, conveniebat ministri intentionem ad illa ut talia ponenda concurrere; maximè cùm alioquin actiones sacramentales ad varios usus sint indeterminatæ, adeòque per intentionem ad rationem Sacramenti determinandæ.

20. Objicitur I. Athanasius adhuc puer ad ludos exercendos baptizavit alios pueros, & tamen baptismus ille æstimatus est validus ab Alexandro Patriarcha Alexandrino testibus *Eusebio lib.* 10. *cap.* 14. *Nicephoro l.* 8. *c.* 44. *Ruffino* & aliis. Deinde Genesius mimus, postea Martyr, volens coram Diocletiano Imperatore mysteria Christianorum in theatro deridenda exponere, joco Baptismum petiit & accepit juxta *Martyrologium Romanum ad diem* 25. *Augusti*: exinde tamen subitò mutatus in virum alterum Christianam fidem mox est professus: ergo doctrina Catholicorum non subsistit. Resp. Neg. Cons. nam Athanasius adhuc puer baptizavit quidem pueros ad ludum & recreationem; interim tamen intendit verè facere, quod viderat Episcopum aut Presbyteros in Ecclesia facientes: pro ut natura puerorum est, quoad possunt actiones seniorum imitari. Cujus rei signum est, quòd solos Catechumenos baptizaverit; & re bene examinatâ constiterit omnia debitè fuisse adhibita. Unde potest intentio esse cum ludo, eamque Episcopus supervenions inquisivit ac deprehendit. Vide *D. Bonaventuram dist.* 6. *p.* 2. *in expos. textus dub.* 4.

Athanasius puero puteos baptizanti non defuit intentio.

Quid censendum de Baptismo collato in Scena Genesio mimo.

De S. Genesio Martyre controvertunt Doctores. Nàm quidam asserunt cum *Bellarmino* Baptismum fuisse validum; eò quòd primò quidem joco, postea autem seriò fuerit petitus; & ex parte ministri, si fuerit verus Sacerdos (ut indicat *Ado in Martyrologio*) videatur non defuisse sincera intentio. Et quàmvis Sacerdos non fuisset (ut circumstantiæ satìs indicant) potuit tamen cum animo irridendi simul adfuisse voluntas faciendi quod faciunt Christiani, Deo mentem pravam in finem bonum ac miraculosum dirigente. Et his satìs favet historia, prout refertur à *Vincentio Bellovacensi in speculo historiali To.* 4. *l.* 12. *c.* 104. Aliis tamen apparet probabilius, non fuisse verum Baptismum, sed tantùm repræsentatione comicâ exhibitum, ideoque Genesium instar alterius Pauli, non vi Sacramenti, sed ex singulari Dei beneficio gratiâ divinâ præventum, fuisse conversum, & ex fidei Christianæ irrisore factum fuisse ejusdem præconem.

Objicitur II. *August. lib.* 7. *de Baptismo c.* 53. 21. videtur docere Baptismum joco collatum esse validum, aut saltem de eo dubitat. Resp. S. Doctorem varia ibi quæsita proponere, an scilicet approbandum sit Baptisma collatum à non baptizato; an non obstat simulatio seu fallacia suscipientis, sive ea sit fallentis in Ecclesia vera aut putatitia, sive jocàtis, uti in mimo: & (prætermissis aliis) si tam dans, quam accipiens in Catholica unitate fallaciter sive animo simulato agant, utrùm hoc magis Baptisma sit acceptandum, quàm in mimo, si is fideliter, subitò commotus, accipiat; an vero quantum ad integritatem Sacramenti inter credentem in mimo, & irridentem in Ecclesia. De quibus cum nondum extaret declaratio Ecclesiæ, subdit dignam *Augustino* sententiam: *sed nobis tutiùs est, in ea non progredi temeritate sententiæ, quæ nullo plenario concilio terminata sunt: id autem fiducia securæ vocis asserere, quod..... universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Subdit nihilominus suam inclinationem dicens: *Verumtamen si quis fortè me in eo concilio constitutum ..... urgeret, ut dicerem, quid ipse sentirem: si eo modo affectus essem, quo eram cùm ista dictarem, nequaquam dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicumque & à quibuscumque illud verbis Evangelicis conferratum, sine suâ simulatione, & cum aliqua fide accepissent.* Ubi sub *quibuscumque* videri posset etiam comprehendere fallaciter dantes. Quemadmodum de fallaciter accipientibus in Ecclesia vera aut putatitia subdit: *Non dubito etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel &c.* Unde de casu, fallaciter tam dantis quàm accipientis in Ecclesia, præmiserat: *Si postea prodatur, nemo repetit sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur.* Quod autem de fallaciter accipiente paulò ante arguerat: *Quid enim prosit animus veraciter dantis fallaciter accipienti, non video*; suppositò valore intelligendum foret, quod non prosit animæ quoad salutem, sed potiùs noceat peccaminosa fallacia. Et quidem intelligendo nomine fallaciter dantis & accipientis, non eos qui fallaciter fingunt se habere intentionem, sed qui fingunt se sentire aut credere, quod verè non credunt, nil foret etiam post Ecclesiæ definitiones reprehendendum in hujusmodi assertione etiam ca-

Explicatur mens Augustini circa necessitatem intentionis.

Ejus moderatio & reverentia erga Ecclesiæ judicia.

tegoricè statuenda. Secus, si sermo esset de fallacia sive simulatione ipsius intentionis. *Vbi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui acciperet ita crederet, sed totum ludricè & mimicè & jocularitèr ageretur, utrum approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum ..... implorandum esse censerem* inquit *Augustinus*, sollicitè rursum cavens *præjudicium diligentioris inquisitionis vel majoris authoritatis*. Unde quidquid sit, in quod propenderit, aut de quo dubitaverit *Augustinus*, si Ecclesia tunc temporis istam difficultatem determinasset (prout fecere postmodum *Florentinum* & *Tridentinum*) cessasset omnis *Augustini* dubitatio. Cujus animi modestiam & submissionem sub Ecclesiæ judicio, si hæretici imitati fuissent, non utique tunicam inconsutilem sive Ecclesiam Christi tam fœdè dilaceraſſent.

Ad confusionem Hæreticorum.

22. Objicitur III. Si alia in ministro requiritur intentio, quàm faciendi actum externum, semper de illa anxietates & dubia remanebunt, sicut de probitate ministri, quam idcirco diximus congruè à Christo non fuisse requisitam. Resp. non esse parem dubitandi rationem de probitate ministri, & de intentione ejusdem: illa enim est ardua, multisque periculis expositа, quæ sæpiùs in ministris deficit, non rarò de vitæ honestate parum solicitis: intentio autem moraliter vix deesse potest, nisi minister esset omnino perversus & dæmoni devotus: hoc ipso enim quòd vocatur ad Sacramentum ministrandum, aut officium suum vult facere, habet confusam aliquam intentionem, actualem aut virtualem, in actu (ut loquuntur) exercito, faciendi quod fideles petunt, aut quod Ecclesia facit; etsi non habeat adeò reflexam, & expressam intentionem faciendi quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit. Ob rarum autem intentionis defectum non debet censeri Christus instituisse Sacramenta, intentione non requisitâ: sicut non est censendus non requisivisse legitimam materiam & formam, etsi & hæ per malitiam ministri insciis adstantibus possent depravari. Adde ob specialem rationem omnino debuisse seu congruisse intentionem requiri, per quam videlicet actiones physicæ indeterminatæ ad esse seu rationem Sacramenti determinarentur.

Non est par ratio de necessitate bonitatis & intentionis ministri.

23. Sed cùm ex prædictis satis constet, necessariam esse intentionem jam explicatam, adhuc dubitari posset, an si Sacramentum sine intentione celebratum, non valeat in ratione Sacramenti, Deus saltem non suppleat occultum defectum intentionis per suam misericordiam; non quoad characterem, sed quoad gratiam? Plures namque gravissimi Scholastici sic existimarunt. Inter cæteros *D. Thomas* variis locis apud *Dicastillo disp. 3. dub. 5. n. 46. & 52.* & inclinat *D. Bonaventura 4. dist. 6. p. 2. art. 2. q. 1.* in fine, censens id incertum; neque etiam asserens id semper fieri. Immo *d. 4. p. 2. in expos. textûs dub. 4.* absolutè respondet: *Dicendum, quòd nullus parvulus salvatur, nisi virtute Sacramenti, quantùm est de lege communi.* Idem probabile censet *Valentia d. 3. q. 5. pu. 3.* & alii. Quare paruulus cum tali defectu baptizatus juxta hanc sententiam salvaretur.

Deum supplere gratiam Sacramenti invalidè defectu intentionis collati Quidam dixerunt;

Sed communis hoc tempore doctrina (quam Nonnulli certam censent) contradicit. Et meritò: cùm Scriptura universaliter asserat *Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; deficiente autem intentione verè non subsistat Baptismus, adeoque nec per illum renatus sit parvulus. Porrò *noli credere, noli dicere, noli docere infantes, antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus*, ait *August. lib. 3. de anima & ejus origine cap. 9.* Ex sola autem conjectura citra aliud fundamentum non licet facere exceptionem à generali locutione Scripturæ; utì facit doctrina oppositа. Sicut ex divinæ misericordiæ pietate conjectare non licet contra planas & generales Scripturas, quòd Deus in peccato morientes de gratia speciali interdum salvet, non se satis disponentes justificet &c. Et inhærendo eidem materiæ; quidni similiter conjectare liceret, quòd summus Sacerdos ex sua misericordia suppleat, quando minister occultè formam vitiat, aut solus sciens baptizare id renuat, aut non satis tempestivè potest adhiberi Baptismus etiam ex parte?

24. *Sed communiùs impugnatur.*

Ex quo pariter constat nullatenus posse admitti, quod post *D. Thomam* sensit *Iacobus de Graffiis* & alii apud *Henriquez*, ut refert *Dicastillo Tr. 2. disp. 1. dub. 6.* Deum supplere Baptismum, si puer moriatur formâ inchoatâ, sed nondum substantialiter completâ. Et à fortiori non subsistere, quod *Cajetanus q. 68. art. 2.* putavit eos, qui baptizari nequeunt, posse salvari fide, aut oblatione parentum, sicut in Lege naturæ, vel benedictione aliquâ in nomine Trinitatis; quod *art. 11.* extendit etiam ad periclitantes in utero materno. Ita refert *Dicastillo de Baptismo disp. 1. dub. 13.*

25. *Vtì & à quibusdam asseritur.*

26. *Declaratur ad vitandam litem.*

De tertia intentione conferendi scilicet effectum Sacramenti, est recepta sententia, eam in ministro non requiri; eò quòd effectus ex institutione divina annexus, etsi specialiter non intentus, immo etsi omnino incognitus, semoto obice, necessariò consequatur intentionem & positionem Sacramenti: quod ponere, & effectum sic connexum separare, non est in potestate ministri. Quocirca intentio effectûs etiam implicitè involvitur in intentione Sacramenti, sive faciendi quod Christus instituit; adeoque eatenus est necessaria. Quòd si quis omnino absolutè non vellet conferre

27. *Intentio actualis alia virtualis, & habitualis.*

ferre effectum Sacramenti, suppositâ capacitate seu dispositione subjecti (indispositis enim non confertur de facto gratiæ effectus, sed Sacramentum de se collativum illius) eo ipso deficeret aut retractaretur intentio faciendi Sacramentum, veluti incompossibilis cum ejusmodi voluntate. Fieri tamen potest, & ordinariè fieri putandum est, ut hæretici circa specialem effectum Sacramentorum errantes, puta quia illa gratiam vel characterem causare non credunt, validè conficiant Sacramenta, sive quia error iste speculativus sistit tantùm in intellectu; sivè quia etsi redundaret in voluntatem, quæ ex tali errore nollet conferre gratiam aut characterem, tamen intentio hæc in errore fundata sit saltem tacitè conditionata, ac velut ex suppositione, quòd Christus Sacramentum non instituerit cum tali effectu; cui proinde prævaleat intentio altera principalis, etsi generalis, quâ, quidquid sit de opinione propriâ, absolutè volunt etiam hæretici facere quod Christus intendit; utpote magis existimantes voluntatem Christi, quàm suam, immo ideo voluntatem suam inclinantes ad non volendam productionem gratiæ, quia judicant Christum ita voluisse. Quis insuper adeò insanus ut nolit facere, actum validum, quem revera vult facere? Idemque est de intentione, quâ principaliter intendentes facere, quod Christus instituit, nollent facere quod faciunt Papistæ, vel quod facit Ecclesia Romana; quæ nimirum intentio similiter est ex suppositione, seu sub conditione, quòd (ut putant) Papistæ non faciant quod Christus instituit, quodve Romana Ecclesia non sit vera Ecclesia. Secùs tamen esset, si foret ista intentio æque absoluta: tunc enim ipsa elideret voluntatem faciendi quod Christus fecit; uti si absolutè tantùm vellent conficere Sacramentum non causativum gratiæ, Eucharistiam quæ non sit nisi figura corporis Christi &c.

QUÆSTIO IV.

Qualis Intentio in Ministro requiratur ad valorem Sacramenti?

27. *Intentio alia actualis, alia virtualis, alia habitualis.*

INTENTIO alia est actualis, quam quis actu habet, dum operatur; ut dum quis præsenti animo cum advertentia vult baptizare, & sic baptizat. Alia est virtualis, id est, volitio quâ quis proposuit aliquid operari, quæ virtute manet & in opus influit, seu vi cujus opus fit. Hæc contingit, quando quis aliquid proposuit facere, & ex vi illius voluntatis compos mentis & rationis applicat se ad opus, & in opere progreditur, sed interim mente distrahitur; ut non advertat quid agat. Idque rectè explicat *Scotus dist. 6 q. 6 nn. 2.* Alia denique habitualis, quæ licet subinde confundatur cùm intentione virtuali, proprie tamen ab illa distinguitur, nihilque est aliud, quàm volitio præterita non retractata, sed tamen interrupta, ut nec formaliter nec virtute ampliùs existat.

28. *Circa intentionem virtualem est duplex opinio probabilis.*

Difficillimum tamen est explicatu, an vel quid maneat in præsenti, ob quod actiones subsequentes, v. g. ambulatio, locutio &c. fiant in virtute volitionis præteritæ. De quo quidquid dicatur, ad praxim indifferens est. Plurimi putant (& favet *Scotus sup. num. 4.* etsi non assertivè procedat, sequiturque *Arriaga d. 9 sect. 4 subsect. 2. & 3.* ubi *num. 30.* dicit videri communissimam Sententiam) non requiri, ut actu perseveret aliqua intentio voluntatis, sive circa finem (quod apparet manifestum: cùm homines in progressu actionum, v. g. alicujus discursûs &c. sæpe omnino de fine non cogitent, immo interdum adeò sint finis obliti, ut ne studio quidem possint eum in memoriam revocare) sive circa media seu ea quæ sunt ad finem, quasi nempe postquam voluntas semel imperaverit potentiæ inferiori, hæc in sua actione naturaliter pergat. Quod etiam experientiæ consonat: dum enim quis per horas ambulat, non sen per actu cogitat, adeoque nec semel actu vult ambulationem, præsertim circa aliorum sæpè objectorum meditationem occupatissimus seu distractissimus. Consonat etiam praxi, quâ constat esse parvas hostias consecratas, quæ in initio fuerunt in altari appositæ, etsi tempore consecrationis sit Sacerdos harum profundissimè oblitus, adeoque ne tenuem quidem circa illas attentionem aut volitionem habeat, sed cogitatio & intentio etiam actualis versetur circa hostiam majorem.

Prima asserit eam esse sine præsenti actu intellectûs ac voluntatis.

29. *Secunda asserit ipsam nil esse, quâ actualem valdè tenuem & remissam.*

Alia tamen Sententia probabilis est, quam tenet *Lugo, Dicastillo*, qui refert *Gabrielem*, & varii Recentiores (nec est contra *Scotum sup.* tum quia non assertivè procedit, tum quia fortè solùm voluit excludere actualem intentionem expressam & perfectam, quæ vulgò actualis dicitur, & in principio actionis adhibetur) scilicet intentionem virtualem esse tenuem & remissam actualem, adeoque semper remanere aliquam vix aut non perceptibilem attentionem intellectûs, & volitionem voluntatis; qualiter expertus citharœdus ad singulas fidium motiones attendit, & eas per voluntatem imperat. Consonatque huic doctrinæ ratio: eò quòd non appareat, ordinatam istam actionum seriem, sæpè inter se nullam naturalem concatenationem habentium (ut contingit in actionibus Missæ) immo sæpè ab arte intellectuali dependentium (ut in cantu, alioque opere artificioso) procedere absque actuali directione intellectûs & consequenti imperio

rio voluntatis, etiam tenui valdè & remisso; ut proindè experientia negativa, desumpta ex eo, quòd actus iste non advertatur, sit corrigenda per rationem. Ex quo etiam non placet sententia *Cominck* & quorumdam requirentium permanentiam actûs solius phantasiæ & appetitûs sensitivi: nam experientia non potius probat abesse actum voluntatis & intellectûs quàm phantasiæ & appetitûs. Hujus quoque operatio (si aliqua sit in præsenti necessaria) non sufficit ad directionem actuum ab arte intellectuali & ratione pendentium. Ut taceam, operante præsertim extra somnum phantasiâ, vix aut numquam otiari partem intellectivam.

30. *Intentio deinde alia est absoluta, alia conditionata.*

Deinde intentio alia est absoluta, quâ quis absolutè & independenter à conditione vult aliquid facere: alia conditionata, quâ aliquid volitur, non simpliciter, sed sub conditione; idque aliquando sub conditione de præterito, aliquando sub conditione de præsenti, aliquando de futuro. His præmissis

31. *Ad valorem Sacramenti requiritur intentio saltem virtualis,*

Dico I. Etsi ad conficiendum Sacramenta intentio actualis sit optima; cùm aptior nequeat excogitari: sufficit tamen intentio virtualis, ut certum est, & tenet consensus totius Ecclesiæ, inquit *Suarez d. 13. sect. 3.* Ratio est: quia intentio virtualis sufficit ad operandum humano modo; sufficit quoque ad orationem, vota, contractus eorumque valorem, ac meritum: ergo similiter ad confectionem Sacramenti. Deinde non conveniebat Christum actuali intentioni valorem Sacramentorum astringere, ne fideles infinitis perplexitatibus, & Sacramenta infinitis exponeret sacrilegiis: quandoquidem actualem intentionem & continuam advertentiam semper adesse sit impossibile ob naturalem distractionem homini familiarem, & humani ingenii volubilitatem.

Nitendum tamen ad habendum actualem.

Adlaborandum tamen est, ut actualis intentio, quantùm fieri potest, semper habeatur: maximè enim decet, ut in rebus divinis nobis animo simus præsentes, & mentem ad illas habeamus intentam. Non quòd requiratur actus elicitus reflexus, quo minister velit v. g. consecrare, distinctus ab ipso actu consecrationis; sed sufficit, quòd intellectus actum consecrationis advertat, & voluntas potentiam executivam applicando eumdem velit & approbet. Unde non est consulendum, ut quis lentè continuò dicat ore vel mente: *Volo consecrare, volo baptizare &c.* (hæ enim scrupulosæ reflexiones potiùs devotionem impediunt) sed ut homo sit sibi præsens animo, & attentè agat quod agit, ac de illo cogitet, non de extraneis; ut rectè notavit *Bellarm. l. 1. de Sacram. in gen. c. 27.* & alii.

32. *Corollaria*

Ex conclusione sequitur, validè consecrare Sacerdotem, etsi toto missæ tempore distractum, qui ex intentione celebrandi vadit ad sacristiam, induit se vestibus sacris, & *prout* sic in continua serie actionum ex vi prioris intentionis procedentium usque ad missam completam perseverat. Idem est de illo, qui ex intentione absolvendi vadit ad sedem confessionalem quàm diu manet & intentionem non revocat, etsi interea distrahatur. Secùs est, si Sacerdos inter celebrandum aut in sede confessionali incidat in somnum aut amentiam, & eo ipso pergat consecrare aut absolvere: ut docent omnes Theologi: dormiens enim vel amens non operatur humano modo; cùm ne quidem inter homines negotia aut contractus sic peracti essent validi. Itaque omnino distractus adhuc potentias habet proximè expeditas ad liberè agendum, & censetur adhuc liberè ac humano modo agere in virtute intentionis præcedentis; non ita dormiens vel amens, qui organa seu potentias habet ita impeditas & ligatas, ut non possit iis actu uti humano modo vel pro nutu suo, ne quidem circa ullum aliud objectum. Eaque differentia faciliùs à quovis sentitur, & per propriam experientiam palpatur, quàm per verba explicetur.

Ex qua ratione sequitur ebrium aut dormientem invalidè consecrare, uti & contractus inire, etsi prævidens se similia in ebrietate aut somno facere, se voluntariè inebriet aut ad somnum componat: immo etiamsi ex hoc fine id faciat, nempe ex intentione tunc consecrandi, quam consecrationem eo nunc velit valere quantùm potest. Ita unanimiter Theologi: nam equidem consecratio in tali statu facta non est opus humanum, sed quasi brutale. Similiter locutio ebrii aut dormientis non est humana (qualis esse debet in ministro Sacramenti) non enim exprimit præsentem loquentis mentem, humanam scilicet (esto adsit aliqua cognitio, etiam intellectualis in ebrio) cujus actu non est compos; ad quam tamen verba & signa sunt instituta. Denique contractus, vota &c. facta ab ebrio essent invalida: ergo similiter confectio Sacramentorum.

Nec obstat *August. Tract. 5. in Ioan.* ubi videtur asserere, quòd ebrius validè possit conficere Sacramenta: non enim loquitur de ebrio, sed de ebrioso, quem, scilicet extra ebrietatem constitutum, docet, & certum est, validè conficere Sacramenta, sicut fornicarios aut aliis vitiis deditos.

Non obstat item, quòd facta in ebrietate imputentur in culpam, quando sunt prævisa: nam ad hoc sufficit voluntarium indirectum & interpretativum sive in causa; si tamen verum sit, furta ejusmodi esse formaliter & secundùm se peccaminosa, ac non potiùs vulgari denominatione, verè autem esse effectus peccati in positione causæ completi, ut *P. 2. d. 5. quæst. 10.* ostensum est. Requiri

quiri porrò ad confectionem Sacramenti libertatem, saltem virtualem seu statum libertatis & usûs rationis, ex præmissis satìs constat.

35. Intentio mere habitualis non sufficit ad valorem Sacramenti.

Dico II. Intentio merè habitualis conficiendi Sacramentum non sufficit ad illius valorem. Ita omnes Theologi. Ratio est: quia cùm talis intentio nec actu nec virtute sive in effectu maneat, non potest moraliter influere in opus sacramentale, neque illud facere humanum. Confirmatur: quia sicut talis intentio non sufficit ut actionem faciat bonam; sic nec sufficit ut actio censeatur sacramentalis & facta nomine Christi.

Cirillanum.

Hinc si quis faceret propositum cras vel perendie celebrandi aut baptizandi, nihil efficeret, nisi intentionem interruptam renovaret: uti nec is, qui ante vel post recitationem præparamentorum elicitâ intentione celebrandi, postea aliò vadit aut opus impertinens agit, nisi intentionem renovaret. Quamquam sit moraliter impossibile, ut homo sanæ mentis aut alicujus conscientiæ absque intentione actuali aut virtuali sacras vestes induat, ad altare accedat, & alia ad sacrificium pertinentia peragat.

36. Sufficit intentio habitualis ad applicationem sacrificii.

Aliud est juxta plerosque Theologos (contradicente *Vasquez* & paucis aliis) de intentione applicandi fructum sacrificii, quam sufficit esse habitualem; adeò ut sufficiat hodie seu ex nunc applicari fructum sacrificii, cras aut perendie offerendi, etsi postea nihil ampliùs Sacerdos istius recordetur; nam hæc intentio non est consecrativa sacrificii, adeòque non debet determinare actionem v. g. crastinam Sacerdotis ad esse potiùs Sacramenti aut sacrificii, quàm ad alium finem, sed habet se instar donationis sub conditione quòd cras v. g. Sacerdos sit sacrificaturus; quæ non retractata transit in absolutam, impletâ conditione. Prout patet in aliis oblationibus & donationibus. Sic enim validè applico alicui fructum laboris, cras in vinea præstandi, etsi ampliùs nihil cogitem, modo non retractem. Idem etiam confirmat communis sensus & praxis; cujus varii Theologi sunt testes.

37. Fundamenta objecta dilucidantur.

Nec obstat I. quòd Sacerdos applicet sacrificium in persona Christi, aut saltem tamquam minister Christi: nam prius est falsum, eò quòd in applicatione non repræsentet personam Christi applicantis, sicut in consecratione repræsentat personam Christi loquentis, dicens, *Hoc est corpus meum*. Posterius autem verum quidem est; attamen Sacerdos est etiam minister Christi, antequam consecrat, quia videlicet à Christo potestatem habet, non tantùm consecrandi, sed etiam præsentis aut futuri sacrificii sui fructum donandi seu applicandi. Adde ipsum in consecratione (in qua utique est perfectissimè minister Christi) habitualiter applicare; quod sufficit.

Nec obstat II. quòd applicans alteri sacrificium, illud pro eo offerat. Nam hoc solùm laborat in æquivoco. Itaque applicando offert, id est, donat Sacerdos, futurum scilicet sacrificium, si fiat: sicut qui ex nunc daret alteri sua præmia à Rege sibi danda ob egregia facinora adhuc præstanda, diceretur alteri offerre sua facinora, etsi ea ex tunc nondum exerceret. Non offert autem pro tunc alteri sacrificium hoc sensu, quasi dum illud applicat seu donat, verè & formaliter exerceat officium sacrificantis.

38. Requiritur intentio absoluta, vel sub conditione de præsenti aut præterito; sic ut non valeat sub conditione de futuro collatum.

Dico III. Intentio conficiendi Sacramentum debet esse absoluta, aut sub conditione saltem de præsenti vel præterito, quando ipsa conditio subest: tunc enim talis intentio æquivalet absolutæ seu in absolutam transit. Non tamen sufficit conditio de futuro, juxta communem doctrinam Theologorum. Probatur: quia non perficitur Sacramentum, quandò ponitur materia & forma: cùm minister non intendat conficere illud pro tunc, sed pro tempore impletæ conditionis, quæ nondum impleta est: juxta communem enim hominum conceptum & modum procedendi, quando promissioni, donationi, similibusque actibus apponitur conditio de futuro, suspenditur actus usque ad eventum conditionis. Non etiam perficitur Sacramentum postea, quando conditio expletur: tunc enim ampliùs non exstant materia & forma: non est autem in potestate ministri facere, ut Sacramentum sit, nisi quando est materia & forma. Adde formam consistere in verbis strictè dictis; qualia non sunt præterita verba, quæ impletâ demum conditione moraliter permanere censerentur, & verbis præsentibus quoad effectus morales æquivalere.

Itaque invalidè baptizaret quis alterum sub conditione, quòd numquam sit peccaturus mortaliter. Item invalidè absolveret sub conditione, quòd pœnitens sit restituturus rem alienam; etsi conditio verè foret implenda. Unde est peccatum mortale, in administratione Sacramenti addere conditionem de futuro: secùs est, si conditio sit de præsenti aut de præterito. Unde rationabili dubio existente potest quis sub simili conditione rebaptizari; ut patet ex praxi Ecclesiæ, & *cap. 2. de Baptismo*. Quàmvis nec hoc sine causa rationabili sit faciendum ob Sacramenti reverentiam: secluso enim rationabili dubio, conditio adjecta censetur impertinens ac moraliter velut non adjecta, ut notat *Suarez to. 3. d. 31. sect. 6.* Unde *Catechismus Romanus tit. de Baptismo num. 43.* Baptismum sub conditione repeti numquam fas esse docet, nisi quando re diligenter perquisitâ dubium relinquitur, an Baptismus fuerit antea ritè collatus; claréque insinuat aliter id fine sacrilegio fieri non posse.

Exci-

39. *Excipitur solum Matrimonium.*

Excipitur ab hac conclusione Matrimonium: quod validè initur sub conditione de futuro, & perficitur tam in ratione Sacramenti quam contractûs tunc quando impletur conditio, sicut alii contractus quorum naturam matrimonium imitatur: corpora enim contrahentium & consensus necdum retractatus (quæ sunt materia & forma matrimonii) moraliter censentur satis remanere usque ad eventum conditionis; ut patet à simili in aliis contractibus. Vide *Coninck q. 64. art. 8. num. 82. & seqq.*

40. *Cur potiùs quam absolutio, quæ est sententia judicialis.*

Dices: Etiam sententia judicialis potest ferri sub conditione de futuro: ergo pari jure liceret inferre absolutionem sacramentalem quæ est sententia judicialis, posse hoc modo dari. Resp. Neg. Conseq. nam Christus contractum matrimonii noviter non instituit, sed dudum institutum reperit, solumque ad dignitatem Sacramenti elevavit, naturam contractûs de cetero non immutando, sed in pristina conditione relinquendo: qui proinde etiam in reliquis sequitur conditionem contractuum, & ad instar illorum potest celebrari scriptò vel nutu, secùs quàm cetera Sacramenta. Absolutionem verò sacramentalem Christus non reperit institutam, sed noviter instituit, prout voluit; voluit autem, ut valeret tunc, quando poneretur materia & forma, utque proferretur, non scripto, non in absentem (utì tamen aliæ sententiæ judiciales ferri solent) sed verbis & in præsentem: adeoque similiter ut non ferretur sub conditione de futuro suspensivâ valoris usque ad eventum conditionis; utì habet indubitatus omnium sensus. Quidquid non nemo modernus Theologus in contrarium disputet, dicens id speculativè, etsi ob auctoritatem communem non practicè probabile: contra quem fusè & meritò agit *Lugo disp. 13. de Pœnit. sect. 5.* Iste verò pari jure disputare potuisset de Sacramento Ordinis, in quo confertur certa potestas, ex hoc, quòd reliquæ donationes vel collationes potestatis sub simili conditione de futuro fieri possint.

41. *Validè conferrentur Sacramenta sub conditione; Si Deus videat hoc vel illud futurum.*

Dubitatur autem, an valerent cætera Sacramenta collata sub conditione, si Deus de facto videat hoc vel illud futurum v. g. pœnitentem facturum esse restitutionem; posito quòd conditio subsit. Negant plures Doctores. Sed multò probabiliùs affirmat *Suarez, Præpositus* & alii passim; nec dubitat *Arriaga disp. 19. sect. 4. num. 37.* eò quòd ista conditio divinæ cognitionis, etsi terminativè pendentis à re futura, verè sit de præsenti, & ponatur de facto subesse. Idem dicendum censeo (nec dubitat *Arriaga suprà*) si Sacramentum ministraretur sub conditione futurâ verè implendâ, non suspensivâ valoris: quia tunc verè ministrans non intenderet valorem Sacramenti usque ad eventum conditionis suspendere (quod tamen est consuetum in similibus procedendi modis; & fieri supponebat conclusio) sed vellet Sacramentum ex nunc valere, quando applicat materiam & formam: nam ista futuritio est actu, veritasque præsens; cùm in præsenti verum sit, etiì ministro ignotum esse futurum illud, ad quod valor Sacramenti restringitur. Hujusmodi tamen administrationes essent sacrilegæ, sive quia valor Sacramenti est incertus apud Doctores, sive quia veritas conditionis ex natura sua à nobis non potest cognosci, adeoque tam Sacramentum, quàm suscipiens exponitur periculo.

Utpotè verè de præsenti.

Similiter sub conditione de futuro non

Dico IV. Intentio ministri necessariò ferri debet super materiam & formam determinatam. Est indubitatum apud omnes Theologos. Et patet ex formis Sacramentorum, *te baptizo, te absolvo, indulgeat tibi Deus, hoc est corpus meum &c.*

Unde nihil ageret, qui habens duas hostias, tantùm unam vellet consecrare, neutram determinando: utì nec is aliquem baptizaret, qui ex pluribus, quos proferendo formam Baptismi abluit aquâ, tantùm unum intenderet baptizare, neminem in particulari determinando. In similibus enim casibus non operatur intentio circa omnes, ut patet: cùmque ob indeterminationem illius non sit ratio, cur circa unam hostiam potiùs aut personam operetur, quàm circa aliam, non operabitur circa ullam.

Similiter si minister Sacramenti limitet suam intentionem ad certam personam, invalidum erit Sacramentum, si subsit alia persona, v. g. si quis intenderet absolvere tantùm Petrum, excludendo omnem aliam personam, tunc si confitens non esset Petrus, non absolveretur; quandoquidem intentio Confessarii ad illum non dirigatur.

In collatione tamen Sacramentorum intentio ministri ordinariè est, & (nisi gravis causa subsit) esse debet, absolvere personam præsentem seu confitentem, quæcumque illa sit: tunc enim absolvitur confitens, etsi Confessarius ex errore putet esse aliam personam. Nihilominus in Matrimonio, ob rationem peculiarem contractûs tam onerosi, intentio magìs determinatur ad certam personam: in quo proinde error personæ censetur substantialis; ut latiùs suo loco dicetur.

Similiter debet minister dirigere suam intentionem ad præsentem materiam; sic ut quando conficit v. g. Sacramentum Enchatistiæ: intendat consecrare quidquid habet ad consecrandum coram se, seu totum quod est coram ipso positum ut consecretur, non restringendo intentionem ad determinatum v. g. numerum hostiarum: tunc enim etsi sint plures aut aliæ quàm putaverat, consecrat tamen illas quas habet coram se.

QUÆ

QUÆSTIO V.

An ad licitè ministranda Sacramenta requiratur jurisdictio & status gratiæ?

44. *Ad licitum ministerium requiritur jurisdictio, præterquam in matrimonio,*

DICO I. Ad licitam Sacramentorum administrationem requirit ordinata Ecclesiæ hierarchia jurisdictionem; ut docet certa praxis, & agendo de Sacramentis in particulari ampliùs patebit. Solùm excipitur matrimonium; cujus ministri sunt ipsi contrahentes, qui non habent in se invicem spiritualem jurisdictionem. Requiritur tamen jurisdictio in Sacerdote assistente; etsi ipsa assistentia non sit propriè actus jurisdictionis. In aliis autem Sacramentis requiritur; & quidem in Pœnitentia etiam ad valorem. In uno quoque faciliùs quam in altero jurisdictio præsumitur, v. g. in Eucharistiæ distributione. Deniq; in ministro Baptismi non est propriè jurisdictio super personam baptizandam, utpote quæ adhuc foris est; præsertim si sit adulta & pagana. Equidem requiritur jurisdictio sive in parentes, sive in locum ipsum seu parochiam, cui ex voluntate Ecclesiæ annectatur facultas baptizandi cum exclusione aliorum specialem licentiam non habentium.

45. *De statu gratiæ sub mortali in ministro ad id consuetus;*

DICO II. Requiritur etiam in ministro status gratiæ: adeò ut si quis in statu peccati mortalis ex officio ad quod specialiter est consecratus tamquam Christi minister, administret Sacramentum, peccet mortaliter, juxta communem omnium sensum & doctrinam: nisi ignorantia, inadvertentia aut necessitas excuset. Quod addo: quia ex his capitibus potest subinde minister excusari à novo peccato mortali. Specialiter autem in necessitate, dum moribundo impendendus est Baptismus aut absolutio, excusari quandoque potest Sacerdos in malo statu ministrans ob animi perturbationem aut non advertentiam ad proprium statum. Immo juxta plures Recentiores etsi ad illam adverteret, si tamen necessitas ita urgeat, ut non sit tempus cogitandi de contritione, quæ ob sui arduitatem, gratiæ subindè parcitatem, & animi à Deo alienationem, tam citò frequenter non potest elici: tunc enim obligatio præcepti religionis suspenditur ob concurrens præceptum charitatis proximi periclitantis; cujus necessitas abstergit irreverentiam in ministro, qui in tanta temporis angustia nequit proximo succurrere, & simul ad gratiam se disponere.

Nisi excuset ignorantia vel necessitas.

46. *Confessionis à ministro mortalis conscio præmitti, est*

Observandum quoque est, quòd etsi ob majorem de statu gratiæ securitatem conveniat confiteri ministrum conscium peccati mortalis, si habeat copiam Confessarii, & temporis locique ratio ferat, ut monet *Rituale Pauli V. Tit. De iis quæ in Sacramentorum administratione generaliter observanda sunt*; non est tamen simpliciter necessarium; utpote nullo jure præscriptum, sed sufficit contritio juxta Doctores communiter. Idemque apertè supponit *Rituale Romanum loco citato*. Quòd si bonâ fide putet Sacerdos se elicuisse contritionem, poterit à novo peccato mortali per istam bonam fidem excusari. Solùm obligatur Sacerdos existens in peccato mortali confiteri, priusquam celebret, ut patet ex *Trid sess.* 13. *c.* 7. quantumvis contritionem elicuisset; idque non tam ratione consecrationis, quàm ratione sumptionis Eucharistiæ: hanc enim debet præcedere confessio, etiam in communione laicorum. *consilii, non præcepti.*

Probatur conclusio ex *Rituale Romano Tit. cit.* ubi de Sacerdotibus ex officio ministrantibus Sacramenta in malo statu dicitur: *Impurè & indignè ea ministrantes in æternæ mortis reatum incurrunt.* Quo nil clariùs dici potuisset. Consonat etiam *Aug. l.* 2. *contra epist. Parmeniani c.* 10. & refertur *can. Omnia* 1. *q.* 1. *Omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Et can. *Scisitantibus fin.* 15. *q.* 8. ubi ex *Nicolao I.* ad consulta Bulgarorum de adultero Eucharistiam ministrante dicitur: *Mali bona administrando se tantummodò lædunt: cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis verò lumen in tenebris administrat, & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet.* Quibus accedit auctoritas Theologorum antiquorum & recentiorum unanimiter sic sentientium: à quibus sine solido fundamento videtur ex parte recedere *Marchant To.* 1. *Tribun. Sacram. Tract.* 2. *Tit.* 5. *q.* 1. *&* 2. 47. *Necessitatē hanc status gratiæ tradit Rituale Romanum.* *Consonant alia auctoritates.*

Rationem Conclusionis Quidam petunt ex sanctitate Sacramenti: Quidam ex consecratione ministri abutentis gratiâ pro his functionibus specialiter acceptâ: Quidam ex eo quòd minister non conformetur in sanctitate Sacramentorum auctori, cujus vices subit. Sed non omnino convincunt. Unde præcipuum hujus veritatis fundamentum desumi debet ex Sanctorum ac Doctorum auctoritate, qui citra dubium affirmant graviter adversari rationi naturali ac reverentiæ Deo debitæ, quòd Dei & Christi hostis permanens in statu tam indigno tractet res tam sacras, quibus Christi sanguis sive eius merita ac vera sanctitas suscipienti cōmunicatur à ministro subeunte vices Christi, & quidem tali, ut ad hoc munus ritè & dignè obeundum sit consecratus, ac specialem potestatem & sanctitatem acceperit: hæc enim simul saltem concurrentia judicant omnes sufficere ad peccatum mortale: quàmvis controvertant, an vel quid eorum seorsim sufficiat. Estque hoc sufficientissimum obligationis præfatæ indicium. Ut proinde sine causa aliò fugiat *Poncius disp.* 41. *q.* 9. *n.* 71. dicens: Re- 48. *Et ratio, ut substans unanimi Doctorum sensu sui.*

funderem hanc obligationem in jus positivum significatum sufficienter per communem sensum Doctorum, consentiente Ecclesiâ, & confirmatum consuetudine communi omnium ministrorum Sacramentorum non laborantium ignorantiâ, qui omnes existimant se peccare, nisi ita se disponant, ut sint in statu gratiæ. Quod præterea effugium est ratione suæ novitatis suspectum, & quia ignorantiam veræ legis, ex qua hæc obligatio ab omnibus asserta nascitur, in torrente Theologorum supponit. Qui insuper indistinctè loquens de ministris, sive specialiter consecratis, sive non, falsum assumit: cùm si desit consecratio, plures Doctores sentiant non committi peccatum mortale.

49. *Varia Corollaria.*

Ex Conclusione sequitur I. Sacerdotem consecrantem, absolventem, inungentem, Episcopum ordinantem, confirmantem, aut etiam simplicem Sacerdotem ex commissione Papæ idem in malo statu facientem peccare mortaliter contra Religionem: ibi enim concurrunt omnia superiùs posita. Idem est de Sacerdote aut Diacono ex commissione Sacerdotis in statu peccati mortalis baptizante: nam concurrit Sacramenti sanctitas cum ministri consecratione.

50. *Non sufficit sanctitas Sacramenti citra consecrationem ministri ad gravem obligationem.*

Si tamen ministri consecratio deesset, existimant plerique Doctores, contra *Vasquez* & alios (qui satis probabiliter docent oppositum) non sufficere solam Sacramenti sanctitatem ad peccatum mortale: adeò ut si laicus in necessitate baptizaret non solemniter extra statum gratiæ, non peccaret mortaliter. Idem est de contrahentibus matrimonium in malo statu, in quantùm sunt ministri istius Sacramenti; cùm ad hoc non sint specialiter consecrati. Quàmvis juxta omnes peccent mortaliter, quatenus indignè Sacramentum suscipiunt & obicem gratiæ Sacramenti ponunt. De quo diligenter ab animarum Curatoribus sunt instruendi. Certius autem est, non peccare mortaliter Parochum, qui in malo statu assistit matrimonio & sponsis benedicit: hic enim non ministrat Sacramentum, sed assistit tamquã testis sive notarius publicus ex voluntate Ecclesiæ requisitus. Ratio verò, ob quam non sufficiat sola sanctitas Sacramenti, dari potest, quòd indubiè pejus agat malus minister, quando juncta est consecratio illius, & juxta omnes mortaliter; non satis autem constet ex communi consensu vel aliundè, quòd malitia sit mortalis, si consecratio ministri secludatur, & non potiùs ex hac demum junctâ sanctitati Sacramenti concrescat obligatio gravis: quæ tamen sine urgenti fundamento non est adstruenda.

51. *Ex quo tamen non bene infertur Sacerdotem extra*

Minùs tamen placet, quod *D. Thomas q. 64 a. 6. ad 3. Suarez d. 16. sect. 4. in fine. Præpositus* & plurimi alii inferunt, non peccare mortaliter Sacerdotem vel Diaconum ex Sacerdotis commissione extra statum gratiæ in necessitate baptizantem non solemniter, quasi dum non adhibentur solemnitates, non censeatur in tali casu baptizare ex officio, sed solùm instar alicujus laici ad occurrendum necessitati. Non placet, inquam: quia tales acceperunt gratiam Ordinationis ad baptizandum etiam non solemniter: solemnitas enim nõ est à Christo, sed ab institutione Ecclesiæ. Quare sicut tales peccarent mortaliter, si baptizarent solemniter, aut Ecclesia non instituisset solemnes Baptismi cæremonias; sic & modò peccant. Possent quidem in necessitate baptizare, quàmvis non forent consecrati: quandoquidem tamen jam sint consecrati, verè faciunt illud, ad quod sunt consecrati, & gratiam acceperunt, idcoque etiam sunt in tali necessitate laicis præferendi. Hi è contrà non peccarent mortaliter baptizando solemniter ex concessione Ecclesiæ, etsi forent in malo statu, supposito quòd alioquin non sufficeret sanctitas sacramenti.

52. *Audiens confessionem in malo statu, si bene ut vult, peccat mortaliter.*

Sequitur II. Sacerdotem veriùs non peccare mortaliter audiendo in malo statu confessionem, modò habeat intentionem excitandi contritionem, illamque excitet, antequam impendat absolutionem. Sive quia confessio solùm est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, cujus essentia consistat proinde in sola absolutione, ut volunt *Scotistæ*; de quo in materia de Pœnitentia: sive quia tunc apponitur materia ab ipso pœnitente, qui cùm pro tunc non debeat esse in statu gratiæ, consequenter in eo esse non obligatur Sacerdos, qui istam materiam quasi admittit, ac velut passivè se habet, non administrans Sacramentum ejusve materiam; propter quod posset absolvere, etsi præter intentionem audivisset peccata alicujus subitò se accusantis & absolutionem petentis: sive quia obligatio existendi in statu gratiæ solùm est pro tempore, quo perficitur Sacramentum, quod fit in absolutione. Ita *Henriquez, Iugo, Diana*, & alii passim contra *Arriaga d. 20. n. 12.* Contra quem specialiter facit, quòd cùm contendat malitiam mortalem ministerii in malo statu refundi debere in solam sanctitatem Sacramenti, consequens videatur, etiã ipsum confitentem velut ministrantem partem proximam Sacramenti debere esse in statu gratiæ, utì Sacerdotem audientem: quod tamen est absurdum.

53. *Dispensans Eucharistiam in malo statu peccat mortaliter.*

Sequitur III. mortaliter peccare Sacerdotem, qui extra statum gratiæ dispensat Eucharistiam, etsi ab alio confectam. Ita communiùs Doctores contra *Vasquez* & varios Recentiores contrarium opinantes, eò quòd talis non conficiat Sacramentum, nec concurrat proximè tamquam minister Christi ad justificationem, utì in aliis Sacramentis, sed solùm per motum localem applicãdo activa passivis. Nihilominus tenendum est quod diximus: quia verè administrat

strat Sacramentum, & quidem omnium dignissimum, estque ad hoc specialiter consecratus. Deinde sustinet personam Christi (cui proprium est nos pascere corpore & sanguine suo) in munere augustissimo. Idem supponit *Rituale Pauli V. tit. cit.* ubi cùm de ministrantibus Sacramenta indignè dixisset, eos, *in æternæ mortis reatum incurrere*; infrà §. *Cæterùm* manifestè indicat se etiam agere de administratione dispensatoriâ Eucharistiæ. De qua etiam agit postmodum titulo speciali, ubi in principio dicit, majorem præ aliis in hujus Sacramenti administratione (loquitur apertè de dispensatione) exigi reverentiam, ut sanctè tractetur. De qua similiter loquitur *Nicolaus* Papa V. *Scisciitantibus* 15. q. 8. Idem est de Diacono in necessitate Eucharistiam ministrante: quia est eadem ratio: cùm Diaconus (ut patet ex ejus officio descripto in Pontificali) ad hoc quoque sit ordinatus, ut Sacramentum Eucharistiæ ex commissione Sacerdotis ministret. Immo *Coninck* & alii passim existimant committi tot peccata mortalia, quot sunt homines quibus etiam sine interruptione distribuitur: eò quòd singulæ distributiones sint diversæ actiones terminatæ & completæ. Tametsi *Henriquez*, *Tannerus* quos citat & sequitur *Diana* 1. p. *Tract.* 7. *resolut.* 41. existimant esse solùm unum peccatum.

Secùs est, de Eucharistiâ transferente aut cum ea populum benedicente.

Sequitur IV. non esse mortale peccatum in malo statu elevare hostiam sacram à terra, transferre de loco ad locum, aut cum eadem benedicere populum: non enim est administratio Sacramenti.

54. *Aut de Episcopo in malo statu consecrante Ecclesias, Chrisma, alium in. firmorum &c.*

Sequitur V. non peccare mortaliter Episcopum extra statum gratiæ benedicentem corporalia, consecrantem calices aut Ecclesias, aut etiam conficientē sacrum Chrisma vel benedicentem oleum pro infirmis: quia etsi ad ista munia sit consecratus, non conficit tamen tunc vel administrat verum Sacramentum nomine Christi: quamquam in duobus postremis exemplis (de quibus *Lugo d.* 8. *n.* 156. & nonnulli alii sentiunt oppositum) conficiat materiā remotam Sacramenti Confirmationis, & extremæ Unctionis: quam etiam conficit pinsens panem pro Eucharistia. Nec simile est, quod *Lugo* allegat, de consecratione Eucharistiæ: illa enim est verè confectio Sacramenti, & quidem augustissimi; quale est Eucharistia etiā ante usum, seu antequam applicetur. Immo ipse *Lugo* concedit, applicationem seu distributionem Eucharistiæ in malo statu nō esse mortalem; adeoque debet esse mortalis saltem consecratio in malo statu facta. Quòd autem non obstet præfatas personas esse ad id muneris consecratas, ex eo confirmatur, quòd etiam Acolythi & ceteri Clerici minorum Ordinum sint consecrati ad munia ordinis correspondentis, v. g. ad ferendū cereos; quos tamē non est verosimile peccare mortaliter, si extra statū gratiæ sua munia exequantur.

Sequitur VI. idem ob eandem rationem dicendum esse cum Doctoribus communiùs de Subdiacono canente in malo statu Epistolam, aut Diacono canente Evangelium & ministrante Sacerdoti. Quàmvis oppositum, de Diacono præsertim, multi existiment; cùm hic ex sacra ordinatione valde propinquè concurrat ad tremendum illud sacrificium, etiam tenendo pedem calicis, & cum Sacerdote offerendo. Nihilominus irreverentia non videtur excedere latitudinem peccati venialis: quia isti verè non administrant Sacramentum, Idque verum est, secluso scandalo & contemptu, etiamsi sæpiùs fieret: quia nec multiplicatio venialium, nec voluntas plura venialia committendi facit mortale, nisi objecta coalescant: quod hìc non fit: etsi Nonnulli contradicant. Quod autem interdum puniti divinitùs legantur similes ministeria sua in malo statu obeuntes, non probat novum mortale in ministeriis commissum esse. Verùm Deus justè punivit tunc morte extraordinariā peccatum præexistens, etsi fortasse supplicium meritum non intulisset, nisi adjunctâ temeritate accedendi ad altare in illo statu: quam insuper etsi solùm venialem, Deus poterat supplicio mortis corporalis punire.

55. *Idem est de Subdiacono aut Diacono Sacerdoti sub missa solemni ministrante in malo statu.*

Sequitur VII. idem esse dicendum de concionante extra statum gratiæ; etsi Nonnulli aliter sentiant. Si tamen peccatum sit publicum, exinde natum est sequi grave scandalum in populo, adeoque gravis culpa in ejusmodi concionatore. Quod etiam locum habet in aliis functiones sacras obeuntibus cum scandalo. Quo secluso, latet sæpè in illis in malo statu exercitis, præsertim absque pio motu aut aliquâ detestatione peccatorum, veniale peccatum, grave vel leve, juxta gravitatem & sanctitatem ipsius functionis: quia res sacræ tractandæ sunt sanctè & reverenter.

56. *Item de concionante in malo statu; secluso scandalo.*

Dices: *Gregorius IX. c. Quæsitum, fin. De cohabit. Cleric.* generaliter dicit de ministris Ecclesiæ, quemlibet pro mortali peccato quoad seipsum esse suspensum. Et *c. Quæstum, fin. De tempor. ordin.* loquens de *Sacerdotibus vel aliis Clericis*, dicit monendos, ut existentes in peccato mortali abstineant, & *sub interminatione divini judicii obtestandos, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam Ordinibus non ministrent.* Unde sequi videtur, etiam Diaconum vel Subdiaconum in peccato mortali ministrantem peccare mortaliter.

57. *Objectio petita ex Gregorio IX. c. Quæsitum.*

Responsio.

Resp. non posse sine absurdo hos Canones intelligi, prout jacent, generaliter de omnibus Clericis: ne alioquin etiam Acolythi ministrando, Lectores legendo, Ostiarii ostia aperiendo vel claudendo in malo statu, dicendi sint peccare mortaliter. Itaque prior Canon recte accipitur de Clericis Sacerdotibus, qui quidem quoad se ipsos sunt suspensi pro quolibet peccato mortali,

quantùm ad officia Missæ, vel ministerium Sacramentorum, etsi non debeant in officiis evitari.

58. In posteriore Canone per *alios Clericos* à Sacerdotibus distinctos possent intelligi Diaconi quoad functiones sacramentales, quæ eis ex delegatione competere possunt: vel tam illi, quam alii, quoad officia & ministeria, quibus annectitur susceptio Eucharistiæ; prout ministri altaris solebant sub missa solemni de manu sacrificantis communicare. Vel sanè, si generaliùs loquatur Pontifex, ad summum dicit, eos peccare, non definiens, an mortaliter, dicens tamen eis cavendum ob timorem divini judicii, & monendos *ut in testimonium suæ damnationis* abstineant, ne videlicet se ipsos coram Deo condemnent, non quidem de novo mortaliter peccando, sed profitendo sanctitatem, quam non habent, & tamen eos habere decet. Prout dicimus Religiosum malè viventem à sua veste Religiosa condemnari, & prout Apostolus *ad Rom. 2.* dicit condemnare se ipsos, qui alios judicant, non quòd necessariò peccent alios judicando, sed quia ipsi eadem agunt, quæ in aliis judicant seu condemnant. Ita *Coninck* & alii. Non rectè tamen addit *Arriaga disp. 20. num. 10* Pontificem sic loqui de publicis peccatoribus propter scandalum: nam apertè Pontifex etiam notoreitatem facti secludit in canone posteriùs citato, de quo tamen tractabat *Arriaga suprà*.

QUÆSTIO VI.

An liceat Sacramenta ministrare indignis?

59. *Ministrans Sacramenta indignis peccat mortaliter per se loquendo.*

RESP. negativè, adeò ut minister per se loquendo peccet mortaliter administrando illa indignè accedentibus, quando eos sine gravi incommodo potest repellere. Est doctrina certa, omniumque consensu firmata. Et colligitur ex *Matth. 7. Nolite dare sanctum canibus. 1. ad Cor. 4. Hîc jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Ratio est: quia minister ex natura rei obligatur Sacramenta tractare reverenter, & administrare fideliter, cui utrique notabiliter contravenit, qui ea immundis & indignis confert. Accedit universale præceptum charitatis, quo prohibemur alterius peccato cooperari; quod facit minister conferendo Sacramentum indignè suscipienti. Unde præter peccatum speciale contra reverentiam jure divino naturali debitam Sacramento, videtur committere peccatum mortale contra charitatem proximi, sive peccatum generale scandali; ut colligitur ex doctrina tradita de Scandalo *parte 2. Tract. 2. disp. 7. q. 9. §. 2.*

60. Quales debeant esse notitiæ de dignitate suscipientis.

Advertendum autem qualitatem notitiæ de dignitate seu dispositione suscipientis relinqui ferè judicio prudentis ministri, attento quòd non requiratur æquè exacta in omnibus Sacramentis notitia: in absolutione sacramentali requiritur exactior dispositionis notitia, cùm ibi Sacerdos sit judex. Similiter in Sacramento Ordinis: quod non dirigitur ad bonum privatum sed commune. In Baptismo etiam adultorum de fide ceterisque dispositionibus est inquirendum. In aliis autem præsumitur quis bonus, nisi constet contrarium.

61. Publicus dignus publicè repellitur.

Hinc est certa doctrina, illicitè præberi Sacramentum peccatori publico, sive petat publicè, sive privatim: & sive sit publicus per sententiam judicis, sive notoreitate facti. Nam publicus peccator re & publicâ famâ est canis; de quo proinde intelligitur illud *Matth. 7. Nolite dare sanctum canibus.* Idemque tradunt Patres in specie loquentes de Eucharistia; ut *Chrysostomus Hom. 83. in Matth. Cyprianus, Augustinus* & alii; & *Rituale Romanum Tit. de Sacramento Eucharistiæ*, ubi dicitur: *Arcendi autem sunt publicè indigni; quales sunt excommunicati, interdicti, manifestèque infames; ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alii ejus generis publici peccatores: nisi de eorum pœnitentia & emendatione constet, & publico scandalo priùs satisfecerint.*

62. Concubinam habens.

Unde patet publicæ meretrici, quam non constat deseruisse statum meretricium, seu de cujus conversione publicè non constat, non posse Eucharistiam in publicum ministrari, quantumvis in foro sacramentali foret absoluta: tum quia talis ad hujusmodi administrationem non habet jus, tum quia id foret scandalosum. Excipe articulum mortis, in quo, si privatim fieri non potuit administratio, necessitas extrema videtur prævalere scandalo, præsertim mox auferribili publicatione resipiscentiæ. Quando verò Sacramentum privatim petitur, sufficit præsentes habere notitiam emendationis; immo interdum potest sufficere confessio cum absolutione: quia hâc ratione potest tolli scandalum. Quod neque subsequetur postea ex divulgatione, si pariter divulgetur emendatio. Quòd si denique ex sola pœnitentis confessione Sacerdos noverit peccatum esse publicum, constat ex obligatione sigilli sacramentalis peccatorem etiam publicè petentem non posse repelli.

Patet ex Rituali Romano, esse Eucharistiæ, & Tactu Christi.

63. Quando censeatur peccatum notorium evidentiâ facti.

Si autem quæratur, quàm multis peccatum debeat esse notum, ut censeatur notorium evidentiâ facti? Resp. non posse id certâ regulâ definiri, sed prudenti judicio determinandam esse delicti publicitatem, attentis circumstantiis loci & personarum. Quare illud omnino dicendum vide-

videtur ita notorium, quod celebri loco fit, & in iis circumstantiis, quibus ad communem notitiam facilè possit pervenire. Per accidens autem est, quòd adstantes fortassè ignorent publicitatem delicti, sive statûs peccati: quia equidem peccatori respectu horum jus ad famam verè amisit; quam etiam paulò pòst moraliter loquendo perdendam non debet Sacerdos Sacramenti administratione servare.

64. *An sufficiat publica & violenta suspicio ad neganda Sacramentum.*

Extendunt autem id *Suarez*, *Rodriguez*, & alii passim etiam ad casum, quo de peccatore est publica eaque vehemens seu violenta suspicio, quæ scilicet probabili ratione deponi non potest, sive quæ nullam in contrarium habet seu admittit probationem: nam & hæc generat moralem certitudinem. Deinde ex admissione ejusmodi natum esset oriri scandalum; cui proinde ut occurratur, etsi non per modum pœnæ, posset negari Sacramentum, quo usque modo debito se purget.

65. *Occultè indignus occultè repelli, publicè admitti debet,*

Quòd si peccator sit occultus, tamen ministro constet ejus indignitas, ex notitia non confessionali (secùs est juxta plurimos Doctores, si constet tantùm ex notitia confessionali, etsi Sacramentum petatur etiam privatim) debet repelli, si petat privatim, aut coram illis tantùm, qui peccatum illius norunt. Si autem petat publicè, ita ut sine notabili infamia nequeat repelli, potest, immo debet ei Sacramentum præberi. Ita de Eucharistiæ Sacramento expressè tradit *Rituale Romanum tit. de Sacramento Eucharistiæ*, & communissimè Theologi. Idem colligitur ex perpetuo usu Ecclesiæ: immo ex facto ipsius Christi, qui Judam à communione Corporis & Sanguinis non repulit. Ex quo indubitatum esse debet, dari præceptum, sive juris naturæ, ut Varii putant, sive positivum ipsius Christi, ut putat *Cominck q. 80. a. 6.* de non repellendo publicè occulto peccatore. Ratio est: quia tunc ob urgentem causam scilicet non infamandi proximum, censetur minister se habere permissivè ad peccatum proximi, consistens in susceptione, quæ secundùm se est sancta, & solùm mala ex voluntate suscipientis. Plura insuper, eaque gravia incommoda plerumque sequerentur: nam verè innocentes sæpè infamarentur ex aperto vel occulto odio aut imprudentiâ ministrorum: sæpè etiam cum timore accederent, tanendo injustam infamationem: adstantes etiam perturbarentur: ministris denique gravissimum vel potiùs importabile incumberet onus probandi alium rectè esse repulsum. Non est itaque obligatio impediendi peccatum occulti peccatoris indignè sumentis & Sacramenti irreverentiam, adeoque manet obligatio juris naturalis non lædendi famam proximi, quem à Sacramento publicè repellendo minister ex se & positivè infamaret.

Rituale Romanum, ipse Ecclesiæ, & facto Christi.

Ratio assignatur.

Nec obstat I. quòd potiùs consulendum videatur honori Christi & Sacramenti, quàm famæ occulti peccatoris, qui non veretur indignè accedere, quantumvis ad Sacramentum jus non habeat in tali statu constitutus. Nam hoc quidem sensu debet Minister præferre Christum sive Sacramentum, quòd ipsemet non possit irreverenter se gerere erga Sacramentum, ut famam proximi servet, sed potiùs servare debeat in se reverentiam Sacramenti quàm famam proximi. Non tamen ita, ut possit positive alteri famam auferre, ad hoc ut ab altero etiam servetur honor debitus Sacramento, quando in eo solùm consistit honoris læsio, quòd alter peccet v. g. indignè communicando; sed potiùs debet hujusmodi irreverentia permitti: cùm ut peccatum proximi impediatur, non liceat eum infamare; neque minus malum facere, ut gravius alterius evitetur. Quare nec licitum est occultum proximi peccatum detegere ad impediendum ejusdem perjurium; neque sigillum sacramentale, ut vitetur injuria Dei alioquin graviter offendendi.

66. *Quo sensu prius consulendum honori Sacramenti, & quo fama proximi.*

Non obstat II. quòd publicè petenti liceat negare Eucharistiam, quæ privatim scitur ad hoc peti; ut postea conculcetur. Nam in primis id non satis constat, & negatur à *Poncio d. 4. n. 77.* Et quàmvis admittatur, disparitas est, quòd locum ibi habeat læsio honoris seu contemptus Sacramenti in se, præscindendo quodammodò à peccato alterius; uti etiam si exponatur irridendum Ethnicis vel Hæreticis, projiciatur in lutum &c. adeoque denegare Sacramentum cum detectione injuriosi conatûs, est defendere innocentem, & ab eo injuriam propulsare, quod licitum est, etiam infamando eum qui se ad invadendum parat.

67. *An possit negari Eucharistia, quæ publicè petitur, animo occulto conculcandi.*

Non obstat III. quòd ensem depositum nequeam reddere repetenti illum, ut se vel alium occidat, etsi deberet iniquus animus ejus detegi. Nam dissimulato Ass. (quod verum non est, quando non possum ensem petitum negare sine gravissimo incommodo proprio) disparitas est, quòd indignè suscipiens Sacramentum sibimet noceat in eo quod suæ potestati subest; quòdque malum illud sit ei omnino voluntarium, evitabile & reparabile, jamque in animo completum, cui à ministro solùm additur actio exterior secundùm se honesta. Qui verò repetit ensem ut alteri noceat, id facit animò inferendi ei malum involuntarium, præsertim irreparabile, & à me impedibile: adeoque debet alter à me defendi, non obstante infamia nocituri, oriundâ ex detectione pravi conatûs. Idem ferè est de eo, qui sibi vult nocere vitam eripiendo, quæ nullo modo subest ejus dominio. Adde his casibus ad summum detegi occultam voluntatem occidendi; quæ equidem dando gladium depositum non

68. *Cur potiùs detegi possit occultus animus petentis depositū gladium ad occidendum, etiam denegando gladium, quàm detegi peccatum publicè petētis Sacramentum.*

occultabitur, sed occisione dein secutâ maximè fiet manifesta, & aliundè etiam ipsi occidenti gravia damna evenient.

69. *An posset indignè communicaturo dari hostia non consecrata.*

Non obstat IV. quòd Sacerdos videatur aliter posse consulere, tum famæ peccatoris occulti, tum irreverentiæ Sacramenti, præbendo videlicet hostiam non consecratam publicè accedenti, ne sacrilegè recipiat consecratam; saltem quando adest conventio Sacerdotis communicaturi super hac re. Nè etsi nonnulli admittant id fieri posse; communis tamen sententia negat esse licitum: esset enim fictio ista valde periculosa & execranda, quâ præberetur hostia non consecrata, moraliter loquendo ab ipso sumente vel ab adstantibus adoranda. Sicut si quis populo publicè in processione aut aliàs exhiberet adorandam hostiam non consecratam, aut venerandas reliquias alicujus damnati tamquam certi alicujus Sancti. Unde esset periculum morale idololatriæ quasi exterioris, & superstitio quædam falsi cultûs. Itaque *falsa sunt abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora*, ut respondet *Innocentius III. c. De homine de Celebrat. missar.* interrogatus de casu, etsi non per omnia simili, quo Sacerdos peccati conscius non valens ob necessitatem omittere sacrum (quando debuisset saltem conteri) non consecrabat, sed de cetero, ut populo satisfaceret, missam se celebrare fingebat. Quare nec ipse Christus hac simulatione circa Judam sacrilegè communicaturum usus est, nobis præbens exemplum, quid in casu simili agere debeamus.

70. *Non potest Sacramentū dari ad purgationē criminis.*

Petes, an liceat Eucharistiam dare vel sumere ad purgandam suspicionem criminis? Resp. negativè cum *D. Thoma* & Theologis communiter, si fiat eâ intentione, ut si sumens sit crimini obnoxius, Deus præter naturæ ordinem edat manifestæ ultionis signum; si autem sumenti nihil mali accidat, habeatur declaratus innocens. Hoc namque esset tentare Deum: cùm Eucharistia nec ex natura rei nec ex divina promissione sit medium conveniens ad manifestationem occulti delicti. Unde etiam alii non absimiles purgationis modi per ferrum candens aut aquam ferventem sunt à Pontificibus reprobati c. *Consuluisti* 2. q. 5. & alibi sæpè.

71. *Respondetur ad decretū Concilii VVormatiensis, quod talem purgationem videtur indicere.*

Nec obstat Concilium *Wormatiense* (& refertur *c. Sæpè contingit*, & *c. Si Episcopo* 2. q. 5.) quod suspectis de crimine indicit celebrationem vel sumptionem Eucharistiæ ad purgationem: nam in primis Concilium istud non fuit generale, neque ab Ecclesia approbatum: immo si (quod Plures existimant) agat de purgatione superiùs expositâ, est per Pontifices reprobatum, dum similes purgationes condemnant, tamquam superstitiosas. Nihilominus cum *Joanne majore* rectiùs dicitur Concilium loqui de purgatione per Sacramentum, quæ fiebat per modum juramenti, ut sumptione illius tamquam juramento execratorio veritas eliceretur: sicut passim suspectis de crimine offertur juramentum. Neque illud juxta omnes est ex natura rei illicitum: quamquam modus ille purgationis sit contrariâ Ecclesiæ consuetudine abrogatus, immo juxta varios Doctores judicibus prohibitus, adeoque non facilè ab eis practicandus. Quamquam justa de causa non videatur illicitum assumere illum saltem ex libera cujusque voluntate, exemplo Gregorii VII. in testimonium innocentiæ sumentis Eucharistiam coram Henrico IV. idem facere detrectante, ut refert *Baronius ad annum Christi* 1077.

Non est ex natura rei illicitum purgationem sumptionem Sacramenti per modum juramenti execratorii.

Quæ de Sacramento non ministrando peccatori publico, non negando peccatori occulto publicè petenti, dicta sunt, etsi in specie plerumque proponi soleant de Sacramento Eucharistiæ, tamen cum proportione locum habent etiam in aliis Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Unctione extrema. In Sacramento autem Pœnitentiæ locum non habet publica petitio seu repulsa; sed in foro illius secretò Sacerdos veluti judex obligatur sine delectu alio, quos ex allegatis & probatis repererit indispositos non admittere, quos repererit dispositos non repellere.

Præcisè in hac specie proponi solent de Sacramento Eucharistiæ, tamen cum proportione locum habent etiam in aliis Sacramentis, ad reliqua Sacramenta.

De Sacramento Ordinis habet recepta satis doctrina repellendum esse indignum, sive in publico petat, sive in occulto, sic ut Ordinario etiam ex scientia secreta sit hac in parte procedendum, v. g. irregulari occulto neganda Ordinatio. Ratio est: quia Sacramentum Ordinis non est pro omnibus, quasi quisque ad illud jus prætendere valeat, uti ad Eucharistiam, sed delectus ordinandorum est penes rectores Ecclesiæ, qui debent huic prospicere (prout suis Ecclesiis utile aut necessarium viderint) de officialibus & ministris idoneis, adeoque ex officio tenentur de qualitate ordinandorum inquirere. Quare offerentes se ad Ordines subjiciuntur inquisitioni seu examini Ecclesiæ de eorum qualitate & idoneitate; sicut præsentantes sese ad officia Reipublicæ. Unde inquisitionem de natalibus, moribus &c. etiam publicè in Ecclesiis, proposito Ordinandi nomine faciendam, præscribit *Trid. sess. 23. c. 5. de Reform.* & rursum *c. 7.* statuit examen esse desuper instante jam ordinatione faciendum à personis per Episcopum designatis, ultra Archidiaconum, cui de jure competit scrutinium seu examen. Hæc tamen videntur intelligenda de indignitate, quâ quis reddatur inidoneus seu indignus ad ipsum statum. Loquendo tamen de sola indignitate ad ipsum Ordinis Sacramentum quâ tale, proveniente ex hoc præcisè, quòd accedens sit occultè in malo statu, mihi non ita constat, quòd idcirco persona alioquin omnino idonea posset cum publica infamiâ repelli. Similiter si is qui publicè Ordines petit,

petit, ad illos jus prætendere possit ratione tituli, v.g. beneficii vel dignitatis obtentæ, existimat *Lugo d. 8. sect. 12. n. 194.* & alii talem non posse repelli arg. c. *Ex tenore de tempor. ordinat.* ubi *Glosa* idem indicat.

74. Matrimonium potest inire cum peccatore etiam publico juxta Doctores passim.

Ad Sacramentum Matrimonii quod attinet, constat ipsos contrahentes, qui sunt ministri Sacramenti matrimonii posse contrahere, sic ut publicè non possit repelli compars ob peccatum occultum. Immo juxta Doctores passim id fieri nequit, etsi peccatum sit publicum. Quod probat *Lugo sup. sect. 14. n. 226.* ex eo, quòd nullus injiciat scrupulum personis Catholicis, quasi non possint licitè contrahere cum existente in malo statu. Deinde quòd nullus Theologus obliget virginem ad negandum matrimonii consensum sponso, quamdiu est in statu peccati; sed potiùs ex usu omnium fidelium constet obligationem se disponendi relinqui privatæ cujuslibet contrahentium conscientiæ. Immo Pontifex interdum dispensat ut Catholicus contrahat cum Hæretica. Idemque in variis antiquis Conciliis concessum fuit, quando Hæreticus promitteret conversionem: istis autem casibus supponebatur ille contracturus matrimonium in malo statu.

75. Si commodè aliunde cum possit aliis alterius disponi;

His equidem non obstantibus dubitare nequeo, quin saltem lege charitatis teneatur quis compartem admonere quantùm commodè potest, si speretur fructus, ut se dignè disponat. Immo hoc ipsum omnino exigit reverentia Sacramenti; cujus sanctitas exigit, ut non ministretur indigno, à quocumque ministretur. Prout etiam patet in Baptismo, quem in necessitate etiam femina, etsi non ex officio speciali licitè ministrat, non tamen indigno. Quare si non adsit specialis causa contrahendi cum tali, & ministrandi eidem Sacramentum matrimonii; non video, qualiter id faciens possit excusari à peccato mortali. Neque plus intendit *Præpositus q. 7. de Impedimentis matrimonii dub. 24.* addens cautè conditionem, si subsit justa causa; seu, si intersit contrahere cum tali. Quam limitationem fortè etiam alii non negarent.

Et interest specialiter cum illo contrahere, alias non.

76. Ordinariè tamen in temp. seu causa subest.

Nihilominus ordinariè contrahenti interest contrahere determinatè cum tali persona, sic ut ob causam justæ utilitatis aut necessitatis plerumque excusetur à peccato ministrandi Sacramentum matrimonii indigno. Eâque causâ subsistente id verum est, etsi alter sit excommunicatus toleratus. Nam post *Concilium Constantiense* censura specialiter non obstat, quò minùs possit innocens tali communicare, etiam in sacris. Cooperatio autem ad peccatum alterius in malo statu Sacramentum susci pientis est communis quoad alios peccatores non excommunicatos: ob utilitatem enim contractûs cum tali celebrandi censetur se habere permissivè ad indignam alterius susceptionem, quam posset alter vitare, si vellet.

Ob peccatum, etsi alter sit excommunicatus toleratus.

77. A fortiori licitum est in simili casu Parocho assistere,

Ex quibus à fortiori patet, posse tunc parochum hujusmodi matrimonio assistere, sicut unus contrahentium potest alteri in malo statu existenti ministrare: quàmvis similiter lege charitatis deberet contrahentes priùs à statu peccati avertere, si commodè possit. Estque de parocho adhuc minor difficultas; eò quòd non sit minister Sacramenti matrimonii, sed tantùm assistens instar notarii seu testis publici ipsi contractui quà tali: publicus autem notarius vel judex contractui alioquin legitimo auctoritatem sui muneris non denegat, etsi partes contractum ineundo ex sua malitia peccent.

Quid ei faciendum, dum novit, subesse aliud matrimonialis contractûs impedimentum, remissivè.

Si tamen subesset in contrahere volentibus aliquod impedimentum ipsius contractûs matrimonialis, distinctum videlicet ab indignitate consistente in hoc, quòd contracturi sunt in malo statu, deberet parochus juxta receptam Doctorum sententiam non assistere, sed potiùs impedimentum Episcopo manifestare, si moniti nolint desistere; quantumvis foret occultum & infamiam adferens. De quo in Tractatu de Matrimonio differi solet.

QUÆSTIO VII.

De Ceremoniis in Ministerio Sacramentorum servandis reliquisque Sacramentalibus.

78. Quid nomine Ceremoniæ intelligatur.

NOMINE Ceremoniæ intelligitur actus externus Religionis, qui non aliundè est bonus & laudabilis, nisi quia fit ad colendum Deum, ut explicat *Bellarm. l. 2. de Sacram. c. 29.* sive circumstantia exterior religiosa ad Deum decenter colendum instituta. Hujusmodi Ceremonias quàm plurimas Deus ipse instituit in veteri Lege, quæ quoad hanc partem ceremonialis dicta est. Quasdam etiam instituit ipse Christus in nova Lege, videlicet septem Sacramenta, & Sacrificium Eucharisticum. Varias denique instituerunt Apostoli eorumque successores, sive Ecclesia; quæ dicuntur, Ecclesiasticæ. Quarum nonnullæ versantur circa Sacrificium & Sacramenta, ut scilicet decentiùs conficiantur seu ministrentur: nonnullæ circa alia. Nam circa personas versantur exorcismi, insufflationes, aspersio cineris: circa loca, v. g. consecratio templi: circa tempus, dies festi, vigiliæ &c. circa res ipsas, benedictio aquæ, cinerum, vestium, olei, palmarum &c. Inter ceremonias quoque quædam specialiter appellantur Sacramentalia; non quòd particulariter pertineant ad ministerium Sacramentorum, sed quia Sacramenta imitantur in hoc, quòd deleant venialia: etsi juxta veram hodieque receptam sententiam non nisi ex opere

Aliæ Ceremoniæ sunt divinæ, aliæ Ecclesiasticæ,

Et harum sunt variæ.

operantis, & mediante pio motu peccatis contrario. Recensentur autem aqua benedicta, confessio generalis sub missa vel fioris, benedictio Episcopi vel Abbatis consecrati, tunsio pectoris, oratio Dominica, Eleemosyna &c. quæ tamen non omnes sunt propriè Ceremoniæ.

79. Contra ceremonias Ecclesiasticas insurgunt Hæretici recentiores variis etiam mendaciis impertinentibus (quæ refert *Bellarm. sup. c.* 30.) doctrinam & usum Catholicorum traducentes.

Ceremonias licitè ab Ecclesia adhiberi est clarum lumine naturæ.

Verùm naturali lumine clarum est, licitè & convenienter in ipso externo cultu Dei aliquas Ceremonias ab Ecclesia adhiberi, ut decentiùs fiat. Immo nonnullas dictat ipsa natura, v. g. inter orandum flectere genua, tundere pectus, oculos & manus levare in cælum: quæ proinde etiam sunt communes gentilibus & quibuscumque Sectis. Deinde institutionem vel usum Ceremoniarum ex natura rei non esse malum vel superstitiosum, est manifestum ex veteri Lege, præsertim ex libro Levitici, ubi Deus ipse plurimas Ceremonias ordinavit in sacrificiis & aliis actionibus ad divinum cultum spectantibus adhibendas.

Multas Deus instituit in lege veteri.

Ipse Christus eis fuit usus.

Præterea Christus ipse (ut taceam, quòd legem ceremonialem servaverit) sæpè legitur Ceremonias adhibuisse, v. g. elevando oculos, agendo gratias, accipiendo in manibus panem, benedicendo, *Lucæ* 9. & 22. Orando genibus flexis, aut in terram procidendo, *Matth.* 26. & *Lucæ* 22. Elevatis manibus Apostolis benedicendo, *Lucæ* 24. Cæremoniæ proinde ex natura rei sunt licitæ, immo congruentes sacris & religiosis ministeriis, quantùm est ex natura rei: nec alicubi Deus inhibuit Ecclesiæ, quò minùs illas instituere vel usurparet: nullo igitur ex capite sunt improbandæ, sed potiùs approbandæ.

Nec Ecclesia earum usum aut institutionem inhibuit.

80. *Quæ proinde à principio illas præscripsit:*

Quo circa jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ universalis & perpetuus usus obtinuit, ut in sacrificio, Sacramentorum administratione, & aliis religionis exercitiis diversæ Ceremoniæ ex Ecclesiæ præscripto adhiberentur: quarum antiquitatem ex vetustissimorum Patrum scriptis manifestè deducere facillimum est. Videri potest *Suarez d.* 15. *sect.* 3. *concl.* 2. & *Bellarm. l.* 1. *de Bapt. c.* 25. & *seqq.* agens in particulari de Ceremoniis Baptismi. Contra illud autem quod *tota per orbem frequentat Ecclesia*, & ab antiquo frequentavit, *hoc quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est*, ut rectè *Aug. ep.* 118. *c.* 5. Immo ipse Apostolus 1. *ad Cor.* 11. ordinatis nonnullis circa usum Eucharistiæ, subdit: *Cetera cùm venero disponam.* Nimirum (ut rectè *Aug. sup. c.* 6.) *non præcepit* Christus, *quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum.* Qui dein ex his Apostoli verbis, *Cetera autem cùm venero, ordinabo*, colligit: *Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse quod nullâ morum diversitate variatur.*

Contra cujus universalem usum disputare, insanum censet S. Augustinus.

Qui eorum originem refert ad ipsos Apostolos.

Ex quibus etiam & veterum Conciliorum, uti de aliis, sic & de his rebus, Canonibus seu Decretis evidens est, esse penes Ecclesiam hujusmodi ceremonias instituendi potestatem. Quæ nimirum potestas sufficienter includitur in potestate generali Capitibus Ecclesiæ concessâ ad eam gubernandam per regulas & ordinationes sive etiam mandata, quæ recto regimini & bono Ecclesiæ necessaria aut utilia pro tempore viderentur. 81. *Potestas circa dispensationem Ceremoniarum in Ecclesia est penes Ecclesiam.*

Hinc similiter evidens est esse penes Ecclesiam potestatem præcipiendi ceremonias in ministerio Sacramentorum adhibendas sub vinculo peccati; prout penes illam esse potestatem ferendi alias leges in conscientia obligantes, patet ex dictis in *Tract. de Legibus d.* 3. *q.* 2. & 12. Unde *Trid. sess.* 7. *can.* 13. *de Sacram. in gen.* meritò definit: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.* 82. *Etiam ab obligatione in conscientia.*

Argumenta Hæreticorum, signanter *Calvini*, omnia planè frivola, soluta possunt videri apud *Bellarminum sup. c.* 32. Solùm adverte, quòd cùm contra ritus Ecclesiæ Catholicæ in solemni administratione Baptismi, etiam ab antiquo adhiberi solitos, speciatim & unicè arguunt, quòd ritus isti non sint in divinis litteris, sive præcepto, sive exemplo, commendati, (quod planè impertinens est: cùm satis sit, non deesse in illis utilitatem, & in Ecclesia instituendi potestatem) suo ipso gladio se jugulent: nam ipse *Calvinus in Libello de formula Sacramentorum ministrandorum* præsumit præscribere, ut infans ad Ecclesiam deferatur die Dominico, vel quando est concio; ut Baptismus detur coram populo; ut deferentes interrogentur, an spondeant se infantem cùm adoleverit in fide & moribus instructuros; ut imponatur nomen baptizandis; ut forma pronuntietur linguâ patriâ; ut Symbolum, Oratio dominica, & aliæ præces recitentur. *Lutherani* addunt abrenuntiationem satanæ & pomparum ejus; immo *Lutherus in suo Catechismo* voluit etiam formari signum crucis in fronte & pectore baptizandi. Ita refert *Bellarm. lib.* 1. *de Bapt. c.* 24. Cum quo meritò operarem, testimoniis vel exemplis divinarum litterarum demonstrari à Sectariis, quòd aliquid horum in ministerio Baptismi sit adhibendum. Desinant igitur hoc prætextu redarguere ritus ab Ecclesia Dei approbatos. 83. *Objecta retunduntur frivolissima versantia.*

Utilitas

84. *Multiplex Ceremoniarum Ecclesiasticarum utilitas declaratur.*

Utilitas porrò Ceremoniarum Ecclesiasticarum est multiplex. Nam primò deserviunt ad majorem Sacramentorum solemnitatem ac splendorem, adeòque reverentiam conciliandam suâ majestate: ne si nuda mysteria absque ullo ornatu proponerentur & frequentarentur, instar rei vilis contemnerentur, à vulgaribus præsertim. Deinde ad nutriendam internam devotionem; quæ non parum inde accenditur, quòd divina mysteria cum exterioribus ritibus graviter & reverenter celebrentur. Maximè autem id apparet in Sacramento Altaris: si enim illud per nuda verba mystica conficeretur, accepto pane & poculo vini, moxque sumeretur, omisso omni apparatu vestium, altarium, vasorum, ceremoniarumque ipsius missæ, nulla quasi esset in plebe devotio aut reverentia: ita ut ipsa solemnitas & majestas, quâ Ecclesia officia præsertim missæ peragit, animum non præoccupatum satis convincat de horum rituum utilitate rectâque institutione. E contrà quoque indecora sacerdotis acceleratio, cum rituum partim omissione, partim præcipiti nec gravi adhibitione, scandalum ac Mysterii vilipensionem generat. Tertio horum rituum significatio juvat intelligentiam ipsorum mysteriorum; adeò ut ex illis interdum validè ipsa fidei mysteria comprobentur: prout ex parvulorum exorcismo & exsufflatione in faciem illorum in Baptismo *S. Augustinus* putat se apertissimè probasse latens in iis peccatum originale *l. 1. De pecc. mer. & remiss. c. 34. & l. 6. contra Jul. c. 5.* Quartò juvant memoriam præteritorum; ut patet ex annua celebratione & repræsentatione passionis, ceterorumque fidei Christianæ mysteriorum.

85. *Ceremoniæ sunt signa professionis Catholicorum & notæ discretivæ.*

Quintò juvant ad discernendum Catholicos ab Hæreticis, qui ritus hujusmodi abhorrent, v. g. signum crucis, usum aquæ benedictæ &c. Quo ipso monstrant se non esse sectatores veterum Christianorum. De quibus *Tertullianus l. de Corona militis c. 3.* ait: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Et *Cyrillus Hierosol. Catech. 13. in fine*: *Non pudeat nos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur: & in aliis omnibus crux fiat, in panibus comedendis, in poculis bibendis, in egressu & ingressu, ante somnum, recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo.* Ab his autem quàm procul absint nostri Sectarii, satis patet. Idem est de ornatu templorum & altarium, de usu sacrarum vestium in ministeriis, & similibus multis: quæ semper probavit & usurpavit antiquitas.

86. *Conferunt Ceremoniæ gratias & remissionem venialium per modum impetrationis.*

Sextò pleræque Ceremoniæ per modum impetrationis conferunt suo tempore gratias prævenientes seu pios motus, quibus homo disponatur ad peccatorum remissionem & virtutum exercitium. Patet ex orationibus Ecclesiæ, per quas similes Ceremoniæ aut Sacramentalia consecrantur, vel suscipientibus applicantur: illæ enim orationes sunt indubiè apud Deum efficacissimæ; cùm sint ab Ecclesia institutæ, & nomine ejusdem Deo offerantur.

Dixi *per modum impetrationis*: quia nullum subest fundamentum dicendi, prædictos effectus causari à Sacramentalibus ex opere operato; cùm sint instituta ab Ecclesia, quæ sicut non potest Sacramenta instituere, sic nec signis sacramentalibus effectum divinitùs annexum annectere; maximè cùm experiamur prædictos effectus non semper esse infallibiles. Nec aliter quoque, quàm per modum impetrationis ratione precum Ecclesiæ, quædam Ceremoniæ seu Sacramentalia operantur beneficia corporalia v. g. sanitatem aut similia. Denique simili modo habet aqua benedicta virtutem fugandi & compescendi dæmones. Idemque est de exorcismis; quibus quoque hanc virtutem competere patet ex praxi Ecclesiæ ac experientiâ, & *Cœlestino Papâ* ep. 1. ad Episcopos Galliæ. c. 9. & *Carthaginensi IV. cap. 7.* videlicet tum quatenus continent signum crucis, invocationem nominis Jesu & Verbi incarnati, comminationem divinæ vindictæ, & similia dæmoni odiosa: tum ratione precum Ecclesiæ, quæ apud Deum plurimùm valent: tum ratione potestatis, quam Christus specialiter dedit Ecclesiæ super omnem virtutem inimici, ut patet *Marci. 16. & Lucæ* 10. Quàmvis & hic effectus frequens quidem, non tamen infallibilis sit, dæmone interdum ob causas Deo notas, ex divina permissione justissimâ, fortiùs & diutiùs resistente.

87. *Non tamen ex opere operato.*

88. *Similis est vis Exorcismorum contra dæmones.*

Nec volunt ampliùs auctoritates virtutem aquæ benedictæ, aliorumque sacramentalium extollentes; signanter *Alexander I.* (qui sedit sextus à S. Petro) *ep. 1.* dicens: *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut eâ cuncti aspersi sanctificentur ac purificentur ..... Nam si cinis vitulæ aspersus sanguine populum sanctificabat atque mundabat: multò magis aqua sale aspersa divinisque precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat. Et si sale aspersa per Eliseum prophetam sterilitas aquæ sanata est: quantò magis divinis precibus sacratus, sterilitatem rerum auferet humanarum, & coinquinatos sanctificat atque mundat & expurgat, & cetera bona multiplicat, & insidias diaboli avertit &c?* Quæ verba etiam mirè retundunt Errorem nostrorum Sectariorum.

88. *Non plus intendunt Auctoritates agentes de Aqua benedicta &c.*

89. *Quidam insuper tribuunt Exorcismis & Sacramentalibus physicam suo-*

Proinde minùs probanda est doctrina quorumdam Theologorum existimantium quòd Sacramentalia causent remissionem peccatorum venialium ex opere operato. Item illorum, qui similem virtutem adscribunt aquæ benedictæ, signo crucis & exorcismis

89. *Quidam insuper tribuunt Exorcismis & Sacramentalibus physicam suo-*

rum effectuum operationem,

cismis Ecclesiæ quoad sanitatem corporis vel contra dæmones. Quod sic approbat *Bassæus in supplemento V. Sacramentalia n.* 2. ut cùm hæc virtus instrumentalis, etiam physica, non repugnet, prudenter judicandum sit, eam de facto subesse; eò quòd oratio Ecclesiæ in significatione propriâ sit intelligenda, quando nullum sequitur absurdum. Ut proinde sicut Apostoli per gratiam miraculorum physicè tamquam instrumenta dæmones expellebant & curationes causabant; ita & nunc hæc operetur Ecclesia ejusque ministri per exorcismos & aquam benedictam. Verùm hæc physica virtus multò minùs probanda est, sive quia impossibilis, sive quia saltem intellectu difficilis, & in præsenti non necessaria, etiam gratis admissâ efficaciâ Sacramentalium ex opere operato; quæ propriè satis salvaretur per efficaciam moralem.

Quod ad hæc minùs approbatur.

90. *Sunt nihilominus Sacramentalia magni facienda.*

Ex dictis nihilominùs patet, Sacramentalia ratione suæ utilitatis & efficaciæ esse magni facienda. Specialiter si quidem per eorum usum, v. g. aquæ benedictæ, applicantur orationes Ecclesiæ, factæ v. g. in benedictione aquæ: quæ proinde meritò tum in privatis ædibus, tum in Ecclesiis asservatur, & jam olim in templorum vestibulis collocabatur, teste *S. Synesio ep.* 121. Similiter orans in templo sibi applicat orationes Ecclesiæ fusas in consecratione, ideoque ibi faciliùs exauditur. Quod similiter locum habuit in templo veteris Legis; ut patet 3. *Reg.* 8. & 1. *Paralip.* 6. & alibi.

QUÆSTIO VIII.

An & qualis intentio requiratur in suscipiente Sacramentum?

91. *Solus homo viator est capax Sacramenti.*

SUPPONO velut indubitatum apud omnes, solos viatores esse capaces Sacramentorum; utpote ordinatorum ad salutem hominis viatoris; in quo etiam solo potest justitia incipere, vel cœpta augeri, vel amissa reparari; quod est proprius Sacramentorum effectus. Posset quidem physicè loquendo non viator sumere Eucharistiam: at non sacramentaliter; quo modo etiam bestia posset materialiter Eucharistiam manducare.

In parvulis nulla requiritur intentio.

DICO I. Certum est, nullam in parvulis requiri intentionem, ut validè, immo cum fructu suscipiant Sacramenta, quorum sunt capaces: nam constat illos in Ecclesia baptizari, & tamen sunt incapaces formandæ intentionis. Iisdem similiter cum fructu conferrentur Sacramenta Confirmationis, Eucharistiæ, & verosimiliùs Ordinis.

92. *In adulto requiritur absentia*

DICO II. Certum est adultum, qui interiùs animo reluctatur, estque omnino invitus, invalidè suscipere Sacramentum; uti & illum qui in somno vel amentiâ suscipit Sacramentum, non retractatâ priori voluntate de Sacramento numquam suscipiendo. Ita expressè determinat *Innocentius III. c. Majores de Baptismo.* Ratiò petitur à voluntate Christi, qui poterat quidem absolutè Sacramenta instituere, ut etiam tunc essent valida; tamen sic non instituisse, colligitur ex sensu Doctorum & Ecclesiæ. Idque congruebat: cùm non deceat Christianos sacris initiari animo repugnantes. Unde *Glossa* in c. *Majores cit.* improbabiliter docet, sufficere externam Sacramenti petitionem, etsi petens interiùs dissentiat. Nisi fortè velit tantùm, quòd sufficiat ut in foro externo præsumatur talis v. g. baptizatus; cùm de internis non judicet Ecclesia.

Dixi, *qui est omnino invitus*: nam metu coactus validè suscipit Sacramentum (excepto saltem matrimonio) idque sive metus proveniat ab intrinseco, sive etiam ab extrinseco inferatur; etsi enim metu coactus sit secundùm quid involuntarius, est tamen simpliciter & absolutè voluntarius. Unde hoc certum est ex usu & doctrina Ecclesiæ c. *Majores cit. & Toletano IV. c.* 55.

DICO III. Ut adultus validè suscipiat Sacramentum, non sufficit quòd non repugnet, seu quòd habeat se merè negativè, sed debet in illius susceptionem saltem habituliter consentire. Ita communiter Theologi contra *Cajetanum.*

Probatur ex *Concilio Carthaginensi III. c.* 34. & refertur *can. Ægrotantes dist.* 4. *Arausicano I. can.* 12. docentibus moribundos sensibus destitutos esse baptizandos, si id antea petierint: quibus apertè significant & supponunt, absque voluntate illâ præteritâ Baptismum non valere; cùm eâ solùm conditione positâ illum permittant. Deinde in *Rituali Romano Pauli V. Tit. de Baptismo adultorum* prohibetur baptizari is, qui ante amentiam voluntatem Baptismi numquam ostendit. Nam postquam dictum fuerat: *Amentes & furiosi non baptizentur*; subduntur certæ exceptiones seu conditiones, quibus id permittitur, signanter ista: *si antequam insanierint Baptismi desiderium ostenderint.* Idemque statuitur ibidem de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat, impendente scilicet mortis periculo cum baptizari posse, *si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium.* Eamdem doctrinam supponit *Aug. l. 4. de Bapt. c.* 24. *in fin.* dicens non valere Baptismum, si qui potest seu ætatem habet, pro se non respondeat; secùs quàm in parvulis.

Probatur II. quia non convenit, ut qui rationis compotes sunt, ignari aut non consentientes consecrentur Deo ejusque cultui. Confirmatur: quia alioquin posset per Baptismum Christianæ Religioni, quæ libera est adscribi v. g. dormiens, qui de illa numquam priùs cogitasset: & consequenter, quia ratione Baptismi validè susceptus constituitur sub Ecclesiæ jurisdictione, posset

sct ad Christianæ Religionis observantiam compelli ; prout argumentatur *Innocentius III. c. Majores de Baptismo*, addens, hoc esse præter formam & usum Ecclesiæ.

94. Fundamentum Caietani ex c. Majores desumptum everitur.

Dices : *Innocentius III.* ibidem dicit : *Tunc ergo, characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem* ; ergo sufficit, ut adultus merè negativè seu neutraliter se habeat. Hoc est fundamentum *Caietani*. Resp. Neg. Cons. quia ex contextu satis constat, tunc semper juxta mentem Pontificis censeri obicem voluntatis contrariæ, quando de facto neque adest propositum suscipiendi Baptismum, neque antea adfuit, quod nondum sit retractatum. Unde dicit incidentes in somnum aut amentiam posse in necessitate baptizari ; addens tamen conditionem : *si prius habuissent propositum baptizandi*. Unde loquitur de voluntate contraria, sive positivè, sive privativè seu negativè. Vel fortè rectiùs, loquitur quidem expressè de voluntate contraria positivè, dicitque dum illa abest imprimi characterem, supponendo (ut apertè patet ex contextu) eâ absente adesse positivam voluntatem Sacramenti, quam expressè requisiverat, solùm faciens mentionem duplicis membri, scilicet voluntatis Baptismi & voluntatis contrariæ necdum retractatæ, non autem statûs medii, de quo non erat expressa quæstio, & qui subesse non solet in habentibus notitiam Baptismi, vel de quibus baptizandis tractatur.

95. Intentio in singulis Sacramentis non debet esse aquè explicita.

Dixi in conclusione : *saltem habitualiter consentire* : quàmvis enim actualis intentio sit optima, deinde virtualis : neutra tamen requiritur, sed sufficit habitualis ; ut constat ex *c. Majores* & *Carthaginensi* & *Arausicano* citatis. Immo intentio ista non debet semper esse formalis & explicita suscipiendi Sacramentum, sed sufficit implicita & interpretativa quoad nonnulla : sic enim vita christiana transacta videtur sufficiens & interpretativa petitio Confirmationis & extremæ Unctionis ; utpote mediorum salutis omnibus christianis valde utilium. Atque ita *Rituale Romanum, Tit. de Sacramento Unctionis* expressè de hoc Sacramento significat, dicens illud præbendum esse sensibus destitutis, *qui antea illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis*. Quare inungendus etiam est peccator subitò oppressus, si quidem probabilis sit præsumptio eum esse attritum. Quod idem de Pœnitentia suo loco ostendetur. Baptismus, Ordo & Matrimonium magis expressam requirunt voluntatem, saltem habitualiter manentem. Baptismus enim secùs quàm extrema Unctio secum inducit notabilem mutationem Religionis diversissimaque onera. Similiter Ordo notabilem inducit statûs mutationem cum gravibus (uti & matrimonium) oneribus & obligationibus ei annexis ; magisque in aliorum, quàm recipientis utilitatem confertur ; unde non censetur implicitè desiderari, sed voluntas expressa debet aliquando præcessisse. Matrimonium verò quia est contractus, non perficitur, nisi per actus expressos.

Qualis sufficiat ad Extremam Unctionem.

Differentia inter illam & quadam alia Sacramenta.

Nec obstat, quòd intentio habitualis non sufficiat in ministro : hic enim concurrit per modum causæ effectivæ humano modo nomine Christi præbentis influxum ; ad quod requiritur intentio saltem virtualis : at suscipiens non concurrit, sed tantùm passivè se habet : adeòque solùm esse subjectum capax legitimè dispositum : quod in ordine ad Sacramenti valorem fit in adultis per intentionem habitualem seu interpretativam. Alioquin si æqualis & pari ratione requireretur in suscipiente intentio, non possent ulla Sacramenta conferri parvulis intentionis incapacibus ; sicut isti idcirco nullum Sacramentum possunt conficiendo ministrare.

96. *Cur potiùs in ministro, quàm suscipiente requiratur intentio saltem virtualis.*

Petes I. cur *Concilium Florentinum* nullam fecerit mentionem intentionis suscipientis, si illa requiratur ? Resp. partim quia non requiritur universaliter, ut patet in parvulis : partim quia nullam fecit mentionem recipientis ; adeòque mirum non est, quòd non fecerit mentionem intentionis ex parte recipientis requisitæ.

97. *Cur Florentinum non meminerit intentionis suscipientis.*

Petes II. quidnam foret agendum cum adulto in infantia non baptizato, qui foret à nativitate surdus & mutus & cæcus ? Resp. ipsum jam adultum baptizari non posse, utpote incapacem consensûs præbendi, & in adultis requisiti. Ita *Diana p. 9. Tract. 6. res. 6.* Nisi foret perpetuò amens : de hoc enim & de infantibus est idem judicium. At surdus & mutus, qui videns alios baptizari, etiam peteret Baptismum, deprehensâ sufficienti instructione (quæ fieri potest per nutus, Deo interiùs illuminante ; ut docet experientia in variis, qui etiam ad confessionem & communionem admittuntur) posset baptizari, Sed juxta *Diana p. 5. Tract. 6. res. 1.* si facilè posset adiri Episcopus, ejus judicium esset adhibendum ; intellige, saltem ex quadam congruentia.

Quid agendum de adulto, qui foret surdus & mutus, aut insuper cæcus.

QUÆSTIO IX.

An necesse sit Sacramenta suscipi dignè & à dignis Ministris ?

98. *Indigna Sacramenti susceptio est mortalis & quare.*

DICO I. Est gravis obligatio Sacramentum non suscipiendi indignè seu absque sufficienti dispositione ad gratiam Sacramenti. Est certum apud omnes. Et de Eucharistia patet 1. *ad Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Et in hoc quoque fundatur gravis obligatio ministri ad repellendum indignos (de

(de qua *quæst.* 6. actum est) eò quòd nimirum indignè suscipientes graviter per hoc violent reverentiam Sacramento debitam: quos alioquin non esset minister graviter obligatus repellere. Itaque ratio Conclusionis est: quia graviter adversatur reverentiæ tam sacræ rei debitæ, quòd suscipiatur absque effectu principali quem ex voluntate Christi primariò & practicè significat. Immo taliter suscipiens falsificat quodammodò significationem Sacramenti, non quasi impediat effectum qui omnino absolutè & practicè significetur conferri, sed potiùs quia impedit, ne ille effectus, gratia scilicet, hîc & nunc absolutè significetur, ad quod tamen Christus ipsum Sacramentum instituit. Confirmatur: quia magìs obligat reverentia Sacramenti ad dignè illud suscipiendum, quàm ad dignè seu in statu gratiæ ministrandum: malus enim minister etsi sibi noceat, non tamen privat Sacramentum fine seu effectu suo principali, ad quem significandum est institutum gratiâ scilicet seu sanctitate suscipientis. Qualis autem dispositio requiratur in suscipiente ad Sacramentum dignè suscipiendum sive ad effectum illius consequendum, pertinet ad singula Sacramenta in particulari.

99. *Excusatur à variis varus casus.*

Varii tamen excipiunt casum rarissimum, v. g. quo sacræ hostiæ, indignè tractandæ ab infidelibus, non possent occultari, aut præservari à dehonoratione, nisi statim sumerentur ab unico, qui adest, peccatore; qui ob perturbationem animi, ac penuriam temporis non posset se ad statum gratiæ disponere. Si enim is, alioquin cum reverentia interiore sumeret, non censeretur in tali casu facere irreverentiam Sacramento, sed potiùs reverentiæ ejusdem consulere. Sicut etsi non posset illud sordidis manibus tractare, in tali casu censeretur id agendo non facere irreverentiam: circumstantiæ enim mutant morale judicium: adeò ut quod per se loquendo esset contra, in illis sit secundùm reverentiam. Sicut si quis pede conculcans sceptrum, coronam, purpuram, aut sigillum regium, illud transiret, ageret contra reverentiam Regis; secùs si fugiens hostem persequentem ad necem id ageret, aliàs non valens evadere.

100. *Dispositus ad effectum primarium non tamen ad secundarium, non peccat graviter.*

Notandum etiam, quòd dispositus ad effectum primarium non peccet speciaLiter, saltem graviter, per hoc, quòd ponat obicem effectui secundario, v. g. remissioni pœnæ correspondentis veniali non satìs retractato ab eo qui baptizatur. Idem est de eo, qui recidens in novum mortale ponit obstaculum gratiis actualibus adhuc restantibus. Similiter non peccat, qui ponit obstaculum gratiæ abundantiori per remissiorem dispositionem. Graviter tamen peccat indispositus ad Characterem, etsi effectum secundarium, utpote semper unà indispositus ad effectum primarium, immo ad ipsam substantiam Sacramenti initerabilis, quod esse nequit, quin imprimat Characterem.

Pro secunda quæstionis parte suppono suscipientem non teneri inquirere ministri probitatem, sed posse & debere benè opinari de ministro, nisi clarè constet ei oppositum juxta regulam communem; præterquam quòd obligatio inquirendi in vitam Sacerdotis ministrantis nullibi sit suscipientibus imposita. Immo hæc cognitio difficilimè à particularibus haberi posset. Cederetque hæc obligatio in laqueum & anxietatem animarum. Unde licitum est suscipere, immo petere à ministro Sacramenta, quando moraliter non constat ipsum indignè ministraturum. Adeò ut etiamsi quis sciret Sacerdotem paulò antè mortaliter peccasse, posset tamen ab eo suscipere, immo & petere Sacramentum; quàmvis alter non teneretur ex officio administrare, nec ad hoc esset paratus: deberet enim præsumere, ipsum sufficientem dispositionem per contritionem aut confessionem adhibiturum ut Sacramenti injuriam evitet: nisi palam sit, ipsum esse in diuturna peccati consuetudine, ac fovere proximam occasionem: adeòque sit violenta saltem præsumptio contra eum de continuato statu peccati v. g. concubinatu & per consequens de præsenti malo statu. Hoc supposito

Dico II. Est per se loquendo peccatum mortale suscipere Sacramentum à ministro indigno qui illud ministrando est peccaturus mortaliter. Patet quia hoc est cooperari peccato mortali proximi, & ad illud præbere occasionem.

Dico III. Numquam licitè petitur Sacramentum ab eo, qui ob censuras vel alias causas in illo casu non potest licitè ministrare: multò minùs ab eo, qui non potest validè ob defectum Ordinis, jurisdictionis &c. Ratio est: quia numquam licitè ab aliquo petitur, quod nequit licitè præstare: hoc enim esset sollicitare ad malum. Non potest etiam esse justa ratio petendi vel recipiendi Sacramentum ab eo, qui non potest conferre validum; inde enim nullus petenti fructus, sed magna obveniret Sacramento irreverentia.

Dico IV. Licitè recipitur, immo petitur Sacramentum à ministro, qui posset quidem licitè ministrare, si vellet, prudenter tamen præsumitur ministraturus in malo statu, etiamsi ad hoc non foret paratus; quotiescumque id exigit necessitas aut notabilis utilitas. Ita communiter Theologi. Ratio est: quia propter necessitatem aut ob notabilem utilitatem licitè præbetur proximo occasio actionis secundùm se bonæ aut indifferentis, in qua proximus

pecca-

peccabit mortaliter, etsi posset illam bene facere, si vellet. Hujusmodi autem actio est administratio Sacramenti in casu conclusionis. Sic enim pro minori bono, ad vitanda mala temporalia, possunt tales occasiones proximo præberi : v. g. indigens potest ab usurario petere mutuum, qui scitur non nisi sub usuris mutuaturus : licitè exigitur juramentum ab infideli juraturo per falsos Deos, quando hoc est necessarium ad firmandos contractus juxta *Augustinum Epist.* 154. Quorum omnium ratio est : quia jus meum aut facultas agendi non debet impediri per nequitiam alterius. Aliàs non possem repetere à fure pallium aut alias res pretiosas, si scirem ipsum graviter peccaturum, v. g. mala imprecaturum, aut falsò juraturum se eas non habere. Quare similiter in præsenti locum non habet scandalum datum, sed tantùm permissum seu acceptum : immo suscipiens ministro occasionem pœnitendi tribuit, consideratione rei tam sacræ ab ipso tractandæ.

Itaque ab ejusmodi ministro licitè Sacramentum petitur aut recipitur, quando alioquin quis esset moriturus sine Baptismo, Absolutione &c. aut sentit periculum succumbendi peccato. Item si urgeat præceptum annuæ confessionis, aut communionis : quamquam *Wiggers* & quidam alii putent ne quidem sufficere impletionem præcepti annuæ communionis ad hoc ut quis confiteatur malo Sacerdoti. Item si occurrant indulgentiæ, consuetudo laudabilis non diutiùs differendi, pius affectus, & similia quæ juxta varias circumstantias censebuntur prudentur proportionata peccato quod permittitur. Immo juxta *Suarez d.* 18. *sect.* 1. & alios sola Sacramenti utilitas (quæ sanè non modica est) sufficit. Quare minor causa requiritur respectu parochi seu ex officio obligati quàm respectu alterius ; similiter respectu parati minor ad ministrandum, quàm respectu non parati.

104. *Periculum culpæ.*

Adverte tamen Sacramentum illicitè peti aut recipi à ministro indigno, etsi paratо, quando absque notabili incommodo potest recipi à ministro bono ; idque licèt malus minister sit Pastor, quando boni privilegiati commodè possunt accedi ; quàmvis enim quisque habeat jus ad Sacramenta per parochum ministranda ; tamen læditur charitas, quando non evitatur spiritualis ruina proximi dum commodè potest.

105. *Petitio aditi aut malo ministro, etiam parato, dum sine incommodo boni fieri potest.*

Quamquam *Præpositus qu.* 64. *a.* 6. *dub.* 2. in fine cum aliis existimet, tunc posse accedi ad ministrum malum paratum, præsertim si sit parochus. Contrarium tamen videtur verius, quia datur ei occasio peccati saltem externi ; aut si tantùm habitualiter sit paratus, etiam interni : neque vitatur seu impeditur, quæ impediri commodè potest, irreverentia Sacramenti. Vide dicta in materia de Peccatis *disp.* 7. *quæst.* 9. *num.* 89.

Dixit, *quando absque notabili incommodo &c.* dum etiam illud subest, potest relicto bono eligi minister malus : ut si malus noverit conscientiam meliùs dirigere, ei liberiùs explicentur peccata ob boni morositatem. Similiter in articulo mortis relicto Sacerdote bono non approbato, potest, immo juxta multos debet peti absolutio à malo approbato præsente : hic enim etsi peccaturus, adhibebit certum remedium, alter autem tantùm probabile ; eò quòd tantum probabile sit pœnitentem in isto articulo posse confiteri cuilibet non habitâ ratione parochi vel approbati. Ad quod tamen facilè responderi posset, non obstante solâ probabilitate, immo suppositâ falsitate, adhuc juxta receptam doctrinam suppleri ab Ecclesia jurisdictionem ; & dato, quòd nec hoc foret certum, posset incertitudo remedii tolli unà confitendo veniale vel mortale aliàs confessum. Quàmvis non credam infirmum ad has ambages teneri, sed posse eligere illum qui certò etiam directè ab omnibus absolvat. 106. *Secùs est, si adsit notabile incommodum.*

Dico V. Ab excommunicatis aut per aliam censuram præcisis & suspensis, sed adhuc ab Ecclesia toleratis, licitè recipi & peti possunt Sacramenta in casibus, in quibus recipi ac peti possent à quovis alio illicitè ministraturo in malo statu : idque non solùm si minister sit parochus aut ex officio obligatus (de quo id communiter docent Theologi) sed etiam si sit alius Sacerdos habens jurisdictionem. Ita *Suarez*, *Coninck* & alii. Ratio est quia non impedit censura post *Concilium Constantiense*, ex cujus constitutione tales excommunicati aut præcisi non sunt magis vitandi, quàm alii peccatores, etiam in divinis : adeòque tantùm urget præceptum commune charitatis, sicut respectu aliorum peccatorum ; potest autem talis excommunicatus aut suspensus, ac tenetur, tam bene quàm publicus peccator conteri & habere propositum petendi absolutionem à censura ; atque ita si velit, dignè ministrabit. 107. *Ab Excommunicato tolerato, etiam non parocho, possunt recipi & peti Sacramēta, utì ab alio peccatore, ob Bullam Ad Evitanda.*

Dices : Etsi hoc verum videatur de parocho, non tamen de reliquis ex officio non obligatis. Parochus enim jure suo tenetur servire subditis, adeòque suspenditur in ipso obligatio non administrandi in excommunicatione, dum abest opportunitas petendi priùs absolutionem, ne simul stringatur duabus obligationibus incompossibilibus. Alii verò ex justitia non tenentur, possuntque se excusare, adeòq; ministrando extra necessitatem extremam peccant. Resp. non obstante hâc differentia excusari etiam reliquos ministros ex alio capite præallegato, scilicet ex *Concilio Constantiensi* sive *Extrav. Ad evitanda*, atque inde consequente consuetudine : quàmvis titulus specialis sit in parochis etiam independenter à favore *Concilii Constantiensis*. 108. *Etsi in parocho sit insuper concurrens obligatio ex parte officii.*

109. *Non potest tamen excommunicatus se ingerere.*

Non potest tamen talis minister se ingerere : cùm in Bulla *Concilii Constantiensis* sive *Martini V.* non fiat favor excommunicatis aut censurâ innodatis, sed fidelibus ad vitanda scandala & pericula animarum : quamquam indirectè ipsis etiam toleratis concedatur facultas, ut rogati communicent cum fidelibus, ne alioquin facultas quasi nulla videatur multisque scrupulis obnoxia. Immo si de excommunicato possit meritò præsumi, quod sit in bono statu, quodque ministrabit sine peccato, non inconsequenter Varii docent, posse ab eo peti Sacramentum ob solam hujus utilitatem, etsi non desint alii Sacerdotes : tunc enim non datur ei occasio peccandi, & aliundè simpliciter licet cum eo communicare etiam in sacris.

Si putetur ministraturus in bono statu, posset adiri pro arbitrio.

110. *Quid dicendum de ministro, qui est publicus concubinarius.*

Ex his sequitur, licitè recipi & peti Sacramentum in casibus supradictis à publico concubinario aut fornicario : etsi enim hoc prohibeatur c. *Vestra* & c. *finali de Cohabitat. Clericorum & mulierum*, aliisque juribus, in quibus etiam prohibetur eorum missæ interesse : ista tamen prohibitio nunc est abrogata, tum per contrariam consuetudinem, tum per *Concilium Constantiense*, post quod isti non sunt magis vitandi, quàm alii publici peccatores. *Trid.* quoque *sess. 25. cap. 14. de Reform.* pœnas concubinariorum jure statutas renovat tamquam ferendæ sententiæ, idque juxta ordinem quem ibidem præscribit esse servandum.

111. *A ministris non toleratis extra articulum mortis illicitè recipiuntur Sacramenta. Qui censeantur non tolerati.*

Dico VI. A ministris non toleratis est illicitum recipere Sacramenta extra necessitatem aut articulum mortis juxta Theologos communiter : idque ob strictissimam prohibitionem Ecclesiæ interdicentis communionem cum illis, præcipuè in sacris. Censentur autem ministri non tolerati primo nominatim excommunicatus & denuntiatus, vel nominatim & publicè per sententiam condemnatus alicujus criminis habentis annexam excommunicationem, v.g. hæreseos. Secundo publicus Clerici percussor, ut nullâ possit tergiversatione celari, etsi non sit nominatim excommunicatus. Tertio degradatus in perpetuum per publicam sententiam. Quarto nominatim suspensus per publicam sententiam. Quinto irregularis per publicam sententiam aut condemnatus publicè de crimine habente annexam irregularitatem v. g. de homicidio voluntario. Præcisus vero & toleratus censetur omnis alius minister, qui est excommunicatus aut à divinis suspensus, sed non modis jam dictis denuntiatus aut damnatus.

Nihilominus in articulo mortis licitum est ab illis petere & recipere Baptismum ac Pœnitentiam ; ut apud omnes Doctores constat. Idemque de Baptismo clarè docet *Aug. l. 1. de Bapt. c. 2.* & *l. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 13.* De Pœnitentia quoque colligitur ex *Trid. sess. 14. cap. 7.* ubi sine exceptione docet quoslibet Sacerdotes posse quosvis pœnitentes in articulo mortis ab omnibus absolvere. Ratio utriusque est : quia non censetur Ecclesia in casu maximæ necessitatis velle id prohibere : cum Sacramenta ista sint absolutè necessaria necessitate præcepti divini, immo & medii, deficiente contritione, quæ est valde ardua & plerumque satis incerta.

Probabile tamen est ex multorum sententia, extremam Unctionem posse suscipi à ministro non tolerato, quando non possent conferri alia Sacramenta : tunc enim esse posset extrema Sacramenti hujus necessitas. Idem est verosimile de Viatico in defectu aliorum Sacramentorum : tunc enim videtur esse maxima necessitas cum per Eucharistiam possit bonâ fide attritus probabiliter justificari. Immo *Suarez d. 72. sect. 4.* simpliciter docet posse accipi Viaticum à quocumque potest recipi Sacramentum Pœnitentiæ ; idque ob maximam Sacramenti illius utilitatem, quæ est quasi moralis necessitas, præsertim in tanta infirmi indigentiâ : in qua verosimile est Ecclesiam non velle fideles in isto articulo constitutos tanto bono fraudare (ad quod recipiendum ipso jure Ecclesiæ & juxta plurimos jure divino in articulo tali sunt obligati) per censuras latas in odium iniquorum. Cui posset addi, quod *c. Quod in te, De pœnit. & remiss.* declarat *Innocentius III.* sub concessa interdictis Pœnitentiâ etiam intelligi Viaticum.

Cui non obstat exemplum S. Hermenegildi, qui instante Martyrio noluit communionem recipere ab Episcopo Ariano, ideoque laudatur à *S. Gregorio l. 3. dialog. c. 31.* cujus verba referuntur *can. fin. 24. qu. 1.* Nam Sanctus iste nesciebat mortem adeo sibi instare. Deinde in istis circumstantiis visus fuisset illo facto redire ad Arianismum. Et hoc ipsum Arianus pater intendebat ; cum superveniente Paschalis festivitatis die idcirco ad ipsum miserit Episcopum Arianum, *ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem* Hermenegildus *perciperet, atque per hoc*, inquit *Gregorius*, *ad patris gratiam redire mereretur.*

DISPU-

DISPUTATIO QUARTA.

De Effectu Sacramentorum novæ Legis.

QUÆSTIO I.

An omnia Sacramenta novæ Legis conferant gratiam ex opere operato?

1. Hæretici efficaciam Sacramentorum deprimunt.

HÆRETICI recentiores etsi verbotenus Sacramenta extollant, unanimiter tamen deprimunt in eo quòd existiment non causare gratiam, sed tantùm instar concionis excitare in suscipientibus fidem per quam justificentur. Pessimâ quoque fide traducunt Catholicos, quasi doceant Sacramenta esse causas totales & principales gratiæ, illisque externis symbolis Deum vices suas justificandi resignasse; ut videre est apud *Calvinum l. 4. Instit. c. 14 §. 17.* Nullus enim Catholicorum umquam dubitavit, quin Deus tamquam causa principalis virtute sibi propriâ & intrinsecâ nostram fructificationem interiùs operetur; etsi secundùm Catholicos externis symbolis sive signis sensibilibus tamquam instrumentis ad animas ritè dispositas sanctificandas uti non dedignetur; prout ex doctrina *Concilii Tridentini sess. 6. c. 7.* & omnium Catholicorum libris satis abundè constat.

Distinctam Catholicorum fidem calumniantur.

2. Non excludant Catholici internas dispositiones, sed exigunt quidquid Hæretici calumniantur.

Ex iisdem etiam luce clarius est, Catholicos non ita vim causandi gratiam sanctificantem Sacramentis tribuere, quin exigant in adultis certas dispositiones per fidem aliosve actus: quàmvis doceant hos requiri tamquam dispositiones, non tamquam causas gratiæ Sacramentalis. Etsi interim etiam istis dispositionibus tamquam operibus bonis & meritoriis sua correspondeat gratia, quando is qui Sacramentum suscipit jam antea est justus & filius Dei. Unde patet Hæreticorum impudentia, qui calumniantur Catholicos, quasi docendo Sacramenta causare gratiâ ex opere operato velint hâc loquendi formulâ excludere fidem, pœnitentiam, similesque dispositiones.

3. Quid sit Sacramenta causare gratiam ex opere operato.

Hâc itaque locutione significant Catholici Sacramenta causare gratiam vi actionis ad hoc à Christo institutæ, non autem ex justitia aut meritis ministri vel etiam suscipientis. Unde gratia datur ex opere operato, quando præcisè datur propter opus factum juxta Christi institutionem. Datur autem ex opere operantis, quando confertur propter actionem quatenus est laudabilis & honesta, ac proficiscitur ex gratia seu principio supernaturali. Neque hic loquendi modus est novum Scholasticorum figmentum, uti fingit *Calvinus*: cùm ante quadringentos annos *Innocentius III.* (qui subiit Pontificatum Anno 1197.) *l. 3. de mysteriis Missæ* expressis terminis docuerit Sacramenta conferre gratiam ex opere operato; quod iisdem terminis definivit *Trid. sess. 7. can. 8.* Et re ipsâ coincidit cum locutionibus Scripturæ & Patrum tribuentium Sacramentis vim justificandi, præsertim etiam quoad parvulos, quibus non competit opus operantis. Audi *S. Augustinum l. 4. contra Cresc. c. 16.* dicentem, *non eorum meritis à quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur conflare Baptismum, sed propriâ sanctitate atque veritate propter eum à quo institutus est.* Et *l. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 19.* ubi docet etiam parvulos esse pœnitentes, & fideles, & *totum hoc fieri vi Sacramenti & divinæ gratiæ.* Similiter quòd sint fideles, eis *acquiri per virtutem Sacramenti* docet infrà *cap. 33.* His præmissis

Qui modum loquendi valde antiquus est, in re idem cum locutione Scripturæ & Patrum.

4. *Fides docet omnia nova Legis Sacramenta ex opere operato causare gratiam. Patet ex Scriptura.*

DICO I. Sacramenta novæ Legis sunt causæ instrumentales gratiæ ex opere operato. Est de fide. Probatur I. ex Scriptura *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Ad Ephes. 5 Mundans eam,* Ecclesiam, *lavacro aquæ in verbo. Ad Titum 3. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. Actor. 2. Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et *c. 22.* refert Paulus Ananiam sibi dixisse: *Baptizare, & ablue peccata tua.* Ubi non solùm exprimitur necessitas seu præceptum Baptismi, sed etiam vis regenerandi, abluendi, remittendi peccata apertè ipsi Baptismo tribuitur. Similiter alibi aliis Sacramentis Scriptura vim sanctificandi, sive gratiam conferendi tribuit; ut Confirmationi *Act. 8. & 19.* ubi per impositionem manuum datus legitur Spiritus sanctus. Eucharistiæ *Joan. 6. Qui manducat hunc panem &c. vivet in æternum.* Et *Matth. 26.* aliisque locis, ex quibus probatur Christum esse realiter in Sacramento. Sacramento Absolutionis seu Pœnitentiæ *Joan. 20 Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Sacramento Ordinis ibidem, nec non *1. ad Timoth. 4.* & *2. Timoth. 1.* Extremæ Unctioni *Jac. 5.* De matrimonio etsi non haberetur ex Scriptura, immo etsi de nullo Sacramento, sufficere deberet definitio & sensus Ecclesiæ, quam Scriptura commendat. De his tamen infrà suo loco.

5. *Effugium Hæreticorum præcluditur.*

Nec dici potest, Baptismo v. g. tribui salvificationem quatenus excitat objectivè fidem salvificantem. Nam præterquam quòd hoc sit contortum, & contra sensum Patrum; quòdque non habeat locum

in parvulis; quòd insuper id potiùs præstet concio seu Catechesis prævia: contrà facit, quòd Scriptura supponat fidem jam excitatam in iis, quos ad baptismum invitat, immo illam in adultis prærequirit, juxta illud Philippi Diaconi ad Eunuchum *Actor. 8. Si credis ex toto corde, licet.* Pugnant quoque secum; quandoquidem Sacramenta appellent sigilla justitiæ jam per fidem apprehensæ: quomodo ergo excitat Baptismus v.g. fidem qua justitia apprehenditur, quæ (ut censent) jam apprehensa supponitur? Perinde igitur Baptismus esset signum salvificans, sicut v.g. motus linguæ (qui est signum vitæ adeptæ) est signum causativum vitæ acquirendæ; quod utique absurdè diceretur.

6. *Accedunt Concilia,*

Probatur II. ex Conciliis, *Constantinopolitano I. in Symbolo fidei: Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Milevitano can. 2. Parvuli ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Arausicano II. can. 13. & 25. Lateranensi sub Innocentio III.* Denique de omnibus his definivit id *Florentinum sess. ult. & Trid. sup. can. 6.*

7. *Et clara Patrum testimonia.*

Probatur III. ex Patribus docentibus in veteribus Sacramentis tantùm fuisse umbram sanctitatis, in nostris autem veritatem: item illa solùm promisisse vel præfigurasse salutem, nostra autem eam continere & dare, eorumque *vim inenarrabiliter valere plurimùm* ut loquitur *Aug. l. 19. contra Faustum cap. 11. Esse virtute majora, utilitate meliora,* ut ait *sup. cap. 13.* Præclara veterum Patrum tam Græcorum, ut *Origenis, Basilii, Cyrilli, Chrysostomi,* quàm Latinorum, *ut Tertulliani, Sylvestri, Ambrosii, Augustini, Leonis,* & aliorum testimonia vide apud *Bellarminum lib. 2. de Sacram. cap. 6. & 7.*

Mendacium Melanchtonis detegitur.

Ex quibus manifestè cuivis apparebit mendacissima præsumptio *Philippi Melanchton Apolog. artic. 13.* dicentis: *Neque ulla littera ex veteribus Scriptoribus proferri potest, quæ patrocinetur in hac re Scholasticis.* Quid enim clariùs, quàm illud *Optati Milevitani lib. 5. contra Parmenianum: Baptisma Christianorum Trinitate confectum confert gratiam; si repetatur, facit vitæ jacturam.* Quid clariùs, quàm illud *Nysseni l. de Baptismo in princip. Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis causa &c.* Et *infra* interroganti *quâratione aqua regeneret,* respondet: *Ostende mihi modum nativitatis quæ sit secundùm carnem. Dices fortasse: Semen causa hominis effectrix est. Audi igitur contrà à nobis, quòd aqua quæ benedicitur, purgat & illuminat hominem.*

8. *Responsio hyperbolica Calvini rejicitur.*

Ad has itaque & similes auctoritates id solùm habet *Calvinus* quod respondeat, nempe Patres fuisse hyperbolicè locutos. Quæ tamen responsio meritò tamquam monstrosa & hyperbolica rejicitur contra tam clarum & tam conformem tot Sanctorum & Doctorum virorum, etiam cùm dogmaticè agunt & doctrinam in Ecclesia tenendam tradunt, ita loquentium sermonem in re maximi momenti, & ad primaria Religionis fundamenta pertinente: in qua si omnes Patres (quorum nullus nisi serium sermonem & sensum in præsenti spirat) fuerint hyperbolici, quid tandem certi de eorum mente ex scriptis eorumdem confici poterit? quomodo tota Ecclesia, in qua constans illa Patrum doctrina usque ad hæc tempora perseveravit, fuit immunis ab errore in gravissimo religionis puncto?

Nec melior est alia responsio, quòd scilicet Patres hanc vim tribuant Sacramentis mediante fide quam excitant: nam ne unus quidem ex omnibus id insinuat, sed verba inspecta longè aliud sonant. Aliud quoque, & quid specialius tribuunt novis Sacramentis, quod non competat veteribus Sacramentis aut concionibus; quibus non minùs perfectè competit excitare fidem. Adde ea, quæ in refutatione responsionis Hæreticorum ad Scripturas dicta sunt *n. 5.*

Probatur IV. ex absurdis: quia ex dogmate Hæreticorum sequitur primò, Sacramenta non ampliùs valere, quàm prædicationem Evangelicam, aliave signa externa, quibus æquè vel perfectiùs fides in animis audientium excitatur. Secundò Baptismum Christi non esse efficaciorem Baptismo Joannis; cùm hic æquè possit excitare fidem: quod tamen est contra illud ipsius Joannis *Matth. 3. Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam qui post me venturus est fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Tertiò vetera Sacramenta fuisse æquè efficacia, ac sunt nova, contra Apostolum & omnes Patres. Quarto infantes non recipere baptismum: cùm in iis nequeat excitari fides. Quinto Baptismum non posse conferri, nisi idiomate suscipienti cognito; cujus tamen oppositum supponunt ipsi Hæretici. Denique eodem modo prodesse Sacramenta audita, lecta, meditata, sicut opere exercita; & æquè prodesse iis qui adsunt, ac iis qui ea suscipiunt: cùm utroque modo, & in utrisque eamdem excitent fidem.

Fundamenta Hæreticorum nullius sunt momenti. Nam si quod objiciunt de fide justificante, frivolum est: cùm fides ipsorum specialis potiùs inquinet; fides autem Christiana justificet adultos tamquam initium & fundamentum, non exclusis aliis dispositionibus timoris & pœnitentiæ, neque etiam Sacramentis, veluti instrumentariis justitiæ causis, quæ Scriptura alibi satis exprimit. Secundo objiciunt Abrahamum fuisse justificatum ex fide, non ex circumcisione, quæ solùm ei erat signum justitiæ acceptæ; adeoque nec Christianos justificari per Baptismum. Quæ consequentia? Tertio objiciunt illud *1. Petri 3. Octo animæ salvæ facta*

facta sunt per aquam, quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis dispositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi. Resp. ibi potiùs contineri clarè, quòd baptisma salvos seu justos faciat; quæ quidem salus non sit formaliter depositio sordium carnis, sed interrogatio sive contestatio bonæ conscientiæ, seu (ut habet Græcus) stipulatio apud Deum, proveniens ex Spiritu sancto testimonium reddente conscientiæ nostræ, quòd simus filii Dei. Vel (ut explicat *Estius* & alii) tribuit Apostolus salvificationem Baptismo non quatenus est dispositio sordium, sed quatenus in adultis (quos alloquitur) accedit simul bona dispositio, seu interrogatio & contestatio bonæ conscientiæ, ut proinde S. Petrus alludat interrogationem & stipulationem in Baptismo fieri solitam, dum à baptizando petitur, an credat, an satanæ abrenuntiet &c.

Explicatur locus objectus ex 1. Petri 3.

Objiciunt IV. quòd Patres interdum significent ministrum præbere aquam exteriùs, Deum autem esse, qui invisibilem gratiam præbet. Resp. illos non excludere concursum Sacramenti aut humani ministerii, sed solùm primariam causalitatem Deo adscribere.

Objiciunt denique, quòd per hoc avocentur homines à Christo ejusque passione. Resp. potiùs allici ad amorem & gratitudinem Christi passi, utpote ex cujus meritis in Sacramento applicatis omnis gratia & donum salutare provenit.

11. DICO II. Non omnia Sacramenta per se & ex primaria sua institutione conferunt primam gratiam, scilicet habitualem, à peccato justificantem, sed aliqua tantùm secundam seu gratiæ habitualis augmentum per se: etsi per accidens & ex secundaria institutione possint etiam conferre primam gratiam. Conclusio quoad primam partem est certa apud omnes. Et patet ex eo, quòd ob hoc Catholici Scriptores distinguant Sacramenta mortuorum à Sacramentis vivorum, quòd hæc debeant suscipi in statu gratiæ, adeòque tantùm causent gratiæ augmentum per se loquendo; ista autem possint suscipi etiam extra statum gratiæ, dum tamen ad illum vi Sacramenti obtinendum sint dispositi. Et inter Sacramenta quidem mortuorum statuunt solum Baptismum & Pœnitentiam; de quibus quoque apertè Scriptura docet, quòd sint instituta in remissionem peccatorum: inter Sacramenta autem vivorum quinque reliqua, præsertim Eucharistiam: de quibus ex praxi & sensu Ecclesiæ constat, debere ea suscipi ab existentibus in statu gratiæ; & signanter de Eucharistia tradit *Trid. sess. 13. c. 7. can. 11.* Quod etiam *can. 5.* definit *præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ non esse remissionem peccatorum.* Et *sess. 7. in proœmio* ob hoc signanter de Sacramentis dixit: *Per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Et antea *Florentinum in Decreto* soli Baptismo & Pœnitentiæ pro effectu tribuit remissionem peccatorum; at aliis non item, sed signanter Confirmationi, Eucharistiæ & Ordini gratiæ augmentum.

Sacramenta mortuorum causant per se primam gratiam; at vivorum, gratiæ augmentum.

Secunda pars, quòd scilicet per accidens Sacramenta vivorum causent primam gratiam, locum habet in casu, quo suscipiens revera tantùm attritus, bonâ fide putat se esse in statu gratiæ, eò quòd invincibiliter putet se non mortaliter peccasse, vel esse absolutum, vel saltem esse perfectè contritum. Hanc partem (quæ non est certa, nec ut talis à nobis asseritur) docet *D. Thomas, Richardus, Scotus,* loquentes in specie de Eucharistia, & alii ferè communiter, etiam Recentiores, contra *Vasquez d. 205. c. 4.* & *Lugo d. 12. de Eucharistia sect. 1.* similiter loquentes in specie de Eucharistia, & quosdam alios, qui pro se allegant *D. Bonaventuram 4. dist. 12. part. 2. art. 1. quæst. 2. in corp.* ubi tamen potiùs favet communi sententiæ: nam ibi de Eucharistia tantùm dicit: *Non limitamus largitatem Dei, quin in hoc Sacramento possit, & aliquando faciat* (supple, in bona fide accedente cum attritione) *remissionem omnis culpæ. Sed secundùm forum commune* (id est per se & regulariter) *& principalem rationem institutionis Sacramenti* (scilicet per se & primariæ) *dicendum, quòd istud Sacramentum datum est in cibum illis, qui sunt de corpore Christi, & omnes tales habent charitatem, ideo effectum habet in solis justis.* Magis *favet dist. 9. a. 2. q. 3. in corp.* alteri sententiæ; tamen ibi non exprimit se loqui etiam de iis, qui sunt verè attriti, adeòque ut consonet cum iis quæ habet *d. 12.* explicatur rectè de iis qui putant se dispositos, & verè non sunt, ne quidem attriti.

12. *Recepta tamen doctrina etiam Sacramentis vivorum interdum primam gratiam per accidens causandam adscribitis.*

Suadetur recepta doctrina: quia etsi omnis Sacramentorum vis sit ab institutione, & Sacramenta vivorum principaliter sint instituta, ut gratiam augerent, ideoque vetuerit Christus ea suscipi à conscio peccati mortalis non remissi; non sic tamen, quin si suscipiens bonâ fide procedat, adeòque suscipiendo non peccet, possit per illa etiam recipere primam gratiam, eò quòd tunc non ponat obicem novum, & antiquus sit per attritionem retractatus. Sicut Sacramenta mortuorum non sic sunt instituta ad conferendam primam gratiam, quin etiam hâc suppositâ conferre queant secundam seu gratiæ augmentum. Similiter ergo & reliqua causare possunt per accidens primam; ut proinde quòd non causent hanc per se, non sit defectu virtutis, sed propter obligationem suscipiendi in statu gratiæ; cujus consequenter defectu nascitur per se novus obex peccati mortalis.

13. *Quæ sua detur.*

Nec dicas antiquum obicem peccati non

satis tolli per attritionem quoad Sacramenta vivorum : quàmvis enim Christus potuisset ita instituere, contrarium tamen satis constat ex communi sensu Theologorum, qui satis unanimiter à tot annorum centuriis id docuerunt ; quod signum valde probabile est traditionis & institutionis divinæ.

14. *Confirmatur.*

Hoc ipsum quoque Varii confirmant ex Patribus, qui Eucharistiæ manducatæ tribuunt vivificationem peccatoris ; non quidem tamquam effectum præcipuum & per se (id enim foret hæreticum) sed tamquam secundarium & per accidens. Eosque loqui de Eucharistia, non quà sacrificium est, sed quà Sacramentum, prosequitur *Arriaga d. 16. sect. 1. subsect. 2.* Et ob hoc videri posset *Trid. sess. 13. can 5.* signanter definivisse remissionem peccatorum non esse effectum Eucharistiæ, cautè addendo, *præcipuum*. Præterea saltem Extremam Unctionem (quæ tamen est Sacramentum vivorum) esse institutam secundariò in remissionem peccatorum, fatetur ipse *Lugo disput. 9. de Sacram. in genere sect. 1. n. 7.* Et satis colligitur ex *Jacobi 5. Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Et *Trid. sess. 14. c. 2.* dicente : *Delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Ut proinde generalis ratio Sacramenti vivorum non involvat, ipsum numquam operari primam gratiam, sed per se à vivis debere suscipi.

A cibo corporali non rectè arguitur Eucharisticum numquam dare primâ vitam.

Nec refert, quòd cibus corporalis nullo casu det vitam mortuo corporaliter : nam neque à morte perenniter præservat ; cùm tamen cibus Eucharisticus manducanti præstet, ut non moriatur in æternum. Similiter ergo potest primitùs vitam spiritualem donare, secundariò scilicet & per accidens ; etsi ad instar cibi corporalis principaliter viventem nutriat & confortet. Similitudo ergo cibi hujus cælestis cum corporali non debet esse per omnia.

15. *Omnia Sacramenta conferre gratias actuales tempore opportuno est certum ex communi consensu & Concilio Tridentino.*

Dico III. Præter gratiam habitualem conferunt singula Sacramenta quasdam gratias actuales sive auxilia actualia danda suo tempore, prout exigit finis cujusque Sacramenti. Ita communiter Theologi cum *D. Thoma q. 62. a. 2.* Et expressit clarè *Trident. sess 14. in proœmio de Sacram. Extremæ Vnctionis*, ubi declarat & docet, *quòd clementissimus redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversùs omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum vivorent, ab omni graviore spiritûs incommodo possint, ita extremæ Vnctionis Sacramento finem vitæ, tamquam firmissimo quodam præsidio munivit.* Ratio est, quòd non omnia Sacramenta ex institutione Christi habeant eumdem finem propositum, sed diversos : ad illos autem nequit gratia habitualis, quæ est specie una, sufficienter disponere : præsertim cùm ipsa magis disponat hominem circa Deum, quàm circa fines particulares Sacramentorum. Deinde alioquin Sacramentum v. g. Eucharistiæ æquè vel magis prodesset ad onera matrimonii sustinenda, quàm ipsum matrimonii Sacramentum.

Idem probatur ratione Theologicâ.

Unde in Baptismo conferuntur suo tempore auxilia conducentia ad puritatem vitæ conservandam, carnis rebellionem frænandam, ac cetera Sacramenta (quorum est janua) dignè suscipienda. In Confirmatione, ad liberè & constanter profitendam fidem, tentationesque contrarias superandas. In Eucharistia (quæ vitam spiritualem sive charitatem nutrit) ad eliciendos actus devotionis, ad lætitiam spiritualem, & ad roborandum animum contra tentationes charitati inimicas, quarum vehementiam minuit, utì & mitigat passiones. De quo *Bernardus Serm. in Cœna Domini.* In Pœnitentia dantur auxilia ad vitandum in posterum, magisque detestandum peccata, ac pro iisdem satisfaciendum. In Extrema Unctione, ad reliquias peccatorum tollendas, ad resistendum tentationibus molestioribus in articulo mortis ; sæpè etiam ad sublevandam corporis ægritudinem. Ordo suppeditat gratias ad religiosè obeundum cultum Dei, & munia cujusque Ordinis exercenda. Matrimonium denique, ad mutuas conjugum obligationes implendas, ac honestè educandam prolem.

Petes, an qui non accepit in Sacramento gratiam habitualem, eò quòd posuerit obicem, vel qui gratiam acceptam per novum peccatum amisit, equidem accipiat vel retineat jus ad præfatas gratias actuales. Resp. cum communi sententia eum qui cum obice suscipit Sacramentum non accipere jus ad gratias actuales : quia gratia habitualis est quasi radix, in qua titulus ille seu jus ad auxilia specialia fundatur. Ipsumque illud jus tantùm est quid secundarium & accessorium, idcirco gratiæ habituali à Deo annexum, quòd ipsa sola non sufficiat diversis diversorum Sacramentorum finibus. Quare indispositus ad effectum principalem non participat de hoc accessorio. Et hæc videtur quoque esse mens Fidelium existimantium Sacramenta indignè suscipientibus obesse, & non prodesse. Alioquin sanè per frequentes communiones sacrilegas haberet homo plurima auxilia gratiæ ad resurgendum : cujus tamen oppositum omnibus est persuasum.

Ex quo ulteriùs cum communiori Doctorum sententia infertur, quòd sicut indignè suscipiens non acquirit jus ad ista auxilia, sic etiam illud perdat destructâ gratiâ habituali per novum peccatum : quia videlicet accessorium sequitur suum principale. Nec refert, quòd de cetero gratiæ actuales dentur etiam peccatoribus, adeòque

que jus ad illas semel in Sacramento acquisitum videatur in peccatore perseverare. Nam etsi ita fieri potuisset; prout etiam Deo volente potuisset jus illud à peccatore in Sacramento primò acquiri sine gratia sanctificante: sicut tamen constat illud in fieri dependere de facto à gratia sanctificante, sic etiam ob similem rationem in conservari dependet ab eadem; cujus, dum adest, insufficientiæ supplendæ adjectum est idem jus ad gratias actuales vi Sacramenti. Vi cujus proinde nulla datur gratia actualis excidenti à statu gratiæ: etsi quandoque & rariùs ex pura Dei misericordia intuitu præteriti Sacramenti fortasse detur.

Recuperantur tamen per pœnitentiam, & in Sacramentis, quæ reviviscunt, sublato obice etiam primò acquiruntur.

Meritò tamen credi potest ejusmodi jus recuperari per pœnitentiam, ita ut cum gratia habituali (cui est accessorium) amittatur, & per eam sive jus ad eamdem revivisca. Existimo similiter, quòd in illis Sacramentis, quæ sublato obice reviviscunt ad gratiam sanctificantem eis correspondentem (quale est Baptismus, & fortè solus) reviviscat similiter jus ad gratias actuales correspondentes Sacramentis, si dignè suissent suscepta.

19. Gratia Sacramentalis superaddit habituali dumtaxat auxilia actualia (seu jus ad illa opportunè danda.

Dico IV. Gratia, quæ vocari solet Sacramentalis, non differt à gratia habituali; uti nec ea quæ confertur in uno Sacramento distinguitur ab ea quæ confertur in alio, præterquam in hoc, quòd superaddat specialia auxilia actualia fini cujusque Sacramenti proportionata eo modo, quo *præc. Concinf.* explicatum est. Ita communiter Doctores cum *D. Bonaventura d. 1. p. 1. a. 1. q. 6.* contra Nonnullos, qui volunt superaddi habitum specialem ad actus fini cujusque Sacramenti correspondentes exercendos: & contra paucos alios aliter explicantes. Probatur breviter: quia hoc modo sufficienter intelligitur differentia gratiæ Sacramentalis ab alia; & quodcumque aliud gratis fingitur absque fundamento in doctrina revelata aut ratione.

QUÆSTIO II.

An Sacramenta causent physicè Gratiam, An verò solùm moraliter?

20. Sacramenta non sunt causæ physicæ, sed morales gratiæ.

Resp. Sacramenta tantùm esse causas morales gratiæ, quatenus objectivè Deum movent, ut intuitu illorum vel actionum juxta Christi institutionem exercitarum, & pretium sanguinis ejus continentium, infallibiliter ex suo decreto & ordinatione conferat gratiam. Ita *Scotus d. 1. q. 5. n. 12. & 13.* Et inclinat *D. Bonav. d. 1. p. 1. a. 1. q. 4. ad 2. Quæst. lateralem.* Idem docent multi alii antiqui ac plurimi recentiores contra *D. Thomam qu. 62 a. 4* (quem sequitur *Suarez* & multi alii, præsertim *Thomistæ*) existimantem Sacramenta esse physica instrumenta, per influxum realem ad gratiam concurrentia.

Quia potentia obedientialis cujuslibet ad quodlibet est impossibilis.

Probatur Conclusio I. ex refutatione potentiæ obedientialis cujuslibet ad quodlibet (in qua Auctores oppositæ sententiæ plurimum se fundant) quam suppono ex Philosophia.

21. Et admissâ possibilitate, non sit ratio amplectendi hic adeò difficilem viam in doctrina fidei explicandâ.

Probatur II. præscindendo à possibilitate potentiæ obedientialis præfatæ: quia juxta nostram sententiam faciliùs & clarè explicatur doctrina Catholica; adeòque non rectè recurritur ad efficaciam physicam tam miraculosam & difficulter intelligibilem, Sacramentis utique non tribuendam sine urgenti ratione aut necessitate: quæ hîc nulla est; immo potiùs est in oppositum. Quod multipliciter ostenditur. *Primò,* quia Scriptura, Concilia, & Patres docent Christi passionem & merita esse veram causam nostræ salutis, & tamen non sunt nisi causa moralis: ergo idem existimandum est de Sacramentis, de quibus eodem modo loquuntur: præsertim cùm hæc omnem efficaciam à passione habeant, neque eorumdem dignitas magis requirat physicam efficientiam, quàm merita & passio Christi. Immo nec ipsa humanitas Christi aliter quàm meritoriè seu moraliter in gratiam sanctificantem influit: non debet autem Sacramentis perfectior causalitas tribui, quàm ipsi humanitati Christi ejusque passioni, cujus sunt instrumenta. *Immo ratio potius obstare declaratur. Primò.*

22. Secundò, Secundò quia Concilia & Patres, qui tribuunt Sacramentis veram causalitatem (in quorum auctoritate alii se fundant) loquuntur generaliter de omni gratia, quæ datur intuitu Sacramenti: ea tamen sæpè tantùm moraliter per Sacramentum causatur, etiam juxta adversarios; ut quando sublato obice Sacramentum reviviscit, quod tunc valere ad dimittenda peccata, operari salutem & gratiam, dicit *August. l. 3. de Baptismo cap. 13.* ergo gratia semper tantùm moraliter causatur per Sacramenta.

Tertiò, Tertiò quia præter gratiam habitualem Sacramenta etiam causant gratias actuales; & tamen has solùm causant moraliter: quandoquidem dentur, dum Sacramentum ampliùs non est.

23. Quartò. Quartò quia Scriptura, Concilia & Patres tribuunt vim causandi gratiam tam materiæ, quàm formæ: utraque tamen non potest semper physicè concurrere; cùm materia sæpè non existat physicè, quando profertur forma, aut contra. Immo cùm forma Sacramentorum pronuntietur successivè, non poterit physicè producere gratiam, nisi per ultimam syllabam sive postremum indivisibile formæ; cùm reliquæ partes ampliùs non existant physicè: si tamen & ipsa ultima syllaba physicè coexistat

gratiæ producendæ ; quæ fortè in primo non esse actionis Sacramentalis producitur. Nihilominus ab hac quæstione physica abstrahendo, sequitur, omnes reliquas partes tam materiæ quàm formæ Sacramentorum causare tantùm moraliter gratiam : cùm ultima syllabæ non agat tamquam instrumentum physicum aut virtus præcedentium syllabarum vel materiæ adhibitæ, cum quibus tantum facit unum per aggregationem. Quis autem credat Scripturam vel Patres fuisse pro ista syllaba ultima solicitos. Quin potiùs constat ipsos loqui de una parte, utì de altera. Quod verò quidam contendant, gratis suppositâ physicâ efficientiâ ultimæ syllabæ, rectè dici totum Sacramentum physicè operari gratiam ; sicut exercitus physicè expugnat civitatem, quod tamen solùm facit pars illius ; hoc, inquam, non rectè adhuc diceretur. Nam physica operatio nequit physicè tribui toti aggregato per accidens ob hoc quòd à parte illius procedat. Sicut neque genus humanum totum physicè amat Deum, odit Deum &c. quando pars illius aggregati id physicè præstat. Quàmvis quod facit pars totius per se, idem faciat physicè ipsum totum.

24. *Quintò.* Quintò efficacia Sacramentorum fundatur in significatione eorum ex instituto ; significatio autem ex instituto, cùm sit ens morale, tantùm fundat efficaciam moralem.

Sextò. Sextò denique Patres frequenter declarant solum Deum operari gratiam interiùs, excludendo Sacramenta ; ut patet ex *Aug. Epist. 23. ad Bonifacium, Hieronymus, Basilio*, & aliis. Quod etsi alii explicent velut dictum de causalitate principali, quæ soli Deo competat : tamen in rigore plus importat modus iste loquendi ; qui in rigore non subsisteret, si Sacramenta essent physica instrumenta gratiæ : quemadmodum simpliciter falsum est, actus supernaturales produci à sola gratia aut lumine gloriæ ; etsi intellectus & voluntas tantùm concurrant juxta adversarios tamquam instrumenta elevata.

25. *Physica Sacramentorum causalitas non probatur, gratis concesso, quòd humanitas Christi causaret physicè miracula.* Nec refert I. quod humanitas Christi operabatur miracula. Nam in primis assumptum est falsum ; & eo dissimulato, non rectè fit illatio de Sacramentis : eò quòd miracula essent seu fierent mediantibus actionibus Christi physicis v. g. imperio & locutione illius ; ad Sacramenta autem Christus concurrat tantùm moraliter ; non alia verò debet esse causalitas Sacramentorum in gratiam, quàm sit concursus Christi, tum in gratiam, tum ad ipsa Sacramenta. Deinde non debet adscribi omnis perfectio possibilis Sacramentis ; sicut potest Christo ipsi.

26. *Neque ex eo, quòd Sacramenta* Nec refert II. quòd Sacramenta debeant dici propriè dictæ causæ gratiæ, idque ut verba Scripturæ & Patrum in proprio sensu explicentur. Nam causa moralis est verè & simpliciter causa juxta usitatissimum loquendi modum : eò quòd licèt per physicum influxum non concurrat, ita tamen se habeat, ut effectus ei meritò imputetur ; & quidem aliquando magis quàm ipsi causæ physicæ. Sic peccator est causa suæ damnationis, Sancti dicuntur verè operari miracula ; judex verè & propriè dicitur occidere reos ; similiter causa finalis causare suum effectum.

Non refert III. quòd Patres comparent Sacramenta causis naturalibus. Sic *Cyrillus lib. 2. in Joann. c. 42. Quemadmodum*, inquit, *viribus ignis intensius aqua calefacta non aliter quàm ignis urit : sic Spiritûs sancti operatione ad divinam aquæ reformantur virtutem.* Nam similitudo non debet esse per omnia, sed in hoc, quòd tam infallibiliter & efficaciter, etsi tantùm moraliter operentur. Quod ex subjecta materia erat satis patens. Sanè nullus est, qui in terminis dicat Sacramenta physicè operari gratiam. Deinde similiter loquerentur de reviviscente Sacramento ; quod tamen etiam juxta alios non causat physicè gratiam.

Non refert IV. quòd Patres mirabiliter extollant potentiam Dei relucentem in operatione sacramentali : in eo enim eminet potentia Dei, quòd per res vilissimas tam excellentes operetur effectus, etsi tantùm velut per moralia instrumenta. Sicut mirantur Patres, quòd per viles piscatores converterit Deus hujus mundi sapientes ; etsi concursus Apostolorum tantùm fuerit moralis. Sicut etiam extollunt mirabilem potentiam crucis ac passionis, quæ est Gentibus stultitia, Judæis scandalum, tantùmque moraliter concurrit. Sicut denique extollerent potentiam Sacramenti reviviscentis, quod tamen tantùm moraliter operatur. Quare infidelibus non conversis potissimùm (qui de efficientia physica nil cogitant) mirabilis apparet vis ista Sacramentorum, ut sæpè vix possint induci ad credendum : utì neque Hæretici induci possunt, qui tamen hunc nostrum explicandi modum rectè norunt. Mirabile etenim est, nec nisi fide noscibile, Deum tam vilibus rebus uti ad tantum effectum, occultum & supernaturalem, infusione v. g. tantillæ aquæ super caput ad mundandam animam. Sicut etiam mirabile erat Naaman Syro, quòd in Jordane deberet pro mundatione à lepra septies tantùm lavari ; quamquam aquæ istæ solùm agerent moraliter, & quidem longè imperfectius, quàm Sacramenta.

Non refert V. quòd intellectus Beatorum physicè elevetur ad producendam visionem beatificam : nam certò constat in intellectu esse virtutem inchoatam, quæ possit compleri per virtutem fortiorem ; qualem non constat esse in Sacramentis. Deinde

Deinde visio beatifica est actus vitalis adeòque debebat absolutè juxta multos Doctores, aut omnino congruebat juxta alios unanimiter (exceptis Nominalibus) physicæ entitati visionis, quòd ab intellectu sive potentiâ vitali realiter compro-duceretur; hoc autem non militat in Sacramentis. Denique nihil obstat intellectui, quò minùs physicè concurrat ad visionem: nulla tamen obstare Sacramentis quò minùs physicè operentur gratiam, patet ex antedictis.

30. *Non denique ex eo, quòd Deus operetur gratiam per Sacramẽta,*

Non refert VI. quòd Deus dicatur operari gratiam in nobis per Sacramenta; non rectè autem dicatur causa physica operari per causam moralem. Nam si rectè dicatur operari per instrumentum physicum; quidni similiter per instrumentum morale? Sic enim Deus (utique causa physica) nos sanctificat per passionem, & (ut utar phrasi *Tridentini sess. 6. cap. 7. & 16. & can. 2.*) donat justitiam, eamque infundit per Christi meritum; convertit quoque peccatores per Apostolos & prædicatores, facit miracula per Sanctos; & (ut in hac ipsa materia instantiam demus) operatur gratiam per Sacramentum revivíscens, quod utique tantùm concurrit moraliter. Quòd autem potiùs mandans dicatur occidere per mandatarium velut physicum instrumentum, quàm ipse homicida per suum consulentem (quamvis & hoc spectet ad arbitrarium loquendi modum) esse potest, quia consulens non est causa subordinata, neque instrumentum etiam morale ipsius occisionis; prout mandatarius est causa subordinata & velut instrumentum physicum mandantis.

Quo modo causa physica recte dicatur operari per instrumentum morale.

QUÆSTIO III.

Quâ proportione & quo tempore Sacramenta conferant gratiam?

31. *Sacramenta nova conferre gratiam majorem, quam concurrit Sacramentum. Quæ sunt præparationes, conditiones ad gratiam.*

SUPPONO I. tamquam satis certum Sacramenta nova majorem conferre gratiam, quàm vetera; si tamen aliqua ex his gratiam ex opere operato contulerint, de quo suprà: per Christum enim data est gratiæ plenitudo.

Suppono II. Sacramenta diversæ speciei inter se comparata non conferre æqualem gratiam: quamquam certò determinari nequeat, quænam excedant. Videntur tamen, ceteris paribus, Sacramenta non iterabilia plus gratiæ conferre ob suam non iterabilitatem: nisi quòd Nonnulli excipiant Venerabile Sacramentum, etsi iterabile; idque ob conjecturam desumptam ex supereminenti illius Sacramenti præ ceteris dignitate. Quantam autem gratiam præcisè singula Sacramenta conferant, est incertissimum. De quo nihil ex ratione vel auctoritate solidè determinari potest.

Sacramenta non iterabilia plus gratiæ conferre ob suam non iterabilitatem.

Itaque manet quæstio de Sacramentis ejusdem speciei, v. g. an Baptismus collatus Joanni, & Baptismus collatus Petro operentur æqualem gratiam? Idem est de reliquis.

32. *In Sacramentis ejusdem speciei non datur major gratia ob majorem sanctitatem ministri.*

DICO I. Non confertur major gratia ex eo, quòd minister sit melior aut Deo gratior. Ita communiter Theologi: nam sicut hostia consecrata à meliori sacerdote non est melius Sacramentum, ita nec alia Sacramenta ideo sunt meliora, adeòque nec efficaciora: habent enim vim & efficaciam omnem à Christo, cuius vices ministri subeunt. Ita *Chrysostomus Homil. De reditu suo ex Asia*, ait: *Sed multi, inquiunt, te absente baptizati sunt. Et quid tunc? Nihil minus habet gratia, non claudicat donum Dei: præsente me baptizati non sunt, sed præsente Christo sunt baptizati.* Idem ex Scriptura docet *Augustinus lib. 4. de Baptismo cap. 20.* Et *Tract. 6. in Joan.* ait: *Sunt alii aliis sanctiores..... quare ergo si unus ab illo v. g. justo sancto baptizetur, alius ab alio inferioris meriti apud Deum..... unum tamen & par & æquale est quod acceperunt, nisi quia hic (scilicet Christus) est qui baptizat?* Idem habent alii Patres.

De gratia habituali est ratio specialis, eò quòd Deus juxta legem ordinariam non conferat illam immediatè, nisi ob merita personalia de condigno, vel intuitu Sacramentorum aut contritionis; adeòque illam non augent ob merita aliena, vel sanctitatem majorem ministri. Deinde eâdem ratione dicam, ministrorum, parentum aut aliorum merita sive preces posse filiis dormientibus procurare gratiæ habitualis augmentum: cùm enim excessus ille gratiæ non conferatur intuitu Sacramenti, nihil interest, sive in Sacramento, sive extra illud conferatur.

33. *Devotio ministri, parentum vel adstantium potest impetrare aliquam gratiam actualem, non tamen vi Sacramenti dandam.*

Verum quidem est, per devotionem ministri, parentum vel adstantium posse ex opere operantis impetrari aliquam gratiam actualem; non tamen virtute Sacramenti, sed meriti de congruo: sicut justus potest alteri per alia bona opera promereri de congruo gratias actuales. Quo modo parentes S. Nicolai orationibus suis ei fortè meruerunt de congruo majorem gratiam actualem; quâ fiebat, ut adhuc parvulus duobus hebdomadæ diebus unicâ tantùm mamere lactatione contentus; ut rectè explicat *Scotus 4. dist. 4. quæst. 7.* cui proinde doctrina Conclusioni contraria falsò adscribitur à quibusdam. Adde, quòd etsi loqueretur de gratia habituali: non docet tamen, quid de facto fiat, sed quid fieri posset; ut ex verbis patet.

34. *Sacramenta ejusdem speciei æquè*

DICO II. Sacramenta ejusdem speciei semper conferunt æqualiter dispositis æqualem

dispositis semper æqualem dant gratiam,

æqualem gratiam. Ita communiter Doctores. Probatur : quia uniformis causa naturalis (ad cujus instar se habet Sacramentum ejusdem speciei) producit in subjectis æqualiter dispositis uniformem effectum.

Ex quo sequitur de lege communi omnes parvulos in baptismo accipere æqualem gratiam ; cùm unus non sit melius dispositus, quàm alter. Ita DD. communiter cum D. *Bonav. d. 4. p. 2. a. 2. q. 3.* Quàmvis contrarium existimaverit *Paludanus dist. 4. quæst. 1. art. 2.* (cum quo Varii involvunt *Scotum sup.* ubi tamen *n. 3. in fine* sententiam illius quoad factum ipsum potiùs rejicit) ex falso fundamento, quo existimavit homines tantùm esse creatos, ut suppleant locum angelorum desertorum, hos autem omnes existimat ad disparem gloriam fuisse ordinatos, adeòque similiter homines : unde ne parvuli in infantia suscepto baptismo morientes æqualem in cælo habeant gloriam, debent in baptismo inæqualem recipere gratiam, cùm solâ sint prædíti gratiâ baptismali. Sed fundamentum istud falsum est ; & quamquam admitteretur, unde sciri potest angelos omnes fuisse ordinatos ad disparem gloriam ?

Nec mirum videri debet, tam immensam in infantia morientium copiam ad æqualem gloriam esse consequenter prædestinatam : sive quia prædestinatio ista fortè præsupponit prævisionem mortis in infantia, ut Multi volunt ; sive quia hoc etiam negato, indubiè ita præordinare potuisset summa Dei sapientia, & infallibiliter exequi sic à se præordinata. Alioquin si disparem gloriam præordinasset, etiam de disparibus mediis v. g. martyrio, meritis, aliorum Sacramentorum susceptione providisset. Ut interim taceam conjecturam illorum, qui (quod indubiè Deo possibile est) dispar post hanc vitam auctarium gloriæ diversis Sanctis donandum in Dei liberali beneplacito constituunt : qui non est alligatus Sacramento, & potest facere cui vult privilegium speciale, ut recte *D. Bonav. sup.* tametsi de hujusmodi voluntate non constet Ecclesiæ.

35. *Et melius dispositis majorem.*

Dico III. Idem specie Sacramentum confert majorem gratiam melius dispositis. Ita communiter Doctores cum *D. Thoma* & *Scoto dist. 4. quæst. 7. num. 5. V. Si autem.* Et colligitur ex *Trid. sess. 6. cap. 7* ubi agens de justificatione, quæ fit per Baptismum, docet unumquemque recipere gratiam sive justitiam *secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem.* Deinde colligitur ex Analogia cum causis naturalibus ; quæ juxta dispositionem subjecti producunt effectus meliores ; ergo idem faciunt Sacramenta.

Denique id videtur exigere ordo gratiæ, ut diligentiùs sese præparans, majorem ex Sacramentis fructum reportet : hoc enim excitat homines ad Sacramenta majori cum reverentia & devotione suscipienda.

Porrò ceteris paribus habens sanctitatem sive gratiam habitualem est melius dispositus eo, qui illâ caret : quia ipsa facit subjectum suum Deo gratum, & consequenter dignius gratiâ recipiendâ. Deinde si habeat aliquem motum actualem is ex habituali gratia trahit quamdam dignitatem. Fieri tamen potest, ut cetera non sint paria ; adeòque existens in malo statu, tamen dispositus, suscipiat Sacramentum tam intenso & pio motu, ut majorem recipiat gratiam, quàm homo justus suscipiens idem Sacramentum tepidè & remissè. Inter dispositiones autem convenientes ad fructum Sacramenti illæ ceteris paribus sunt meliores, quæ majorem habent bonitatem moralem, hominemque melius avertunt à malo, & convertunt ad Deum. Unde actualis dispositio præfertur habituali, & inter actuales optima est contritio seu actus charitatis. Et quidem in Sacramentis vivorum, præsertim Eucharistiæ, actus fervidæ dilectionis ; in Sacramentis mortuorum, actus pœnitentiæ seu contritionis & doloris, ut patet ex fine Sacramentorum. Similiter actus intensior est aptior remisso, & perfectiùs appretiativus aptior minùs appretiativo, etiam intensiori. Item aptior est dispositio præsens, quàm quæ præcessit, ac physicè evanuit. Hinc in omni Sacramentorum susceptione laborandum est pro optima dispositione ; quò enim dispositio est melior, eò fructus Sacramenti uberior. Et hujus defectu multiplicata Sacramentorum frequentia non semper magnificat notabiliter gratiam ; ut ex gratiarum actualium parcitate seu tenuitate, & consimili hominum ea frequentantium tepore colligitur.

Ex quo sequitur adultum in Baptismo semper recipere majorem gratiam, quàm parvulum : adultus enim semper est melius dispositus : cùm in parvulo nulla reperiatur dispositio positiva, quæ tamen reperitur & requiritur in adulto. Quod intellige, saltem dum uterque baptizatur fructuosè. Si enim adultus sit indispositus, putat *Suarez* ablato obice recipi minimam gratiam. Quàmvis & hujus oppositum verius sit, ut dicemus *quæst. sequenti.*

Neque hinc inferri debet abundantiorem illam gratiam conferri ex opere operantis ob meritum ipsius dispositionis : hæc enim tantùm passivè se habent instar conditionis, adeò ut tota efficientia amplioris gratiæ Sacramentalis sit ab ipso Sacramento : quemadmodum si lapis & vitrum æquè distent à sole, vitrum quia magis dispositum magis illuminatur, cujus tamen illuminationis causa efficiens est sol. Verùm quidem

est actus dispositivus, si sint præditi conditionibus ad meritum gratiæ requisitis, posse illam mereri, quam mererentur etiam extra Sacramentum; cum hæc tamen simul possunt disponere ad specialem gratiam tribuendam vi Sacramenti ex opere operato.

39. *Sacramenti gratia non datur ante realem susceptionem.*

Dico IV. Sacramenta non conferunt gratiam sanctificantem vel auxilia actualia ex opere operato, quando tantùm habentur in voto, sed tunc solùm quando realiter suscipiuntur. Ita communiter Theologi contra Paucos. Probatur primò, quia Scriptura attribuit causationem hujus novi effectûs ipsi Sacramentorum susceptioni. Secundò, quia Sacramentum in voto subinde numquam confertur à parte rei, homine, qui illud desiderat, citiùs ex hac vita migrante: tunc autem non posset dici gratiam istam ex opere operato per Sacramentum conferri; cùm opus operatum numquam existat. Tertiò, quia Sacramentum confert totum suum effectum, dum realiter suscipitur, perinde ac si numquam antea fuisset susceptum voto; ergo signum est illud non contulisse priùs gratiam ei ex opere operato respondentem. Quartò, quia Sacramenta, saltem mortuorum, faciunt ex attrito contritum; adeòque si illis, etiam in voto susceptis, responderet effectus Sacramentalis, conferrent similiter gratiam tantùm attritis: hoc autem est contra omnes. Denique quia indubitatum est, Sacramentum non imprimere characterem, quando tantùm voto suscipitur; nam alioquin postea baptizari non deberet, immo nec posset, qui per baptismum voto susceptum fuisset justificatus: & tamen eâdem ratione, quâ conferret alios effectus, etiam imprimeret characterem.

40. *Quæ sit Patrum vota Sacramenti susceptum asserentium.*

Itaque Concilia & Patres quando effectum Sacramentalem adscribunt Sacramentis in voto susceptis per fidem vivam, quæ per dilectionem operatur, aut per veram contritionem cum ordine ad Sacramentum sive explicito sive implicito (qui includitur in charitate sive contritione, quando Sacramentum est in præcepto) non loquuntur de effectu, qui confertur vi Sacramenti seu ex opere operato, sed de effectu simili aut æquivalente, quia nimirum desiderantes Sacramentum tali affectu acquirunt ex opere operantis gratiam similem ei, quæ per Sacramentum causatur; eam tamen non acquirunt ab ipsis Sacramentis ut causâ instrumentali, sed potiùs tamquam ab objecto bono bene desiderato. Hoc sensu *Trident. sess. 13. cap. 8.* dicit *Patres nostri ..... docuerunt ..... alios tantùm spiritualiter sumere, illos nimirum qui voto propositum illum cœlestem panem edentes fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt*, id est, effectum similem, quia scilicet crescunt in Christi charitate, in quo fructus hujus Sacramenti consistit.

41. *Sacramenta conferunt gratiam habitualem, quando essentialiter complentur.*

Dico V. Sacramenta conferunt gratiam habitualem (idem est de charactere in Sacramentis illum conferentibus) tunc, quando essentialiter complentur. Dico *gratiam habitualem*: actualia enim auxilia conferuntur tempore opportuno. Probatur Conclusio: quia Sacramenta causant gratiam ratione suæ essentiæ, cui virtus causandi est annexa; essentia autem illorum nondum est, antequâ essentialiter compleantur: cùmq; operentur instar causarum naturalium, nequit effectus etiam diutius differri. Confirmatur: quia tunc solum sunt Sacramentum. Deinde conferunt gratiam vi significationis, quæ solum convenit Sacramento jam completo. Sic v. g. Baptismus causat characterem, & in bene disposito gratiam sanctificantem, quando præmissâ ablutione profertur ultima syllaba formæ requisita ad perfectam significationem, etiamsi sonus adhuc duret: aut dum pronuntiatâ formâ tantum aquæ contingit corpus baptizandi, quantum præcisè requirit essentia Baptismi, etiamsi adhuc duret infusio. Hoc autem contingit in ultimo & determinato instanti intrinseco ipsis Sacramentis, juxta illos qui continuum successivum dicunt componi ex instantibus indivisibilibus. Qui autem illud componunt ex partibus sine fine divisibilibus inextricabiles patiuntur difficultates; ideoque in diversas abiere sententias. Receptior autem videtur illa, quæ statuit effectum conferri in primo non esse Sacramenti. Quod etsi difficultate non careat, tamen sustineri potest. De hac porrò controversiâ, satis philosophicâ ex parte fundamenti, nec magnopere utili, susissimè disputant nonnulli Recentiores: qui videri possunt.

QUÆSTIO IV.

An Sacramenta fictè suscepta fictione sublatâ reviviscant?

42. *Quid hic sit, fictè suscipere Sacramentum.*

Nota nos hic non loqui de illo, qui Sacramentum suscepit invalidè, eò quod fingeret se illud suscipere, cum tamen verè suscipere non intenderet: sed de illo, qui validè quidem Sacramentum suscepit, sed indignè, adeòque non obtinuit effectum sacramentalem sive gratiam (characterem enim certo accipit, quicumque validè suscipit Sacramentum characterem imprimens) defectu dispositionis requisitæ, v. g. quia existens in peccato mortali dolorem debitum culpabiliter aut incul-

inculpabiliter omisit ; aut quia in ipsa Sacramenti susceptione novum peccatum mortale commisit. De hujusmodi fictè suscipiente quæritur, an postea dolens de peccatis recipiat gratiam sacramentalem v. g. baptismi, quam in ipso baptismo non est consecutus propter obicem peccati necdum retractati.

43. *Baptismus fictè susceptus obice sublato revivisc.*

DICO I. Baptismus fictè susceptus sublatâ fictione sive obice revivisc conferendo gratiam remissionis peccatorum atque pœnarum ex opere operato. Ita *D. Thomas quæst. 69. art. 10. Scotus dist. 4. quæst. 5. num. 3. & 4.* & alii Theologi communiter.

Probatur ex S. Augustino.

Probatur I. ex *S. Augustino lib. 1. de Baptismo cap. 12.* ubi ait quod *tunc valere incipiat ad salutem*, Baptismus, *cùm illa fictio veraci confessione recesserit* ; quæ (ut præmittit) *corde in malitia vel sacrilegio perseverante peccatorum abolitionem non sinebat fieri.* Similia habet *lib. 3. cap. 13. & lib. 6. cap. 5.* Ex quibus locis Theologi communiter colligunt *Augustinum* fuisse in hac opinione : quorum communis intellectus magnum fundamentum præbet opinandi istum fuisse *Augustini* sensum : cujus proinde auctoritas sumitur pro præcipuo Conclusionis fundamento. Conformiter loquitur *S. Gregorius lib. 9. Epist. 61.* (& refertur c. *Ab antiqua* 44. *De Consecr. dist. 4.*) dicens : *Quia sanctum Baptisma, quod sunt apud Hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm ..... sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.*

Cui consonat S. Gregorius.

Neque explicari potest *Augustinus*, & consequenter *Gregorius*, quod voluerit Baptismum recedente fictione valere ad salutem, quatenus ratus habetur à Deo, & exinde incipiunt ipsi ficto proficere cetera, etiam Sacramenta, quæ sine susceptio Baptismo prodesse non poterant ; prout *lib. 1. de Nupt. cap. 33.* docet per Baptismum mundari atque sanari etiam subsequentia peccata ; utique radicaliter. Tum quia explicatio ista est minus propria & communi intellectui contraria. Tum quia *Donatistis* arguentibus ex valore Baptismi ab ipsis collati esse penes se Ecclesiam, veluti in qua sola locum habet remissio peccatorum, per Baptismum eorum causata, respondet *Augustinus*, esse quidem validum, sed tunc solum remittere peccata, utique formaliter & propriè (hoc enim sensu arguebant *Donatistæ*) quando deserto schismate fictio seu indispositio recesserit veraci confessione. Confirmatur : quia *Augustinus* docet Baptismum id operari recedente fictione, quod *Donatistæ* arguebant eumdem operari acceptum in secta ipsorum : atqui hoc intelligebatur de remissione peccati & pœnæ factâ per ipsum Baptismum propriè ; ergo & illud : alioquin responsio *Augustini* non esset conformis.

44. *Suadetur*

Probatur II. ex *Trident. sess. 6. cap. 4.* docente Baptismum esse medium ad justificationem necessarium, sic ut illa *sine saltem voto lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non possit* : Trid. sed qui fictè est baptizatus fictione recedente justificatur & fit filius Dei : ergo dicendum est id fieri per Baptismum aut ejus votum : non per votum, quia sicut non potest alius Baptismus adhiberi, ita neque aliud Baptismi votum : ergo fit per Baptismum antè susceptum : atque ita Baptismus fictione recedente consequitur suos effectus. Fortasse tamen responderi posset, Concilium nil aliud velle, quàm quod susceptio Baptismi sit ita necessaria, ut quantumcumque quis fuerit per contritionem justificatus, equidem debeat baptizari, nisi jam baptizatus sit : sive velle, quod nemo umquam justificetur, nisi vel actu Baptismum receperit, vel votum saltem implicitum Baptismi habeat ; ideoque non dixisse, nos necessario justificari per Baptismum, aut ejus votum, sed non posse sine alterutro justificari.

Probatur III. congruentiâ : quia si Baptismus fictè susceptus non reviviscere, et non daretur tunc externum remedium remissivum originalis & peccatorum ante Baptismum commissorum ; quod tamen excellentia novæ Legis postulare videtur. Sequela probatur : nam ista peccata non remitterentur per Baptismum fictè susceptum, ut supponitur : non etiam per pœnitentiæ Sacramentum : cum hoc tantum sit institutum in remissionem peccatorum intrâ Ecclesiam seu post baptismum commissorum, ut docet *Trid. sess. 14. c. 2.* Dicendum igitur est Baptismum fictè susceptum revivisc. Quod si respondeatur sufficere ut tali casu possint peccata ante Baptismum commissa remitti indirectè per Sacramentum Pœnitentiæ. Contrà facit, quod ne hoc quidem remedium externum haberet locum in iis, qui cum fictione inculpabili Baptismum susceperint, nec postea peccassent ; utpote qui forent Sacramenti Pœnitentiæ incapaces, adeòque carerent etiam sine culpa sua omni externo salutis remedio. Deinde excellentia novæ Legis postulare videtur in prædictis casibus remedium etiam directè remissivum originalis & peccatorum ante Baptismum commissorum. Qui tamen id negaret, neque etiam inconveniens esse crederet, quod in postremo casu, qui est valdè rarus, & quasi metaphysicus, deesset externum remedium etiam indirectè remissivum culparum Baptismum susceptum præcedentium, non posset, quantùm est ex ratione, convinci.

Ex hac Conclusione sequitur I. Baptismum reviviscentem (idem est de aliis Sacramentis, si quæ reviviscant, de quibus postea) conferre gratiam habitualem ; cùm in illius collatione vita Sacramenti seu virtus vivificandi consistat. Et quidem juxta

Doctores

Doctores communiter distinctam confert ab ea, quæ confertur ratione pœnitentiæ vel contritionis, per quam tollitur obex: adeoque est major gratia, quàm quæ conferretur intuitu solius pœnitentiæ aut contritionis: aliàs enim reviviscentia Sacramenti parum haberet utilitatis. Idemque conficitur ex testimoniis *Augustini*, quibus asseritur Baptismum tunc recuperare vim suam, incipiendo valere ad salutem & remissionem peccatorum: quod quâ ratione verum est, si totum haberetur æqualiter per opus operantis, etiam excluso Sacramento.

Sequitur II. Sacramentum reviviscere conferendo jus ad auxilia actualia suo tempore conferenda, juxta Doctores communiter: hoc enim jus comitatur gratiam habitualem Sacramenti.

Jus ad auxilia actualia,

Sequitur III. vi Baptismi præcedentis, quando reviviscit, conferri remissionem omnium pœnarum temporalium: hæc enim ex institutione divina in Baptismi virtute (quæ cum Baptismo reviviscit) simul cum infusione gratiæ continetur. Intellige tamen hoc de pœnis, quæ respondebant peccatis Baptismo præviis; non autem de iis, quæ debentur ob peccatum ipsius fictionis aliave Baptismum subsequentia.

Remissio omnis pœnæ temporalis pro peccatis Baptismum antecedentibus.

47. Confert autem gratiâ juxta proportionem dispositionis, quâ tollitur obex.

Petes, quanta sit illa portio gratiæ, quæ remoto obice datur ex vi Sacramenti priùs suscepti? *Suarez disput. 29 sect. 4.* & *Coninck* existimant esse determinatam portionem, eamque minimam, quæ per Baptismum conferri solet, v.g. quanta parvulis in Baptismo tribuitur. Sed probabiliùs cum *Præposito* & pluribus aliis respondetur, eam dari secundùm proportionem dispositionis, quâ tollitur obex: quandoquidem juxta regulam generalem Sacramenta adultis majorem aut minorem gratiam conferant juxta propriam ipsorum dispositionem. Et quàmvis dispositio sequatur Sacramenti susceptionem, præcedit tamen infusionem gratiæ, & disponit ad illam: cujus Sacramentum, etiam dum reviviscit, est collativum ex opere operato: dispositio namque ad effectum non debet præcedere causam ipsam, sed causæ operationem. Itaque non omnibus obicem removentibus eadem seu æqualis gratia virtute Baptismi reviviscentis confertur; quandoquidem diversi obicem removeant per inæquales dispositiones.

48. Alter Baptismum prius susceptum reviviscere potest alio posito.

Dico II. Reliqua Sacramenta fictè suscepta verosimiliter sublato obice non reviviscunt. Ita *Soto dist. 6. quæst. 1. art. 8. Vasquez, Præpositus* & alii. Probatur: nam de solo Baptismo loquitur *Augustinus, Gregorius* Papa *D. Thomas, Scotus*, & passim antiquiores Theologi. De aliis autem Sacramentis ex Scriptura, Patribus, aut ratione non habetur solidum fundamentum: sine quo tamen effectus non sunt Sacramentis attribuendi, cùm illorum virtus totaliter dependeat ex divino beneplacito, quod aliquo ex prædictis modis deberet nobis innotescere.

Dixi *verosimiliter*: oppositum enim de Confirmatione & Ordine non est improbabile: tum quia multi sic sentiunt; quibus favet *D. Bonav. dist. 3. p. 1. art. 2 q 3.* quatenus pro ratione reviviscentiæ Baptismi allegat initerabilitatem & Characteris impressionem. Tum ob hanc ipsam rationem, nempe quia similiter hæc Sacramenta imprimunt Characterem & sunt omnino initerabilia, utì baptismus; adeoque conveniens erat, ut effectus illorum fictione recedente reviviscerent: ne alioquin qui semel indignè aut sine sufficienti dispositione illa Sacramenta suscepissent (quod subinde etiam sine culpa potest contingere) illorum effectu in perpetuum careret: præsertim cùm constituant hominem in statu immutabili, ad quem dignè obeundum gratia illis Sacramentis propria est valdè utilis, immo necessaria. Idem simili ratione docet *Suarez* & alii de Extrema Unctione & Matrimonio: quia licèt non imprimant Characterem, tamen reiterari non possunt durante eâdem infirmitate aut vitâ conjugis.

49. *Oppositum tamen de Confirmatione & Ordine est etiâ probabile.*

Idem varii censent de Extremâ Unctione & Matrimonio,

Verùm hæc omnia nituntur incertâ conjecturâ. Quòd autem Aliqui allegent auctoritatem *Augustini*, qui *lib. 6. de Bapt. cap 5.* videtur doctrinam *præced. Conclus.* traditam fundare in sanctitate Baptismi; quæ ratio etiam locum habet in his Sacramentis. Hoc, inquam, parum urget, eò quòd ratio ista non sufficiens sit aut adæquata, sed præcipua sit voluntas Dei instituentis hâc ratione Baptismum, tum ob illius sanctitatem, tum principaliter ob remissionem peccatorum Baptismum antecedentium, qua necessariò debet fieri per ipsum Baptismum ut patet ex *Augustino lib. 1. de Baptis. cap. 11.* & ex objectione *Donatistarum* ibidem. Deinde sanctitas etiam locum habet in Sacramento Eucharistiæ: quod tamen reviviscere æquè ut alia Sacramenta, nullatenus dici potest (quidquid aliqui videantur secùs sentire) non solùm quia nulla est necessitas, cùm possit toties quoties iterari, & effectus illius obtineri: sed etiam quia videtur alienum à mente Fidelium: & quia non levè sequeretur inde inconveniens, nempè eum qui semper sacrilegè celebrasset aut communicasset, sed in fine vitæ cùm attritione & confessione moreretur, receptarum gratiæ augmentum & sanctitatem tantò majorem, quantò plura sacrilegia commisisset. Ita *D. Bonavent. dist. 4. part. 1. art. 2. quæst. 3. ad 3.* & alii communiter.

50. *Sed incertitudo ostenditur.*

Eucharistia saltem non reviviscit.

Cessaret quidem allegatum inconveniens, dicendo reviviscere solùm ultimam communionem, adeoque obicem

Quod amplius declaratur.

debere auferri, antequam Eucharistia denuò sumatur; ut respondet *Poncius disp. 41. num. 92.* in favorem asserentium reviviscentiam Eucharistiæ; tametsi ipse illam neget. Nihilominus hoc novum effugium non est ad mentem istorum Auctorum, qui sine restrictione loquuntur. Deinde sanctitas Sacramenti (in qua se fundant) locum habet, quocumque tempore obex tollatur. Denique etiam tali reviviscentiæ obstat adhuc, tum jugis Sacramenti iterabilitas, tum sensus communis, quo Eucharistia indignè susceptа instar cibi à stomacho rejecti videtur omnino vim nutriendi perdere. Nisi quòd suppositâ veritate opinionis asserentis augeri gratiam auctâ dispositione interea dum adhuc in stomacho durant species sacramentales (de quo in *Tract de Eucharistia*) consequens videatur Eucharistiam ab initio in malo statu susceptam reviviscere, si ante corruptionem specierum accedat dispositio.

51. *Pœnitentia, si possit esse valida & informis, probabiliter reviviscet.*

De Pœnitentiæ tamen Sacramento probabile satis est, quòd reviviscat, supposito quòd possit dari validum & informe; prout plures censent, quibus tamen non assentimur, ut suo loco patebit. Pro illo enim est ratio specialis, quæ pro Baptismo: nam peccata in illo validè confessa non remittuntur directè in sequenti confessione, in qua non debent exprimi: ergo sublato obice directè remittuntur per absolutionem in confessione præcedenti informi datam, cui fuerunt directè subjecta: Christus enim voluit ut semel singula mortalia directè subjiciantur sententiæ Ecclesiæ, & sacramentaliter remittantur. Confirmatur: quia nullum peccatum mortale post baptismum commissum potest remitti sine Sacramento Pœnitentiæ aut ejus voto: atqui peccata mortalia in confessione informi expressa remittuntur postea per contritionem absque voto alterius confessionis de illis (cùm non sit opus ea ampliùs confiteri) ergo remittuntur per efficaciam ipsius Sacramenti pœnitentiæ priùs susceptì. Hæc tamen non ita convincunt, ut non sit responsioni aut evasioni locus; prout circa auctoritatem *Tridentini* observatum fuit *num. 44.*

QUÆSTIO V.

Qualis Dispositio requiratur ad tollendum obicem, & ad Reviviscentiam Sacramentorum?

52. *Obex, alius negativus, alius positivus.*

OBEX alius est merè negativus & consistit in carentia inculpata legitimæ dispositionis ad effectum Sacramenti requisitæ. Alius positivus, qui consistit in peccato mortali, quod quis incurrit suscipiendo culpabiliter Sacramentum absque debita dispositione.

Ad Sacramenta porrò vivorum quod attinet, sicut illa dum actu suscipiuntur, præsupponunt primam gratiam habitualem; sic dum præterita reviviscunt (si quæ reviviscant) videri potiùs possent similiter præsupponere statum gratiæ; adeoque contritionem, vel cum Sacramento mortuorum attritionem, etsi sit obex tantùm negativus, prærequirere. Nihilominus si Sacramenta vivorum causent aliquando per accidens seu secundariò primam gratiam, videntur illam consequenter causare in bonâ fide attrito, quando cum obice negativo susceptа reviviscunt. Immo consequenter non video, cur id fieri non posset, etsi attritio foret cognita ut talis, ab illo, qui postmodum nosceret infructuosam Sacramenti susceptionem bona fide factam: nam tunc cessat obligatio suscipiendi extra statum gratiæ hujusmodi Sacramentum, utpote jam receptum; quod proinde videtur reviviscendo operari effectum in attrito: cùm causationi primæ gratiæ per se solùm obstet, quòd Christus ista Sacramenta graviter vetuerit susci extra statum gratiæ. Unde etiam in sententia adscribentium his Sacramentis interdum primam gratiam, causaretur gratia in suscipiente illa cum attritione cognitâ, qui invincibiliter ignoraret aliam dispositionem requiri. In contraria verò sententia aliter foret discurrendum. Quòd si suscipiantur cum obice positivo, idem est de iis dicendum, quod de Baptismo. De quo (idem est de Pœnitentia, si detur informis, & reviviscat)

DICO I. In eo qui recepit Baptismum cum obice merè negativo, & post Baptismum non commisit novum peccatum mortale, reviviscit Baptismus per solam attritionem supernaturalem. Est communis contra *Vasquez* requirentem contritionem, sumpto fundamento ex *Augustino*; qui tamen loquitur de obice positivo, vel dicit requiri pœnitentiam, quæ complectitur contritionem perfectam & imperfectam.

Probatur Conclusio: quia ad delendum peccata Baptismum præcedentia sufficit attritio, quando Baptismus suscipitur; ergo etiam quando reviviscit, cùm secundùm *Augustinum* tunc habeat eamdem vim. Confirmatur: quia alioquin is, qui post Baptismum cum obice negativo susceptum non peccasset, justificari non posset, nisi per contritionem, sicut in Lege veteri. Immo pejoris esset conditionis, quàm is qui post Baptismum plura peccata commisisset: hic enim per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ) cujus alter est incapax) posset justificari; ut etiam meritò admittit ipse *Vasquez*: quàmvis hoc non strictis quadret in ipsius opinionem: vis enim Baptismi non roboratur ex conjunctione confessionis, utpote nullam vim habentis in peccata ante Baptismum commissa: igitur

tur tota dispositio requisita, ut peccata ante Baptismum facta per eum directè remittantur, oritur ab attritione.

Dico II. Qui suscepit Baptismum cum obice positivo, vel post ejus susceptionem commisit peccatum mortale, debet perfectè conteri, vel saltem attritus confiteri, ut Baptismus reviviscat. Ita *Scotus* & alii Theologi communiter. Ratio est: quia attritio non potest tollere peccatum mortale absque Sacramento realiter susceptum: cùm igitur hæc peccata, velut naturâ aut tempore posteriora Baptismo, non possint per ipsum deleri; consequens est, quòd deleri debeant per contritionem cum voto Sacramenti Pœnitentiæ, aut saltem per attritionem cum ipso Sacramento.

Qui susceptus cum obice positivo, aut commisit peccatum mortale interim, requiritur, confessio vel saltem perfecta contritio.

Neque dici potest illa peccata mortalia concomitanter sive indirectè deleri per Baptismum priùs susceptum, dum illius virtute cum attritione directè auferuntur peccata Baptismum præcedentia; ut refertur sentire *Paludanus dist. 4. quæst. 5. versus finem*: qui tamen huic doctrinæ non firmiter adhæret, addens proinde sub disjunctione aliam & communem responsionem. Illud equidem valdè probabile censet *Dicastillo disp. 2. de Bapt. dub 6.* Non, inquam, id dici potest, quia nullum Sacramentum habet virtutem remittendi peccata futura, seu post ejus susceptionem commissa: Sacramenta enim sunt medicinæ vulnerum præcedentium curativæ, & contra sequentia præservativæ. Quare peccata postea commissa faciunt, ut ne quidem remittantur commissa ante Baptismum, dum sola adest attritio: cùm unum mortale sine altero non remittatur, & recedente fictione non remittantur peccata virtute Baptismi, nisi quæ ipsum tempore vel naturâ præcedunt, ut habet communis sensus Doctorum: à quo recedendum non est sine fundamento; quòd hîc nullum est. Nam quod *Dicastillo sup. num. 207.* allegat, cùm peccatis confessis simul indirectè absolvi & remitti oblita aut justâ de causâ suppressa, nihil probat: nam talem vim esse à Christo datam absolutioni quoad peccata illam antecedentia, constat ex *Trid. sess. 14. c. 5.* & indubitato omnium Catholicorum sensu: non constat autem esse datam Baptismo quoad peccatorum subsequentium indirectam delectionem: cùm tamen in materia Sacramentorum ob levem conjecturam ex quadam paritate desumptam non liceat Sacramentis ascribere novos effectus contra sensum communem. Immo verè non est paritas inter Baptismum & exemplum ab ipso allegatum. Esset autem inter Baptismum & confessionem validam ac informem, casu quo detur & reviviscat, si nempe post illam quis committeret nova peccata. Verùm pariter hæc tunc non revivisceret per solam attritionem, neque indirectè peccata se sequentia deleret.

Cur Baptismus cum attritione subsequente tollere indirectè nequeat peccata sequentia.

56. Hinc quo etiam fit, in confessione particulariter non fore exprimendum peccatum, cui quis in Baptismi susceptione affectu adhærebat; utpote quod tempore & naturâ baptismum antecessit. Sufficeret itaque confiteri, quòd Sacramentum indignè susceperit: nisi fortasse complacentia istius peccati fuerit post Baptismum continuata: tunc enim de illo deberet eatenus fieri confessio in particulari. Quod etiam fieri deberet de aliis peccatis tempore aut naturâ Baptismum subsequentibus. Prout naturâ posterius susceptione Baptismi est sacrilegium, quod per factam illius susceptionem committitur: hoc enim peccatum tunc committitur, quando Baptismus deberet suum conferre effectum, adeoque est Baptismo naturâ posterior, sicut ipsa collatio effectûs.

Peccatum, cui baptizandus adhæret, non est materia confessionis, nisi quatenus post Baptismum continuatur.

Quòd si fingatur casus, quo peccatum aliquod mortale committatur, quod præcisè absolvatur in ipso momento temporis, quo absolvitur Sacramentum, dubium est, an illud pertineat ad peccata commissa ante Baptismum, adeoque per eum reviviscentem remitti debeat; prout existimat *Vasquez*: an verò pertineat ad peccata commissa post Baptismum, & remitti debeat per confessionem; prout docet *Coninck*, *Præpositus* & alii. Quod posterius apparet probabilius: eò quòd tale peccatum effectui Baptismi directè adversetur. Deinde quia numquam potest tolli per Baptismum dum actu suscipitur, adeoque nec quando reviviscit. Unde etsi propriè loquendo tale peccatum nec sit commissum ante, nec post Baptismum: quia tamen quævis peccata possunt remitti per Baptismum vel Pœnitentiam, & istud nequit remitti per Baptismum, censetur eatenus inter commissa postea, id est, inter remissibilia, non per Baptismum, sed per Pœnitentiam.

Quod si planè concomitantur cùm Baptismo absolvere-tur, probabilius foret materia confessionis.

57. Petes, à quo causetur gratia Sacramenti reviviscentis v. g. Baptismi? Resp. quod principaliter à Deo, dispositivè à dispositione, instrumentaliter & ex opere operato ab ipso Baptismo præterito, sicut quando ab initio dignè fuisset susceptus Baptismus. Quod si Baptismus cum positivo obice susceptus reviviscat per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ, attritio ista partim disponit ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, partim ad effectum Baptismi reviviscentis distinctum: sic ut duplex tunc detur gratia, respondens duplici Sacramento: & quidem per illam quæ respondet Baptismo reviviscenti, directè remittuntur peccata præcedentia Baptismum, per aliam peccata sequentia; idque eodem instanti, etiam naturæ.

A quo causetur gratia Sacramenti reviviscentis.

58. Dices: Contritio vel attritio cum sequenti Sa-

Qui Baptismus reviviscens eodem naturæ instanti operetur gratiam, quo suam contritio vel Sacramentũ per quod revivisc.

ti Sacramento, Pœnitentiæ scilicet, debet resuscitare Baptismum veluti mortuum in instanti A, & in eodem instanti naturæ causatur gratia correspondens: ergo non potest in illo eodem instanti naturæ pariter suam gratiam causare Baptismus reviviscens; veluti qui in instanti A: resuscitatus, non potest operari, nisi in sequenti naturæ instanti B: cùm sicut priùs naturâ debet causa esse, antequam operetur, sic & resuscitari. Resp. quòd Baptismus resuscitetur non tamquam mortuus, sed tamquam impeditus & præteritus, existens in divina acceptatione; adeoque eodem instanti, quo impedimentum tollitur, operatur: illud ipsum enim erat carentia dispositionis, quæ tollitur formaliter per ipsam dispositionem. Quare si reviviscat Baptismus per aliud Sacramentum, v. g. Pœnitentiæ, eadem attritio tollit fictionem reddendo subjectum dispositum, sicque Baptismum præteritum reddit ipso instanti naturæ causantem effectum, quo Sacramentem Pœnitentiæ, quatenus ad utrumque seu utriusque effectum eodem instanti naturæ disponit.

QUÆSTIO VI.

De Charactere.

59. *Quid sit Character.*

EXplicatis iis quæ concernunt primarium Sacramentorum effectum, scilicet gratiam, explicanda sunt ea, quæ concernunt eorumdem effectum secundarium, qui dicitur Character. Quod est vocabulum græcum; latinè idem significans, quod figura seu nota. Unde *ad Heb.* 1. ubi Latinus Interpres habet: *Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus*, in Græco loco figuræ est Character. Est autem in præsenti *signum quoddam spirituale mediante Sacramento animæ impressum indelebiliter, quo homines consignati distinguuntur ab aliis.* Quòd quidem non in omnibus Sacramentis imprimitur, neque etiam in uno solo, sed in omnibus & solis initerabilibus; ut jam patebit.

60. *Illum imprimunt sola tria Sacramenta initerabilia.*

DICO I. Tria Sacramenta initerabilia, Baptismus scilicet, Confirmatio & Ordo, quando validè conferuntur, imprimunt in anima Characterem. Ita expressè definit *Florentinum in Decreto de Armenis*, & *Tridentinum sess. 7. can. 9. de Sacram. in genere*: & antea idem determinaverat *Innocentius III. c. Majores, de Baptismo*, agens in speciali de isto Sacramento.

Scotus de hoc non dubitavit, fundans rectè conclusionem in auctoritate Ecclesiæ.

Veritas hæc ex Scripturis convinci non potest: utì nec ex claris & expressis Patrum auctoritatibus, quin secundùm se in alio sensu possent explicari: ut optimè *Scotus d. 6. q. 9. num.* 13. & 14. Facilè enim Patres exponi possent, quòd ipsum Sacramentum v. g. Baptismi vocent Characterem quo obsignamur. Ideoque *Doctor*, qui definitionem *Florentini* & *Tridentini* non viderat, rectè concludebat esse necessariò ponendum Characterem, quantum pro tunc occurrebat, ob solam auctoritatem Ecclesiæ scilicet cap. *Majores* cit. juncto cap. *Ad abolendam, de Hæreticis*, ubi perpetuo anathematis vinculo innodantur aliter de Sacramentis Ecclesiæ sentientes, quàm sentiat Sancta Romana Ecclesia; cujus profectò auctoritas est certissima. Ut proinde immeritò *Præpositus q. 63. art.* 1. sic referat Sententiam *Scoti*, quasi videatur existimare doctrinam de Charactere solùm esse probabilem. Quare etiam *Scotus n.* 17. dicit, quòd ponendi Characterem *necessitas est hæc, quia Ecclesia ponit.* Et subdit: *Sufficit enim Auctoritas Ecclesiæ*; adducitque *Augustinum l. contra Epist. Fundamenti c.* 5. dicentem: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Quamquam præmittat, non posse spectando tunc temporis expressè & in terminis definita, evidenter necessariò probari ex creditis.

Nihilominus etsi verum sit Ecclesiæ auctoritatem in hoc negotio habere partes præcipuas; eâ tamen suppositâ intelligimus mentem sanctorum Patrum sine dubio fuisse in eadem significatione de Charactere loqui, ac traditionem Ecclesiæ (in qua hæc veritas fundatur) conservare. Plurima ejusmodi testimonia, accedente sensu Ecclesiæ satis clara, vide apud *Bellarminum l. 2. de Sacram. c. 21. Suarez disp. 11. sect. 1.* Nobis pauca sufficiant. *Cyrillus Jerosolymitanus Præfat. in Catech. §. Magnum*, enumerans Baptismi effectus ait: *Magnum est propositum hoc Baptisma, captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile*; omnis autem effectus Baptismi alius à charactere est delebilis. Et *Augustinus l. 6. de Baptismo c.* 1. ait: *Dominicum Characterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat.* Loquitur de baptizato ab Hæreticis; & addit, *Characterem tamen dominicum in ea*, ove, *agnosci potiùs, quàm improbari.* Similia docet *Epist.* 23. & *Epist.* 204. ait: *Oves Christi estis, Characterem Dominicum portatis, in Sacramento quod accepistis.* Et *Tract. 5. in Epist.* 1. *Joan.* de baptizato ait: *Si autem non habet*, Charitatem scilicet, *Characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur.* Eumdem characteri militari comparat *l.* 2. *contra Epist. Parmeniani c.* 13. *circa med.*

Pro eadem veritate, suppositâ Ecclesiæ traditione commodè adferri possunt Scripturæ; quamquam nec eâ suppositâ convincentes; scilicet *ad Ephes.* 1. *In quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto &c.* Et *cap.* 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Et 2. *ad Corinth.* 1. *Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.*

Ubi

Ubi Apostolus agens juxta quosdam de Baptismo, juxta alios de Confirmatione, juxta alios de utroque assignat tres effectus, scilicet unctionem per gratiam sanctificantem, signationem, seu (ut verbum Græcum sonat) sigillationem per Characterem, dationem pignoris, id est, juxta varios testimonium bonæ conscientiæ. De his plura videre est in *Commentario* ad locum *Scoti* citatum *num.* 15. *& seqq.* Videri etiam potest ad initium quæstionis.

63. Ratio est institutio Christi, & fundata in Charactere imprimibili in Baptismo, Confirmatione & Ordine.

Ratio efficax hujus veritatis assignari vix potest præter institutionem Christi traditione & auctoritate Ecclesiæ nobis perspectam. Communiter equidem allegatur, quòd fatentibus etiam Hæreticis, quædam Sacramenta sint omnino initerabilia, cujus ratio est Character, ut determinat *Florentinum* & *Tridentinum suprà*. Alia autem solida ratio hujus rei dari non potest: nam quantumvis Baptismus v. g. sit ingressus in Ecclesiam, ut respondent Hæretici; cur baptizatus si non habeat Characterem nequit egredi, ac deinde reingrediens iteratò baptizari? Præsertim si fructus Sacramenti non sit alius, quàm ejus applicatione excitare fidem remissionis peccatorum contentæ in promissionibus Christi.

64. Quomodo non implicet, Sacramentum ferre Characterem imprimibilem, vel non illo iterabile.

Nihilominus absolutè loquendo potuisset Deus instituere, ut non nisi semel quis validè baptizaretur, esto non daretur in Baptismo Character: quæ enim apparentia repugnantiæ? E contrà, etsi Baptismus Characterem conferret, potuisset tamen illum Deus sic instituere, ut posset repeti; sive hoc modo, ut quando repeteretur, non daretur Character, utpote jam datus: sive ut daretur secundus: etsi enim primus sufficiat, posset de superabundanti dari secundus: plura enim, dum vult, potest Deus, quàm quæ ad aliquid sufficiunt. Vel sanè Character secundus deserviret ad designandum secundum Baptismum; ita ut ex signorum numero indicetur numerus Baptismorum. Sicut peregrini Hierosolymitani toties signum in brachio recipiunt, quoties peregrinationem confecerunt.

65. Congruentia triplicis Characteris.

Congruentia hujus triplicis Characteris optima assignatur & explicatur à *Scoto d.* 6. *q.* 10 *num.* 12. quia per tria dicta Sacramenta constituitur homo irrevocabiliter in certo gradu ac munere in Ecclesia Christi ad spiritualia quædam munia activè aut passivè obeunda, non sic per reliqua quatuor. Per Baptismum quidem deputatur homo, ut sit filius familias ac domesticus Christi, accipitque potestatem ad suscipienda cetera Sacramenta. Per Confirmationem deputatur, ut sit miles Christi, fidemque fortiter profiteatur & propugnet. Per Ordinem denique constituitur familiæ præfectus, ad eamdem regendam, Sacramenta & alia bona communia distribuenda, aliosque ad familiam admittendos. Sic enim & olim qui deputabantur ad certa officia & obsequia principis, solebant certis signis ab aliis discerni; v. g. milites notabantur principis charactere eis impresso: & etiamnum magistratus & famuli sæpè certis signis discernuntur.

66. *Officium Characteris,*

Itaque præcipuum Characteris munus est, ut sit sigillum seu signum spirituale designans suum subjectum: ita ut Angeli intuentes Characterem Baptismi v. g. (idem cum proportione est de duobus reliquis) ex eo tamquam signo videant hominem esse de familia Christi, habere jus ad auxilia & suffragia communia &c. De quo & aliis officiis Characteris vide *Scotum d.* 6. *qu.* 10. *num.* 13. An autem præfata significatio Characteris competat ei ex natura sua, an verò solum ex divina institutione, est inter Doctores controversum. Sed cum ad minus difficillimum sit intelligere, quòd hujusmodi signum naturale sit possibile (Plures existimant absolutè possibile non esse) neque ex ullo capite colligatur, quòd character de facto tale sit, censendum potius est, esse sigillum ex instituto: tum quia id sufficit, suppositâ notitiâ institutionis talis signi ad discernendum v. g. baptizatos à non baptizatis: tum quia est facilius, adeoque ceteris paribus præferendum in explicatione fidei; præsertim in materia Sacramentorum, quæ ipsa sunt signa ex instituto. Immo ex multorum sententia ipse effectus principalis Sacramentorum, scilicet gratia, non est signum naturale divinæ amicitiæ, sed ex Dei ordinatione. Estque hæc de Characteře Sententia communis, contra *Salas & Lugo.*

An sit signum naturale, an ex instituto.

67. *An Circumcisio imprefserit Characterem.*

Petes, an circumcisio impresserit characterem? Resp. id esse valde incertum: cùm *D. Thomas q.* 63. *art.* 1. *ad* 3. & plerique alii hoc negent: nec suppetat ex aliquo capite solidum affirmandi fundamentum. *Scotus* nihilominus *sup. q.* 9. *n.* 21. obiter insinuat, non tamen assertivè statuit, contrarium posse dici. Quod videtur posse conjectari ex eo, quòd Circumcisio fuerit janua veteris Legis, per quam homines adscribebantur in peculiarem familiam ac populum Dei; sicut Baptismus est in Lege nova. Quàmvis autem aliqui Patres significent Circumcisionem obsignasse solam carnem, & in eo à Baptismo distinguant: loquuntur tamen de signatione per gratiam, quam adultis, saltem aliundè justificatis ab originali, vi suâ non conferebat, immò nec parvulis ex primaria institutione; prout dictum est circa initium hujus Tractatûs. Neque hinc sequitur circumcisos non debuisse baptizari: quia per circumcisionem necdum erant adscripti in familiam Christi ac Ecclesiam novæ Legis; quod proinde per Baptismum fieri oportebat: qui etiam perfectiorem ac diversæ speciei imprimit Characterem; sicut diversi

versi Ordines diversos specie imprimunt Characteres.

Nihilominus hoc de Circumcisione (ut dixi) incertum est, cùm de eo non habeatur aliquid firmi in auctoritate. Alioquin videderetur id pariter extendi posse ad remedium Legis naturæ, veluti per quod etiam homines adscribebantur Ecclesiæ Dei ac Religioni, quodque similiter non erat iterabile, scilicet cum simili fructu.

68. *Character non est mera denominatio extrinseca, sed forma realis.*

Dico II. Character sacramentalis non est mera denominatio extrinseca aut ens aliquod morale ex susceptione Sacramentorum initerabilium resultans, unde homo censeatur à Deo deputatus ad suum cultum sive ad sacras actiones. Ita communiter Theologi contra *Durandum dist.* 4. *q.* 1. qui appellat relationem rationis, more loquendi antiquis Theologis in similibus consueto, etsi à parte rei solum velit excludere realem qualitatem, non autem præfatam conditionem moralem ex divina deputatione: ex qua similiter David electus in regem obtinuit nomen & dignitatem regiam velut aliquid morale ipsum moraliter afficiens. Quam quidem *Durandi* sententiam non posse sine errore defendi propter locutiones Conciliorum censet *Suarez* & alii Recentiores: Alii tamen illam à graviori censura liberant. De quo quidquid sit, omnino tenenda est communis doctrina. Quæ

69. *Probatur ex locutionibus Conciliorum in sensu obvio intellectis.*

Probatur: quia Concilia definiunt Characterem esse signum spirituale & indelebile impressum in anima; quæ etsi aliquo modo quadrare possent in denominationem moralem ex divina ordinatione sic resultantem, ut nullâ humanâ potestate impediri vel auferri possit, secus quàm dignitates vel potestates politicæ: propriè tamen ut sonant accepta denotant physicam impressionem alicujus notæ realis ac spiritualis; prout indubiè quilibet non præventus censeret. Confirmatur: tum quia Doctores Catholici constanter hoc sensu verba Conciliorum intellexerunt: tum quia ipsi Hæretici, contra quos in iisdem agitur, intelligunt sententiam Catholicorum de aliquo physico & reali, & hoc sensu impugnant. Deinde iidem Hæretici facilè admitterent ens aliquod rationis seu denominationem extrinsecam in anima baptizati resultare ex Baptismo, quem docent initerabilem. Quàmvis simul misceant alios errores, præsentem non excusantes; quòd scilicet Baptismus tantum valeat ad excitandam fidem; quòd Confirmatio, & juxta Nonnullos ex ipsis Ordo non sit Sacramentum, saltem quo deputetur quis ad conficienda Sacramenta; quòd denique is, qui juxta illos fuit sacerdos, possit fieri laicus. Etenim his non obstantibus, etiam errarunt circa Characterem baptismalem; & tamen non negassent, qualem affirmavit *Durandus*.

In quo tum à Catholicis, tum ab ipsis Hæreticis sunt intellecta.

His denique ens aliquod morale ex Baptismo relictum nõ negarent.

70. *Arriaga d.* 17. *sect.* 3. potissimùm se fundat in eo, quòd *Trid. sess.* 23. *c.* 3. & 4. & *can.* 1. & 4. manifestè condistinguat potestatem perpetuam & irrevocabilem (quam *Durandus* vocat denominationem extrinsecam & Characterem) ab ipso Charactere. Ait enim: *Si quis dixerit vel per hoc Sacramentum potestatem non concedi, vel semel ordinatum posse fieri laicum, vel Characterem non imprimi, anathema sit.* Illa enim particula *vel* denotat distinctionem inter potestatem irrevocabilem & Characterem. Verùm prædicta verba non sunt *Tridentini* in terminis. Quod etiam *c.* 3. nil habet ad propositum. Solùm *can.* 1. definit in Ecclesia non esse officium tantùm, & nudum ministerium prædicandi, sed esse potestatem aliquam consecrandi & absolvendi. Et *c.* 3. ex eo quòd Sacramentum Ordinis imprimat Characterem, damnat asserentes potestatem Sacerdotum tantùm esse temporariam, vel hos fieri posse Laicos. Quod quidem rectè faceret, etsi potestas indelebilis non foret à Charactere distincta. Similiter *can.* 4. damnat dicentes *per sacram Ordinationem non imprimi Characterem, vel eum qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse.* Idque rectè; quantumvis revera non esset inter potestatem & Characterem distinctio. Nec mirum, aut novum, sed familiare etiam ipsi *Tridentino*, errores connexos, aut etiam non distinctos, sed diversimodè ab Hæreticis expressos distinctè à Conciliis damnari; præsertim si non sit certum esse formaliter indistinctos. Ut proindè non urgerent verba *Tridentini*, etsi interminis essent, qualia *Arriaga* refert:

Dico III. Character sacramentalis non est relatio realis, sed ens absolutum, nempe qualitas aliqua spiritualis. Ita communiter Doctores.

Prima pars de relatione reali probatur: non enim potest dici relatio transcendentalis: nam subjectum est ab illa realiter indistinctum, nec potest sine illa existere, v. g. homo sine risibilitate: cùm tamen Character distinguatur realiter à suo subjecto, positque subjectum sine illo existere.

Non est etiam relatio prædicamentalis: ad hanc enim non datur motus sive actio, sed ipsa necessariò resultat ab extremis: Character autem juxta *Tridentinum* animæ imprimitur, adeoque terminat propriam actionem, eamque procedentem non ab extremis, sed liberè à Deo, qui velut causa principalis Characterem imprimit, Sacramento instar instrumenti moralis, vel juxta Alios physici, concurrente.

Non denique est relatio extrinsecus adveniens: quàmvis enim illa rectè dici posset animæ imprimi, sicuti dicitur corpori imprimi certum ubi aut situs; ceteraque quæ Characteri tribuuntur, possint isti relationi accommodari: ut bene ostendit *Scotus q.* 10. *num.* 3. & *seqq.* ubi (ut patet inspicienti

cienti textum) solùm problematicè disputat, quo pacto, non obstantibus rationibus ab eo prælegatis & solutis, posset dici Characterem esse respectum extrinsecùs advenientem, ut habet *num.* 9 in fine: eò quòd sic ponendo saltem omnes conditiones salvantur, quæ communiter attribuuntur Characteri. Dein *num.* 13. *& seqq* procedit secundùm sententiam, quæ ponit ipsum esse formam absolutam, eamq; qualitatem; ut proinde immeritò citetur in oppositum hujus partis Conclusionis. Etsi (inquam) illa ità se habeant: nihilominus sine ratione poni non debent hujusmodi entia modalia & imperfecta, quæ implicet etiam per Deum existere sine subjecto: maximè cùm enti absoluto aptiùs seu magis conveniant, quæ Concilia attribuunt Characteri; & consonet communis Doctorum sensus.

73. Sed ex quibus. Secunda pars (in quam magis inclinat *Scotus sup num.* 13. cui proinde adhærent ejus Discipuli communiter) probatur: quia cùm non substantia, utpote existens in alio ut subjecto: neque quantitas, eò quòd hæc nequeat esse in anima, quæ est spiritualis: neque etiam relatio, ut ostensum est; sequitur, esse qualitatem. Deinde nihil tam propriè dicitur animæ imprimi, eam ornare, notare, & ab aliis distinguere (quæ tribuuntur Characteri) quàm qualitas.

74. Quinquplicis tertiæ speciei. Ad quam verò speciem qualitatis Character pertineat, disputant Doctores; qui in varias abierunt sententias. Valdè verosimile est, juxta modernam specierum qualitatis distinctionem, spectare illum ad tertiam speciem, quæ complectitur qualitates solùm aut principaliter ordinatas ad perficiendum sive ornandum subjectum; prout est Character, qui juxta Theologos passim *& Scotum sup. q. 9. n.* 18. non est physicè activus; & consequenter poni non debet in prima vel secunda specie, ubi tantùm ponuntur qualitates principaliter ordinatæ ad agendum. In quarta etiam specie (si tamen sit vera qualitatis species, quod non credo) ponitur figura quantitativa; qualis non est Character. Nec refert, quòd in tertia specie solùm videantur ponendæ qualitates sensibilies: hoc enim falsum est: cur namque in ea non ponantur cognitiones & volitiones spirituales, sive humanæ, sive angelicæ, & generatim aliæ qualitates quæ principaliter dantur ad ornatum?

Quamvis multi constituant in prima vel secunda,

Multi nihilominus Doctores censent Characterem esse collocandum in prima vel secunda specie qualitatis. Quod idem videtur sentire *Scotus sup. q.* 10. *n.* 15. Sed loquitur secundùm veterem & minùs exactam Aristotelis, non autem secundùm modernam specierum qualitatis distinctionem. De illa autem *num.* 14. præmiserat:

Mens Scoti declaratur. *Secundùm veritatem illa divisio qualitatis in quatuor species non est propriè generis in species, sed est tantùm secundùm quosdam modos diversos convenientes diversis qualitatibus; & fortè eidem qualitati in se secundùm essentiam possent competere plures modi, qui ponuntur in diversis qualitatibus,* id est, qualitatum speciebus. Juxta illam itaque divisionem Character rectè vocari posset habitus, *quia de difficili mobilis* (ut ait *Scotus n.* 15.) seu difficulter mobilis est. Convenit quoque cum potentia naturali quòd etsi sit supernaturalis, tamen se habeat instar cujusdam potentiæ saltem moralis activæ aut passivæ.

75. *Subjectum Characteris, voluntas.* Dico IV. Subjectum immediatum Characteris est voluntas. Ita *Scotus d. 6. q.* 11. *num.* 4 contra *Thomistas* eum subjectantes in intellectu, & alios eum collocantes in intellectu & voluntate; ac denique contra Recentiores, quorum plerique docent eum habere essentiam animæ pro immediato subjecto.

Probatur: quia Character est quædam dispositio ad gratiam, tum ejusdem Sacramenti tamquam effectus naturâ prior & imperfectior disponens ad effectum perfectiorem ejusdem causæ; tum aliorum Sacramentorum, instar potentiæ moralis ad gratiam illorum suscipiendam vel conferendam: ergo sicut gratia, à charitate indistincta, est in voluntate, sic & Character. Deinde Character baptismalis est signum vel fundamentum specialis obligationis animæ ad Christum, ut servet ejus legem; Character Confirmationis inducit obligationem Christianæ militiæ, & quodammodo confessionis fidei; Character denique Ordinis tribuit potestatem moralem: omnis autem obligatio cadit primò & directè in voluntatem, adeòque in ea congruè ponitur obligationis signum aut fundamentum: sicut & potestas moralis operandi est in illa ut proximo subjecto.

76. *Fundamentum collocantium Characterem in essentia animæ dissolvitur.* Fundamentum aliarum Opiniorum nullam habent difficultatem. Nec juvat Recentiores, quòd Character non sit activus, adeòque videatur non debere recipi in potentiis, quæ sunt instrumenta ad operandum, sed in essentia animæ, quam perficit. Respondetur enim sufficienter perficere animam mediante voluntate, cui inhæret; præsertim cùm voluntas juxta veriorem doctrinam animæ identificetur. Et licèt Character non ordinetur ad operandum, ordinatur tamen ad gratiam, quæ est operandi principium. Deinde ipse Character moraliter aliquid agere videtur; quatenus v. g. movet Angelos, ut specialem habeant curam illuminandi & custodiendi eo insignitos, ipsumque Deum ad dandam illuminationem & gratias actuales.

77. *Character est in hac vita omnino indelebilis:* Dico V. Character est indelebilis in hac vita, immo & in futura vita. Prima pars est certa ex Conciliis, *Florentino & Tridentino* suprà, simpliciter definientibus Cha-

racterem esse signum indelebile: quod ad minus debet intelligi pro hac vita. Idem etiam ostenditur à posteriori ex eo, quòd Sacramenta imprimentia Characterem nequeant iterari; cujus ratio est indelebilitas Characteris juxta Concilia suprà & Doctores. Denique à priori probatur ex eo, quòd Character à solo Deo dependeat in fieri & conservari, nec habeat contrarium à quo possit expelli.

78. *Immo & in altera.* Secunda pars etsi non sit à Conciliis definita, docetur tamen communiter à Theologis cum *D. Thoma q. 63. art. 5. Scoto d. 6. q. 9. num. 19. & 20.* Probatur in primis à posteriori: quia Christianus vel Sacerdos qui post mortem miraculosè reviviscceret, non iterum baptizaretur aut ordinaretur; quod signum est Characterem post mortem manere. Quàmvis id non videatur omnino efficax: eò quòd fortè quis respondere posset, in tali casu specialiter Characterem relinqui, aut certè reproduci: sicut etsi moriens extra statum gratiæ regulariter mox amittat habitum supernaturalem fidei, constat tamen relinqui aut reproduci in eo qui resuscitatur; cùm hic omnino videatur suscitari cum habitu supernaturali fidei præhabito.

Deinde suadetur: quia post hanc vitam non habet Character contrarium, à quo expellatur: illud enim foret peccatum, per quod tamen demeritoriè non expellitur, utì gratia; immo in ipso etiam actu mortaliter peccaminoso, v. g. sacrilegâ Sacramenti susceptione, imprimitur, ac nequidem per peccatum apostasiæ deletur.

79. *Aliud quoad hoc est de fide ceterisq; donis gratiæ.* Dices: Character saltem non manet in damnatis, utì nec fides & alia dona supernaturalia. Resp. Characterem manere; cùm ex se sit indelebilis: secùs quàm fides & alia dona, quæ cùm demeritoriè possint etiam in hac vita deleri, potiori jure auferentur à damnatis. Deinde dona ista tendunt principaliter ad operationes, quæ damnatis sunt impossibiles. Denique per se inchoant, & disponunt ad justitiam ac amicitiam Dei, damnatis nullatenus convenientem. At Character etsi secundariò, nec ita propriè, disponat suo modo ad gratiam, principaliter tamen est in signum potestatis seu muneris accepti, quod in familia Christi exercuit sive baptizatus, sive confirmatus, sive ordinatus. Unde manente fine principali, manet, Beatis quidem ad gloriam seu decorem aliqualem, damnatis autem ad confusionem; ut rectè *D. Bonav. d. 6. p. 1. art. 1. q. 5. ad 4.* Quemadmodum insigne militare magni ducis iis qui strenuè pugnarunt est ad gloriam, etiam tempore pacis; ignavis autem vel desertoribus ad ignominiam.

80. *Qui potest Character* Sed restat scrupulus, quomodo Character cedet damnatis ad opprobrium: cùm neque ipsi illum in se, neque alii in ipsis illum videre possint: eò quòd Character, veluti forma supernaturalis, non possit viribus naturæ cognosci; non sit autem verisimile Deum specialiter elevare potentiam damnatorum ad eliciendam notitiam supernaturalem. Resp. in primis posse creari damnatis confusionem ex hoc quòd sciant se à beatis videri tamquam insignitos signo Christi. Deinde forma supernaturalis potest actu naturali videri juxta dicta in materia de Angelis, adeòque potest Character videri à dæmonibus & animabus damnatorum, & ab his post resumpta corpora abstractivè cognosci, aut fortè intuitivè divinâ ordinatione. Immo dato, quòd formæ supernaturales nequeant naturaliter videri, adhuc non apparet improbabile *Præpositio q. 63. num. 25.* Deum ad majorem damnatorum cruciatum peculiariter concurrere, ut Characterem videant. Adde, quòd *Arragia d. 17. num. 28.* putet non esse plane certum, quòd Character sit forma supernaturalis: cùm tam illa, quàm naturalis aliqua & spiritualis qualitas potuisset ad id muneris ex institutione assumi. Quàmvis communiter & rectè id supponatur, veluti congruens Ordini gratiæ, ad quem spectat Character; qui insuper à solo Deo est producibilis.

QUÆSTIO VII.

An Remissio venialium sit effectus Sacramentorum?

NON dubitant Theologi, quin in quatuor saltem Sacramentis peccata venialia remittantur, scilicet per Baptismum, Confessionem, Eucharistiam & Extremam Unctionem; quod quâ ratione verum sit, agendo de singulis in particulari patebit.

De aliis verò tribus Sacramentis, Confirmatione, Ordine & Matrimonio non est res adeò explorata. Quàmvis communior opinio Theologorum affirmet: eò quòd remissio venialium sit maximè consona & proportionata his Sacramentis, veluti vivorum & amicorum Dei, ut ex vi ipsorum non tantùm crescat amicitia, sed etiam auferantur leviores offensæ inter amicos compossibiles. Alia autem ratione, sive ex natura Sacramentorum, sive ex aliqua doctrina revelatâ quis eam desumere tentet, non potest hæc opinio efficaciter probari.

Habet etiam eadem doctrina difficultatem, quòd gratia habitualis, quæ per hæc Sacramenta confertur, non habeat oppositionem cum peccatis venialibus, immo consistat cum actuali eorumdem complacentiâ; cùm tamen venialia non tollantur, nisi per aliquid cum eis incompossibile. Nec dici potest incompossibilem cum illis esse extrinsecam condonationem Dei, quâ remittun-

mittuntur: nam hæc condonatio præsupponit juxta communem regulam aliquem actum saltem virtualiter retractativum culpæ commissæ ex parte ipsius hominis: quidquid *Suarez* existimet venialia remitti per Sacramentum, etsi non adsit alia dispositio, quàm quòd suscipiatur sine actuali complacentia peccati venialis, cum sola voluntate seu desiderio suscipiendi Sacramentum & effectum ejus. Quòd desiderium tamen nisi sit tale, ut virtualiter sit incompossibile cum culpa veniali, omnino non sufficit. Aliàs etiam ferè semper liberarentur homines in susceptione alicujus Sacramenti ab omnibus omnino venialibus: cùm remitterentur omnia, quibus actu non est affectus, etiam sine ulla displicentiâ prævia: uti ordinariè seu plerumque non habent in ipsa susceptione actualem affectum erga aliquod peccatum. Deinde nequidem in Sacramento Pœnitentiæ remittuntur venialia sine displicentia eorumdem.

Responsio Suarez dijudicatur.

Quòd resuscitare remota difficultate præsentem doctrinam.

Quòd si verò cum communi doctrina exigatur retractatio, saltem virtualis, peccati venialis per Sacramenta remittendi, adhuc difficultas restat: eò quòd per hujusmodi retractationem antecedenter ad susceptionem Sacramenti jam remissa sint omnia venialia, ad quæ se extenderit in homine justo, juxta doctrinam multorum valdè probabilem, ut patet ex dictis in *Tract. de Gratia d. 5. q. 7.*

83. *Ad quam Responderetur Primò.*

Ad hanc nihilominus difficultatem responderi posset probabilem quoque esse alteram sententiam, quæ putat nequidem attritionem sine Sacramento sufficere ad remissionem venialium. Hoc autem posito, possent per Sacramenta remitti immediatè venialia, interveniente retractatione, saltem virtuali, quæ alioquin se solâ non suffeciset.

Aliter adhuc respondet Cardinalis Lugo, non omnia venialia, etiam ad quæ se extenderit displicentia, necessariò remitti per Sacramenta, sed interdum nonnulla relinqui juxta regulam ordinationis divinæ. In quo nulla est impossibilitas: quàmvis de ipso facto non adsit nisi conjectura. Idem Auctor consequenter censet, quòd etsi ex natura rei non sit necesse collationi gratiæ jungi remissionem venialium, sit tamen valdè consentaneum legibus amicitiæ, ut quoties aliquis admittitur ad novum complexum & arctius amicitiæ vinculum, condonentur offensæ leves, vel omnes, vel ex parte: ac proinde cùm quævis collatio gratiæ sit novum amicitiæ vinculum &c. congruum censet, ut afferat secum condonationem aliquam, si non integram, saltem partialem, offensarum levium, quarum est retractatio. Ex qua tamen congruentia nil certi determinari potest. *Altera Responsio Lugo.*

Præterea admisso, quòd per quamvis retractationem dimittantur justo omnia venialia ad quæ se extendit, adhuc posset esse locus remissioni, saltem mediatæ peccatorum venialium per Sacramenta, quatenus per hæc ex opere operato confertur gratia actualis, opportuna eliciendis piis motibus, quibus deinde venialia immediatè deleantur. Quâmvis hic remissionis modus non vertatur hoc loco in controversiam. Deinde locus immediatæ remissioni adhuc esset in casu, quo per accidens hæc Sacramenta causarent primam gratiam: ante quam venialia etiam retractata non remittuntur peccatori. Quòd si nihil horum placeat, dicendum foret, non per omnia Sacramenta remitti immediatè culpas venia- 84. *Tertia Responsio.*
les.

DISPUTATIO QUINTA.

De Institutione & Essentia Sacramenti Baptismi.

1. *Baptismus generaliter idem quod ablutio, interdum significat effusionem.*

Baptismus nomen græcum, etsi in sacris Litteris frequenter omne ablutionis genus significet; & aliquando ad aquas passionis seu afflictionis significandas translatum sit, ut cùm Christus *Lucæ* 12. inquit: *Baptismo habeo baptizari*; Tamen apud Ecclesiasticos Scriptores eam corporis ablutionem declarat, quæ cum Sacramento conjungitur, nec sine præscripta verborum forma ministratur. In qua quidem significatione Christus & Apostoli ex Christi instituto plerumque voce baptismatis seu baptizationis usi sunt, ut passim ex Evangelio & Actibus atque Epistolis Apostolicis est manifestum.

Ut sumio contra primo Sacram.

Ob varias utilitates Baptismi hoc modo sumpti varia alia ei conveniunt nomina. Nam partim in Scriptura, partim à Patribus vocatur Expurgatio, Circumcisio non manufacta, Aqua salutaris, Lavacrum vitale, Fons aquæ vitalis, Sacramentum fidei, Sacramentum regenerationis, Diluvium peccatorum, Signaculum Christianorum, Sacramentum illuminationis. Quorum omnium nominum rationes assignare non erit difficile, attentis materiâ & formâ ac effectibus hujus Sacramenti, cum quibusdam ceremonialibus, quæ comitantur. Vide *Suarez q. 66. art. 1. Vasquez d. 140. c. 1.* *Varia sortitur nomina.*

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An Baptismus sit Sacramentum, quomodo definiatur, & quando sit institutus?

2. *Est verum Sacramentum.*

DICO I. Baptismus est verum Sacramentum. Conclusio est definita in *Florentino*, *Tridentino* & alibi, recepta ab Hæreticis: manifesta ex Scripturis *ad Titum* 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Et aliis locis. In quibus cùm Scriptura tribuat Baptismo efficaciam salvandi, & ad regnum cælorum admittendi, manifestè docet eum esse collativum gratiæ sanctificantis ex opere operato, per quam solam salvamur & in regnum Dei introimus.

Patet ex Scriptura, Concilio, Patribus & perpetuo sensu Ecclesia.

Conclusio est etiam firmata perpetuo usu Ecclesiæ, roborata infinitâ Patrum auctoritate, quorum aliqui plures de hac re libros scripserunt, ut *Augustinus* & *Basilius*; adeò ut hæc veritas potiùs ab Auctoribus supponatur, quàm de ea disputetur. Unde *Scotus d. 3. q. 4. n. 2.* ait: *Quæstio supponit Baptismum institutum fuisse in Lege nova, quod verum est & rationabile.*

Congruentia adfertur ex Scoto.

Idem infrà *num.* 3. adfert congruentiam: quia Sacramentem principale Legis Evangelicæ, per quod scilicet intratur in ejus observantiam, debuit esse novum & proprium illi Legi: debuit etiam illud Sacramentum esse evidens in significatione, quia ista est lex veritatis evacuans umbram: & debuit esse copiosum in gratiæ collatione, quia hæc est lex gratiæ *Joan. 1. Gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Debuit etiam esse facile, quia *jugum* Christi *suave est & onus ejus leve*, *Matth. 11.* Item debuit esse commune: quia Deus ad Legem Moysi elegit unum populum tantùm, sed ad Legem novam totum mundum. *In omnem terram exivit sonus eorum &c. Psal. 18.* Hæc quatuor inveniuntur in uno, scilicet in ablutione cum verbis: quia hoc evidenter significat emundationem animæ, quæ est effectus principaliter, & dat gratiam copiosè. Unde in *Psalmo 22. Super aquam refectionis educavit me.* Et est facilis: quia nullo modo periculosa, sicut fuit circumcisio; & communis omni sexui & ætati. Hactenus *Scotus.*

3. *Baptismi definitio varia.*

DICO II. Baptismus rectè definitur à *Catechismo Romano Tit. de Baptismo* §. *Quod ad rei*: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Quæ definitio est desumpta ex *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Ad Ephes. 5. Mundans eam lavacro aquæ in verbo.* Et *ad Titum 3. Per lavacrum regenerationis. Magister 4. dist. 3.* & *D. Thomas q. 66. art. 1.* definiunt hoc modo: *Abultio corporis exterior, facta sub forma præscriptâ verborum.* Quæ definitio hoc modo rectè explicatur, quòd sit *Sacramentum per ablutionem aquæ & expressam sanctissimæ Trinitatis invocationem regenerativum hominis cum plena omnis peccati remissione*: vel prout exponit *Scotus q. 1. n. 3.* dicens, quòd Baptismus sit *Sacramentum ablutionis animæ à peccato consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis.* Ubi breviter & pulchrè omnia essentialia insinuat.

DICO III. Christus instituit Baptismum ante suam passionem. Ita cum *Augustino Tract. 15. in Joan.* docet *Magister sup. D. Bonav. ibidem p. 2. art. 1. q. 1. ad 5. Scotus* similiter *ibidem q. 4. num. 2. & 8. D. Thomas q. 66. art. 2.* & alii communiter contra nonnullos antiquos, inter quos refertur *Alexander Alensis*, *Albertus*, *Maironus*: quibus patrocinatur *Tertullianus*, *Chrysostomus*, *Theophylactus*, *Rupertus*; & favet etiam *Leo Papa Epist. 4. c. 3.* Ob quorum auctoritatem non ausim istam opinionem velut aliquâ notâ dignam taxare; etsi erroris eam arguat *Maldonatus in cap. 3. Joannis.*

Probatur I. quia Christus ante passionem baptizavit per discipulos, ut habetur *Joan. 3. & 4. Quamquam* (ut additur *cap. 4.*) *Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*: ille autem baptismus non erat Joannis, sed Christi. Quod colligitur, tum ex eo, quòd dicatur Christus baptizasse, baptizantibus discipulis; utique quia his id facientibus nomine & baptismo Christi, hîc erat qui baptizabat. Tum quia mox post relatum discursum Christi cum Nicodemo *Joan. 3.* in quo dixerat, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c.* subditur Christum ad se venientes baptizasse, & quidem aggregatis jam discipulis, cœptâque Ecclesiæ suæ formatione. Tum quia paulò antè Joannes turbis prædixerat efficaciorem suo instare Baptismum, Christi scilicet; de quo dixerat *Joan. 1. Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Quilibet igitur videns Christum per suos baptizantem, indubitanter debebat apprehendere, illum esse Baptismum à Joanne prænuntiatum. Tum quia non est credibile neque conveniens, sive quod Christus, qui baptizaturus erat in Spiritu & veritate, uteretur egenâ ceremoniâ à Joanne institutâ, quasi discipulus ejus; præsertim cùm nec ipsi Joannis discipuli, sed solus Joannes eâ ipse usus fuisse legatur: sive etiam quòd denuò ipse Christus pro brevi tempore, jam inchoatâ novâ Ecclesiâ, similem egenam ceremoniam instituerit, & per discipulos suos usurparet.

Probatur II. quia Christus ante suam passionem in ultima cœna Apostolis dedit Eucharistiam, ut patet ex Evangelistis; item Ordinem Sacerdotii; ut clarè patet ex *Trid. sess. 22. c. 1.* & *can. 2.* Quod non est credendum feciisse Christum, iis necdum baptizatis,

tis, adeòque Baptismo necdum instituto: cùm hic juxta legem ordinatam sit janua ad reliqua Sacramenta eorumq́, effectus percipiendos; de dispensatione autem non constet. Immò non est improbabilis quorumdam conjectura Christum propriis manibus à principio baptizasse præter Matrem suam & B. Petrum, fortè & ceteros Apostolos, præsertim Andream ac filios Zebedæi; quos tamen à Petro, & ab his reliquos Apostolos baptizatos alii conjectant. Quod autem *Joan.* 4. dicitur Jesum non baptizasse, intellige communiter & publicè. Aut certè, quòd etsi antea interdum per se baptizasset, non tamen postea, seu alio tempore, de quo *Joan.* 4 Unde *Aug. Epist.* 108 ait: *Tunc ergo quando ab Hierosolymis exiit cum discipulis suis in Judæam terram, & illic morabatur cum eis, baptizabat non per se ipsum sed per discipulos suos, quos intelligimus jam fuisse baptizatos ..... Neque enim ministerio baptizandi defuit, ut haberet baptizatos servos, per quos ceteros baptizaret &c.*

An per se ipsum aliquos baptizarit.

6. Nec obstat I. quòd *Joan* 7. dicatur: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* Nam loquitur Scriptura tantùm de solemni & visibili Spiritus datione, quæ futura erat in Pentecoste; non autem de invisibili & privatâ, quam constat sæpiùs antè contigisse, v. g. Magdalenæ, Apostolis, & quotquot erant priùs justificati. Deinde gratiam Spiritûs sancti etiam Apostolos ante passionem recepisse per sumptionem Eucharistiæ & susceptionem Sacramenti Sacerdotii est indubitatum.

Quia sensus istius testificationis Spiritus sanctus datus non fuisse.

Non obstat II. quòd nullibi legatur Apostolis tradita forma Baptismi, nisi post passionem. *Matth. ult Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Potuit namq; Christum privatim Apostolos & discipulos docuisse formam Baptismi, cùm eos frequenter instruxerit in mysterio Trinitatis; etsi Evangelistæ id non scripserint, quibus sufficiebat scribere quod baptizassent. *Matth ult* autem, forma Baptismi antè instituta & præscripta, atque in ipsa Christi baptizatione per comparitionem sanctissimæ Trinitatis insinuata, exprimitur à Christo, qui tunc generale ferebat mandatum Apostolis & discipulis conferendi Baptismum totiq; mundo eum suscipiendi.

Ante illam fuerunt Apostoli instructi in forma Baptismi.

7. Non obstat III. *Leo Papa. Ep.* 4 *ad Episcopos Siciliæ c.* 3. dicens: *Ad cujus rei confirmationem plurimùm valet, quòd ipse Dominus Jesus Christus, postquam resurrexit à mortuis, discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, & formam & potestatem tradidit baptizandi &c. De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi propriè voluisset intelligi, regenerationis gratiam ex suâ resurrectione cœpisse.*

Explicatur S. Leo Papa.

Non obstat inquam, etiam dato, quòd S. Pontifex fuerit contrariæ opinionis, quam ibi non definit, sed ad summum allegat pro ratione, ob quam congruè statuta sit Baptismi solemnitas in Paschate & Pentecoste, non in die Epiphaniæ, in quo Episcopi Siciliæ præter Ecclesiæ morem solemnizabant Baptismum. Deinde explicari posset de forma Baptismi, quantùm ad præceptum & ordinationem baptizandi omnes Gentes: cùm anteà non ita instaret præceptum, & circa Judæos ferè Christi Apostolorumque actiones versarentur.

8. *Baptismum Christus nõ instituit antequam baptizaretur à Joanne.*

Dico IV. Christus non instituit Baptismum, antequam ipse baptizaretur à Joanne; neque etiam dum baptizabatur, sed paulò post initium suæ prædicationis. Prima pars est indubitata apud omnes: quia antequam Christus esset baptizatus, non inchoavit structuram Ecclesiæ suæ, neque officium antea prædicationis exercuit, ut constat ex *Luca* 3. & *Act.* 1 ergo neque Baptismi institutionem antea exorsus est. Ad summum Patres indicant fuisse institutum tempore quo Baptismum ipse Christus suscepit. De quorum tamen mente *num seq.* agetur.

Secunda pars est *D. Bonav. d.* 3. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 5. *Scoti eâd. dist. q.* 4. *n.* 2. *Suarez*, Co*ninck, Præpositi*, & aliorum. Probatur: quia Christus non instituit tunc Baptismum in actu exercito ipsum suscipiendo: nam ille non fuit Baptismus Christi, id est, in forma Christi; sed Baptismus Joannis, seu à Joanne frequentatus. Neque in actu signato, per alium ritum aut signum voluntatem suam significando: hujus enim rei nullum exstat vestigium seu fundamentum. Et in oppositum est, quòd Sacramentorum institutio sit actus personæ communis & legislatoris; quam Christus in suo Baptismo non sustinuit, sed privatam potiùs & pœnitentis. Esto interiùs tunc habuerit voluntatem (quam etiam antea habere potuit) instituendi brevi Baptismum in aqua & Spiritu sancto.

Neque tunc, quando à Ioanne baptizabatur.

9. *Quamvis aquas tunc suo attactu sanctificaverit, & Baptismum novum quodammodò designaverit.*

Nihilominùs Christus in isto baptismate ad vivum expressit Baptismum à se instituendum, quoad materiam quidem, per ablutionem externam corporis, quam in se admisit: quoad formam verò sive invocationem Trinitatis, per apparitionem trium personarum, Patris in voce, Filii in humanitate, Spiritus sancti in specie columbæ, promeruitque tunc suâ humilitate, ut Baptismus à se instituendus haberet vim sanctificandi; & suo attactu aquas moraliter consecravit, ut vas non consecratum attactu sanguinis Christi consecratur. Et hoc volunt Patres citati à *Vasquez d.* 140. *c.* 6. dum dicunt Christum aquas Jordanis sanctificasse seu mundasse suo Baptismo, easque jus Baptismi induisse, sive eis Christum vim regenerandi indidisse, ad Baptismum eas scilicet destinando. Idque clariùs apparet ex hoc, quòd tali modo loquantur etiam illi Patres, qui existimant fuisse demum institutum

tutum Baptismum post passionem : ut patet apud *Tertullianum l. adversus Judæos c.* 8.

10. *Quem simpliciter instituit non diu post cœptam prædicationem.*

Tertia pars probatur : quia Christus cœperat baptizare, antequam Joannes esset missus in carcerem, ut habetur *Joan.* 3. ipsum autem fuisse in carcerem conjectum non diu post cœptam Christi prædicationem colligitur ex *Matth.* 4. & *Marci.* 1. ubi dicitur exinde cœpisse prædicare pœnitentiam, & vocasse Petrum & Andream de navi; quæ fuit secunda eorum vocatio. Idem satis colligitur ex contextu Evangelii Joannis : qui tamen præmittit discursum cum Nicodemo, dein subdit exercitium Baptismi Christi post primum Pascha, cœptâ prædicatione. Putant autem nonnulli esse Baptismum institutum ipso tempore colloquii cum Nicodemo. Sed (ut *Scotus sup.*) *Non est verisimile tam necessarium Sacramentum*, immo Sacramentorum & Ecclesiæ januam, *in conclavi coram privata persona institui, quæ non debuit esse præco institutionis illius* Quòd autem ibi Christus indicat necessitatem Baptismi, id facit respiciendo tempus futurum, quo Baptismi necessitas esset publicè post passionem promulgata. Quare vel ante illud colloquium, vel paulo post, quando scilicet injunxit discipulis baptizandi exercitium, sive (ut loquitur *D. Bonaventura suprà*) cùm ipse baptizare cœpit per discipulos, instituit Baptismum novæ Legis : etsi ex Evangelio præcisum aliud tempus determinari non possit.

QUÆSTIO. II.

De Materia remota Baptismi.

11. *Materia essentialis & remota Baptismi est aqua naturalis.*

DICO : Materia remota Baptismi est aqua vera & naturalis : ita definit *Florentinum in Decreto de Armenis*, & *Trid. sess. 7. can. 2. de Baptismo.* Patet etiam ex verbis Christi *Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Quæ intelligenda esse de aqua naturali, convincit verborum proprietas, perpetua Ecclesiæ traditio, & constans Patrum doctrina. Idem manifestè confirmatur ex *Act.* 8. ubi Eunuchus factâ sibi catechizatione à Philippo, dixit : *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari ?* Quare uterque descendit in aquam. Et *Act.* 10. *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos ?* Et *ad Ephes.* 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo.* Et 1. *ad Cor.* 10. Baptismus comparatur mari rubro. Et 1. *Petri.* 3. aquas diluvii. Et *Ezech.* 36. prædictum eodem fuerat : *Effundam super vos aquam mundam.*

12. *Errores Flagellantium & Iacobitarum circa materiam Baptismi.*

Conclusioni adversantur nonnulli antiqui Hæretici, qui potiùs ipsum Baptismum sustulerunt, ut notat *Vasquez d.* 141. *c.* 1. Quidam enim docebant, homines esse baptizandos in proprio sanguine, quem ipsi flagellis eliciebant ; unde & *Flagellantes* dicti sunt. Alii autem dicti *Jacobitæ*, docebant materiam Baptismi esse ignem ; unde ferro candenti imprimebant signum crucis in frontibus vel genis baptizandorum.

Nec prioribus favet illud 1. *Joan.* 5 *Hic est qui venit per aquam & sanguinem* Jesus Christus, *non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.* Nam Christus venit in seu cum aqua, quæ de latere pendentis in cruce fluxit, & sanguine, quo mundum redemit. Quòd si cum quibusdam referatur aqua ad Baptismum, jam constabit ipsam esse materiam : quàmvis omnium sensu constet, non referri similiter sanguinem ad Baptismum instar materiæ, sed velut tribuentem Baptismo efficaciam, utpote oriundam ex passione Christi.

Non favet similiter errori posteriori, quòd Joannes Baptista *Matth.* 3. dixit : *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam..... ipse* (scilicet Christus) *vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Nullus namque sanctorum Patrum aut Expositorum explicat illa verba ad sensum istorum Hæreticorum. Sed quidam per ignem intelligunt ignem judicii, sive examinis divini. Quidam ignem gehennæ futuræ, ut *Basilius l.* 5. *contra Eunomium post med.* Alii ignem purgatorium ut *Chrysostomus*, *Gregorius* & alii. Nonnulli utramque præcedentem expositionem conjungunt. Aliqui denique intelligunt tribulationem. Quibus explicationibus ut sua probabilitas relinqui, sic probabiliùs his addi potest, ibi non excludi aquam : sed cùm Joannes baptizaret in aqua tantùm, idque in pœnitentiam, sive pœnitentiæ professionem, quòd scilicet de peccatis pœnitèrent & ablutionem eorum desiderarent ; subdit Joannes Christum insuper baptizaturum in Spiritu sancto, adeòque exaggerat specialem effectum Baptismi Christi, scilicet gratiam, quæ per Spiritum sanctum & ignem significatur, quia efficaciâ suâ instar ignis consumit peccata, illuminat tenebras, accendit amore charitatis, & sursum rapit. Unde Christus *Lucæ* 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur ?* Simul tamen alluditur ad visibilem Spiritûs sancti missionem in Pentecoste in linguis igneis juxta *Hieronymum* & alios communiter. Quod etiam satis indicat ipse Christus *Act.* 1. ℣. 5.

Denique non obstat, quòd Judæus quidam in periculo vitæ constitutus in defectu aquæ curaverit se baptizari in arena, qui statim de infirmitate convaluit ; teste *Nicephoro lib.* 3. *hist. c.* 37. Resp. (quidquid sit de veritate historiæ, de qua tractat *Baronius ad annum Christi* 181.) Deum ob fervens Baptismi desiderium fecisse hoc miraculum in isto Judæo, fortè jam justificato per Baptismum flaminis seu per votum Baptismi. Alioquin Baptismum non fuisse

fuisse validum indè constat, quòd (ut in eadem historia additur) Dionysius Episcopus Alexandrinus desuper consultus judicaverit esse denuò Baptismum aquæ adhibendum.

15. Grandine ad

Ex Conclusione sequitur I. validè conferri Baptismum in aqua putei, fluminis, pluviali, resolutâ ex nive, glacie vel grandine. Similiter in aqua miraculosè productâ, quæ cum elementari foret ejusdem naturæ. Item in aquâ frigidâ, calidâ, tinctâ colore, etsi transiverit per sulphureos meatus aut cineres. Item in aqua alteri corpori permixtâ, modò non ita, ut censeatur in aliud corpus transivisse, v. g. decoctâ leviter in modico hordeo. Ob Sacramenti tamen reverentiam, nullatenus hoc est licitum extra necessitatem. Immo extra illam debet ex traditione Apostolorum & consuetudine Ecclesiæ adhiberi aqua chrismate permixta & benedicta, quæ ad hoc asservatur in fonte baptismali; vel in ejus defectum, in aqua benedicendâ juxta præscriptum *Ritualis Romani*. Estque ad hoc obligatio gravis: quàmvis ob levitatem materiæ Quidam apud *Diana p. 9. Tract. 6. resol. 33.* existiment obligationem esse levem. Immo si sic benedicta commodè haberi potest, adhibenda etiam est in Baptismo non solemni: in quo tamen juxta *Præpositum q. 71. art. 4. dub. 1.* non videtur magnus scrupulus faciendus.

16. Varii humores recensentur, in quibus invalidè confertur Baptismus.

Sequitur II. invalidè conferri Sacramentum in cerevisia aut jusculo bene decoctis, sudore, lacte, urinâ, lacrymis, sputo seu salivâ (de qua habetur c. *Non ut apponeres, de Baptismo*) phlegmate (de quo habetur c. *In quadam nostra, De celebratione Missarum*) aquâ rosaceâ, aut ex aliis herbis distillatâ, & similibus: quia non sunt aqua elementaris sive naturalis. Secùs est, de sudore marmoris vel parietum temporis pluvioso; qui planè est aqua naturalis.

Materia dubia seu non certa, quomodo adhibenda.

Si sit materia dubia & certa adhiberi nequit, potest & debet in necessitate usurpari; idque, dum ante factum dubitatur, sub conditione, si valida sit: deinde postea, habitâ materiâ certiori, debet Baptismus sub conditione reiterari. Ad materiam dubiam revocatur illa, de cujus valore sunt dissentientes Doctorum opiniones. Prout sunt v. g. de succo seu humore stillante ex vitibus & aliis arboribus: qui probabiliter tantùm est aqua naturalis, cùm Plerique id negent. Varii nihilominus affirmant, hanc specialiter conjecturam allegantes, quòd ista stillatio maximè contingat tempore veris, quo virtus concoctiva arborum est debilitata à præcedenti frigore, & trahitur plurimus humor ob indigentiam restaurationis; qui postea effluit, cùm non possit concoqui. Idem est de sale resoluto, quod *Bonacina, Præpositus* & alii putant esse sufficientem materiam, veluti veram aquam. Alii autem negant esse ejusdem speciei & statûs, saltem moraliter, cum aqua naturali. Et quàmvis ex aqua salsa conficiatur, non ob hoc in illo formaliter aqua remanet, ut propterea in eam rursum resolvatur; sed videtur aliis potius esse quoddam mixtum ex speciali succo concretum, quale est saccarum.

Sale resoluto non valet.

Generaliter autem in necessitate sufficit in alterius defectu adhiberi materiam, quam non sit certum, non esse aquam, seu de qua dicere quis possit, fortè est aqua: necessitate, & adjunctâ seu mente retentâ conditione, abstergente periculum irreverentiæ. Quare etiam Nonnulli apud *Coninck quæst. 66. art. 4. dub. 1.* censent tunc posse adhiberi aquam rosaceam, aut ex aliis herbis distillatam, aut etiam cerevisiam. Et rectè, si & de his aliqualiter dubitari posset, an censeri verè possint aqua usualis seu naturalis. De quo certè rationem dubitandi non video. Et aliundè ex communi sensu videtur indubitatũ, non valere Baptismum Hæreticorum in aqua rosacea collatum, adeòque sine conditione repetendum; qui tamen aliàs valeret etiam extra necessitatem sic collatus, posito dubio præfato ejusque veritate.

17. *Regula Generalis.*

An aquà rosacea censenda sit materia dubia.

QUÆSTIO III.

De Materia proxima Baptismi.

18. *Materia proxima Baptismi, ablutio.*

DICO: Materia proxima Baptismi est ablutio. Ita communiter Theologi cum *Scoto dist. 3. q. 3. num. 2.* Ratio est: quia illa est materia proxima, quæ proximè determinatur à forma, seu (ut loquitur *Scotus*) quæ cum verbis tamquam signum proximum significat effectum Baptismi: hoc autem locum habet non in aqua, sed in ablutione.

19. *Quid hoc nomine prius intelligatur.*

Hinc sequitur I. glaciem & nivem, etsi non differant specie ab aqua naturali, non posse esse materiam Baptismi: quamdiu enim non resolvuntur, non potest in iis fieri ablutio: hæc namque dicit motum materiæ liquidæ circa corpus abluendum, sive per applicationem aquæ ad corpus, ut fit in infusione, sive per applicationem corporis ad aquam, ut fit in immersione: idque sive abstergantur aliquæ sordes, sive non. Nam ablutio hîc non distinguitur contra lotionem, nec includit amotionem sordium à corpore, ut optimè *Scotus sup.* moraliter enim & essentialiter dicitur quis lavari, cujus corpori activè applicatur aqua; depositio autem sordium potiùs est accidentalis effectus lotionis.

Resolutio nivis fieri debet, priusquam recipiatur in corpore bap-

Pro majori autem securitate, immo juxta multos etiam necessariò pro valore Baptismi, debet resolutio glaciei sive nivis fieri, dum adhuc subest manui baptizantis, vel applicationi, antequam recipiatur in corpore baptizati, sic ut ex manu

tizati; incertum, an ad valorem id necessarium.

baptizantis stillæ dimittantur in corpus baptizandi ; quia aliàs non satis apparet, ipsum adhibere materiam ablutioni aptam, vel propriè abluere, sed alium potiùs abluere se ipsum, si demum fiat resolutio in alterius corpore. Hoc tamen non est certum ; & à Varijs negatur.

20. *Quantitas aquæ quæ requiratur.*

Sequitur II. tantum aquæ debere contingere corpus baptizandi, ut ipse moraliter censeatur ablutus ; ad quod tamen non requiritur magna aquæ quantitas. Ita omnes Theologi. Immo *Vasquez d.* 145 *num* 32. cum aliis putat quamcumque stillam sufficere. Quod tamen negant plures alii, ut videre est apud *Bonacina d.* 2 *q.* 2. *pu.* 3. *num.* 18. ut proinde res sit planè dubia.

21. *Qualis pars corporis sit abluenda.*

Sequitur III. eam corporis partem esse abluendam, à qua homo denominetur verè ablutus. Quænam autem sit talis pars, controvertitur inter Doctores. Constat quidem sufficere caput, pectus vel humeros. Sed multi negant sufficere pedes vel manus, & multò minùs reliquas partes minores, v. g. digitum. *Vasquez sup. num.* 28. cum quibusdam aliis putat sufficere quamcumque minimam partem : sicut enim vulnus in ea acceptum aliquem denominat vulneratum ; sic à lotione in ea acceptâ rectè dicitur lotus, & clariùs, aquâ aspersus. Ad hanc siquidem denominationem non requiritur, ut sumatur à majori parte : quàmvis enim id requiratur in qualitatibus habentibus contrarium, quorum alterum inest subjecto, in quantùm non inest qualitas repugnans, v. g. in albedine &c. secùs tamen est, quando denominatio sumitur ab actione, quæ circa aliquem exercetur, v. g. quando quis dicitur verberari, maculari &c. Et sanè constat sufficere in præsenti ablutionem capitis, etsi ipsum non sit pars major corporis. Prout etiam quis dicitur simpliciter inungi chrismate in Confirmatione, etsi parva pars frontis à chrismate attingatur.

Minimam partem sufficere ad valorem est verisimile.

22. *Equidem extra necessitatem est abluendum caput.*

Nihilominus etsi hoc speculativè sit satis probabile, in re tamen tanti momenti tutior pars est eligenda. Unde si nihil obstet, semper abluendum est caput, ut monet *D. Thomas quæst.* 66. *art.* 7. *ad* 3. tum ob antiquæ Ecclesiæ consuetudinem : tum quia caput est præcipuum hominis membrum, in quo vigent omnes sensus, tam externi, quàm interni. Quòd si infirmitas parvuli, aut alia causa ablutionem capitis non ferat, abluendum est pectus vel humeri. Si autem non posset in aliqua ex dictis partibus baptizari, esset baptizandus in quavis parte, etiam digito aut aliâ minimâ. Quod respondisse quoque fertur *Innocentius IV.* ut refert *Amicus d.* 11. *sect.* 2. Postea tamen ob incertitudinem esset talis rebaptizandus sub conditione in alia parte certiori, qualis semper est præeligenda, quantum est possibile. Ita *Scotus dist.* 4. *q.* 3. *num.* 3. *D. Thomas* & alii communiter.

In necessitate etiam pars minima.

Sequitur IV. aquam debere immediatè tangere corpus ; aliàs enim non esset vera corporis ablutio. Unde parvulus utero matris conclusus aut corio insutus, ut nullâ ratione possit ab aqua tangi, non posset baptizari. Similiter non valeret Baptismus si aqua tantùm attingeret vestes baptizandi. Ita omnes Theologi. An autem valeret, si soli capilli madefierent, vel solæ secundinæ quibus puer involutus esset, valde incertum est. Affirmat equidem *Vasquez sup. num.* 31. *Coninck* & alii ; eò quòd ista censeantur pars prolis. Quod adhuc de capillis est magis verosimile, qui sunt pars ornans hominis, quàm de secundinis, aut galeâ quam vocant nativitatis ; cùm hæc pellicula non tam videatur pars quàm amictus seu tegumentum corporis in utero clausi. Quidquid sit propter dubium non licet sic baptizare extra necessitatem, taliterque baptizatus esset sub conditione rebaptizandus. Et si antea moriatur, esset ob baptismum saltem dubium in loco sacro sepeliendus.

Sequitur V. ad valorem Baptismi esse indifferens, sive corpus aquæ immergatur, sive eâ aspergatur, sive aqua corpori infundatur. Ita *D. Thomas quæst.* 66. *art.* 7. & omnes Scholastici teste *Vasquez supra num.* 10. Idem tradit *Rituale Romanum tit. de forma Baptismi*, etsi præferat immersionem capitis in aquam, vel infusionem aquæ in caput baptizandi, retinendam pro consuetudine Ecclesiarum. Ratio est : quia utroque modo potest homo sufficienter dici ablutus. Similiter ad valorem est indifferens, utrùm adhibeatur trina vel una tantùm immersio seu infusio : cùm etiam unica sufficiat ad denominandum hominem ablutum. Patet hoc quoque ex consuetudine Ecclesiæ, quæ ob diversas rationes occurrentes modò unicam immersionem, modò trinam adhibuit, juxta *Gregor. lib.* 1. *Ep.* 41. & refertur c. *De trina dist.* 4. *de Consecrat.* Et *Toletanum IV. c.* 5. (ut refertur c. *Propter* 85. *de Consecr. d.* 4.) statuit simplam seu unicam mersionem ob hæresim Arianorum, qui trinâ mersione profitebantur trinitatem seu multiplicitatem naturarum.

Nec obstat *Canon.* 50. *Apostolorum* & c. *Multi sunt dist.* 4. *de Consecr.* ubi strictissimè præcipitur trinæ mersionis adhibitio. Item multi Patres asserunt trinam mersionem esse Apostolicam traditionem. Immo c. *Multi sunt* dicitur : *Evangelicum præceptum, ipso Deo & Domino nostro Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis trinâ etiam mersione sanctum Baptisma unicuique tribuere.* Non obstat inquam ; nam ex his non plus sequitur, quàm quòd

quòd trina mersio (sub qua intelligi posset quælibet ablutio) ab Apostolis aut Pontificibus fuerit præcepta ob certas rationes. Immo iisdem locis ratio talis præcepti additur, ne videlicet Baptismus videretur dari tantummodò in nomine Christi aut morte Christi (ut quidam Hæretici tunc contendebant) sed in nomine Trinitatis. Quod autem vocetur *Evangelicum præceptum ipso Deo ac Domino nostro tradente*; hoc ad expressionem Trinitatis, de qua Evangelium admonet, est referendum; qui valdè conveniens est trina mersio, & ex præcepto Ecclesiæ tunc necessaria. Idque patet ex ratione mox subnexâ: *Dicente Domino discipulis suis: Ite, baptizate omnes Gentes in nomine Patris &c.* Alioquin nullum legitur præceptum Evangelicum de trina mersione. Unde idem *Pelagius* c. *Si ne vera* 30 *eâdem dist.* (quod juxta ordinem contextûs videtur sequi post c. *Multi sunt*; uti ad hujus calcem notatur) solùm requirit, ut sint baptizati in nomine Trinitatis; quòd si constiterit, declarat (nullâ trinæ mersionis conditione appositâ) admittendos esse ad Ecclesiam absque alio Baptismo, *ut tali dispositione servatâ, nihil aliter, quàm quod Evangelica jubet auctoritas, temeritatis cujusquam spiritu videatur effectum.* Quare *Glossa* in c. *Si quis presbyter* 79. *eâdem dist.* ait: Aliud est semel immergi sub illa verborum forma *Baptizote in mortem Domini*; quod interdicitur: aliud in nomine Trinitatis, hoc est Patris & Filii & Spiritus sancti unicâ mersione; quod in Ecclesia quibusdam permittitur.

Cur in Eunomii damnata fit una mersio.

Dum autem Scriptores Orthodoxi leguntur invecti in *Eunomium*, quòd unicam tantùm mersionem adhiberet, hoc ideo fecerunt, quòd *Eunomius* id ageret in odium mysterii Trinitatis, cujus adeò infensus fuit hostis, ut quælibet etiam signa quibus illa repræsentaretur amoverit, nempe trinam immersionem in Baptismo fieri consuetam, ut testatur *Theodoretus lib. 4. hæretic. Fabul.* Unde idem quoque Anabaptismum introduxit, rebaptizando scilicet eos qui in nomine Sanctissimæ Trinitatis baptizati essent, teste *Epiphanio hæresi* 75.

26. Extremum hanc sub gravi alicujus culpæ quo ad hæc ritum Ecclesiarum.

Nihilominus ad licitam administrationem requiritur mersio sive infusio una vel trina juxta Ecclesiarum consuetudinem; quam immutare esset grave peccatum juxta *D. Thomam quæst. 66. art. 8.* etsi *Scotus dist. 3. quæst unic. art. 8.* arbitretur non esse mortale. Et quidem his in locis usus est trinæ infusionis aquæ super caput baptizandi, sic ut prima infusio fiat, dum dicitur, *in nomine Patris*, secunda, dum dicitur, *& Filii*; tertia denique, in pronuntiando, *& spiritus sancti.* Habetque hæc trina immersio vel infusio significationem Trinitatis, ut ex *Augustino* refertur c. *Postquam* 78. *de Consecrat. dist. 4.* Addit *Gregorius lib. 1. Epist. 41.* (& refertur c. *De trina* 80. *eâd. dist.*) *triduanæ sepulturæ Sacramenta signari, ut dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur.* E contrà sicut *in tribus mersionibus personarum Trinitas*, sic *& in una potest divinitatis singularitas designari*, juxta *Gregorium sup.*

Sciendum verò quòd dum trina mersio opportuno tempore adhibetur, quælibet concurrat tamquam pars Sacramenti, & ob hoc cavet Ecclesia, ne ante tertiam ablutionem forma absolvatur, sed ut verba accommodè disponantur & proferantur. Si tamen id non fuerit factum, sed secunda & tertia sequatur totam prolationem formæ, tunc spectatâ communi intentione ministri censetur juxta Doctores communiter absolvi Sacramentum citiùs; cùm intentio censeatur esse, ut quàm primum sufficiens materia & forma est posita, ponatur Sacramentum ejusque effectus.

27. *Quælibet ablutio est pars Sacramenti, si sit prior completione formæ: Secùs si secunda vel tertia subsequatur.*

Immo juxta Doctores communiter contra *Dicastillo disp. 1 dub. 3. n. 64. & 69.* non est tunc in potestate ministri, ut etiam tertia ablutio instar partis concurrat, quantùmvis id intenderet, aut Sacramentum citiùs perfici nollet. Ratio est: quia non est in potestate ministri differre positionem Sacramenti, positâ sufficienti materiâ & formâ cum debita intentione; sed illâ positâ sequitur tamquam effectus naturalis, tum positio Sacramenti, tum positio effectûs. Quare non magìs pertinet tertia ablutio ad Sacramentum Baptismi, quando sequitur formam, quàm quarta aut sexta. Itaque vel ista intentio ministri est saltem tacitè subordinata alteri efficaciori & prævalenti, quâ minister velit absolutè facere quod Christus instituit, adeoque idem non aliter velit differre Sacramentum, quàm ex suppositione, quod (ut putat) Christus sic instituerit: & tunc confertur verum Sacramentum citius. Sicut etsi Græci ex errore putent ad consecrationem panis necessariò concurrere ly *quod pro vobis datur*, adeòque eo usque differri effectum, equidem validè & citiùs consecrant ob prævalentem communem intentionem. Vel ista particularis intentio est omnino absoluta, & prævalens communi intentioni; & tunc minister nihil faceret; nisi fortasse vellet in casu quo tertia ablutio non posset esse pars, primam potiùs & secundam ablutionem non concurrere. Quemadmodum qui intenderet consecrare, tamen omnino absolutè nollet effectum poni ante quadrantem horæ postea, nil faceret; uti & ille, qui absolvens à peccatis, non intenderet omnino dari effectum ante dictum *in nomine Patris &c.*

28. *Quantumvis id minister intenderet.* *Declaratur.*

Neque ex communi doctrina potiùs sequitur peccare ministrum, si non accuratè invigilet, ne forma ante tertiam ablutionem finiatur, quàm id sequatur ex doctrina ipsius *Dicastillo*, juxta quem etiam servatâ intentione communi ministri (quæ utique servari

29. *An peccet minister negligens in adhibenda tempestivè tertia ablutione.*

servari debet : cùm intentio restringens sit nimis dubii valoris) non differtur valor & effectus Sacramenti usque ad tertiam ablutionem subsequentem ; adeòque cum communi intentione procedens peccaret , qui præfatam accuratam solicitudinem non adhiberet. Et planè hæc verum foret , si Ecclesia ad id se strictè obligare exprimeret : quàmvis fortasse potiùs videatur exprimere suum desiderium , quàm grave aut strictum præceptum. Tali itaque casu ablutio tertia subsequens tantùm esset ceremonialis : qualis similiter tantùm est pro ea parte , quâ durat post pronuntiationem formæ, etsi pro parte fuerit antea incepta.

30. *Cur potiùs concurrat tertia ablutio præcedens, quàm sequens completam formam.*

Non obstat quoque , quòd , si ablutio tertia præcedat , concurrat tamquam pars, etsi alioquin unica sufficeret. Nam simili modo concurreret etiam quarta ablutio : quælibet enim tunc æquè determinatur à forma , & concurrit ad significationem. Sicut etiam concurrit unica ablutio multùm copiosa , etsi parcior sufficeret : Similiter forma sono vehementi prolata, etsi exiliori prolata sono sufficeret. Aliud est de ablutione subsequente : forma enim materiam sufficientem priùs positam mox determinat , & eo ipso ponitur essentia & effectus Sacramenti. Quemadmodum illa non differretur , quidquid minister intenderet, si is in tertia vel ulteriori ablutione successivè continuandâ post formam pro nutu suo pergeret , vel ultimam syllabam insolito modo protraheret.

31. *Oppositæ sententia Dicastillo frustrà quærit patrocinium ex forma Absolutionis.*

Non obstat præterea , quòd etsi ad absolvendum sufficiat ly *Absolvo te* ; non tamen fiat Sacramentum ante ly *à peccatis*, quando sacerdos vult etiam hæc verba concurrere : nam esto hoc verum foret (quod tamen negat *Lugo* & plures alii in materia de Sacramento Pœnitentiæ) hoc esset ideo, quòd ly *à peccatis* significationem verbi *absolvo* ad varia vincula indeterminatam determinet ad significandam absolutionem à peccatis , quando minister intendit verbum istud sumere in sua generali significatione ; aliàs autem determinari debeat à circumstantiis. At unica ablutio cum forma plenissimam significationem habet , etsi aliqua subsequens ablutio vel alia circumstantia non consignificet. Deinde ly *à peccatis* requiritur essentialiter , saltem implicitè (sectus est de secunda vel tertia ablutione) adeòque non mirum, quòd dum additur, ipsum per se concurrat; utpote ad significationem essentialem formaliter requisitum. Alias positâ materiâ & formâ sufficienti non posse essentiam aut effectum per intentionem ministri suspendi propter additionem alicujus nec explicitè nec implicitè requisiti ad significationem essentialem Sacramenti (prout hîc fieret) patet exemplo consecrationis sanguinis , cujus effectus non potest ex intentione ministri suspendi usque dum protulerit *novi & æterni Testamenti &c.* ut habet communis sententia, à qua non dissentit ipse *Dicastillo disp. 3. de Eucharistia dub. 6.* eò quòd nimirum ista additio non spectet ad significationem essentialem transubstantiationis vini seu præsentiæ sanguinis Christi.

Non obstat denique , quòd in Extrema Unctione singulæ unctiones cum singulis formis proportionatis concurrant tamquam partes integrales. Nam hoc dato , id fieret ex institutione Christi : quæ hîc non reperitur. Quod ad rem ipsam spectat , sunt variæ sententiæ ; quarum nulla prodest speculationi *Dicastillo*. Nam primo Doctores passim censent unctiones quinque sensuum esse de essentia , adeòq; ante ultimam unctionem , aut etiam unâ omissâ, non subsistere Sacramentum , nec conferri gratiam. Quod nihil commune habet cum secunda vel tertia ablutione. Secundo Nonnulli censent singulas unctiones cum singulis formis esse partialia Sacramenta,& consequenter singulas separatim conferre necessariò singulos seu partiales effectus. Nihil autem simile est in secunda vel tertia ablutione. Cui potiùs assimilari posset unctio secundi organi , quando duplex organum sensûs, visûs , scilicet vel auditus , inungitur ex ordinatione Ecclesiæ : si enim unctio secundi organi sequatur prolationem formæ proportionatæ , consequenter non concurreret ad effectum istius partialis Sacramenti, utpote completi , juxta horum sententiam: immo nec juxta primam sententiam mox recensitam concurreret , si jam ceteræ unctiones erant adhibitæ cum suis formis. Denique Quidam putant ex Christi institutione sufficere unicam unctionem , dummodo adhiberetur unica forma adæquata, prout in materia de extrema Unctione videbitur : tunc autem positâ sufficienti unctione & hujusmodi formâ, non differretur positio Sacramenti usque ad reliquas unctiones formæ prolationem subsequentes: ùti neque juxta nostram & communem sententiam differtur in præsenti positio Sacramenti Baptismi usque ad secundam vel ulteriorem ablutionem formâ posteriorem. Hæc paulò fusiùs discutere libuit præter morem , eò quòd hactenus non viderim, qui istam *Dicastillo* speculationem ex professo discusserit seu impugnaverit.

Dubitatur præterea à Doctoribus, an valeat Baptismus , si quis cum prolatione formæ infantem submergendum projiciat in puteum vel flumen? Estque duplex opinio probabilis. Prima negat. Pro qua refertur *Antoninus , Angelus , Armilla, Tabiena, Sylvester, Vivaldus , Sotus , Henriquez , Toletus , Pitigianus*, atq; etiam *Scotus d. 4. q. 3. n. 3* Ratio est: quia non videtur Christus instituisse pro materia Sacramenti occisionem hominis, adeoq; actionem intrinsecè malam. Deinde qui aliquid in fluvium projicit animo ibi relin-

relinquendi, non tam censetur illud lavare, quàm perdere? ut si v. g. quis aliquem manibus & pedibus ligatis in mare projiceret. Quare si talis interrogatus de causa facti, responderet, se velle lavare projectum, à cunctis explooderetur. Debet igitur esse ablutio moralis & usualis, non ordinata ad mortem per se. Quàmvis si ex vera ablutione mors baptizati per accidens sequeretur (quod vix natum est fieri, quando prudenter adhibetur) valeat Baptismus, immo aliquando liceat.

34. Secunda sententia æquè probabilis affirmat

Secunda Sententia æquè probabilis affirmat, hujusmodi Baptismum esse validum. Eam tenet *Panormitanus*, *Gabriel*, *Petrus Ledesma*, *Suarez*, *Vasquez*, & Recentiores passim. Et quàmvis *Scotus sup.* videatur contrarius: alibi tamen innuit oppositum, vel saltem manet dubius, ut notat *Hugo Cavellus ibidem in Scholio*, & ad *n.* 2. *dist.* 5. *q.* 3. In qua etiam quæstione *n.* 1. *Scotus* solùm refert, quid dicatur à *Richardo* & aliis, inquiens: *Dicitur etiam, quòd talis sic projectus non esset baptizatus &c.* Similiter in *Report. ibid. n.* 8 apertè loquitur dubitativè. Ratio hujus sententiæ est: quia nihil deest tali actioni, quò minùs sit vera & physica ablutio, sive contactus aquæ ad corpus. Immo etiam est moralis ablutio: nam esto simul sit occisio, potest eadem actio sortiri duas moralitates. Quare etsi secluſis circũstantiis non diceretur quis velle talem puerum lavare, sed potiùs occidere; tamen in iis circumstantiis ab iis qui norunt eas, censebitur potiùs velle lavare quàm occidere; & hoc potiùs tantùm ex necessitate, quia aliter lavare non potest: vel quàmvis ex malitia id faceret, non obstat, quin simul velle & censeri possit, tum lavare seu baptizare, sicq; animam salvare, tum quoad corpus occidere. Quòd autem non sequatur emersio, non tollit quoque rationem veræ ablutionis: utì non tolleret, si finitâ formâ puer casu elapsus è manu baptizantis submergeretur. Addit *Dicastillo disp.* 2. *n.* 63. quòd etsi tota immersio, quâ puer occiditur, ablutio illius dici non posset, illa tamen pars, quæ ante mortem cum forma Sacramenti finitur, propriè est & dicitur ablutio ac materia Sacramenti.

Confirmatur: quia si ob debilitatem parvulus moreretur ex levi contactu aquæ, esset indubiè validè baptizatus, etsi actio ista in talibus circumstantiis sit verè occisiva parvuli. Idem esset, si per imprudentiam adhiberet minister aquam frigidam hîc & nunc verè occisivam. Cujus quoque actio talis foret intrinsecè mala, esto ob ignorantiam excusata à formali malitia. Qualis equidem ignorantia etiam subesse posset in projiciente in flumen: neque facit, quòd sit vel non sit ablutio à Christo instituta. Christus itaque instituit veram ablutionem, prohibens quidem adhiberi, non tamen invalidans actionem illicitam. Instituit, inquam simpliciter actiones ex generica ratione, sub qua cadunt sub institutionem, licitas non tamen invalidat, si per accidens inficiantur, aut simul malam moralitatem sortiantur. Ablutio verò occisiva non est mala quà ablutio, sed quà occisio; neque est instituta sub moralitate occisionis, sed sub moralitate ablutionis, cui moralitas directæ occisionis adjungitur; si tamen adjungatur. Quod addo: nam si ratio spectetur (Doctorum auctoritas contradicit) difficile apparet esse moraliter occisionem directam in casu quo parvulus certò sine Baptismo nihilominus moreretur, adeòque æternaliter periret: cùm non eligatur mors tamquam medium ad Baptismum, sed ipsa dumtaxat Baptismum consequatur; idque non certiùs quàm sequatur præcipitationem sui ex turri flagrante, quæ licita censetur ac indirecta solùm occisio si adhibeatur ad fugiendum vivicomburium.

Certius valeret Baptismus, ut admittunt etiam alii, si puer mittatur in aquam per calathum vel quid simile, dein extrahatur: quia non est necesse, ut baptizans tangat aquam, modò aqua per ipsum adhibita tangat baptizatum.

35. *Qualiter procedendũ si parvulo ex ablutione immineat detrimentum corporale.*

Quando etiam puer baptizandus periculosè ægrotat, & ablutio magnum illi detrimentum est allatura, omnis diligentia adhibenda est, ut caveatur omne corporis damum, & salutis detrimentum, v. g. ut fiat aspersione, quantitate modicâ sufficiente, & in ea parte corporis, in qua minùs nocere possit: & si oportuerit, ut aqua etiam modico calore temperetur, & statim post aspersionem abstergatur. Quæ omnia si observentur; ut servari facilè possunt, moraliter loquendo vix potest cogitari, aut fingi, quòd ex hujusmodi Baptismo augeatur mortis periculum, vel vitæ desperatio, quantumvis infans sit debilis & in ultimis constitutus. Quare nequidem in mortis periculo est Baptismus parvuli differendus, etsi aliqualis acceleratio mortis inde timeretur secutura, quod non est natum fieri, quando Baptismus prudenter applicatur, pro nihilo enim habendum foret illud detrimentum corporale, quando jam adest morale periculum mortis æternæ.

QUÆSTIO IV.

De Forma Baptismi.

36. *Hæretici recentiores formam usitatam quidem non improbant, sed multi non necessariam putant.*

FUERUNT olim varii errores de forma Baptismi, etiam circa tempora Apostolorum, ut colligitur ex *can.* 49. & 50. *Apostolorum*: sed omnes desierunt. Moderni etiam Hæretici fatentur formam usitatam Catholicorum esse bonam, sed negant esse necessariam. Unde *Lutherus lib. de Captivitate Babylonica c. De Baptismo* vult valere Baptismum quibuscumque verbis detur, modò

in nomine Domini detur, aut saltem recipiatur, si fortè minister impius det in nomine hominis. Quibus conformia docent multi alii : idque consequenter ad suum errorem, quo existimant Sacramenta non aliter prodesse suscipienti, quàm excitando fidem ; quod quibuscumque verbis fieri potest. Hinc etsi vulgò utantur formâ legitimâ ; quia tamen id minimè necessarium putant, verendum, ne quandoque sive ex proprio fastu sive ex instinctu diabolico eâ omissâ assumant illegitimam. Immo id fieri, se à viris fide dignis sæpè intellexisse refert *Coninck quæst. 66. a. 6. dub. un.*

Cautela notanda pro praxi.

n. 34. Unde diligenter inquirendum est, quâ formâ utantur, & ubi rationabile dubium occurrerit, Baptismus est sub conditione repetendus. His præmissis

37. Dico I. Legitima forma Baptismi hæc est : *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Patet ex verbis Christi *Matth. ult Baptizantes eos in nomine Patris &c.* qua satis apertè formam præscriptam indicant : adjuncto communi sensu Ecclesiæ, quæ verba illa sic perpetuò intellexit. Quare eamdem formam expressit *Florentinum in decreto de Armenis.* Eademque innuitur *c. Firmiter De summa Trin.* & alibi. Unde baptismata Hæreticorum, quâ aliâ formâ quoad substantiam usi sunt, semper fuerunt ab Ecclesia rejecta & damnata. Vide can. *Hi verò* 84 *de Consecr. dist.* 4. & *Innocentium* 1. *ep.* 22.

Assignatur forma Latinorum legitima.

38. Dico II. Non est tamen necessarium, ut persona ministri baptizantis exprimatur per pronomen *ego*, aut significetur directè per aliud vocabulum, sive explicitè sive implicitè. Patet ex forma Græcorum à *Florentino sup.* approbatâ, quæ est talis : *Baptizetur*, vel (ut habet *Euchologium Græcorum*) *baptizatur talis servus Christi in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti* ; ubi in nullo vocabulo significatur expresè vel implicitè persona ministri. Quàmvis per verbum passivum *baptizatur* sive *baptizetur*, significetur actus abluendi tamquam exercitus, adeòq; cum tacito respectu ad ministrum à quo fit. Quare sensus est : *Per istum actum meum circa istum baptizetur ille*, inquit *Scotus d.* 6. *q.* 2. *n.* 5. Quod alia Græcorum forma expressiùs denotat apud *Florentinum* suprà : *Baptizatur manibus meis talis &c.* adeòque in priori forma ex circumstantiis tacitè subintelligitur, etsi non exprimatur, respectus ad ministrum. Ut proinde quoad sensum substantialem coincidere formam Græcorum cum altera Latinorum, sit indubitatum. Diversitas autem quoad expressionem juxta *Scotum supra* orta putatur ex hoc, quòd 1. *ad Cor.* 1. referatur schisma Corinthiorum, quorum aliqui dicebant *ego sum Pauli*, alii *ego Apollo*, alii *ego Cephæ*, quos ibidem reprehendit Apostolus dicens : *Numquid in nomine Pauli baptizati estis.* Ad quod schisma & reprehensionem vitandam putantur Græci noluisse exprimere personam quæ baptizat, sed usurpasse verbum passivum *Baptizatur.*

Forma Græcorum similiter est legitima.

Dico III. Nihilominus ad valorem Sacramenti est necessarium, ut actus baptizandi sive abluendi exprimatur aliquo verbo in forma Baptismi : quod etsi ex consuetudine Ecclesiæ debeat esse verbum, *Baptizo*, ad valorem tamen sufficit aliud synonimum, ut abluo, lavo, intingo &c. Ita communiter Theologi. Et patet ex *c. Si quis de Baptismo*, ubi *Alexander Papa* determinat : *Si quis puerum immerserit in aquam dicendo : In nomine Patrîs & Filii &c. & non dixerit : Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti amen ; non est puer baptizatus.* Patet etiam ex *Florentino suprà*, ubi reddens rationem, cur forma Græcorum sit valida, ait ; *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum S. Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum* ; clarè innuens ad perfectionem Sacramenti necessariò exprimendam esse actionem ministri & invocationem sanctissimæ Trinitatis. Ratio est, ut significatio totius formæ sit expressior : si enim solùm diceretur inter abluendum : *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, non redderetur perfectus aliquis & definitus sensus. Deinde formæ Sacramentorum sunt orationes practicæ, exprimentes actu fieri quod significant ; adeòque significare debent actionem à ministro exerceri. Quamquam non referat, utrùm exprimatur per verbum activum, vel passivum, indicativi vel imperativi modi ; dummodò significetur tamquam exercitus, sive qui exercetur : prout fit in forma Græcorum. Unde si quis diceret : *Baptiza Joannem in nomine Patris &c.* nihil ageret : quandoquidem non significaret ablutionem ut actu exercitam, sed solùm imperatam, sive ut ab alio exercendam.

Adverte tamen, graviter obligare consuetudinem Latinæ Ecclesiæ, ne in ea Latinus utatur formâ Græcorum ; etsi aliquin validè uteretur. Graviùs autem peccaret utens hâc formâ, *Baptizet te Christus*, vel *Baptizeris à Christo in nomine Patris &c.* nam de illius valore insuper non satis constat, sicut constat de valore formæ Græcorum. Immo validam esse plerique negant. Quamvis difficulter id convincatur, ob hoc, quòd videri posset in ea satis exprimi actus, qui per ipsum exerceretur à ministrum ; saltem attentis circumstantiis, quæ satis indicant, quòd Christus non baptizet per se ipsum, sed per manus sive ministerium proferentis talem formam. Quare etiam Constantinus (ut refertur in ejusdem Edicto) fuit confirmatus à S. Silvestro non dissimili formâ : *Signet te Deus sigillo fidei &c.* subintellige, *manibus meis*, aut quid æquivalens. Nec refert, quòd minister

minister non possit imperare Christo dicendo, *Baptizet te Christus*. Nam etsi imperare ei nequeat tamquam superior, potest tamen imperare, id est, efficaciter velle, supposità immutabili Christi institutione, ut hîc aliquid per ipsum faciat, & hanc efficacem volitionem exprimere verbo indicativi aut etiam imperativi modi. Deinde potest imperium dirigi ad effectum Sacramenti, quem minister imperativè vult ponere. Quæ disputativè dicta, non asserta intelligi velim.

41. Requiritur expressio personæ baptizandæ.

Dico IV. Necessaria etiam est expressio personæ quæ baptizatur. Ita omnes Theologi. Et colligitur à *Scoto d. 3. q. 2. n. 7.* ex verbis Christi *Matth. ult. Baptizantes eos*; accedentè potissimùm Ecclesiæ universalis, tam Græcæ, quàm Latinæ usu. Colligitur etiam ex *c. Si quis* præcedenti conclusione relato. Congruentia est, quòd sicut ablutio debet versari circa determinatam personam, sic & forma; ne alioquin imperfecta & confusa sit formæ significatio: atqui forma non versatur circa determinatam personam, nisi ad eam dirigatur exprimendo personam; ergo &c.

Per pronomen Te aut æquivalens.

Non debet tamen exprimi formaliter per pronomen *Te*; ut patet ex forma Græcorum. Unde valeret Baptismus: *Baptizo hunc* vel *Petrum* vel *vos*, vel *vestram dominationem*; etsi tales auliticismi in collatione Sacramentorum non sint liciti. Non potest autem persona baptizanda exprimi per pronomen primæ personæ, dicendo, *Baptizo me*, quia nullus potest seipsum baptizare, ut habetur *c. Debitum, de Baptismo*; non magis quàm se ipsum possit quis generare: quandoquidem Baptismus sit quædam spiritualis generatio. Quod rectè allegatur per modum congruentiæ; etsi ratio principalis sit Christi ordinatio; qui potuisset aliter ordinare, si voluisset.

42. Objectio argumentum deficit.

Dices: Sicut in forma Græcorum sufficit personam ministri subintelligi tacitè, sic etiam videtur satis posse subintelligi persona baptizanda, dicendo v. g. *Baptizo in nomine Patris* &c. vel *hic Baptismus* seu *ablutio sit* sive *datur* (supple *tibi*) *in nomine Patris &c.* Nam actio practica, dum exprimitur, non minùs potest connotare vel tacitè significare passum, sive personam circa quam, quàm principium. Deinde sic satis exprimitur actus qui per ipsum exercetur ministrum, cum S. Trinitatis invocatione: super quo fundamento *Florentinum suprà* approbat formam Græcorum. Accedit similis forma, quâ Græci utuntur in Sactamento Confirmationis: *signaculum doni Spiritus sancti*; in qua similiter connotatur vel subintelligitur persona confirmanda: cùm tamen forma Latina æqualiter exigat expressionem personæ confirmandæ, sicut baptizandæ. Resp. ob hæc & similia satis plausibile primâ fronte videri id quod in objectione intenditur. Quod proinde etiam in hac Academia & alibi à Viris doctis in thesibus publicis propugnatum vidi. Quia nihilominus sumus in materia merè pendente ab institutione Christi, quæ nobis per traditionem & usum Ecclesiæ sensumque communem debet innotescere, ex his autem potiùs constet necessariam esse expressionem personæ baptizandæ, quàm baptizantis, non possumus ab hac ad illam argumentando discurrere. *Florentinum* autem approbat formam Græcorum super præmisso fundamento, supponens (quod erat) aliundè non subesse defectum ex parte expressionis personæ baptizandæ. Denique Græca Confirmationis forma, ut admittatur valida, non potest inde ad formam Baptismi duci argumentum, in qua, tam Græcâ, quàm Latinâ, exprimitur persona baptizanda.

43. *Exprimi debet in forma divina natura unitas.*

Dico V. Ad formæ essentiam spectat etiam expressio unitatis divinæ naturæ, ut dicendum sit: *In nomine*; non autem *In nominibus*. Est certum apud omnes. Et colligitur ex verbis Christi *Matth. ult* adjuncto sensu Ecclesiæ illa sic intelligentis. Unde *Aug. l. 3. contra Maximinum c. 22. In nomine* (inquit) *non in nominibus: hi enim tres unum sunt, & hi tres unus est Deus. Hieronymus in c. 4. ad Ephes. Non baptizamur* (inquit) *in nominibus Patris & Filii &c. sed in uno nomine, quod intelligitur Deus.* Accedit ratio: non enim minùs spectat ad primum fidei articulum & necessitatem salutis personarum unitas illiusque professio, quàm Trinitas. Dicendo autem *in nominibus*, vel intelligerentur tantùm proprietates personarum, & sic omnino taceretur unitas; vel intelligerentur perfectiones absolutæ, & sic inducerentur falsitas, nempe pluralitas naturarum.

44. *Ly* in nomine *quid importet.*

Porrò ly *in nomine*, idem valet, quod *in virtute, victoritate, divinitate, invocatione Patris & Filii &c.* adeò ut non sine invaliditatis periculo aliud vocabulum possit substitui, quod idem adæquatè significet: etsi probabiliter Varii speculativè existiment valere Baptismum datum *in virtute Patris & Filii &c.* Quod idem existimat *Vasquez*, si conferatur hoc modo: *Baptizo te in unum Deum, Patrem & Filium &c.* vel *in uno Deo, Patre & Filio &c.* Similiter dubius erit Baptismus; si ly *in nomine* repetatur dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris & in nomine Filii &c.* Quamvis enim ibi non significetur expressè naturæ pluralitas, utì nec dum dicitur: *Deus Pater, Deus Filius &c.* ideoque illum valerè existimet *Suarez* & alii: equidem ex vi sermonis non videtur satis quoque exprimi Deitatis unitas: quod tamen constat esse necessarium: ideoque illum valere negat *Bonacina* & alii. Unde propter dubium talis forma minimè est usurpanda, & si usurpata fuerit, Baptismus sub conditione repetendus. Peculiariter autem sunt hac in re in-

Non potest repeti ad singulas personas, sine periculo invaliditatis.

Cautela pro praxi.

re instruendi Christiani, qui aliquando in necessitate baptizant vernaculo sermone, ut obstetrices: quia in Flandrico idiomate videtur esse magis proclive, ut ly, *in nomine*, ter repetatur; & interdum ab ejusmodi repetitur existimantibus eò exactiùs se præstitisse officium baptizantis.

45. *Necessaria quoque est expressio trium personarum.*

Dico VI. Ad essentiam formæ similiter requiritur explicita & distincta invocatio trium personarum sanctissimæ Trinitatis. Ita communiter Theologi. Patet ex verbis Christi *Matth. ult.* quibus juxta consensum Patrum & Ecclesiæ præscribitur forma Baptismi. Quæ propterea etiam assignatur *in Florentino sup. Et Innocentius III. c. Firmiter de sum. Trinit.* dicit Baptismum consecrari ad invocationem individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Et *can.* 50. *Apostolorum* improbatur Baptismus datus in morte Christi, hâc ratione: *non enim dixit dominus, in morte mea baptizate; sed euntes docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris & Filii &c.* Quæ ratio etiam in præsenti locum habet: non enim dixit Dominus, in nomine Christi, ut unius personæ baptizare, sed, euntes, docete &c.

Probatur deinde ex *c. Si re vera* 30. *de consecr. dist.* 4. ubi *Pelagius Papa* reprobat Baptismum collatum *solummodò in nomine Domini.* Idem c. *Multi sunt* 82. *eâdem dist.* reprobat Baptismum collatum *solummodò in nomine Christi.* Et *Zacharias Papa ep.* 10. *ad S. Bonifacium* Germaniæ Apostolum in Tomis Conciliorum editis per *Binium* (cujus fragmentum refertur c. *In Synodo* 83. *eâdem dist.*) declarat Baptismum non valere *sine invocatione Trinitatis* seu (ut se explicat) *nisi in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti fuerit* quis *baptizatus*; adeò *ut qui vel unam de Trinitate personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma esse verum non posset. Quod* (inquit) *pro certo verum est.* Idem docent Patres. *Dicimus l. 2. de Spiritu sancto* non procul ab initio, & alii passim; quorum loca citat *Bellarminus l. de Bapt. c. 3.*

Ratio primaria est institutio Christi. Congruentia est, quòd Baptismus sit Sacramentum fidei, quo in Ecclesiam ingredimur: congruebat autem ut admissio in Ecclesiam fieret sub explicita invocatione trium personarum, quæ sunt primarium fidei nostræ objectum, & primum velut illius articulum statuunt.

46. *Objicitur auctoritas Nicolai Papæ.*

Dices I. *Nicolaus Papa in Responsis ad Consulta Bulgarorum c.* 104. & refertur *c. A quodam Judæo* 24. *de consecr. dist.* 4. decernit quòd *in nomine Trinitatis vel tantùm in Christi nomine baptizati, non sunt denuò baptizandi*, ergo valida est forma, etsi tantùm exprimatur nomen Christi. Resp. Neg. Cons. Pontifex enim solùm ibi intendit definire Baptismum collatum à Judæo vel Pagano esse validum; de quo solùm fuerat interrogatus, ut patet manifestè ex toto contextu *c.* 104. citati. Reliquum autem addit tantùm tanquam Doctor particularis ex propriâ sententia, in quam fuit inductus auctoritate S. *Ambrosii*, quem ibidem allegat, non recordatus, dum illa scriberet, quid olim ea *Pelagius & Zacharias* in citatis canonibus determinassent. Sic passim exponitur *Nicolaus.*

Solvitur.

Si hoc non placet, dici fortasse posset *Alterum Nicolaum*, per ly, *tantùm in Christi nomine*, non excludere personam Patris & Spiritûs sancti, sed tantùm velle, quòd Baptismus valeat, etsi loco *Filii* dicatur *Christi* sive *Jesu Christi.* Quemadmodum dum dicit valere collatum in nomine Trinitatis, intelligitur Trinitas explicitè posita in tribus personis; ut bene notat *Scotus dist.* 3. *q.* 2. *n.* 9. Et simili ferè modo posset exponi etiam *Ambrosius* & quidam alii Patres, qui in contrarium citantur. Ita *Suarez d.* 21. *sect.* 3. §. *Ad decretum.* Attamen hæc expositio apparet satis torta. Neque etiam satis constat de sufficientia formæ sic expressæ (quàmvis valere eam censeat *Bonacina* & quidam Recentiores) eò quòd in nomine Christi non videatur satis exprimi secunda persona divina quà talis. Quod dubium augetur à fortiori ex hoc, quòd vel sola mutatio nominum consuetorum in nomina Genitoris & Geniti &c. faciat formam ad minus valdè dubiam.

Rectiùs autem *Ambrosium* exponit Wiggers *q.* 66. *art.* 6. quòd nimirum quando in Scriptura aliquid uni personæ tribuitur, v. g. Baptismus collatus in nomine Jesu, non ideo velit ceteras excludi sed ad hos quoque referri, atque etiam tum fuisse impletum totum v. g. Baptismatis mysterium, scilicet sub invocatione trium personarum. Sicut etiam sub invocatione Spiritus sancti solius constat non posse valere Baptismum, & tamen similiter *Ambrosius suprà* dicit: *In spiritu quoque rectè baptizare nos posse indicat Scriptura &c.* Vide Wiggers *sup.* ubi etiam hoc modò rectè & facilius explicat *Basilium*, qui alioquin veram doctrinam satis apertè tradit *lib. de Spiritu sancto cap.* 12. Quòd si tamen *Ambrosius* expositionem commodam non pateretur, obesse non posset ejus auctoritas Conclusioni auctoritate ampliori roboratæ.

Dices II. Baptismus fuit ab Apostolis collatus in nomine Domini Jesu, ut habetur *Act.* 2. 8. 10. & 19. Ergo validus est Baptismus sub invocatione solius Christi collatus. Resp. I. Neg. Antec. Ad loca Scripturæ dici potest, in nomine Jesu Christi, non esse idem, quod in expressione nominis, sed in fide sive in merito Christi: sicut *Marci ult.* dicitur: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Secundò potest, in nomine Jesu Christi, explicari ut sit idem, quod Baptismo à Christo instituto; idque ad distinctionem Baptismi Joannis, qui fuerat usque ad illa tempora celebris. Tertiò, quod dicatur, in nomine Jesu Christi; eò quòd

quòd Apostoli fortasse in forma communi hoc addiderint, dicendo v.g. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii Jesu Christi, & Spiritus sancti.* Ita respondent passim Recentiores, & valde probabiliter. His addi potest, rectè dici baptizatos in nomine Jesu, etsi non ita expressi, nec solius; quatenus baptizabantur in nomine Filii, qui est eadem persona, quæ Jesus.

48. Opinionem contrariam docent plerique antiquiores Theologi & Theologorum principes:

Nihilhominus non improbabiliter potest antecedens admitti, nempe ex citatis locis colligi, Apostolos in principio Ecclesiæ baptizasse in nomine Domini Jesu, ad Christi nomen magis divulgandum, illudque, tunc odiosum, reddendum amabile, dum ad invocationem illius in Baptismo daretur gratia Spiritus sancti. Ità *D. Thomas q.66.a.6. ad 1. D. Bonaventura d.3. p.1.a.2. q.2.ad 3. Scotus sup.* ubi in *Scholio præfixo n.7.* citantur *Magister, Alensis, Albertus Magnus, Richardus.* Et consentiunt ferè veteres Theologi, & à fortiori id tenent *Adrianus, Cajetanus* & alii cum quibusdam Patribus, qui putant etiam hoc tempore Baptismum sic collatum valere. Fundaturque hæc collectio (quam non parum roborat tot tantorumque Doctorum auctoritas) in tam constanti repetitione ejusdem loquendi formulæ solo nomine Jesu expresso, additâ consideratione subjectæ materiæ, scilicet Baptismi; cujus forma ordinaria ex simili locutione eâque unicâ *Matth.28.* colligitur. Quemadmodum etiam colligi solet dispensatoria administratio Confirmationis facta ab Apostolis sine chrismate ex eo, quòd in actis Apostolorum constanter fiat mentio solius manûs impositionis. Itaque admisso antecedente, saltem tamquam probabili (quidquid *Michael Baius Tract. de Forma Baptismi c.1.* sententiam *D. Thomæ* & *D. Bonaventuræ* Doctorum Ecclesiæ, ceterorumque Principum Theologorum appellet errorem)

Quorum opinio non omnino caret errore.

49. Prima adducta non obstare videtur.

Resp. II. Neg. Cons. quia baptizare in nomine Christi Apostolis tantum licuit pro aliquo tempore; quod jam dudum expirasse, patet ex fundamentis conclusionis.

Secunda. Nec huic responsioni obstat Canon Apostolorum initio conclusionis citatus: tunc enim quando iste Canon fuit conditus, poterat tempus specialis dispensationis expirasse. Deinde aliud est baptizare in mortem Christi, quod ibi solùm reprobatur; aliud in nomine Christi.

Tertia. Non obstat etiam quòd *Act. 19.* postquam Paulus rogasset nonnullos discipulos. *Si Spiritum sanctum accepistis credentes,* seu postquam credidistis; supple, in Confirmatione per manûs impositionem; & responsum accepisset: *sed neque si Spiritus sanctus sit, audivimus*; subjunxerit: *In quo ergo baptizati estis?* Nam hoc non fecit, quasi ex forma Baptismi debuissent audire, quòd sit Spiritus sanctus (baptizandi enim non attendunt ad singula verba formæ, immo sæpè idioma non intelligunt) sed quia ex illò responso suspicabatur, an fortè (quod verum erat) tantùm essent baptizati in Joannis baptismate. Et meritò; cum Baptismati Christi soleat præmitti instructio in mysterio Trinitatis, & tunc temporis solebat ordinariè subjungi sensibilis collatio Spiritûs sancti per Confirmationem: ideoque ad propositum responderunt dicentes: *In Joannis baptismate.* Quare *baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cùm imposuisset illis Paulus manus, venit Spiritus sanctus super eos*; ut subditur. Itaque scopus interrogationis erat, ut si necdum confirmati essent, acciperent Confirmationem per manûs impositionem, prout patet ex textu.

Ex dictis colligitur, illegitimam esse formam Baptismi, in qua nullo modo, aut non satis explicitè invocantur tres personæ; ut si conferatur *in nomine Domini, in nomine Christi, in nomine Dei unus & trini, in nomine Trinitatis*: quia sensus communis exigit & Auctoritates agunt de explicita trium personarum invocatione: quamquam *Poncius disp.41.n.23.* censeat hujusmodi Baptismum dubium, nec posse insufficientiam certò probari, sive dicatur *in nomine Christi*, sive *in nomine Trinitatis.* Immo non valet Baptismus, etsi detur *in nomine primæ & secundæ & tertiæ personæ*: hæc enim non sufficienter exprimunt mysterium Trinitatis secundùm proprietates personales, neque emanationem unius personæ ab altera. Idem est, si conferatur, *in nomine Omnipotentis & Sapientis & Boni*: hic enim modus invocandi Trinitatem est inusitatus, fitque per nomina singulis personis non propria, sed tantùm accommodata sive appropriata. Aliud videri posset speculativè loquendo, si loco Filii ponatur Verbum. Immo secundùm aliquos non improbabiliter, etsi dicatur: *In nomine Genitoris & Geniti & Spirati* sive *Procedentis ab utroque.* In praxi tamen omnino est abstinendum, partim ob consuetudinem & ritum Ecclesiæ, partim ob dubium, maximè in ultimo exemplo, quod *D. Thomas, Scotus* & alii Doctores communiter dicunt non valere. Minùs valet, si dicatur: *In nomine Ingeniti & Geniti & Doni*: quia voces istæ non significant totum id quod voces usitatæ. Videtur autem Doctoribus communiter (quorum sensus in materia Sacramentali non parum momenti habet, etsi non faciat rem certam) quòd Christus, sicut pro materia Baptismi assignavit aquam naturalem, cujus usus est communior ad abluendum; sic etiam determinaverit (prout sanè determinare potuisset) pro forma nomina personarum in quodlibet idiomate vulgariter usitata, ut ex verbis Christi *Matth. ult.* usu Ecclesiæ, & præmisso Doctorum sensu videtur confirmari: maximè cum forma Baptismi sit quædam protestatio fidei & singulariter mysterii SS. Trinitatis; quod proinde conveniebat

50. *Non valet Baptismus collatus in nomine Trinitatis,*

Aut in nomine primæ & secundæ & tertiæ personæ

Quid censendum de Baptismo collato in nomine Genitoris & Geniti & Procedentis ab utroque.

bat exprimi verbis usitatis, ipsumque mysterium cum suis proprietatibus propriissimè significantibus.

51. *An omissio præpositionis In vitiet formam.* De præpositione *In* est quoque controversia, an forma mutetur essentialiter, si omittatur, dicendo, *Nomine Patris.* Negant *Coninck* & alii saltem in idiomate Latino; immo juxta ipsos videtur tantùm adjungi per hebraismum, ideoque censent omissionem tantùm esse venialem. Quod postremum non credo: eò quòd non careat dubio valor formæ sic prolatæ; utpote præ se ferentis alium sensum, scilicet quòd baptizans baptizet loco seu vice Patris &c. Et ly *In nomine* significet, tum quod Baptismus detur in auctoritate trium personarum, tum etiam quòd sub invocatione earumdem. Unde *Angelus Silvester, Præpositus q. 66. ar. 6. dub. 8.* censent Baptismum sic collatum non valere. Clariùs autem apparet vitium formæ idiomate Flandrico pronuntiatæ omisso ly *In*; cum planè alium tunc ingerat sensum.

52. De conjunctione *Et* minus est dubium: quamquam *Major, Gabriel & Silvester*, ejus omissionem existiment vitiare formam: nam saltem satìs certò non vitiat, etsi omittatur primo loco: cùm consuetum sit plura recensendo poni conjunctionem copulativam tantùm inter ultimum & penultimum. Immo verosimiliùs non vitiat, etsi utroque loco omittatur. Nam etiam consuetum est Latinis, ut dum pluribus idem tribuitur, copulâ *Et* subintellectâ id fiat, solo commate mediante. Quidquid sit, in praxi adlaborandum est, ut forma Ecclesiæ consueta plenè pronuntietur: nec sine peccato potest aliquid omitti, aut ordo etiam trium personarum inverti. Quàmvis omittere pronomen, *Ego* sit per se loquendo tantùm veniale juxta Doctores communiter. Ly *Amen* citra veniale omittitur; cùm in *Rituali Romano*, ubì forma Baptismi sæpiùs exprimitur, nec omittuntur observanda à Ministris, non addatur; sicut additur verbis Absolutionis.

DISPUTATIO SEXTA.

De Ministro & Subjecto Baptismi.

QUÆSTIO I.

Quisnam sit Minister Baptismi?

1. *Omnis homo ratione utens est minister validus Baptismi, etiam extra necessitatem.* DICO I. Omnis homo ratione utens est validus minister Baptismi. Patet ex c. *Firmiter, de summa Trin. & cap. A quodam Judæo, de Consecr. dist.* 4. Denique idem definit *Florentinum in Decreto de Armenis* dicens: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in casu autem necessitatis, non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus & mulier, immo etiam Paganus & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia.* Et quamvis loquatur de casu necessitatis, idem tamen est quoad valorem extra casum necessitatis, ut omnes intelligũt: quia necessitas non mutat essentiam hujus Sacramenti, præsertim ad cujus valorem non exigitur jurisdictio, utì exigitur in Sacramento Pœnitentiæ, cujus proinde minister validus extra articulum mortis quoad peccata mortalia non est quilibet Sacerdos ob defectum jurisdictionis; quæ tamen in articulo mortis non reservatur. Idem patet ex facto Athanasii pueri extra necessitatem baptizantis: item ex valore Baptismi Hæreticorum generaliter ab Ecclesia approbati: quem denuo (suppositâ legitimâ materiâ, formâ & intentione) verum esse generaliter definit *Tridentinum sess. 7. can. 4. de Baptismo.* Denique ex c. *A quodam Judæo*, ubì nulla fit mentio casûs necessitatis. Ratio est, institutio Christi. Congruentia, Baptismi necessitas; ob quam etiam est institutus in materia maximè obviâ.

Dices 1. Solis Episcopis in persona Apostolorum dictum est: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* ergo reliqui non sunt validi ministri. Resp. dissimulato antecedente, etsi falsum sit, Neg. Cons. ibi enim Christus Apostolis non dedit potestatem baptizandi, quam habebant & exercebant ante passionem, dum necdum essent Episcopi aut Sacerdotes; sed ibi ipsis jam Episcopis dedit mandatum, & ad summum simul jus primarium baptizandi.

Dices II. In *Carthaginensi IV. c.* 100. dicitur: *Mulier baptizare non præsumat.* Resp. tam istum locum, quàm quædam alia Conciliorum & Patrum intelligi de potestate umquam solemniter baptizandi, aut extra casum necessitatis licitè. Solum enim agitur contra mulieres, quæ sibi officium tingendi seu baptizandi arrogabant. Contra quas similiter agit *Tertull. lib. de Bapt. cap.* 17. Aliud est in necessitate: tunc enim posse baptizare quoslibet, apertè *Tertullianus ibidem* asserit.

Dices III. c. *Quos à Paganis, dist. 4. de Consecr.* jubet *Gregorius II.* rebaptizari quosdam baptizatos à paganis. Et *Concilium Eliberitanum* in Hispania tempore *Marcelli I. c.* 38. statuit *posse fidelem (qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus) baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum.* Ergo infideles

les saltem invalidè baptizant. Resp. Neg. Consl. nam *Gregorius* Pontifex loquitur de baptizatis non servatâ formâ Ecclesiæ: ideoque jubet eos baptizari *in nomine Trinitatis*, supponens antea sic non esse baptizatos à paganis, utpote mysteriorum nostræ fidei ignaris. *Concilium Eliberitanum* vero (etsi alioqui non tantæ auctoritatis) docet, quod in necessitate baptizare possit, etiam is, qui solùm baptizatus est; non negat autem idem posse qui necdum baptizatus foret, sed vel ab hoc abstrahit, vel tacitè supponit baptizatum esse præferendum. Sicut etiam loquitur de non bigamo; quo tamen præsente validè baptizat Christianus bigamus, esto ex ordinatione istius Concilii ab Ecclesia non recepti foret postponendus.

Explicatur can. Quos à paganis.

De Concilium Eliberitanum.

Dices IV. c. *Si Presbyter* 1. q. 1. dicitur: *Si Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur & ordinetur iterum, & omnes quos priùs baptizavit.* Resp. postrema verba istius Paleæ esse expuncta in editione Gregorii XIII. quia neque habentur *cap. 1. De Presbytero non baptizato*, aut c. *Veniens eod. tit.* aliisque locis, in quibus hæc Palea citatur: neque sensum congruum admittunt, nisi iis subintelligatur ly *iterum ordinentur*.

Vitiosus textus c. Si quis Presbyter 1. q. 1. carnifex in editione Gregoriana.

Dices V. *S. Isidorus*, ut refertur c. *Si quis* 1. q. 1. ait: *Si quis per ignorantiam ordinatur antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari, & ipse ulterius non ordinetur.* Resp. ibi vel proponi quæstionem, vel falsam alicujus opinionem recitari; cui deinde opponitur vera doctrina his verbis (quæ etiam referuntur c. *Romanus Pontifex de Consecr. dist. 4*) *Sed Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licèt paganus sit qui baptizat.* Quod clariùs exponitur *l. 5 Capitularium c. 4.* Vide quæ notantur in ipso Decreto circa hunc Canonem.

Explicatur Isidorus reus c. Si quis 1. q. 1.

4.

Dices VI. *Aug. l. 2. contra ep. Parmeniani c. 13.* ait: *Et hæc quidem talia quæstio est, utrùm & ab iis, qui numquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari: nec aliquid temerè inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Resp. *Augustinum* ibi abstrahere à decisione quæstionis, quæ jam in Ecclesia est notoria. Addit tamen suo etiam tempore non fuisse quæstionem de Baptismate collato ab iis qui ab Ecclesiæ unitate separati sunt, scilicet hæreticis & schismaticis: quia id discussum & firmatum jam tum erat in ipsa totius orbis unitate.

Ab à paganis non posse conferri Baptismum, non erat dogma sui temporis, adeòque notorium, sed tacitè jam.

Dices VII. cum *Calvino l. 4. instit. c. 15. §. 20.* baptizare est Ecclesiastici ministerii: ergo competit solis ministris Ecclesiæ, non mulieribus. Resp etiam prædicare ac docere esse Ecclesiastici ministerii: & tamen in necessitate potest & debet quisque proximum docere. Sic *Act. 18.* Aquila & Priscilla uxor ejus docuerunt quemdam Apollipem, qui non satis videbatur instructus in fide Christi, quem magno zelo prædicabat. Sic etiam mulieres catechizant. Et olim Diaconissæ & similes instruebant fœminas baptizandas. Publicè tamen docere, in Ecclesia præcipuè, utì est pars muneris Ecclesiastici, & id prohibet mulieribus Apostolus; sic & solemniter ac publicè baptizare, adeoque & illis merito censetur illicitum.

Falsò Calvinus docuit.

DICO II. Minister Baptismi ordinarius sive ex officio est solus Sacerdos cum exclusione inferiorum: qui tamen debet habere jurisdictionem, ut licitè illum administret extra necessitatem. Prima pars patet ex *Florentino supra*: quod cùm loquatur dogmaticè, excludit omnes reliquos inferiores. Idem patet ex c. *Constat. dist. 4. de Consecr.* ubi ex *Isidoro* dicitur: *Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum; ejusque mysterium nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo* (in quo eminenter residet eadem potestas) *vel Presbytero.* 5. *Minister ex officio est solus Sacerdos.*

Secunda pars probatur: quia administratio Sacramentorum est actus pascendi, sive pastoris; & per consequens requirit in administrante jurisdictionem ordinariam vel delegatam. Deinde per Baptismum admittitur aliquis in familiam Christi cum jure communicandi omnibus ejus privilegiis: atqui nullus admittit extraneum in aliquam politicam communitatem, nisi Princeps, aut alius habens in eam aliquam jurisdictionem: ergo &c. Hanc jurisdictionem habet Pontifex tamquam principalis Princeps spiritualis in totum mundum, Episcopus in suam Diœcesim, Pastor in suam parochiam, alii Sacerdotes juxta suæ commissionis amplitudinem. Unde si extra necessitatem alii Sacerdotes absque licentia vel privilegio tentent baptizare, graviter peccant; utpote usurpantes sibi officium & auctoritatem alterius in re gravi: quamquam non incurrant irregularitatem aut excommunicationem, quæ nullo jure statuitur. *In quo requiritur jurisdictio.*

Dices: Non datur nec dari potest jurisdictio in baptizandum, cùm ante Baptismum re ipsâ susceptum nemo subjiciatur Ecclesiæ jurisdictioni: ergo in baptizante non requiritur jurisdictio. Resp. Neg. Consl. etsi enim directa jurisdictio solùm habeatur per Baptismum re ipsâ susceptum; indirecta tamen ratione loci, in quo quis versatur aut parentes commorantur, sive familiæ ad quam admittitur, potest & debet ante Baptismum haberi in baptizandum extra articulum necessitatis: quatenus nimirum in Episcopo vel parocho est jus exercendi tale munus, tamquam in ministro peculiariter deputato ab Ecclesia, ex cujus ordinatione competit tali admittere extraneos in Ecclesiam per Baptismum in isto loco; idque exclusivè ad ceteros, nisi de illius licentia. Quare hoc ipso adulti non baptizati subsunt tali ministro: non quòd ex præcepto Ec- 5. *Qualiter hæc locum habere possit ac debeat, magis declaratur.*

to Ecclesiæ obligentur à tali petere Baptismum, sed quia ex jure naturæ tenentur non petere ab alio, quàm qui possit licitè dari. Parvuli autem propriè non subduntur præcepto, sed directè præcipitur aliis, ne quis illorum eos baptizet, præter pastorem aut legitimè deputatum.

7. *Diaconus potest ex rationabili causa committi Baptismi solemnis ministerium:*

Dico III. Etsi Diaconus non possit ordinariè baptizare ex vi suæ ordinationis; ex hac tamen est capax, ut rationabili causâ existente possit solemniter baptizare ex commissione Episcopi aut Sacerdotis. Ita communiter Doctores. Probatur ex ordinatione Diaconi, ubi inter alia quoque dicitur: *Diaconum oportet baptizare*; nempe solemniter: cùm enim Ecclesia id Diacono possit committere, censetur hoc facere, quando ipsum specialiter constituit ministrum Baptismi, quo modo reliqui non sunt constituti. Deinde c. *Diaconos dist.* 93. de iis *Gelasius* (aliqui textus habent *Pelagius*) Papa dicit: *Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant*; id est, juxta *Glossam*, absque eorum consensu aut commissione. Ubi satis clarè insinuatur, posse Diaconis, etsi non compellat tanta necessitas, committi baptizationem, utique cum solemnitate: nam hæc non potest citra necessitatem omitti, adeoque nec potest committi baptizatio non solemnis, sed ab ipsis presbyteris aut Episcopis fuisset solemnis adhibenda.

8. *Citra commissionem hujusmodi ministerii ne in extrema quidem necessitate eis licere Nonnulli censent.*

An verò extremâ necessitate urgente possit Diaconus citra commissionem baptizare solemniter, incertum est. Negat *Coninck* ob verba quæ Pontifex c. *Diaconos* citato subjungit dicens: *Nisi præditis fortassis ordinibus longiùs constitutis necessitas extrema compellat. Quod & Laicis Christianis facere plerumque conceditur.* Quibus insinuat Papa Diaconis citra commissionem non aliter quàm Laicis esse licitum baptizare. Quare consequenter ad hanc doctrinam Diaconus sic solemniter baptizans fieret irregularis. Nihilominus probabiliter contrarium docet *Suarez*, *Præpositus* & alii; eò quòd specialiter Diaconus ad baptizandum sit ordinatus: adeoque in extrema necessitate videatur ad id solemniter præstandum sufficere commissio tacita seu rationabiliter præsumpta. Pontifex autem docet quidem, quòd Laicis tunc idem liceat, sed non quòd eodem modo, quo Diaconis: faciendo enim exceptionem, *nisi extrema necessitas compellat*, vult Diaconis tunc licere sine commissione, quod priùs decreverat iis licere præsente Episcopo vel Presbytero ex commissione, ex qua licebat ipsis baptizare solemniter, ut etiam alii fatentur.

Oppositum tamen est verius.

9. *Qua causa censeatur sufficiens ad committendum Diacono minis-*

Porrò rationabilis causa ad Baptismi administrationem Diacono committendam, non est sola extrema necessitas, sed etiam quævis alia judicio ministri ordinarii determinanda: ut cùm ob multitudinem baptizandorum, infirmitatem Sacerdotis, aliasve graves causas vel occupationes, non possit Sacerdos omnibus petentibus Baptismum commodè satisfacere, sed alioquin cogerentur qui satis parati accedunt, cum incommodo diu Baptismum differre. Sic Apostoli, ut prædicationi vacarent, videntur Baptismum commisisse Diaconis: ex qua commissione Philippus Diaconus baptizavit Eunuchum. Vix tamen hoc tempore & in his locis, id est in usu, ob multitudinem presbyterorum.

Dico IV. Nullus Clericus Diacono inferior, adeoque multò minùs Laicus potest etiam in extrema necessitate (in qua etiam juxta praxim Ecclesiæ baptizat) solemniter baptizare, nisi ex commissione Papæ, qui id potest Clericis inferioribus committere, cùm solemnitas ista sit jure Ecclesiastico introducta, in quo Papa potest dispensare. Ratio est: quia nullibi in jure permittitur talibus usurpatio istius solemnitatis, sed præcisè illud, quod postulat extrema necessitas, scilicet Baptismi substantia: ac proinde eodem jure, quo solemnitas & ceremoniæ Baptismi sunt introductæ, censentur illi ab earum usurpatione excusi. Quod etiam communis praxis & Doctorum sensus confirmat.

Dico V. Existente necessitate hic est ordo servandus in conferendo Baptismo, ut Sacerdos præferatur Diacono, Diaconus Subdiacono, hic ceteris Clericis, Clericus Laicis, vir fœminæ, fidelis infideli. Quod de Sacerdote quidem satis constat ex auctoritatibus seu juribus citatis. Deinde quia fieret grave præjudicium Ordini Sacerdotali, cui jus primarium est annexum. Unde Doctores unanimiter tenent inversionem illius ordinis esse mortalem ex genere suo, si Sacerdos sit ad baptizandum paratus. Quàmvis *Valentia* & *Joannes Suarez* citati à *Diana p.* 3. *Tract.* 4. *Res.* 4. putent tantùm esse venialem: immo *Cajetanus q.* 67. *a.* 4. putet sepositio contemptu & præsumptione non peccare mortaliter laicum etiam extra necessitatem baptizantem non solemniter. Ratio est: quia tunc indebitè usurpatur munus alienum idque grave, quod Sacerdoti competit vi Ordinis, & si sit Parochus, insuper jure officii parochialis. Unde *Aug. l.* 2. *contra ep. Parmeniani c.* 13. agens de Laico Baptizante ait: *Nulla cogente necessitate si fiat, alieni muneris* (sc. juris, sacerdotalis videlicet, in Ordinatione accepti, ut patet ex contextu) *usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut* (si v.g. non sit adhibita plena diligentia in quærendo Sacerdote) *veniale delictum est &c.* Quæ & subsequentia satis ostendunt gravitatem delicti in inversione ordinis: præsertim cùm tutiùs reverà nulla sit necessitas urgens Laicum ad ministrandum. Idem Doctores communiùs contra Nonnullos censent, si prætermisso Diacono baptizet inferior Clericus aut Laicus; eò quòd Diaconus etiam ad baptizandum sit ordinatus, adeo-

adeoque ejus prætermissio sit etiam alieni muneris usurpatio. Facilè tamen in hac re potest intervenire ignorantia, quæ à mortali excuset: potest enim aliquando timeri mortis periculum ubi non est, & idcirco accelerari Baptismus non expectato debito ministro, quia bonâ fide existimatur periculum non pati moram.

12. *Quando remissio ordinis est ad venialem.*

In reliquis inversio ordinis, etiamsi dicat aliquam incongruentiam, non est tamen mortalis juxta Doctores passim contra *Vasquez d* 147. *n.* 34. existimantem quòd omnis inversio ordinis sit mortalis; immo quòd alioquin ne quidem foret venialis: cùm id oriri deberet ex lege divina, quæ sanè gravis, & graviter obligare videtur. Ad hoc tamen facilè responderetur, culpam venialem provenire posse ex ritu Ecclesiæ, quæ similem ordinem præscribit, ut patet in *Rituali Romano Tit. de ministro Baptismi.* Et quàmvis proveniret ex lege divina, posset hæc leviter obligare, quatenus se extendit ad hanc materiam, quæ tantùm levis apparet, solùmque fundatur in aliqua decentia. Sicut ob hoc illiberalitas non est grave peccatum, etsi liberalitas ex quadam decentia exigeret aliquid secundùm se notabile alteri præberi. Varii tamen non improbabiliter putant cedere in grave præjudicium Sacramenti, si baptizato fideli præsente ministret non baptizatus, præsertim si sit omnino infidelis. Per accidens etiam aliquando potest inverti in istis ordo licitè, ut v. g. mulier docta & assueta baptizare præferatur viro rudi, aut in circumstantiis, in quibus pudoris gratiâ non decet virum accedere, v. g. si infans non sit omnino editus. Ita *Rituale Romanum Tit. de Ministro Baptismi.* Ignorans enim, nolens, aut congruè non valens in certis circumstantiis, etsi alioquin foret superioris ordinis, censetur absens.

13. *Inversio ordinis in casu casu irregularitatem non inducit.*

Adverte, qualiscumque fiat inversio ordinis, nullam incurri irregularitatem in Baptismo non solemni; cùm hic non sit actus Ordinis, adeoque non usurpetur alienus Ordo. Si verò Baptismus conferatur solemniter, constat Clericum fieri irregularem, ex c. 1. *de Clerico non ordinato ministrante.* De Laicis est nonnulla controversia. De quo vide dicta *Tract. de Legibus d.* 6. *q.* 7. (quæ est de irregularitate) §. 3.

Solum, quando Baptismus est solemnis, De Laicis est dubium.

QUÆSTIO II.

An Unus possit simul plures baptizare, vel contrà?

14. *Unus potest simul plures baptizare.*

Dico I. Potest unus minister simul plures baptizare, applicando omnibus simul materiam, & dicendo: *Ego vos baptizo &c.* Ita *Scotus dist.* 6. *q.* 2. *n.* 6. & alii communiter. Probatur: quia potest unus eâdem formâ consecrare plures hostias, in periculo naufragii absolvere plures pœnitentes; ergo etiam simul plures baptizare: cùm nec ratione nec auctoritate constet, requiri potius ad valorem Baptismi, quòd unus solus baptizetur, quàm ad valorem consecrationis, quòd unica hostia consecretur, aut ad valorem absolutionis quòd unus tantùm absolvatur.

Illicitè tamen, immo verosimiliùs non sine culpa gravi, extra necessitatem.

Quia tamen hoc est contra morem Ecclesiæ in re gravi, advertit *Scotus sup. Coninck* & alii illud sine mortali non licere extra gravem necessitatem: quidquid aliqui putent non esse mortale. Confirmatur ex *Rituali Romano, Tit. de baptizandis parvulis,* ubi agens de forma, *Ego vos baptizo &c.* ait: *Quam tamen formam in iis solùm & in aliis similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, & ubi tempus non patitur ut singuli separatim baptizentur; aliàs numquam licet adhibere.* Quod denotat gravem culpam juxta gravitatem rei.

15. *Tali casu forent plura Baptismata.*

Notat autem idem *Scotus* in illo casu fore plura baptismata: nam baptizatio est actio transiens, quæ afficit terminum & multiplicatur penes multitudinem illius: quemadmodum dicuntur plures creationes, quando Deus simul creat plures creaturas. Et quamvis una tantùm videatur forma, est tamen virtualiter multiplex; eò quòd pronomen, *Vos,* includat in se singulare pluries geminatum. Deinde ad multiplicationem totius sufficit multiplicatio unius partis. Et in hoc consentiunt quoque ceteri Doctores communiter.

16. *Plures unâ invalidè baptizant, si unus materiam adhibeat, alter formam proferat.*

Dico II. Quando plures concurrunt ad eumdem baptizandum, sic ut unus ponat materiam, alter proferat formam, v. g. mutus abluat & alius carens brachiis dicat, *Ego te baptizo,* invalidus est Baptismus. Ratio est institutio Christi. Hæc autem potissimùm probatur ex sensu Ecclesiæ; hæc enim semper intellexit institutionem sic esse factam, ut idem debeat abluere, & formam proferre. Quod colligitur, tum ex perpetuo illius usu: tum ex unanimi sententia Doctorum, qui omnes concorditer sic judicant exceptis *Marsilio & Cajetano:* qui tamen neque constanter neque firmiter audent oppositum asseverare. Tum quia in aliis quoque Sacramentis conformis est praxis, ut idem minister adhibeat materiam & formam, quando scilicet ministri est materiam adhibere: prout non est in Sacramento pœnitentiæ, in quo ipse pœnitens materiam adhibet. Et ob hoc praxis & sensus communis est, Baptismum interdum ita ab Hæreticis recentioribus collatum esse invalidum & repetendum. Quod etiam apertè supponit *Synodus Mechlinienſis II.* (quam probavit Paulus V.) *tit* 3. *c.* 6. dicens, id esse contra antiquissimam Traditionem. Quòd autem præscribat baptizatos ab Hæreticis recentioribus esse tantùm sub conditione rebaptizandos, non est, quia dubitabat Sy-

Probatur.

nodus de invaliditate Baptismi taliter à non uno ministro collati, sed quia non solet certò constare in particulari, quando sic collatus fuerit: quòd si constaret, utique de invaliditate non dubitasset.

17. *Tunc forma Baptismi esset falsa.*

Itaque forma baptismi aliàs esset falsa; utpote significans, quòd exteriùs physicè & per seipsum abluat, qui dicit, Ego te baptizo seu abluo. Nec prodesset forma Græcorum; utpote quoad sensum æquivalens; cui proinde subintelligitur ly *Manibus meis*, ut expressè habet altera Græcorum forma in *Florentino*. Ex qua similiter non parum confirmatur conclusio. Non prodesset quoque, si diceretur tali casu, nos te baptizamus: nam id propriè significat quòd uterque alterum abluat; hoc autem supponitur non fieri.

Confirmatur: quia sicut Christus voluit esse unum principale agens; sic voluit habere unum tantùm ministrum in collatione integra Sacramenti, ut arguit *Scotus sup. num.* 5.

Quod tamen secluso Ecclesiæ sensu difficulter convinceretur.

Alioquin secluso sensu Ecclesiæ convinci non facilè posset, qui diceret, verificari formam Baptismi per hoc, quòd illam proferens censeri posset moraliter abluere per alium velut famulum seu substitutum. Quàmvis revera ex sensu Ecclesiæ constet, quemlibet ministrantem immediatè se habere veluti ministrum Christi.

Adduntque Nonnulli, posse id ob non omnimodam conclusionis certitudinem in necessitate practicari, ut videlicet mutus abluat, & mutilus formam proferat. Quo casu tamen (qui sanè non est natus contingere) deberet potiùs mutilatus formam inchoare dicendo *Ego te baptizo*, & mox aquam ore sumptam effundere in baptizandum, dein formam absolvere.

18. *Si plures eumdem conantur baptizare, singuli tamquam causa totales; solus primò absolvens baptizat. Si simul absolvant, baptizant singuli.*

Dico III. Quando plures simul concurrunt ad unum & eumdem baptizandum independenter à se invicem, sic ut singuli adhibeant omnia necessaria (prout fieri posset, quando concenderent de Baptismo alicui conferendo) is qui priùs absolvit, solus perficit Sacramentum, & alius nihil efficit; quandoquidem semel baptizatus non sit capax secundi Baptismi. Si autem contingat (quod difficulter & rarò contingeret, etsi ad hoc studiosè ablaboraretur) utrumque eodem instanti perficere necessaria ad Baptismum, uterque baptizabit eumdem validè, etsi contra Ecclesiæ morem illicitè in re gravi, cujus tentandæ non possit occurrere necessitas. Ratio est: quia tunc ad utriusque actiones concurrunt omnia ad Baptismi essentiam necessaria, & ambæ versantur circa subjectum capax, cùm simul finiantur. Confirmatur exemplo Sacerdotum noviter ordinatorum, qui simul cum Episcopo conficiunt Sacramentum, si simul cum illo finiant verba consecrationis. Ita *Scotus sup. n.* 2. & alii communiter.

19. Hoc autem casu, non unum, sed multiplex Sacramentum seu Baptisma conferretur physicè loquendo: nam forent plures formæ integræ & plures materiæ perfectæ, adeoque plura compositа, sive Baptismata. Talis tamen non deberet dici bis validè Baptizatus, sed semel duplici Baptismo: sicut simul accipiens duo vulnera, non dicitur bis vulnerari, sed semel duplici vulnere.

Dixi *Physicè loquendo*: moraliter enim tantùm esset unum Sacramentum seu sacrum signum & unus Baptismus: tum ratione ejusdem subjecti: tum ratione ejusdem principalis agentis, in cujus virtute ministri operantur: tum denique & præcipuè ratione ejusdem effectûs producti & significati: totum enim illud signum ab utroque adhibitum non plus efficit aut significat, quàm si esset unica ablutio & unica forma posita. Quod patet quantùm ad Characterem: cùm idem sit unici solùm Characteris baptismalis capax. De unica quoque gratiâ per utrumque Baptismum conferendâ idem videntur consequenter Doctores potiùs supponere, quam probare. Et hoc modo explicari possunt plures Auctores dicentes esse tantùm unum Baptismum, ut *D. Thomas q.* 67. *art.* 6. & referri solet *Scotus sup. n.* 4. quem tamen ibi & in verbis præcedentibus docere oppositum, conatur ostendere ejus *Commentator num.* 10. *& seqq.*

QUÆSTIO III.

Quodnam Sit subjectum capax Baptismi?

Dico I. Solus homo viator est capax Baptismi. Est certum: nam Sacramenta sunt instituta tamquam media ad salutem solius hominis viatoris. Deinde ad solos homines baptizandos Apostoli missi sunt, *Matth. ult.* & *Marci ult.* Unde homines in termino constituti non sunt capaces Baptismi. Similiter nec creaturæ homine inferiores. Quare satyri, aut geniti ex femina & bruto non sunt baptizandi: uti nec monstrum, quod non præ se fert speciem hominis. Si sit dubium, est in periculo baptizandum sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo &c.* Ita *Rituale Pauli V. Tit. De baptizandis parvulis.* Si nascatur monstrum pro certo humanum, est absolutè baptizandum. Si constet esse duas personas, sunt singulæ baptizandæ. Ad quod discernendum est attendendum juxta *Rituale* citatum, an habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora. Si post examen, quale tempus patitur, res maneat dubia, duplex Baptismus est conferendus, unus absolutè in parte principali, quam constat esse informatam animâ rationali; alius sub conditione in parte, de qua dubitatur, an informetur eâdem animâ hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.*

Dico

21. *Etiam parvuli:*

Dico II. Omnis homo, etiam parvulus, mox ubi est natus, est capax Baptismi. Est contra *Anabaptistas*, qui secuti *Petrobrusianos & Henricianos*, negant parvulos posse baptizari, eo quod existiment ad valorem Baptismi requiri fidem in quolibet suscipiente. Ideoque in infantia baptizatos rebaptizant, ubi ad adultam ætatem pervenerunt.

Quos esse baptizandos definiunt Concilia,

Sed parvulos esse baptizandos, definitur in *Trid. sessy. can. 12. & 13. de Bapt.* Et olim definitum est in *Concilio Milevitano II. can. 2.* Idem patet ex c. *Firmiter de sum. Trin. & c. Majores de Bapt.*

Ut debet perpetuo Ecclesiæ Traditio,

Patet etiam ex perpetua Ecclesiæ traditione. Cujus testis est *Augustinus lib 4. de Bapt. c. 23. Quod* (inquit) *traditum tenet universitas Ecclesiæ, cùm parvuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad justitiam & ore confiteri ad salutem.* Et infrà: *Et tamen nullus Christianorum dixerit, eos inaniter baptizari.* Et aliis locis. Ejusdem Traditionis testis est *Dionysius Areopagita de Ecclesiastica Hierarchia c. ult. versùs finem*, & reliqui Patres: excepto *Tertulliano* qui putavit Baptismum esse differendum usque ad usum rationis: in quo, sicut in multis aliis, erravit. *Gregorius Nazianzenus* quoque *Oratione in sanctum lavacrum longè post med.* dicit quidem, ob pericula salutis conducibilius, parvulos baptizari; iis tamen seclusis optaret differri Baptisma ad triennium, donec parvuli possint aliquid de fide sua respondere. Quod tamen consilium non est approbandum; præsertim quia dilatio ista nullius fructûs esset, cùm etiam tunc parvuli de fidei mysteriis nihil aut vix aliquid capiant: & quia magis est æstimandus status amicitiæ Dei, liberatio à dæmonum insidiis, & similia, quàm iste fructus: potissimùm cùm ob inopinatos casus, quibus infirmior ista ætas frequentiùs est exposita, sæpè adsit periculum salutis, ubi non putatur adesse.

Testes ex Scriptura

Eadem veritas colligitur ex iis Scripturæ locis, ubi narrantur integræ familiæ esse baptizatæ, ut *Act. 16 & 1. ad Cor. 1.* verosimile enim est in istis familiis fuisse quoque parvulos.

Ratio.

Ratio est: quia omnes homines, etiam parvuli, nascuntur capaces regni cælorum, quod tamen non possunt adipisci, nisi renascantur ex aqua Baptismi, qui in parvulis non potest per votum suppleri. Confirmatur: quia in Lege veteri & naturæ parvulus etiam in infantia erat capax remedii emundantis à peccato originali: ergo multo magis in Lege nova, in qua post Christi passionem gratia est uberior & universalior.

22. *Objiciuntur Hæretici.*

Objiciunt Hæretici I. Christus *Matth. ult.* dicit: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* ubi mandat Apostolis, ut priùs doceant, quàm baptizent: ergo parvuli, veluti institutionis incapaces, non sunt baptizandi. Resp. illis verbis indicari ordinem, qui servari debet in promulgatione Evangelii, quæ adultis fieri debebat, ad quos convertendos Apostoli destinabantur. De quibus intelligitur etiam illud *Marci ult. Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit*; ut patet ex contextu, & docet, *Innocentius III. c. Majores, de Baptismo.* Quamquam nec in adultis actus fidei ad valorem requiratur. Meritò autem voluit Christus, Gentes priùs esse docendas quàm baptizandas: nisi enim in mysteriis fidei & Sacramentorum essent instructæ, nec ipsæ vellent baptizari, nec parvulos suos baptizandos offerrent.

Objiciunt II. quòd in parvulis non reperiatur intentio suscipiendi Sacramentum. Resp. in parvulis illam non requiri, qui sicut absque propria voluntate personali per voluntatem Adæ constituti sunt peccatores damnationi obnoxii, ita absque illa regenerantur in vitam justitiæ per Baptismum ex voluntate secundi Adæ Christi, qui omni ætati providit juxta suam capacitatem.

23. *De perpetuò amentibus & parvulis est idem judicium.*

Nota I. quod dictum est de parvulis, etiam habere locum in perpetuo amentibus, aut usu rationis carentibus, juxta *Rituale Romanum Tit. de Baptismo adultorum* Item in aliis qui ad annos discretionis nondum pervenerunt; qui proinde *in fide Ecclesiæ baptizari possunt*, ut de perpetuò amentibus loquitur *Rituale* citatum.

Parvuli necdùm editi in lucem baptizari nequeunt;

Nota II. nos signanter esse locutos de parvulis natis, scilicet extra uterum maternum; quamdiu enim in illo existunt, baptizari nequeunt, quemadmodum tam diu regulariter non possunt ablui, juxta c. *Si quidquid, de Consecr. dist. 4.* & certam Theologorum doctrinam. Si tamen obstetrix tam perita sit, ut manu in uterum insertâ prolem aquâ perfundere possit, aut aliquo artificio possit aqua ad puerum deduci, adjectâ verborum formâ validè baptizaretur, sicut verè lavaretur.

Nisi artificiosè possint in utero physicè ab aqua tangi.

Non licet ob Baptismum prolis secare matrem vivam.

Nota III. circa proles ex utero materno exsectas, etsi validè Baptizentur, non licere tamen in istum finem matrem innocentem occidere; cùm ut eveniant bona non sint facienda mala, prout mala semper est directa occisio innocentis. Si tamen mater justè foret adjudicata morti, posset mors matris servato ordine juris accelerari exsciffione parvuli, quando speraretur sic posse salvari, & alioquin certò crederetur priùs moriturus, quàm ad partum seu nativitatem pervenerit. Quod quia non est natum fieri, immo quia plus plerumque periculi imminet ex morte violenta matris, quàm obveniente ex natura, aut alio casu; idcirco *l. Prægnantis ff. de pœnis* decernitur judicium prægnantis esse differendum, quousque fetum fuerit enixa.

24. *An vel quale sit præceptum baptizandi parvulos,*

Petes: An sit præceptum baptizandi parvulos? Resp. in probabili mortis periculo esse præceptum; tum generale charitatis, quo obligamur succurrere proximo in tam gra-

gravi præsertim necessitate spirituali constituto, tum pietatis, quo parentes tenentur providere prolibus de necessariis ad salutem, quantùm possunt; tum justitiæ, quo Pastores obligantur subditis ministrare Sacramenta tempore opportuno, maximè cùm inde pendet æterna eorum salus. Aliàs non est præceptum naturale aut divinum baptizandi parvulos: quàmvis videatur præceptum Ecclesiasticum consuetudine introductum, graviter juxta Doctores unanimiter obligans pastores & parentes, ut non differant notabiliter Baptismum parvulorum ultra tempus, quod spectatis circumstantiis prudenter censebitur opportunum; ut monet etiam *Paulus V. in Rituali Romano*, ideoque ex diuturniori dilatione nasci solet scandalum in populo, quod etiam signum est obligationis, aut certè sub obligatione cavendum est.

QUÆSTIO IV.

An Parvuli Infidelium in vitis Parentibus baptizari possint?

25. *Proles baptizatorum deficientium à fide possunt iis invitis baptizari.*

Nomine Infidelium intelligimus hîc solos non baptizatos; non autem Hereticos vel Apostatas, qui à fide post Baptismum defecerunt: sicut enim hi non minùs quàm Catholici manent sub Ecclesiæ potestate, possuntque ad fidem servandam compelli; sic etiam eorum proles non minùs quàm Catholicorum possunt validè & per se loquendo licitè ipsis invitis baptizari; potest enim Ecclesia istis parentibus Baptismum suarum prolium præcipere, & præcipit, adeoque in eorum defectum potest illas baptizare: immo quando id foret necessarium, posset etiam proles baptizatas abstrahere ab ipsis.

Porrò infideles vel sunt subjecti Christianis principibus, idque sive serviliter, sive tantùm civiliter seu politicè: vel non sunt subjecti ullo modo. His præmissis

26. *Infidelium non baptizatorum proles baptizantur validè invitis parentibus.*

Dico I. Parvuli infidelium quorumcumque validè baptizantur invitis parentibus. Est satìs certa & communis doctrina Theologorum, uno vel altero excepto. Probatur: quia ad valorem Baptismi tantùm requiritur legitima materia, forma & intentio: consensum autem parentum requiri, nec ex Scriptura, nec ex Conciliis, nec ex Traditione constat, prout deberet constare, ad hoc ut aliquid statuatur tamquam necessarium ad valorem Baptismi: ne alioquin sit cuilibet liberum conditiones quas libuerit necessarias prædicare. Quin immo ex sensu Ecclesiæ potiùs constat contrarium: nam in primis hic est sensus communis Doctorum. Deinde Ecclesia numquam rebaptizat parvulos contra Gentilium parentum voluntatem baptizatos: immo, dum potest, eos à parentibus abstrahit, & postquam adoleverint, ad fidem, fideique Christianæ, ac Ecclesiæ præcepta servanda compellit; quod signum est, eam per baptismum jus in istos parvulos acquisivisse, adeoque esse validè baptizatos. Denique cùm Baptismus sit parvulis summè ad salutem necessarius, debuit valor illius esse independens ab extrinseco parentum consensu; ne illius defectu frequenter suâ salute frustrentur.

Nec refert, quòd collatio Baptismi fuerit parentibus injuriosa: nam est equidem valida, & quà talis generat Ecclesiæ, quæ injuriæ non est particeps, jus in baptizatos: sicut nubens alteri, quem induxit per dolum non versantem circa substantiam contractûs, acquirit in eum jus matrimoniale sive conjugale.

Dico II. Parvuli infidelium, qui sunt servi sive mancipia principis Christiani vel alicujus dominì, licitè baptizantur de consensu illius solius, etsi parentes sint inviti. Ita communiter Doctores. Patet primò ex communi praxi, quâ proles Turcarum & Maurorum, qui justo bello fiunt mancipia Christianorum, baptizantur contra voluntatem parentum. Secundò, quia dominus justè posset filios mancipiorum suorum vendere & à parentum abstrahere potestate; ergo etiam potest illos per Baptismum subjicere Ecclesiæ potestati. Periculum autem Apostasiæ potest evitari, si videlicet princeps vel dominus prolem recte curet educari, aut inter fideles procul à parentibus ablegari. Immo Dominus per se loquendo ad Baptismum talium tenetur: cùm ipse habeat jus, adeoque obligationem velut patet nam, ejusmodi parvulis providendi, potissimùm de necessariis ad salutem. Quàmvis ne nimis gravetur parvulis educandis, aut ne infideles spe recuperandi parvulos frustrati magìs sæviant in Christianos, per accidens sæpè excusetur, adeoque frequenter licitè permittat eos redimi Baptismo non adhibito.

Sed difficultas est de parvulis infidelium, qui non nisi politicè, aut etiam nullo modo subsunt Christianis principibus. Hos enim illicitè baptizari invitis parentibus, videtur habere recepta Doctorum sententia. Quia tamen unanimiter excipiunt manifestum mortis periculum: succurrendum enim est extremè indigenti quantùm est possibile. Et gratìs concesso, quòd pater haberet directum jus, ne proles ipso invito baptizetur, etiam præscindendo ab hoc, quòd sit ab ipso auferenda vel non auferenda (prout aliqui putant) illud tamen jus hîc cessat; sicut in quavis extrema necessitate censentur jura cessare.

Excipiunt deinde casum, quo tales proles venissent in potestatem Christianorum, etsi per injuriam; si sit impossibile eas

eas parentibus restitui: tunc enim nec subest periculum subversionis; nec præjudicatur juri paterno, quod habet ad retinendam prolem, cùm hoc per separationem irremediabilem factum sit inutile.

Præterea admittunt omnes, quòd dum alteruter parens est fidelis, proles sequi debeat religionem Christianam, & sit baptizanda, si sit spes christianæ educationis. Ita habetur in *Toletano IV. can.* 63. & refertur c. *Judei* 28. *quæst.* 1. Idem cum proportione est dicendum, si proles sit sub cura plurium tutorum, quorum saltem unus est Christianus. Similiter quandò alteruter parens consentit, etsi uterque sit ethnicus, sufficit consensus unius ad tribuendum Ecclesiæ jus baptizandi parvulum: quàmvis enim mulier sit alioquin viro subjecta, tamen & ipsa habet jus, ut curet prolem christianè educari; præsertim cùm potior sit conditio religionis & innocentis. Immo *Gregorius XIII.* consuit baptizandum esse puerum, cujus pater erat mortuus, idque invitâ matre, eò quòd avus fidelis, qui loco patris defuncti curam habebat nepotis, peteret illum baptizari; ut refert *Valentia disp.* 4. *q.* 3. *pu.* 3.

Denique constat apud omnes, quod si proles talium habeant usum rationis, & petant Baptismum, sit eis dandus, etiam invitis parentibus: sunt enim in hoc sui juris. Si autem de usu rationis dubitetur, inclinandum esse in favorem fidei, censet *Sotus*: differendum tamen esse Baptismum usque dum de usu rationis constet, censet *Henriquez*, *Coninck* & alii: est enim periculum in festinando, nullum autem (ut supponitur) in differendo. Sed posito, quod non liceret pueros ante usum rationis invitis parentibus infidelibus, de quibus præmissum est, baptizare, optimè distinguunt alii dicentes, in dubio judicandum contra usum rationis, si necdum sit septennium completum: aliàs si completum sit, stare præsumptionem juris pro usu rationis; nisi apertè constet contrarium, juxta ea quæ tradit *Sanchez l.* 1. *de Matrim. d.* 16. *n.* 10.

Dico III. Parvuli infidelium Christianis principibus politicè subditorum, de eorum consensu, spectato jure naturæ, licitè baptizantur, invitis parentibus. Ita *Scotus dist.* 4. *quæst.* 9. *Gabriel eâd. dist. quæst.* 2. *dub.* 5. *Lorca* 2. 2. *q.* 10. *art.* 12. *d.* 37. *mem.* 3. *concl.* 2. & alii contra *D. Thomam q.* 68. *art.* 10. & alios plerosque.

Probatur I. quia si parentes in statu puræ naturæ obsisterent parvulo quò minùs perveniret ad finem suum naturalem, posset indubiè princeps parvulo providere, eum defendendo, & abutum patriæ potestatis corrigendo: ergo etiam nunc id potest: nam suppositâ per fidem ordinatione ad finem supernaturalem, peccant parentes in materia legis ex suppositione naturalis; neque quoad hoc subduntur correctioni Ecclesiæ, ergo suorum Principum. Quemadmodum etiam Princeps Christianus potest & debet contra infideles & quoscumque impedire volentes prædicationem fidei Catholicæ, erectionem templorum, & similia, hæc eadem jura defendere, etsi sepositâ fide non cadant sub lumen naturale.

Probatur II. quia potest tutor curare baptizari parvulum contra voluntatem parentis superstitis, ut de avo tutore declaravit *Gregorius XIII.* ergo idem potest princeps contra voluntatem utriusque, cùm ipse sit tutor supremus, qui potest etiam alios tutores deponere, & novos substituere. Ex quo ulteriùs infertur, quòd idem possit princeps contra voluntatem parentis utriusque; cùm possit contra voluntatem unius superstitis, & tutoris succedentis in locum & jus alteriùs. Confirmatur: quia potest Princeps ex causa etiam utrique parenti assignare tutorem; ergo ipsemet tamquam tutor supremus potest eatenus parvulis de Baptismo providere. 31. *Qui velut supremus tutor prævalere potest, voluntati parentis superstitis.*

Probatur III. quia non videtur parentibus fieri injuria præcisè per hoc, quòd proles ipsorum baptizentur; cùm non habeant directum jus, ne ipsis invitis baptizentur parvuli; sed ad summum tantùm habent jus indirectum, quatenus habent jus educandi prolem, quæ alioquin ab eis possit abstrahi; atqui hoc non obstat: nam posset proles eis relinqui usque ad usum rationis, & tunc instrui; ac si parentes dissentiant, emancipari; prout fieri posset, si obsisterent institutioni prolis etiam non baptizatæ. Quòd si ex nunc obsistant secuturæ institutioni prolis, posset abstrahi statim, saltem si postea id fieri non posset. Deinde pænes ipsorum voluntatem est, quod prolem retineant, si nempe velint facere, quod debent: adeoque sibi imputare debent, quod proles abstrahatur. *Baptismus prolis non est directè injuriosus parenti infideli dissentienti.*

Dices I. Parentes infideles non tenentur jure divino extra articulum mortis procurare Baptismum parvulorum; legibus autem Ecclesiæ non ligantur: ergo nullius juri præjudicant, neque etiam peccant, ut proinde Princeps non possit eorum parvulos ipsis invitis facere baptizari. Resp. Neg. Cons. cum non tantùm velint Baptismum differre, sed etiam absolutè nolint umquam conferri, adeoque peccent contra jus divinnm naturale in Deum, & in parvulum, cui debetur à parentibus Baptismus, saltem in necessitate, in qua fortè superventurâ ex nunc denegant: & quia eâ ingruente fortasse non esset opportunitas, Principis est prævenire. 32.

Dices II. Si parvuli tales relinquerentur sub educatione parentum, fieret Sacramento irreverentia; si subtraherentur, fieret injuria parentibus: ergo his invitis nequeunt baptizari. Resp. I. Neg. Seq. Antec. pro utraque parte: cujus ratio patet ex ter- *Qui etiam non habet*

jus indirectè ob educationem prolu, potiùs abstrahendi.

tia probatione Conclusionis. Quòd autem parens tali casu jus suum perdat, confirmatur: tum quia illo privatur à principe in pœnam: tum quia illud cessat, dum à principe defenditur jus Dei, & ipsius parvuli ad Baptismum. Et quàmvis hîc non intercedat propriè invasio juris alieni, ut respondet *Præpositus*: sufficit tamen quòd non reddatur jus cuique debitum, ut princeps politicus possit se immiscere, præsertim cùm etiam juxta alios potestas illius se extendat ad impedienda & corrigenda mala contra virtutes naturales, etsi justitiam non tangant.

33. *An & abstrahi non posset, reverentia Sacramenti vetet conferri Baptismum.*

Responderi II. posset non satis clarè apparere, quòd casu quo hujusmodi parvuli baptizati non possent commodè abstrahi à parentibus eos in infidelitate educaturis, idcirco ab eorum Baptismo abstinendum foret ob reverentiam Sacramenti: non desunt enim fortasse, quibus videatur prævalere charitas proximi, fortè in infantia morituri, adeoque salvandi: præsertim cùm magna pars parvulorum moriatur ante usum rationis, immò (ut animadvertium est) ferè usque duas tertias partes. Quidni igitur probabilitas mortis præmaturæ, juncta tantæ necessitati, satis abstergat irreverentiam fortè inferendam Sacramento per apostasiam in adulta ætate aliàs secuturam: quæ insuper posset esse non peccaminosa formaliter; aut saltem non magis culpabilis, quàm si in infantia non fuisset datus Baptismus? Cujus interea fructu quàm maximo parvulus fruitur, scilicet gratiâ sanctificante & amicitiâ Dei, liberatione à multis dæmonum insidiis, speciali protectione angelicâ &c. Adde etiam relapsuris immò apostaturis, tamen in præsenti bene dispositis, conferri posse & debere Sacramentum Confirmationis, Eucharistiæ & Pœnitentiæ: inter quæ, & Sacramentum Baptismi, efficax ratio discriminis non facilè allegabitur. Præterea ut ex *Layman* & aliis tradit *Diana P. 3. Tr. 4. Res. 7.* baptizari possunt proles Hæreticorum ob causas præallegatis similes, etsi similiter sub cura parentum relictæ timeantur hæresi inficiendæ: quidni igitur etiam proles infidelium quantùm est ex parte reverentiæ Sacramenti? Hinc autem sequeretur, similiter posse baptizari proles infidelium, etiam sine consensu principis, invitis parentibus, dummodo saltem consentiat Ecclesia, sine cujus ordinatione aut licentiâ, non est privatorum, filios per Baptismum Ecclesiæ aggregare; præterquam in extrema necessitate, quando consensus est præsumptus, immò debitus, & in ipso lumine naturæ expressus. Nec apparet modò, unde mox dicta possint efficaciter redargui. Fateor tamen esse contra receptam Doctorum sententiam. Ideoque sine firmiori assertione relicta doctiorum examini submitto.

Dixi in Conclusione, *spectato jure naturæ*: jure enim Ecclesiastico id posset prohiberi, immo prohibitum putat *Lorca sup. concl.* 3. eò quòd Baptismus taliter collatus sæpè esset occasio graviorum malorum, nimirum quòd parentes infideles Baptismum prolium metuentes, illos aliquando occiderent, vel saltem à Christiana religione ipsi magis averterentur. Immò ratione horum malorum per accidens sæpissimè posset esse illicitum etiam secluso præcepto Ecclesiastico, ejusmodi parvulos baptizare extra eorum necessitatem. Quemadmodum igitur Ecclesia ad evitanda similia incommoda adultos infideles Christianis principibus subditos non tantùm non cogit ad fidem Catholicam (quod tamen spectato jure naturæ posset minis & terroribus facere juxta sententiam probabilem *Scoti* practicatam à Ferdinando & Sisebuto Regibus Hispaniæ: & colligitur ex L. *Cunctos, Cod. de sum. Trin.*) sed id etiam variis canonibus interdixit, ut *Toletanum IV. can. 56.* ita iisdem rationibus mota Ecclesia parvulos infidelium parentibus invitis non baptizat, immò si id nondum prohibuit (quod feciisse, apertè non ostenditur) prohibere potest.

QUÆSTIO V.

De Dispositione requisita in suscipiente Baptismum.

EX dictis *disp. 3. q. 8.* patet in pueris & perpetuò amentibus nullam requiri dispositionem. Patet etiam ex ibidem dictis in adultis requiri aliquê consensum, & sufficere habitualem, ut Baptismus validè suscipiatur. Ut autem suscipiatur cum fructu

DICO I. Requiritur in adulto actualis fides. Patet ex *Matth. ult. Docete omnes gentes baptizantes eos.* Ex *Marc. ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Ad Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Unde *Act. 8.* eunucho postulanti Baptismum respondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet.* Idem colligitur ex *Trid. sess. 6. c. 6. & 8.* Debet autem hæc fides sive fidei actus procedere ex divina gratia, ut definit idem *Concilium sup. can. 3.* adeoque non sufficit ad justificationem per Baptismum obtinendam naturalis assensus seu credulitas eorum quæ credenda sunt.

DICO II. In adulto obstricto peccato mortali personali, requiritur aliqua pœnitentia. Patet ex *Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm. Luc. 24. Oportebat Christum pati, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam.* Idem expressè habetur in *Trid. sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 1.* ubi dicitur: *Fuit pœnitentia universis hominibus qui se mortali aliquo pec-*

peccatò inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent. In eamdem veritatem conspirant Patres, & illam inculcat *Augustinus* variis locis. Vide *Vasquez d.* 158. *c.* 3.

Consentiunt etiam Scholastici, excepto *Caietano*, qui *q.* 86. *art.* 2. *circa solut.* 1. censet, ut quis per Baptismum acquirat remissionem peccatorum, sufficere voluntatem suscipiendi Baptismum, modò voluntas non sit actualiter peccato affecta. Quod etiam à quibusdam attribuitur *Scoto dist.* 14. *q.* 4. *num.* 6. Sed immeritò, ut bene ostendit *Vasquez sup. c.* 1. & alii: nam *Scotus* ibi tantùm vult, non requiri in Baptismo dolorem de peccatis propter Deum sive veram contritionem; aliquam tamen pœnitentiam requiri, satis ibidem *num.* 7. exprimit: & tam clarè *dist.* 4. *q.* 5. *num.* 2. ut nulli possit esse dubium, qui vel leviter textum oculis non alienis inspicere dignabitur. Ratio conclusionis: quia omnino decet, ut is qui liberè se à Deo per peccatum avertit, liberè se in Deum convertat per peccati detestationem seu retractationem.

Quam existimat Scotus, immeritò in contrarium illius refertur.

Dixi, *mortali personali*: nam obstrictus solo originali, nullam tenetur habere pœnitentiam, quia non avertit se à Deo propriâ voluntate. Ideoque *Trid. sup.* de illis solùm loquitur, *qui se mortali aliquo peccato inquinassent.* Adeòque sufficit in iis spes seu desiderium Sacramenti, adeòque fructûs illius, qui est gratia, & venia seu remissio peccatorum; cum actu fidei, de quo *Concl.* 1. Eosdem actus sufficere & requiri in hujusmodi homine, fatetur etiam *Arriaga d.* 24. *num.* 66. etsi *d.* 22. *num.* 6. dixisset, quòd in tali per solum Baptismum sine actu supernaturali suscipientis remitteretur originale & daretur gratia.

Non requiritur tamen in infante solum originale.

37. *Pœnitentia ad hoc non necessariò est supposita in confer.*

Dico III. Pœnitentia ad fructum Baptismi requisita non debet necessariò esse contritio, nec sufficit concepta ex motivo naturali, v. g. infamiâ, damno temporali: sed requiritur saltem, & sufficit attritio supernaturalis. Prima pars est communis contra *Gabrielem.* Probatur, quia Baptismus est per se institutus ad delationem peccati, tum originalis, tum actualis, ut patet ex *Florentino in Decreto de Armenis* & *Trid. sess.* 5. *can.* 3. & 5. ergo debet posse delere peccata cum sola attritione. Probatur consequentia: quia si requireretur contritio, peccata semper forent deleta per eam ante realem Baptismi susceptionem; & consequenter Baptismus non videretur institutus in remissionem peccatorum. Cùm non rectè causa dicatur instituta ad effectum, qui semper & necessariò causalitati illius præsupponitur. Confirmatur: quia Baptismus est Sacramentum mortuorum & regeneratio spiritualis, quod non rectè diceretur, si contritio prærequireretur: per hanc enim & mortuus revixisset, & homo spiritualiter esset regeneratus antequam ad Baptismum perveniret.

Secunda pars, quæ etiam est communis Theologis. Probatur: quia pœnitentia concepta ex fine naturali non est proportionata gratiæ infundendæ, quæ est supernaturalis; ad quam tamen disponit: neque est à Spiritu sancto; quod tamen requiritur juxta *Trid. sess.* 6. *can.* 3. & *Arausicanum II. can.* 4. *Nec sufficit concepta ex motivo naturali.*

Sequitur itaque sufficere (quod habet tertia pars Conclusionis) attritionem conceptam ex motivo supernaturali & speciali Spiritûs sancti motione, ut quia excludit à gloria æterna vel homo per illud à judice Deo æternis pœnis addicitur. Nec requiritur, ut attritio illa existimetur bonâ fide contritio, prout vult *Navarrus c.* 1. *Summæ num.* 37. utì ex dicendis in simili de Sacramento Pœnitentiæ pleniùs constabit. *Sed saltem requiritur attritio ex motivo supernaturali procedens.*

QUÆSTIO. VI.

An Baptismus possit iteratò suscipi?

38. *Baptismum iterari non posse, docet fides & Ecclesiæ traditio.*

Dico I. Baptismus semel validè collatus iterari non potest. Est de fide ex *Florentino sup. Trid. sess.* 7. *can.* 9. *de Sacram. in gen.* & *can.* 11. *de Bapt.* Et habetur in *Carthaginensi III. c.* 38. Probatur hæc veritas principaliter ex traditione Ecclesiæ: cujus testis est *Clemens Romanus l.* 6. *constitut. c.* 15. & alii Patres. Vide *Vasquez d.* 146. *c.* 3. Ad ejusdem probationem *Leo Papa Ep.* 37. & *Ep.* 79. *ad Nicetam*, *Ambrosius l.* 2. *de Pœnitentia c.* 2. adducunt illud *ad Ephes.* 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Sed hæc Scriptura potest explicari de unitate specificâ Baptismi; immò ad litteram sic explicari debet: cùm Apostolus ibi adhortetur Christianos ad unitatem Spiritûs, tamquam servos unius Domini, & aggregatos in una fide, eodemque fidei Symbolo, scilicet Baptismo, quo renati ac fratres effecti sunt. *Non rectè id infertur ex illo* ad Ephes. 4. V. num Baptisma.

39. *Rectius suadetur ex Apostolo ad Hebr.* 6.

Rectiùs allegatur ab *Ambrosio suprà* illud *ad Hebr.* 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati ..... & participes sunt facti Spiritus Sancti ..... & prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam.* Quod cùm non possit intelligi de renovatione post lapsum per contritionem aut Sacramentum Pœnitentiæ (quæ renovatio durante vitâ semper fieri potest) intelligendum videtur de renovatione post lapsum faciendâ per iteratum Baptismum, quem vocant Apostolus & Patres passim illuminationem. Sunt nihilominus nonnulli etiam doctissimi Interpretes (inter quos *Liranus*, *Titelmanus*, *à Lapide*) qui putant Apostolum hîc loqui de alia pœnitentia, non quòd sit planè impossibilis, sed quia *Quamvis & hic lacus patiatur aliam explicationem.*

admodum difficilis est, non quidem omnibus, sed gravissimis & ingratissimis peccatoribus, puta Apostatis post tam singularia gratiæ dona labentibus in Judaismum, infidelitatem &c. qui consequenter plerumque fiunt obdurati.

40. *Congruentiæ adferuntur.* Congruentiæ sunt. Prima, quòd semel natus corporaliter non possit secundò nasci, sed solùm resuscitari. Secunda, quòd Baptismus imprimat characterem, qui frustrà multiplicaretur per plura Baptismata. Ideoque *Trid. sess. 7. can. 9. de Sacram. in gen.* definiens in Baptismo & duobus aliis Sacramentis imprimi characterem, subjungit: *Unde ea iterari non possunt.* Tertia, quòd Baptismus repræsentet mortem, sepulturam, & resurrectionem Christi, ut significat Apostolus *ad Rom. 6.* & *ad Coloss. 2.* Unde sicut Christus semel tantùm pro peccatis nostris mortuus est, & semel resurrexit: ita & nos per Baptismum eidem consepulti & per eumdem resurgentes, non possumus iteratò sepeliri in aqua Baptismi; ne significemus Christum iteratò posse mori & sepeliri. Quemadmodum Apostolus *ad Hebr. 6.* de illis qui Baptismum repetunt, ait: *Rursum crucifigentes Sibimetipsis filium Dei*; id est juxta *Ambrosium suprà* & alios Patres suo facto significantes filium Dei posse iteratò mori, & unam mortem non fuisse sufficientem.

De pœnis rebaptizantium remissivè. Quantùm ad pœnas rebaptizantis & rebaptizati spectat, uterque decernitur extremo supplicio afficiendus *l. 2. C. Ne sanctum Baptisma iteretur.* De pœnis Ecclesiasticis actum est *Tract. de Leg. d. 6 quæst. 7. §. 2.*

41. *In dubio est Baptismus sub conditione iterandus.* Dico II. Quando subest verum dubium, an aliquis sit baptizatus est rebaptizandus sub conditione. Ita communiter Doctores ex c. *De quibus 2. de Baptismo* & *Carthaginensi V. c. 6.* Ratio est: quia alioquin deberet manere quis in periculo carendi semper Baptismi effectu, nullumque aliud Sacramentum validè suscipiendi: quæ necessitas est adeò gravis, ut facilè excuset ab irreverentia alioquin per iterationem Sacramento inferenda, accedente potissimùm conditione, quæ formæ apponitur, aut saltem mente retinetur?

42. *Etiam ante susceptionem aliorum Sacramentorum.* Unde adultus ita dubitans non solùm potest, sed etiam obligatur Baptismum sub conditione petere, & pastores tenentur conferre; & quidem si sit merum dubium, ante susceptionem ullius alterius Sacramenti: ne illud exponat periculo, etiam citra omne prudens judicium de valida susceptione, quo caret, qui sic dubitat. Si autem probabiliter tantùm judicet se validè baptizatum, censent Plures ipsum interim citra mortis periculum eâdem probabilitate posse aliqua Sacramenta recipere, maximè illa, quæ nec sunt nec esse possunt in damnum aliorum, v. g. Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Matrimonium. Sed dum nulla subest ratio non præmittendi iteratum Baptismum sub conditione, qui utique facilè præmitti potest, dicendum potiùs cùm aliis, videtur, illum debere præmitti. In hoc ipso enim apparet non levis deordinatio & imprudentia, quòd sine utilitate aut ratione omittatur tam facile medium, quo caveatur valori Sacramenti ac fructui, alioquin adeò incerto, ut Ecclesia nequeat supplere defectum, si subsit; prout tamen supplere potest in jurisdictione probabili. Unde etiam fatetur *Dicastillo disp. 1. de Bapt. dub. 9.* (ubi oppositum tenet) non posse licitè suscipi Ordinem Sacerdotii, nec Episcopalem à fortiori, etsi initiandus abstineret ab omnibus muneribus præstandis, quæ vergunt in damnum aliorum, ob gravem, quæ in hoc apparet, deordinationem ac stultitiam, quòd sine ratione hujusmodi tricis se implicet. Et sanè ex incerta Ordinatione Sacerdotis oriuntur per se incommoda gravissima & irreparabilia, dubii scilicet valoris, aut (si probabilitati non subsit veritas) invalida, quot-quot sequentur, sacrificia, absolutiones, inunctiones; &, si de Episcopo sit sermo, dubiæ aut invalidæ essent omnes Confirmationes, Ordinationes, & consequenter actus ordinatorum ab ipso, quoad valorem dependentes à veritate susceptæ Ordinis. Ob quæ omninò illicitè se ingereret quis susceptioni hujusmodi Ordinum (quidquid sit de aliis Sacramentis) ante susceptionem indubitati Baptismi adeòque ante iteratum sub conditione Baptismum incertum.

Dixi *quandò subest verum dubium*: sine illo enim non licet iterare Baptismum, etiam sub conditione, ut docent Theologi cum *Catechismo Romano p. 2. c. 2. n. 43.* & colligitur ex *Rituali Romano Tit. de Baptismo. §. De forma Baptismi.*

Colligitur I. non debere nec posse rebaptizari illos quos constat esse natos parentibus Christianis, & aliquamdiu inter Christianos educatos, nisi occurreret probabilis ratio suspicandi eos non esse saltem validè baptizatos. Ita *Innocentius III. c. Veniens de Presbytero non baptizato.* Unde quandò *Carthaginense V. sup.* dicit *infantes esse baptizandos, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur*; intelligendum est de iis parvulis, qui vel ab infidelibus sic esse nati, vel à parentibus per barbaros sunt abstracti; ut colligitur ex fine capitis.

Colligitur II. baptizatos ab Hæreticis generaliter loquendo non esse rebaptizandos: cùm enim ex fide constet de valore Baptismi ab illis debitè collati, non potest etiam sub conditione repeti, nisi adesset fundata suspicio eos in aliquo essentiali defeciisse. Sicut teste *Coninck quæst. 66. art. 9. num. 96.* quandoque in Anglia contingit proles nobilium aquâ rosaceâ aut simili liquore baptizari, aut ob molestiam frigoris solùm vestes aquâ abstergi; & qui-

& quibusdam in locis ministrum in suggestu formam pronuntiare, alio corpus prolis abluente. Tunc enim sufficiens est ratio Baptismum iterandi. Immo *Præpositus ibidem dub. 2. num. 99* putat in partibus Belgii hæresi infectis prudenter baptizari sub conditione baptizatos ab Hæreticis, eò quòd qui eorum mores norunt, meritò dubitent, an legitimè baptizent. Idem docent Nonnulli alii Recentiores. Et consonat Pastorale *Mechlinienſe* 1608. atque etiam novissimè recognitum Anno 1624. in quo præscribitur *Tit. de Sacram. Baptismi §. De forma: Et quia nostri temporis Hæretici, pro insatiabili suo in Ecclesiam odio, Sacramentorum formas plerumque invertunt, materiam contemnunt, aut legitimam intentionem non habent*, eò liberiùs, quòd opinione Calvinisticâ, Baptismus filiis fidelium non sit necessarius) *meritò Baptismus ab eis collatus de nullitate suspectus haberi debet. Proinde ab iis baptizati, sub conditione baptizentur.* Et quidem facilè crediderim circa initia tumultuum Belgii potuisse velut indiscriminatim baptizatos ab Hæreticis istis baptizari sub conditione, eò quòd in istis turbulentiis, in quibus etiam sutores arrogabant sibi ministerium verbi, generatim inerat ratio suspicionis, & postmodum via examini vix patebat. Nunc tamen Synagoga peccantium stabilita dicitur uti materia, forma & modo debitis. Ut proinde in Hollandiâ Sacerdotes (qui ibi rationes dubitandi optimè scire possent & deberent) rarò soleant amplius baptizare quos constiterit (quod addo propter *Mennonistas*, non solitos admittere parvulos ad Baptismum) ab Hæreticis fuisse baptizatos. Neque ego scrupulum soleo movere conversis ad fidem; nisi fortè promovendis ad Sacerdotium, in quibus certitudo moralis (quæ gradus habet) quàm maxima rectè quæritur. Immo conformis extat Constitutio *Philippi Rovenii* nuper in istis regionibus Vicarii Apostolici edita Anno 1638. die 12. Decembris quæ talis est: *Baptizati ab Hæreticis non facilè de novo baptizentur, nisi constet omnino aliquid substantiale circa illos prætermissum, vel rationabiliter de eo dubitetur.*

45. Baptizati ab obstetricibus non indiscriminatim baptizandi sub conditione.

Colligitur III. baptizatos in necessitate ab obstetricibus non esse indiscriminatim baptizandos sub conditione; quidquid Aliqui velint: nam videtur frequenter posse haberi post diligens examen moralis certitudo, quòd obstetrices abhibuerint omnia necessaria. Unde oppositum, quod (ut refert *Præpositus* infrà) præscribitur in *Pastorali Mechlinienſi can. 9.* non esse recipiendum censet *Coninck n. 95.* Sed potiùs est restringendum cum *Præposito n. 101.* ad casus in quibus est rationabile dubium, v. g. si re examinatâ appareat obstetricem non promptè callere formam Baptismi, aut propter perturbationem sive perplexitatem in facto suo hæsitasse, aut in narratione esse inconstantem. Quam restrictionem satis indicat ipsum *Pastorale* recognitum Anno 1624. *Tit. De Sacram. Baptismi §. De forma*; etsi supponat (quod facti est, & examini subjacens) probabilem dubitationem ordinariè subesse, quando infans ab obstetrice baptizatus dicitur. Alioquin obstetrices in hac re interdum non minùs promptæ sunt, quàm quidam Sacerdotes parum in Theologia vel praxi versati. Quare saltem res est examinanda. Sanè *Athanasius* adhuc puer æquales suos baptizaverat; qui tamen mox non sunt rebaptizati sub conditione, sed prævio rei examine sunt in Baptismo relicti. Quantò igitur ampliùs id censendum de baptizatis ab obstetricibus, præsertim juratis, quæ nisi bene calleant modum baptizandi, non sunt ad munus obstetricum assumendæ.

46. *Qualiter procedendum cum infantibus expositis.*

Colligitur IV. infantes expositos & inventos, si re diligenter investigatâ de eorum Baptismo non constet, esse sub conditione baptizandos, juxta *Rituale Romanum Tit. de parvulis baptizandis.* An verò satis censeatur constare, quando habent appositam schedam sive chartam, saltem in tertis Catholicorum, varii Recentiores in dubium vocant: quamvis Doctores satis communiter existiment, quòd sic; eò quòd videatur tale testimonium moralem satis certitudinem generare, utpote adhibitum ex bona conscientia ad vitandam reiterationem Baptismi. Quod facilè admiserim quando perhibetur testimonium de Baptismo solemni, vel collato à presbytero cum designatione loci, temporis, & nominis impositi: tunc enim poterit ex registro baptizatorum peti plena notitia rei. Aliàs videtur posse repeti sub conditione, si tantùm generaliter significetur Baptismus prolis: tunc enim non suppetit via inquirendi de idoneitate illius qui Baptismum contulit; quæ tamen patere debet, etiam dum constat à certa obstetrice collatum esse. Nam fortè collatus fuit à matre fornicariâ, aut aliâ muliere partui præsente, haud satis instructâ, nec vocata fuit persona satis instructa ob periculum infamiæ vel divulgationis. Quàmvis varii Recentiores ampliùs velint, regulariter videlicet sales esse rebaptizandos; quod aiunt præscriptum in variis Diœcesibus, ut videre est apud *Diana part. 9. Tract. 6. resol. 35.*

DISPU-

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Necessitate, Effectu & Ceremoniis Baptismi.

QUÆSTIO I.

An & quâ ratione Baptismus sit necessarius?

1. *Baptismus est ad salutem necessarius.*

DICO I. Baptismus est ad salutem necessarius. Est de fide ex *Trid. sess. 7. can. 5. de Baptismo.* Idemque definierat ante *Florentinum in Decreto de Armenis* dicens: *Nisi ex aqua & Spiritu sancto renascimur, non possumus (ut inquit Veritas) in regnum Cælorum introire.* Idem patet ex verbis Christi Joan. 3. quæ mox ex *Florentino* retulimus.

Verba Christi Ioan 3. *variè torquent Hæretici: qui confutantur.*

Illa tamen variè torquent Hæretici. Nam primò accipiunt aquam metaphoricè pro mortificatione, quasi diceret Christus: Nisi quis fuerit mortificatus non poterit introire in regnum Dei. Secundò hoc modo, ut aqua sit epithetum Spiritûs sancti, q. d. Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto, qui per aquam designatur &c. Tertiò, ut conjunctio, &, sumatur disjunctivè pro, *vel*, hoc modo: nisi quis renatus fuerit ex aqua vel Spiritu sancto. Sed hæ detorsiones sunt contra unanimem Patrum consensum & traditionem Ecclesiæ. Deinde sunt contra proprietatem verborum: cùm tamen verba sint propriè intelligenda, si nihil sequatur absurdi: quid autem absurdi est, quòd aqua assumatur à Deo tamquam instrumentum necessarium ad salutem. Accedit contra primam explicationem, quòd *Tridentinum sup. can.* 2. dicat anathema detorquenti prædicta verba ad aliquam metaphoram. Deinde si aqua ibi intelligatur metaphoricè, non poterit inde probari Sacramentum Baptismi. Denique de illa aqua ibi est sermo, de qua *Act.* 8. dixit Eunuchus Philippo: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Ubi Eunuchus non voluit ostendere mortificationem, sed veram aquam. Secunda explicatio ob nimiam detorsionem per se satis corruit. Denique ex tertia sequitur quòd si conjunctio copulativa sumatur disjunctivè, posset quis sine spiritu cum sola aqua introire in regnum Dei; quod est absurdum.

2. *Parvulis est baptismus in re necessarius necessitate medii extra casum martyrii.*

DICO II. Baptismus extra casum martyrii est parvulis necessarius necessitate medii ad justificationem & salutem. Est certissimum ex dictis *præc. Conclus.* Idem patet ex Patribus passim obviis. Sufficiat auctoritas *Augustini ep. 28. ad Hieronymum*, ubi ait: *Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam Prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea eorum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse.* Et *l. 3. de origine animæ c. 9.* ait: *Nolite dere, noli dicere, noli docere; infantes, antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Unde *Vasquez* appellat erroneam, sim. *Sotus* hæreticam opinionem *Gersonis*, qui saltem temerè contra sensum fidelium & generalem Dei legem in Scripturis expressam excepit nonnullos parvulos, quos ex speciali misericordia Dei credidit aliquando salvari sine Baptismo, ob specialem parentum devotionem: nam absque urgenti fundamento id fit contra legem communem manifestissimè promulgatam & generaliter ab omnibus intellectam. Alioquin certè similes exceptiones licebit excogitare circa alias generales Dei leges, v. g. quòd ex gratia speciali aliquando salvetur, qui ante mortem non egit pœnitentiam de peccatis.

Probatur ratione Theologicâ: quia parvuli juxta fidem sunt infecti peccato originali; & extra casum martyrii nullum est medium, nisi Baptismus, quo ab illo justificentur: ergo Baptismus est illis medium, & quidem necessarium ad justificationem, & consequenter ad salutem. Nam illud dicitur necessarium necessitate medii, quòd est medium sine quo juxta legem ordinatam justificatio sive salus obtineri nequit, etiamsi ex ignorantia, oblivione aut impotentiâ non adhibeatur.

Oppositum conclusionis tenent plerique Hæretici nostri temporis, & *Calvinus* saltem de parvulis fidelium, quos dicit sanctos & membra Ecclesiæ sine Baptismo, adeòque sine illo posse salvari. Pro quibus

Dices I. *Matth.* 19. Christus ait: *Sinite parvulos* (infantes vocantur *Lucæ* 18.) *ad me venire: talium est enim regnum cælorum*; ergo sine Baptismo possunt salvari. Resp. Neg. Cons. nam Christus tantùm voluit parvulos esse ratione ætatis nihil habere malitiæ actualis, quod eos excludat à regno cælorum, prout habent adulti, quibus parvulos opponit; ut proinde *humilitatis similitudinem in parva ætate posuerit*, juxta *Augustinum lib. 1. de Peccat. meritis c. 19.* Addè, quòd tunc temporis Baptismus nondum erat necessarius necessitate medii; quòdque à parvulis Judæorum sive fidelium ad Christum per se vel per alios offerentes accedentibus (de quibus Christus ipse loquebatur) macula originalis

ginalis per circumcisionem aut remedium Legis naturæ dudum erat ablata. Aut certè Christus insinuat talium esse regnum Dei, si scilicet ad Christum venerint, ab eoque benedicti sint; uti & aliorum parvulis quoad mores similium.

Dices II. *Genesis* 17. Deus promisit Abrahæ se futurum Deum seminis ejus: ergo saltem filii fidelium, qui intelliguntur semen Abrahæ, sunt Deo grati sine Baptismo. Resp. Neg. Cons. nam locus iste intellectus de filiis Abrahæ carnalibus nihil aliud eis promittit, quàm quòd introducerentur in terram Chanaan, & contra hostes defenderentur à Deo, quousque mandata ipsius servarent: & tunc non est ad rem. Si autem intelligatur de semine Abrahæ spirituali, id est, de fidelibus & justis, ac similiter de spiritualibus promissionibus; tunc mala est deductio: cùm parvuli in Lege gratiæ non censeantur spirituale semen Abrahæ sine Baptismo, sicut ante Legem gratiæ non censebantur sine circumcisione aut alio remedio: quia nimirum nascuntur in originali peccato, etiam filii fidelium, ut de se ipso testatur Propheta *Psal.* 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*, & de se ipso ac suâ gente Apostolus *ad Ephes.* 2. *Eramus & nos naturâ filii iræ, sicut & ceteri.* Et patet ex generali sententia Apostoli *ad Rom.* 5. *in quo omnes peccaverunt.* Unde ut etiam filii fidelium fiant semen Abrahæ spirituale, debent spiritualiter regenerari per Baptismum in lege nova; ut etiam docet Ecclesiæ traditio.

Dices III. Apostolus 1. *ad Cor.* 7. filios fidelium vocat sanctos, dicens: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Ergo Baptismus non est ipsis necessarius Resp. Neg. Cons. Apostolus enim non vult filios, quorum unus saltem parens est fidelis, esse eo ipso sanctos verâ sanctitate; cum eodem modo dicat, conjugem infidelem esse sanctificatum per fidelem: quod indubiè etiam juxta Hæreticos nequit intelligi de vera sanctificatione. Inter varias autem hujus loci expositiones (quæ videri possunt apud *Vasquez d.* 149. *cap.* 2. & alios, & quarum nulla favet Hæreticis) hæ apparent probabiliores.

Prima est, ut Apostolus dicat filios fidelium sanctos extrinsecâ solùm reputatione & denominatione; sicut cetera, quæ rebus sanctis junguntur, quodammodò sancta reputantur: quo modo etiam conjugem infidelem rectè dicit sanctificari per fidelem. Simili ratione *ad Rom.* 11. ait: *Quod si delibatio sancta est, & massa, & si radix sancta, & rami.* Ubi Judæos, etsi tunc nequam & infideles, ostendit non debere contemni à Gentibus, sed potiùs amari, & honorari ob sanctitatem radicis, Patriarcharum videlicet & Prophetarum, quam extrinsecè communicabant. Ita *Coninck ad q.* 68. *num.* 5. Paulò aliter alii (& satis placet *Estio* in Commentario) exponunt Apostolum de ea sanctificatione, quâ conjux infidelis ex casta & timorata conversatione conjugis fidelis paulatim desuescit à spurcitiis & luxuriis contranaturalibus Gentilium, esto non usque ad perfectam conversionem: Similiter de sanctificatione, quâ filii adulti, etsi nondum ad fidem conversi, castiùs educantur à parentibus simul habitantibus si alter eorum fidelis sit, quàm si digresso fideli maneant apud infidelem, inficiendi nimirum vitio immunditiæ seu luxuriæ signanter, quo potissimùm laborare solent filii infidelium. Videturque hæc expositio solidior & magis realis quàm præcedens. *Secunda expositio probabilior.*

Tertia est, ut Apostolus conjugem infidelem dicat sanctificari per fidelem ob probabilem spem perfectæ conversionis ratione sancti & pacifici consortii conjugis fidelis. Nam post pauca subdit: *Unde enim scis* (id est, quidni sperabis) *mulier, si virum salvum facies? &c.* Filios autem vocat similiter sanctos, scilicet in spe; eò quòd speretur, eos operâ fidelis parentis, tamquam talis pacificè cohabitantis, baptizandos, & Christianè sanctèque educandos. Quia verò hæc spes ex toto corruit quoad conjugem, si fiat separatio, & pro magna parte quoad filios (natum est enim fieri, quòd proles tempore illo saltem, quo dominatur infidelitas, sequatur conjugem infidelem, maximè si sit vir) ideo dissuadet Apostolus in casu, quo fidelis in cultu suæ fidei pacificè relinquitur, fieri separationem. Ita *Vasquez suprà*, allegans *Augustinum* & alios. 6. *Tertia expositio non minùs probabilis.*

Nonnulli denique primam & tertiam expositionem jungendam censent: eò quòd Apostolus significare potuerit utroque ex his modo filios & conjugem infidelem sanctificari, & reverenter tractandos esse, tum quatenus censentur quid unum cum fideli parente & conjuge: tum quatenus adest spes ac velut initium veræ sanctificationis. Pari modo posset jungi secunda & tertia expositio. *Duæ expositiones Nonnulli jungunt.*

Dico III. Baptismus est adultis ad justificationem & salutem necessarius, tum necessitate præcepti, tum etiam necessitate medii, saltem in voto. Prima pars colligitur ex *Matth. ult. Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* ubi Apostolis datur præceptum baptizandi, & ex consequenti aliis Baptismum suscipiendi. Patet etiam ex verbis Christi *Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Ex quibus colligit *Trid. sess.* 6. *c.* 4. justificationem non posse fieri sine Baptismo, aut ejus voto; quod tamen esset falsum: posset enim fieri per contritionem perfectam, quæ non esset votum Baptismi, si Baptismus non esset præceptus. Non præcipitur 7. *Baptismus est adultis necessarius ex præcepto divino.*

Etiam directo per se ad ipsum Baptismum,

pitur autem solùm Baptismus indirectè, quatenus videlicet præcipitur finis, ad quem est medium necessarium in re vel in voto: sed etiam præcipitur directè in se, adeò ut quàmvis finis non esset præceptus, aut justificatio jam esset obtenta, equidem maneret obligatio suscipiendi Baptismum; ut patet in iis, qui tempore Christi justificationem acceperant sine ulla obligatione aut respectu ad Baptismum, qui tunc nondum erat præceptus, sed paulò post. His enim non erat necessaria Baptismi susceptio in re vel in voto in ordine ad justificationem, sed solùm ad evitandum novum peccatum; utique propter obligationem suscipiendi Baptismum ortum ex generali præcepto Christi. Quàmvis si tales post promulgatam legem Baptismi rursum in mortale incidissent, fuisset quoque Baptismus in re vel voto medium eis ad justificationem, adeòque ad salutem necessarium. Uti erat illis quoque, qui ante legis promulgationem in peccata prolapsi, ab iis nondum erant tempore legis promulgatæ mundati. Est itaque præceptum directum de ipsa susceptione Baptismi concernens omnes adultos: omnes enim ex præcepto obligantur ad Christianismum & Ecclesiæ Christianæ ingressum, qui fit per Baptismum: adeoque obligantur ex præcepto ad ipsum Baptismum.

Quod proinde in periculo mortis tenetur adultus sine morâ implere.

Ex quo sequitur adultum, etiam justificatum, in periculo mortis constitutum teneri absque dilatione suscipere Baptismum: cùm enim illum semel in vita teneatur recipere, & per eumdem in Ecclesiam introire, sequitur vel tunc saltem obligari ad susceptionem illius.

8.

Est etiam in se aut in voto necessarius necessitate medii.

Secunda pars patet ex verbis Christi *Joan.* 3. quæ sunt generalia etiam pro adultis, & designant Baptismum esse medium necessarium ad regnum Dei acquirendum, saltem in voto. Idemque exprimit *Tridentinum sup.* docens aliter post promulgationem Evangelii justificationem fieri non posse. Ratio est: quia Baptismus est institutus tamquam medium ad justificationem & salutem; & quidem non est aliud, nisi ipse in re, aut in voto: ergo illo modo est necessarius necessitate medii.

Differentia inter Baptismum & restitutionem seu alia præcepta.

Nec inde sequitur, etiam illa, quæ tantùm sunt necessaria necessitate præcepti, esse necessaria necessitate medii, v. g. restitutionem; eo quod fur v. g. non possit justificari, nisi restituat rem furto ablatam, sive in re, sive in voto. Non sequitur, inquam: quia restitutio, & similia ex præcepto necessaria, non sunt instituta in remedium peccati præteriti deletivum, sed tantùm sunt necessaria ad evitandum peccatum novum; vel tantùm removent prohibens justificationem, non autem influunt in illam, vel umquam ad illam re ipsâ concurrunt: prout Baptismus maximè concurrit re ipsâ; in casu autem contritionis concurrit in voto, sic tamen, ut postea sit adhibendus etiam in ordine ad peccata dimissa; sicut debet adhiberi Sacramentum Pœnitentiæ peccatis etiam per contritionem deletis. Quare contritio respicit restitutionem & similia tamquam præcepta, non tamquam media ad justificationem instituta; respicit autem Baptismum tamquam votum rei, quæ se ipsâ est medium ad justificationem.

Ubi nota, non sufficere quodcumque votum Baptismi: qui enim simpliciter desideraret Baptismum, non ideo justificaretur absque Sacramento re ipsâ susceptо. Intelligitur itaque votum sive desiderium Baptismi conjunctum vel contentum in contritione charitate perfectâ; quam etiam sine Sacramento infallibiliter justificare docetur in materia de Gratia contra *Michaelem Baium.* Sufficit etiam votum Baptismi conjunctum martyrio aut contentum in sufficienti ad illud dispositione eidem conjunctâ. Quæ autem talis sit, dicetur *disp. seq. q.* 3.

DICO IV. Adultus sufficienter in fide instructus, vel qui potest brevi sufficienter instrui, non potest Baptismum diu differre. Ita communiter Doctores. Probatur: quia tenetur, dum commodè potest, intrare in Ecclesiam, & fieri membrum mystici corporis Christi; quod non nisi per Baptismum fieri potest. Neque enim sufficit in Ecclesia mori, sed opus est in ea vivere, & consequenter datâ opportunitate in illam intrare: ideo namque Christus instituit Ecclesiæ Pastores, Sacramenta iterabilia, quibus homines in Ecclesia regerentur & continuò pascerentur. Confirmatur: quia nisi illud tempus assignetur, nullum poterit assignari præter finem vitæ aut periculum, in quo susceptio Baptismi obligaret; cùm non sit potior ratio, cur aliàs, quàm primâ opportunitate. Ex quo non parva incommoda sequerentur: nam fine suo Sacramentum frustraretur, & redderetur homo ceterorum incapax. Itaque (& est ratio à priori) videtur ita à Christo institutum, ut cùm primùm commodè potest susci pi, nec est ratio differendi, suscipiatur: cùm non tantùm in remissionem originalis & aliorum peccatorum (ubi Pœnitentia & contritio, quæ non obligant ad statim) sit institutum, sed etiam ut quisque fidem Catholicam profiteatur; ob quod in ipsa forma Trinitatis invocatio continetur. Quare mysteriis fidei satis propositis; tenetur eamdem exteriùs profiteri in hoc Sacramento, quo recipiatur ad cœtum à Christo fundatum, ut subditus sit ejus capiti & capax ceterorum Sacramentorum. Confirmatur à simili: nam qui vovet Religionem ingredi, etsi non determinet tempus, tenetur statim moraliter loquendo, eò quòd vi voti illius totam vitam suam & vitæ tempus

pus offerat & consecret ad illum statum: ita hoc præceptum obligans homines ad assumendam Religionem Christianam, obligat statim moraliter loquendo, seu obligat, ut non nimium differatur. Obligationis credendi interiùs mysteriis fidei satis propositis, & quidem sine ulla mora, non feci hîc mentionem: eò quòd istius & præsentis obligationis non appareat per omnia par ratio.

11. Dixi, *Non potest Baptismum diu differre*: quia res ista non consistit in indivisibili. Unde consequenter si parum differat, non statim graviter peccabit. Quando autem dilatio censeatur notabilis, debet prudenter dijudicari spectatis causis occurrentibus. Quæ si rationabiles sint, nullum erit peccatum aliquantò diutiùs differre Baptismum juxta illarum exigentiam. Quomodo nonnulli graves & sancti viri, ut *Ambrosius*, *Nazianzenus*, & alii possent excusari, qui Catechumeni & satis instructi distulerunt Baptismum per satis longum tempus. Nisi quis eos excusare malit per bonam fidem aut invincibilem ignorantiam dictæ obligationis tunc eis fortasse non satis notæ aut propositæ.

12. Contra conclusionem Nonnulli sibi objiciunt, quòd olim potuerit, immo debuerit Baptismus etiam satis instructorum differri usque ad Pascha vel Pentecosten, extra quæ tempora, secluso casu necessitatis, non conferebatur Baptismus adultis. Respondent autem iidem objicientes, id hodie non licere, cessante hujusmodi lege. Verùm nullatenus id credo: nam etiam hodie *decet* (ut utar verbis *Ritualis Romani Tit. de Bapt. adultorum*) *hujusmodi Baptismum ex Apostolico instituto in Sabbato sancto Paschatis vel Pentecostes solemniter celebrari*; adeòque saltem consultum aut licitum est, hoc institutum etiamnum observare: cùm non sit credibile illud fuisse tale, ut obligatione illius cessante dilatio Baptismi usque ad subsequens v. g. Pascha foret repugnans præcepto Christi. Quare (inquit *Rituale Romanum sup.*) *si circa hæc tempora Catechumeni sint baptizandi, in ipsos dies, si nihil impediat, Baptismum differri convenit. Verùm si circa, seu post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui ægrè ferant suum Baptisma in longum tempus differri, & ad illud festinent, instructique ac ritè parati esse noscantur, citius baptizari possunt.* Ubi clarè supponitur Baptismum etiam in casu sufficientis instructionis pati hanc dilationem: immo si baptizandi non ægrè ferant nec ita festinent, decentiùs illum sic differri. Ut proinde hujusmodi dilatio, vel non sit per se nimia, vel certè ei subsit rationabilis causa, tum ratione temporis Paschæ & Pentecostes huic mysterio specialiter accommodati, tum ratione majoris solemnitatis, & conformitatis, instituto Apostolico, indubiè rationabilissimo. Post hæc vidi *Arriga d. 26. num. 36.* censentem conformiter, quòd dilatio unius anni non foret gravis. Ubi etiam rectè addit obligationem non nimiùm differendi injici adultis non potuisse ab Ecclesia; quæ non habet mandare iis qui foris sunt.

Tamen communis extendit usque ad solemnia Baptismi dum tempora, ejus per modum mensis dilatio.

QUÆSTIO. II.

De Effectu Baptismi.

DICO I. Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis ante Baptismum commissæ. Ita expressè definit *Florentinum in Decreto Unionis*. Idem *Trident. sess. 5. in Decreto de peccato originali*. Et *sess. 14. cap. 2.* docet, *Per Baptismum Christum induentes, nova prorsus efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes.* 13. *Baptismus remittit omnem culpam præcedentem.*

Patet ex Scriptura, *Ezechielis 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quod Patres interpretantur de aqua Baptismi. *Ad Titum 3. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. Ad Rom. 8. Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*; scilicet per Baptismum. *Ad Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Act. 2.* monet Petrus, ut *baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum.* Cui consonat *Symbolum Constantinopolitanum* generaliter dicens: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Patres vide alibi.

Ex quibus patet, quàm ineptè Hæretici dicant peccata in Baptismo verè non remitti, sed solùm tegi seu non imputari: quo modo enim homines tunc sunt mundi & immaculati juxta Scripturam, & non potiùs sepulchrum dealbatum intùs plenum sanie & fœtore? Quo modo Ecclesia exhibetur Deo gloriosa, sancta & immaculata, ante cujus oculos nihil tegi potest, aut aliter imputari, quàm est? Unde *Trident. sess. 5. cit.* dicit anathema asserentibus *peccata tantùm radi, aut non imputari.*

Ratio fundamentalis est voluntas Christi instituentis, quæ ex Scriptura & traditione constat.

Conclusio est intelligenda per se, scilicet quando non ponitur obex: si enim de aliquo peccato mortali non adesset dolor debitus, nullum omnino remitteretur: cùm unum peccatum mortale non remittatur sine alio, neque etiam venialia sine mortali, quando in subjecto simul est aliquod peccatum mortale. Similiter si de aliquo veniali non adsit sufficiens displicentia, ceteris remissis hoc non dimittetur per Baptismum, nisi postmodum ablato obice ad *Nisi ponatur obex, qui etiam impedire potest seorsim venialium remissionem;*

14. *Attamen plenariè ad hanc reviviscit Baptismus posita retractatione*

hunc etiam effectum reviviscat. Sicut enim implicatus peccatis mortalibus & venialibus, si indispositus baptizetur, postea reviviscente Baptismo per generalem omnis peccati detestationem remittuntur vi Baptismi præcedentis omnia peccata, tum mortalia, tum venialia, Baptismum præcedentia; sic si sit obex ad remissionem solorum venialium, multò magis videtur reviviscere Baptismus ab eorumdem remissionem: ne alioquin Baptismus reviviscens in peccatore vim habeat, etiam in venialia, & non in homine justo.

15. *Sine accessu novæ gratiæ Baptismatis.*

Observa tamen, quòd dum Baptismus reviviscit ad remittendum mortalia, conferatur gratia sanctificans Sacramenti; utpote antea non collata. Quando autem reviviscit ad sola venialia remittenda, quæ antea non erant retractata, gratia Sacramenti fuit collata in susceptione, venialia verò ista remittuntur absque collatione novæ gratiæ, intuitu Sacramenti præcedentis seu gratiæ Sacramentalis priùs collatæ: quamquam per accidens simul concomitetur infusio gratiæ correspondentis retractationi ipsi, tamquam operi bono hominis justi, & meritorio ex opere operantis.

Porrò sicut accedente postea retractatione remittuntur venialia Baptismum præcedentia etiam quoad pœnam; sic etiam videntur remitti cum iis morienti ad positionem retractationis in instanti post vitam: qui proinde, si post baptismum non peccasset, non iret ad purgatorium. Immo *Dicastillo d. 2. nu. 173. & 265.* testatur hunc esse communem sensum fidelium.

16. *Baptismus remittit omnem pœnam propriè dictam.*

DICO II. Baptismus cum culpa simul remittit omnem pœnam propriè dictam; non verò auferit pœnalitates hujus vitæ. Pro intellectu conclusionis

Differentia inter illam & pœnalitates hujus vitæ.

Notandum in hominibus lapsis esse quosdam defectus ex ipsa natura oriundos, qui etiam essent in homine condito in statu puræ naturæ, quantùm ad substantiam & imperfectionem. Hujusmodi sunt passio corporis, dolores, ægritudines, fames, fomes appetitûs sensitivi, mors &c. quibus quia subventum erat per justitiam originalem, & in homine lapso revixerunt, amissâ per peccatum originali justitiâ, ideo non censentur in ipso merè naturales, sed pœnales, & vocantur à Theologis pœnalitates. Alii sunt defectus, qui ab extrinseco per Deum homini infliguntur ad satisfaciendum justitiæ vindicativæ, sic ut nullum in ipsa natura hominis habeant fundamentũ; v.g. tormenta inferni, pœnæ purgatorii &c. Et hi sunt pœnæ propriè ac strictè dictæ. Quo notato

17. *pœnam omnem remitti definiunt Concilia.*

Prima pars conclusionis patet ex *Florentino sup.* ubi ait: *Hujus Sacramenti effectus est, remissio omnis pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cælorum & Dei visionem perveniunt.* Similiter habet *Trid. sess. 5. can. 5.* ubi de baptizatis dicit: *Innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt . . . ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur.* Indubiè autem aliquid eos remoraretur, si alicujus pœnæ persolvendæ debitores remanerent. Et *sess. 6. cap. 14.* docet *pœnam temporalem non totam semper, ut in Baptismo fit, dimitti* accedentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ. Item *sess. 14. cap. 2. & 8.*

Probatur II. ex traditione Ecclesiastica, quam Patribus ostendunt Nonnuli, inter quos *Suarez.* Sed sufficienter ex eo constat, quòd baptizatis numquam, confessis semper, Ecclesia injunxerit opera satisfactoria; indubiè, quia credebat baptizatos ob remissionem omnis pœnæ nullâ satisfactione indigere, sicut confessi indigent.

Congruentia est, quòd in Baptismo fiat prima condonatio, quæ solet esse liberalior. Deinde in illo Sacramento expressiùs repræsentatur mors, sepultura & resurrectio Christi: unde congruum erat, ut Christus majorem ei virtutem conferret. Tertiò *divinæ Justitiæ ratio* (inquit *Trid. sess. 14. cap. 8.*) *exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter verò qui semel à peccati & damonis servitute liberati, & accepto Spiritûs sancti dono, scienter templum Dei violare & Spiritum sanctum contristare non formidaverint.* Non fit autem tam adæquata remissio vi justificationis Baptismi præcisè ex natura rei, sed ex liberali, etsi magis congruâ condonatione Dei. Alioquin gratia quæ in Baptismo confertur, est ejusdem rationis cum ea, quæ in Sacramento Pœnitentiæ: & utrobique potest esse peccatorum ac dispositionis æqualitas; immo in Baptismo dispositio longè minor, & peccata longè plura & majora: & tamen infallibiliter in Baptismo omnia integrè & adæquatè remittuntur, non ita in Sacramento Pœnitentiæ. Statuit itaque Christus cuilibet renasci volenti dare semel plenissimum quasi jubileum, sic ut vetus Adam totus quoad culpas ac proprium earumdem effectum sepeliatur in aquis per merita suæ amarissimæ passionis ac mortis; at denuò relabenti non tam facilè veniam culpæ simul cum pœna tribuere.

Secunda pars conclusionis est nimis certa per experientiam: morimur enim omnes, ac fomitem peccati, etsi per gratiam Baptismi nonnihil minuatur, inviti sentimus, variisque hujus vitæ calamitatibus indies subjicimur. Cujus rei variæ à sanctis Patribus assignantur rationes. Prima, ut pœnalitates patienter tolerando haberemus materiam meriti & exercendæ virtutis: nam juxta Apostolum 2. *ad Cor. 12. Virtus in infirmitate perficitur.* Secunda, ut ex nostræ naturæ subjectione ac dejectione profun-

profundiùs humiliaremur, & appareret quàtùm divinâ gratiâ indigeamus. Tertia, ut homo circumferendo lapsûs sui testimonium magìs agnosceret beneficium redemptoris. Vide *D. Thomam q. 69. a. 3.* & *Suarez* ibidem in Commentario.

QUÆSTIO III.

De Ceremoniis Baptismi.

OLIM duobus tantùm anni temporibus, scilicet in Paschate & Pentecoste Baptismus conferri consueverat: quibus diebus baptismalis fontis aqua ritè consecratur. Immo alio tempore conferri prohibebatur extra casum necessitatis, ut patet ex c. *Non ratione* 11. & c. *Duo tempora* 12. *de Consecr. dist.* 4. Quem ritum ex Apostolico provenire instituto indicat *Rituale Romanum Tit. de Baptismo adultorum.* Quod intellige de adultis: nam parvulis Ecclesia Romana semper conferebat; etsi alibi, signanter in Gallia, citra necessitatem non conferretur etiam parvulis extra duo anni tempora. Quàmvis autem hic mos quoad obligationem exoleverit: nihilominùs, juxta *Rituale Romanum Tit. de tempore & loco administrandi Baptismum*, illum *quantùm fieri commodè potest, in adultis baptizandis, nisi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certè non omnino prætermitti, præcipuè in Metropolitanis aut Cathedralibus Ecclesiis.*

Solebat autem istis temporibus conferri Baptismus cum magna solemnitate & variis ritibus seu ceremoniis, partim præcedentibus, partim comitantibus, partim consequentibus Baptismum. Et in primis Baptismum necessariò præcedebat Catechismus. Substantialis quidem, consistens in sufficienti instructione & doctrinâ rerum fidei, est necessarius velut ex natura rei, suppositâ institutione & fine Baptismi, ad convenientem ejusdem usum. Ceremonialis autem requirebatur ex instituto Ecclesiæ, consistens in quodam speciali modo & ordine ab Ecclesia instituto in Catechumenorum instructione & præparatione ad Baptismum.

In primis autem quicumque volentes animum fidei Christianæ applicare catechizandis aggregabantur in ordine ad audiendas res fidei, generali nomine dicebantur Catechumeni. Quorum duo erant genera. Unum illorum, qui necdum Baptismum petierant; & hi vocabantur Auditores seu audientes. Alterum eorum, qui jam Baptismum petierant; & hi vocabantur Competentes, quasi Baptismum cum aliis petentes, aut etiam Electi, scilicet ex ceteris.

Secundò instituebatur scrutinium, id est examen, quo explorabantur animi petentium circa fidei firmitatem, idque diversimodè & frequenter: nempe septies, ut habet Bellarm. *l. 1. de Bapt. c. 25.* Præcipuum erat tertium scrutinium, quod fiebat feriâ quartâ post Dominicam quartam Quadragesimæ. Tertia ceremonia erat abrenuntiatio Satanæ, quæ sæpè fiebat tempore scrutinii. Ejus formam tradit *Clemens Romanus l. 7. constit. c. 42.* Quarta erat fidei professio, quæ tum tempore scrutinii, tum tempore Baptismi fiebat Symboli recitatione. Quinta, signum crucis fronti & pectori Catechumeni impressum. Sexta, exorcismus, id est, adjuratio dæmonis certis precibus facta, ut recedat ab homine baptizando. Septima, exsufflatio ipsi exorcismo annexa. De qua *August. lib. 6. contra Jul. cap. 5.* inde probans contra eumdem esse peccatum originale in parvulis non baptizatis, ait: *Id tu commemorare timuisti, tamquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, quâ princeps mundi à parvulis ejicitur foràs, contradicere voluisses.* Octava, gustatio salis quod Catechumenis dabatur gustandum in signum cælestis prudentiæ & sapientiæ, quam tunc Catechumeni debebant gustare, & addiscere. Illius meminit *Carthaginense III. c. 5.* Nona, tactus narium & aurium cum saliva ad exemplum Christi *Marci 7.* tactus aurium ut aperirentur aures (inquit *Ambrosius l. 1. de Sacram. cap. 1.*) ad sermonem & ad eloquium Sacerdotis: narium ut baptizandus bonum odorem accipiat vitæ æternæ. Decima, impositio manuum cum benedictione sacerdotali, ad exemplum Christi, qui *Matth. 19.* legitur parvulis manus imposuisse. Undecima, unctio, quâ Catechumenus oleo benedicto ungebatur in scapulis & pectore. Duodecima, abstinentia à vino & carnibus, ut animi Catechumenorum disponerentur ad digniùs suscipiendum Sacramentum, de quo *Carthaginense IV. can. 85.*

De his ceremoniis latiùs videri possunt, *Rabanus l. 1. de instit. Clericorum*, *Bellarminus sup.* & alii, qui singulas auctoritate Patrum stabiliunt.

23. *Ceremoniæ Baptismum concomitantes.*

Inter ceremonias Baptismum concomitantes prima est, quòd debeat conferri in locis ad hoc consecratis, quæ antiquitùs erant à templo distincta, & vocabantur baptisteria; jam verò intrà templum aliquis ad hoc solet designari locus. Vide *Clem. Vnic. de Baptismo.* Ubi tamen excipitur casus necessitatis, in quo proles sine periculo non potest ad Ecclesiam deferri. Excipiuntur ibidem filii Regum & Principum; intellige juxta *Glossam* & alios supremorum, qui videlicet nulli alteri subjecti sunt: quàmvis Nonnulli idem extendant etiam ad alios eminentes Principes, etsi alteri subjectos. Et in *Rituali Romano Tit. de tempore & loco administrandi Baptismum* generaliter excipiuntur filii Regum & Principum magnorum, id ipsis ita deposcentibus. Secunda est, quòd Baptismus conferatur

in aqua ad hoc pridiè Paschatis aut Pentecostes per infusionem chrismatis aliasque ceremonias consecratâ. Tertia, quòd adhibeantur patrini ; de quibus postea. Quarta, quòd nomen imponatur, ut olim solebat in circumcisione *Lucæ* 1. nullibi tamen legitur prohibitum illud commutare etiam propriâ auctoritate. Quinta, quòd olim conferebatur in trina mersione : nunc ferè in trina infusione.

24. *Cæremoniæ Baptismum consequentes.*

Inter cæremonias Baptismum consequentes prima est, osculum pacis, quo olim fideles Baptizatum tamquam fratrem salutabant. Secunda est unctio chrismatis facta in vertice baptizati, quæ in Ecclesia Latina est antiquissima, ut patet ex *Damaso*, *Innocentio* 1. *Ambrosio* & *Hieronymo*: quos citat *Bellarm. l. de Baptismo c.* 27. Chrisma verò debet esse novum sive istius anni, ut habetur c. *Si quis de alio*, *dist.* 4. *de Consecr.* Unde extra necessitatem illicitè in Baptismo adhibetur chrisma alterius anni. Quàmvis ob difficultatem habendi novum possint Religiosi in partibus Indiarum uti veteri chrismate & sancto oleo usque ad quatuor annos ex concessione Gregorii XIII. apud *Rodriguez Tom.* 1. *q.* 99. *Reg.* 9. 33 *a.* 5. & *Miranda Tom.* 1. *q.* 43 *a* 4 Iidem docent etiam hîc posse Sacerdotes uti veteri oleo & chrismate, donec advenerit novum, ob periculum mortis, in quo sunt jugiter parvuli in illa tenella ætate constituti. Adulti tamen extra mortis articulum non possunt adhibito veteri chrismate baptizari.

Tertiò, recèns baptizatus seu Neophytus induebatur vestimento candido in signum innocentiæ & novitatis vitæ ; illudque deferebat per octavam Paschæ, ac in ipsa die octava (quæ inde Dominica in Albis dicta est) deponebat. Cujus cæremoniæ vestigium adhuc manet in Baptismo adultorum, qui Romæ temporibus istis solemniter baptizantur. In Baptismo autem parvulorum Sacerdos operit caput infantis veste candidâ. Quartò, in signum accepti luminis fidei & gratiæ dabatur baptizato cereus accensus. Quintò, dabatur in Ecclesia occidentiali gustandum lac & mel, ad infantiæ spiritualis significationem Unde Dominicâ in Albis canitur : *Quasi modò geniti infantes lac concupiscite.* Hæc tamen consuetudo exolevit, utì & altera de osculo pacis, item alia de lotione pedum Neophytorum ; ut ex Ritualibus & Pastoralibus patet Et hactenus de cæremoniis Baptismi adultorum. Parvulis autem baptizandis adhibebantur ex prædictis illæ cæremoniæ, quæ per ætatem licebant.

25. *Ad quid deserviat Catechismus infantium baptizandorum.*

Solùm circa Catechismum parvulorum, qui antiquissimus est ac etiamnum simili ferè ritu adhibetur, est observandum, quòd etsi parvuli in sua persona sint incapaces instructionis, utiliter tamen fiant ea, quæ Ecclesia observat. Nam in primis sunt capaces cæremoniarum Catechismi quoad eam partem, quâ catechizandis imponitur nomen, & imprimitur signum crucis. Deinde susceptores infantium nomine faciunt professionem fidei, Symbolum & orationem Dominicam recitant, manumque capiti baptizandi imponunt, tum ut moneantur obligationis suæ quâ obligantur ad instructionem infantis : tum ut designetur obligatio ipsius infantis, veluti non minùs obligati ad professionem fidei & religionis Christianæ ubì adoleverit, quàm si propriâ voluntate Baptismum suscepisset.

Quod attinet suppletionem cæremoniarum Baptismi omissarum ab Hæreticis, difficile est jam adultos ad eam obligare, nec apparet idem consonum praxi : Unde & Varii Scriptores horum locorum istam obligationem negant. Et consonat *Philippus Revenius* in Constitutione sua ad omnes sibi subjectos in ditionibus Belgii confœderatis directa Anno 1638. in qua de hac re loquens ait : *Unctiones verò & reliquæ cæremoniæ Ecclesiæ Catholicæ pro discretione Sacerdotum & devotione suscipientium poterunt suppleri.*

QUÆSTIO IV.

De Patrino in Baptismo adhibendo.

DICO I. In Baptismo solemni adhibendus est patrinus seu susceptor. Patet ex antiquissimo usu Ecclesiæ, cujus testis est *Dionysius Areopagita Ecclesiastica Hierarchiæ c.* 2 *p.* 2. & *c.* 7. *in fine. Tertullianus l. de Baptismo c.* 18. & *Aug. l.* 1. *de peccatorum meritis c.* 34. Patet etiam ex *Trid. sess.* 24. *c.* 2. ubi hanc obligationem supponit. Quod idem faciunt plura alia jura. Congruentia est, quòd (ut ait *D. Thomas q.* 67 *a.* 7.) sicut in generatione corporali parvulis datur nutrix, ita in spirituali detur aliquis qui fungatur vice nutricis & pædagogi. Hinc etiam vocatur sponsor sive fidejussor, patronus seu patrinus. Ejusque officium est parvulum de fonte levare, ac in fide & moribus Christianis instruere. Quæ obligatio est gravis, ut docent Doctores cum *D. Thoma sup. a.* 8. quia unusquisque tenetur explere munus quod assumit. Deinde suscipiendo tacitè promittit se id facturum. Cessat tamen ista obligatio, quando baptizatus creditur satis instrui à parentibus, pastoribus, præceptoribus aut aliis. Quâ ratione plerumque excusantur patrini in locis Catholicorum, ubi prædicta instructio sufficienter vigere existimetur. Item cessat hæc obligatio, quando baptizatus semel sufficienter fuerit instructus : nam tunc non censetur amplius parvulus aut indigens pædagogo. Ita *Suarez ad art. cit.* & alii.

Dico

27. *Monachi non possunt esse patrini.*

DICO II. Ad munus susceptoris seu patrini assumi non possunt Monachi, ut decernit *Eugenius* Papa *c. Placuit* 16 *q.* 1. neque excipiuntur Abbates, immo expressè comprehenduntur. *Non licet Abbati* 103 *de Consecr. dist.* 4. quod tamen solùm est Concilii particularis Altisiodorensis, nec ideò factum irritat. Ratio sumitur in *c. Placuit* ex hoc; quòd Monachorum sit solitudinem colere, & sibi ipsis vacare. Cui addi potest ex *c. Pervenit* 18. *q.* 2. (ubi *Gregorius* Papa illud ipsum Monachis interdicit) periculum incautæ communionis cum mulieribus. Propter quod specialitèr Franciscanis *c.* 11. *Reg.* inhibetur, ut *non fiant compatres virorum vel mulierum, ne hâc occasione inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur.* Alioquin vi juris communis non arceri Religiosos mendicantes, utpote non comprehensos nomine Monachorum strictè accepto, nec solitudinem Monachalem colentes, sed potiùs vi sui instituti institutioni aliorum vacantes, est opinio probabilior. Quam etiam Varii extendunt ad Canonicos regulares. Præterea hâc prohibitione non comprehenditur Monachus factus Episcopus; qui specialiter deberet exprimi, & in quo finis legis locum non habet. Ita *Glossa in c. Statutum* 18 *q.* 1. *Rodriguez, Sanchez, Layman* & alii. Comprehendi tamen hâc lege etiam Abbatissas & Sanctimoniales, idque velut à fortiori censent Doctores, signanter *Wiggers q.* 67 *ar.* 8 *n.* 20. dubito tamen an consequenter ad regulas generales interpretandi leges odiosas. Generalius nihilominus loquitur *Rituale Romanum Tit. de Patrinis* dicens: *Præterea ad hoc munus admitti non debent Monachi vel Sanctimoniales neque alii cujuscumque Ordinis Regulares à sæculo segregati.* Sed an obliget Rituale hoc ultra terminos juris communis publicati ac recepti, dubitari posset. Quibusdam etiam in locis Sanctimoniales, adeòque Abbatissas admitti à parochis videmus. Denique *Rituale* addendo lv *à sæculo segregatos*, tacitè insinuat esse Regulares, quibus id non competat, utì competit Monachis.

Qui Canonici non comprehendantur hic Regulares nendicantes.

28. *Excludiuntur pueri non rationis.*

Secundò ad munus Patrini admitti non possunt, nisi baptizati, juxta Doctores unanimiter ex *c. In Baptismate* 10. *de Consecr. dist.* 4 Quod desumptum est ex *Concilio Moguntino*, adeòque non obligat universaliter, nisi quatenus est usu receptum ab Ecclesia; prout receptum esse, videtur supponi à Doctoribus. Inhibitio quoque ista non respicit directè necdum baptizatos, etiam Catechumenos, utpote Ecclesiæ non subjectos, sed respicit alios, ne tales designent aut admittant. Solet etiam extendi ad Hæreticos à fortiori. Sed hi potiùs arcentur jure quasi naturali seu ex natura officii tamquam inidonei, immo veriùs perversores, quàm instructores baptizatorum. Ideoque expressè arcentur in *Rituale Romano sup.* quod generaliter præscribit: *Sciant*

Hæretici.

præterea Parochi ad hoc munus non esse admittendos infideles aut hæreticos, non publicè excommunicatos aut interdictos, non publicè criminosos aut infames, nec præterea qui sanâ mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei: hæc enim patrini spirituales filios suos, ubi opus fuerit, opportunè docere tenentur. Hinc specialiter constat excludi pueros ante usum rationis; veluti qui nec spondere nec instruere possunt.

Pueri ante usum rationis &c.

Denique parentes non possunt suscipere propriam prolem *c. Pervenit ad nos* 30 *q.* 1. susceptor enim est ordinatus ad instruendam prolem in defectum parentum, à quibus proinde debet distingui. Idque adeò verum est, ut nequidem indefectum alterius possit admitti: munus enim patrini non est tantæ necessitatis.

Parentes denique à susceptione propriæ prolis.

29. *Olim unicus tantùm patrinus.*

DICO III. Olim tantùm unicus esse poterat patrinus ex decreto *Higini* Papæ *c. In Catechismo* & *Leonis* Papæ *c. Non plures, de Consecr. d.* 4 Quod & confirmavit *Concilium Metense* sub *Stephano VI can.* 3 At successu temporis plures fuere adhibiti; ut colligitur ex *c. Quàmvis, de Cognat. spirit. in* 6. Novissimè verò *Trid sess.* 24 *c.* 2. *de Ref. matr. statuit, ut unus tantùm, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant.* Utque *Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant: & eum, vel eos tantùm ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat; doceatq; eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ ullâ excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, Constitutionibus, in contrarium facientibus, non obstantibus. Si Parochi culpâ vel negligentiâ secùs factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniantur*, inquit *Concilium*. Quare Parochum graviter in hoc peccare censent Doctores communiùs contra *Sanchez l.* 7. *de Matr. d.* 57 *n.* 6. & alios.

Nunc unus & una potest adhiberi; non plures.

30. *Qualiter oriatur cognatio spiritualis ex munere patrini aut ministri baptismi.*

DICO IV. Ultra obligationem instruendi baptizatum, susceptores in Baptismo contrahunt spiritualem cognationem cum eo ejusque parentibus quæ sit impedimentum dirimens matrimonium. Patet ex multis juribus & *Tridentino sup.* quod antiqua jura restrinxit, ut jam solùm contrahatur cognatio inter baptizantem & patrinos ab una parte, baptizatum ac patrem & matrem ex altera; cùm secundùm antiqua jura illa cognatio longiùs se extenderit. Idcirco autem Ecclesia impedimentum istud ordinavit, ut sciretur, quàm sancto, & spirituali amore debeant patrinus & susceptus invicem amare. Unde susceptores olim solebant vocari patres, ut colligitur ex *Augustino serm.* 116. *de temp.* Rationem verò restringendi hoc impedimentum ad pauciores personas præfatas allegat *Tri-*

dentinum suprà, quòd *doceat experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia; in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.* Olim enim triplex erat species cognationis spiritualis, scilicet paternitas, compaternitas & confraternitas. Paternitas quidem inter baptizantem & baptizatum, suscipientem & susceptum. Eaque adhuc manet. Sed extendi solebat ad uxorem patrini, quæ ante susceptionem esset à viro cognita; cujus quoque tunc filius spiritualis censebatur is, quem vir suscepisset. Compaternitas est, inter patres spirituales, scilicet baptizantem & patrinum, ab una parte, ac parentes naturales ab altera parte. Sed olim etiam extendebatur ad uxorem compatris, à viro antea cognitam; quantumvis ipsa verè commater in Baptismo non fuisset. Confraternitas (quæ ex toto est sublata) erat inter baptizatum & proles baptizantis, item inter susceptum & proles suscipientis, velut filios ejusdem patris, partim carnalis, partim spiritualis. Inter patrinum autem & matrinam non fuit olim, nec modò est cognatio spiritualis, sed illi habent se velut pater & mater ejusdem baptizati; æquum autem non est, parentes copulari non posse.

Olim triplex erat illius species.

Paternitas.

Compaternitas.

Et Confraternitas.

31. Dixi *In Baptismo solemni*: quia licèt sit satis probabile, cognationem contrahi etiam in Baptismo privato, cùm jura inter solemnem & privatum non distinguant: & sic docent plures Doctores apud *Sanchez l. 7. d. 62. n. 13.* Contrarium tamen est æquè probabile, si non probabilius, & docetur à *Sanchez ibid. n. 14. Suarez* & aliis quos citat. Estque verum, etsi quis teneat infantem ex proposito, vt munus patrini subeat. Ratio est: quia patrini adhibitio est ceremonia instituta ab Ecclesia, & quidem pro solo Baptismo solemni: ideoque ex usu Ecclesiæ in privato Baptismo non requiritur, qui sæpè à laicis aut feminis ministratur, sic ut solùm per accidens vel commoditatis gratiâ concurrat, qui infantem baptizandum tunc teneat. Unde nec nomina hujusmodi describuntur in libro, neque cognationem contractam eis parochus inculcat; quod tamen præscribit *Trid. sess. 24. de Ref. matr. c. 2.* Potuisset quidem Ecclesia ceremoniam istam pro Baptismo solemni præscripsisse per modum præcepti, eam relinquendo liberam, attamen efficacem, quando adhiberetur in Baptismo privato: de hoc tamen non constat, utì constare deberet, ut rectè assereretur.

Verosimilius ex solo Baptismo solemni oritur cognatio in patrino.

Nec obstat, quòd privatim baptizans contrahat cognationem cum baptizato: hæc enim inter illos oritur ratione Sacramenti, quod tunc verè confertur: at inter susceptorem & susceptum oritur solùm ratione ceremoniæ, quæ ab Ecclesia pro Baptismo privato non est instituta. Quare baptizans solemniter & baptizans privatim non distinguuntur formaliter quantùm ad præsens, utì distinguuntur susceptor solemnis & privatus. Similiter quando infans fuit domi baptizatus, si postea deferatur ad Ecclesiam, ut ceremoniæ peragantur, qui instar patrini tenet infantem, nullam cum eo contrahit cognationem: cùm tunc verè non suscipiat in Baptismo, sed in Catechismo.

Porrò ut cognatio spiritualis contrahatur requiritur primò, ut susceptor teneat alterum dum baptizatur, vel saltem immediatè de manibus baptizantis suscipiendo de sacro fonte levet: quia jura statuentia hanc cognationem, ubique hujus ceremoniæ mentionem faciunt. Eamque quoad priorem partem, si Baptismus fiat infusione, quoad posteriorem, si fiat immersione, præscribit *Rituale Romanum Tit. de Sacram. Baptismi.* Huc facit etiam *Declaratio Cardinalium ad sess. 24. de Ref. matr. c. 2. num. 8.* Unde adulti qui solùm assistunt, & non tangunt, cognationem non contrahunt. Non est tamen necessarium, ut carnem immediatè teneant vel tangant, sed sufficit, ut contingant vestimenta ejus qui baptizatur: quia etiam hâc ratione dicimur alium tangere vel tenere. Quare similiter sufficit, quòd is teneatur in quodam linteo, disco &c. Debet autem hoc fieri animo obeundi munus susceptoris: aliàs materialis tentio baptizandi, sicut non sufficit ut quis sit susceptor, ita nec sufficit ut contrahat hanc cognationem. Secundò ut susceptor sit legitimè designatus à parentibus vel parocho (cujus est designare susceptorem in defectu parentum & non aliàs) quia *Tridentinum sup.* ordinat, ut nulli ultra designatos, etsi tetigerint baptizatum, contrahant cognationem spiritualem.

Nota I. Si contingeret plures quàm duos vel etiam duos viros aut duas feminas à parentibus designari & à parocho admitti, dubium esse, an omnes contraherent cognationem spiritualem. *Suarez ad art. cit. 8. §. Sed quæres*, cum aliis probabile putat, solum primò tangentem, vel neminem, si omnes simul tangant, contrahere cognationem. Sed meliùs *Sanchez l. 7. d. 57. n. 14.* & plures alii putant contrarium, si omnes simul baptizatum suscipiant, eò quòd Concilium solùm videatur prohibere, ne plures suscipiant, non autem irritare. Pro quo refertur *Declaratio Cardinalium ad locum citatum Tridentini* dicens: *Quòd si plures sint designati ad contrahendam compaternitatem, contraxerunt cognationem spiritualem, qui tetigerunt, punito tamen parocho.* Ibidem etiam refertur alia Declaratio, *Quòd omnes contrahant cognationem, si plures suscipiant, & non constat, quis prius tetigerit, & plures sint electi.* Si autem contingeret aliquos tangere puerum sive suscipere,

post

postquam alii sufficienter functi essent officio susceptoris, non contraherent cognationem, v. g. secundùm patrinum ejusdem sexûs: eò quòd munus patrini ab Ecclesia pro Baptismo solemni præscriptum prioris susceptione completum videatur, ut proinde posterioris susceptio sit in ordine ad munus patrini illegitima, veluti ab Ecclesiâ repulsa. Ita *Sanchez* & alii.

34. *Si nulli designentur, & tamen simul plures suscipiant, omnes cognationem contrahunt.*

Nota II. In casu quo nulli essent designati, dubium esse, an omnes tangentes puerum contrahant cognationem. *Bonacina q. 3. de Impedim. matr. pu. 5 §. 2. n. 24. Præpositus q. 7. de Impedim. matr. dub. 6.* & alii existimant omnes contrahere, si omnes contingant vel suscipiant simul: nam jure antiquo omnes contrahebant, c. *Quamvis, De cognatione spirituali in 6.* cui standum est, quando aliter non decernitur jure novo; quod à *Tridentino* non videtur factum. Unde *Congregatio Cardinalium supra* censuit, *si plures suscipiant, omnes contrahere cognationem, si non constat, quis prius tetigerit, & plures sint electi vel nullus: si verò unus sit electus, illum tantùm contrahere.*

35. *Duo sanctè & alii volunt neminem contrahere.*

Nihilominùs *Sanchez sup. n.* 12. & plures alii putant isto casu neminem contrahere cognationem, sive simul sive successivè tangant: eò quòd *Tridentinum* videatur satis innovasse jus antiquum & postulasse tamquam essentialem conditionem, quòd aliquis sit legitimè designatus. Sed responderi potest cum *Præposito* & aliis, *Tridentinum* hoc modo postulare designationem, quando non designati concurrunt cum designatis. Solùm enim irritat in ordine ad cognationem, *si alii ultra designatos baptizatum tetigerint*; adeòque ut aliqui tangentes non contrahant, debet superfluere designatis, & consequenter requiritur, ut saltem aliqui sint designati. Aliàs enim propriè non verificatur, quòd *alii tetigerint ultra designatos*; quam conditionem *Tridentinum* præscribit. Adhuc autem optimè occurrit *Tridentinum* (prout occurrere intendit) incommodo multiplicationis impedimenti dirimentis, scilicet cognationis spiritualis: si enim exactè seruentur ab eodem statuta, pauci hanc cognationem contrahent. Non oportuit autem *Tridentinum* huic multiplicationi occurrere irritando omnia secùs quovis modo facta: utì nec juxta ipsum *Sanchez sup. n.* 16. id præstitit *Tridentinum* in casu, quo plures quàm unus & una à parentibus designati admittuntur.

Quorum fundamenta non diffidimus.

36. *Quamvis patrinus possit eum effectu obligationi per procuratorem.*

Nota III. Illum, qui suscipit prolem per procuratorem, esse verum susceptorem, & contrahere cognationem. Ita habet *Declaratio Cardinalium*, quæ refertur ad locum *Tridentini* citatum. Conformis quoque extat decisio *Rotæ Romanæ*. Idem docet *Coninck d. 32. dub. 2. n. 40 Bonacina n. 34.* & plurimi alii contra *Sanchez lib. 7. disput. 59.* & alios putantes nec mittentem nec procuratorem contrahere cognationem. Ratio est: quia non repugnat huic actui, fieri per alium, sicut ipsum matrimonium validè contrahitur per procuratorem; & ex nullo alio capite irritatur. Confirmatur, quia magnates ordinariè solent suscipere per procuratorem, censenturque veri susceptores; ergo credendum est eam esse mentem Ecclesiæ; quæ alioquin hoc non deberet permittere, neque censenda est permittere: utpote prohibens Baptismum solemnem celebrari sine patrino; prout tamen verè celebraretur in hujusmodi casibus obviis, si in iis locum non haberet cognatio spiritualis officio patrini intrinseca.

37. *Objectionibus aliter sentientium satisfit.*

Nec obstat, quòd constituens alium, ut nomine suo baptizet, non contrahat cognationem: quia nemo potest baptizare ut alterius instrumentum, sicut potest suscipere vel levare de fonte, sed solùm ut immediatè sustinens personam Christi aut ejus nomine.

Nec obstat II. quòd patrinus debeat tangere, tenere &c. quæ sonant physicam actionem: nam sufficit ut physicè tangat vel teneat, qui ejus vices subit. Utì si ad capiendam possessionem requiratur physica quædam actio, sufficit hanc fieri ab eo, qui vice alterius possessionem capit. Aliundè autem regula generalis est juris in 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Intellige, nisi in quibusdam casibus jus obstet: prout ex L. *Post mortem* 25. *ff. de Adoptionibus. Neque adoptare neque adrogare quis absens, neque per alium ejusmodi solemnitatem peragere potest.* Aut nisi effectus hujusmodi sint, qui ex natura rei contrahi debent actione physicâ personali: prout cognatio naturalis non aliter, quàm actione personali parentis contrahibilis est, veluti fundata in physica generatione, quæ alteri committi non potest.

38. *A fortiori dicendum cognationem non contrahi à procuratore.*

Ex his patet, multò minùs admittendum esse, quod *Petrus de Ledesma, Vivaldus* & alii (quos refert *Sanchez sup. num.* 10.) censuerunt, cognationem spiritualem contrahi ab ipso procuratore seu commissario. Quod repugnat responso Cardinalium citato. Præterea id requireret in tali animum hoc munus & consequentem obligationem assumendi; qui tamen deest. Denique non ille, sed qui procuratorem instituit, fuit in patrinum designatus. Ob quod non contraheret procurator cognationem, etsi animo illam contrahendi teneret infantem: quidquid contrà senserit *Toletus* apud *Sanchez sup.* & *Ludovicus Lopez* apud eumdem *Sanchez n.* 12. Aliud est de baptizante ex commissione alterius: ille enim verè baptizat nomine proprio tamquam minister Christi, jurisdictione ab alio acceptâ. Deinde in ministro non requiritur designatio, aut alia specialis intentio, quàm conferendi Sacramentum ad hoc ut contrahat cognationem.

39. *Oritur etiã in eo qui illam non fuit oriri.*

Nota IV. hanc cognationem oriri quantumvis ipsa ignoretur: nam lex irritans legitimè promulgata vim suam obtinet, etiamsi ignoretur, idque verum est, etiamsi necessitate cogente aliquis Baptismum contulerit. Hinc si quis cogente necessitate proprium filium ex fornicatione susceptum baptizaret, non potest postmodum ejus matrem in uxorem accipere. Idem dicendum de tenente, & tamen invincibiliter ignorante legem irritantem.

2. *Ac ex Baptismo in necessitate collato.*

40. *Suscepto vel Baptizato propria prole, etiam extra necessitatẽ, non impedit usum matrimonii contracti,*

Nota V. quòd etsi ab antiquo prohibitum sit parenti prolem suam vel compartis de fonte levare aut extra necessitatem baptizare; si tamen id faciat post contractum matrimonium, in rigore non privari jure petenti debitum; ut habet sententia hoc tempore satis recepta. Ratio est: quia tantum gravamen non debet imponi sine urgente textu seu lege; qualis non extat, ut fatentur etiam Varii oppositum tenentes. Fuerat quidem hoc statutum c. *Pervenit* 30. *qu.* 1. etiam in casu, quo id fieret ex ignorantia; revocatum tamen fuit *c. de eo ibidem*, quamquam de industria contigisset utriusque, statuendo, ut simul maneant, qui olim ab invicem jubebantur separari. Et clariùs c. *Si vir, de Cognat spirit. Alexander III.* statuit, non esse separandos, etiam in casu malitiæ aut certæ scientiæ, & utrumque obligat ad reddendum debitum; adeoque etiam dat jus petendi, quod per priores canones eatenus tollebatur, quatenus præcipiebatur separatio seu divortium.

41. *Non ex natura rei nec ex jure semper impedit hunc usum, quidquid matrimonium contrahendum dirimit.*

Nec obstat, quòd quidquid dirimit matrimonium contrahendum, etiam impediat usum anteà contracti. Nam non semper, neque necessariò ex natura rei id subsistit, sed tunc solùm, quando jus hoc ordinat. Quod clarè patet: nam baptizans in necessitate prolem fornicariam, incurrit impedimentum dirimens matrimonium cum concubina contrahendum, & tamen non impediretur usus antea contracti, ut patet ex c. *Ad limina* 30 *q.* 1. Ad ejusdem rei declarationem duo alia exempla adducit *Arriaga* hîc *d.* 26 *n* 30. Primum est impotentiæ subsequentis matrimonio, quod ipsa non dissolvit, & tamen contrahendum dirimit. Sed hoc exemplum non est ad propositum: nam in illo nec potest peti nec reddi debitum, ut ipsemet addit. Secundum est conditionis servilis, quæ si fuisset prævia matrimonio, non potuissent mancipia validè illud contrahere sine voluntate Domini; dum autem subsequitur servitus non requiritur licentia Domini ad petendum vel reddendum debitum. At mancipia non posse validè contrahere matrimonium sine voluntate Domini, est apertè falsum: nam *nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi: si contradicentibus dominis & invitis contracta fuerint, nullâ ratione sunt propter hoc dissolvenda*, ut declarat *Adrianus* Papa c. *Dignum est* 1. *De Conjugio servorum.*

Quàmvis autem olim indicta fuerit separatio suscipientium proprios filios de sacro fonte à suis uxoribus, certum tamen est matrimonium antea contractum per hoc non fuisse dissolutum; immò nec potuisse per Ecclesiam dissolvi, saltem post consummationem. Nec refert, quòd S. *Deusdedit* Papa *in Epistola decretali* (cujus initium refertur c. *Pervenit* 30. *q.* 1.) in fine statuat: *Mulieres verò, cum separata fuerint, pro hac illicita re, à propriis viris totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali recepit* (legendum *recepe-unt*) *& post expletum annum recipiant alium virum, similiter & vir uxorem.* Nam textus est vitiosus seu corruptus; ideoque verba ista non sunt à *Gratiano* adjecta. *Basilius Pontius lib.* 7. *de Matr. cap.* 40. loco *alium virum*, legendum putat, *illum virum.* Unde non additur, *& vir aliam uxorem*, sed, *& vir uxorem*; supple, eamdem. Indubitatum alioquin esse debet Pontificem non declarasse tam inauditam in Ecclesia & palpabilem falsitatem, quam verba ingerere primâ fronte videntur. Aliàs solutiones adfert *Pontius suprà.*

42. Cognationem non parit matrimonium contractum, quamvis baptizatis, alius ignoranti.

Nota VI. Cognationem hanc spiritualem juxta Doctores passim, quos citat & sequitur *Diana p.* 10. *Tract.* 16. *res* 89 contra *Aversa*, *Henriquez*, in quorum opinionem inclinat *Præpositus qu.* 7. *de impedimentis n.* 38. non incurri, quando baptizans ipse non est baptizatus: eò quòd leges hujusmodi concernant baptizatos, nec iis ligentur nec-dum baptizati. Unde baptizans infidelis indubiè non contrahit impedimentum cum parentibus infidelibus prolis baptizatæ, quò minùs cum superstite possit in infidelitate matrimonium contrahere. Contendunt tamen alii eum non posse suscepto Baptismo (antea obstitisset aliud impedimentum, scilicet disparitatis cultus) contrahere matrimonium cum prole à se baptizatâ vel parentibus fidelibus: eò quòd Ecclesia possit indirectè & ex consequenti hujusmodi infidelem respicere suâ lege, directè scilicet inhabilitando fidelem, & indirectè infidelem, ne iste cum hoc contrahat post susceptum Baptismum. Sicut impedimentum criminis hoc modo inducitur inter fidelem & infidelem.

Verùm etsi Ecclesia id facere potuisset, & in impedimento criminis id fecerit c. 1. *de Conversione infidelium*: in præsenti tamen casu nil tale expressit, adeoque à generali ordinatione, quæ censetur respicere baptizatos inter se, videtur infideles tacitè excepisse. Alioquin non superat quoque potestatem Ecclesiæ, statuere indirectè impedimentum inter baptizantem infidelem & parentem prolis similiter infidelem, ita ut si vel quando Baptismum susciperent, non possent postea validè inter se contrahere; nec tamen de facto Ecclesia id fecit. In dubio quoque non debet præ-

præsumi impedimentum dirimens, sed contra illud veluti libertatis restrictivum stat potiùs præsumptio. Magìs autem hæc dicenda sunt, in casu præsenti, in quo ordinatio legis Ecclesiasticæ de cognatione spirituali directè respiceret actionem ab ipso infideli exercitam, scilicet ministerium Baptismi; cui apponeretur seu annecteretur ipsa cognatio seu impedimentum. Quare spectanda videtur conditio ipsius agentis seu ministrantis, qui jurisdictioni Ecclesiæ noscitur non esse subjectus. Unde etiam *Cælestinus* Papa c. 1. *de Convers. infidel.* impedimentum criminis statuens seu declarans inter mulieres fideles & viros Saracenos agit de casu, quo ipsæ mulieres fideles machinatæ fuerant necem suorum virorum per Saracenos illatam; quarum actioni pœnam istam & impedimentum annexuit.

43. *Quid censendum si susceptor sit fidelis, & parentes prolis sint infideles.*

Quòd si quæratur de casu, quo fidelis suscipit prolem parentum infidelium, an etiam cum his contrahat cognationem, magis dubitari posset. Et asserunt plures, quòd sic. Negat tamen consequenter *Basilius Pontius l. 7. c. 40.* referens *D. Thomam, Sotum, Rebbellum*; idemque probans ex præmisso exemplo, quo infidelis baptizat prolem, cum qua nullam ab eo contrahi cognationem, firmum sine dubio haberi juxta ipsum debet. Indirectus autem modus contrahendi cognationem, qui ab aliis asseritur, veluti non fundatus in jure aut Ecclesiæ auctoritate rejicitur. Vide *Pontium suprà.*

DISPUTATIO OCTAVA.

De Baptismo Sanguinis seu Martyrio.

1. *Baptismus aliter est flaminis aliter sanguinis, aliter aquæ.*

TRIA Baptismata conformiter ad Patres distinguunt Scholastici communiter cum *Magistro dist.* 4. & *D. Thomâ q. 66. a. 11.* nempe fluminis sive aquæ, flaminis & sanguinis. E quibus solus Baptismus fluminis (de quo hactenus egimus) est Sacramentum: cetera autem per quamdam analogiam dicuntur Baptismata, quatenus supplent vices veri Baptismi, dum is qui illum re ipsâ suscipere nequit, à peccatis abluitur per cordis contritionem, aut sanguinis pro Deo seu Christo effusionem. Unde non solent vocari baptismata, nisi quando Baptismam aquæ præcedunt. Est autem Baptismus flaminis perfecta in Deum conversio, includens votum Baptismi fluminis. Illum autem justificare ante realem Sacramenti susceptionem, constat ex dictis in *Tract. de Gratia. d. 5. q. 4.* Baptismus verò sanguinis est martyriū perpessum ante susceptionem Baptismi fluminis. De illo, sive de Martyrio generatim (quod etiam specialem cum Baptismi Sacramento affinitatē habet in pari seu majori efficacia) paucis hìc agemus morem communem secuti.

QUÆSTIO I.

Quid requiratur ad Martyrium?

2. *Martyrium habet inferri mors in odium fidei aut virtutis.*

DICO 1. Ad Martyrium, tam in parvulis, quàm in adultis, requiritur, ut mors inferatur in odium Christi vel Religionis Christianæ vel ob aliquam virtutem. Ita communiter Theologi cum *Augustino Conc. 2. in Psal. 34.* dicente: *Martyrem non pœna, sed causa facit: pœna enim communis est latroni & Martyri, Hæretico & Catholico; sed causa dispar.* Ratio est: quia Martyrium etsi secundùm etymologiam græci nominis sit idem, quod latinè testimonium, tamen secundùm usum Ecclesiasticum est testimonium Deo sive Christo datum per passionem pro eo toleratam; non censetur autem per illam testimonium Deo datum esse, nisi ob prædictas causas mors sit illata.

Unde Martyres desiderio solo non sunt propriè Martyres: neque etiam S. Franciscus à Christo vulnera recipiens, quantumvis fuissent lethalia. Similiter nec morientes in causa pia, v. g. vitam ponentes pro Christo in servitio pestiferorum, etsi minùs propriè sic appellentur in *Martyrologio Romano* ad diem 28. Februarii, ubi recitatur *Commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum pestis lævissima grassaretur Alexandriæ, morbo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetiere; quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.* De iisdem *S. Dionysius* Episcopus Alexandrinus *Epist. ad Hieracem Episcopum* (quæ est apud *Eusebium l. 7. Hist. c. 16. & 17.*) in fine ait: *Ex Patribus, qui virtute erant præstantissimi in hunc modum mortem oppetiverunt ..... adeo ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem & robustam fidem susciperebatur, nihil à Martyrii splendore abesse videretur:* essetque proinde opus heroicum ex parte operis affine martyrio, etsi non propriè habens rem & privilegium martyrii. Propter quod etiam pro talibus Ecclesia orat: quòd sanè citra injuriam martyrii non fieret, ideoque non oret pro iis, qui patenter sunt martyres, sed etiam hodie mox à morte eorum laudes Deo personent ora fidelium.

3. *Hinc S. Franciscus, & alii Martyres desiderio, non sunt propriè Martyres; vel nec morientes in servitio pestiferorum.*

Denique nec bonus latro est Martyr ob eamdem causam, ut supponit etiam *August. l. 4. de Bapt. c. 22.* & refertur c. *Baptismi vicem, 34. de Consecr. d. 4.* nisi fortè in odium Christi

Nequè etiam bonus latro.

sti mors illi Christum confitenti fuerit accelerata. Videtur tamen mortis acceleratio per crurifragium alioſve modos ei contigiſſe tamquam malefactori merito, æquè ſicut alteri: *Nec* enim *quia credidit, paſſus eſt: ſed dum patitur, credidit*, ut loquar verbis *Auguſtini ſuprà.*

4. *Oſtenditur ſufficere ad martyrium, quòd mors inferatur in odium virtutis.*

Dixi; *aut ob aliquam virtutem*: hoc enim ſufficere conſtat ex eo, quòd taliter occiſos Eccleſia colat uti veros Martyres; ſicut S. Thomam Cantuarienſem occiſum pro libertatis Eccleſiæ defenſione; multas virgines interemptas pro cuſtodia caſtitatis, Machabæos interfectos pro obſervatione legis Judaicæ. Ratio eſt: quia taliter moriens dat ſufficienter Deo ſive Chriſto teſtimonium, quatenus morte approbat & confirmat Dei ſive Chriſti legem & doctrinam de virtutibus nobis traditam. Immo ſufficit, quòd mors inferatur ob opus bonum jam factum, ut patet in S. Joanne Baptiſta, qui tamquam Martyr colitur, eò quòd ob rep rehenſum adulterium ſit occiſus. Idem eſt de S Staniſlao, quem Boleſlaus rex ſimiliter occidit. Simile quid refertur de S. Rumuldo Mechlinienſium Patrono. Addit *Leſius l. 3. de virtut. Card c. 1. dub. 3. n. 29.* mortem tunc ita acceptari debere, ut malis eam ſubire, quàm factum tuum improbare: hoc enim nolendo, pro fide pateris, eique teſtimonium morte præbes. Sicut è contrario improbare illud opus eſſet contra doctrinam fidei, quæ illud probat. Sufficit autem, ut in eo perſtes, quòd ſit opus bonum, & malis mori, quàm id negare (in hoc enim ſitum eſt teſtimonium veritatis) etſi ob incommoda doleas te id feciſſe, ſi ex præcepto non tenebaris; quamquam id gloriam operis nonnihil obſcuret.

5. *Non tollit gloriam Martyrii verè ob prædictas cauſas tolerati quæſitus à Tyranno prætextus alterius cauſæ.*

Sciendum autem, quòd ſi quis ob prædictas cauſas occidatur, verè ſit Martyr, etiamſi tyrannus alios falſos prætextus fingat. Nam & Judæi alia prætexebant contra Chriſtum, nempe quòd peccaſſet in legem Moyſi &c. ideoque illum velut malefactorem occidiſſe volebant videri: & tamen Martyr erat, immo dux & princeps Martyrum. Similiter in primitiva Eccleſia interdum occidebantur Martyres, verè quidem pro Chriſto, tamen ſub prætextu perverſionis reipublicæ. Pari modo ſolent in Anglia & interdum in Belgio ſolebant Hæretici prætexere cauſam ſtatûs; verè tamen intendentes perſecutionem & everſionem Catholiciſmi, à quo recedens facilè libertate donatur. Quare etiamſi tyrannus diceret ſe non inferre mortem ob confeſſionem veritatis fidei, aut conſtantiam in virtute, eò quòd illa ignoret, vel putet Martyres à vera fide aberrare, vel quia invidet illis hanc gloriam, quòd dicerentur pro iſta cauſa occiſi, ideoque cauſam alleget aliam, ut quòd tamquam reipublicæ perturbatores ſint rei læſæ Majeſtatis, aliudve ſimile; non ob hoc deſinent eſſe Martyres, utpote ſuſtinentes tormenta mortis ob confeſſionem veræ fidei, ejuſve actus & exercitia, v. g. ob Sacerdotium, Miſſæ celebrationem vel auditionem, concionem &c. quidquid denum de iſta confeſſione vel exercitiis tyrannus judicet. Unde conſtat Mariam Stuardam Scotiæ reginam fuiſſe verè martyrem, & in odium fidei interemptam, ſi conſiderentur ea quæ in hanc rem allegat *Florimundus Remundus lib. 6. de Origine hæreſeon c.* 13. & 19.

Petes, an requiratur, ut mors reipsâ ſequatur? Reſp. illud quidem eſſe completiſſimum & ſecuriſſimum genus Martyrii; ſufficere tamen, quòd ſit cauſa ſufficiens mortis poſita, ex qua naturaliter ipſa conſequeretur niſi divinitùs impediretur: prout impedita eſt in tribus pueris in fornace Babylonica; in Joanne Evangeliſta miſſo in ferventis olei dolium: omnes enim ejuſmodi ab Eccleſia inter Martyres numerantur. & acceptatio illa mortis eſt tam efficax fidei teſtimonium, quàm ſi re ipsâ mors ſubſequeretur. Unde indubiè præmium & laureolam Martyrii conſequentur, ſi in gratia finaliter diſceſſerint; qualiter tales diſcedere omninò piè credendum eſt, qui fortiter dimicando jam ad terminum ſui curſûs pervenerant, niſi idem ſpeciali Dei operatione fuiſſet prolongatus. Quàmvis autem ab antiquis Confeſſores illi, qui pro Chriſto pati cœperant, fuerint inter Martyres ſæpè numerati, etſi necdum lethalia vulnera accepiſſent, aut ſufficiens cauſa mortis poſita fuiſſet; tamen hiſce temporibus non ſolent Martyres vocari, niſi ſaltem ærumnis & ſqualoribus pro Chriſto toleratis mortem oppetierint: prout Marcellus Papa in ſtabulum conjectus tabe cõfectus fuit: Leocadia virgo in carcere ſqualore confecta obiit. Unde ad verum Martyrium requiritur mors aut cruciatus lethalis ſuſceptus pro vera fide aut vera virtute, & in odium ejuſdem illatus. Cruciatus, inquam, non quòd de facto debeat martyr ſentire cruciatum, ſed quòd cauſa ſit cruciativa, etſi divinitùs fieret, ut martyr de facto nullum omninò dolorem ſentiret.

Dico II. Ad Martyrium etiam requiritur, ut inferatur non repugnanti. Concluſio eſt communis. Suadetur ex eo, quòd reſiſtens ſeu repugnans non cenſeatur mori tamquam teſtis Chriſti, ſed tamquam miles ab hoſte victus. Confirmatur: quia Martyr in patiendo debet conformari Chriſto patienti, cùm Chriſti paſſio ſit exemplar Martyrii: atqui Chriſtus dedit teſtimonium veritatis patiendo abſque repugnantia: nam cùm pateretur, non comminabatur, ſed tamquam ovis coram tondente ſe ſine voce: ergo ſimiliter Martyr non poteſt repugnare. Et hinc commune dictum, *Martyr non pugnat.* Unde milites etiam in bello fi-

dei

dei occumbentes etsi plurimum mereantur, si recto fine & modo bellum gerant, numquam ab Ecclesia sunt pro Martyribus habiti. Esset nihilominus Martyres, si jam victi nec resistentes occiderentur odio religionis, seu si occiderentur parati se dedere, & arma abjicientes, ipsique ob præfatam causam mortem acceptent, ut censet *Coninck qu. 66. n. 134.* Deinde non obstaret martyrio, quòd martyr fugâ mortem declinare studeret; immo quòd etiam reniteretur seu ictum v. g enſis impedire conaretur, dummodo sine conatu inferendi alteri malum.

8. Putat nihilominùs noster *Caronus in Antipum ne- positolatu Evangelico §. 43.* oppositum eorum, quæ hîc dictâ sunt, & inclinat *Arriaga To. 5. d. 51.* (quæ est de fortitudine) *sect. 4.* eò quòd equidem repugnando occisi verè perdant animam seu vitam propter Christum; & quidem interdum in casu, quo pugna pro fide est in præcepto. Attamen cùm ex sensu communi habeatur privilegium Martyrii de facto esse annexum positioni vitæ pro Christo juxta formam in conclusione datam, difficile est ab hoc recedere: quàmvis indubiè simile privilegium Deus annectere potuisset morti etiam in pugna toleratæ.

9. *In adultis requiritur aliquis exercitio actus.*

Dico III. Adultus debet aliquo modo mortem acceptare, idque ob causam honestam. Prima pars est *Suarez d. 29. sect. 2. Lessii dub. 3. cit.* & aliorum communiter. Probatur: quia adultus regulariter non consequitur gratiam aut remissionem absque libero suo consensu, nec ulla actio vel passio ei prodest ad salutem, nisi sit aliquo modo voluntaria, ut colligitur ex consensu in adultis requisito ad susceptionem Sacramenti: ergo nec Martyrium prodest, aut verè subest, nisi aliquo modo acceptetur. Confirmatur: quia Martyrium est actus virtutis; quem nemo propriè loquendo exercet absque suo consensu.

10. *Sufficit fides in parvulis.*

Hæc tamen conditio non requiritur in parvulis, in quibus tantùm reperitur testimonium materiale, quia non loquendo, sed moriendo confitentur, ut de Martyribus Innocentibus canit Ecclesia. De quibus etiam *Auctor Sermonis de Stella & Magis* apud *Cyprianum* ait: *Testimonium, quod nondum poterant sermone, perhibebant passione.* Christus namque malum parvulis illatum sui causâ, quia putabatur esse inter illos, vel quia nati sunt ex parentibus Christianis aut baptizati, vel simili de causa, compensat, benignissimè actualis illorum voluntatis defectum supplendo, sicut in Baptismo. Unde *D. Bonav. 4. d. 4. p. 2. in Expos. textûs dub. 4.* ait: *Hoc dico, quia qui propter hoc solum occisus est à persecutore cùm portaretur ad baptismum, ne baptizaretur, moritur pro baptismo, ideo in sanguine suo piè creditur baptizatus.*

11. *Quid in adultis non debet esse actualis aut expressa, sed*

Nihilominus acceptatio etiam in adultis non debet esse actualis aut expressa, sed sufficit virtualis, vel habitualis, immo juxta Doctores passim interpretativa. Unde si quis ob fidem in vincula conjectus statueret apud se potiùs mortem oppetere, quàm fidem negare, & postea ex improviso aut in somno in odium fidei occideretur, esset verus Martyr. Similiter si quis advertens periculum mortis sibi imminere ex actu virtutis quem eliceret, nihilominùs in eo perseveraret, esset verus Martyr, etiamsi nullum expressum actum eliceret, quo mortem acceptaret: nam qui persistit in mediis, ex quibus advertit finem secuturum, moraliter censetur velle finem. *adultis acceptatio habitualis vel interpretativa.*

12. *An vivens in justitia Christiana censeatur eo ipso satis acceptare mortem pro Christo.*

An autem quis censeatur interpretativè velle & satis acceptare hoc ipso quòd justus est & christianè vivit, incertum est. Nam *Lessius jup. num. 24.* & alii plurimi id negant: quia etsi quis per justitiam habitualem & vitam Christianam censeatur interpretativè velle communia media salutis, v. g. Confirmationem & extremam Unctionem; non tamen medium extraordinarium & valde singulare, quale est Martyrium, sicut per eamdem Christianam vitam non censetur interpretativè quis velle Sacerdotium. Si tamen daretur casus, quo Martyrium esset in præcepto, tunc per quemlibet actum charitatis sive contritionis, aut etiam efficacis attritionis, censetur potiùs velle mori, quàm Deum offendere aut fidem negare; ac proinde si quis tali casu etiam de morte non cogitans occideretur, esset verè Martyr. *Plures negant.*

13. *Alii affirmant.*

Alii tamen generaliùs censent posse esse Martyrem etiam in aliis casibus, ut videre est apud *Coninck q. 66. dub. 2. a. 12. nu. 136.* quia etsi non videatur adesse voluntas interpretativa absoluta mortem acceptandi, sed sæpè potiùs fugiendi; videtur tamen non deesse tacitè conditionata, ut, si fortè sic inferretur mors nescienti in odium fidei, velit omnino illam pati ob fidem; maximè qui sic constitutus est, ut in necessitate faciendi alterutrum mori mallet, quàm fidem negare. Atque ita quilibet Christianus justus responderet, si rogaretur. Neque per hoc injicitur nova seu gravis obligatio, ut ob difficultatem singularem non posset censeri talis animi præparatio sufficienter contineri in statu justitiæ Christianæ: immo nullum per hoc onus accedit, sed merum commodum, adeòque censetur quilibet illud cupere in casu, quo equidem onus idem seu mors sine commodo martyrii sufferretur. Et consonat historia de Episcopo, quem inopinatò occidit mulier desuper ex fenestra in illum projiciendo tegulam; qui colitur tamquam martyr. Huic tamen historiæ alii respondent, non defuisse in illo Episcopo expressiorem acceptationem, utì prævisionem periculorum mortis seu martyrii. Finaliter existimo rem esse utrimque incertam. *Judicium Auctoris.*

tam utpote pendentem à voluntate Dei nobis non satis revelatâ.

14. *Acceptanda est mors ob causam honestam.*

Altera pars conclusionis, quòd scilicet mors debeat acceptari ob causam honestam, patet: quia alioquin non esset opus virtutis aut Deo gratum, nec conferetur Christo præbere testimonium, qui mortem pateretur ob finem malum aut indifferentem. Doctores autem ordinariè dicunt, hanc honestatem debere esse supernaturalem; non quòd non sufficiat moralis, sed quia necessarium est, ut Martyr patiatur pro virtute cum respectu ad Christum vel Deum, aliudve motivum supernaturale: eò quòd aliàs non moreretur ut Christianus seu utì cultor Dei, sed utì philosophus more stoico. Immo *Lessius sup. n.37. Suarez* & alii docent, quod causa, ob quam mors oppetitur, credi debeat fide supernaturali; ne alioquin Hæreticus occisus ob aliquem articulum fidei, cui fide naturali adhæret, Martyr dici debeat; quem tamen à veris Martyribus excludunt passim Patres. Alii ulteriùs ad rationem Martyrii requirunt, ut mors acceptetur ex affectu dilectionis Dei super omnia. Sed cum communiori doctrina non sunt audiendi: quandoquidem Scriptura nullibi ad Martyrium requirat talem charitatis affectum; multique alii affectus sufficiant ut ex illis moriens dicatur mori pro Christo, propter ipsum perdere animam suam, ipsum confiteri, & testimonium ei perhibere.

15. *Martyrium rarò est in præcepto, nisi quoad præparationem animi.*

Notandum I. Martyrium rarò esse in præcepto: cùm raro occurrat tam gravis necessitas, ob quam ita teneamur subire Martyrium, ut illud non liceat fugâ declinare. Sufficit itaque Martyrium in animi præparatione, nimirum quòd homo sit ita affectus & animo paratus, ut si mortem subeundi se offerret necessitas vel occasio, non detrectet aut recuset. Quamquàm occasionem quærere non teneatur, & habitam possit plerumque declinare: immo neque positivè & expressè teneatur talem animum (qui infirmis plerumque explicitè non est proponendus) habere, sed sufficiat, dum interim occasio se non offert, non habere contrarium.

16. *Non licitè quis ei se ingerit sine causa.*

Notandum II. non licere citra justam causam, v.g. salutis proximi in functionibus Missionis, profectùs fidei & honoris divini &c. aut divinum instinctum se morti ingerere: id enim esset Deum tentare, vel periculum casûs quærere absque sufficienti securitate de constantia. Nec mens Martyris esse debet, provocare tyrannum ad actum malum, sed potiùs profiteri fidem, etiam expressè protestando se ex sua parte passionem expetere (in qua essentialiter stat Martyrium, etsi actio tyranni tamquam conditio necessaria concurrat) nec obstante passione velle se à fide aut virtute declinare, quin potiùs illam effuso sanguine confirmare. Quod si qui Martyres visi fuerint tentare tyrannos ad inflictionem tormentorum, reverà tamen hujusmodi loquendi modis solùm desiderabant suam passionem, justa de causa permittendo actionem tyranni, etiam datâ occasione per generosam fidei professionem: sicque testabantur fidei suæ firmitatem & veritatem, inducti divino instinctu & fidei Christianæ proprioque animæ bono. Sic etiam accipiendum est, quod Christus *Joan. 13.* dixerit Judæ: *Quod facis, fac citiùs*, id est, non impedio, per me licet, ut quàm citissimè facias. Quæ proinde non est vox impellentis, sed sinentis, non trepidi, sed parati, immo desiderantis suam passionem & paternæ voluntatis adimpletionem, ideoque verbis positivis exprimitur.

An liceat Tyrannum provocare ad inflictionem.

QUÆSTIO II.

Quam Efficaciam habeat Martyrium?

DICO I. Martyrium confert parvulis gratiam habitualem, quâ justificentur à peccato originali. Est communis Doctorum & *Scoti dist. 4. q. 3. n. 2.* atque adeo certa, ut juxta *Suarez disp. 29. sect. 1.* sine temeritate negari non possit.

Probatur I. ex sensu Ecclesiæ, quæ parvulos Innocentes ab Herode occisos *in honorem Martyrum receptos commendat*, ut inquit *Aug. l. 3. de libero arbitrio c. 23.* Eosdem tamquam tales prædicant sancti Patres & Doctores Ecclesiæ. Multi autem ex illis parvulis necdum erant justificati à peccato originali. Partim quia varii erant proles infidelium Judæis permixtorum, partim quia plures necdum erant octiduo nati, adeoque nec circumcisi: ergo per Martyrium est ipsis collata gratia emundans ab originali. Et quàmvis omnes antea justificati fuissent, id saltem non tam constat, quàm quòd sint & ab Ecclesia colantur omnes velut sancti Martyres; adeoque hoc est ab illo incerto independens. Deinde esto illud certò constaret; cur tamen magis quàm alii parvuli in gratia morientes colerentur specialiter ab Ecclesia tamquam Sancti & Martyres, si non accepissent vi Martyrii specialem gratiam aut sanctitatem? Idem igitur est de aliis parvulis: cùm in Innocentibus non fit ratio specialis, sed tantùm generalis Martyrii pro Christo tolerati: adeoque non fit horum privilegium personale. Quod etiam confirmat tum sensus Ecclesiæ in similibus, tum illud *Leonis Papæ ser. 2. de Epiph.* dicentis: *Ut disceretur, nullum hominem esse incapacem divini Sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ fuit apta Martyrii.*

Unde nullatenus tolerandum est, quod probabile censuerunt *Armachanus* & *Adrianus* apud

apud *Suarez d. 29. sect. 1.* Innocentes Martyres nihil gratiæ aut sanctitatis per mortem illam fuisse consecutos : & si fortasse aliqui ex eis non fuerant circumcisi, eos etiam non fuisse salvos, sed in peccato originali decessisse. Neque etiam rectè *Sotus* apud eumdem *Suarez sup.* citat *S. Bonaventuram* in eamdem sententiam : quippe qui *d. 4. p. 2. in Expos. textûs dub. 1.* de Innocentibus contrarium tradit. Neque in iis solis id locum habere, patet ex iis quæ habet ibidem *dub. 4.* nec oppositum tradit *art. 1. quæst. 2.* ubi non tractat expresse de parvulis, & solùm dicit, Baptismum prodesse pluribus, quatenus Martyrium paucioribus applicatur, etsi alioquin præcellat Baptismum.

Probatur II. ex *Marci 8. Qui perdiderit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam.* Quæ sententia generalis locum habet etiam in parvulis ; cùm & ipsi censeantur perdere animam suam propter Christum, quando in ejus odium occidunur. Unde Martyrium supplet in parvulis locum Baptismi. idque efficaciori modo majorem scilicet gratiâ tribuendo : quia qui martyrizantur re ipsâ commoriuntur Christo ; qui autem baptizantur tantùm in figura ; ut *Clemens Romanus lib 5. Constit. apost. cap. 5* aliàs 7.

Petes, an parvulus in odium Christi occisus in utero matris sit verus Martyr ? Resp. satis certò esse Martyrem si Tyrannus intendat eum occidere. Unde differentia est inter Baptismum & Martyrium, quòd licèt ille nequeat conferri parvulo in utero matris, eò quòd ad illum aqua non possit pertingere ; possit tamen pati ibi existens Martyrium, sicut potest occidi in odium Christi. Quod verum est, etsi mater non occideretur simul ; ut si ministri Herodis infantem datâ matri gravidæ potione occidissent, salvatâ matre. Sed si parvulum tyrannus occidere non intendat, v.g. nesciens matrem esse gravidam, quam in odium Christi occidit ; incertum est. Negat *Præpositus quæst. 68 art. 3. dub. 6.* Affirmat probabiliter *Gabriel* & *Coninck* & alii : quia etiam tali casu occiditur propter Christum, seu animam suam perdit causâ Christi : plaga enim ex qua moritur, ex odio Christi infertur, etsi mors parvuli non intendatur. Confirmatur : quia si Tyrannus in odium Christi aliquem vulneraret, etiam cum expressa non occidendi intentione, si tamen mors sequatur, esset verus Martyr : ergo à fortiori idem dicendum est de parvulo. Nihilominus non desunt argumenta in contrarium, ut videre est apud *præpositum suprà.*

Dico II. Martyrium confert vi suâ sive supra meritum etiam adultis gratiam habitualem. Conclusio est communis, & satis patet ex præcedenti : si enim Martyrium supra vel citra meritum conferat gratiam parvulis, ergo majori ratione adultis : in his enim mors habet formaliter rationem Martyrii & confessionis Christi, in parvulis autem solùm materialiter. Probatur etiam ex *Marci 8. Qui perdiderit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam. Matth. 10. Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Quibus aliisque locis promittitur aliquid speciale morientibus pro Christo ; qui tamen nihil speciale haberent, si supra meritum suum vi Martyrii nihil reciperent. Unde *Augustinus* infrà adæquat verba Christi *Matth. 10. & 16.* cum illis *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit &c.*

Denique probatur ex Patribus, qui adscribunt Martyrio majorem efficaciam quàm Baptismo : sed Baptismus confert vi suâ gratiam, ergo magis Martyrium. Testimonia Patrum copiosè refert *Suarez sup. sect. 2* Nobis pauca sufficiant. *Clemens lib. 5. constit. Apostolic. cap. 5.* aliàs 7. *Etsi* (inquit) *Catechumenus sit, recedat ad Deum lætus : cruciatus enim, quo est propter Deum affectus, erit ei verior Baptismus. Cyprianus Ep. 73. Numquid potest vis Baptismi esse major aut potior, quàm confessio ? quàm passio ? &c.* q. d. minimè. Ideoque ex majori efficacia concludit, non posse prodesse Baptismum aquæ, cui non posset prodesse Martyrium. *Augustinus 13. de Civit. c. 7.* (estque apud *Prosperum sententia 149.*) *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm si abluerentur sacro fonte baptismatis.* Et infrà : *Quid enim pretiosius, quàm mors, per quam fit, ut etiam delicta omnia dimittantur ?*

Dico III. Martyrium non tantùm confert gratiam, sed etiam remissionem totius culpæ (si sit satis retractata) & pœnæ. Probatur I. quia secundùm Patres Martyrium est majoris efficaciæ, quàm Baptismus ; ergo non minùs quàm ille delet omnem culpam & pœnam. Probatur II. ex c. *Cùm Marthæ, de Celebrat. miss. §. fin.* ubi *Innocentius III.* ait : *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre* (quod est desumptum ex *Augustino Tract. 84. in Joan.* & alibi) si autem non deleret omnem culpam & pœnam, esset indulgè pro Martyre, uti pro aliis, orandum & sacrificandum, ut à pœnis fortè restantibus posset absolvi. Probatur III. quia Ecclesia invocat & colit Martyres statim post mortem, etsi in vita sæpius, aut usque tempus Martyrii graviter peccaverint ; ergo supponit omnem culpam & pœnam vi Martyrii illis esse remissam : aliundè enim hoc non potest supponere, cùm actus quo Martyrium acceptatur sæpissimè alioquin non sufficeret ad remissionem tot pœnarum restantium.

21. *Immo & remissionem totius culpæ satis retractatæ ac pœnæ.*

Dixi, *si sit satis retractata* : quia sicut potest quis baptizari cum affectu alicujus peccati venialis, ita posset cum simili affectu martyrizari : quo casu, sicut Baptismus, sic nec Martyrium remitteret culpam aut

22. *Quid fieret casu quo culpa aliqua non foret satis retractata.*

pœnam istius venialis. Hoc tamen non est natum fieri in Martyrio, ob instantem mortem, quæ acceptatur : ideoque supponit Ecclesia, Martyres immediatè post mortem beatificari & accipere aureolam Martyrii. Immo casu quo Martyr moreretur absque sufficienti retractatione peccati venialis, censendum videtur illud simul cum pœna temporali condonari in primo saltem instanti post vitam intuitu præcedentis Martyrii, accedente tunc retractatione sive contritione, saltem velut conditione sine qua non : nam certius est Martyrem verum generaliter mox à morte sine pœnarum passione esse beatum, neque esse pro illo orandum, quàm eum numquam mori nisi priùs retractato quolibet veniali, cui interdum stabiliter adhærebat; adeòque istius assertio debet ab hoc esse independens.

23. *Gratia seu privilegium Martyrii habuit vim ante mortem, immo incarnationem Christi.*

Petes, an privilegium Martyrii habuerit locum etiam ante Christi adventum ? Resp. affirmativè contra Nonnullos. Patet ex Machabæis, qui tamquam Martyres ab Ecclesia coluntur. Unde *Nazianzenus orat.* 20. quæ est de Machabæis, docet, illos in fide Christi consecutos esse justitiam & effectos esse nive candidiores. Consentit etiam *Tertullianus*, quem refert, & sequitur *Henriquez lib. 2. c. 36 num. 1.* Confirmatur : quia gratiam Martyrii fuisse ante passionem Christi, ac Legis novæ institutionem ; veteri adhuc obligante, patet exemplo Martyrum Innocentium & Joannis Baptistæ : quidni ergo pariter fuerit ante Christi adventum ? Neque tantùm in adultis (ut vult *Vasquez d. 153 c. 7. nu 81.*) sed etiam in parvulis, v. g. propter legem Judaicam ante Christi adventum intersectis, ut locum habuit in Martyribus Innocentibus Christo vix nato occisis. Immo videtur hoc privilegium ab initio mundi exstitisse : neque enim videtur credibile, non fore Martyrem cum privilegio remissionis totius culpæ & pœnæ, & aureolæ ; si quis ab initio mundi mortem gustasset ab impiis, nolens adorare idola vel deserere verum Dei cultum, aut contra illius mandatum offendere. Nec minoris est laudis id feciisse ante Christi adventum, ejus exemplo necdum offenso, quàm postea quam Christus passus nobis reliquit exemplum imitandi vestigia ejus. Attamen Christo necdum passo, etiamsi nato & prædicatione factâ, Martyres sive veteris Testamenti, sive novi (si quis ante passionem Christi mortem adultus oppetiisset pro illo, utì oppetierunt Innocentes, & Joannes Baptista pro virtute) cùm cæli janua necdum pateret, non fuissent statim cælum ingressi, utì nec baptizati tunc mortui. Fatendum equidem Patres juxta exigentiam materiæ præcipuè seu ferè loqui de Martyrio novi Testamenti, in quo etiam privilegium istud divinum est à Christo expressiùs declaratum, & frequentiùs usurpatum.

Etiam in parvulis.

Et quidem ab initio mundi.

QUÆSTIO III.

De Dispositione requisita ad Effectum Martyrii.

DICO I. Ad effectum Martyrii non requiritur per se in peccatore contritio seu actus charitatis Dei super omnia. Ita communiùs Doctores. Probatur : quia juxta Patres Martyrium est efficacius Baptismo ; sed hic non requirit perfectam contritionem, ergo nec Martyrium. Deinde, juxta Patres Martyrium delet peccata ; non deleret autem si prærequireret talem dispositionem, utpote per quam semper deleta supponerentur.

Nec obstat Apostolus 1. *ad Cor.* 13. dicens : *Etsi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Nam loquitur de iis, qui nec charitatem habent, nec ad eam sunt dispositi, nempe qui Ecclesiam scindunt, sectas suscitant vel aliis peccatis mortiferis affectu inhærent; non autem de iis qui per attritionem & pœnitentiam ad charitatem tendunt. Eodem modo dicere potuisset Apostolus : Si Baptismum recepero, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest : ex quo tamen non sequitur, ad Baptismum requiri perfectam contritionem. Aliæ explicationes videantur apud alios.

Dixi in Conclusione *per se* : quia per accidens ratione extrinsecæ obligationis potest requiri contritio seu actus charitatis, v. g. si Martyr non elicuisset actum charitatis, teneretur tunc elicere ad præceptum dilectionis Dei implendum. Similiter si esset in mortali, teneretur confiteri, habitâ copiâ Confessarii, alioquin contereretur & si non esset baptizatus suscipere Baptismum : cùm enim Martyrium non sit medium ordinarium ad salutem non excusat à mediis ordinariis, quando possunt adhiberi. Quod magis certius inde fit, quòd adhuc non sit satis compertum, Martyrium justificare sine contritione aut actu charitatis : cùm multi Doctores, etiam Recentiores, post *D. Bonaventuram 4. d. 4. p. 2. c. 1. q. 2.* contradicant, quilibet autem teneatur ex charitate propria providere sibi de securiori salutis æternæ medio, nec possit eam incerto esse contentus, ubì certius est ad manum.

DICO II. In peccatore ad minus requiritur attritio supernaturalis. Est communis contra *Vega lib. 6. in Trid. c. 37.* & paucos alios, putantes sufficere voluntatem moriendi pro Christo absque ullo dolore de peccatis. Probatur Conclusio : quia absque ullo dolore, vel cum aliquo quidem, sed qui ad minus non sit attritio supernaturalis, non tollitur obex, nec homo sufficienter retractat sua peccata, ut ei Sacramenta

menta mortuorum conferant gratiam: ergo nec ut Martyrium illam conferat: est enim in hoc paritas. Quando autem Patres majorem efficaciam adscribunt Martyrio, quàm Baptismo, loquuntur de majori efficacia in conferenda gratia ampliori, non autem in ordine ad agendum in subjectum minùs dispositum.

Adverte tamen subinde sufficere attritionem virtualem, v. g. actum spei, in eo, qui non recordatur sui peccati, aut obligationis eliciendi formalem pœnitentiam, dum totus est occupatus in se animando contra mortem. Talis enim actus est ejusdem bonitatis cum attritione, & avertit hominem virtualiter à peccato; adeòque sufficit cum Martyrio: sicut extra Sacramentum & Martyrium actus charitatis justificat peccatorem, saltem dum est immemor suorum peccatorum. Immo generaliter vix continget aliquem Catholicum propter Christianam virtutem oppetere mortem, quin consequatur fructum Martyrii; eò quòd præsens mors & imminens æternitas facilè illum excitent ad sufficientem peccatorum detestationem, eo præsertim tempore, quo Deus athletis suis deesse non solet. Alioquin voluntas patiendi pro Christo absque dolore de peccatis memoriæ occurrentibus (quando etiam simul solet obligatio pœnitendi occurrere) practicè loquendo non censetur sufficiens detestatio peccatorum: immo sic peccatorum memor potiùs videretur offensam Dei pro nihilo ducere, & affectum erga peccata non mutare, de quibus advertenter non vult dolere. Posset etiam cùm voluntate patiendi (quæ non necessariò est amor Dei super omnia) affectus alicujus peccati mortalis consistere, v. g. fornicationis, mollitiei, inimicitiæ vel alterius vitii, cui quis vehementer foret addictus, & cujus emendandi, quantumvis occurreret, non solet facere propositum. Pro quo facit pavendum planè exemplum Sapricii Presbyteri, qui non obstante voluntate patiendi adhuc veteri odio flagrabat in Nicephorum, etsi ipsum prope ictum vibrante carnifice, Christum negaverit, Nicephoro desertoris damna reparante. De quo *Baronius ad annum* 266. Immo etsi quis peccati non sit conscius, pro securiori tamen etiam in Martyrio curare debet, ne sine pœnitentia migret.

QUÆSTIO. IV.

Quando conferatur effectus Martyrii?

RESP. valdè credibiliter conferri in ultimo instanti vitæ, si hoc sit vitæ intrinsecum, ita ut homo desinat per ultimum sui esse: quia in eo consummatur Martyrium, nec aliquid sequitur inconveniens.

Si verò illud instans sit vitæ extrinsecum, ut habet communior philosophia, dicendum est, valde probabiliter effectum Martyrii conferri in aliquo instanti vel tempore mortem imperceptibiliter præcedente, quo Martyrium censetur moraliter consummatum, & quo Martyr ob destitutionem usûs rationis peccare nequeat, aut certè Deus eum non peccaturum prævideat. Ita *Lessius sup. n.* 59.

Nihilominùs non est improbabile, effectum Martyrii conferri statim, dum homo habet vulnera quæ naturaliter de se sunt mortalia. Et quàmvis tunc sæpè diu ante mortem conferretur (cùm homo accepto lethali vulnere, vel hausto veneno mortifero sæpè ad aliquod tempus naturaliter supervivat) nihil obstat: quia ad divinam providentiam spectabit, Martyrem in accepta gratia conservare, vel amissam per ordinata ei media restituere: prout hoc ad eamdem providentiam spectaret, si Deus Martyrem post acceptam Martyrii gratiam mortuum miraculosè resuscitaret.

Est tamen parum probabile, quod videtur sentire *Cajetanus* 2. 2. *q.* 124. *art.* 4. *circa solut. ad* 4. nempe Martyrii effectum conferri primo instanti post vitam finitam: nam tunc posset dari casus, quo moreretur quis inimicus Dei, & tamen salvaretur: daretur etiam momentum, in quo posset anima accipere gratiam, & non amittere; adeòque status merendi & demerendi non essent pares.

DISPUTATIO NONA.

De Sacramento Confirmationis.

QUÆSTIO I.

An Confirmatio sit Sacramentum, & quando institutum?

1. *Confirmationis Sacramentum contra varios Hæreticos adstruit Fides Catholica*

DICO I. Confirmatio est Sacramentum propriè dictum. Est de fide contra Hæreticos recentiores. Ante quos etiam *Wiclef* hoc Sacramentum rejecit, & ante hunc *Waldenses*; & ante hos omnes *Novatiani*, qui baptizatis (teste *Theodoreto l. 3. Hæretic. Fabul.*) *sacrum Chrisma non præbent. Quocirca eos qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur benedicti Patres ungi jusserunt.* Similiter videntur Nonnulli *Arriani* hoc Sacramentum rejecisse, qui proinde per manûs impositionem recipiebantur ab Ecclesia.

Fundata in Actis Apostolorum.

Sed veritas Catholica Probatur I. ex *Act. 8. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Et *cap. 19 Cùm imposuisset illis manus, venit Spiritus sanctus super eos.* Unde patet Apostolos per signum sensibile, scilicet impositionem manuum, contulisse Spiritum sanctum, adeòque gratiam sanctificantem, sine qua non rectè dicitur Spiritus sanctus alicui dari, utì nec aliquem inhabitare. Itaque illa ceremonia fuit & est Sacramentum; non aliud autem, quàm Confirmatio, ergo &c.

2. *Responsio Calvini refutatur.*

Respondet *Calvinus l. 4. Instit. c. 19. §. 6. Hujusmodi ceremoniam fuisse adhibitam ab illis, ut ipso gestu significarent se Deo commendare, & velut offerre eum, cui manus imponebant.* Quocirca immediatè præmiserat: *Huic impositioni manuum non altius mysterium subesse cogito.* Sed immeritò. Nam Scriptura *Act. 8.* expressè dicit, quòd per istam ceremoniam, seu *per manûs impositionem daretur Spiritus sanctus*; ergo non tantùm per illam fideles Deo offerebantur. Deinde ad hoc solum non erat opus, ut Apostoli tàm festinè mitterent Petrum & Joannem, cùm recepissent Samaria verbum Dei per Philippum Diaconum: quandoquidem absentes æquè ac præsentes potuerint illos Deo offerre; idemque facere potuerint, qui eos baptizarant in nomine Domini Jesu, immo quilibet Christianus. Denique Simon Magus non obtulisset pecuniam ad emendum privilegium conferendi Spiritum sanctum per manûs impositionem, nisi plus quàm commendationem Deo factam sciviſſet subesse.

3. *Aliorum Hæreticorum*

Non potest etiam dici cum aliis Hæreticis istam ceremoniam fuisse solùm ab Apostolis usurpatam, ut conferrent aliis donum linguarum ac prophetiæ: nam etsi in principio Ecclesiæ sæpè conjungerentur dona aliqua externa seu gratiæ gratis datæ, ut ex Scripturis citatis patet, & inde Simon Magus fortè fuerit incitatus ad offerendam pecuniam; absolutè tamen aliud erat dare Spiritum sanctum, aliud donum linguarum: ille enim dabatur omnibus baptizatis quibus imponebantur manus: hoc tantùm aliquibus, ut patet ex Apostolo *ad Rom. 11. & 1. ad Cor. 12.* ubì ait: *Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes linguis loquuntur?* Deinde dona ista possunt esse in peccatore, ut patet ex *1. ad Cor. 13.* non autem Spiritus sanctus, juxta illud *Sap. 1. In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Vide *August. lib. 3. de Bapt. cap. 16.*

Probatur II. ex *Joëlis 2. Et erit post hoc, effundam Spiritum meum super omnem carnem*; sive (ut refert hunc locum Petrus *Act. 2.*) *Erit in novissimis diebus, dicit dominus, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Ad quam Scripturam alludit Christus *Joan. 7.* dicens: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Ubi Evangelista subjungit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Quæ Scriptura non loquitur solùm de Spiritu dando in Baptismo; cùm Evangelista mox subjungat: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*; cùm tamen tunc multi jam essent baptizati, ut patet ex *Joan. 3. & 4.* & plures baptizandi ante Christi glorificationem. Non loquitur etiam solùm de missione Spiritus super Apostolos & discipulos in Pentecoste: quia Scriptura loquitur generaliter dicendo: *Super omnem carnem.* Deinde *Act. 2.* extendit illam Petrus ad omnes. Præterea *Joan. 14.* promittitur Spiritus mansurus nobiscum in æternum, id est, usque ad finem mundi; quod non quadrat in solos Apostolos & Christi discipulos, utpote diu mortuos.

Sunt & aliæ Scripturæ, ex quibus Conclusio suaderi potest, ut illud *1. Joan. 2. Et unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Qui tamen locus non convincit: cum per unctionem ibi Varii intelligant Baptismum, Alii Christianismum seu fidem Christianam, Alii gratiam sanctificantem cum dono (ut Nonnulli addunt) intellectus. Præterea de Confirmatione Varii intelligunt illud *2 ad Cor. 1. Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos.* Quod tamen Multi intelligunt de Confirmatione & unctione per

per gratiam, itemque de simili signatione, vel (ut Alii) de signatione per Characterem, vel (ut Alii) de obsignatione per dona Spiritûs sancti. Denique adduci potest locus Apostoli ad *Hebr. 6.* ubi inter doctrinæ Christianæ rudimenta post Baptismum proximè enumeratur *Impositio manuum.* Quod ad propositum explicant Græci & Latini Patres communiter, teste *Ellio ibidem.* Consonantque similiter Interpretes, adeò ut *Basilius Pontius de Confirmat. part. 1. cap. 3.* dicat se solùm legisse duos aut tres Interpretes, qui dissentirent, intelligentes locum de impositione manuum super Catechumenos, & energumenos, ad expellendos dæmones, vel de impositione manuum in Sacramento Ordinis.

6. Adverte hîc obiter *Basilium Pontium sup. num. 11.* immeritò dixisse, quòd non videatur reprehensione carere *Scotus. d. 7. quæst 1.* ubi videtur docere, quòd non constet ex Scriptura, institutionem hujus Sacramenti esse à Christo factam, sed haberi ex doctrina à Patribus & ab Apostolis acceptâ. Sed *Scotus num. 3.* solùm dicit, *quòd tempus & modus hujus institutionis in Scriptura non legatur.* Quod verum est, quantumvis ex Scriptura probari possit, fuisse illud ab Apostolis usurpatum, scilicet in Actis Apostolorum, non quidem per chrismationem, sed per aliud æquivalens; quod *Scotus* non negat, immo supponit suprà dicens, *toto tempore Apostolorum fortè mansisse donum linguarum in Sacramento Confirmationis*; prout scilicet illud legitur in Actis datum esse, de quo loquebatur *Scotus.*

7. Probatur III. ex testimoniis Sanctorum & vetustissimorum Pontificum, ac Conciliorum. *Urbanus I. in Epistola decretali* sic habet: *Omnes Fideles per manûs impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent. Fabianus Epist. 2. Sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda &c. quia novum Sacramentum est &c. Eusebius Papa Epist. 3. Manûs impositionis Sacramentum magnâ veneratione tenendum est &c. Melchiades Papa ad Episcopos Hispaniæ: Quæsistis utrùm majus esset Sacramentum manûs impositio Episcoporum, aut Baptismus? Scitote utrumque esse magnum Sacramentum, & sicut unum à majoribus fit, id est, à summis Pontificibus, quod à minoribus fieri non potest; ita & majori veneratione venerandum & tenendum est.* Et tamen Hæreticus illud audet contemnere. Immo Melchiadem Christi martyrem (quem compellans *Augustinus Epist. 162.* ait: *O virum optimum, o filium Christianæ pacis, & patrem Christianæ plebis*) sic audet alloqui *Calvinus lib. 4. Instit. c. 19. §. 10. Os sacrilegum, tunc pinguedinem fœtore dumtaxat anhelitûs tui inquinatam, & verborum murmure incantatam, audes Christi Sacramento opponere, & conferre cum aqua verbo Dei sanctificatâ? At parum hoc ipsum erat tuæ improbitati, nisi etiam præferres. Hæc sunt sanctæ Sedis responsa, hæc Apostolici tripodis oracula.* Hæc ille, qui non poterat impudentiùs blasphemare in sanctissimum virum, nec clariùs, quantum à veteris Ecclesiæ sensu dissideat, confiteri.

Plura Concilia antiqua, quæ eamdem veritatem supponunt, adfert *Bellarminus lib. de Sacram. Confirm. c. 4.* Inter alia *Elibertinum can. 38. Arelatense I. can 8. Arelatense II. can. 17.* & *Maldense* (quod etiam refertur *Can. Ut Episcopi, de Consecrat. d. 5*) statuens, *ut Episcopi non nisi jejuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant.* Denique Conclusionem tradit *Concilium Florentinum in Instructione Armenorum,* & *Trid. sess. 7. can. 1. de Confirmatione.* *Et Concilia*

8. Probatur IV. ex antiquissimis Patribus *Dionysius I Eccles. Hier. rch. c. 4.* dicit, post generationis mysterium, id est Baptismum, *Adventum sancti Spiritûs consummans unctio largitur unguenti Tertullianus l. de Resurrect. carnis c. 8. Caro ungitur, ut anima consecretur. Cyprianus Epist. 72. Tunc enim demum plenè sanctificari, & filii Dei esse possunt, si Sacramento utroque* (loquitur de Baptismo & impositione manuum) *nascantur. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 3. Corpus quidem isto visibili unguento perungitur; anima verò sancto vivificoque Spiritu sanctificatur. Pacianus Serm. de Bapt. Hæc autem compleri aliàs nequeunt, nisi lavacri & chrismatis, & Antistitis Sacramento: lavacro enim peccata purgantur, chrismate Spiritus sanctus superfunditur. Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus. Eucherius Lugdunensis,* vel potiùs *Eusebius Gallicanus* sive alius Auctor coævus, *Homil. de Pentecoste: In fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Theodoretus ad cap. 1. Cantic. Sub ea visibili unguenti specie, invisibilem sanctissimi Spiritûs gratiam suscipiunt.* Plura testimonia vide apud *Bellarm. l. de Confirm. cap. 5. & 6.* Ex quibus ingenio bene affecto non potest esse dubium, quin hæc veritas communi consensu Patrum sit recepta, & perpetuo usu Ecclesiæ confirmata; adeòque Hæreticos eam negantes vel contra eam disputantes insolentissimæ insaniæ esse arguendos juxta *August. Epist. 118. c. 5.* *Ac denique Patres.*

9. Dico II. Sacramentum Confirmationis fuit à Christo institutum probabiliùs in ultima cœna. Ita *Coninck, Præpositus* & alii communiùs. Fundamentum præcipuum desumitur ex *Fabiano Papa Epist. 2. ad Orientales c. 1.* dicente: *In illa die Dominus Jesus, postquam colligitur ex cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit.* Ubi per chrisma vel intelligit Pontifex ipsum Sacramentum *Sacramentum hoc fuisse in ultima Cœna institutum Fabiano Papa.*

quod chrismate confertur, sicut subinde per lavacrum intelligitur Baptismus *ad Ephes.* 5. & *ad Titum* 3. vel si intelligat solum chrisma, adhuc satis probabiliter inde colligitur ipsum Sacramentum tunc esse institutum: nam chrisma est materia ipsius Sacramenti, & in ejus usum præcipuè ordinatur, adeòque non videtur Christus tunc instituisse & docuisse confici chrisma, nisi simul instituerit hoc Sacramentum.

Aliud quoque tempus opportunius assignari non potest.

Confirmatur: quia aliud tempus opportunius assignari nequit. Non enim illud, quando Christus *Matth.* 19. imponebat parvulis manus, ut Quidam volunt: tum quia illi parvuli nondum erant baptizati: tum quia *Joan.* 7. supponitur Spiritus sanctus non esse dandus, scilicet per Confirmationem, ante Christi glorificationem. Quàmvis juxta *Henriquez, Bonacina,* & alios Sacramentum hoc *Matth.* 19. fuerit quasi adumbratum, seu præsignatum tamquam suo tempore instituendum. Non etiam dici potest institutum in Pentecoste: cùm ibi nec materiæ nec formæ hujus Sacramenti appareat vestigium. Deinde Christus tunc cælos ascenderat; non videtur autem ascendisse, nisi consummato Ecclesiæ ædificio, cujus præcipuæ columnæ sunt Sacramenta. Non denique *Joan.* 20. quando Christus dixit: *Accipite Spiritum sanctum &c.* quia neque ibi est vestigium materiæ aut formæ; maximè cùm ibi instituatur Sacramentum Pœnitentiæ juxta *Trid. sess.* 6. *c.* 14. & *sess.* 14. *c.* 1.

10. *Consummata tamen institutio etiam quoad ministrum referenda est ad tempus subsequens resurrectionem Joan.* 20.

Dices: Episcopus est minister ordinarius Sacramenti Confirmationis; Ordo autem Episcopalis fuit institutus post resurrectionem *Joan.* 20. Resp. inde non sequi Sacramentum hoc non fuisse institutum antea simpliciter, seu quoad materiam & formam: quàmvis consummata ejus institutio etiam quoad ministrum sit referenda ad tempns subsequens resurrectionem: tunc enim adeò perfecta fuit ejus institutio, ut ex tunc foret in eo statu, in quo & administrari & recipi posset. Quàmvis enim Apostoli ante resurrectionem in ultima cœna facti essent sacerdotes quoad consecrandum corpus Christi verum, & simplex sacerdos sit etiam minister ex commissione saltem Papæ; equidem pro tunc non erant ministri etiam congruè delegabiles: tum quia necdum institutus erat minister ordinarius seu potens delegare, sed solùm post resurrectionem: tum quia quòd simplex sacerdos possit ex commissione confirmare, fundatur, non in potestate illius super corpus Christi verum, sed super corpus mysticum, cujus potestatis est pars, & quæ data est solùm post resurrectionem *Joan.* 20. Confirmatur: si tunc data & instituta est potestas ordinaria & principalis confirmandi, ergo similiter secundaria ac delegata.

QUÆSTIO II.

Quæ sit Materia Sacramenti Confirmationis?

DICO I. Materia remota hujus Sacramenti est Chrisma. Constat ex definitione *Florentini suprà*, & ex *Trid. sess.* 7. *can.* 2. *de Confirmatione.* Patet etiam ex perpetuo usu & traditione Ecclesiæ, quæ satis constat ex vetustissimis Pontificibus & Patribus, *Cornelio Papâ Epist. ad Fabium Episcopum Antiochenum, Dionysio Areopagita de Eccles. hierarch. c.* 4. *Concilio Laodiceno cap.* 48. *Cypriano*, & pluribus aliis: quos vide partim *quæst. præced.* partim apud *Bellarminum lib. de Confirm. c.* 3. *& seqq.* Colligitur etiam probabiliter ex Scriptura 2. *ad Cor.* 1. *præc. quæst.* relatâ.

Dices: Apostoli contulerunt hoc Sacramentum sine chrismate per solam manuum impositionem: ut videtur colligi ex *Act.* 8. & 19. ergo chrisma non est materia illius essentialis. *Coninck, Præpositus* & plures Recentiores respondent absolutè Neg. Antec.

Nihilominus *D. Thomas q.* 72. *a.* 2. *ad* 1. & *art.* 4. *ad* 1. *Scotus d.* 7. *q.* 1. *n.* 3. *D. Bonav. eâdem d. art.* 1. *q.* 2. *Suarez* & alii passim rectiùs admittunt Apostolos hoc Sacramentum aliquando sine chrismate contulisse. Sumitur ex *Act.* 8. & 19. ubi solius manûs impositionis fit mentio, & per eam significatur datum esse Spiritum sanctum; si autem simul aderat chrismatio, Scriptura tacuisset præcipuum, & illud tantùm expressisset, quod ad collationem Spiritûs sancti nullo modo concurrebat, sed commoditatis gratiâ comitabatur; cùm suffecisset digito frontem tangere. Sic intellexerunt Scripturam gravissimi Theologi ac Theologorum Principes: immo ipsum *Florentinum in Decreto de Armenis* (esto non definiat) adeò apertè, ut quilibet non præventus inde eliceret hanc doctrinam. Dicit itaque: *De solis Apostolis legitur, quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum dabant: loco autem illius manûs impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio.* Quod non bene diceretur, si manûs impositio fuisset ipsamet unctio chrismatis, quæ nunc adhibetur. Nec dicit, *vocatur Confirmatio*; sed, *datur Confirmatio*; adeòque non solùm nomen nomini, sed res rei successit, tamquam aliquod aliud symbolum externum. Deinde vult, quòd in Ecclesia detur Confirmatio, non solùm hoc ævo, sed etiam ævis superioribus post tempora Apostolorum, quorum factum opponit facto Ecclesiæ; adeòque etiam verum est, quòd tempore v. g. *Melchiadis, Augustini* &c. loco illius manûs impositionis dabatur in Ecclesia Confirmatio atqui tunc non succesferat nomen nomini (cum uti nunc frequenter,

tunc ordinariè adhuc vocaretur manûs impositio) ergo sensus est, quòd successerit res rei.

13. Et Dictis probatur. Confirmatur ex *Innocentio IV. in Epist.* ad Episcopum Tusculanum Apostolicæ Sedis Legatum in regno Cypri (quam ad verbum refert *Bzovius* ad *annum* 1253. *n.* 13.) dicente: *Soli Episcopi consignent Chrismate &c. quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manûs impositionem* (*quam Confirmatio, vel frontis Chrismatio repræsentat*) *Spiritum sanctum tribuisse leguntur.* Ex quo infertur quòd *per manûs impositionem* tamquam causam tribuerint Spiritum sanctum. Item quòd Confirmatio repræsentet manûs impositionem, non vox vocem, sed res rem, quia videlicet illa fuit Symbolum Confirmationis, habens similem effectum & finem. Eodem modo accipiendum est illud *Innocentii III. c. unico de sacra Vnctione* §. *fin. Per frontis Chrismationem manûs impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio.*

14. Aliorum sententiam probabilis non ejus Sacramento. Dixi *Apostolos hoc sacramentum aliquando sine Chrismate contulisse*, ut insinuarem, quòd non semper: cùm enim unctio chrismatis fuerit à Christo in perpetuum instituta, non debuit ab Apostolis Ecclesiæ fundamentis penitùs omitti, sed etiam exemplo doceri, maximè postquam Ecclesiâ utcumque formatâ certis locis residebant. Idemque videtur convincere traditio Patrum, maximè *Dionysii de Ecclesiast. Hierarch. c.* 4. & *Fabiani Papæ Epist.* 2. *qui scribit Apostolos non solùm docuisse, sed etiam observasse consuetudinem conficiendi Chrismatis, confirmandi vetus, & utendi novo, sicut à Christo acceperant.*

15. Dispensatum & privilegiatum fuisse quosdam ejus Sacramenti effectum sine Chrismate negatur. Itaque admisso Antecedente argumenti *n.* 12. objecti Resp. Neg. Cons. sicut enim Christus nullis signis sacramentalibus alligatus contulit effectum hujus Sacramenti sine chrismate Apostolis in Pentecoste & aliis *Act.* 10. sic potuit cùm Apostolis dispensare & probabiliùs dispensavit, ut illud per nudam manuum impositionem conferrent: cùm ipsi totum mundum peragrantes non haberent tempus aut commoditatem conficiendi chrisma, & conferendi tam multum quod sufficeret tot hominum millibus confirmandis post susceptionem Baptismi.

16. Christum esse auctorem hujus Sacramenti & ejus materiam. Dico II. Chrisma debet esse confectum ex oleo, scilicet olivarum (quod olei nomine absolutè censetur. Neque de hoc umquam in Ecclesia dubitatum fuit: ut proinde certissimum sit, non sufficere oleum artificiale ex seminibus expressum) & balsamo. Patet ex *Fabiano Papa supra*, & *Florentino supra*, ac ex perpetuo ritu Ecclesiæ. Unde manifestum est, mixtionem hanc esse necessariam, saltem necessitate præcepti. *At Cajetanus* & varii post ipsum docent solum oleum sine balsamo sufficere ad essentiam Sacramenti. Et quidem *Cajetanus* censet mixtionem balsami tantùm esse juris Ecclesiastici: *Soto* autem *d.* 7. *q. un. art.* 2. §. *De hoc autem, Estius*, & alii, esse juris divini. Quod etiam novissimè docet *Dicastillo disp. un. de Sacram. Confirmat. dub.* 3. non rectè referens *Sotum* quasi docentem, quòd balsamum sit solùm ex præcepto Ecclesiæ adhibendum.

17. *Sed etiam balsamum ita requiri est recepta doctrina.* Verùm omnes veteres Theologi simpliciter asserunt materiam Confirmationis esse chrisma ex oleo & balsamo, sine præmissa hac distinctione, quam primus tradidit *Cajetanus*, teste *Basilio Pontio p.* 2. *c.* 2. *n.* 2. Posteriores quoque Theologi quasi communiter censent mixtionem hanc esse de essentia Sacramenti. Quæ doctrina probatur ex *Florentino in Decreto de Armenis*, ubi (quando aliundè non constat contrarium) assignat materias & formas essentiales Sacramentorum, & pro hujus Sacramenti materia simpliciter statuit *Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ.* Ubi æqualiter exigit oleum & balsamum, & de utroque pariformiter loquitur. Aliàs verò agens de Sacramento Baptismi, cautè inter essentialia & accidentalia distinguit: & agens de materia Sacramenti Eucharistiæ, aliter loquitur de vino, aliter de aqua miscenda, utpote non necessariâ ad essentiam; *materia*, inquiens, *est vinum, cui aqua misceri debet.* Ob hoc *Irribarne* apud *Pontium sup. n.* 24. asserit esse hanc nostram doctrinam de fide, quod & placet *Pontio* ibidem, aut certè quod maximè ad fidem accedat. Aliis tamen censura ista displicet. *Quæ probatur ex Florentino,*

18. *Et Traditione.* Deinde veteres Pontifices & Patres passim, dum agunt de hoc Sacramento, utuntur nomine chrismatis; quo simpliciter posito significatur, non nudum oleum, sed unguentum ex variis materiis confectum: immo illud frequenter distinguunt contra simplex oleum, v.g. infirmorum. Præterea Varii disertè asserunt chrisma confici ex oleo & balsamo: ut *Fabianus Papa Epist.* 2. *Gregorius Papa in cap.* 1. *Cant. Innocentius III. c. un. de sacra Vnct. Cyprianus* vel alius Auctor *Serm. de Vnctione chrismatis, Antiquus Ordo Romanus in feria* 5. *hebdomadæ sanctæ. Beda* & alii passim. Nonnulli etiam etsi non meminerint expressè balsami, indicant tamen, dum tradunt chrisma esse compositum ex materia odorifera; ut colligitur ex *Clemente l.* 7. *Constit. Apostol. c.* 45. & apertè ex *Dionysio Ecclesiast. Hierarch. c.* 4. Quæ traditio tam constans signum est hanc mixtionem esse de necessitate Sacramenti, seu balsamum absolutè, utì oleum requiri. Accedente eo, quòd Nonnulli satìs etiam expressè meminerint divinæ institutionis, ut *Fabianus sup.* & *Auctor sermonis de Vnctione chrismatis.* Insuper quòd semper & ubique in Ecclesia etiam apud Græcos balsamum fuerit adhibitum, adeò ut nequidem in necessitate, ob balsami raritatem à quibusdam prætensam, permiserit *Fabianus* illud omitti. *Quæ adeò constans ostendit pariformem olei & balsami necessitatem divinam, & institutionem.*

Gratìs porrò, nec conformiter ad exem- 19.

Quæ respicere censeantur necessaria necessitate Sacramenti nisi aliud constet.

plum ceterorum Sacramentorum, adstruitur à Nonnullis balsamum esse adhibendum ex præcepto Christi, non tamen esse de essentia: nam præcepta Christi de materia & forma Sacramentorum censenda sunt respicere essentialia eorumdem seu necessaria ad valorem, quando aliud non constat: ideoque pro regula mutationis substantialis statuitur, illam semper fieri, quando mutatur sive non ponitur materia à Christo præscripta. Ob quod è contra supponitur mixtionem aquæ in sacrificio non esse à Christo præscriptam, quia nimirum aliàs esset de necessitate Sacramenti. Nec simile est de satisfactione, quæ etsi à Christo requisita sit, tamen non requiritur ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ: nam specialis quoad hoc exceptio constat ex indubitata omnium Catholicorum mente & scriptis: nec non ex eo, quòd Sacramentum jam positum subsequatur satisfactio tempore, eoque interdum satìs longo: ac denique ex eo, quòd moribundo sensibus destituto impendatur Sacramentum absolutionis, etiam sine impositione pœnitentiæ seu satisfactionis.

20. *Congruentia materiæ hujus Sacramenti ex Scoto allegatur.*

Congruentiam hujus materiæ cum effectu Confirmationis assignat *Scotus d.7.q.1. n.8.* quòd oleum habeat nitorem, supereminet reliquis liquidis, & sit materia proxima incendii; quorum primum significat munditiam seu castitatem, duo reliqua charitatem: balsamum autem habeat bonum odorem, qui significat bonam famam, juxta illud 2. *ad Cor.2. Christi bonus odor sumus Deo* Hæc autem omnia debet habere confirmatus, qui vult profiteri fidem Catholicam; aliàs ejus professio erit parum authentica.

21. *Objicitur auctoritas Innocentii III. c. Pastoralis.*

Dices I. *Innocentius III. cap. Pastoralis, de Sacramentis non iterandis* consultus, an is, qui in Confirmatione non chrismate, sed solo oleo fuisset inunctus, deberet secundò confirmari; respondet, *in talibus non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum*: ergo censuit Pontifex Sacramentum in solo oleo collatum fuisse validum, alioquin dixisset illud esse iterandum.

Responsio.

Resp. Neg. Cons. cùm enim prætermissum fuerit totum Sacramentum, consequenter totum est supplendum; non tamen iterandum: quia (ut Glossa ibidem) *non dicitur iteratum, quod priùs actum non fuit.* Prout etiam *Leo Papa* quæsitus, an baptizandus esset, de cujus Baptismo non constabat, respondet quòd sic, nec tamen ob hoc Sacramentum iterari: quia *quod non ostenditur gestum, ratio non finit, ut videatur iteratum*, ut refertur c. *Si multa* 113 *de Consecrat. d.4.* Vide etiam *car. præc.*

Instantia,

Nec ob hoc *Innocentii* responsio fieret ridicula, utpote à quo non quærebatur, an Confirmatio valida posset iterari, sed an valida fuerit, ut proinde actiones priùs adhibitæ debeant repeti: ad quod cùm respondeat nihil esse iterandum, omnino videtur supponere, priorem actionem fuisse verè sacramentalem. Ad hoc namque respondeo, potuisse quidem Pontificem respondere apertius, verè tamen respondisse, quod in praxi servandum erat, scilicet supplendum quod defuit, adeoque Sacramentum denuo conferendum. Quia enim rogabatur de duplici casu, præsenti scilicet, & illo, in quo fuerat collatus Subdiaconatus prætermisa impositione manuum, quæ solùm est accidentalis, dat responsum generale utrique quæstioni cum proportione applicandum, hoc sensu: cùm tam Confirmatio quàm Subdiaconatus sit initerabilis, neutrum Sacramentum est iterandum; nec censebitur id fieri, si suppleatur quod omissum est, sive manûs impositio accidentalis, sive unctio cum chrismate essentialis. Nam sanè supplendum hîc aliquid fuisse, Pontifex apertè resolvit: nil autem cogitari potest supplendum fuisse, quàm ipsam substantiam Sacramenti quæ defuit; esto cautè & sine strepitu solemnitatis publicæ.

Estque hæc explicatio necessaria, tum quia id postulat doctrina *Concilii Florentini*: tum quia alioquin Papa respondisset contra sententiam Theologorum etiam isto tempore communem: tum quia communiter Doctores ante *Cajetanum* non crediderunt Papam ibi præjudicasse nostræ doctrinæ, quæ nihilominus exinde mansit communis, præsertim usque ad tempus *Cajetani*. Tum quia non est credibile Papam ibi inhibuisse tali casu adhiberi Sacramentum Confirmationis: cùm priùs saltem esset valde dubium, adeòque ad minus sub conditione iterabile. Tum denique quia aliàs sequeretur manifestum absurdum, scilicet supplendum præcisè fuisse, quod defuit; nempe unctionem solius balsami, aut certè balsami benedicti; quod inauditum est. Vult ergo Pontifex supplendam unctionem cum Chrismate; utique non sine adhibitione formæ: quis enim unquam audivit præscribi vel adhiberi materiam proximam Sacramenti sine forma?

Dices II. Materiæ Sacramentorum debent esse tales, quæ facilè cognosci & haberi possunt; atqui tale non est balsamum: quod teste *Plinio l. 12. hist. natural. c. 25.* quondam in duobus tantùm Judeæ hortis reperiri solebat: ergo balsamum non est de necessitate Sacramenti. Resp. *Plinium* manifestè loqui de temporibus præteritis, de suo enim tempore subjungit: *Implet colles vinearum modo.* Nostris quoque temporibus in satìs bona quantitate affertur ex Indiis; etsi diversæ fortè speciei à Palæstino. Quod perinde est; sicut indifferens est, an vinum consecrandum sit ejusdem, aut diversæ speciei vel coloris cum illo, quo usus est Christus. Unde *Paulus III.* & *Pius V.* ferun-

feruntur concessisse seu potiùs declarasse ex balsamo Indico, utpote vero balsamo, posse Chrisma confici. Similiter *Pius IV.* ad supplicationem Fratris Ferdinandi de Armellones Provincialis del Peru concessit, quòd in Provincia del Peru ex balsamo Indico Chrisma conficere possint, ut ex Registro Ordinis refert *Rodriguez in Bullario inter oracula Pii IV.* Deinde etsi balsamum foret valde rarum & carum, facilè obtineri posset quid modicum, quod sufficit, ut moraliter sive prudentis arbitrio censeatur unguentum ex utroque confectum. Et quàmvis singulæ partes non continerent formaliter aliquid balsami, per mixtionem tamen illius facilè aliquo modo alterantur, & odorem aut alias illius qualitates recipiunt. Sanè non obstante difficultate obtinendi balsamum, quam objiciebant nonnulli Episcopi, idcirco singulis solùm trienniis Chrisma renovantes, reprehendit illos *Fabianus Papa suprà* volens, ut singulis annis renovetur.

Simile refert Osoria est notabilis balsami quantitas.

24. Dices III. cum *Dicastillo sup. n* 35. Modus adhibendi balsamum indicat non esse institutum à Christo tamquam de necessitate Sacramenti: cùm tam parum adhibeatur, ut credibile sit, frequenter ministrari Sacramentum sine concurrentia alicujus partis balsami. Resp. id moraliter non contingere; cùm tantum balsami adhibeatur, ut pervadat regulariter, sive formaliter, sive virtualiter, seu ratione odoris aut qualitatum alteretur totum quasi oleum; adeò ut non contingat moraliter chrismari aliquem sine concurrentia balsami præfatâ. Nam certè ad hoc sunt Episcopi soliciti; cùm ob doctrinam nostram communem exponerent Sacramentum periculo invaliditatis. Immo soliciti esse debent, etiam in altera sententia: cùm concurrentia balsami sit saltem præcepti divini; quod utique debent curare impleri. Unde quo casu fieret hâc in re transgressio præcepti divini secundùm alios, fieret secundùm nos Sacramentum nullum. Et sicut modus institutionis non probat, quin sit præceptum divinum, sic non probat, quin sit de necessitate Sacramenti: nam poterat utique Christus ita instituere; instituisse autem probatum est. Aliter respondet *Arriaga d. 27. n. 14.* non propterea Confirmationem esse invalidam, si ab Episcopo confirmante acciperentur illæ solæ guttæ olei, quæ balsamum non habent, neque Christum requisivisse rigorosam illam mixtionem physicam, sed ut simpliciter ac propriè oleum esset mixtum; quæ mixtio sit quid morale; adeò ut putet, in rigore ne quidem esse necessarium, ut balsamum suo odore alteraverit totum oleum.

Quin pro materia requiratur de necessitate Sacramenti, quin sit de præcepto divino.

25. *Benedictio Chrismatis.*

Dico III. Chrisma debet esse benedictum, sic ut benedictio sit de necessitate Sacramenti. Ita communiter Doctores. Probatur ex *Florentino suprà*, quod sicut requirit Chrisma confectum ex oleo & balsamo, sic simpliciter & æqualiter requirit ut sit per Episcopum benedictum: alioquin non simpliciter diceret esse materiam, utì materiam calicis non dicit esse vinum aquâ mixtum, sed, vinum, cui aqua misceri debet. Idem indicat *Tridentinum sess. 7. can. 2. de Confirmat.* supponens à Catholicis tribui virtutem sive efficaciam sacro (id est consecratæ) Confirmationis chrismati. Idipsum insinuant Patres, & perpetuus usus Ecclesiæ; quo adeò constanter exigitur unguentum benedictum, ut nullo umquam casu aliud fuerit practicatum; secùs quàm in aqua baptismali, quæ citra necessitatem ex ritu Ecclesiæ debet benedici. Congruentia verò, ob quam potius à Christo requisita fuerit consecratio materiæ Confirmationis, quàm Baptismi, assignatur à *Scoto d. 7. q. 1. n. 3.* quòd Christus contactu suæ carnis mundissimæ omnem aquam consecravit in usum Baptismi: non sic autem materiam illam Confirmationis; & ideo requiritur hîc specialis sanctificatio. Quod etiam est rationabile magis hîc, quàm ibi: quia Baptismus est Sacramentum necessitatis, & ideo potest à quocumque ministro conferri. Et rationabile est, quòd in aquâ non consecratâ: alioquin materia conveniens non posset esse communis, & impediretur salus multorum. Hactenus *Scotus.* Unde Ecclesia dispensare nequit, ut Sacramentum Confirmationis ministretur unguento non benedicto.

est de necessitate Sacramenti.

Notat tamen *Sotus d. 7. a. 3.* & alii formam hujus benedictionis relictam esse arbitrio seu determinationi Ecclesiæ, ita ut Christus quidem instituerit Chrisma debere consecrari per Spiritûs sancti invocationem, non tamen certam illius formam præscripserit? Ex præcepto tamen Ecclesiæ debet servari ab Episcopo consecrante ritus per ipsam Ecclesiam præscriptus.

Forma benedictionis relicta est arbitrio Ecclesiæ.

Petes, An hæc benedictio ex commissione saltem Papæ possit fieri à simplici sacerdote; sicut ab eo potest, ex simili commissione, Sacramentum ipsum Confirmationis administrari? Resp. Neg. cum Doctoribus ferè communiter, contra Nonnullos, etiam recentiores. Nec dissentit *Scotus sup. n* 2. statuens materiam Confirmationis *Chrisma sanctificatum specialiter ab Episcopo, vel alio, cui talis sanctificatio poterit committi*: quia ibi nil determinat, sed abstrahit, definiens Chrisma debere benedici à legitimo seu idoneo ministro, sive Episcopus, sive quisquis alius ille sit. Ideo in definitione Sacramenti hujus *n.* 1. dicit simpliciter, *chrismate sanctificato.* Probatur ex *Florentino suprà* dicente *materiam hujus Sacramenti* esse *Chrisma confectum ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto.* Deinde assignans ordinarium ministrum illius Episcopum, addit ali-

26. *Benedictio nequidem per Pontificem potest committi simplici sacerdoti.*

aliquando ex concessione Sedis Apostolicæ simplicem sacerdotem administrasse, sed *chrismate* (inquit) *per Episcopum confecto*. Unde Gregorius XIII. scribitur concessisse simplici sacerdoti in India eamdem potestatem hâc lege, ut uteretur chrismate per Episcopum consecrato. Id ipsum alii Pontifices hâc cautelâ concesserunt. Et cum eadem quoque restrictione olim Græcis presbyteris permissa erat administratio hujus Sacramenti. Immo apud illos solus Patriarcha Constantinopolitanus hodie Chrisma conficit. Quare de confectione chrismatis, & administratione Confirmationis, non est eadem ratio: & quàmvis esset, in iis tamen quæ pendent ab institutione, non quæritur rationis paritas, sed Christi instituentis voluntas per Scripturam aut Ecclesiam declarata. Congruentia tamen reddi potest, quòd satis facilè chrisma ab Episcopo benedictum possit ubique deferri, non possint autem ubique præsentes esse Episcopi ad confirmandum.

27. Dices: *Toletanum I. c.* 20 ait: *Quamvis pænè ubique custodiatur, ut absque Episcopo chrisma nemo conficiat; tamen, quia in aliquibus locis vel provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, Chrisma conficere, & per Diœcesim destinare.* Resp. Concilium narrare & corrigere imperitum errorem paucorum Presbyterorum, non autem expressè declarare factum irritum, quia id satis patebat ex subjecta materia: nam certè illi Presbyteri id faciebant absque ullius commissione aut delegatione; quæ ad minus requiritur. Quare *Montanus* Archiepiscopus Toletanus, qui præfuit *Concilio Toletano II.* in quadam epistola rem istam antehàc inauditam fuisse inculcat, & de hujusmodi præsumptoribus dicit, quòd Chrisma *non tam consecrare, quàm violare præsumunt*. Adde, esse sermonem de chrismate adhibito abistis Presbyteris, non in Sacramento Confirmationis, sed in ceremoniali unctione Baptizatorum in vertice: quod consecrabant Presbyteri Territorii Palentini in Hispania, etsi illegitimè. Dum autem Concilium infrà subdit: *Sine conscientia autem Episcopi nihil penitùs Presbyteri agere præsumant* loquitur etiam de ordinariis muniis, in quibus Presbyteri olim dependebant à consensu Episcopi præsentis. Dum autem Pontifices aut Concilia dicuntur aliquid statuere seu ordinare circa ministrum confectionis chrismatis, non censentur velle facere jus novum & Ecclesiasticum, sed contrà novas fortè præsumptiones exortas vel ad eas præcavendas, stat ilir: & declarare jus antiquum, immo divinum.

Non favet oppositæ sententiæ Toletanum I.

28. *Materia proxima Confirmationis est unctio cum chrismate*

Dico IV. Materia proxima Confirmationis est unctio cum chrismate facta in modum crucis pollice dextro Episcopi in fronte confirmandi. Ita communiter Doctores. Et patet ex *Florentino suprà*, Ritualibus & praxi Ecclesiæ. Ex quibus clarè constat non posse fieri mutationem sine peccato gravi vel levi pro qualitate mutationis. Insuper satis constat unctionem cum chrismate requiri de necessitate Sacramenti: unctio enim est applicatio ipsius chrismatis seu materiæ remotæ. Deinde super eam immediatè cadit forma, & per ipsam immediatè significatur effectus Sacramenti, ut in Idem de signo crucis tenent communiter Doctores ob perpetuum & constantem usum universalis Ecclesiæ. Et colligunt ex forma consueta: *Signo te signo crucis*, quæ alioquin non verificaretur. Et quamvis hæc verba non adhibeantur in forma Græcorum, in ea tamen ponitur vox *signaculum*; signaculum autem Christianorum est Crux.

Quàmvis autem ex usu signatio ista fiat pollice dextro, non videtur tamen ullo modo id requiri ad essentiam Sacramenti: immo Plures docent adhibitionem alterius digiti tantùm esse veniale peccatum; tametsi Alii doceant esse mortale. Quale peccatum indubiè committitur, si confirmans utatur virgulâ vel alio instrumento: quandoquidem enim communiori Doctorum sententiâ id non sufficiat ad valorem, exponeretur Sacramentum periculo nullitatis: quàmvis reverà probabile sit, hoc modo collatum esse validum, eò quòd substet vera unctio, adeòque forma satis verificari videatur. Nec invaliditas rectè arguitur ex hoc, quòd tunc non foret vera manûs impositio, ut arguit *Dicastillo disp. un. de Sacram. Confirm. dub.* 12. *n.* 151. tum hæc non requiritur intellecta in toto rigore physico; sed sufficit moralis, sive quæcumque, quæ sufficiat ad frontem inungendam; adeòque etiam facta per instrumentum. Sicut indubiè sufficeret unctio facta pollice solo, etsi minister careret volâ manûs, aut illam studiosè ante frontem confirmandi contraheret. Sanè injectio manûs in clericum censetur, eaque sufficiens ad censuram incurrendam vi Canonis: *Si quis suadente* 17. *q.* 4. etsi fieret instrumento. Propriè dicta verò manûs impositio requirebatur quidem in facto Apostolorum; sed tunc solùm, quando sine chrismatione effectum hujus Sacramenti conferebant.

Denique inunctionem frontis pertinere ab substantiam Sacramenti tenent communiter Doctores: etsi *Victoria* existimaverit non esse de essentia, ut unctio fiat in fronte. Patres namque semper frontem inungendam esse dixerunt: immo subinde hoc Sacramentum frontis chrismationem appellat *Innocentius III* c. *Cùm venisset* 5. *Per frontis, de Sacra. unctione*. Idem habet usus perpetuus Ecclesiæ universalis. Ideoque Ecclesia Occidentalis etiam olim tam studiosè arcebat simplices sacerdotes à chrismatione frontis, concedens eis inungere verticem

verticem, quòd illa sola essentialis foret ac sacramentalis. Rationem assignat *Florentinum* suprà dicens: *Ideo in fronte, ubi verecundiæ sedes est confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem ejus.* Et infrà: *propter quod signo crucis signantur.*

Solent nihilominùs Græci aliàs præterea partes inungere, ut patet ex *Concilio Constantinopolitano I. can. 7.* aliàs 9. ibi: *Signatos sive unctos primùm sancto chrismate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures.* Nonnulla Græcorum Euchologia addunt manus, nonnulla pedes, alia & manus, & pedes, aliqua etiam pectus. Quo circa unctiones partium, præterquam frontis, censendæ sunt ceremoniales, veluti subsequentes unctionem frontis, quæ essentialis est & primo loco adhibetur. Unde etiam in nonnullis Euchologiis ad singula membra adhibendæ præscribuntur diversæ formæ, non omnes æquivalentes, & ad solius frontis inunctionem forma Sacramenti apud Græcos communis. *Concilium* autem *Constantinopolitanum* non facit mentionem nisi unius formæ. Ex quo tamen non apparet fuisse repetitam ad inunctionem aliarum partium, sed potiùs semel & simul adhibitam. Quo casu admitti faciliùs fortè, quàm solidè probari, posset cum *Hiquæo d. 7. q. 1. in Comment. Scoti n. 15.* (qui adhuc amplius intendit) unctiones ante finem formæ adhibitas veluti à forma determinatas partialiter & secundariò integrare simul cum unctione frontis totalem unctionem: sicut ablutio partium minùs principalium & de se fortè insufficientium concurrit cum ablutione partis principalis.

Græci aliàs præterea partes inungunt. Nonnulla Græcorum Euchologia addunt manus, nonnulla pedes, alia & manus, & pedes, aliqua etiam pectus.

QUÆSTIO III.

Quænam sit Forma Confirmationis?

31. *Forma usitata Confirmationis est conveniens ipsum.*

DIco: Forma conveniens ac necessaria Confirmationis est: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Hanc assignat *Concilium Florentinum in Decreto*, & Ritualia Ecclesiæ. Deinde per eam perfectè significatur hujus Sacramenti effectus, nempe robur spiritus, & character, qui velut signum militare imprimitur confirmato.

Non sufficiunt verba equipollentia.

Valebit tamen forma, etsi quædam verba mutentur in æquivalentia; ut si loco *signo* dicatur *consigno*; loco *salutis*, dicatur *sanctificationis.* Item si dicatur: *Consignatur Petrus signo crucis, & confirmatur chrismate salutis in nomine Patris &c.* Ut patet ex dictis *disp. præc.* de forma Baptismi apud Græcos usitatâ: sic enim exprimitur persona confirmanda, actus Confirmantis ut ab eo procedens, & reliqua necessaria.

32. *Expressam*

An autem distinctè debeat exprimi Trinitas & unitas Personarum, dubitatur. Et quidem plerique Doctores affirmare videntur, conformiter ad ea quæ diximus de forma Baptismi; cujus velut consummatio & perfectio secundùm Patres & Pontifices est Sacramentum Confirmationis. Ita *Suarez, Henriquez, Wiggers, Coninck*, & innumeri alii. Qui passim etiam docent expressè addendum ly *signo crucis*, & ly *chrismate salutis.*

invocationem Trinitatis & quasdam alias particulas esse de necessitate Sacramenti. Plurimi dixerunt. Sed probat authentica & verus forma Græcorum: quæ declaratur.

Nihilominus non apparet, quomodo id consistat cum veritate formæ Græcorum, quâ illi nunc utuntur, & antiquitùs usi sunt: estque talis: *Signaculum doni Spiritûs sancti*, subintellige juxta proprietatem Græci sermonis, præsertim in propositionibus practicis, verbum substantivũ *est*, aut supple *donatur tibi*, quo actio ministri & suscipiens designatur. Quod etiam implicitè satis fit per voces, *signaculum*, & *doni.* Unde sensus est: *hoc signo donantur munera Spiritûs sancti, immo & ipse Spiritus sanctus*, ut ait *Arcudius l. 2. de Concordia Eccles. Occid. & Orient. c. 6.* Habeturque hæc forma in omnibus Euchologiis seu Ritualibus Græcorum, tam impressis, quàm manu scriptis. In eaque nihil immutandum, decidit nova Congregatio Cardinalium erecta ab Urbano VIII. ad examinandum Euchologium Græcorum: quod post examen præscriptum fuit recusum sub eodem Pontifice, retentâ eâdem Confirmationis formâ. Eamdem expressè tradit Cardinalis *Bessarion Tract. de Eucharistiæ Sacram.* qui & ipse Græcus in *Concilio Florentino* fuit summæ Auctoritatis. In quo etiam Concilio nulla Græcis quæstio fuit mota de forma Confirmationis: sed sub finem Concilii Pontifex Eugenius solùm quæsivit rationem, cur apud eos Presbyteri hoc Sacramentum conferant. Immo hæc ipsa forma exprimitur in *Concilio II.* generali seu *Constantinopolitano I. can. 7.* aliàs 9. ubi statuit Synodus *Novatianos* & quosdam alios Hæreticos ad Ecclesiam recipiendos esse *signatos sive unctos primùm sancto Chrismate &c. & eos* (inquit) *signantes dicimus: Signaculum doni Spiritûs sancti.* Insuper quotquot Græcorum sancti Patres de hoc Sacramento verba fecerunt, ad hanc verborum formam respexerunt & se regulerunt inquit *Arcudius sup. c. 7.* Et ob hoc in instructione Clementis VIII. quâ inhibetur Presbyteris Græcorum morantibus in quibusdam partibus Italiæ, ubi Episcopi Catholici Latini residunt, ne ampliùs Sacramentum Confirmationis administrent, inhibetur quoque, *ne baptizantes utantur quibusdam verbis, ubi habetur confignationis forma*; illa scilicet quam præmisimus. Denique similis ferè est forma, quâ Sylvester legitur confirmasse Constantinum; ut refertur in *Edicto Constantini* (quod habetur *To. 1. Concil.*) estque talis: *Signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti.* In qua omittuntur particulæ, *signo crucis*, & *chrismate salutis.* Quæ etiam omittuntur in forma, prout habetur in an-

Forma quâ S. Silvester confirmavit Constantinum.

Forma, quæ est in anti-

quo Ordine Romano.

in antiquo *Ordinario Romano*. Estque talis: *Confirmo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. In utraque tamen hac forma apponitur invocatio expressa Trinitatis: quæ in forma Græcorum omittitur, de cujus valore non esse dubitandum censet *Basilius Pontius parte 2. c. 7. n. 4. & Hiquæus in Comment. Scoti ad d. 7. q. 1. n. 67. & 69.*

33. Ly signo Crucis aut Chrismate salutis non est de essentia formæ,

Itaque apparet contra *Suarez* & plurimos alios non esse etiam de essentia voces, *Signo crucis*: cùm sufficienter involvantur in verbo *signo*; ut patet ex forma Græcorum. Ex qua etiam apparet contra eumdem *Suarez* & alios particulas, *chrismate salutis* non esse essentiales; cùm in forma Græcorum & aliis omittantur, & satis includantur in verbis: *signo & confirmo*.

Sicut neque expressa invocatio triù Personarum à Græcis omissa;

Denique ex eadem forma Græcorum satis constat, expressionem Trinitatis non requiri ad valorem; & consequenter hâc ratione seu mente non addi hanc in *Florentino*: quod etiam in forma Ordinationis exprimit invocationem Trinitatis, quam constat non esse necessariam ad valorem. Itaque *Florentinum* instruendo Armenos tradidit illis formam legitimam & bonam; etsi non quoad omnia ei insertà vel addita essentialem.

Nec dici potest in ritu Græcorum præcedere invocationem Trinitatis in forma Baptismi; cui apud illos mox jungitur Confirmatio. Nam inter prolationem formæ baptismalis & formæ Confirmationis, tot actiones & orationes & psalmi recitationes intercedunt, ut invocatio Trinitatis facta in Baptismo ne moraliter quidem possit connecti formæ vel materiæ Confirmationis; ad quam etiam nullatenus ex contextu verborum refertur; ut inspicienti Euchologium erit manifestum. Quare sic tenent *Basilius Pontius*, *Joannes Amicus*, *Arcudius*, & alii recentiores. Neque videntur alii Auctores præmissa fundamenta vidisse aut satis considerasse.

34. Adeoque apud Latinos non necessaria ad valorem: quidquid inconsequenter contradicat Hiquæus.

Putat tamen *Hiquæus suprà* invocationem expressam Trinitatis essentialem esse in forma latina, eò quòd nulla sit alia particula formæ, quæ denotet causam principalem: prout denotatur in forma Græcorum; in qua insuper invocato Spiritu sancto, qui est donum Patris & Filii, etiam implicitè hi invocantur. Verùm causa principalis satis denotaretur, etsi diceretur tantùm, *In nomine Spiritus sancti*; adeoque conformiter ad ritum Græcorum non exprimeretur Trinitas. Deinde denotatio causæ principalis in formis ferè Sacramentorum non requiritur, sed potiùs ipsius effectûs; nisi in particulari aliud constet vel probetur.

Quod verò alii Auctores allegant, Confirmationem esse quamdam consummationem Baptismi, inde inferentes pariter in utroque exprimendam esse professionem & invocationem Trinitatis; non valet in hac re pendente ab institutione Christi, qui id congruè requisivit in ingressu Ecclesiæ Christianæ per Baptismum, etsi non requisivisset in Confirmatione, quæ dictam professionem supponit & robur tribuit ad eamdem suo tempore contra hostes fidei propugnandam.

QUÆSTIO IV.

De Ministro Ordinario Confirmationis.

DICO: Ordinarius minister Confirmationis non est quilibet simplex sacerdos, sed solus Episcopus. Patet ex *Florentino suprà*. Idem expressè definit *Trid. sess. 7. can. 3. de Confirm. & sess. 23. can. 7.* Ord. mi. Conf. tionis

Colligitur etiam ex actis Apostolorum, ubi soli Apostoli leguntur contulisse hoc Sacramentum per manuum impositionem: nam *cap. 8.* multis à Philippo diacono in Samaria baptizatis, missi sunt eò Apostoli ad illos confirmandum. Et quàmvis inde tantùm sequi videatur diaconos non esse ministros hujus Sacramenti, videtur tamen id etiam sequi de simplicibus Sacerdotibus, qui tunc apparenter non deerant, adeoque mitti potuissent, si fuissent ordinarii hujus Sacramenti ministri. Similiter *Act. 19.* soli Apostoli leguntur confirmasse; cùm tamen tunc saltem alii fuerint sacerdotes. Unde Paulus, qui (ut habetur *1. ad Cor. 1.*) solitus erat abstinere à collatione Baptismi, qui nimirum poterat per alios conferri, munus tamen confirmandi assumpsit, velut sibi cum aliis Apostolis proprium ut patet *Act. 19.* Quare ex his locis *Innocentius I. Epist. 1. c. 3. Eusebius Epist. 3. ad Episc. Tusciæ & Campaniæ, Innocentius III. cap. un. de sacra Unctione §. penultimo, Florentinum suprà* colligunt solis Episcopis tamquam ordinariis ministris competere hujus Sacramenti administrationem.

Conclusio etiam patet ex *Gregorio Magno Cap. Pervenit dist. 95.* & *Gelasio Papa c. Presbyteros eâd. dist. Leone Papa Epist. 86. Chrysostomo Homil. 18. in Acta* & aliis Patribus. Quos secuti sunt *Alensis D. Bonaventura, Richardus*, & alii Theologi etiam antiquiores.

Est autem hoc etiam intelligendum de necessitate Sacramenti, adeoque vi institutionis divinæ. Quod satis colligitur ex *Florentino suprà*, ubi ipsum loqui de ordinario ministro ad substantiam Sacramenti necessario, omnes intellexerunt. Et clarius ex *Trid. sess. 23. c. 4.* docente *Episcopos Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare &c. quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.* Ubi apertè docet, id non tantùm simplicibus Sacerdotibus esse illicitum, sed insuper eos carere omni potestate. Idem clarissimè docet *Eusebius*

felius Papa suprà dicens, quòd Sacramentum hoc *nec ab aliis, quàm illis, qui eorum* (scilicet Apostolorum) *tenent locum, umquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, nec inter Ecclesiastica umquam reputabitur Sacramenta.* Confirmatur: quia nusquam emanavit ordinatio Ecclesiastica, quâ simplices Sacerdotes tam universaliter suspenduntur ab exercitio potestatis, quæ eis vi ordinationis competeret, utì Episcopis: sed Pontifices potiùs eos inhabiles supponunt: nec alioquin tàm universaliter ab initio hujus potestatis ordinariæ exercitio caruissent simplices Sacerdotes.

37. Objicitur I. Ananias *Act. 9.* manus Paulo imponens dicit se missum ad eum, *ut videat, & impleatur Spiritu sancto*: Ananias tamen non erat Episcopus, immo tunc verosimiliter nequidem Sacerdos. Resp. Ananiam non contulisse Paulo Sacramentum Confirmationis, cujus non erat capax, utpote nondum baptizatus; sed imposuisse solùm ei manus ad faciendum miraculum seu restituendum visum. Dicit autem implendum fore Spiritu sancto per Baptismum quem statim suscepit, vel per impositionem manuum, quam postea suscepit ab Apostolis, prout est credibile: nisi fortè Spiritus sanctus extraordinario modo sine Sacramẽto sit ei collatus, utì ceteris Apostolis & Cornelio; quod est satis verosimile. Addit *Suarez d. 36 sect. 1, §. Ad testimonia*, hactenus non esse satis probatum, nec fortè probari posse istum Ananiam non fuisse Episcopum.

38. Objicitur II Manûs impositio, de qua est sermo in actis Apostolorum, non fuit Confirmatio cum unctione chrismatis, ut *quæst. 2.* dictum est: ergo ex facto Apostolorum non rectè colligitur solos Episcopos esse ministros ordinarios chrismationis. Resp. Neg. Cons. nam ista manûs impositio habebat eamdem formalitatem Sacramenti, sive eumdem effectum & finem, quem habet Confirmatio cum chrismate, etsi esset in ipsis symbolis quædam materialis diversitas; adeoque rectè colligitur (accedente præsertim intellectu & traditione Pontificũ & Patrum) ex facto Apostolorum, prout in Scriptura memoratur, solos Episcopos eorumdem successores debere esse ministros unctionis ordinariæ, sicut Apostoli erant ministri Confirmationis quasi extraordinariæ & privilegiatæ. Sicut si hi soli ordinassent Episcopos, cum exclusione aliorum, tamen per privilegium id egissent sine materia & forma ordinaria, adhuc rectè colligeretur solos Episcopos esse ordinarios ministros sacræ ordinationis.

39. Objicitur III. *Concilium Toletanum I. cap.* 20. dicens: *Statutum est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente verò non, nisi ab ipso fuerit præceptum.* Resp. Concilium non agere de Sacramento Confirmationis, sed de unctione baptizati in vertice. De qua loquitur *Innocentius I. Epist. 1. c. 3.* dicens: *Presbyteris, seu extra, seu præsente Episcopo; cùm baptizant chrismate baptizatos ungere licet.* De eadem agunt nonnullæ aliæ auctoritates. Pro quo

Baptizatorum in vertice.

Adverte olim non fuisse solitos Presbyteros etiam baptizare præsente Episcopo, nisi de ejus licentia, immo nec alios actus sui ordinis exercere; ac proinde non fuisse solitos sine ejus licentia baptizatos chrismate ungere in vertice; ut patet ex *Leone Papa Epist. 88. Sed neque coram Episcopo licet Presbyteris in baptisterio introire, nec præsente Antistite, infantem tingere aut signare.* Et consonat *cap. Omni tempore 124. de Consecrat. dist. 4.* ubì dicitur: *Presbyter verò præsente Episcopo non signet infantes, nisi fortè ab Episcopo ei fuerit præceptum: nec liceat Presbytero priùs Episcopo introire in baptisterium.*

Quæ olim dependentia Presbyteri in suis muneribus ab Episcopo præsente.

40. Objicitur IV. *Hieronymus Dialog. contra Luciferianos ante med.* quærens, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, respondet *hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quòd post Ascensionem Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit, & multis in locis factum reperitur ad honorem potiùs Sacerdotii, quam legis necessitatem.* Resp. (omissâ explicatione *Baronii* interpretantis *Hieronymum*, quòd velit munus Episcopale non ita esse de essentia, quin volente Pontifice possit assumi presbyter) postremis verbis non indicari (neque enim verba aut verborum connexio id insinuat) hoc munus posse per alios fieri. & solùm honoris causâ Episcopis ab Ecclesia deferri: sed tantùm, quòd Christus hanc potestatem ut ordinariam tradiderit solis Episcopis, potiùs ut hoc modo honoraretur eorum officium, quàm quòd illud Sacramentum ad Salutem absolutè necessarium sit: cùm per ipsum baptisma etiam gratia Spiritûs sancti acquiri possit. Qui sensus ex antecedentibus & consequentibus clarè patet. Ibidem enim ait, aliàs omnino miserandos & deplorandos fore, qui Episcopum adire non possunt.

Explicatur locus S. Hieronymi.

41. Est autem observandum quemlibet Episcopum etiam excommunicatum & hæreticum validè hoc Sacramentum conferre: quia est actus Ordinis non requirens jurisdictionem ut fiat validè, sed tantùm ut licitè. Unde peccaret Episcopus confirmans etiam in propria diœcesi subditum alterius Episcopi, absque hujus licentia, saltem præsumpta: qualis quoque sufficit juxta *Saa, Henriquez* & alios, etsi Nonnulli rigidiùs loquantur. Minùs potest sibi non subditum confirmare in aliena diœcesi: in qua nequidem proprium subditum potest confirmare absque licentia expressa Ordinarii loci; ut patet ex *Trid. sess. 6. c. 5. de Reform.* ubì prohibet Episcopo exercere pontificalia in alterius diœcesi sine expressa licen-

Ad valorem Sacramenti sufficit Ordo Episcopalis: ad licitè ministrandum, insuper jurisdictio requiritur.

Usus Pontificaliũ quatenus Episcopo in alienæ Diœcesi interdictus.

tia Ordinarii. Ubi per *Pontificalia* intelliguntur ea omnia, quæ ad ordinem Episcopalem specialiter pertinent; ut ordinare, chrisma conficere, confirmare, virgines sacras benedicere, Ecclesias & altaria consecrare. Putat tamen *Henriquez l.3. c.6.* nomine Pontificalium in isto decreto non comprehendi collationem primæ tonsuræ, utpote quæ etiam domi privatim potest conferri sine Pontificalibus. Similiter nec benedictionem aut missam solemnem, ut proinde existimet Episcopum posse absque facultate Ordinarii loci dare in eo primam tonsuram vel benedictionem, aut canere missam Pontificalem. Idem de benedictione & missâ pontificali docent plures alii. Et planè contextus verborum *Tridentini*, si rectè inspiciatur, adeoque jus novum, non videtur repugnare: stando autem in jure antiquo, id non fuisse inhibitum Episcopis, communiter supponitur, immo teste *Bassæo in Supplem. V. Pontificalium usus n.3.* est certum ferè apud omnes Doctores. Nihilominus contrarium sive hodiè in non licere, censent *Sanchez*, *Gavantus*, *Barbosa*, *Chokier*, *Diana*, apud *Bassæum sup.* finaliter concludentem, quòd si alicubi sit hujusmodi consuetudo restrictiva præfatæ facultatis introducta, ea observanda sit.

Quid nomine Pontificalium intelligatur.

An collatio primæ tonsuræ & celebratio Missæ Pontificalis.

QUÆSTIO V.

De Ministro Extraordinario Confirmationis.

42. *Minister extraordinarius ex commissione Pontificis est simplex sacerdos. Ita practicavit Gregorius,*

DICO: Minister extraordinarius ex commissione summi Pontificis est simplex sacerdos. Ita communissimè Theologi contra *Durandum* & paucos alios. Probatur ex voluntate Christi: de qua nobis constat ex facto Pontificum, eorumque declaratione. Nam *Gregorius Magnus l. 3. Epist. 26. Indict. 12.* (& refertur c. *Pervenit. dist.* 95.) concessit sacerdotibus in Sardinia hoc Sacramentum in absentia & defectu Episcoporum ministrare. Cujus facti aut similium procul dubio mentionem facit *Florentinum in Decreto de Armenis*, ubi postquam dixisset ministrum ordinarium Confirmationis esse Episcopum, subjungit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem rationabili & urgente admodum causâ simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.*

Unde non satis cautè, ne dicam nimis irreverenter & audacter respondent, qui dicunt *Gregorium* in hoc facto errasse: neque enim solùm injuriam irrogant summo Pontifici tam docto & sancto, sed etiam *Eugenio IV.* seu *Concilio Florentino*, & consequenter aliis posterioribus Pontificibus, qui idipsum practicarunt, ut mox dicetur.

Ex quibus etiam excluditur alia responsio, quæ factum *Gregorii* explicat de Unctione quadam ceremoniali. Contra quam insuper facit, quòd expressè loquatur *Gregorius* de unctione cum chrismate in fronte, quæ semper fuit sacramentalis. Deinde permittit ibi unctionem in absentia Episcoporum, quam *Epist. 9.* prohibuerat: unctio autem Baptismi aut alia ceremonialis numquam fuit prohibita sacerdotibus in absentia Episcopi.

Insuper *Gregorius III.* eamdem potestatem concessit quibusdam Presbyteris, qui versabantur in remotioribus partibus infidelium. Similiter *Adrianus VI.* eamdem potestatem fecit Fratribus Minoribus in India agentibus: cujus concessio authentica haberi dicitur in Conventu nostro Hispalensi. Denique *Henriquez l.3. c 6. n. 4. lit. N.* citat etiam *Alexandrum VI.* & *Gregorium XIII.* & Nonnulli adhuc alios Pontifices.

Confirmatur ex *Florentino* & *Tridentino* *supra* dicentibus *ministrum ordinarium hujus Sacramenti esse Episcopum.* Ubi apertè insinuant, extraordinarium posse esse non Episcopum. Quod expressiùs constat ex verbis *Florentini* relatis *n. præced.*

Confirmatur II. ex *Declaratione Cardinalium ad Canonem tertium de Confirmatione*, quæ sic habet: *Abbates ex privilegio Sedis Apostolicæ de consensu tamen Ordinariorum, hoc Sacramentum Confirmationis conferre possunt.*

Accedit denique, quòd in tota Ecclesia Orientali sive apud Græcos ab antiquo etiam ante schisma mos inoleverit, ut simplices Sacerdotes conferant hoc Sacramentum, ut ex Euchologiis etiam antiquis, & Scriptoribus rerum Græcarum peritis constat. Cùm enim apud illos Baptismus, Confirmatio & Eucharistia numquam separarentur, nec possent Episcopi semper esse præsentes, præsertim cùm pueranum & adultorum confusa plebs non amplius certis per annum diebus solemnibus, sed indiscriminatim quovis tempore conferri cœpit, assumpserunt sibi etiam parochi officium confirmandi, consentientibus totius Orientis Episcopis, atque etiam assentienti aut saltem tolerante Pontifice. Dico *saltem tolerante*? nam sufficere consensum Episcoporum censet *Pontius p. 4. c. 3. & 4.* quando Papa id sibi non reservat: proinde cessisse censetur usu seu more Ecclesiæ Latinæ, in qua proinde loco Confirmationis Baptismo jungi solitæ successit vicaria ceremonialis unctio baptizati in vertice, quæ fit per Sacerdotes, ut ex *Rabano* observat *Arcudius l.2. Concord. c. 14.* addens hanc non esse neque fuisse in usu apud Græcos, utpote habentes potestatem confirmandi.

Hujus usus quoad Ægyptios meminit commentarius *Ambrosio* adscriptus *in cap. 4. ad Ephes. circa med.* dicens: *Apud Ægyptios consignant Presbyteri, si non sit Episcopus. Et*

Auctor

Auctor qq. vet. & novi Test. inter opera *Augustini c.* 101. dicens: *In Alexandria & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter.* Sic solet citari. In textu tamen loco *consignat* habetur *consecrat.*

45. De eodem usu *Eugenius IV.* peracto *Concilio Florentino* proposuit Græcis quæstionem: *Quare Pontifices non inungerent sacro Chrismate, sed Sacerdotes, cùm hoc Pontificibus sit datum?* & subditur, *Hæc à Latinis objecta Mytilenensis Præsul ex canonibus & legibus omnia solvit.* Quàmvis non exprimatur in terminis ipsa solutio. Putat autem *Arcudius sup. c.*15. dixisse, extraordinarie posse Presbyteros conferre Chrisma de commissione Episcopi, & valde vetustum esse hujusmodi morem Græcorum. Saltem Pontifex responsioni non contradixisse legitur. Quin immo *Gregorius Protosyncellus* Confessarius Imperatoris Græcorum, & locum tenens Patriarchæ Alexandrini, qui tertio loco subscripsit Concilio, & postea fuit Patriarcha Constantinopolitanus, vir vitæ sanctitate & auctoritate spectabilis, & fidei Catholicæ defensor etiam scriptis adversum *Marcum Ephesium* & alios, is, inquam, in quadam Epistola (quæ est in latinum versa apud *Bzovium To.*16. *Annalium ad annum* 1440. *n* 62.) inter alia ait: *Verùm etiam Latini nostros ungebant & chrismatos appellabant* (apparenter non probantes chrismationem datam à Græcis sacerdotibus) *quòd verò non secundùm rectam rationem ista fierent, manifestum est: etenim cum iniremus concordiam, nullam rationem contra nos adferre poterant, sed cum Orthodoxi essemus, & rectè sentiremus, ab Orthodoxis Orthodoxi judicati sumus.*

46. Nec obstat, quòd Bulgari confirmati à sacerdotibus Photii Patriarchæ Constantinopolitani, ab Episcopis Latinis reconfirmati fuerint, ut patet ex *Epistola Synodi VIII ad Adrianum Papam, inter Epistolas Synodicas* ejusdem Concilii. Nam ut idem *Adrianus Papa II. Epist.* ad S. Ignatium Patriarcham (quæ est apud *Baron. ad ann.* 871.) scripsit, missi erant ab intruso & excommunicato, sacris omnibus in Bulgaria exercendis interdicti, confirmaverantque non subditos suos, immo subditos Ecclesiæ latinæ; adeoque invalidè, cùm potestas sacerdotalis per jurisdictionem à Papa datam in ordine ad Confirmandum compleri debeat. Eò tamen insaniæ pervenit nequam *Photius*, ut contra Nicolaum I. (cujus Legati in Bulgaria præfatas Chrismationes improbaverant) pseudosynodum universalem convocarit, & in Epistola Encyclica seu Circulari conatus sit adstruere, Presbyteros esse ordinarios ministros Confirmationis. Unde *Nicolaus I. Epist. ad Hincmarum* (quæ est apud *Baron. ad an.* 867.) scribit Græcos, *Photianos* scilicet, accusasse Latinos, quòd prohiberent Presbyteros baptizatorum frontes linire Chrismate.

47. Non obstat etiam, quòd *Innocentius III. c. Quanto, de Consuetudine* Lucio Vicario suo mandet, ut omnibus Presbyteris Constantinopoli inhibeat, ne de cetero Sacramentum Confirmationis ministrent. Nam inhibitio ista dirigitur ad Latinos; qui eo tempore Constantinopoli dominabantur, ut tradunt Historici. Videturque textus ille desumptus ex *Epistola Innocentii ad Lucium* ibidem Vicarium suum, in qua ei mandat, *quatenus omnibus Latinis Presbyteris, apud Constantinopolim constitutis, districtè prohibeat, ne talia de cetero suâ temeritate præsumant.*

Græcorum improbaverit aut revocaverit Innocentius III.

Non obstat III. quòd *Innocentius IV.* rescribens Episcopo Tusculano, suo in regno Cypri legato, decernat: *Soli autem Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos &c.* Litteras Apostolicas refert *Bzovius ad ann.* 1235. Non obstat, inquam: nam litteræ illæ solùm diriguntur ad Latinos & Græcos in regno Cypri, ut planum est ex textu. Deinde, ut post *Arcudium* respondet *Basilius Pontius parte* 4. *c.*5. *n.*14. cùm non tantùm in Cypro, sed in toto fermè Oriente hic mos esset, verisimile est legatum agnitâ rei difficultate decretum, utì commodè non poterat, executioni non mandasse; exemplo S. Gregorii, qui inhibitionem suam attentâ postmodum difficultate temperavit pro insula Sardiniæ, ut patet ex dictis in principio quæstionis.

An id egerit Innocentius IV.

48. Non obstat denique, quòd *Clemens VIII.* in Instructione super ritibus Græcorum decernat, ne Presbyteri baptizatos in fronte consignent; immo ut consignati ab illis reconfirmentur. Nam instructio illa dirigitur ad Episcopos Latinos, in quorum diœcesibus Græci, vel Albanenses Græco ritu viventes, degunt; optimè sciente Pontifice, valde difficile fore, ut ea constitutio in Græcia acceptaretur. Ita ex *Arcudio Pontius sup. n.*18. Deinde ad summum in similibus decretis contineretur revocatio pristini moris; etsi olim legitimus fuerit: quod ad intentum hujus quæstionis sufficeret. Censuit autem *Clemens VIII.* tutius videri, ut cum cautela & sub conditione sic consignati iterum confirmentur ab Episcopis Latinis: eò quòd prudenter dubitari posset isto tempore de valore Sacramenti sic collati, sive quod deficiat legitima commissio non tantùm Romani Pontificis, sed & propriorum Episcoporum; veluti de quorum legitima Ordinatione dubium sit: sivè quod deficiat legitimum chrisma, utpote confectum ab illegitimo Episcopo, vel à Presbyteris ipsis, vel sine mixtione balsami: sive quod chrisma sit apud Græcos adeo rarum, veluti à solo (ut aliqui referunt) Patriarchâ hoc tempore consecrari consuetum, neque in tanta copia, ut verosimile sit Presbyteros saltem frequenter non uti vero chrismate, aut interdum uti præ vetustate corrupto, & per simplex oleum nimis sæpè innovato. Ita *Pontius sup.* Addunt aliqui fuisse rationem dubitandi ex

Quid decreverit Clemens VIII.

Cur hic sub conditione reconfirmandos censuit confirmatos à Græcis Presbyteris.

ex hoc, quòd potestas confirmandi fuerit à tempore *Photii* omnibus aut saltem aliquibus Græcis Sacerdotibus adempta (quod tamen ex *Baronio* deprehendere non potui) & in *Concilio Florentino* dubiè restitutâ. In quo tamen non tam legitur restituta, quàm eousque perseverans legitimè fuisse defensa.

49. *Iusta causa non requiritur ad valorem commissionis facta simplici sacerdoti.*

Quàmvis autem ut Pontifex committat simplici Sacerdoti hanc administrationem, congruum Ecclesiæ regimen videatur rationabilem causam exigere; tamen illa non apparet necessaria ad valorem juxta *Henriquez*, *Suarez*, *Coninck* & alios communiùs, etsi Aliqui contradicant: quia non est illa propriè & strictè dicta dispensatio in jure divino, sed commissio potestatis secundùm Christi institutionem; ita ut Christus instituerit, quòd minister hujus Sacramenti ordinarius & ex officio esset Episcopus, extraordinarius autem & ex commissione summi Pontificis posset esse simplex Sacerdos. Quod ita esse, ex declaratione Ecclesiæ satis constat. Unde consequenter Pontifex tali commissione non mutat essentialia hujus Sacramenti, sed ea servat, juxta Christi institutionem utens potestate sibi à Christo concessâ. Appellatur autem à *Florentino Dispensatio Sedis Apostolicæ*, tum quatenus assimilatur dispensationi strictè dictæ (prout etiam vocari solet dispensatio in votis, quæ tamen non est dispensatio propriè in lege) prout est commissio superioris tribuens facultatem ad id, quod est extraordinarium, & aliàs simplici sacerdoti interdictum: tum quia procedit à Pontifice tamquam supremo procuratore & dispensatore jurisdictionum & facultatum.

50. *Potest illam Pontifex dare tum per se tum per delegatũ.*

Hanc porrò facultatem potest dare Pontifex, etiam non consecratus: cùm sit actus jurisdictionis. Unde si ipsemet adhuc foret simplex Sacerdos, posset illam dare sibi ipsi. Potest etiam commissionem hujus facultatis aliis delegare v.g. Episcopis, juxta regulam communem de ordinariæ potestatis delegabilitate. Tunc equidem Pontifex adhuc censeri potest hanc facultatem tribuere, quatenus delegatus illam tribuit virtute & auctoritate Pontificis, sive quatenus actione delegati tacitè & virtualiter consentit Pontifex vi ipsius delegationis. Concessio insuper semel facta non expirat morte concedentis. An autem cesset cessante causâ resolvendum est ex iis, quæ tradi solent de cessatione privilegii gratiosi in *Tract. de Legibus*. An denique Sede vacante possit hanc facultatem tribuere collegium Cardinalium, dubitari posset. Sed dicendum, quòd non: hæc enim extraordinaria potestas sine speciali fundamento vel commissione pontificiâ (de qua non constat) asseri nequit. Nec habet istud collegium propriè rationem Capituli Sedis vacantis. Puto tamen, quòd Papa vivens posset collegio Cardinalium id concedere; cùm possit delegare cùm potestate subdelegandi, & ea facultas per mortem non expiret.

Non potest illam dare Collegium Cardinalium sede vacante,

Posset tamẽ per Pontifi-

QUÆSTIO VI.

De Dispositione Suscipientis, & Obligatione suscipiendi.

DICO I. Ad Confirmationem valide suscipiendam requiritur & sufficit Baptismus. Prima Pars patet: quia Baptismus est janua ceterorum Sacramentorum, quorum proinde est incapax, qui non est baptizatus: ut de Sacramento Ordinis habetur *cap. 1. & 3. de Presbytero non baptizato*, & de Sacramento pœnitentiæ in *Tridentino sess. 14. c. 2.* De reliquis est par ratio. Præterea pro Confirmatione specialem congruentiam allegat *D. Thomas q. 72 art. 6.* quòd Confirmatio sit quædam Baptismi perfectio: unde sicut nemo potest corporaliter crescere, nisi fuerit corporaliter genitus; ita nec per Confirmationem crescere in perfectum Christianum, nisi priùs fuerit in Christo genitus per Baptismum.

Nec obstat, quod *Act. 10.* legatur, Spiritum sanctum fuisse datum necdum baptizatis: hoc enim sine Sacramento fuit factum per extraordinariam potestatem Dei independentis à sacramentalibus signis: sive nihilominus fuerit impressus Character Confirmationis, & tales redditi incapaces altèrioris Confirmationis, sive non; quod incertum est.

Secunda pars, quòd Baptismus sufficiat, supposito videlicet in adultis debito consensu, Probatur: quia in Actis Apostolorum legitur Apostolos baptizatis absolutè imposuisse manus nullo alio requisito: neque etiam Ecclesia umquam aliud præter Baptismum requisivit.

Hinc nullus sexus, status vel ætas excluditur à valida hujus Sacramenti susceptione: quandoquidem olim sit collatum etiam parvulis (de quibus posset esse præcipua dubitatio) ut patet ex *Innocentio I. Epist. 1. c. 3.* & *Augustino Tract. 6. in primam Canonicam Joannis.* Immo solebat statim etiam parvulis post Baptismum conferri teste *Tertulliano l. de Baptis. c. 7. & 8. Alcuino l. de Ecclesiast. Offic.* cap. de Sabbato sancto, *Baronio circa annum* 371. & aliis.

DICO II. Ad licitè suscipiendam Confirmationem requiritur & sufficit status gratiæ. Prima pars patet: quia Confirmatio est Sacramentum vivorum. Secunda pars inde probatur: quòd nulla lex divina aut Ecclesiastica plus requirat.

Nec obstat I. c. *Vt jejuni*, *de Consecr. dist. 5.* quod videtur requirere jejunium: quia non strictè præcipit, sed tantùm monet; utì & monet confessionem præmitti. Quam præmitti etiam monet *Catechismus Roma-*

Romanus cap. de Confirmatione §. 15. Deinde Canon ille non est alicujus Pontificis, aut Concilii generalis, sed tantùm particularis, scilicet Aurelianensis, hac in parte non recepti ab Ecclesia universali. Unde etiam hodie solet conferri, tam ante, quàm post prandium.

Non obstat II. quòd ex moderna Ecclesiæ consuetudine videatur exigi aliqualis saltem usus rationis; ideoque infantes ante septennium non soleant confirmari: quàmvis enim hoc expediat, tum ut majori reverentiâ suscipiatur Sacramentum: tum ut vitetur iterationis periculum, tum ut puer possit aliquo modo fidem per se profiteri. Consuetudo tamen illa non obligat, ut passim Recentiores docent, & apertè supponit *Catechismus Romanus c. de Confirmationis Sacramento §. 14.* Idem colligi potest ex *Pontificali Romano Tit. de Confirmandis*, ubi dicitur: *Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris*; ubi apertè supponitur ante septennium posse confirmari. Unde in locis remotioribus, ad quæ rarò veniunt Episcopi, præstat usum rationis prævenire, quàm postea defectu occasionis debere diu differre, & quandoque omnino omittere, ut rectè inquit *Suarez disp. 35. sect. 2.* Quod potissimùm quadrat in loca Belgii infecta hæresi aut vicina Hæreticis: ubi necessitas (ut sic loquar) hujus Sacramenti amplior est, & ministratio rarior.

DICO III. Per se loquendo nulla est obligatio suscipiendi hoc Sacramentum. Ita *D. Thomas q. 72. art. 1. ad 3.* & alii communiter contra Nonnullos: quibus annumerari solet *Scotus*, sive quòd censeat esse obligationem præcepti Ecclesiastici, ut ei tribuit *Dicastillo*, sive quòd divini, ut *Pontius*. Sed ut pateat quàm rectè, en verba *Scoti d. 7. q. 2. Non est simpliciter necessarium ad salutem juxta illud Marci ult. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Et de Consecrat. dist. 5.* Spiritus sanctus, *ubi habetur, quod baptizatus per solum Baptismum salvatur. Est tamen necessarium adulto sic, quòd non contemnat; sicut dicitur Extrav. de Sacr. unct. ubi dicitur in Glossa quod non est plenus Christianus, qui contemnit. Ad argumentum* (desumptum ex *cap.* Omnes Fideles) *dico, quòd loquatur de adulto, qui debet suscipere, id est, non contemnere, & pro tempore congruo suscipere in effectu: judicaretur enim contemptus, si omnimodâ opportunitate oblatâ non susciperetur.* Et *d. 7. q. 1. n. 11.* arguendo inquirens præceptum divinum confessionis, contrà assumit: *Quia Extrema Unctio est instituta à Christo, & Confirmationis Sacramentum, ut dictum est supra: & tamen neutrum est simpliciter necessarium, nec est præceptum de isto vel de illo recipiendo.*

Probatur Conclusio: quia non invenitur aliquod præceptum divinum id præcipiens, utì nec Ecclesiasticum quod saltem sit in usu. Confirmatur: quia si foret obligatio, Ecclesia suos filios cogeret ad impletionem illius, sicut cogit adimpletionem præcepti aliorum Sacramentorum: nec permitteret tam facilè aliquem mori sine hoc Sacramento.

Dixi *per se loquendo*: tàm per accidens ratione contemptûs, aut scandali, vel alterius circumstantiæ posset omittens suscipere hoc Sacramentum graviter peccare. Posset similiter Pontifex, immo & Episcopus præcipere suis subditis susceptionem hujus Sacramenti, si ad bonum regimen judicaverint expedire. Dixi *quod saltem sit in usu*; Plures enim putant olim fuisse præceptum Ecclesiasticum concernens adultos pro seipsis, & parentes aut curatores parvulorum pro parvulis. Et videtur colligi ex dictis Patrum, & aliquorum Conciliorum, *Elvbertini can. 38. Laodicensis cap. 48. Aurelianensis*, & refertur c. *Vt Jejunii de Consecrat. dist. 5* Indicat idem *Vrbanus Papa c. Omnes Fideles eâd. dist.* Unde olim solebat Baptismo semper jungi Confirmatio.

55. *Per se loquendo.*

Quod saltèm sit in usu.

Nihilominus maxima est hujus Sacramenti utilitas & efficacia. Cujus proinde susceptio & fructus omnibus inculcari deberet. Sed & Episcopi memores esse deberent sui officii in solicitè ministrando hoc Sacramento per se aut per Suffraganeos suos: quos, si id longo tempore ministrare intermitterent, mortaliter peccare, est communis sententia, *Angeli, Sylvestri, San, Bonacina* & aliorum: eò quòd omittant in re gravi munus suum alijs providendi de Sacramento tam utili, esto in his non foret suscipiendi obligatio. Prout & Parochi tenentur providere subditis de Sacramento Extremæ Unctionis; quantumvis non sit obligatio suscipiendi.

Quæ obligatio Episcoporum conferendi Confirmationem.

QUÆSTIO. VII.

De Effectu Sacramenti Confirmationis.

DICO I. Hoc Sacramentum confert gratiam sanctificantem, & specialem Spiritûs sancti protectionem ac auxilium ad fidem fortiter profitendam. Prima pars est de fide, quæ docet omnia Sacramenta novæ Legis conferre gratiam sanctificantem, ut in *Tract. de Sacram. in gen.* ostensum est. Et specialiter *Act. 8. & 19.* dicitur per hoc Sacramentum dari Spiritum sanctum, qui absolutè non dicitur alicui dari, nisi conferatur gratia sanctificans. Secunda pars patet ex dictis de effectu Sacramentorum in genere, & ex fine hujus Sacramenti qui est, *ne Christi nomen confiteri erubescat* Christianus, ut loquitur *Florentinum in decreto de Armenis.* Unde ibidem præmiserat: *Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur sicut datus est Apostolis in die*

56. *Sacramentum hoc confert gratiam sanctificantem,*

Et auxilia actualia ad fortiter profitendam fidem.

in die Pentecostes, ut Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Et hac firmitate seu robore fidei confitendæ nomen ipsum Confirmationis inventum esse nemo dubitarit, ut ait *Catechismus Romanus c. de Confirmat. §. 16. Ab eo* (inquit) *nomen rei impositum est, quòd hujus Sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat, quod Baptismo operari cœpit, nosque ad Christianæ soliditatis perfectionem adducit.*

57. *Gratiam Confirmationis esse majorem baptismali Plures asserunt*

Dubitant autem Theologi, an Confirmatio majorem gratiam habitualem conferat, quàm Baptismus. Affirmat *Suarez disp. 34. sect. 2. Coninck, Præpositus* & alii plures: tum quia Scriptura & Patres singulariter dicunt per hoc Sacramentum dari Spiritum sanctum. Tum quia per accretionem (cui assimilatur Confirmatio) plus acquiritur, quàm per generationem seu nativitatem, cui comparatur Baptismus. Unde Patres subinde dicunt in Confirmatione dari plenitudinem Spiritûs sancti. Tum quia *Melchiades Papa Epist. ad Episcopos Hispaniæ*, dicit Sacramentum Confirmationis *majori veneratione venerandum & tenendum esse.*

Ob meras & non solidas conjecturas:

Verùm hæ conjecturæ sunt nullius roboris, ut rectè adverterunt *Lugo* & *Vicastillo*: nam in primis dicitur in hoc Sacramento specialiter dari Spiritus sanctus, non quia cum abundantiori gratia datur, quàm in Baptismo, sed quia antiquitùs multis conferebatur per signa evidentiora. Deinde Confirmatio est tantùm partialis accretio; plus autem substantiæ acquiritur generatione, quàm unicâ accretione. Debet porrò vita animæ in Baptismo obtento usque in finem crescere, tum per bona opera, tum etiam per alia Sacramenta, præsertim Eucharistiæ. Quare gratia Confirmationis, etsi sit major, quatenus conjungitur gratiæ Baptismi præsuppositæ; hanc tamen non necessariò se solâ excedit. Dicitur proinde in ea dari plenitudo Spiritûs ob novum gratiæ accessum per Confirmationem causarum, per quam (ut loquuntur Patres) censetur homo fieri plenus & perfectus Christianus: quamquam non ita, quin debeat gratia & perfectio usque in finem fieri plenior & auctior. Denique *Melchiades* Papa docet Confirmationem majori veneratione tenendam, non ratione majoris gratiæ, sed ratione dignioris materiæ, & potissimùm ratione dignioris ministri, à quo confertur, quem non decuit ita in Baptismo restringi ob summam illius necessitatem. Unde apparet, haud satìs solido fundamento niti Opinionem relatam. Quinimmo potiùs videri posset gratiam majorem conferri in Baptismo, quàm in Confirmatione: utpote quia Baptismus est spiritualis regeneratio, in qua velut in primo & unico jubileo adeò superabundat divina liberalitas & efficacia, ut etiam in suscipiente tantùm attrito deleatur omnis culpa & pœna. Quare ita censet *Scotus dist. 7. q. 3.* & plures alii.

Quare Scotus & plures alii contrarium oppositum.

Dico II. Confirmatio imprimit Characterem. Est de fide ex *Trid. sess. 7. can. 9. de Sacram. in gen.* vide dicta de Charactere in *Disp.* de Effectu Sacramenti in communi. Specialiter autem initerabilitas, adeoque Character hujus Sacramenti colligi potest ex Apostolo *ad Hebr. 6.* ubi juxta Patres & Interpretes communiter de manûs impositione sacramentali est sermo. In quem locum *Chrysostomus: Non licet* (ait) *dicere: si dissolutè & negligenter vixerimus, rursus baptizabimur, Catecheseos rursus instituemur, accipiemus rursus Spiritum &c. Erratis, inquit, hæc existimantes. Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati &c. Ne amplius, inquit, expectes, quod non potest fieri: non enim dixit: non decet, neque expedit, neque licet, sed est impossibile &c.* Similiter loquitur *Oecumenius* & *Theophylactus.* Quare numquam legitur ab Apostolis repetita manûs impositio collativa Spiritûs sancti. Neque tollit infidelitas Characterem Baptismi vel Ordinis; cur ergo Confirmationis? Alioquin de iis qui à fide deficientes ad idola dein redibant, extant antiquissimi Canones *Concilii Nicæni, Concilii Ancyrani, Petri Alexandrini, Basilii Magni, Gregorii Nyssen.*, & aliorum, in quibus præscribitur modus eos recipiendi, & pœnas injungendi, ac ad Eucharistiam admittendi; at altum est in illis silentium de Chrismatione. Immo *Photius* Schismaticorum antesignanus, tertius post *S. Methodium* Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola Encyclica seu circulari defendens mordicus Confirmationem à presbyteris quasi ministris ordinariis datam, vehementer Latinos redarguit, quòd eam iterare non horruerint, quasi iteratio sit res & insipientia inaudita. Dein subdit: *Iterata Chrismatio illorum, qui baptizati sunt, & Chrismate tincti, neque auctoritate indiget, credo, ut damnetur: cùm vel ipsa sola rei narratio, superet omnem impietatis excessum.* Idem *Arcudius c. 17.* testatur, esse communem omnium Græcorum sententiam, quòd Confirmatio imprimat Characterem; ideoque illam ab eis vocari signaculum. De quo rectè intelligitur illud *Cyrilli in Præfat. Cateches.* in fine dicentis: *Det vobis Deus Spiritûs sancti signaculum indelebile in sempiternum.* Quàmvis recentiores Græci (ut refert idem *Arcudius c. 18.*) characterem hæresi ac infidelitate, eâque solâ deleri, adeòque Sacramentum in his casibus iterari posse opinentur. Qui tamen ex præmissis satìs refutati manent. Et ex eo, quòd nullus Patrum legatur Confirmationem à Catholicis Episcopis datam magìs quàm Baptismum iterasse. Unde etiam *Concilium Tarraconense c. 6.* (& habetur *in Cabilonensi II. c. 17.* referturque c. *Dictum est nobis, de Consecrat. d. 5.*) declarat *Confirmationem, sicut nec Baptisma, iterari minimè debere.* Eamdem iterationem inhibet *Gregorius III. Epist. 4. ad Bonifacium* & refertur c. *De homine eâd. dist.*

Contra tamen objici posset, quòd *Aug. lib. 3. de*

S. Augustinus asserens manûs impositionem repeti non posse.

3. *de Bapt. cap.* 16. dicit: *Manûs autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?* Verùm *Augustinus* ibi non loquitur de hoc Sacramento, sed de reconciliatoria manûs impositione, quæ pœnitentibus impenditur, sive pro foro externo, sive etiam pro interno per absolutionem sacramentalem. Prout apparet quoque non esse sermonem de Sacramento Confirmationis apud *Gregorium lib.* 9. *Epist.* 6. (& refertur c. *Ab antiqua* 44. *de Consecrat. dist.* 4.) dicentem, quòd *Arianos per manûs impositionem Occidens reformet*, utique sine unctione Chrismatis, per quam illos reformat Oriens, ut ibidem subjungit.

60. *Objicitur* Hæreticos ad Ecclesiam reversos *olim* recipi solitos *per solam manûs impositionem.*

Objici II. posset, quòd Hæretici ad Ecclesiam revertentes solerent recipi per sacram unctionem seu Episcopalem manûs impositionem, quâ consequerentur virtutem Spiritûs sancti, ut patet ex *Concilio Constantinopolitano* 1. *can.* 7. aliàs 9. & *Leone Papâ Epist.* 37. *c.* 2. Nec responderi potest id intelligendum de Hæreticis necdum debitè confirmatis. Nam saltem plus intendit *S. Methodius* Patriarcha Constantinopolitanus in *Canone* seu *Decreto de iis, qui abnegarunt &c. & ad Ortodoxam veramque fidem revertuntur* (quod Decretum refertur in *Euchologio Græcorum*) dicens: *Ungatur sacro Chrismatis unguento reconciliandus, cum ad fidem regreditur baptizatorum more.* Loquitur autem generaliter de conversis à qualibet hæresi & in quavis ætate; immo & de iis, qui priùs Catholici, adeoque more Orientalis Ecclesiæ susceptò Baptismo mox inter Catholicos confirmati fuerant. Neque dici potest cum *Arcudio*, esse Canonem adulterinum *Methodii* junioris schismatici qui anno 1240. floruit, sed genuinum *S. Methodii* doctissimi & acerrimi fidei defensoris, qui floruit ante & post annum 840. docent omnia etiam antiquissima exemplaria, & tam Græci quàm Latini Auctores confirmant. Neque est indicium aliquod vitiationis Canonis, qui conformiter in centenis exemplaribus reperitur expressus.

61. *Ritus ille olim usitatus.*

Quocirca respondet *Jacobus Goar in notis Euchologii & præfati Canonis* ritum istum fuisse usurpatum, circa non confirmatos quidem, cum animo adhibendæ sacramentalis Confirmationis, circa confirmatos verò sine hujusmodi animo iterandæ Confirmationis adeoque instar puræ cæremoniæ Ecclesiasticæ & reconciliativæ, quamvis cum simili intentione additâ Confirmationis formâ ordinariâ. Quemadmodum noscitur esse purè ceremoniale, quòd in eodem decreto *Methodii* præscribitur, ut reconciliandus post septiduanas preces *octavo die lavetur, & à lavacro ferat vestes novas secundùm ordinem eorum qui illuminantur* seu baptizantur. Non facilè tamen *Jacobus Goar* (ut addit) probaret hunc ritum chrismandi adjunctâ formâ ab aliquo alio nunc temporis observari, quantumvis cum recta intentione; ob periculum videlicet erroris aut mali intellectûs. Neque est credibile virum sanctissimum hanc inauditam de iteratione Sacramenti novitatem introduxisse: de qua etiam à nemine Historicorum notatur. Quàmvis alioquin unius *Methodii* auctoritas nequeat auctoritati universalis Ecclesiæ præjudicare.

62. *Aliis auctoritatibus suffulsit.*

Pariter neque præjudicare potest illorum Patrum auctoritas, qui hoc Sacramentum iterare tentarunt prætextu illo, quòd foret collatum ab Hæreticis, quasi fides in ministro sit ad Sacramenti valorem requisita: quam non ita requiri postmodum Ecclesia declaravit. Vel sanè loquuntur de conversis ab hæresi non usurpantium chrisma aut carentium veris Episcopis, adeoque de necdum confirmatis. De quibus omnino agit *Concilium II. Generale & Leo Papa* suprà. *Hoc tantùm* (ait *Leo*) *quod ibi defuit conferatur, ut per Episcopalem manûs impositionem virtutem sancti Spiritûs consequatur.* Ideoque *Theodoretus l.* 3. *hæretic. Fabul.* expressit *Novatianos* idcirco recipi cum manûs impositione, quòd ipsis in hæresi illa defuisset.

63. *Quæritur an Character Confirmationis sit distinctus à baptismali.*

Sed dubium est, an sicut Confirmatio est quædam Baptismi perfectio, quatenus hominem baptizatum facit perfectum Christianum, & non addit gratiam habitualem alterius rationis, sed præhabitam solùm intendit; ita character illius non sit perfectè distinctus (aliquo modo esse distinctum convincunt verba Conciliorum de impressione characteris per tria Sacramenta) à charactere baptismali, sed solùm hunc perficiat, sive intensivè, sive extensivè.

Resolvitur, quòd sit distinctus specie.

In quo dubio communior & verior Doctrina tradit, characteres esse diversæ speciei: tum quia Sacramenta, per quæ conferuntur, sunt diversæ speciei. Tum quia per illos significantur diversi status, in quibus homo ponitur. Tum denique quia character Baptismi est capacitas quædam moralis ad reliqua Sacramenta legitimè susciptenda; Character autem Confirmationis est quædam potentia ad fidem fortiter propugnandam. Aliud est de gratia habituali, quæ debet esse ejusdem speciei ex quacumque causa proveniat, cùm idem semper sit principalis ejus finis & effectus formalis, scilicet constituere filios Dei. Confirmatur: quia quâ ratione dicitur characteres utriusque Sacramenti solùm differre secundùm majorem perfectionem, consequenter etiam dici posset ipsum Baptismum & Confirmationem non differre ut duo Sacramenta, sed ut Sacramentum & perfectionem Sacramenti.

QUÆSTIO VIII.

De Ceremoniis Sacramenti Confirmationis.

64. OMissis Ceremoniis adhiberi solitis in confectione Chrismatis : quæ videri possunt in *Pontificali Romano* & apud *Suarez d.37. sect.* 1. & alios.

Episcopus debet conferre hoc Sacramentum indutus Pontificalibus,

Prima ceremonia Confirmationis est, quòd Episcopus ob reverentiam Sacramenti debeat indui habitu Pontificali, idque sub peccato mortali, ut docet *Diana p.7. tract.* 10. *resol.* 31. quemadmodum sacros Ordines collaturus debet vestiri indumentis & ornamentis Pontificalibus. Secunda, quòd caput confirmati circumligetur vittâ seu linteo. Quod fit ob reverentiam Chrismatis, ut paulatim exsiccetur & ne aliis rebus adhæreat. Deinde ut significetur gratiam in Confirmatione acceptam esse conservandam. Non est autem certum tempus determinatum, quo hoc linteum ferri debeat, sed spectanda est locorum consuetudo. Tertia, quòd Episcopus det confirmato alapam super genam dicendo : *Pax tecum.* Tum ut confirmatus intelligat se armari hoc Sacramento ad injurias pro Christo tolerandas. Tum ut recordetur Sacramenti suscepti & militiæ ad quam exercendam conscribitur. Quarta est circumstantia loci, qui tamensi deberet esse Ecclesia, quantùm commodè fieri potest ; simpliciter tamen potest conferri quovis loco decenti, immo ob copiam adventantium etiam sub dio, idque quàmvis locus sit interdictus, ut habetur c. *Responso, de Sent. excomm.* Quinta erat olim circumstantia temporis : quòd scilicet solùm conferretur tempore Paschæ & Pentecostes ; modò tamen invaluit consuetudo conferendi illud omni tempore & die, idque tam post, quàm ante prandium.

Cur caput confirmati vittâ ligetur,

Cur Episcopus ei det alapam,

Quo loco Sacramentũ sit conferendum.

Quo tempore.

65. Sexta ceremonia est, quòd debeat esse patrinus, qui confirmandum teneat ut habetur c. *In Catechismo* 100. *& duobus seqq. de Consecr. dist.* 4. qui non potest esse nisi unus vel una, juxta decretum *Leonis* Papæ c. *Non plures* 101. *eâdem dist.* An autem post *Tridentinum* possint assumi duo, scilicet unus & una, utì in Baptismo, est inter Theologos controversum. Et probabilius videtur, quòd non : eò quòd *Trid sess.* 24. *cap.* 2. *de ref. Matrim.* id tantùm statuat de Baptismo ; adeoque non videatur extendendum ad Confirmationem : cùm juris antiqui correctio sine urgenti fundamento non debeat admitti. Idque præsertim in hoc casu, eò quòd *Tridentinum eod. cap.* agens de Confirmatione expresè restringat cognationem spiritualem ex ea oriundam, utì priùs restrinxerat oriundam ex Baptismo, nil tamen omnino loquatur de præsenti statuto, adeoque id studiosè omisisse videatur. Ita *Præpositus, Barbosa,* & plures alii apud *Diana p.*10. *Tract.*16. *resol.* 90.

Debet adesse patrinus, esse unicus dumtaxat,

Etiam post Tridentinũ.

Unde consequenter ad hanc doctrinam, Cosi ultra designatos alii teneant confirmandum, hi similiter contrahant cognationem spiritualem : quàmvis in alia sententia oppositum foret dicendum juxta ordinationem *Tridentini sup.* de Baptismo.

Debet etiam secundùm antiquam Romanam consuetudinem patrinus Confirmationis extra casum necessitatis esse distinctus à patrino Baptismi c. *In Catechismo* citato.

Putat tamen *Silvester* V. *Confirmatio* consuetudinem jam contrarium obtinere : alii censent secùs facientem non peccare saltem mortaliter : uti nec si unus præsentet tamquam patrinus plures quam duos ; aut si fœmina virum, vel mas fœminam præsentet, etsi hoc sit minùs conveniens, & contrarium utriusque præscribatur in *Pontificali.* Debet etiam patrinus esse confirmatus, *can. In Baptismate* 102. *de Consecrat. dist.* 4. & in *Pontificali.* Unde non confirmatus juxta Doctores communiter illicitè hoc munus obiret ; immo juxta plerosque etiam invalidè : etsi reverà textus canonis (qui desumptus est ex *Concilio Moguntino* adeoque particulari tantùm nec obligante universaliter, nisi quatenus est usu ab Ecclesia receptum) non contineat verba clarè irritantia. Quocirca sicut patrinum omittere est gravis materia, sic etiam esse videtur, invalide illum adhibere etsi nonnulli oppositum supponant probabile.

Obligatio confirmatum instruendi non est in jure expressa ut notat *Henriquez* & alii : quæ saltem exprimitur in *Pontificali* quoad vitanda mala, & facienda bona, & quoad Pater noster, Ave Maria, & Credo : *quoniam* (inquit) *ad hoc sunt obligati.* Dato autem, quod etiam in Canonibus expressa foret, tamen rarò admodum haberet locum, eò quòd suscipiens hoc Sacramentum, si sit adultus, præsumatur utcumque instructus ; & quàmvis supponeretur esse parvulus, ad instructionem teneatur patrinus Baptismi.

Contrahitur autem cognatio spiritualis dirimens matrimonium inter susceptorem & confirmatum ejusque parentes, & non ultra, juxta *Tridentinum sup.* restringens in hoc jura antiqua. Reliqua de susceptoribus Confirmationis sunt ferè explicanda conformiter, ad ea quæ diximus de susceptoribus Baptismi.

Solùm observa Nonnullos censere, quòd Monachis non sit illicitum tenere confirmandum seu esse patrinum Confirmationis : eò quòd ratio prohibitionis non habeat locum in hoc Sacramento ob non annexum onus instruendi. Communiter tamen alii contradicunt. Quàmvis jura ferè loquantur de Baptismo aut sint Conciliorum particularium : quæ equidem potuissent

sent esse usu recepta & extensa. Id saltem omnino credibile est (quod Plures docent) posse monachum in Confirmatione tenere monachum confirmandum. Immo ita fieri apparet magis conveniens.

Denique solicitè observandum Pastoribus, ut tum hujus Sacramenti initerabilitatem, tum cognationem spiritualem ex hoc oriundam inculcent fidelibus, ob incommoda quæ alioquin oriri nata sunt. Immo in hunc finem expediret omnino servari Registrum confirmatorum, uti baptizatorum: cùm alioquin facilè obliteretur memoria seu notitia Sacramenti susceptì, ac cognationis inde procedentis cum maximis inconvenientiis.

TRACTATUS III.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

PRÆFATIO.

ORDO *doctrinæ postulat, ut explicato Sacramento regenerationis & Confirmationis, quo utroque perfecti efficimur Christiani, agamus de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod baptizatis & confirmatis more antiquo primò dari consuevit, & (si adulti sint) etiamnum dari convenit, instar spiritualis nutrimenti. Quàmvis alioquin ipsum ordine dignitatis primum sit: nam* commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum ceteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem: verùm illud in ea excellens & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm vim sanctificandi habent, cùm quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum est; *ut rectè* Trid. sess. 13. c. 3. *Et hoc quidem signatum seu contentum excellentissimum semper subest in hoc Sacramento; quod proinde est in significando verissimum: cùm alia Sacramenta, quàtumvis ex se veracia in significando, ob indispositionem suscipientis interdum careant suo signato, scilicet gratiâ. Mirabilissimum quoque est, immo miraculorum à Christo patratorum maximum,* in quo *ipse* divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, *ut loquitur*

quitur Trid. sup.c.2. *addens idem esse* symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tãquam membra arctissima fidei, spei & charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata. *Nihilominus* zizania execrabilium errorum & schismatum inimicus homo his nostris temporibus in doctrina fidei, usu, & cultu sacrosanctæ Eucharistiæ superseminavit: quam alioqui Salvator noster in Ecclesia sua tamquam symbolum reliquit ejus unitatis & charitatis, quâ Christianos omnes inter se conjunctos & copulatos esse voluit, *ut ait*, Trid. in Proœmio sess.13. *Quocirca sanam & sinceram de Venerabili hoc & divino Sacramento doctrinam tradituri, pariter errores contrarios convellere & refellere studebimus, adjuncturi ea, quæ salvâ parte Christianâ inter Catholicos sunt controversa.*

DISPUTATIO PRIMA.

De Sacramento Eucharistiæ secundùm se.

QUÆSTIO I.

An Eucharistia sit Sacramentum?

1. *Vox Eucharistia, denotans idem quod gratiarum actio seu bona gratia, rectè quadrat huic Sacramento.*

EUCHARISTIA vox Græca idem est quod gratiarum actio, vel bona gratia. Est autem communi Ecclesiæ usu assumpta ad denotandum hoc Sacramentum. Et meritò: tum quia ipse Christus illud instituens gratias egit, sive (ut est in Græco) eucharistizavit: tum quia nos idem in gratiarum actionem sumere & offerre debemus. Similiter est bona gratia: tum quia est maximum Dei beneficium: tum quia confert gratiam: tum præcipuè quia realiter continet Christum, qui est gratiâ plenus, omnisque gratiæ fons.

Quod variis insuper nominibus appellatur,

Vocatur etiam hoc Sacramentum communio, quia conjungit & unit fideles tamquam membra inter se & cum suo capite Christo, adeoque per ipsum communicant fideles Christo & inter se. Dicitur quoque Synaxis, id est, congregatio, sive propter eamdem fidelium societatem quam significat & efficit, sive quia solebant, ac etiamnum solent ejus gratiâ fideles in unum convenire. Quarto antonomasticè vocatur mysterium & Sacramentum, quia inter omnia Sacramenta rem maximè arcanam & sacram continet. Pariter per antonomasiam vocatur Venerabile Sacramentum, quia singulariter præ ceteris sanctum & venerabile est. Quintò quando datur morituris dicitur viaticum, quia viam sternit, & vires transituris ad alteram vitam suppeditat. Sextò dicitur etiam hostia, quia per sacrificium incruentum Deo offertur in gratiarum actionem. Septimò dicitur convivium, in quantùm animam replet & satiat. Dicitur octavò cœna Dominica; quia in ultima cœna fuit institutum: quàmvis hoc nomine (quod Hæreticis nostris maximè placet) frequenter abutantur iidem Hæretici ad suos errores, ideoque cautè sit usurpandum.

DICO: Eucharistia est verum Sacramentum. Est de fide, & constat ex *Trid. sess.* 13. *Florentino in Decreto de Armenis*, *Lateranensi* c. *Firmiter*, *de summa Trinit.* Et ex perpetua Traditione ac consensu Patrum & Conciliorum: nam ante annos mille ducentos in *Concilio Carthaginensi III. c.* 24. & 29. appellatum est, *Sacramentum altaris*, & *Sacramentum corporis & sanguinis Domini*. Patet etiam ex *Matth.*26. *Marci* 14. *Lucæ* 22. *Joan.*6. Et 1. *ad Cor.* 11. & quidem ex Evangelio constat fuisse institutum, ut perennaret in Ecclesia: nam Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Idem constat ex Apostolo suprà: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*: scilicet, ad judicandum. Ex quo Apostoli loco etiam constat fuisse rem fidelibus usitatam. In hoc etiam satis conveniunt cum Catholicis Hæretici (paucis fortè antiquioribus exceptis) etsi circa naturam hujus Sacramenti, partes consti-

constituentes, & virtutem ejusdem variè errent. Ratio est, quòd species panis & vini sint quid sensibile à Christo ordinatum ad significandam gratiam, immo ad continendum omnis gratiæ fontem, ut infrà patebit.

3. Congruentia assertur.

Congruentiam, suppositâ Sacramenti institutione, adfert *D. Thomas q. 73. Art. 1. Scotus d. 8. q. 1. n. 3.* quòd ultra generationem spiritualem, quæ fit per Baptismum, & augmentum, quod fit per Confirmationem, opus sit cibo & nutrimento spirituali, quo homo per totam vitam spiritualiter nutriatur. Addit *Scotus sup.* quia congruum est Christum esse nobiscum in tali signo sensibili, ut magis excitetur quilibet ad reverentiam, & devotionem ad Christum. Et hoc patet de facto, quòd quasi omnis devotio in Ecclesia est in ordine ad illud Sacramentum. Propter hoc enim Clericus cum majori diligentia persolvit officium divinum in ordine ad missam. Propter hoc etiam populus devotiùs audit missam, quàm aliquod aliud officium Ecclesiasticum. Propter hoc etiam singuli cum majori diligentia confitentur, quando intendunt secundùm ordinationem Ecclesiæ saltem semel in anno communicare. Ita ad verbum *Scotus.*

4.

Dices: Sacramenta efficiunt id quod significant: Eucharistia autem nihil efficit, non enim gratiam; ut patet, quando asservatur in sacrario: neque etiam efficit corpus Christi, cùm illud divinâ solùm virtute sub speciebus ponatur & conservetur. Resp. Eucharistiam esse causativam gratiæ, etsi in actu secundo eam non causet nisi dum sumitur: sicut ignis de se calefactivus actu non calefacit, nisi calefactibili applicetur. Ad rationem autem Sacramenti sufficit quòd sit causativum gratiæ, illamque actu causet, dum actu applicatur: nam quòd cetera Sacramenta semper causent dum actu sunt, inde oritur, quòd sint successiva & consistant in actione, adeoque non habeant esse, nisi dum applicantur. Similiter Eucharistia suo modo efficit corpus Christi quoad esse præsentiale, quatenus Deus ponit & conservat illud sub speciebus consecratis dependenter ab illis, earumque consecratione.

Eucharistia est causa gratiæ.

5. Figura Eucharistiæ, quem protulit Melchisedech *Gen.* 14. Quem fuisse figuram Eucharistiæ tradit *Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus,* & alii Patres. *Vide* (inquit *Chrysostomus Homil. 46. in Gen.*) *quomodo Sacramentum insinuatur..... Videns typum, cogita, oro, & veritatem.* Secundò panes propositionis, qui solùm à mundis & sanctificatis comedi poterant. 1. *Regum* 21. Tertiò panis primitiarum *Levitici* 23. Quartò panis subcinericeus & angelicus, in cujus fortitudine ambulavit Elias quadraginta diebus & noctibus usque ad montem Dei Horeb, ubi & Deum quodammodo vidit, 3. *Regum* 19. Quintò præclara Eucharistiæ figura fuit Manna, ut non solùm docent Patres, sed & ipse Christus *Joan. 6.* Et clamat res ipsa. Tanta est similitudo inter Eucharistiam & Manna, quod Angelicis manibus præparatum, filiis Israël post transitum maris rubri ad terram promissionis pergentibus in deserto pluebat de cælo. De quo *Sap. 16.* dicitur: *Angelorum escâ nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* In quo etiam illud fuit singulare, aptissimè quadrans in Eucharistiam, ut licèt aliqui multum, aliqui parum collegisse viderentur, omnes tamen eamdem mensuram invenirent, singuli juxta id quod poterant, *Exodi 16.*

Panis præsignat. Panis primitiarum. Panis subcinericeus.

5. Manna.

6. Agnus Paschalis.

Sextò Agnus Paschalis. Quem fuisse typum Eucharistiæ tradunt *Tertullianus, Hieronymus, Chrysostomus, Leo Papa* & alii Patres. Nec aliam ob causam esui Agni Paschalis continuò institutionem Eucharistiæ subjunxit Christus, nisi ut significaret antiquam observantiam novo Sacramento adimpleri & tolli, teste *Leone Papa Serm. 7. de Passione Domini.* Denique (ut alias figuras omittam) Eucharistiæ typus fuit sanguis testamenti, quo populum asperfit Moyses lecto Testamento seu dato Sacramento, dicens: *Hic Sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus; ad Hebr. 9* & *Exodi 24.* Unde Christus ipse in Sacramenti institutione condens novum Testamentum ante mortem coram Apostolis quasi testibus, instituit Eucharistiam quasi publicum instrumentum, extans ad memoriam. Ideoque signanter dixit: *Hic est sanguis meus novi Testamenti Matth. 26.* quem proinde asperfit in pectora discipulorum lecto seu dato eis novo mandato seu lege *Joan. 13. Mandatum novum do vobis &c.*

7. Sanguis Testamenti.

6.

Figuris Eucharistia est excellentior.

Verùm hæc omnia figuræ tantùm fuerunt; quibus proinde ipsa veritas seu Eucharistia est longè excellentior: figura enim servit veritati, & per eam impletur ac perficitur. Unde Apostolus *ad Coloss. 2.* figuras veteres umbris, impletionem corpori comparat, & *ad Hebr. 10* figuras umbris, veritatem imagini. Ideoque *Hieronymus in cap. 1. ad Titum,* ait: *Tantum interest inter propositionis panes & corpus Christi, quantum inter umbram & corpora, inter imaginem & veritatem &c.* Quàmvis si panem Eucharisticum à veritate Corporis Christi secluderemus cum *Sacramentariis*, prædictæ figuræ non minùs perfectæ forent, sive secundùm se, sive in ratione signi respectu Christi: immo nonnullæ præcellerent, v.g. manna, agnus paschalis, & sanguis testamenti. Quod non parum refellit errorem *Sacramentariorum.*

Non quod panis sed quòd continens Christum.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quando hoc Sacramentum sit institutum?

7. *Eucharistiam Christus instituit in ultima cœna;*

DICO I. Sacramentum Eucharistiæ est à Christo institutum in ultima cœna. Est certum apud omnes tam Græcos quàm Latinos. Et patet ex Evangelistis *quæst. præc.* citatis, *Clement. unic. de Reliquiis & Venerat. Sanct. §. Transiturus, Trid. sess.* 13. *c.* 2. & Canone Missæ, in quo dicitur: *Qui pridie quàm pateretur &c.* Quàmvis Joan 6. Christus instituendum prænunciaverit, & gratiam per illud dandam promiserit. Et quidem congruebat, ut tunc daret seipsum sub specie aliena, quando erat discipulos relicturus in propria, idque imminente passione, cujus hoc Sacramentum erat rememorativum: imminente morte, quia tunc dicta & facta magis imprimuntur mentibus amicorum. Ita *D. Thomas q.* 73. *ar.* 5. Vide etiam *D. Bonav. d.* 8. *p.* 1. *ar* 2 *qu.* 2.

Idq; congruè.

8. *Ad primam vesperam lunæ decimæ quintæ mensis Nisan seu primi.*

DICO II. Christus ultimam cœnam, in qua instituit hoc Sacramentum, celebravit ad secundam vesperam Lunæ decimæquartæ, & primam lunæ decimæ quintæ mensis Nisan. Ita communiter Latini. Pro clariori intellectu, & difficultatum occurrentium solutione

Cujus luna decima quarta incidit æquinoctium vernũ, aut illud propius sequitur.

Nota I. Judæos computasse annos per menses lunares, illumque mensem appellasse primum, cujus luna decima quarta incidebat in diem æquinoctii verni, vel propiùs ipsum sequitur: estque apud nos luna martialis. Mensem autem istum vocabant, Nisan, ut patet *Esther.* 3. Et eodem Ægyptum egressi leguntur *Exodi* 12.

Judæi festivitates celebrabant à vespera in vesperam,

Nota II. Judæos fuisse solitos incipere suas festivitates à vespera, sive ab occasu solis præcedente ipsum diem festum, juxta illud *Levitici* 23. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*: adeò ut festivitates (quæ ibi intelliguntur per sabbata, ut docet contextus) haberent duas vesperas, unam præcedentem, alteram sequentem seu secundam. Diem autem vulgarem incipiebant ab ortu solis: nam Christus communi Ecclesiæ sensu dicitur crucifixus circa horam sextam juxta computum Judæorum, & circa duodecimam juxta computum Germanicum & Belgicum seu nostrum: cùm igitur nos diem vulgarem computemus à media nocte, sequitur Judæos computasse ab ortu solis. Unde *Matth.* 20 Patersamilias primùm egreditur summo mane, deinde horâ tertiâ, sextâ & nonâ, denique undecimâ, in qua dicit: *Quid hîc statis totâ die otiosi?* Et illâ horâ conducti dicuntur tantùm unâ horâ laborasse. Igitur horâ undecimâ erat dies ferè finitus, & consequenter nec à vespera, nec à media nocte, sed ab ortu solis censebatur inchoatus. Quàmvis *Dominicus Soto d* 9 *q.* 1. *art.* 4. putaverit etiam dies vulgares fuisse ab Hebræis computatos à vespera. Ex quo sequeretur primam horam sequentis diei fuisse illam, quæ est prima post occasum solis (qui mos computandi adhuc Romæ & alibi viget) adeoque Christum fuisse crucifixum circa horam decimam octavam; cùm tamen juxta Evangelium sit crucifixus horâ quasi sextâ seu sub meridiem. His notatis

Diem vulgarem auspicabantur ab ortu solis.

Probatur Conclusio: quia Christus celebravit ultimam cœnam, quando secundùm legem debebat comedi agnus paschalis: at qui hic debebat comedi ad secundam vesperam lunæ decimæ quartæ, ergo &c.

Major probatur ex Evangelistis: nam Christus misit discipulos suos ad parandum agnum paschalem, *die azymorum in qua necesse erat occidi pascha*, ut ait Lucas *c.* 22. vel *primò die azymorum, quando pascha immolabant*; ut ait Marcus *c.* 14 Similia habet Matthæus *c.* 26. ergo Christus celebravit suam cœnam, quando Judæi immolabant, & necesse habebant immolare pascha. Deinde non est credibile citra necessitatem in fine vitæ violasse famosum illud præceptum, qui tamen non venerat legem solvere, sed verbo pariter & exemplo adimplere.

Minor, videlicet quòd agnus paschalis debebat comedi ad finem lunæ decimæ quartæ, probatur: quia agnus paschalis debebat comedi vesperâ immediatè præcedente primum diem festivum azymorum, ut habetur *Exodi* 12. *Levitici* 23. *Numer.* 28. dies autem iste erat lunæ decimæ quartæ, ut patet ex Scripturis *Levitici* & *Numerorum* citatis, ubi dies decima quinta dicitur solemnitas azymorum; primus autem dies azymorum erat solemnior, ut clarè dicitur in locis citatis: ergo agnus paschalis erat comedendus ad ultimam vesperam lunæ decimæ quartæ.

Eadem Minor probatur II. quia ex citatis locis constat dies azymorum fuisse septem, qui (ut habetur *Exodi suprà*, & *Marci* 14.) incipiebant cum esu agni, & (ut habetur in *Exodi suprà*) durabant usque vigesimum primum diem ejusdem mensis ad vesperam: quæ vespera necessariò intelligitur esse ultima dicti vigesimi primi; cùm iste dies dicatur solemnior reliquis in *Exodo* & *Levitico suprà*. Ex quibus sequitur, quòd Agnus paschalis erat comedendus ad ultimam vesperam lunæ decimæ quartæ: si enim priùs fuisset comedendus, fuissent plures dies azymorum quàm septem; si seriùs, dies azymorum durassent ultra vigesimum primum diem mensis.

Probatur III. quia filii Israel egressi sunt ex Ægypto quintadecimâ die mensis primi, alterâ die *Phase*, id est, postridiè agni immolati, ut patet *Numer.* 33. Igitur agnus immolandus fuit die quartadecimâ sub finem. Neque

que verosimile est, Judæos primogenitis Ægyptiorum occisis egressum per diem integrum post agni immolationem distulisse: quin potiùs Ægyptii sibi metuentes, intempesta nocte ad Israelitas venerunt, compellentes eos festinanter exire. In cujus rei memoriam instituti sunt septem dies azymorũ cum immolatione Agni paschalis inchoandi, ut expressit *Josephus l. 2. Antiquit. c. 13.* quia nimirũ ob festinationem filiis Israel egressuris ex Ægypto non suppetebat tempus seu opportunitas fermentandi conspersionem farinæ aliquodve pulmentum faciendi, quo exirent præparati ad iter.

Contrarium Conclusionis docent Græci, qui ut tueantur Christum consecrasse in fermentato, docent ipsum uno die anticipasse esum agni paschalis contra præscriptũ legis, & comedisse agnum ad finem lunæ decimæ tertiæ, ac consequenter passum esse lunâ decimâ quartâ. Pro quibus

Objicitur I. *Joan.* 13. dicitur: *Ante diem Festum Paschæ &c.* ubi significatur Christum cum discipulis suis cœnasse ante diem festum Paschæ, qui tamen incipiebat ad finem lunæ decimæ quartæ cum immolatione agni. Resp. Joannem non loqui de die ceremoniali, qui à vespera incipiebat, sed de die usuali seu artificiali, qui incipiebat ab ortu solis, dicebaturque etiam Pascha ab immolatione Agni paschalis factâ pridie ad vesperam. Unde non ait, Ante Pascha; utpote jam inchoatum: sed, Ante diem seu lucem Festivitatis paschalis.

Objicitur II. Judæi consultantes de Christo occidendo, dixerunt *Matth. 26. Non in die festo &c.* ergo Christus non est passus in die festo, qui incidebat in lunam decimam quintam, sed ante; & consequenter etiam ante finem lunæ decimæ quartæ comedit agnum. Resp. Neg. priorem Cons. Etsi enim Judæi in principio timuerint Christum occidere in festo, ne tumultus fieret in populo: postmodum tamen oblatâ occasione Judæ prodittoris eum tradere sine turbis, mutaverunt consilium, & in die festo occiderunt, præ nimia siti Sanguinis Agni innocentis moram non sustinentes, idque non sine augmento injuriæ & ignominiæ Christi, quàmvis etiam non sine mysterio.

Objicitur III. Ipso die mortis Christi Joseph mercatus est sindonem, devotæ mulieres paraverunt aromata ad eum sepeliendum, Judæi criminaliter contra eum processerunt: atqui hæc non licebant in die festo; ergo Christus in eo non est occisus. Resp. ad Minorem, licuisse eo die opera pietatis; v. g. curare, benefacere, asinum è fovea extrahere. Ejusmodi quoque est, ungere & sepelire mortuos. Unde *Tobiæ 2.* legitur ipse Tobias die festo sustulisse occisum, ut eum sepeliret: quem etsi post solis occasum sepeliverit in silentio, tamen antè sustulerat misericorditer. Judæi nimiâ in Christum invidiâ excæcati non sunt solicitè à peccato violatæ legis excusandi, qui noscuntur timorem Domini non habuisse. Facilè autem sibi erroneè persuaserunt, esse licitum etiam in die festo oblatâ occasione occidere, quem Deo blasphemum, & Genti suæ adeò pernicioſum putabant. Fortè etiam non fuit Judæis illicitum in die festo causam dicere & mortem procurare, sed ad summum exequi, juxta illud: *Nobis non licet interficere quemquam Joan. 18.* Quod tamen alium sensum potest admittere, scilicet de suprema gladii potestate per Romanos ademptâ. Fortè autem falsò allegatur à Judæis, ut crucem impetrent, quam Christo machinabantur. Nam certè sub Romanis præsidibus Stephanum lapidarunt, & adulteram velut vi legis lapidandam ad Christum adduxerunt.

Objicitur IV. Judæi dicuntur *Joan. 18.* non introisse in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Et *cap. 19.* dies Passionis Christi appellatur *Parasceve Paschæ*: ergo quando Christus est passus, Judæi necdum manducaverant agnũ paschalem, & consequenter Christus anticiparat. Resp. Neg. Cons. Ad primũ Scripturæ locum (omissâ illorum responsione, qui more Scripturæ insueto per Pascha intelligunt panem azymũ, nullâ lege vetitum manducari ab immundis) dico per Pascha ibi intelligi alias victimas illis diebus azymorum, præsertim primo & ultimo offerendas, ut habetur *Num. 28. 2. Paralipp. 30. & 35. & Deuter. 16.* quo postremo loco victimæ illæ pateter vocatur Phase seu Pascha, & poterant etiam à vulgo manducari, non tamen nisi à mundis, ut patet ex *Levit 7.* Illis porrò locis, etsi tantùm videatur sermo de sacrificiis, quæ ipso die Paschæ, id est, decimâ quarta ad Vesperam offerebantur; tamen *Augustinus l. 5. qq Vet Testam. q 24. in Deuteron.* prope finem interpretatur ex *Deuteron. 16.* ut eadem oblata sint omnibus septem diebus. Idemque testatur oculatus testis *Josephus l. 3. Antiquitatum c. 13.* Alii dicunt distulisse Principes Sacerdotum & alios esum agni, quòd essent occupati nec Christi.

Quo sensu Judæi dicãtur metu immunditiæ non intrasse prætorium, ut manducarent Pascha.

Ad posteriorem locum dico diem, quo Christus est passus vocari parasceven Paschæ, non quia præcedebat Pascha, seu præparatorius erat ad Pascha (cùm Pascha non haberet diem parasceven, sed solum sabbatum, in quo solo non licebat cibos coquere, qui proinde pridie erant præparandi) sed quia pascha illo anno incidebat in parasceven. Quæ explicatio confirmatur ex *Joan. 18.* ubi dicitur: *Est consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha.* Cujus loco *Matth. 27.* dicitur: *per diem solemnem*: & *Marci 15. per diem festum.* Quibus clarè significatur diem illum fuisse decimum quintum: nam dies decimus quartus nec solemnis, nec festus vocatur in Scriptura. Unde *Marci suprà* dicitur: *Quia erat parasceve,*

Christus passus est in parasceve Paschæ, id est, incidente in Pascha.

paraſceve, quod eſt ante Sabbatum. Adeòque *Paraſceve Paſchæ* idem eſt, quod paraſceve incidens in Paſcha.

Maldonatus hanc objectionem ſumit pro partiali fundamento ſuæ opinionis, quâ cenſet Chriſtum quidem cœnaſſe ad primam veſperam lunæ quintædecimæ, Judæos autem ex more quodam iſto anno cœnaſſe poſtridie. De qua *n.* 17.

15. Objicitur V. Si Chriſtus cœnavit agnum ad finem lunæ decimæ quartæ, & conſequèter paſſus eſt in paraſceve ſeu die veneris, non poterat reſurgere alterâ Sabbati, hoc eſt die Dominico, nam tunc non videretur juxta ſuam prædictionem *Matth.* 12. fuiſſe in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Reſp. Neg. Seq. Eſt enim hebraica & Scripturis frequens periphraſis ſeu circumlocutio trium dierum naturalium, qui die ac nocte, ſeu luce & tenebris conſtant; quaſi prædixerit ſe futurum in corde terræ per tres dies naturales, nempe per ſynecdochen. Vide dicta *Tract. de Incarnat diſp. 4. de Myſter. vitæ Chriſti q. 4. n. 97.*

Cum quo conſiſtit triduum ſepultura.

Græcorum ſententiâ ſuppoſitâ, adhuc non ſequeretur Chriſtum conſecraſſe in fermentato.

Hæc ſunt potiſſima Græcorum argumenta. Qui tamen dato quòd Chriſtus cœnam ultimam celebraſſet pridie diei lege ſtatuti, adhuc non conficerent intentum ſuum de conſecratione Chriſti in pane fermentato. Si enim Chriſtus anticipaverit eſum agni, quidni & uſum azymorum panum, qui ſimul inchoatur? Deinde ſaltem in ipſa cœna agni erat panis azymus: quem proinde Chriſtus facilè potuiſſet aſſumere in cœna myſtica, gratis conceſſo, quòd poſt cœnam legalem fuiſſet ſervata uſualis, & ſub ea inſtitutum Sacramentum.

16. *Luiſius Legionenſis putavit agnum vi Legis immolandum ad finem lunæ decimæ tertiæ.*

Secundò contra Concluſionem quidam Luiſius ſeu Aloyſius Legionenſis apud *Suarez diſp. 41. ſect. 1.* contendit Judæos debuiſſe celebrare Paſcha ad primam veſperam lunæ decimæ quartæ, ſeu ad finem decimæ tertiæ; adeòque etiam Chriſtum tunc ſeu eodem quo ceteri die celebraſſe. Cujus fundamentum eſt, quòd Judæis erat præceptum comedere agnum Paſchalem die decimâ quartâ ad veſperam: cùm autem Judæi inciperêt ſuas feſtivitates à veſpera præcedente, ſequitur veſperam diei decimæ quartæ dici debere illam, quæ veniebat poſt occaſum ſolis die decimâ tertiâ. Sed hoc fundamentum nullum eſt: quia lex præcipiens eſum agni die decimâ quartâ ad veſperam, intelligitur de die vulgari, quæ ſolùm habebat veſperam ſubſequentem: dies enim decimus quartus non erat feſtivus, ſed dies ſubſequens, qui eſt primus, & dies vigeſimus primus qui eſt ſeptimus azymorum. Unde immolatio agni fiebat ſolemnitate primi diei inchoatâ, & quaſi concomitanter in feſto: durabatque celebritas agni dumtaxat durante immolatione & eſu illius.

Ejus fundamentum diſſolvitur.

Deinde legem ſic eſſe intelligendam, patet ex probatione Concluſionis. Et confirmatur: nam *Exodi* 12. (ubi Lex traditur) habetur: *Quartâ decimâ die menſis ad veſperam comedetis azyma*, quod tamen de poſteriori veſpera manifeſtè intelligendum eſt: cùm conſtet fuiſſe ſeptem dies azymorum quorum ultimus dies vigeſimus primus menſis. Unde pariter de ſecunda veſpera intelligitur, quod immediatè ibidem ſubditur: *Uſque ad vigeſimam primam ejuſdem menſis* (quæ ſimiliter ùti quintadecima erat ſolemnis) *ad Veſperam.*

Hæc eſt etiam ordinaria Scripturæ phraſis, communi modo intelligendi conformis, ut cùm aliquid dicit eſſe factum vel faciendum ad veſperam, intelligat finem diei, ut *Gen.* 30. *Redeunti ad Veſperam Jacob de agro. Exodi* 12. *Uſque ad diem vigeſimam primam menſis ad veſperam.* Et alibi.

Tertiò *Maldonatus* in illud *Matth.* 26. *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet*, poſt *Lyranum* & quoſdam alios docet Chriſtum immolaſſe quidem agnum, adeòque inſtituiſſe Euchariſtiam ad ſecundam veſperam lunæ decimæ quartæ quæ tunc incidebat in feriam quintam; Judæos tamen iſto anno immolaſſe poſtridie, idque ex permiſſione facta à tempore Eſdræ, ut quoties dies prima ſeu ſolemnitas azymorum incideret in feriam ſextam, trãsferri poſſet in ſabbatum, adeòque immolatio agni in feriam ſextam; eò quòd iſti populo moleſtum eſſet duo feſta immediata celebrare. Sed hujus diſpenſationis nullum eſt veſtigium in Scriptura, neque etiam in *Joſepho* aut *Philone* diligentiſſimis cœremoniarum Judaicarum Scriptoribus. Neque hoc modo iſtud inconveniens vitari potuiſſet: nam hac translatione facta incidiſſet dies ſeptimus azymorum (qui ſimiliter erat feſtivus) in feriam ſextam ſequentis hebdomadæ, adeòque etiam tunc ſervare Judæi debuiſſent duo feſta immediata. Verba quoque Scripturæ in probatione Concluſionis allegata ſatìs oſtendunt Chriſtum immolaſſe agnum, *quando Paſcha immolabant*, ſcilicet Judæi communiter, & *neceſſe erat occidi Paſcha.*

Dices cum *Maldonato Joan.* 19. de ſabbato immediatè ſequenti mortem Chriſti dicitur: *Erat enim magnus dies ille ſabbati*; ubi indicatur ſpecialis ſolemnitas iſtius ſabbati, utique propter concurſum cum feſtivitate azymorum. Reſp. particulam *ille diei* non referre ſabbatum unum ſingulare, ſed univerſim ſabbatum Judæorum; quale ſingulis ſeptimanis occurrebat, & erat magnum apud Judæos: idque inculcat Joannes ſpecialiter Chriſtianis magnitudine & ſolemnitate iſtâ dudum antiquatâ & præteritâ. Idemque ſatìs indicat contextus, ſi rectè ponderetur: *Judæi* (inquit Evangeliſta) *ergo* (*quoniam paraſceve erat*) *ut non remanerent in cruce corpora ſabbato* (*erat enim magnus dies ille ſabbati*) *rogarunt Pilatum &c.* ubi ratio allegatur generalis, *quoniam paraſceve erat*, & non

& ut non remanerent in cruce corpora sabbato. Quamvis ob solemnitatem diei præcedentis, & concursum populi adhuc Jerosolymis existentis potuerit sabbatum istud specialiter fuisse solemne.

19. Dices II. Dies Pentecostes semper fuit quinquagesimus à secunda die, sive alterâ die post solemnitatem azymorum, ut habetur *Levitici* 23. Si autem Christus primâ die azymorum, & fetiâ sextâ foret passus, festum Pentecostes illo anno non incidisset in diem Dominicum, sed in sabbatum: quod est contra communem Ecclesiæ sensum, quo indubitanter traditur Spiritum sanctum Dominico die in Apostolos descendisse. Resp. etiam hoc argumentum corruere, si cum Nonnullis computus inchoetur à secunda die exclusivè, seu hâc non computatâ. Et saltem sic oportuisse computari eo anno, quo secunda dies azymorum incidebat in sabbatum (uti anno mortis Christi incidebat) censent *Baronius* & *Bellarminus*. Dico tamen Pentecosten Judæorum isto anno incidisse in sabbatum, & Spiritum sanctum descendisse postridie, scilicet die Dominicâ, quâ celebratur Pentecoste Christianorum, quod non computatur à secunda die azymorum, sed à tertia, seu à resurrectione Christi. Et de Pentecoste Christianorum intelligitur illud *Act. 2. Cùm complerentur dies Pentecostes*; quod jam tum à Christianis celebrari cœperat. Vide *A Lapide in cap. 23. Levitici*. Nec mirùm, quòd tunc temporis magna esset multitudo diversarum nationum in Jerusalem: quia Pentecoste Judæorum pridie præcesserat.

Reliqua fundamenta *Maldonati* à nobis, agendo contra Græcorum sententiam, dissoluta sunt.

20. Dico III. Eucharistia est instituta post cœnam legalem seu ceremonialem agni; ut significat *Tridentinum sess. 22. c. 1.* dicens: *Celebrato veteri Pascha novum instituit Pascha. Clem. Vnicâ, de Reliq. & Venerat. Sanctorum.* Idem expressit Ecclesia in hymno: *Post agnum typicum expletis epulis &c.* Et *Augustinus Epist. 118.*

An autem sit instituta sub initium, an verò postquam fuit incepta, an denique sub finem ejusdem cœnæ usualis seu communis (quæ plerumque post cœnam legalem festinanter absolvi solitam fiebat in magnis familiis, quibus unus agnus non sufficiebat explendæ omnium fami) incertum est, & inter Doctores ac Interpretes controversum. Quamvis alicui primâ fronte videri possit dubium ipsius controversiæ suppositum, nimirum quòd Christus præter cœnam legalem adhibuerit alteram usualem: eò quòd agnus anniculus si fuerit integri anni, aut circiter ex toto consumendus facilè sufficisse videatur pro cœna moderata tredecim aut circiter personarum: Et parum, quod fortè defuisset, non appareat postulasse inchoationem novæ cœnæ, sed suppleri potuisset in appendice cœnæ legalis. Dato nihilominus supposito.

Valde verosimile est fuisse institutam sub finem cœnæ usualis: nam hoc in primis indicant verba hymni: *Post agnum typicum expletis epulis*; & verba Lucæ ac Pauli: *Similiter & calicem postquam cœnavit* Christus; intellige, de plena cœna. Deinde *Joan. 13.* Christus dicitur lavisse pedes discipulorum (quos lavit ante institutionem Eucharistiæ) cœnâ factâ, utique usuali; cùm de ea subjungatur: *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua*; cœna autem agni Paschalis fieret stando juxta legem sive ritum Judæorum. Deinde dicitur recubuisse iterum, nempe ad instituendam Eucharistiam. Necdum tamen omnes suam cœnam perfeciisse indicant verba Evangelistæ *Cœnantibus illis*, scilicet Apostolis adhuc aliquid interdum ori ingerentibus; & quòd postea adhuc Christus intinctum panem dedit Judæ. 21. *Sub finem cœnæ usualis.*

Dico IV. Hoc Sacramentum fuit institutum præsente Juda, qui ipsum de manibus Christi accepti. Ita plerique Theologi. Idem docet *Chrysostomus*, *Hieronymus*, *Cyrillus Jerosolymitanus*, *Leo Papa*, *Augustinus Tractatu. 62. in Joannem* & aliis locis, & passim alii Patres apud *Suarez disp. 41. sect. 3.* Immo id evidentissimè enarrari à *Luca* dicit *Augustinus*: nam postquam Evangelista *cap. 22.* narrasset institutionem hujus Sacramenti, subjungit: *Verum tamen manus tradentis me mecum est in mensâ.* Similiter *Marci* 14. dicitur: *Et biberunt ex illo* (calice consecrato) *omnes*, nempe duodecim, de quibus immediatè antè facta erat mentio. Insuper ex *Joan. 13.* colligitur Judam cœnâ usuali factâ interfuisse lotioni pedum, & postquam iterum recubuisset Christus, adhuc adfuisse, cùm accepit buccellam panis, quæ etsi non fuerit Sacramentum Eucharistiæ (ut post *Concilium Bracarense III. can. 1.* docent communiter Doctores) omnino tamen videtur ipsum jam tunc fuisse institutum. Denique idem constat ex hymno Ecclesiæ: *Cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus.* Et ex Sequentia de Venerabili Sacramento: *Turba fratrum duodenæ datum non ambigitur.* 22. *Præsente Judâ: cui illam quoque porrexit.*

Nihilominus *Hilarius can. 30. in Matth.* & quidam alii putant Sacramentum non fuisse datum Judæ, adeòque post hujus discessum fuisse institutum. Quibus non favet illud Christi *Matth. 26. Non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Nam ly *vobiscum* intelligitur indefinitè de iis qui consortes futuri erant prædicti regni. Deinde ad hujus consortium Christus ex sua parte paratus erat etiam Judam admittere. 23. *Quamvis pauci oppositum senserint.* *Quibus non favet Scriptura.*

Non obstat etiam, quòd tempore institutionis ac dispensationis Eucharistiæ Ju-

das videatur fuisse detectus, adeòque excluſus à participatione Sacramenti : cùm inter cœnandum Christus dixerit *Matth.* 26. *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet* ; & Judæ replicanti, *Numquid ego sum Rabbi* ? responderit, *Tu dixisti.* Quæ verba stylo Hebræo sunt affirmantis. Præterea *Joan.* 13. interroganti Joanni, *quis est* ? dixit : *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et* (ut sequitur) *cùm intinxisset panem, dedit Judæ.* Non obstat, inquam ; nam prima verba Christi sunt dicta in communi, q. d. *unus ex duodecim* (eâdem scilicet paropside utentibus) *qui intingit mecum manum in catino*, ut est apud *Marcum c.* 14. Subsequentia verba Christi ad Judam, si non sint abstrahentis, sed asserentis, sunt ei insinuata aliis non audientibus, vel certè non advertentibus, seu non capientibus. Ideoque adhuc Petrus instabat apud Joannem, *Quis est de quo dicit* ? Postea autem Joanni supra pectus Jesu recumbenti & interroganti, *Quis est* ? Christus dedit signum porrectionis intincti panis ; idque secretò, adeò ut cùm Christus dein Judæ diceret, *Quod facis, fac citiùs*, teste ipso Joanne *cap.* 14. *hoc nemo sciverit discumbentium, ad quid dixerit ei*, excepto saltem ipso Joanne. Ut taceam porrectionem intincti panis fuisse posteriorem distributione Eucharistiæ. Judam porro adhuc fuisse tunc peccatorem occultum ; apertè supponit *Eugenius Papa c. Si Sacerdos 2. de Officio Ordinarii*, & Theologi communiter, ex facto Christi deducentes exemplum à Ministris Eucharistiæ circa peccatores occultos servandum. Quamvis alioquin potuisset Christus tamquam absolutus dominus & supremus Judex justissimè privare & plectere Judam. Quod autem *Leo Papa Serm. 3. De Passione* Judam alloquens ait : *Illa saltem te à præcipitio tuo Sacramenta revocasse nt, quæ in Paschali Cœna jam de perfidia tua signo divinæ scientiæ detectus acceperas* ; intellige, detectus apud ipsum Christum per signa divinæ scientiæ, quæ Judas ipse probè adverterat.

Judas tempore institutionis Sacramenti necdùm erat detectus.

Petes an ipse Christus in ultima cœna sumpserit Eucharistiam ? Resp. Aff. Ita enim censent Theologi communiter, & satis apertè indicant multi Patres ; signanter *Chrysostomus Homil.* 83. *in Matth.* dicens : *ipse quoque bibit ex eo, ne auditis verbis illis dicerent ; Quid igitur sanguinem bibimus & carnem comedimus* ? *ac ideo perturbarentur* (Uti antea Capharnaitæ *Joan.* 6.) *Ne igitur tunc id quoque accideret, primus ipse hoc fecit &c.* Et quamvis non sit clarè in Evangelio expressum, favet tamen illud Christi *Lucæ* 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* ; quod plerique Doctores specialiter ad hoc Sacramentum referunt. Item quod *Matth.* 26. dixit Christus : *Non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum &c.* Hoc sensu etiam accipit *D. Thomas q.* 81. *a.* 1. *ad* 1. quòd Christus diciur accepisse panem & calicem, scilicet etiam ore sumendo, sicut postea tradidit aliis accipiendum. Unde ibidem addit hos versus :

24. *Christus ipse suum corpus & sanguinem sumpsit.*

Rex sedet in cœna, turbâ cinctus duodena :
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Non communicavit tamen Christus spiritualiter, quoad perceptionem effectûs gratiæ ; non quidem defectu dignitatis & sanctitatis (sic enim maximè sanctè & spiritualiter communicavit) sed propter gratiæ plenitudinem : adeoque communicavit tantùm sacramentaliter, ut rectè *D. Bonav. d.* 9. *a.* 1. *q.* 4. & reliqui Doctores.

Conguentia hujus facti colligitur ex eo, quòd conferret ad dignitatem hujus Sacramenti, Christimet usus : quodque conveniret ipsum participare de epulis, ad quas ceteros invitabat : quòd denique sicut in veteri lege sacrificans prior participabat de carnibus victimarum, sic Christus participaret de victima incruenti sacrificii primitus à se oblati, aliisque communicati. Atque ita fuit *ipse conviva, & convivium* ; *ipse comedens, & qui comeditur* ; ut ex *Hieronymo ad Hedibiam quæst.* 2. refertur *can. nec Moyses* 87. *de Consecrat. d.* 2.

QUÆSTIO III.

In quo consistat essentia hujus Sacramenti.

AD Eucharistiam varia concurrunt, nempè panis & vinum tamquam materia transiens, verba consecrationis, species consecratæ, Corpus & Sanguis Christi sub speciebus contenta, denique sumptio prædictarum specierum.

DICO I. Panis & vinum non sunt de essentia hujus Sacramenti. Patet : quia positionis hujus Sacramenti destruuntur ; quod autem est de alicujus rei essentia, debet cum illa permanere.

DICO II. Verba consecrationis non sunt de intrinseca essentia hujus Sacramenti. Ita *Scotus, Gabriel, Victoria, Vasquez, Conink* & plurimi alii contra *Lugo* & alios recentiores. Ratio est : quia etsi *Concilium Florentinum sup.* verba consecrationis appellet formam hujus Sacramenti ; non tamen intelligit intrinsecam : cùm eodem modo panem vocet materiam, utique extrinsecam & transeuntem. Unde dicit per illa verba *Confici hoc Sacramentum* : causa autem efficiens seu confectiva rei solet esse extrinseca essentiæ effectûs. Unde etsi sine verbis statueretur Christus sub speciebus (prout olim quidam putarunt factum ab ipso Christo) esset Sacramentum, etsi indigens notificatione ; quâ indiget etiam panis nemine sciente secretò consecratus.

Confirmatur ex *Scoto d.* 8. *q.* 1. *n.* 6. quia verba

Eucharistia sit res permanens, verba transeant successivè.

verba consecrationis sunt successiva ; ergo non possunt esse de intrinseca essentia Eucharistiæ, quæ est Sacramentum permanens, ac integrum, etiam post verba corrupta. Quæ etiam non suscipiuntur, non exponuntur in altari &c. quæ tamen tribuuntur & competunt huic Sacramento tòti.

Neque Moralis permanentia sit magis in illis, quàm in causis naturalibus.

86. Neque dici potest verba consecrationis manere moraliter, sicut offensa aut consensus non retractatus : illa enim moralis permanentia tantùm habet locum in causis & effectibus liberis dependentibus à voluntate, quæ effectus morales causat, quando & quot placent : idcòque consensus semel datus censetur interpretativè permanere, quousque non revocatur à voluntate. Aliud est de forma consecrationis, quæ instar causæ necessariæ, tunc quando profertur, ponit effectum ampliùs non dependentem à potestate consecrantis, qui semel factam nequit retractare, ac proinde non habet esse morale permanens. Verba igitur consecrationis

Prærequiritur tamen.

sunt quid necessariò prærequisitum juxta ordinatam legem ad hoc, ut species panis & vini destructâ substantiâ præexistente contineant Corpus & Sanguinem Christi. Quemadmodum etiam prærequiritur Sacerdotium seu Sacramentum Ordinis ; quod tamen

Ordo & Sacerdotium, quod tamen non est pars essentialis Eucharistiæ.

non est ob hoc de essentia intrinseca Sacramenti Eucharistiæ. Quàmvis quæstio hæc videri possit non parum habere de modo loquendi ; & oppositum loquendi modum inter *Scotistas* præferat *Poncius d. 44. q. 1.*

Species consecratæ quatenus constituit in Sacramento, quatenus est signum gratiæ subsistentis.

27. Dico III. Species consecratæ sunt aliquo sensu essentia adæquata hujus Sacramenti, quatenus illud est signum gratuiti Dei effectûs, scilicet Corporis & Sanguinis Christi, sive gratiæ substantialis, ac velut subsistentis. Ita *Scotus d. 8. qu. 1. nu. 7.* & plures alii.

Probatur : quia ad essentiam Sacramenti sic spectati non pertinent ipsum Corpus & Sanguis Christi ; cùm hæc ipsa sint significatum, adeòque non sint ipsum signum aut Sacramentum : nihil autem aliud potest assignari, quod esset de essentia. Confirmatur : quia Corpus & Sanguis Christi sunt res seu significatum Sacramenti, scilicet specierum panis & vini, ut tradit *Innocentius III. c. Cùm Marthæ, de Celebrat. Missar.* Ipsæ igitur species solæ sunt signum seu Sacramentum Eucharistiæ spectando illud prout in præsenti Conclusione. Consonant quoque auctoritates dicentes Corpus Christi contineri in hoc Sacramento, scilicet ratione specierum sacramentalium. Et c. *Ego Berengarius 42. de Consecr. d. 2.* declaratur *panem & vinum*, id est species, *post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem esse.* Usi patenter solis speciebus hoc nomen tribuitur.

Quatenus signum gratiæ sanctificantis, partim in Speciebus.

28. Dico IV. Species consecratæ sunt de essentia Sacramenti Eucharistiæ, quatenus est signum efficax gratiæ, ac insuper ipsum Corpus & Sanguis Christi. Ita communiùs Doctores. Prima pars patet : quia Sacramentum essentialiter est signum sensibile ; seclusis autem speciebus, Eucharistia non est sensibilis. Deinde juxta præsentem Dei ordinationem, Corpus & Sanguis Christi seclusis speciebus non causarent gratiam ; cùm hanc non soli Corpori & Sanguini, sed simul cum speciebus Christus annexuerit ; quam proinde vi præsentis ordinationis non reciperet, qui Corpus vel Sanguinem Christi miraculosè sumeret sine speciebus. Denique c. *Cùm Marthæ* citato species dicuntur *Sacramentum geminæ rei*, scilicet *Carnis & Sanguinis*, nec non *unitatis & charitatis*, seu gratiæ ; quam proinde species quoque causant.

Partim in ipso Corpore & Sanguine Christi.

29. Secunda pars probatur : quia etsi Corpus & Sanguis Christi sint res significata per species consecratas, tamen insuper sub iisdem speciebus significant practicè, & quidem principaliori quâdam ratione refectionem spiritualem sive gratiam, quam species solæ non significarent aut causarent, sed tantùm simul cum Corpore & Sanguine Christi ; quatenus cum illis per modum unius constituunt unum convivium sensibile, significans spiritualem animæ refectionem. Unde non refert, quòd Corpus & Sanguis Christi non sint in Sacramento sensibilia per se ; satis enim fiunt sensibilia per species, sicut contritio in Sacramento Pœnitentiæ, & consensus internus in matrimonio fiunt sensibiles per actus externos.

Species sunt Sacramentum tàtùm, Corpus & Sanguis sunt Sacramentum & res ; gratia denique, res, & non Sacramentum.

30. Idem confirmat usitatus *Magistri dist. 8.* & Theologorum loquendi modus, approbatus ab *Innocentio III. cap. Cùm Marthæ, de Celebrat. Missar.* videlicet quòd tria sunt in hoc Sacramento distinguenda, unum quod est tantùm Sacramentum, alterum quod est Sacramentum & res, tertium quod est res & non Sacramentum : Sacramentum & non res, est species visibilis panis & vini, Sacramentum & res Caro Christi res & non Sacramentum, virtus sive effectus illius, nempe charitas seu gratia. Ubi Corpus seu Caro Christi clarè dicitur esse Sacramentum, nempe respectu gratiæ seu spiritualis unionis cum Christo.

An Eucharistia nomen connotet in recto ipsas species.

31. Dubitatur autem, an Eucharistia in recto involvat ipsum Corpus & Sanguinem Christi, an verò solùm in obliquo, species autem consecratas in recto ? Et quidem si de re ipsa ageretur, jam constaret Eucharistiam quodam sensu esse aggregatum ex utroque, cui proinde aggregato rectè nomen Eucharistiæ posset tribui, si usus id haberet. Consulendo tamen consuetum loquendi, etiam Conciliorum, & apprehendendi modum, nomen istud in recto videtur potiùs tribuendum ipsis speciebus, in obliquo autem ipsi contento Corpori & Sanguini : quamquàm & hoc bono sensu vocari posset Sacramentum (uti vo-

cat *Innocentius III. cap. Cùm Marthæ*) quatenus verè dicitur & est signum gratiæ sanctificantis. Non solet tamen ita Corpus & Sanguis vocari in recto Sacramentum Eucharistiæ, utì solent species, sed in obliquo, scilicet Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi. Nam quemadmodum composita per accidens etsi includant intrinsecè subjectum & formam, v. g. album subjectum & ipsam albedinem, tamen in recto connotant solum subjectum: sic Sacramentum Eucharistiæ congruè connotat species consecratas, seu symbola sensibilia. Quare *Trid. sess. 13. c. 1.* profitetur *in Eucharistiæ Sacramento Christum*, sive ejus *Corpus & Sanguinem* (ut loquitur *can. 1.*) *contineri*: ipsum igitur Corpus & Sanguis non dicuntur in recto Sacramentum Eucharistiæ, sed species, sub quibus continentur. Dicitur etiam Sacramentum Eucharistiæ frangi; id est ipsæ species. Dicitur in illo Corpus Christi esse præsens; non est autem corpus præsens in seipso. Est etiam essentialiter & in recto signum sensibile, adeoque in recto non importat solum Corpus aut Sanguinem (ut vult *Lugo*) sed saltem ipsas species. Quod verò *Aug. Epist. 23. ante finem* ait: *Sacramentum Corporis Christi secundùm quemdam modum Corpus Christi est &c.* id est, juxta modum metaphoricum, quo continens sumitur pro contento.

32. *Sumptio non est de essentia Sacramenti Eucharistiæ.*

Dico V. Sumptio non est de intrinseca essentia Sacramenti Eucharistiæ: nam hoc antecedenter ad sumptionem est completum, etiam dum in sacrario asservatur. Confirmatur: quia Eucharistia est æquè causativa gratiæ, sive sumatur, sive non; sicut ignis æquè est calefactivus, sive alicui applicetur, sive non. Confirmatur II. quia sumptio non est id quod nutrit, sed tantùm applicatio rei nutritivæ, & conditio, ut Sacramentum operetur: sicut approximatio ignis ad comburendum. Neque exercetur ab eodem ministro, à quo conficitur Eucharistia, sed à suscipiente. Denique Eucharistia est id quod manducatur & bibitur, est spiritualis cibus & potus: quæ non verificantur de ipsa sumptione, sed ante sumptionem de re ipsa permanente. Estque hæc sententia communis Doctorum.

33. *Est ipsum permanenter, & in eo Christus, etiam ante usum.*

Multò minùs consistit Eucharistia omnino vel principaliter in actuali sumptione seu usu, quasi ante usum non sit permanenter in eo Christus, ut voluit *Lutherus* cum suis sequacibus: cùm id planè repugnet perpetuæ traditioni Ecclesiæ & sensui Fidelium, ac doctrinæ Patrum, definitionibusque Conciliorum, signanter *Tridentini sess. 13. cap. 3.* id probantis: *Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod præbebat.* Quare idem error repugnat veritati verborum consecrationis, quæ Evangelistæ referunt. Eumdemque reprobat etiam *Tridentinum sup. can. 4.*

Ex dictis definiri potest Sacramentum Eucharistiæ hoc modo: *Est Sacramentum sub speciebus panis & vini consecratis continens & significans Christum ut spiritualem animæ refectionem.* Vel (*ut Scotus d. 8. q. 1. n. 2.*) *est Sacramentum Corporis Christi & Sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis & vini post consecrationem factam à Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis ex institutione divina veraciter significans Corpus Christi & Sanguinem sub eis realiter contineri.*

Dico VI. Sacramentum Eucharistiæ ut complectitur species panis & vini, est simpliciter dicendum unum Sacramentum. Ita communiter Doctores. Estque conforme *Tridentino* & Patribus agentibus de Eucharistia tamquam de uno Sacramento. Ratio est: quia species panis & vini sunt institutæ per modum cibi & potûs, adeoque invicem subordinantur ad significandam perfectam refectionem seu unum convivium spirituale; quod ut completum sit, cibo & potu constare debet. Quare est unicum Sacramentum specie totali & in ratione unici convivii completi seu integri. Sicut unum specie, immo numero convivium integratur ex diversis specie ferculis, quorum singula sunt verus cibus. Et sicut domus specie, immo numero una habet varia specie distincta, quæ illam integrant. Similiter ergo completum & specie totali unum Eucharistiæ Sacramentum integratur ex partibus specie distinctis, scilicet speciebus panis & vini: quæ (ut loquitur *Scotus de 8. q. 1. in fine*) *sunt Sacramentum unum unitate integritatis, non unitate indivisibilitatis.*

Unde nihilominùs species panis sunt seorsim verum, idque partiali specie diversum Sacramentum à speciebus vini; nam sunt species heterogeneæ; & quidem ex vi verborum præcisè species panis Corpus Christi, species autem vini Sanguinem significant aut continent. Deinde singulæ seorsim sumptæ causant gratiam, & quidem diverso significandi modo: ergo sunt speciali specie diversa Sacramenta, seu signa practica gratiæ. Unde *Trid. sess. 21. c. 3.* docet sub qualibet specie seorsim verum Sacramentum sumi. Et hoc sensu quotidiè in Missa dicitur: *Quem pura & sancta refecerunt Sacramenta.* Et alibi subinde Eucharistia in plurali appellatur Sacramenta.

Hinc sequitur à fidelibus laicis sumi quidem sub una specie Sacramentum essentialiter integrum, quatenus species panis consecratæ habent totam essentiam veri alicujus Sacramenti, utì & species vini; cùm seorsim significent & causent gratiam. Cum hoc tamen conflict, quòd singulæ species insuper sint partialiter componentes ac integrantes unum Sacramentum in ratione convivii seu refectionis spiritualis completæ.

Unde

Ex integrum Christum, etsi non integrum consumant.

Unde eatenus non sumunt laici fideles Sacramentum Eucharistiæ integrum; etsi reipsâ sumant Christum integrum sub singulis speciebus contentum, & juxta plurimos Doctores (de quo tamen infrà) non minorem participent gratiam, quàm si sub utraque specie communicarent.

38. In pluribus hostiis quo pacto sit Sacramentum unum vel multiplex.

Petes an hoc Sacramentum in pluribus hostiis seu formulis sit numero multiplex? Resp. bono sensu posse dici unicum; tum ratione unius seu ejusdem objecti per species significati seu ibi illis contenti: tum quia præcipua seu nobilissima pars essentialis ubivis est eadem, nempe Corpus & Sanguis Christi. Immo unicum dici debet ab iis, qui docent Sacramentum Eucharistiæ in recto tantùm dicere Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus: cùm enim sic non multiplicaretur illud quod nomen Eucharistiæ in recto importat, consequenter non multiplicaretur Sacramentum seu nomen illius; adeoque non forent in pluribus hostiis dicenda esse plura numero Sacramenta seu plures Eucharistiæ. Quamvis quod rem spectat, verè sint plura numero symbola sensibilia, & consequenter plura aggregata (ad quorum pluralitatem seu distinctionem sufficit alicujus essentialiter inclusi diversitas) quibûs convenit essentialis ratio Eucharistiæ.

Inhærendo tamen sententiæ asserenti, quòd Eucharistia non solùm adæquatè involvat species consecratas, aut certè illas simul cum Corpore & Sanguine Christi, sed etiam easdem in recto connotet, dicendum est in rigore multiplicari numero hoc Sacramentum propter multiplicationem hostiarum, non solùm quoad rem (multiplicatâ enim totâ essentiâ aut parte essentiali multiplicatur ipsum totum) sed etiam quoad denominationem, ut sint dicendæ plures Eucharistiæ, uti sunt plures hostiæ seu species, quas in recto denominat. Dum equidem plures hostiæ per modum unius sumuntur simul, sicut tunc in actu secundo coalescunt in unum convivium sive ferculum, & in unam significationem ejusdem gratiæ, ita etiam in unum Sacramentum: sicut diversæ partes hæderæ sunt diversa signa in actu primo sufficientia ad significandum; & tamen in unum fasciculum collectæ, & sic appensæ, sunt tantùm simul unicum signum. Idem moraliter loquendo dici posset de pluribus hostiis in eodem ciborio contentis; sicut dum homogenii cibi in eadem lance exhibentur & ab eodem sumuntur, dicuntur unus cibus. Sed hoc totum pertinet ad modum loquendi quodammodo arbitrarium.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Materia & Forma Eucharistiæ.

QUÆSTIO I.

Quæ sit Materia, & qualiter præsens esse debeat?

1. Materia ex qua Eucharistiæ.

DICO I. Materia ex qua Eucharistiæ est panis & vinum. Est de fide ex *Florentino in Decreto de Armenis.* Patet etiam ex *Matth.* 26. *Marci* 14. *Lucæ* 22. ubi Christus in institutione hujus Sacramenti dicitur accepisse panem &c. & post consecrationem calicis dixisse refertur: *Non bibam de hoc genimine vitis*: seu (ut *Lucas* habet) *generatione vitis*; quo indicatur fuisse vinum in calice. Et quamquam hæc veritas non posset ex Evangelio probari; tamen satis indubitata redditur ex traditione & unanimi consensu Ecclesiæ, adeò ut hoc tempore nequidem Hæretici eam negent.

Congruentiæ sunt. Prima, quòd panis & vinum sint aptissima ad significandum spirituale convivium; utpote cibus & potus hominis maximè naturalis, & in conviviis adhiberi solitus. Secunda, quia optimè significant hujus Sacramenti effectus: nam sicut ex multis granis unus panis conficitur, & ex multis uvis vinum confluit; ita per hoc Sacramentum, multi fideles, tum inter se, tum cum suo capite Christo perfectissimè uniuntur. Tertia: quia sicut panis confortat, & vinum recreat; sic Christus (ut pulcherrimè cecinit *D. Thomas*) *dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & tristibus sanguinis poculum.*

2. *Materia consecranda qui debeat esse præsens.*

DICO II. Panis & vinum ut possint consecrari, debent sic esse præsentia consecranti, ut per pronomen *hic*, & *hoc* in forma positum verè & propriè designentur. Ita omnes Theologi. Ratio est: quòd formæ Sacramentorum debeant esse veræ in proprio & communi sensu; qualiter vera non esset forma consecrationis, nisi materia tali modo esset præsens: cùm enuntiatio continens pronomen demonstrativum *hic*, vel *hoc*, designet rem præsentem, adeoque ad veritatem requirat præsentiam illius. Confirmatur: quia alioquin posset quis consecrare panem absentem, v. g. in alia urbe, immo in quovis loco positum; quod est absurdum.

3. *Pronomina hic, hæc*

Adverte pronomina *hic*, *hæc*, *hoc* diversimodè sumi. Primò à Dialecticis subinde ad significandum, quòd nomen cui præ-

hoc quadrupliciter sumi posset.

ponuntur, accipiatur pro re singulari, ubicumque illa sit. Secundò frequenter ad designandam vocem sive significatum vocis ultimò in oratione designatum. Tertiò ad signandam rem aliquam, præsentem quidem aliquatenus, sed adeò imperfectè, ut opus sit adhibere adhuc aliud signum, v. g. extensionem digiti. Quartò ad designandam rem tam propinquè & perfectè præsentem, ut non sit opus signo ulteriori. Cùm verò per formam consecrationis significetur res propriè & verè præsens, idque præcisè absque alio signo (cùm nullum tale ultra formam Christus instituerit) idcirco debet materia consecranda esse verè & propriè præsens. Sicut autem in aliis moralibus difficile est terminum in indivisibili assignare, sic etiam difficilè est assignare vicinitatem quæ precisè requiritur, & distantiam quæ admittitur circa præsentiam rei consecrandæ. Communis regula est, requiri & sufficere, quòd res consecranda sit adeò vicina, ut morali hominum judicio censeatur præsens, & tamquam talis per pronomen *hic*, vel *hoc* demonstrari. Debet autem ob reverentiam Sacramenti summopere caveri omne dubium de sufficientia præsentiæ: quod fiet, si regulæ Ecclesiasticæ ususque communis observentur.

Quartus accipiendi modus est ad sensum præsentis loci.

Regula Communis.

4. *Materia consecrata non debet actu percipi per sensum.*

Ex his sequitur I. non esse necessarium, ut panis & vinum actu videantur, vel manu aliove sensu percipiantur, vel verba eò usquè perringant: quia hæc sunt impertinentia, ut materia sit moraliter præsens & demonstretur. Immo in pixide clausâ possent hostiæ consecrari, juxta Doctores communiter: etsi ex præscripto Missalis debeat discooperiri ad clariorem significationem. Sunt enim moraliter satis præsentes ratione sui ordinarii continentis, in quo sensibiliter à sacerdote, vel eo conscio à ministro sunt priùs præparatæ, & loco congruo positæ cum intentione eas consecrandi. Quemadmodum etiam in cumulo hostiarum inferiores sunt satis præsentes ratione superiorum. Quare ob moralem certitudinem juxta Doctores non est facienda reconsecratio, si per oblivionem pixis sub consecratione clausa manserit. Quod etiam in facti contingentiâ interdum resolvi. Quàmvis *Marchant Tom. 2. Tract 2. p. 2. Tit. 4. q. 2. §. 2. dub. 2.* nolit sic spontè facientes excusare à mortali, non ob Rubricæ transgressionem, sed ob negligentiam omnimodæ certitudinis moralis præsentiæ & intentionis ut ad illas hostias terminatæ. De neutro tamen subest ratio moralis dubii. Aliàs sanè necessaria foret conditionata reconsecratio.

Hostia consecrari possunt in pixide clausâ.

5. *Materia nimis remota aut latens post parietem non po-*

Sequitur II. non valere consecrationem, si panis & vinum sint valde remota à consecrante, aut lateant post parietem; immo juxta Varios etiamsi sub mappa altaris. Idem est de pane post tergum celebrantis posito, nisi sibi à consecrante tangeretur, vel tangi posset. Quorum ratio est, quòd morali judicio materia non censeatur præsens, nec demonstrari per pronomen *hic* vel *hoc*. Aliud est, si plures hostiæ consecrentur in uno cumulo: etsi enim inferiores lateant sub superioribus, censentur tamen satis præsentes per superiores ratione interiorum magis elevatas.

Sequitur III. si primâ voce *hoc* inchoatâ super hostia principali apponantur aliæ ante finem formæ, eas minimè consecrari: respectu earum enim pronomen *hoc* non potest verificari. Idem est, si ante finem formæ quædam hostiæ subducantur: nam pronomen *hoc* dicit ordinem ad verba sequentia, & requirit, ut materia sit præsens, quamdiu formâ durat.

Sequitur IV. si materia sit adeo magna, ut non possit tota esse præsens ad hoc ut demonstretur ad sensum, non posse illam consecrari pro ea parte, quâ deficit ista præsentia & demonstrabilitas, v. g. totum mare, aut lacum longè protensum, si in vinum converteretur: nam tam vastum corpus non censetur totum præsens ad sensum, ob præsentiam alicujus suæ partis. Alioquin juxta Doctores communiter contra Nonnullos antiquiores sola magnitudo nimia per se non officit consecrabilitati: cùm supponatur esse v. g. panis sufficienter præsens, ut simpliciter demonstretur ad sensum per ly *hoc*, sicque verificetur forma; & aliundè constet, quod sit materia consecrationis, ut patet ex generali definitione Conciliorum. Potestas etiam consecrandi à Christo est indefinitè concessa; neque ex aliquo solido fundamento potest conjici, esse quoad hoc restrictam.

Nec obstat, quòd inconveniens sit consecrare quamvis vastam materiam, nec accommodatam fini institutionis, scilicet usui Sacramentali hominum. Nam non omne inconveniens invalidat consecrationem. Quid si enim malevolus quotidiè circumeat officinas omnes, & consecret omnem panem successivè? numquid erit idem inconveniens? Itaque per repetitas consecrationes mediocrium materiarum poterit incurri idem inconveniens. Sufficit, quod inhibeat Christus ne ista fiant: sicut inhibet, ne quis ad finem magiæ hostiam consecret, vel ad eam conculcandam & comburendam; & tamen factum valeret, etsi non accommodum sit fini institutionis.

Similiter consecrari potest quævis parva quantitas, dummodo sit sensibilis juxta Doctores communiter. Si autem ob suam parvitatem esset naturaliter insensibilis, adhuc posset consecrari, si visus consecrantis supernaturaliter elevetur ad illam videndum. Idem est, si fiat sensibilis conjuncta aliis quasi in cumulo.

Si tamen foret aliqua adeò exilis, ut non posset

posset sub sensum cadere, adeoque nec ad sensum demonstrari, consequenter consecrari non posset, nisi per aliquid sibi adjunctum fiat sensibilis ac demonstrabilis; ut censent plerique Doctores.

Nec obstat, quòd si talis particula post consecrationem separaretur, maneret consecrata; adeoque videatur etiam posse separatim consecrari, cùm Sacramentum semper debeat esse signum sensibile. Nam ad rationem Sacramenti sufficere videtur, quòd aliquid sit per se sensibile, quàmvis per accidens sensu percipi non valeat: ad consecrationem autem requiritur, quòd ita sit sensibile, ut actu possit demonstrari; ad quod necessaria est præsentia sensibilis.

QUÆSTIO II.

An panis debeat esse triticeus?

NOTA panem latè sumptum ex triplici rerum genere posse confici. Primò ex fructibus arborum, ut castaneis, amigdalis &c. Secundò ex leguminibus, ut fabis, pisis &c. Tertiò ex granis, quæ generali nomine frumenta dicuntur, & sunt illa quæ culmos & aristas proferunt, ut triticum, spelta, secale seu siligo, avena, hordeum, panicum &c. Est autem planè extra controversiam, panem ex quibusvis fructibus vel leguminibus confectum non esse materiam aptam consecrationi. Sed quæstio est ex quo genere frumenti debeat hoc Sacramentum confici?

Resp. & Dico solus panis triticeus est materia sufficiens hujus Sacramenti. Ita communiter Theologi contra *Gabrielem* existimantem sufficere panem ex quovis genere frumenti confectum: & contra *Cajetanum qu.* 74. *art.* 3. existimantem posse hoc Sacramentum confici ex quovis frumento, ex quo fit panis, qui absolutè & sine additamento hic vocatur: quod tamen (teste *Suarez disp.* 44. *sect.* 1.) in Romana impressione operum *D. Thomæ* est expunctum.

Conclusio satis apertè probatur ex *Florentino sup.* dicente: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.*

Nec satisfacit, qui respondet Concilium panem triticeum vocare materiam, eò quòd sit præcipua & convenientissima materia: nam clarè loquitur de materia essentiali. Quod vel inde patet, quòd simili planè modo loquatur de vino ex vite; quod cùm sit omnino essentiale, erit similiter panis triticeus. Deinde eodem modo dici posset, aquam naturalem non esse materiam essentialem Baptismi, sed tantùm magis congruam. Denique aliter loquitur Concilium de aqua miscenda, eò quòd nimirum non sit materia essentialis.

Quocirca censendum est, vetera Concilia & Pontifices ac Patres, cùm dixerunt, materiam esse panem ex frumento confectum, frumenti nomine intellexisse triticum; quod inter frumenta est potissimum, & pro quo non rarò stat simpliciter nomen frumenti, etiam in Scriptura *Gen.* 42. & 44. *Jeremiæ* 41. (ubi frumentum contra hordeum distinguitur) & alibi. Et specialiter in locis, quibus hoc Sacramentum fuit adumbratum sub nomine frumenti, passim intelligitur triticum, *Psal.* 80. *Cibavit eos ex adipe frumenti.* Et *Zachariæ* 9. *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum?* ubi *Hieronymus: Frumentum* (inquit) *electorum nos intelligimus Dominum Salvatorem, qui loquitur in Evangelio, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit &c. De hoc tritico efficitur ille panis, qui de cælo descendit.* Itaque aliæ etiam auctoritates agunt de eo genere frumenti, ex quo hoc Sacramentum in Ecclesia confici solet: in qua nullus umquam fuit usus alterius frumenti quàm tritici, aut alterius panis quàm triticei. Ut meritò dicatur in *Catechismo Romano cap. de Eucharist.* §. 12. *Nullus panis, nisi triticeus, apta ad Sacramentum materia putandus est: hoc enim Apostolica traditio nos docuit, & Ecclesiæ Catholicæ auctoritas firmavit.* Quam proinde traditionem *Florentinum supra* clariùs declarasse putandum est.

Ratio congruentiæ est, quòd solus panis triticeus sit communiter usualis; alterius enim usus solùm est propter defectum tritici. Deinde idem est aptissimus ad hominem roborandum & consequenter ad significandum robur quod homini per Eucharistiam confertur.

Sed valde dissentiunt Doctores, quænam genera frumentorum sint verè triticum. Nam siliginem, far, & speltam multi putant essentialiter esse triticum (de hordeo, avenâ, milio & similibus granis communiter omnes negant) & panem inde confectum esse materiam hujus Sacramenti: alii plures negant. Quæstio præcipuè fortè oritur inde, quòd prædicta nomina ubique non idem significent, nec prædicta frumenta eodem modo in omnibus regionibus nascantur. Quidquid sit, tamquam certum tenendum est, ex illo solo frumento confici certam hujus Sacramenti materiam, quod in quavis regione à peritis certò judicatur esse triticum: omnem autem aliam materiam esse vel absolutè insufficientem, vel saltem dubiam. Quod satis est, ut quilibet ab ea sub gravi peccato teneatur abstinere: cùm vix possit occurrere tanta necessitas, quæ usum materiæ dubiæ excuset ab irreverentia.

Alioquin satis probabile est speculativè loquendo siliginem, prout nunc communiter sumitur, pro frumento quodam minùs præstanti, quàm sit triticum, esse verè triticum, differens tantùm accidentibus ab alio

ob

11. *De eadem materia intelligenda sunt dicta Veterum.*

Ut proinde hæc sit traditio Apostolica.

Congruentia ejusdem materiæ.

12. *De quibusdam generibus frumentorum, an sint substantialiter triticum, controvertitur.*

Quid servandum in praxi.

13. *Quid speculativè videatur de siligine & spelta.*

ob soli siccitatem seu sterilitatem, ob quam etiam usitatum triticum degenerat in siliginem. Quare hanc esse materiam aptam consecrationis censet *D. Thomas* & plures alii. Idem probabile videtur *Henriquez, Estio, Soto, Præposito* & aliis contra *D. Thomam, Vasquez* & alios, de spelta, quæ videtur naturam tritici participare, & odore, sapore, ac efficaciâ parum à tritico differre. Idem est de farre juxta eosdem Auctores. Immo (inquit *Præpositus qu. 74. art. 3. n. 23.*) nisi Auctores Sententiæ alterius (pro qua refertur *D. Th. Vasquez* & alii) aliter illud nomen sumant quàm communiter sumatur, non videtur posse subesse ulla dubitatio: cùm far sit delicatissima species tritici. Quare crediderim esse diversitatem in significatione nominis: far enim sumitur etiam pro spelta; quæ est materia dubia.

Quid de farre.

14. *Non sufficit farina tricea,*

Notandum hîc, non sufficere ad materiam hujus Sacramenti, quòd sit farina triticea, sed insuper debere sic esse coctam, ut sit verus & propriè dictus panis: cùm Scriptura & Concilia loquantur de pane simpliciter; quod indubiè de propriè dicto pane est intelligendum.

Sed debet sic coqui, ut inde fiat panis usualis.

Hinc sequitur I. massam farinæ subactam aquæ, sed nondum coctam, aut etiam elixam, aut frixam in sartagine, non esse aptam materiam, sed debere esse coctam igni per modum assationis, in furno, sub cinere, ferro calido, aut simili modo: alioquin non erit verus & propriè dictus ac usualis panis secundùm moralem æstimationem; esto fortasse specie physicâ ab eo non differat.

15. *Debet quoque esse subacta, non melle, aquâ rosaceâ &c. sed naturali aquâ.*

Sequitur II. panem debere confici ex aqua naturali & farinâ; alioquin non dicetur propriè usualis panis, sed potiùs pasta vel cum addito, panis dulciarius. Hinc juxta Theologos passim non valebit, si farina sit subacta butyro, lacte, saccaro, melle, aquâ rosaceâ, dum videlicet in notabili quantitate adhibentur. Si autem aliquid ex prædictis misceatur aquæ naturali in modica quantitate, sicut in morali æstimatione manet usualis & verus panis, sic validè consecratur. Prout etiam satis probabiliter manet confectus cum lacte. Quod est valde frequens apud pistores. Nec panis sic confectus censetur placenta, sed usitatus panis.

Quid censendum de amylo.

Peculiaris est difficultas de Amylo, quod fit expressione medullæ ex tritico madido, quæ postea exsiccata vertitur in farinam ex quâ fit panis: qui tamen non censetur usualis, ideoque communiter Doctores contra Nonnullos existimant non esse materiam aptam consecrationis: quidquid sit de identitate specifica seu mutatione substantiali; quæ non solùm hîc attendenda est, sed etiam quid sit in ordine ad moralem æstimationem hujusmodi panis. Quoad praxim verò, etsi panes hoc vel aliquo alio modo ex præmissis probabiliter valerent, tenenda est via securior citra necessitatem ob reverentiam tanti Sacramenti, ac ritum Ecclesiæ.

QUÆSTIO III.

An panis debeat esse azymus, an fermentatus?

DICO I. Ad validam hujus Sacramenti confectionem perinde est, sive panis sit azymus sive fermentatus. Ita Theologi communiter, & definivit *Florentinum in Literis Vnionis* dicens: *Definimus in azymo, sive in fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem.* Ratio est: quia uterque verè & propriè est & dicitur panis, & in Scriptura ita absolutè vocatur; ut de azymo patet *Lucæ 24* ubi Christus in castello Emmaus dicitur simpliciter panem accepisse in manibus; qui tamen panis fuit azymus, cùm illo die (qui unus erat ex diebus azymorum) nullus posset esse panis fermentatus in mensis aut domibus Judæorum. Idem patet in pane, quo Christus ad consecrandum usus est. De fermentato nulla est ratio dubitandi: cùm is sit maximè usualis & propriè panis.

Conclusio hæc fuit extra controversiam in tota Ecclesia usque ad annum 1053. Circa quem *Michael Cerularius* Patriarcha Constantinopolitanus incepit Latinos vocare *Azymitas*, & Latinam atque Apostolicam Ecclesiam palam damnare, eò quòd in illa panis azymus consecraretur. Ut patet ex *Leone VIII.* vulgò *IX. Epist. 1. ad eumdem Michaelem c. 5.* Quem Græci Schismatici secuti consecrationem in azymo irritam docuerunt.

Fundant se I. in facto Christi, quem in fermentato consecrasse putant: sed contrarium patet ex *disp. præc. q. 2.* ubi ostendimus hoc Sacramentum à Christo institutum esse ad finem Lunæ decimæ quartæ; à quo tempore usque ad vigesimam primam ejusdem mensis ex gravissimo Legis præcepto, nullus panis fermentatus permittebatur in mensis aut domibus Judæorum: ut patet *Exodi 12.* & alibi. Unde potiùs constat Christum non in fermentato, sed in azymo consecrasse; ut rectè probat *Leo IX.* in alia Epistola (quæ est in ordine sexta apud *Binium*) ad præfatum *Michaelem.* Et quàmvis Christus in fermentato consecrasset, non idcirco azymus invalidè consecraretur: quemadmodum secundùm nos etiam validè fit consecratio in fermentato, etsi Christus eam secundùm nos fecerit in azymo: & quemadmodum validè consecraretur vinum album, etsi Christus consecrasset in rubro.

Fundant se II. in eo, quod putent solum panem

lum panem fermentatum dici propriè panem, tum quia eo solo communiter utimur, tum quia ἄρτος (quod est panis) derivatur à Græco αἴρω id est, tollo, quòd fermento attollatur; quod in azymo non habet locum. Verùm quòd azymus propriè dicatur panis, & sit usitatus, præsertim Judæis, patet ex prædictis. Deductio autem ista etymologica nihil probat; cùm significatio vocis sæpè sit strictior aut latior sua etymologiâ. Habet tamen etiam locum in pane azymo, non quasi fermento attollatur, sed quia hominem nutriendo habet vim eum attollendi ad justam staturam.

Dico II. Quilibet sacerdos in consecrando sive azymo sive fermentato tenetur se conformare consuetudini suę Ecclesię. Patet ex verbis *Concilii Florentini suprà* relatis: quanvis ante *Florentinum*, consuetudine Græcorum necdum satìs, saltem patenter, approbatâ, *Scotus d.* 11. *q.* 6. *n.* 6. dubitanter dixerit: *Fortè graviter peccant Græci, qui se non conformant Ecclesiæ Petri.* Deinde peccatum reducit magìs in contumaciam Græcorum, & contemptum Ecclesiæ Latinæ, quàm in ipsum ritum. Vide *Commentarium* ad locum *Scoti* citatum *n.* 26. Fundamentum itaque hujus obligationis est jus consuetudinarium seu ritus cujusque Ecclesiæ: jussioque accedens *Concilii Florentini*. Cui adde constitutionem *Pii V.* quæ incipit, *Providentia* 12. *in Bullario Cherubinorum.*

Ex quo patet Græcos non esse schismaticos, eò quòd in fermentato consecrent, sed quia Latinos in azymo consecrantes damnant. Quàmvis autem consuetudo Græcorum suis non careat congruentiis, tum quia panis fermentatus est communior & usitatior, tum quia fermentum aptè significat unionem divinitatis cum humanitate: præstat tamen consuetudo Latinorum, tum quia conformis facto Christi, tum quia panis azymus est purior, adeoque aptior ad significandum Christum sine virili semine conceptum, ac puritatem conscientiæ, quam hoc Sacramentum requirit & promovet; cùm fermentum frequenter designet è contrà corruptionem seu malitiam, ut ex variis Scripturæ locis patet. Unde Apostolus 1. *ad Cor.* 5. *Epulemur non in fermento veteri &c. sed in azymis sinceritatis & veritatis.*

Tam graviter porrò hæc consuetudo obligat, ut ex communi sensu Doctorum non excuset necessitas Viatici ad celebrandum in fermentato apud Latinos. Quàmvis oppositum *Tannerus* & quidam alii probabile censeant: sicut id Varii censent de celebratione non jejuni; quæ tamen repugnat præcepto universali, etiam Græcos obliganti. Et quia inconveniens istud videri posset minus, quàm carentia Viatici. Præsertim cùm Græcis hìc peregrinantibus id liceat: immo in templo eorumdem Romæ coram omnibus id fiat, fierique præcipiatur. Nolim tamen refragari communi sententiæ.

Dico III. Latinus Sacerdos iter faciens per Græciam, & Græcus iter faciens per terras Latinorum, possunt servare ritum suæ Ecclesiæ in celebrando: sic enim habet consuetudo recepta, etiam Romæ, sciente & probante Pontifice. Quare per mutuum Ecclesiarum consensum non videtur hìc habere locum communior doctrina de obligatione peregrinorum ad leges locorum. Videri potest *Epistola* 1. *Leonis IX. citata c.* 29.

Immo *Vasquez*, *Aversa* & alii existimant quemlibet sacerdotem ad hoc esse obligatum: adeoque Græcum peregrinantem in Ecclesia Latina obligari ad consecrandum in fermentato: eò quòd videatur magìs consonum Constitutioni *Leonis IX. suprà*: quòdque *Florentinum suprà* præcipiat, ut sacerdos servet consuetudinem suæ Ecclesię, & *Pius V. Constit.* quæ incipit *Providentia* 12. in *Bullario Cherubinorum*, prohibeat, ne quis ullo prætextu contra morem suæ Ecclesiæ celebret.

Contrarium tamen docent communiùs Doctores, etiam recentiores, nempe Latinũ peregrinum in Græcia posse consecrare in fermentato, & simili ratione Græcum in azymo: idque ex doctrina *Ambrosii & Augustini* (quæ refertur c. *Illa dist.* 12.) docentium, quemlibet se posse accommodare Ecclesiæ moribus, in qua versatur, etsi contrarientur moribus propriæ. Quàmvis in hac materia semper aut ferè semper peregrini practicent suum morem, cui sunt affecti, & liberè adhærere possunt. Neque oppositæ sententiæ favet *Leo IX.* ut inspicienti Epistolam patet. Non favet simpliciter *Florentinum*, quod loquitur de sacerdotibus, sive Græcis, sive Latinis, dum sunt in propria singuli Ecclesiâ & loco. Denique nec *Pius V.* loquitur de peregrinis; sed solùm revocat omnes licentias Græcis concessas celebrandi ritu Latino, & Latinis ritu Græco, mandans, *ne deinceps presbyteri Græci, præcipuè uxorati, Latino more, & Latini Græco ritu, hujusmodi licentiarum, & facultatum, aut alio quovis prætextu missas & alia divina officia celebrare vel celebrari facere præsumant*; scilicet in propriis etiam locis aut Ecclesiis. Alioquin peregrini non procedunt ex aliquo prætextu, quæsito scilicet, sed vero titulo juris generalis; quo eis liberum est sequi mores & leges locorum.

Si tamen Latinus fixisset domicilium in Græcia, teneretur sequi ritum Ecclesiæ Græcæ, utì & in simili casu sacerdos Græcus ritum Ecclesiæ Latinæ; nam ratione domicilii fit incola, adeoque obligatur ritibus & legibus loci. Excipe casum, quo latini in terris Græcorum haberent proprium aliquod templũ Latini ritûs aut Græci in locis Latinorum templum ritûs Græcanici: nam quando in illis celebrant, tenerentur servare ritum suæ Ecclesię: quandoquidem tunc perinde sit, ac si in sua Ecclesia agerent. Idque con-

22. *Græci apud Latinos, vel contrà, peregrinantes possunt servare ritum suæ Ecclesiæ.*

Immo juxta Nonnullos servare tenentur.

23. *Oppositum tamen tradunt Doctores communiùs.*

24. *Aliud esset, si Latinus inter Græcos domicilium fixisset. Aut ibidem in Ecclesia proprii ritûs ageret.*

Prout Græci Catholici Ecclesiâ sui ritûs Romæ habent,

confirmat praxis urbis Romæ, in qua Græci cum Ecclesia Romana communionem habentes habent templum, in quo ritum proprium observare renentur. Ideoque *Leo IX Epist. citatâ c. 29* graviter redarguit Patriarcham Constantinopolitanum, quòd Latinorum Basilicas in Græcia constitutas clausisset, cogens eos suis vivere institutis: quia nimirum isti conflabant ibi corpus ritu seu moribus distinctum, quod etsi in alieno solo, tamen censebatur esse in Ecclesia Latina & ad hanc spectare. Utì è contrà monasteria Græcorum in terris Latinorum reperiebantur, quæ tamen ad Ecclesiam Græcam censebantur pertinere, & ad ritus ejusdem obligabantur.

Et olim Latini in Græcia habebant.

QUÆSTIO IV.

Quod & quale vinum sit materia Consecrationis?

25. *Solum vinum de vite est materia calicis,*

DICO I. Solum vinum de vite est materia consecrationis calicis. Patet ex *Florentino in Decreto de Armenis*, & ex perpetuo usu ac traditione Ecclesiæ, quæ numquam alium liquorem admisit pro consecratione calicis. Ratio est, quòd nullus alius liquor, quàm vitis, habeat substantialem rationem vini. Hinc liquor ex pomis, malogranatis, frumentis aut herbis expressus non est materia consecrabilis, utì nec agresta sive omphacium, neque acetum ex vino generatum, quando vinum est essentialiter corruptum. Idem juxta omnes est de uvis: illæ enim non sunt potus sed cibus, nec potari, sed manducari dicuntur; ideoque per illarum comestionem jejunium solvi potest. Deinde succus uvis incluſus simpliciter loquendo non censetur vinum. Utì nec succus pomis incluſus est sicera; sic ut proinde consecrari etiam non posset, si Christus siceram præscripsisset. Et quàmvis concederetur liquorem in uvis contentum esse verum vinum antequam exprimatur, non esset tamen consecrabilis; cùm nequeat demonstrari per pronomen: nam liquor ille in uvis est tamquam pars, velut sanguis in homine; adeoque sicut demonstrato homine non rectè dicitur, hoc est sanguis, sic demonstratâ uvâ, non rectè dicitur, hoc est vinum.

Non sicera, aut agresta,

Neque etiâ uvæ seu succus uvis incluſus.

26. *Perinde est, cujus speciei aut coloris vinū, dum tamen verum sit.*

DICO II. Quodcumque vinum de vite, album, rubrum, ex utroque mixtum, cujuscumque regionis, etsi unum ab alio foret specie distinctum, est materia consecrationis. Est certum apud omnes: quia quodlibet habet veram & essentialem rationem vini: nihilque est, unde vel leviter conjici posset, unam potiùs vini speciem, quàm aliam esse institutam; quin immo ex praxi Ecclesiæ constat oppositum.

Hinc sequitur I. validè consecrari vinum aceſcens, utpote verum vinum, etsi tendens valide ad interitum. Ita *D. Thomas quæst. 74. art. 5. ad 2.* & reliqui omnes. Quod si ita sit alteratum, ut nequeat discerni, num vinum sit vel acetum, numquam licet citra gravissimum sacrilegium in eo celebrare, nequidem ut populus audiat sacrum in die festo, vel eidem detur communio paschalis: plus enim urget reverentia huic Sacramento debita, quæ certam materiam postulat, quàm præceptum audiendi sacrum, vel communicandi, quo populus tenetur. Si autem tantùm acescere incipiat, ita ut non sit notabiliter acidum, licitè in eo fieret consecratio occurrente aliquâ necessitate. Ita *Coninck ad artic. 5. cit.*

Sequitur II. validè consecrari in musto juxta *D. Thomam sup. ad 3.* & alios communiter: quia mustum est verum vinum. Immo occurrente necessitate consecratur in eo etiam licitè, ut patet ex cap. *Cùm omne crimen, de Consecrat. dist. 2.* Extra necessitatem autem hoc non licet propter impuritatem & fæces permixtas: sicut illicitè consecratur vinum aliis liquoribus vel etiam aromatibus permixtum. Et universim notandum est graviter posse peccari consecrando, utì in pane, ita & in vino minùs puro: quod judicio prudentis est relinquendum. Valdè autem culpandi sunt Sacerdotes quidam ruri præsertim degentes, interdum valdè hac in re incurii, dum hostias à vermiculis turpiter corrosas aut fœdatas, vinum fœcibus infectum &c. adhibent.

DICO III. Vinum congelatum potest validè consecrari. Est communis Doctorum sententia contra *Alanum* & quosdam alios. Probatur: quia vinum congelatum adhuc communi æstimatione censetur esse verus potus, & verum vinum. Neque enim per congelationem corrumpitur substantialiter: quandoquidem postea liquefactum habeat eumdem colorem, odorem & saporem; alia quoque liquida post congelationem resoluta censeantur ejusdem naturæ & speciei, ut patet in aqua, oleo &c. Deinde *Rubricæ Missalis Tit. de Defectibus Missæ cap. 10. num. 11.* & omnes Theologi supponunt sub speciebus vini post consecrationem congelatis Sanguinem Domini conservari; ergo etiam vinum congelatum primò consecrari potest: quandoquidem per se loquendo illud sit materia consecrabilis, sub quo post consecrationem sanguis Domini perseverat: etsi per accidens ratione parvitatis materiæ posset contingere, ut sub particula ob parvitatem indemonstrabili per pronomen *hic* vel *hoc*, Sanguis primò non ponatur, sub qua tamen positus perseveret, ut *quæst. 1.* diximus.

Dixi in Conclusione *validè*: nam grave peccatum committeret, qui vinum congelatum consecraret: tum quia faceret contra consuetum Ecclesiæ usum in re gravi: tum

tum quia peccaret contra reverentiam Sacramenti, adhibendo materiam, quæ ob contrariam opinionem passim seu à pluribus censetur aliqualiter dubia. Nullum tamen peccatum erit, si vinum ante consecrationem liquefiat: quàmvis consultum sit adhibere aliud, si congeletur ante factam oblationem: immo juxta *Suarez* & alios, etsi post factam oblationem. Verùm tunc non minùs consultum apparet, illud ipsum adhibita calidis degelatum consecrare, quàm aliud de novo assumere; nisi ex mutatione coloris aut saporis, vel aliunde de corruptione vini per vehementem congelationem factâ dubitetur. De quo sanè rationem regulariter dubitandi non video. Minùs adhuc curanda est levis & inchoata quædam congelatio vini in altari: quæ insuper facilè tollitur admotâ ad cuppam manu, nec ex gustu deprehenditur præfuisse.

Vide ante consecrationem liquefiat.

Quid tunc circa id adhibendum.

30. Sed contra Conclusionem objicitur I. Baptismus non potest conferri in aqua congelata; ergo nec potest fieri consecratio Sanguinis in vino congelato. Resp. Neg. Cons. nam materia proxima & essentialis Baptismi est ablutio, quæ fieri nequit per aquam congelatam. At Eucharistia est Sacramentum permanens institutum sub speciebus panis & vini per modum cibi & potûs; vinum autem congelatum censetur potus.

Differentia vinum & aquam congelatam.

Objicitur II. Vinum congelatum non est potabile; ergo nec consecrabile, manens tale. Resp. esse per se & ex natura sua potabile, esto non proximè: quod non requiritur, cùm actualis potatio non sit de essentia hujus Sacramenti; & de facili per liquefactionem vinum congelatum possit fieri proximè potabile. Alioquin pariter inferri posset, per congelationem destrui consecrationem seu præsentiam Christi. Deinde vinum congelatum potest deglutiri, sicque potari; cum hoc non sit aliud, quam sumere potum (qualis est tale vinum) ad effectum potationi proprium. Unde nec talis hoc agendo frangeret jejunium. Aliud est de succo uvis incluso, cui (ut patet ex dictis *num.* 25.) deficit ratio potûs seu vini, ac demonstrabilitas.

Vinum congelatum est potabile.

Idem est de succo uvæ incluso.

31. Objicitur III. Vinum offæ imbibitum manet consecratum; & tamen non potest ibi primò consecrari: ergo ex eo, quòd vinum congelatum consecrationem retineat, non rectè à nobis infertur, ipsum posse in tali statu primò consecrari. Responderi cum Variis potest Neg. Cons. eò quòd vino offæ imbibito deficiat demonstrabilitas; quæ simpliciter convenit vino congelato. Addunt aliqui non esse in offa instar potûs, sed per modum cibi, utì est succus uvis incluso. Verùm inter hæc apparet disparitas, quòd vinum sit merè localiter contentum in offa, utì in spongia, nec cum illa instituat unum corpus; sitque etiam propinquè potabile, illud veluti ex spongia exprimendo. Unde si vinum in offa maneret satìs sensibile, adeòque demonstrabile (prout interdum saltem fieri posset) non apparet, cur etiam primò nequeat sic consecrari. Sicut potest consecrari ipse panis, etsi simul adsit vinum ei immixtum. Sicut etiam consecrari posset vinum imbibitum spongiæ, si maneat satìs sensibile: aut infusum vasi argenteo per industriam artificis instar panis triticei porosi.

Quid vinum offæ imbibitum.

Quod si quis instet, guttam vini consecratam, si in uva reponatur, manere consecratam, nec tamen posse ibi primo consecrari, Resp. si non obstaret indemonstrabilitas, posse etiam ibi primo consecrari: per istam enim repositionem non amittit rationem vini & potûs, nec fit denuò, utì fuerat priùs, succus uvis incluso (idem est de succo pomorum &c.) pars substantialis compositi viventis & vegetantis, scilicet uvæ, sed huic solùm jungitur localiter. 32. *Quid si gutta vini in uva reponatur.*

Ex quo ulteriùs infertur, vinum resolutum in vapores, quàm diu manet substantialiter vinum, non obstantibus alterationibus accidentalibus, posse validè consecrari in casu, quo posset ad sensum demonstrari per pronomen *hic*, seu *hoc*: quemadmodum juxta communem doctrinam consecratum maneret, quousque manet substantia vini. Sicut etiam eousque Christus manet in stomacho, etsi interea species consecratæ facilè tantùm alterentur, quantùm vinum in vapores resolutum. *Quid censendum de vino resoluto in vapores.*

QUÆSTIO V.

An & qua necessitate sit aqua vino consecrando miscenda?

DICO I. Vino consecrando debet misceri aqua. Est contra *Armenos* (quos sequuntur Hæretici nostri temporis) ut constat ex *Florentino in Decreto de Armenis*: ubi nostram Conclusionem definit tamquam certam traditionem ab ipsis Apostolis derivatam, & ab omnibus tam Græcis quàm Latinis Ecclesiis ab initio nascentis Ecclesiæ constanter servatam. Eamdem docet *Trid. sess.* 22. *c.* 7. Pontifices, Concilia & Patres magno numero, vide apud *Bellarminum lib.* 4. *c.* 10. & alios. Nobis sufficiat *Alexander I.* (qui fuit sextus à S. Petro, & floruit ante annos 1500.) *Epist. ad omnes Orthodoxos* dicens: *Non debet, ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum.* 33. *Vino consecrando aqua est miscenda.* *Ex traditione Apostolica.*

Triplicem hujus sacræ ceremoniæ rationem assignant Doctores cum *Florentino* & *Tridentino* *Congruentia hujus rei.*

Tridentino suprà. Prima est, quòd juxta testimonium Patrum credatur Christus in vino aquâ mixto consecrasse. Secunda est significatio & rememoratio sanguinis & aquæ, quæ de latere Christi profluxerunt, juxta *Innocentium III.* cap. *In quadam, de celebrat. Miss.* Tertia, quòd cùm per aquam significetur populus *Apoc.* 17. mixtio aquæ cum vino designet populi Christiani cum capite Christo unionem; quæ est hujus Sacramenti effectus.

34. *Mixtio hæc non est de necessitate Sacramenti.*

Dico II. Hæc mixtio non est de necessitate Sacramenti: ut habet communis & certa doctrina contra *Armachanum*. Et clarè patet ex *Florentino*, quod pro materia calicis assignat *Vinum de vite, cui* (inquit) *aqua modicissima admisceri debet*. Aliàs sanè dicere debuisset, materiam esse vinum aquâ mixtum; prout immediatè ante dixerat, materiam Confirmationis esse *Chrisma confectum ex oleo & balsamo &c.* Idem traditur expressissimè in *Regulis Missæ Tit. de defectibus circa Missam occurrentibus* §. 4. *de Defectu vini num.* 2. & 7. Idem quoque indicat *Tridentinum suprà* monens *præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent*. Idem denique insinuant Patres, dum solùm dicunt consuetudinem hanc esse servandam; ut ex verbis ipsorum ponderat *Suarez disp.* 45. *sect.* 2.

Unde ulterius probatur: quia ex traditione aut doctrina Ecclesiæ non constat mixtionem istam esse de necessitate Sacramenti; quin potiùs constat oppositum. Nec obstat factum Christi: omnes enim circumstantiæ facti ipsius non sunt necessariæ: nam alioquin consecratio non posset fieri in pane fermentato; cùm Christus sit usus pane azymo.

35. *Immo nec præcepta à Christo, sed tantùm ab Ecclesia.*

Dico III. Mixtio aquæ non est necessaria ex præcepto divino, sed tantùm Ecclesiastico. Ita *Scotus* & alii communiter contra *Stanislaum Hosium* & paucos alios. Probatur ex *Florentino, sup.* reprehendente *Armenos*, quòd se non conformarent universarum Ecclesiarum consuetudini: si autem Pontifex *Eugenius* aut Patres *Concilii Florentini* agnovissent præceptum divinum, omnino illud tamquam efficacissimum ad inflectendum *Armenos* proposuissent. Idem clarius indicat *Tridentinum suprà*, simpliciter asserens, *præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent*.

Probatur II. quia de præcepto divino non satis constat; ergo non est asserendum. Factum enim Christi non est in rigore præceptum, ut patet in pane azymo, & similibus accidentalibus circumstatiis facti Christi: ipse enim institutionem tantùm restrinxit excludendo circumstantias, quæ facti substantiam moraliter mutant: prout ad hoc indifferens est panis azymus vel fermentatus, vinum purum vel lymphatum.

Probatur III. quia si Christus ita jussisset, non apparet, quare solùm esset de obligatione præcepti, & non de Sacramenti necessitate. Aliud est de consecratione utriusque speciei, quæ est juris divini: nam etiam quælibet est de necessitate proportionatæ speciei: non autem de necessitate utriusque; eò quòd sit Sacramentum divisibile, & partialiter multiplex. Sicut etiam sumptio seu susceptio utriusque speciei, sacerdotibus à Christo præcepta, est manifestè divisibilis validè loquendo, & quandoque licitè in necessitate summa.

Solùm restat circa hanc quæstionem difficultas de mente *Cypriani Epist.* 63. ubi ex professo contra *Aquarios* ostendens in calice Dominico non posse offerri aquam solam, sed debere mixtam esse vino, seu vinum omnino necessariò adesse, addit alia difficilia, quæ indicant aquam saltem non posse quoque deesse, quasi aliàs irrita sit calicis Dominici consecratio, *quæ* (inquit *Cyprianus*) *copulatio & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari*. Quod ne quis intelligat de licito ob præceptum Ecclesiæ, aut juxta scopum principalem *Cypriani* de valido, in quantùm non sufficit aqua sola; obstare videtur, quod sequitur: *Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest: nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem utrumque miscetur, tunc Sacramentum spirituale & cœleste perficitur. Nec vero calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur; quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum.*

Quocirca *Præpositus quæst.* 74. *art.* 7. fatetur *Cyprianum* sensisse mixtionem aquæ esse de necessitate Sacramenti. Quod etiam non abnuit *Pamelius in Notis*, non rectè addens verisimilem videri istam sententiam.

Dici tamen posset *Cyprianum* solum loqui de necessitate præcepti, ut eum explicant *D. Thomas quæst.* 74. *art.* 7. *D. Bonav. d.* 11. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 1. Ut proinde comparatio cum necessitate vini non teneat in omnibus, seu non quoad gradum necessitatis. Idemque est de comparatione cum farina. Quæ tamen aliunde noscitur non esse exacta: tum quia farina non commixta non est cibus per se, sicut vinum per se est potus, ut inquit *D. Bonav. sup. ad* 2. tum quia farina non est materia proxima Sacramenti corporis, uti vinum Sacramenti sanguinis, sed mediante substantiali mutatione in tertium mixtum, scilicet panem. Quod autem *Cyprianus* dicit, *si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis*, id est, erit quidem sanguis, sed non significabit mysticè unionem nostri ad Christum.

Denique

38. Denique dum *Cyprianus* significat in eadem Epistola mixtionem hanc esse à Domino mandatam ; intelligit *Vasquez disp.* 177. *num.* 20. uti sonat, admittens *Cyprianum* fuisse istius opinionis. Alii tamen ipsum explicant de præcepto divino latè sumpto, pro quo habentur verba & facta Christi Doctoris & Magistri nostri; qui insuper facto suo dederit Ecclesiæ occasionem id præcipiendi. Rectiùs tamen attento scopo *Cypriani*, qui est, *non posse videri sanguinem* Christi *esse in calice, quando vinum deest calici* (quod fusè ostendit) referunt præceptum Domini ad mixtionem vini, quatenus nequit aqua sola consecrari, sed necessariò adhibetur vinum ; præscindendo ab hoc (quod non spectabat ad intentum *Cypriani*) an adhibitio aquæ (quam solam adhibebant *Aquarii*) sit paris omnino necessitatis ; quàmvis aliquâ ratione esse necessariam patenter affirmet.

Quid juxta Vasquez consulto esse dixerit Cyprianum.

Juxta alios divinum præceptum.

Verum quoad hoc intelligi.

Mens Cypriani.

39. Dico IV. Graviter nihilominus peccaret, qui scienter aquam vino non misceret ; ut habet certa Theologorum doctrina, quæ etiam traditur in *Regulis Missæ suprà num.* 2. Inter actiones namque ad essentiam Sacramenti non pertinentes, hæc potissima est & proximà iis quæ sunt de essentia. Deinde gravissimæ sunt hujus præcepti rationes initio quæstionis allegatæ. Unde si quis oblitus fuisset aquam apponere, & ante consecrationem calicis recordaretur, deberet supplere quod omissum est. Secùs est, si recordaretur tantùm post consecrationem calicis : quia non est de necessitate Sacramenti ; ut dicitur in *Regulis Missæ sup. num.* 7. nihilque non consecratum miscendum est consecrato ex usu Ecclesiæ Romanæ. Quàmvis Græcorum ritu soleat post consecrationem speciebus vini misceri aqua, eaque calida. Quod etiam suo potest mysterio non carere.

Hæc mixtio gravissimè præcepta.

40. Dico V. Miscenda est aqua modicissima, ut determinat *Florentinum suprà*. Congruentia est : tum quia per notabilem excessum vini super aquam significatur excessus majestatis Domini super fragilitatem populi : tum ne periculum sit corrumpendi substantiam vini sæpè tenuis per copiosiorem aquæ admixtionem. Relinquitur autem modicitas aquæ judicio prudentis determinanda : quam Varii determinant esse octavam vel decimam partem, ut *Coninck*, qui addit modicum excessum in alterutram partem parum esse curandum. Unde non est tam scrupulosè agendum, uti quidam agunt, qui vix nisi minimam stillam seu guttam aquæ sollicitè curant infundere. Minimè tamen probandum est, neque probavit Ecclesia determinationem *Concilii Triburiensis* 1. *c.* 19. permittentis apponi tertiam partem aquæ ; quæ sanè non est modicissima. Minus autem id adhuc permittendum est in locis istis, in quibus rariora sunt vina generosa ; & frequenter mixtionem aquæ non ceremonialem habent. Non equidem sufficit, quòd hoc modo aqua sit mixta vino in dolio, sed debet misceri in calice, ut constat ex praxi Ecclesiæ præscribentis hanc mixtionem fieri in missa per modum sacræ ceremoniæ.

Modicitas determinanda.

QUÆSTIO VI.

An aqua mixta vino convertatur etiam immediatè in sanguinem ?

41. Olim Quidam existimarunt aquam vino mixtam numquam transire in sanguinem, sed in humorem quemdam aqueum, quem phlegma vocant, & de latere Christi emanasse dicebant. Quorum opinio graviter reprobatur ab *Innocentio III.* cap. *In quadam, de Celebr. Missarum.* Nam cùm Joannes *cap.* 19. dixerit: *Exivit Sanguis & aqua*, indubiè id intelligendum de aqua vera, sicut de sanguine vero, sive interim fuerit naturalis, sive miraculosa aut de nouo divinâ virtute creata, ut declarat *Innocentius III. suprà*. Et quàmvis fuisset verum phlegma, equidem non posset in illud aqua in sacrificio converti : eò quòd conversio per verba consecrationis fiat in illud quod verba significant; hæc autem significant sanguinem, non phlegma Christi.

Aqua mixta vino non transit in phlegma quod de latere Christi effluxerit.

Duæ insuper erant aliorum opiniones, ut refert *Innocentius III.* c. *Cùm Marthæ eodem tit.* Prima erat asserentium aquam vino mixtam transire, non in phlegma, sed in veram aquam, quæ de latere Christi emanavit. Quæ tamen omni fundamento caret : tum quia vera aqua, quæ tunc extraordinariè de latere Christi fluxit, non spectat ad integritatem illius, neque nunc in corpore Christi permanet: tum quia verba consecrationis significant solum sanguinem, adeòque non habent vim aquam convertendi in aquam. Unde hæc opinio communiter & meritò à Theologis reprobatur. Secunda opinio erat existimantium aquam vino mixtam & qualitatibus vini imbutam, retinere semper pristinam substantiam aquæ. Ita refert *Innocentius III. suprà*. Quæ etiam opinio nunc ab omnibus Doctoribus est derelicta.

Neque in veram aquam quæ de latere Christi manavit,

42. Unde restant duæ celebres Doctorum opiniones. Prima *Præpositi*, *Coninck* & quorumdam aliorum, præsertim Recentiorum, & Societatis Jesu, existimantium aquam vino mixtam, & qualitatibus vini imbutam semper converti in sanguinem Christi, etsi priùs non fuerit conversa in vinum.

Nonnulli Recentiores contendunt aquam immediatè transire in sanguinem.

Secunda est *D. Thomæ*, *D. Bonaventuræ*, *Scoti*, & communiter antiquorum, item *Suarez*, *Vasquez*, *Valentia*, *Henriquez*, *Azorii*, *Reginaldi*, *Fagundes*, *Tanneri*, *Meratii*, *Bonacinæ*,

Verius tamen est debere priùs transire in vinum.

Bonacinæ, *Sylvii* & aliorum Recentiorum passim docentium aquam converti in sanguinem, non tamen nisi priùs conversam in vinum. Quæ omnino videtur probabilior,

43. *Probatur I. Ex c.* Cum Matthæ. Probatur I. ex *Innocentio III.* cap *Cum Matthæ*, ubi relatis duabus opinionibus superiùs positis, atque etiam nostrâ videlicet, *aquam transubstantiari in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino* : subjungit : *Verùm inter prædictas opiniones illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari.* Igitur Pontifex judicat nostram opinionem esse probabiliorem: nam sententiæ Recentiorum non fecerat mentionem, adeòque non potuit ut probabiliorem docere eam, cujus antè nullo pacto meminerat.

Effugium quorumdam præcluditur. Nec dici potest cum *Dicastillo* nostram opinionem non approbari tamquam probabiliorem simpliciter, sed *inter prædictas opiniones*, ultra quas posset esse alia, puta Recentiorum, quæ sit omnibus prædictis adhuc probabilior. Nam approbatur simpliciter tamquam probabilior : erat enim facta discussio veritatis, propositis rationibus dubitandi, & opinionibus verisimilibus: incredibile autem est opinionem Recentiorum in lite ista non fuisse referendam, si omnes alias probabilitate excederet ; immo argumentum hoc est, quòd tunc non fuerit nota, certè non dignata relatu.

44. *Effugium aliorum præcluditur.* Non etiam dici potest, non approbari secundam opinionem (quæ erat nostra) tamquam probabiliorem, sed simpliciter *illam quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari*, abstrahendo saltem à modo, quo id fiat : vel approbari quoad transmutationem in sanguinem, non quoad fundamentum ; cùm hoc Papa non repetat, utì antè retulerat dicens : *Eò quòd in vinum transeat mixta vino* ; sed assignet novam : *ut expressiùs eluceat proprietas Sacramenti.* Non inquam, id dici potest : nam Pontifex sententiando approbat simpliciter unam ex opinionibus prædictis in controversiam seu in litem coram ipso deductis, cùm ait : *Inter prædictas opiniones* : illa autem loquebatur de transmutatione mediatâ. Et sanè nemo tunc disputantium poterat dubitare (nec hactenus vix ullus dubitavit) quin Papa tulisset sententiam istis verbis pro secunda opinione. Quare ille fuit sensus hactenus communis Doctorum, adeò ut dicat *Aversa q. 2. sect. 7.* quòd opposita recens opinio in principio non satis bene audiebat, sed jam modò permittatur. Porrò in nostra opinione expressiùs elucet proprietas Sacramenti seu mysterii latentis in mixtione aquæ & vini (de hoc enim loquitur Pontifex, ut ex adjunctis patet) & consistentis in eo, quod aqua vino unita significet populum Christo adunari : hoc enim significatur perfectiùs, si aqua sic vino uniatur, & fiat unum cum vino, ut etiam in vinum transeat, sicque in sanguinem, qui ponatur sub symbolis unionem populi cum Christo designantibus, non solùm per quamdam juxtapositionem, sed etiam per substantialem aquæ in vinum, dein in sanguinem conversionem. Idem denique sensus *Innocentii III.* patet ex eodem *lib. 4. de myst. Missæ c. 30.* ubi relatâ nostrâ sententiâ ait : *Quis ambigat aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum infunditur aquæ?*

Probatur II. quia sola materia calicis convertitur in sanguinem : atqui non aqua, sed vinum de vite est materia calicis consecrandi ; cùm perpetua Ecclesiæ traditio pro materia hujus Sacramenti solùm assignet panem & vinum. Unde etiam *Trid. sess. 13. & sess. 22.* semper nominat panis & vini benedictionem, consecrationem, conversionem, transubstantiationem. & *sess. 21. c. 1.* docet Christum instituisse hoc Sacramentum in panis & vini speciebus. Quàmvis vino ex præcepto Ecclesiæ (quæ utique non instituit materias Sacramentorum) modicum aquæ esse miscendum doceat *sess. 22. c. 7.* Et clariùs *Florentinum in Decreto* adæquatam calicis materiam statuit *vinum de vite.* Loquiturque de vino puro seu quod verè & substantialiter est vinum, & cui adhuc aqua est miscenda, cùm subdat: *Cui aqua modicissima admisceri debet*, scilicet instar ceremoniæ ab Ecclesia institutæ. Proinde aqua non magis est materia consecrabilis, quàm alius liquor, v. g. lac &c. qui similiter vino misceri & ab hujus qualitatibus imbui solet. Prout neque est materia consecrationis, quod misceretur pani, quantumvis hujus qualitates imbibisset, nec rationem panis usualis de cetero variaret.

Probatur III. quia Ecclesia præcipit adhiberi aquam modicissimam ante calicis oblationem : cujus ratio litteralis est, quod facilius ante consecrationem possit in vinum converti, ac proinde supponat Ecclesia aquam non prius in sanguinem quàm in vinum converti. Quod etiam rectè notavit *Catechismus Romanus* cap. *De Eucharistia* §. 16. dicens : *Illud autem sacerdotibus animadvertendum est, quemadmodum in sacris mysteris aquam vino adhibere oportet, sic etiam modicam infundendam esse : nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententia & judicio aqua illa in vinum convertitur.*

Probatur IV. quia *Trid. sess. 13. can. 2.* definit factâ conversione panis in corpus, & vini in sanguinem, remanere dumtaxat species panis & vini : ergo juxta Concilium sanguis Christi non continetur sub speciebus aquæ necdum conversæ in vinum ; alioquin enim non remanerent solæ species panis & vini.

Nec dicas per Concilium à speciebus vini non excludi species aquæ, quæ cum illis integrant unum potum usualem, sed tantum substantiam panis & vini contra

Hæreticos.

Hæreticos. Nam *can.* 3. docet Concilium, *separatione factâ contineri totum Christum sub singulis cujusque speciei partibus* : ergo per species vini *can.* 2. non intellexerat species veræ aquæ vino mixtæ : alioquin enim citiùs corruptis speciebus vini, vel ab iis per artificium separatis speciebus aquæ, maneret sub illis totus Christus : quod etsi probabiliter defendi posse dicat *Coninck*, clarè tamen apparet dictis *Concilii* adversari, communique judicio, & planè alienum à doctrina hactenus in Ecclesia traditâ

Sanè sola aqua non est materia apta Eucharistiæ, sive ut sub illa primò ponatur, (quod fides docet) sive ut sub illa conservetur, ut ex principio fidei apertè sequitur : cùm uti nequit poni, siè nec permanere queat, nisi sub propria materia seu ejus speciebus. Aliàs quoque etsi totum vinum consecratum verteretur in aquam, adhuc maneret Christus sub speciebus aquæ priùs vini speciebus immixtis.

Quòd verò respondet *Lugo* & alii non mansurum tunc sub illis Christum, veluti quæ non manèt ampliùs species vini usualis. Contra facit, quòd *Tridentinum* generaliter asserat Christum manere sub singulis cujusque speciei consecratæ partibus, etiam facta ab invicem separatione. Quòd etiam mirum videatur solo motu locali tolli Christū, qui tamen venit in locum substantiæ destructæ, manens sub ejus speciebus, quamdiu mansisset substantia propria (ut habet omnium Theologorum doctrina) quæ utique non obstante motu locali sub accidentibus aquæ remansisset. Vel fortè somniabit quis Christum quidem isto casu tolli; at si rursum misceretur vino, reverti vi pristinæ consecrationis? Satius est itaque dicere, quòd ubi vinum quà lymphatum seu aqua ei mixta, non est verè & propriè vinum, sic nec species aquæ sic mixtæ sint veræ species vini, adeòque sub iis non Christus juxta præmissam doctrinam *Tridentini*.

47. Objicitur doctrina Patrum.

Dices I. Multi Patres dicunt aquam offerri, benedici, consecrari, in sanguinem verti: sed hæc essent falsa, si aqua non converteretur immediatè in sanguinem, ergo &c. Resp. Neg. Min. nam in primis pleraque Patres (exceptis fortè paucis minoris auctoritatis) non clarè asserunt transitum etiam mediatum substantiæ aquæ in sanguinem Christi : quorum proinde verba possent explicari de oblatione, consecratione & benedictione aliquâ morali, quam aqua in sacrificio missæ mixta vino sortitur, esto in sanguinem non transiret. Quapropter neque *Innocentius III.* c. *Cùm Marthæ* opinionem asserentem, quòd aqua numquam vertatur in sanguinem damnat, sed solùm esse minùs probabilem asserit, statuens tamquam probabilius, quòd in sanguinem transeat, tunc scilicet cùm in vinum priùs transierit mixta vino.

Aliter Resp. Patres illos esse locutos de consecratione mediata, ut nimirum aqua priùs sit convertenda in vinum, quàm in sanguinem. Non fecerunt autem mentionem præcōversionis aquæ in vinum, quàm in sanguinem: quia totum illorum intentum erat ex facto Christi & consuetudine Ecclesiæ docere : vinum aquâ mixtum esse consecrandum; de modo autem, quo aqua in sanguinem transiret, non erant soliciti: sed tota potiùs antiquitas supposuisse videtur aquam ante consecrationem transire in vinum, & sic in sanguinem : nam etiam tempore *Innocentii III.* dum quæstiò hæc agitaretur, Scholastici conformiter ad Patres docebant aquam cum vino transmutari in sanguinem (quod ipse *Innocentius III.* approbat tamquam probabilius) cùm (ut idem refert) *in vinum transeat mixta vino*, quæ mutatio in vinum communiter apprehendebatur fieri, *licèt Physici contrarium asseverarent*, ut inquit Pontifex ; quod tamen fundamentum implicitè rejicit, resolvendo pro nostra sententia, atque ita declarando adhærendum esse antiquo sensui de aquæ in vinum mutatione, nè verbo quidem insinuans immediatam aquæ in sanguinem mutationem ab aliquo fuisse assertam.

48. *Quæ satis sufficit verbis & intento Patrum.*

Ut ampliùs declaratur.

Neque est hæc ullo modo quæsita & contorta, sed plena, facilis, obvia, & quotidiano usu loquendi recepta explicatio : quotidiè enim dicimus, tam docti, quàm indocti, & ipsi etiam Philosophorum Coriphæi loquuntur, cibum quem sumimus, hoc est, panem, carnem, pisces, quibus vescimur, in substantiam, adeoque in carnem & corpus nostrum converti ; cùm tamen constet non nisi mediatè variisque, & quidem ex parte etiam substantialibus mutationibus intervenientibus, eam conversionem fieri ; ut rectè *Tannerus disp.* 5. *q.* 2. *dub.* 6. *n.* 173. Neque hinc sequitur, simili ratione posse dici triticum consecrari, quia mutatur in panem, qui consecratur immediatè : nam triticum non apponitur in altari, ut ibi mutetur in panem, prout apponitur aqua, ibique velut insensibiliter mutatur in vinum.

49. *Estq; hæc responsio obvia & facilis.*

Cur potiùs aqua, quàm triticum dici possit consecrari.

Dices II. Juxta sententiam Patrum & Ecclesiæ aqua cum vino convertitur in sanguinem ; atqui aqua non potest converti in vinum ; cùm id negent Physici teste *Innocentio III. suprà*, immo videatur repugnare experientiæ : si enim vasi vini quotidiè apponatur modicum aquæ, totum tādem fiet aqueum. Et juxta multos aqua mixta vino potest filo vel medullâ junci iterum educi ; ergo dicendum est immediatè illam converti in sanguinem. Resp. admissâ majore tamquam probabiliori, (quo modo eam determinavit *Innocentius III.*) Neg. Min. omnino enim videtur aquam posse converti in vinum, idque plerumque fieri ante consecrationem, saltem quoad

50. *Objicitur præterea quòd aqua nequeat converti in vinum.*

Sed contrarium declaratur.

aliquam sui partem : nam etiam adversarii admittunt aquam imbui qualitatibus vini; & *Alanus* præcipuus alterius sententiæ Auctor, ac velut antesignanus *l. 1. de Euchar. c. 13.* ait *Probabilius est, quod omnium pænè Ecclesiasticorum Scriptorum judicio defenditur, aquam modicè infusam in vini substantiam prorsus desinere.* Idem docet *Aristoteles*, & ex eo *Conimbricenses* ac *Toletus* (qui etiam refertur pro opinione Recentiorum) ut latè ostendit *Tannerus sup. p.* 190. & 191. Unde quàmvis aqua & vinum conveniant aliqualiter in qualitatibus formalibus, possunt nihilominus agere in se invicem, partim ratione qualitatum virtualiũ, partim etiam ratione formalium, in quibus non conveniunt ex toto; etsi disconvenientia non sit ita sensu nota, ideoque fortasse id negent Physici.

Qui contingat, vinum per aquæ infusionem fieri aqueum.

51. Nec obstat, quòd vinum per infusionem aquæ paulatim fiat aqueum; inde enim solum sequitur, quòd aqua non convertatur in vinum tam præstans & vigorosum, Quod mirum non est : quia corpus mixtum agendo in simplex vel aliud mixtum, & repatiendo, debilitatur; ut patet in viventibus, quorum calor naturalis agendo in alimentum paulatim minuitur & absumitur.

An vel qualiter aqua possit à vino postea separari.

Quod autem dicitur aquam postmodum à vino separari, dupliciter explicari potest. Primò, dicendo illud quod extrahitur non esse aquam, sed aqueum quemdam humorem, qualis in poris aliorum etiam corporum continetur. Cujus rei indicium est, quòd etiam extrahatur ex puro vino, ut cum *D. Thoma* notarunt *Conimbricenses*. Secundò, dicendo aquam tunc solum posse separari à vino, quando in tanta copia fuerit infusa, ut tam brevi spatio non potuerit ab activitate vini superari. Adde saltem constare, quòd vinum possit corrumpere aquam uti consumit carnes, ossa &c. esto non posset illam in se transmutare, uti transmutat stomachus cibum & potum : experientia autem allegata eductionis aquæ pariter contra hoc opponi posset; adeòque omni ex parte vana est.

52. Instabis : Si aqua non convertatur immediatè in sanguinem, aliquando saltem fiet illam vel nullo modo converti, v. g. dum apponitur immediatè ante consecrationem; vel non totam, v. g. dum paulò amplius aquæ infunditur vino debiliori; sed hoc est absurdum : nam tunc populus committeret idololatriam, qui adorat totum quod est in calice; & Sacerdos sacrilegè proferret formam super materiam ex parte non consecrabilem, cum forma designet totum liquidum, quod est in calice. Resp. Neg. Min. etsi enim pars aquæ aut etiam tota aqua maneret non consecrata, non propterea committit populus idololatriam, qui nihil cogitat de toto vel de parte, sed tantum adorat quod consecratum est, vel potius Christum sub speciebus consecratis latentem. Sacerdos etiam non committit sacrilegium, sive ratione intentionis, utpote quæ conformis intentioni Christi & Ecclesiæ, solum fertur super id, quod est in calice consecrabile, sive ratione verborum formæ, quæ similiter feruntur super liquorem consecrabilem. Quemadmodum in omni sententia dicendum est, populum in adoratione calicis non committere idololatriam, nec Sacerdotem in ejusdem consecratione sacrilegium, etsi vinum quod consecratur sit lacte vel melle (quod frequens est) sive materia non consecrabili confectum. Uti nec idololatria committitur, si guttæ interiori calicis lateri adhærentes non sint consecratæ; prout vi generalis intentionis juxta quosdam non consecrantur, aut certè possunt per specialem intentionem à consecratione excludi.

Etsi pars aquæ non consecraretur, non committeretur à populo idolatria.

Dices III. Si aqua numquam converteretur immediatè in sanguinem : ergo si in nocte Natalis Domini ob brevem horam non fuisset aqua in vinum conversa, violaretur jejunium naturale sumendo calicem Domini, ita ut talis Sacerdos non posset secundũ aut tertium sacrum celebrare. Resp. non violandum fore jejunium, quod Ecclesia requirit, quando sumitur per modum unius potus cum sanguine Domini, etsi aliquid remansisset in propria substantia : quia si mixtio aquæ fiat ex præcepto Ecclesiæ, non est credendum aquam simul in propria substantia sumptam, quando commodè in vinum converti non potuit, obstare alteri præcepto de jejunio, quòd ante sumptionem Sacramenti requiritur. Casus nihilominus est ratior, quo Sacerdos præsumere debeat aquam non fuisse conversam : nisi quo oblitus illam apponere, immediatè ante Consecrationem primæ vel secundæ missæ recordatur obligationis eam apponendi.

Dices IV. Christus miscuit aquam mox ante consecrationem; idque in quantitate qualem homines sobrii & temperati solent : ergo illa non fuit conversa in vinum; & tamen fuit conversa in sanguinem : ergo immediatè; & consequenter sic in Ecclesia deinceps convertitur. Resp. in primis non constare, quòd inter mixtionem & consecrationem non fuerit mora interposita. Deinde satis constat appositam non fuisse aquam, nisi modicissimam, utpote non ad temperandum potum communem, sed ratione mysterii appositam. Poterat etiam Christus conversionem in vinum accelerare, & de hoc Apostolos monere. Denique esto non fuisset tunc facta conversio in vinum, adeòque nec in sanguinem; fit tamen deinceps, quando adhibetur aqua juxta morem Ecclesiæ.

Dices V. cum *Lugo* : *Florentinum* requirit *vinum de vite*; ergo nos non potest juvare conversio aquæ in vinum, quod eadem

dem non est de vite eatenus: quare si sit tunc consecrabile, quia mixtum vino de vite, similiter aqua mixta poterit consecrari. Resp. requiritus *vinum de vite*, sive de uvis expressum, sive quod habet eandem cum illo essentiam: quare non propter mixtionem, sed propter substantiam veram vini potest consecrari aqua in vinum conversa; adeoque posset, etsi separaretur à reliquo. Unde indubiè potuisset consecrari vinum miraculosè productum, quale in Cana Galileæ; & panis similiter productus.

56. Instabis *Florentinum* pro materia calicis assignat vinum, cui aqua admiscere debet: ergo ipsa in vinum versa non est materia ibi assignata, cùm non sit vinum, cui aqua debet misceri. Resp. Neg. Con. nam *Florentinum* vult materiam simpliciter esse vinum, & huic miscendam esse aquam, quæ nimirum, dum miscetur, necdum est vinum: quamvis, si ante consecrationē sit facta substantialiter vinum, eò ipsò sit materia à *Florentino* specificata, cui tamen rursus non est miscenda aqua, quæ solùm miscenda fuit vino, quod assumitur pro ipsa oblatione.

Petes, an pars illa aquæ, quæ in vinum converteretur inchoatis verbis consecrationis, converteretur in sanguinem? Resp. Neg. eò quòd forma consecrationis solùm respiciat contentum sub speciebus consecrabilibus demonstratum cum iisdem per ly *hoc*; adeoque ante istius pronominis prolationem tota materia consecranda debeat esse præsens. Propter quod non posset etiam consecrari vinum, quod inchoatâ consecratione demum apponeretur: uti nec calix aquâ plenus ab initio præsens, quæ inchoatis verbis consecrationis miraculosè verteretur tota in vinum.

QUÆSTIO VII.

Qua necessitate consecranda sit utraque species?

57. DICO I. Consecratio utriusque speciei non est de necessitate Sacramenti. Est certum: nam panis validè consecratur, & sub ejus speciebus realiter continetur Christus, exhibeturque hominibus adorandus, antequam vinum sit consecratum. Et ratio à priori est, quod formæ consecrationis panis & vini sint à se invicem independentes in significando, adeoque in causando.

DICO II. Consecratio utriusque speciei est juris Ecclesiastici & divini. Quod sit juris Ecclesiastici, patet ex cap. *Comperimus dist. 2. de consecr.* ubi *Gelasius* Papa præcipit Sacerdotibus, ut *integra Sacramenta percipiant*; & consequenter etiam, ut integra consecrent: *quia* (ut subjungit) *divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Ex quibus tamen verbis non colligitur efficaciter hoc esse juris divini: possent enim oppositum non carere grandi sacrilegio, eò quòd foret abusus contra grave præceptum Ecclesiæ in tali materia.

58. Quod nihilominus sit etiam juris divini, *Scotus d. 8. q. 3. n. 4.* & alii communiter contra *Majorem*, *Adrianum* & *Claudium Sainctes* apud *Aversa q. 11. sect. 5.* Probatur ex *Trid. sess. 22. cap. 1.* dicente Christum *corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulisse, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepisse, per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.* Igitur si oblatio seu sacrificium jure divino debeat fieri in utraque specie, debet etiam in utraque confici Sacramentum; cùm illud non conficiatur, nisi in sacrificio, immo confectio illius sit ipsum sacrificium. Idem confirmat praxis Ecclesiæ, quæ idcirco tam sollicitè providet, ut numquam una species sine altera consecretur, etsi Sacerdos non foret jejunus; immo etsi alter deberet supplere, quod prior inchoavit, ut habetur in *Toletano VII. can. 1.* & *Toletano XI. can. 14.* quæ referuntur *Can. Illud* & *can. Nihil 7. q. 1.* Accedit, Sacrificium hoc ex suæ institutione esse repræsentationem Sacrificii cruenti; quæ explicitè & completè reperitur in duplicis speciei consecratione, quâ separatim consecratur corpus, & separatim sanguis. *Immo etiam præcepti divini.*

Nec obstat, quod Christus juxta nonnullos Patres, consecraverit in Castello Emmaus sub specie panis: nam si hoc verum sit (de quo inter Patres & interpretes est controversia) & consecratus fuerit panis solus (eò quòd de vino non fiat mentio; quod etiam procedit ab auctoritate negativa) id fieri potuit à Christo per potestatem suæ excellentiæ.

59. Hinc sequitur, non licere sub una specie consecrare, etiam ad communicandum infirmum, juxta Doctores communiter: nam illicitum est directè intendere mutilationem Sacrificii tam graviter à Christo prohibitam, ut aliquis alius impleat præceptum, sortè divinum, communicandi in articulo mortis. *Quod neque ad communicandum infirmum licet infringere;*

Possunt tamen dari casus aliqui, in quibus Sacerdos unâ specie jam consecratâ, licitè non consecrat alteram: ut si physica vel moralis impotentia superveniat, v. g. si deprehendat vinum veneno esse infectum, vel esse aquam, & aliud vinum reperiri nequeat; aut si immineat vitæ periculum, v. g. ex ruina templi, incendio, aut incursu hostium: præceptum enim positivum complendi Sacrificium non obligat in tanta necessitate. Secus est, quando cogeretur Sacerdos mutilare Sacrificium in contemptum fidei: tunc enim id foret intrinsecè malum. Ita communiter Doctores. *Cessat tamen in casu physica aut moralis impotentia superveniente.*

60. Magis controversum est, an auctorita-

An in illud cadat dispensatio Pontificis.

te Pontificis possit subinde fieri consecratio uniùs speciei. Affirmant non solùm ij qui existimant consecrationem utriusque speciei esse tantùm juris Ecclesiastici, sed etiam

Affirmant Nonnulli,

Nonnulli ex illis qui censent esse juris divini: eò quòd videatur Pontifex posse in votis, matrimonio rato, & similibus, quæ sunt juris divini, dispensare. Sed oppositum est communius apud Doctores: Pontifex enim

Sed rectiùs negatur.

propriè non potest dispensare in jure divino citra specialem commissionem, etsi possit illud interpretari, ut in *Tract. de Legibus* dictum est. Deinde nullus est in Ecclesia usus hujus dispensationis. Non erat etiam necessarium aut expedions potestatem dispensandi in hoc, uti nec in aliis ritibus substantialibus, Ecclesiæ relinqui: præsertim cùm ad quaslibet regiones possit & soleat asportari vinum, uti etiam triticum, ubi non nascitur.

61. *Neque dispensationem hujusmodi attentavit Innocentius VIII.*

Nec refert quòd *Innocentius VIII.* dicatur dispensasse cum Norwegiis, ut in solo pane consecrarent, teste *Raphaele Volaterrano l. 7. Geographiæ cap. de Saxonibus.* Idem ab *Innocentio IV.* Quidam dicunt concessum esse Norwegiis, eò quòd vinum ibi ob nimiam loci frigiditatem conservari non possit. Sed quod ad *Innocentium IV.* attinet, nihil tale de eo referunt historiæ. Nullum etiam apparet vestigium istius dispensationis, uti nec alterius factæ ab *Innocentio VIII.* permanente tamen eâdem necessitate: quam equidem experientia ostendit in Norwegia non esse tantam, quin vinum ibi commodè possit conservari, etiam sufficienter ad potum communem. Accedit repugnantia in verbis *Volaterrani* (ut communiter citantur: alioquin editio anni 1511. habet permissum fuisse *sine calice vino sacrificare.* Qui textus vitiosus est: & fortè legendum *vini*) qui refert *Innocentium VIII.* permisisse Norwegiis, ut sine vino calicem consecrarent: non potuit autem calix vacuus consecrari, nec alia materia à Pontifice indulgeri, quàm vinum à Christo institutum. Et quàmvis modum loquendi *Volaterrani* emendaverit *Onuphrius ad annum* 1490. omittendo particulam, calicem; non tamen facit majorem fidem, quia ex solo *Volaterrano* accepit.

Nihilominus si casus occurreret, quo ob defectum unius speciei deberet aliqua natio, saltem longo tempore, carere sacrificio, non videtur improbabile, quòd ex rationabili interpretatione tunc cessaret obligatio præcepti divini de integritate Sacrificii: prout etiam materialis integritas confessionis jure divino præcepta definit obligare in casu necessitatis citra dispensationem: maximè quia casu quo deberet aliqua natio carere sacrificio, moraliter loquendo etiam Sacramento carere deberet.

QUÆSTIO VIII.

Quæ sit forma Sacramenti Eucharistiæ?

PRÆTER Hæreticos, qui generatim in confectione Sacramentorum determinata verba docuerunt non esse necessaria, fuerunt alii admittentes quidem in consecratione determinata verba, sed alia, quàm quibus utitur Ecclesia.

Nihilominus certissimum est ad consecrationem panis requiri saltem hæc verba, aut æquivalentia: *Hoc est Corpus meum*; & ad consecrationem calicis: *Hic est sanguis meus*; sive *Hic est calix sanguinis mei.* Nam hæc verba omnes Evangelistæ & Apostolus, referentes institutionem Sacramenti, expresserunt, eademque deinceps usurpanda instituit Christus dicens: *Hoc facite &c.* Unde *Florentinum in Decreto de Armenis* definit hoc Sacramentum confici per verba Salvatoris; utique prædicta. Quod etiam expresserunt Patres, & semper sensit ac practicavit Ecclesia. Ratio est, quòd illa verba proferat Sacerdos in persona Christi; *Sacerdos* autem *loquens in persona Christi hoc conficit Sacramentum*, ut ait *Florentinum suprà.* Deinde eadem significant conversionem panis & vini in Corpus & Sanguinem; quæ est consecrationis effectus.

Sed aliqui Catholici dubitarunt, an Christus ipse consecraverit per eadem verba: nam potiùs ipsum virtute suæ excellentiæ consecrasse sine verbis, credibile putavit *Innocentius III. l. 4. de mysteriis missæ c. 6.* & ex professo defendit *Catherinus in Opuscul. de verbis consecrationis.* Alii saltem putarunt ipsum consecrasse per alia verba nobis ignota; aut per usitata quidem, non tamen in quantum publicè prolata & ab Apostolis audita, sed antecedenter secretò prolata. Fundantur in eo, quòd juxta narrationem Evangelistarum Christus verba consecrationis usitata dixerit post distributionem factam. Et de calice *Marci* 14. dicitur: *Biberunt ex illo omnes.* Deinde subditur: *& ait illis: Hic est sanguis meus &c.* Quidam etiam Patres indicant Christum consecrasse, dum benedixit.

Verùm oppositum est indubitatum apud omnes Doctores. Idque satis indicat contextus Evangelii, prout semper fuit intellectus. Idem expressè docent Patres, *Eusebius Emissenus*, & refertur c. *Quia corpus, de Consecr. dist. 2. Damascenus l. 4. de fide c. 14.* ubi scribit: *Dixit antiquitùs, Producat terra herbam virentem, atque ea etiamnum orto imbre fetus suos producit, divino præcepto impulsa ac roborata. Dixit Deus, Hoc est Corpus meum, &, Hic est sanguis meus, & Hoc facite in meam commemorationem: atque omnipotenti ipsius præcepto, donec ipse veniens hoc efficitur: ac pluvia huic novæ segeti per consecratio-*

crationem existit sancti Spiritus vis inumbrans. *Tridentinum* quoque *sess.* 13. *c.* 1. idem clarè supponit. Et *c.* 4. ex veritate verborum consecrationis declarat fieri conversionem panis in corpus Christi, eamdemque fuisse factam à Christo, quando verba consecrationis protulit, dicens: *Quoniam corpus suum id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, per consecrationem panis & vini conversionem fieri &c.*

65. *Quibus sententiis Ecclesia Catholica adhæreat.*

Fundamentum aliorum nullius est momenti. Nam facilè Evangelistæ posteriùs factum priùs retulerunt per anticipationem Scripturis usitatam, uti contigit *Marci* 14. Non est tamen necessariò ad ordinis inversionem in altero exemplo recurrendum: potuit enim Christus simul atque frangebat, & dabat, velut eodem tempore dixisse: *Hoc est corpus meum.* Immo priùs consecrasse, quàm discipulis dederit, colligitur ex ipsa Scriptura: nam postquam *Matthæus* dixit: *Deditque Discipulis*; addit: *& ait Accipite*; adeoque satis significat tunc necdum distributionem factam (cùm ly *Accipite*, sit verbum imperantis, non imperetur autem, quod jam factum constat) sed tunc moraliter fieri, quando verba dicuntur.

An ly benedixit sit idem quod consecravit.

Similiter si benedicere sit idem quod consecrare, ut putat *D. Thomas* & plures alii, sensus erit (ut idem *D. Thomas* explicat) benedixit &c. dicens, Hoc est corpus meum; ita ut benedicere fuerit, dicere illa ipsa verba. Quàmvis rectiùs existimet *D. Bonaventura, Titelmannus, Jansenius, Suarez* & plurimi alii, fuisse distinctas actiones, & Christum varias præmisisse consecrationi pro majori solemnitate ipsius sacrificii. Tum quia in Evangelio distinctè narrantur. Tum quia id supponere videtur *Tridentinum, sess.* 13. *c.* 1. dicens, *Redemptorem nostrum hoc Sacramentum instituisse, cùm post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est.* Supponit igitur verba consecrationis fuisse dicta postquàm Christus materiam ipsam benedixit. Tum quia id conformius est sensui Ecclesiæ, quæ in Canone missæ (ubi Sacerdos exactissimè Christum refert, & imitatur) istas actiones distinctissimè recitat. Unde primò accepit panem, secundò gratias egit Deo Patri, tertiò panem benedixit, quartò apparenter fregit, quintò consecravit, denique distribuit.

66. *Error quorundam Græcorum refertur & refellitur.*

Fuerunt insuper nonnulli Recentiores Græci, existimantes verba ordinaria consecrationis non sufficere, nisi addantur quædam verba deprecatoria, quibus à Deo petatur panis & vini conversio: eò quòd in omnibus Græcorum Liturgiis post verba Christi ponatur ejusmodi oratio. Sed hoc est contra communem Ecclesiæ Catholicæ existimationem, apud quam preces adhibentur tamquam piæ solùm ceremoniæ. Immo ipsi Græci statim post verba Christi, non exspectatis aliis precibus, proponunt Sacramentum adorandum populo, qui etiam ad verba Sacerdotis consecrantis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum*, respondet *Amen* hoc est, *Verum*; supponens utique ex tunc ibi esse corpus Christi. Ipseque Christus sine alia prece, etiam juxta Græcos, consecravit per verba consueta; quibus tamen ipse subjunxit: *Hoc facite*; adeoque similibus verbis consecrate. Ratio est, quòd verba illa contineant integram significationem conversionis panis & vini; neque Christus alia verba instituisse legatur.

67. *Ritus Græcorum Catholicè exponitur.*

Unde per deprecationem illam, in Liturgiis Græcorum sequentem consecrationis verba, non petitur, ut panis & vinum fiat seu evadat corpus Christi, sed ut panis, qui jam corpus Christi est, & qui in calice est sanguis Christi, fiat accipientibus in salutem animæ & remissionem peccatorum: sicut in *Missa Romana* dicitur: *Hæc commixtio & consecratio Corporis & Sanguinis tui, fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* Quocirca in *Concilio Florentino* Græci à Latinis interrogati, cur prolatis Christi verbis adderent ejusmodi orationem, responderunt, ut sequitur. *Fateri nos diximus, per hæc verba* (consecrationis scilicet) *transmutari sanctum panem & fieri Corpus Christi: sed postea quemadmodum & ipsi dicitis, Jube perferri dona hæc per manus sancti Angeli tui in supercæleste tuum altare: ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus sanctus descendat super nos, & faciat in nobis panem hunc pretiosum Corpus Christi &c. transmutetque illa Spiritu suo sancto: ut fiant accipientibus in Emundationem animæ, in remissionem peccatorum, non verò in judicium aut condemnationem.* Addit *Bessarion* Cardinalis, verba illa dici adgratulatoriè ob consecrationem mox factam: ea tamen à sanctis Patribus per modum deprecationis fuisse prolata, ut ostendatur Spiritum sanctum esse doni auctorem. Maximè autem sic poterant proferri, eò quòd ipso momento quasi præsenti hæc operatio cælestis fieret. Simili ritu Græci etiam in Ordinatione post verba formæ Spiritum sanctum invocant.

Et ab ipsis quoque in Florentino expositus fuit.

68. *An verba Qui pridiè &c. sint necessaria.*

Tertio refertur *Scotus dist.* 8. *q.* 2. *n.* 4. docuisse, necessario requiri verba Canonis præmitti solita: *Qui pridiè quàm pateretur &c.* non quidem tamquam essentialia formæ consecrationis, sed solùm ut per illa appareat Sacerdotem loqui in persona Christi, adeoque non de suo, sed de Christi corpore dicere, *Hoc est Corpus meum. Scotus* tamen tantùm loquitur arguitivè, & nihil definit, ut patet manifestè ex contextu, & ex *Reportatis ibidem n.* 3. *& in fine quæstionis.* Nec arguit requiri in individuo ista verba, sed sive ex illis, sive ex circumstantiis aliis, videri necessarium, determinari Sacerdotem, ut censeatur loqui in persona Christi. Pro quo rationem meritò dubitandi allegat

allegat. Nihilominus Doctores communiter censent ad hoc sufficere ipsam intentionem Sacerdotis: non enim debet quasi reflexè dicere, se loqui in persona Christi; sed sufficit, quòd in actu exercito ita loquatur. Nam qui ex officio est constitutus ad gerendam personam alterius, potest suâ intentione nomine illius agere aut loqui, etsi id reflexè non dicat. Sicut Angelus in veteri testamento nullis verbis præmissis dicebat: *Ego sum Deus Abraham.*

69. *Ostenditur contra quosdam Græcos consecrationi panis non necessariò addendum*: Quod pro vobis datur.

Quartò nonnulli recentiores Græci putarunt ad formam consecrationis panis essentialiter requiri illa verba *Lucæ* 22. *Quod pro vobis datur* vel 1. *Cor.* 11. *Quod pro vobis tradetur.* Sed error hic satis refutatur ex praxi Ecclesiæ latinæ, quæ à Petro Apostolo edocta utitur his solùm verbis: *Hoc est Corpus meum.* Alia quoque verba omittunt non solùm Patres passim, sed etiam Matthæus & Marcus, illa si forent essentialia, minimè omissuri. Et quamquam Christus illa dixerit, non tamen tamquam essentialia; uti neque hæc: *Accipite & comedite.* Deinde ista verba non significant, conversionem panis in Corpus, sed eam adæquatè significant quatuor verba usitata. Immo ne quidem sunt substantialia seu de integritate: tum quia alioquin illa non omisisset Ecclesia Catholica: tum quia nullum est id asserendi fundamentum: tum quia non juvant ad significandum Corpus Christi esse sub speciebus: tum quia plerique Patres illa non addunt.

70. *Verba novi & æterni Testamenti &c. esse essentialia putavit D. Thomas.*

Quintò *D. Themas q.* 78. *art.* 3. & 4. *dist.* 8. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunculâ* 1. (quem sequitur *Petrus Soto*, *Toletus* & pauci alii) existimavit omnia verba, quæ Ecclesia Romana adhibet in consecratione calicis, usque ad illud, *Hæc quotiescumque feceritis*, exclusivè, esse de substantia consecrationis sive (ut loquitur posteriori loco *ad* 3.) omnia esse essentialia Sanguini prout in hoc Sacramento consecratur. Quomodo etiam clarè se explicat *q.* 60. *art.* 8. ut proindè sit contra apertam mentem *S. Thomæ* excogitatum à *Dominico Soto* & quibusdam recentioribus *Thomistis*, verba illa non esse quidem de essentia, sed de substantia & integritate, sic videlicet, ut quàmvis sine illis possit Sacramentum confici, tamen verè concurrant, quando exprimuntur. Sed oppositum docet *Magister*, *Alensis*, *D. Bonaventura*, *Scotus* & alii unanimiter. Et probatur efficaciter ex eò, quòd in aliis Liturgiis quædam ex illis verbis omittantur. Nam in omnibus Liturgiis Græcorum omittitur ly *Æterni* & *Mysterium fidei*, ut patet ex illa *Basilii*, *Chrysostomi*, immo ipsius *Jacobi Apostoli*. Et in Missa Æthiopum (cujus Auctor creditur S. Matthæus) omittitur: *Novi & æterni testamenti*, *Mysterium fidei.* Immo in variis Liturgiis *Maronitarum* (quas adscribunt S. Joanni Evangelistæ) tantùm habetur: *Hic est sanguis meus.* Qui ritus numquam sunt ab Ecclesia Catholica in quæstionem vocati. Ut proinde absurdè & temerariè respondeat *Paludanus* in illis Ecclesiis non confici Sacramentum. Satius dixisset *D. Thomam* non ita fuisse censurum, si vidisset hæc exempla; quæ non vidisse perspicuum est: cùm nullam illorum fecerit mentionem, quantumvis priori loco usque ad novem objectiones circa hanc formam proponat.

Oppositum (quod communiter Theologi tradunt) declaratur.

Hinc etiam patet, non esse de substantia consecrationis juxta explicationem *Dominici Soto*: nam alioquin omnes illæ Ecclesiæ perpetuò omisissent aliquid, quod ex instituto Christi est de substantia formæ. Deinde in consecratione Corporis non est de essentia aut substantia ly, *Quod pro vobis datur*; ergo nec similia verba pertinent ad substantiam consecrationis calicis. Ratio est, quòd illa verba non pertineant ad significandam conversionem seu præsentiam sanguinis sub speciebus vini, sed ad hoc sufficiant ista: *Hic est sanguis meus.* Non est autem in potestate Sacerdotis differre effectum formæ, quæ vi significationis suæ est conversiva, usque ad prolationem verborum eò non spectantium, & prolatis jam verbis solùm & plenè significativis hujusmodi conversionis. Quemadmodum differre non posset effectum, si adderet Consecrationi corporis ly *Quod pro vobis datur*, vel ly *Crucifixum, sepultum, jam glorioſum &c.*

Fateor tamen (quidquid secùs senserit *Lugo*) Deo volente potuisse sic esse institutam formam, ut verba priora non habuissent effectum sine posterioribus addi solitis: Etsi enim hæc non significent conversionem istam vi verborum, adeoque de facto non concurrant, potuisset tamen illis annecti significatio sacramentalis; immo etiam verbis quibuscumque disparatis. Quod non juvat intentum *Thomistarum.*

Si autem quæratur, cur illa additio potiùs sit retenta in forma calicis, quàm similis in forma panis, in qua similiter à Christo fuit facta, ac etiamnum fit à Græcis? Resp. ideò quòd forma calicis posteriùs ordinariè adveniens compleat oblationem sacrificii: in qua proinde ad expressiorem repræsentationem passionis Christi (quam recolit sacrificium) id additur; & quia magis significatur passio per effusionem Sanguinis.

Pleraque porrò verba hujus additionis narrantur in Evangelio tamquam à Christo dicta. Quod etiam censendum est de ly *æterni*, & *mysterium fidei*: quamquam Scriptura non referat. Sufficit enim Traditio, quam satis docet Canon Missæ, & usus antiquissimus. Et expresse affirmat *Innocentius III. cap. Cùm Marthæ, de celebr. Miss.* Convenienter quoque apponuntur, habentque sensum optimum. Nam significant Sanguinem Christi esse authenticum instrumentum,

tum, quo novum Testamentum consignatur in æternùm mansurum, esseque mysterium fidei, id est arcanum solâ fide cognitum: qui effundetur, scilicet in passione, aut in altari, in salutem ac remissionem peccatorum. Vide etiam horum explicationem apud *D. Thomam quæst.* 78. *art.* 3.

QUÆSTIO IX.

An verba Consecrationis proferenda sint recitativè, an verò significativè, & quid significent?

NOTA illud proferri recitativè sive historialiter, quòd solùm refertur tamquam ab alio dictum; prout facimus referendo aliorum Auctorum verba. Significativè verò sive assertivè dicitur, per quod intendimus aliquid affirmare vel negare. Inter quæ est magna diversitas: qui enim aliqua verba solùm recitat, verum dicit, etsi verba illa sint falsa, dummodò sint ab alio prolata, prout ipse recitat, qui verò ea refert significativè, ut dicat verum, debent verba esse conformia rebus quas significant.

DICO I. Forma consecrationis non solùm recitativè, sed etiam significativè debet proferri. Quòd recitativè, docent communiter Doctores contra *Vasquez*. Et videtur manifestum ex contextu Canonis, in quo Sacerdos expresè dicit, Christum verba formæ protulisse, & ea esse verba Christi. Quòd etiam significativè proferri debeat, docent similiter Doctores communiter contra *Alphonsum Salmeronem* & paucos alios post *Innocentium III. l.* 4. *De mysteriis miss. c.* 17. Probatur I. quia Sacerdos debet non solum referre, quid Christus dixerit, sed etiam circa præsentem materiam individuam sic se habere, ut de ea asserat seu significet Esse corpus meum, id est, Christi. In hujus namque persona Sacerdos consecrans loquitur, juxta *Florentinum in Decreto de Armenis*: adeoque non solum recitat, sed etiam asserit, *Hoc est Corpus meum*: qui enim solum refert alterum hoc vel illud dixisse, non ideo loquitur in persona alterius. Probatur II. quia ille sensus requiritur ad valorem, qui est Christi: ille autem est enuntiativus: Christus enim significativè formam protulit, adeoque & Sacerdotes sic proferre debent, quibus dixit: *Hoc facite &c.* Probatur III. quia verba consecrationis significant, & quidem practicè, sub speciebus poni Corpus & Sanguinem Christi, adeò ut forma foret falsa, si Corpus & Sanguis ibi non poneretur: ergo non tantùm recitativè, sed etiam assertivè debent proferi: aliàs enim Sacerdos verum diceret, hoc est, referret seu verus esset in referendo, etsi Corpus Christi numquam sub speciebus fuisset: adeoque ex veritate verborum consecrationis sacerdotalis non rectè demonstraretur seu inferretur præsentia Christi.

75. *Potest eadem oratio proferri simul recitativè & significativè.*

Quàmvis autem eadem oratio non posset habere duplicem sensum significativum (quod Plurimi negant, eò quòd variæ Scripturæ habeant duplicem sensum etiam literalem) potest tamen saltem habere unum recitativum, & alterum significativum; quidquid dicat *Vasquez*, quem contextus Canonis satis in præsenti convincit. Et ratio est, quod per recitativum sensum nihil significetur, sed verba solùm referantur ut ab alio prolata, adeoque potest loquens velle per eadem verba aliquid significare. Sic solent Magistri in scholis & Concionatores in cathedris relatâ alicujus auctoritate utrumq; intendere. Sic etiam furi rectè dicitur, Deus rectè dixit: Non furtum facies: intentione referendi verba Dei & significandi malitiam furti. Quomodo dixit ipse Christus: *Matth.* 15. *Bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autē eorum longè est à me.*

76. *Sola prolatio assertiva requiritur ad valorem.*

Adverte tamen, quod etsi uterque proferendi modus sit præceptus, sola tamen prolatio significativa sit necessaria ad valorem consecrationis: cùm illa sola sufficiat ad hoc ut verba significent, adeoque efficiant conversionem panis & vini. Utì etiam sufficit, ut Sacerdos loquatur in persona Christi, quod tantùm *Florentinum* requirit. Unde nisi hæc intentio assertivè proferendi adsit, saltem implicitè (adest autem practicè semper eo ipso, quòd Sacerdos velit absolutè facere, quod Christus fecit seu facere instituit) Sacerdos verè non consecraret.

An aut quæ verba formam antecedentia significativè proferantur.

Adverte II. verba consecrationem præcedentia tantum recitativè proferri. Nisi quod verosimile sit Sacerdotem loqui in persona Christi, adeoque significativè, in his verbis: *Accipite & manducate.* Quod etiam ex Patribus deducit *Lugo d.* 11. *sect.* 5. *n.* 120. & consequenter idem dicendum foret de adverbio, *enim*. Quod alioquin tantùm recitativè dici videretur, utì præcedentia: idque absolutè contendit *Coninck*. Quàmvis adhuc Nonnulli contendant significativè dici ob hoc, quod Sacerdos non solùm referat, quid Christus dixerit, sed etiam significet causam ob quam Christus dixerit: *Accipite & comedite*. Sed facilè responderet *Coninck* Sacerdotem id non asserere, sed referre, nec aliter significare.

77. *Verba addita solita in forma calicis, an proferantur tantùm recitativè.*

Quod attinet ad verba à Latinis in forma calicis addi solita: *Qui pro vobis & pro multis effundetur &c.* & à Græcis in forma consecrationis panis: *Quod pro vobis datur*, sive *frangitur*: si referantur ad passionem Christi (ut habet communior sententia Doctorum & Patrum) tantùm proferuntur recitativè; cum effusio sanguinis in cruce non possit jam significari tamquam futu-

futurum. Nisi quis dicere mallet, Sacerdotem sic loquentem repræsentare Christum loquentem tempore ultimæ cœnæ ad discipulos, respectu cujus temporis effusio sanguinis in cruce erat futura. Quâ ratione poterunt ista verba etiam enuntiativè proferri. Quod rectiùs & faciliùs fieri posset, si cum *Jansenio Gandavensi* verba illa non referantur ad traditionem Corporis vel effusionem Sanguinis in cruce, sed ad oblationem illius in Sacrificio Eucharistiæ.

78. *Pronomina* hic & hoc *non demonstrant panem & vinum.*

Dico II. Pronomen demonstrativum *hic* vel *hoc*, non demonstrat panem aut vinum: nam illa non sunt corpus Christi aut sanguis. Ob eamdem rationem non significat species sensibiles. Non etiam significat corpus aut sanguinem Christi distinctè & ex parte subjecti intellectum: sic enim esset propositio nugatoria; q. d. Corpus meum est corpus meum.

Quis sensus formæ, si pronomina sumantur adjectivè.

Itaque potest primò sic explicari, ut sub ipso nihil intelligatur, quod se teneat ex parte subjecti, sed tantùm quod se teneat ex parte prædicati, ad quod pronomen immediatè referatur tamquam adjectivum ad suum substantivum, cum eo conveniens in genere, numero & casu; sic ut in fine prolationis formæ demum significet ac demonstret ly *hoc*, ipsum Corpus Christi, & ly *hic*, ipsum calicem Sanguinis sive Sanguinem Christi. Ita *Vasquez d.* 201. *c.* 4. *Præpositus* & varii Recentiores. Et probatur: quia modus hic explicandi apparet expeditus, nec aliquod sequitur ex eo inconveniens. Nam quòd posset objici vitium nugationis, quale est hîc, Homo est homo: facilè solvitur dicendo, non esse magis quàm in multis aliis similibus propositionibus v. g. hic est equus &c. quarum subjectum demonstrat prædicatum. Ratio autem est, quòd prædicatum concipiatur alio modo, quàm subjectum.

79. *Quis sensus, si sumatur substantivè,*

Secundò potest pronomen accipi substantivè, sic ut ex parte subjecti aliquid substantiæ intelligatur v. g. sub ly, *hoc*, singulare entis, ut docet *Scotus dist* 8. *q.* 2. *n.* 17. sive (ut loquitur *ibidem in Reportatis n.* 9.) suppositum singulare entis sub speciebus contentum. Alii autem censent demonstrari singulare substantiæ, corporis, edulii, contenti &c. quod tamen ferè in idem redit: sensus sit, hoc singulare, quod sub accidentibus his continetur, est corpus meum, scilicet in fine prolationis. Similiter in consecratione calicis pronomen *hic* substantivè sumptum significat liquorem, potum, calicem aut quid simile. Ratio est: tum quia Doctores communiùs sic explicant: tum quia sine incommodo sic explicari potest.

Contra hanc tamen explicationem (quam *Vasquez sup. c.* 2. censet valde probabilem) objicit idem *Vasquez*, quod pronomen *hoc* demonstret ad sensum, cui tantùm demonstrari potest aliquod individuum determinatum: si autem demonstraret contentum sub his speciebus, demonstraret tantùm aliquod individuum vagum, quod potiùs signaretur per ly, *Aliquis*, quàm per ly *Hoc*. Resp. pronomen *hoc* non demonstrare contentum in vago, sed ipsum singulare corpus Christi, tamen sub confusa ratione individui generici, entis v.g. & demonstrare pro ultimo instanti completæ orationis. Vide *Scotum sup.* & *n. seq.* Aliter respondèri potest cum *Suarez* & aliis, pronomine *hoc*, signari individuum determinatum, & demonstrari ad sensum, quoad accidentia sensibilia, nec eatenus signari individuum vagum (quale signaretur per ly *Aliquis cibus*) simul tamen signari, & ad intellectum demonstrari individuum in confuso, quantùm ad substantiam, v. g. individuum substantiale sub his accidentibus contentum: quod est indifferens pani communi & consecrato, & per prædicatum determinatur ad corpus Christi, sicut determinaretur ad panem dicendo, hoc est panis.

Dico III. Verbum *Est*, significat identitatem & convenientiam, quâ unum dicitur esse aliud. Patet: nam ista est usitata & propria significatio verbi *Est*: forma autem consecrationis debet accipi secundùm propriam & apertissimam significationem, secundum quam semper à Patribus intellecta est, juxtà *Tridentinum sess.* 13. *c.* 1. Ex quo rejectâ manet quorumdam explicatio, qui verbum *Est*, olim explicarunt per verbum *fit*, seu *transit*. Estque hoc verbum formæ essentialis: cum sine verbo non stet propositio.

Dico IV. Conjunctio *Enim* ponitur tantùm ad continuationem verborum subsequentium cum præcedentibus, & insinuat causam verborum, quæ Christus dixit: *Accipite & manducate*. Patet satis ex contextu Canonis. Unde nullo modo est de essentia formæ: immo ob parvitatem materiæ omissio illius non videtur mortalis, secluso contemptu, ut notat *Suarez disp.* 59. *sect.* 1. quidquid aliqui contradicant. Quàmvis contemptus facilè adesse posset in omnino voluntariè omittente; cùm nulla possit esse ratio omittendi.

Dico V. Corpus, significat compositum ex carne, nervis & ossibus: similiter sanguis, significat liquorem contentum in corpore humano satis notum. Hæc namque est communis & propria istarum vocum acceptio.

Unde cum vox *caro*, in rigore significet certam corporis partem, & sic sumpta nullatenus sit synonimia cum voce *corpus*, patet non sufficere ad formam consecrationis. Secus est, si per tropum, satis usitatum, etiam sacræ Scripturæ, sumatur pro toto corpore. Et sic conciliari possunt Doctores, quorum aliqui asserunt, alii negant valere consecrationem sub hac forma; *Hæc est caro mea*.

Perinde autem est quoad sensum, sive dicatur Sanguis, sive calix Sanguinis: nam ca-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lix sumitur pro vase hoc sensu: Hic est calix seu vas continens sanguinem meum. Vel sumitur calix per metonymiam pro ipso potu contento, quasi dicatur: His est Sanguis meus contentus in calice; ut explicat *D. Thomas q. 78. art. 3. ad 1.* & alii frequenter.

At verò alio ordine Lucas & Paulus verba disposuerunt. Lucas quidem: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo*: Paulus verò: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*. Idem tamen est sensus substantialis, adeoque (quidquid Aliqui contradixerint) forma est valida, etsi contra ritum Ecclesiæ. Credendum enim est singulos canonicos Scriptores institutionem hujus Sacramenti narrantes assignasse formam substantialem sufficienter. Et de facto in Missa *S. Isidori* (quæ habetur in Ecclesia Toletana) continetur hæc forma. Sensus proinde est: Hic est calix sanguinis mei, quo novum testamentum conditur & firmatur; sive, Hic calix est novum testamentum in meo sanguine, hoc est, ratione sanguinis mei quem continet.

DICO VI. Vox *meus* sive *meum*, determinat corpus sive sanguinem, indicatque formam proferri in persona Christi. Unde non valeret, si diceretur, Hoc est corpus Christi: quia tunc Sacerdos non loqueretur in persona Christi.

83. Petes an formæ consecrationis operentur ut veræ, an ut significativæ? Resp. illas operari conversionem, non ut veras, sed ut significativas. Ita *Scotus sup. in 4. 5. Propter hoc dico, Valentes, Prepositus* & alii passim, contra *Conink* & quosdam *Thomistas*. Probatur: quia veritas formarum consecrationis est naturâ posterior existentiâ Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus, cùm ab hac tamquam termino significato veritas dependeat: ergo non possunt causare ut veræ seu secundùm veritatem; alioquin veritas deberet tamquam causa esse prior existentia Corporis & Sanguinis sub speciebus. Unde quàmvis simul tempore forma consecrationis significet, efficiat & sit vera; tamen priùs naturâ significat, posteriùs naturâ abstrahendo à veritate & falsitate efficit, postremò est vera.

Pro fine hujus quæstionis nota *Scotum sup. n. 19. & seqq.* problematicè disputare, an formæ consecrationis virtute sermonis significent Corpus & Sanguinem Christi esse sub speciebus pro instanti prolationis copulæ, an verò pro ultimo instanti propositionis. Et quàmvis loco citato videatur satis inclinari in prius, nempè formas significare præsentiam ex vi sermonis pro instanti prolationis copulæ, etsi veræ sint pro ultimo instanti, eò quòd intentione proferentis determinetur tota oratio, omnesque illius partes pro instanti completæ orationis: nihilominus in *Report. ibid. n. 7. & 8.* cum communi sententia resolvit, significare pro ultimo instanti propositionis. Et meritò: quia alioquin fatendum esset formas consecrationis non esse in rigore veras. Ratio est: quia est de ratione subjecti, copulæ & prædicati, quòd significent tamquam partes enuntiationis: sed ante instans completæ enuntiationis non sunt partes illius; ergo ut tales non possunt significare. Confirmatur: quia etsi in propositionibus speculativis objectum ordinariè existat pro instanti enuntiationis inchoatæ; in practicis tamen significatur quod est pro instanti prolatæ orationis. Sic cùm princeps dando vel instituendo aliquod officium dicit, Hoc officium est tuum, Tu es prætor &c. non significatur illud quod est pro initio enuntiationis, sed quod vi enuntiationis est futurum.

84. *Ex vi sermonis significans Corpus & Sanguinem esse non pro instanti copulæ, sed completæ propositionis.*

DISPUTATIO TERTIA.

De Præsentia Christi in Eucharistia.

QUÆSTIO I.

An in Eucharistia sit realiter & substantialiter Corpus & sanguis Iesu Christi?

PRIMI omnium Hæretici (ut eos vocat *Augustinus*) qui hoc mysterium negarunt, aut saltem de eo dubitarunt, fuerunt discipuli illi, qui *Joan. 6.* audientes Christum de hoc differentem, dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Et abierunt retrò cum quibusdam Capharnaitis dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Inter illos fuit Judas juxta *Augustinum Tract. 27. in Joannem*, & *Chrysostomum Homil. 46. in Joannem*; adeoque *Sacramentarii* habent præceptorem & ducem eumdem, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum. Quod etiam colligitur ex *Joan. 6.* ubi Christus ait: *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt*, dictis nimirum de Eucharistia. *Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.* Quem dein clarius denotans ait: *Ex vobis unus diabolus est.*

Inter quos Iudas, Sacramentariorum dux.

Secundo loco recensentur quidam Corinthii reprehensi ab Apostolo *1. ad Cor. 11.* quòd Eucharistiam tamquam cibum communem sumerent. Unde ait: *Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo: nam oportet & hæreses esse.* Sed videntur potiùs hæ scissuræ pertinuisse ad modum celebrandi cœnam dominicam, quod scilicet cum contemptu

2. *Quid in Corinthiis taxet Apostolus 1. Cor. 11.*

temptu pauperum & ebrietate quidam convenirent ad epulum, quod in communi fiebat à Christianis divitibus & pauperibus in signum charitatis, ideoque Agape dicebatur. Et in principio nonnullis in locis præmittebatur Synaxi, signanter apud Corinthios, ut probabiliùs censet à *Lapide in Comment.* Indicto autem jejunio ante sumptionem Eucharistiæ, adhuc diu variis in locis servatum fuit epulum simile post sacram Synaxim. Apostolus itaque taxat in Corinthiis præfatum abusum, & inde consequentem indignam Eucharistiæ sumptionem, graviter inculcans necessariam præparationem.

Tertiò referuntur varii antiquiores Hæretici, qui tamen (ut rectè notat *Bellarminus l. 1. de Euchar. c. 1.*) non tam Sacramentum Eucharistiæ, quam mysterium Incarnationis oppugnarunt. Quare nullus Veterum hunc errorem in Cathalogo Hæresum posuit, aut ex professo primis sexcentis annis oppugnavit.

3. *De Eucharistia malè locuti sunt Iconomachi.*

Itaque post annum 700. cœpit non rectus quorumdam de Eucharistia fuit loquendi modus. Ob quod exinde Græci Scriptores nomen figuræ seu imaginis expressiùs excluserunt ab Eucharistia: ut patet ex *Damasceno l. 4. de fide c. 14.* & *Theophylacto in c. 26. Matth.* Unde anno 787. *Synodus VII. act. 6. Tomo 3. in fine* de eodem errore aut certè erroneo loquendi modo notavit *Iconomachos*, quòd dicerent Eucharistiam esse unicam imaginem & figuram Christi. Quos tamen de ipsa re rectè sensisse ait *Baronius ad annum 787.* & potiùs pugnantia dixisse arguit *Synodus VII.* suprà. Nam erant *confessi divinum Corpus panem fieri. At si imago Corporis est non potest sanè fieri divinum Corpus*, inquit, *Synodus.*

De eadem non rectè sensit Ioannes Scotus, non ille Doctor Subtilis,

Quem errorem circa annum 800. (ut refert *Bellarminus suprà*) secutus est quidam *Joannes Scotus*, monachus Benedictinus, & (ut aliqui addunt) Caroli magni Præceptor (ignoro tamen quî hoc consistat cum Chronologia *Baronii* agentis de *Joanne Scoto* ad annum 878. & de morte illius ad annum 883. cùm tamen Carolus magnus plurimis ante annis mortuus, & in fine anni 800. in Imperatorem sit consecratus) qui primus in Ecclesia Latina de hac re dubiè scribere cœpit: cujus liber de Eucharistia, quem *Berengarius* plurimùm laudaverat, lectus & damnatus fuit in *Concilio Vercellensi* celebrato anno 1050. præside Leone IX. Et rursùm in *Concilio Romano* sub Nicolao II. ab ipso *Berengario* per ejus lectionem lapso in hæresim, igni traditus est.

4. *Diuq; post hunc Berengarius, vulgò habitus Sacramentariorum Auctor,*

Repressum itaque aliquamdiu errorem acriùs excitavit, & latiùs propagavit circa an. 1050. *Berengarius* Archidiaconus Ecclesiæ Andegavensis, adeò ut passim habeatur primarius auctor *Sacramentariorum*, nō quòd primus hunc errorem invenerit, sed quòd in Ecclesia Latina primus eum publicè & pertinaciter propugnaverit ac propagaverit.

Hic in pluribus Conciliis damnatus, & non semel convictus, hæresim abjuravit. Primò absens damnatus est in *Concilio Romano* & altero *Vercellensi* celebratis sub Leone IX. ut ex *Lantfranco* (qui interfuit) refert *Baronius ad annum 1050.* Deinde in *Concilio Turonensi* sub Victore II. Ast relapsus post factam ibidem hæresis abjurationem, juramentum renovavit in *Concilio Romano 113.* Episcoporum sub Nicolao II. professus ibidem formulam fidei, quæ habetur c. *Ego Berengarius dist. 2. de Consecr.* Sed rursùm relapsus, ac novum commentus dogma de Christi præsentia sub Eucharistia simul cum substantia panis & vini, iterum jam octogenarius sub Gregorio VII. Romæ in Cōcilio damnatus, seriò resipuit, & in fide Catholica perseveravit, teste *Gersone*, *Surio* & aliis. Videndus *Baronius ad annum 1088.* quo curiosum hunc hæresiarcham propè nonagenariū decessisse scribit.

Remansit tamen hæc hæresis in quorumdam animis, ut *Petro-Brusianorum*, *Albigensium*, *Waldensium*: quo circa annum 1360. secutus est *Joannes Wiclef*: & tandem nostri temporis hæretici *Zwinglius* & alii docentes Corpus Christi non esse verè & realiter in Eucharistiæ Sacramento, inde dicti *Sacramentarii.* Cum quibus re ipsâ sentit *Calvinus*: ut facilè patet conferenti varios §§. *c. 17. l. 4. Instit.* Quod etiam annotarunt plerique Auctores, qui contra Hæreticos hujus temporis doctissimè & luculenter scripserunt. Unde in eum quadrat illud *Irenæi in præfatione lib. 1. adversùs hæreses* dictum de Hæreticis: *Similia quidem nobis loquentes, dissimilia verò sentientes.* Quare passim *Calvinistæ* eumdem errorem tuentur. Contra hoc omnes

Veritas Catholica habet, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, verè, realiter & substantialiter contineri Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini consecratis. Ita docet *Nicænum II. Lateranense* sub Innocentio III. *Constantiense*, *Florentinum* & novissimè *Tridentinum sess. 13.*

Probatur I. ex *Joan. 6.* ubi Christus ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita &c.* Hic locus intelligitur à Patribus (quos magno numero citant *Maldonatus in c. 6. Joannis*, *Suarez*, *Vasquez* & alii) de vera & reali corporis Christi manducatione. Similiter à *Concilio Alexandrino* approbato à *Synodo III. generali* Item à *Synodo VII.* à *Tridentino sess. 13. c. 2.* & aliis Conciliis.

Sic autem intelligi debere, patet in primis ex proprio & obvio prædictorum verborum ac subsequentium sensu. Secundò ex murmuratione Judæorum: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Et scandalo discipulorum dicentium: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Si enim tantummodò figuram carnis suæ, vel nudum panem Christus eis pro-

promisisset, ut *Calvinistæ* volunt; vel tantùm de manducatione spirituali per fidem locutus fuisset, facilè totam contentionem & scandalum uno verbo sedare potuisset. Sed quia rectè intellexerant verba de vera carne Christi, hinc auget sententiam præcedentem gravissimo juramento dicens: *Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; cùm tamen à sanguine Judæi maximè abhorrerent. Tertiò idcirco inferiùs exaggerando dicit: *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; bis repetens *verè*, ne quis eum de cibo vel potu metaphorico per fidem sumendo loqui apprehenderet. Quartò præfert panem à se dandum Mannæ; quod tamen etiam fuit figura singularis corporis Christi, ab antiquis Patribus per fidem in Christum manducata, & alioquin alteri pani nullatenus postponenda. Denique quia idcirco Joannes, qui diligentissimè mysteria ultimæ cœnæ descripsit, ne verbo quidem de hoc mysterio egit: eò quòd de ipso egisset sufficienter *cap. 6.* ut etiam rectè notavit *Aug. l. 3. de consensu Evangelist. c. 1.*

8. Ex quo constat *Augustinum* intellexisse eumdem locum, non de sola manducatione per fidem seu spirituali (de qua loquitur, dum alibi parvulis per Baptismum Corpori mystico Christi incorporandis agens, utitur illo loco Christi: *nisi manducaveritis carnem &c.* prout *disp. 6. q. 1.* patebit) sed etiam de manducatione Eucharistica & sacramentali. Quod etiam constat ex *Tract. 26. in Joan.* ubi explicans illa verba: *Ego sum panis vitæ &c.* ait: *Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum: sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt &c.* Et ibidem: *Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem; licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta.*

9. Quare non obstat, quòd idem *Augustinus Tract. 25. in Joan.* ad illa verba; *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*; dicat: *Quid paras ventrem & dentes? Crede, & manducasti.* Nam fatendum est illam sententiam Christi (quam *Augustinus* ibi explicat) esse intelligendam de manducatione per fidem, ut constat ex adjunctis: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Postmodum tamen occasione acceptâ ex miraculo quinque panum, & objectione Judæorum de manna dato Patribus, transiit Christus suaviter ad tractatum de Eucharistia, cujus institutionem ibidem promittit, ut ex antè dictis constat.

Nec refert, quòd Christus postmodum dicat: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt.* Respondetur enim cum *Augustino Tract 27. in Joan.* Christum rejicere illum crudum & carnalem intellectum, quo Judæi apprehendebant carnem ejus esse manducandam, more scilicet aliarum carnium seu ciborum in frusta consciissam, & docere, verba sua de vera quidem, sed spirituali magis, & sacramentali, manducatione esse intelligenda, ac sic intellecta continere spiritum & vitam. Alium adhuc sensum addit *Augustinus*, ut scilicet Christus assignet veram causam, ob quam caro sua vivificet, nempe spiritum, id est divinitatem suam carni conjunctam; caro autem sola à spiritu seu divinitate sejuncta non prosit ad vivificandum. 10. *Exponitur illud Christi*: Caro nō prodest quidquam.

Ex his patet *Ruardum*, *Jansenium*, & paucos alios insignes Catholicos, ac de mysterio Eucharistiæ alioquin optimè sentientes, non rectè hunc locum *Joan. 6.* explicasse de sola manducatione spirituali per fidem, ut sic facilius responderent *Lutheranis* eumdem locum objicientibus contra communionem sub altera tantum specie: quem tamen illis non favere infrà ostendemus. Quamvis *Tridentinum sess. 21 cap. 1.* noluerit adhuc sensum loci *Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem &c.* de reali sumptione definire (tametsi id varii urgerent) cautè dicens: *Utcumque juxta varias Sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur.* Manet nihilominus efficacia argumenti.

11. Probatur II. veritas Catholica ex verbis Christi, quibus hoc Sacramentum instituit, testibus Matthæo, Marco, Luca & Paulo, nempe his aut æquivalentibus: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus.* Quæ clarissimè præsentiam Corporis & Sanguinis Christi significant: adeò ut clarioribus verbis ea exprimi non potuerit. Neque ullum est aliud mysterium, quod clarius in Scripturis habeatur expressum, 11. *Probatur II. & præcipuè veritas Catholica ex* Matth 26. Marci 3 Lucæ 22. & 1. ad Cor. 11.

Quo non obstante diabolus pater mendacii hæc verba figuratis hæreticorum expositionibus obscurare est conatus, adeò ut anno 1577. prodierit libellus, in quo ducentæ numerantur depravatæ horum paucorum verborum expositiones: quas omnes ad novem reducit *Bellarminus l. 1. c. 8.* Prima est *Carolstadii*, qui dicit, *Hoc est Corpus meum*, idem esse ac, Hîc ad mensam sedet seu est corpus meum, sumendo pronomen *hoc*, pro adverbio locali, *hîc*, & ne tam stulta & crassa expositio displiceret, illam se ex revelatione Patris cælestis didicisse asseruit. Secunda *Buceri* in Retractationibus dicentis pronomen *hoc*, significare totam actionem cœnæ, ut sensus sit: Hæc actio repræsentat sive exhibet corpus meum. Tertia est *Joannis Langii*, qui per pronomen *Varia Expositiones Hæreticorum.*

men *hoc* intelligit panem, & invertit propositionem dicendo, Corpus meum est hoc, nempe panis, quia instar panis reficit animas. Quarta est *Zwinglii*, dicentis verbum, *est*, importare idem quod *significat*, ut sensus, sit: Hoc significat corpus meum. Quinta est *Petri Boquini* sic explicantis: Hic panis dicitur corpus meum, scilicet per communicationem idiomatum fundatam in unione sacramentali, quâ uniuntur res etiam distantissimæ, ut panis in terra & corpus Christi in cælo. Sexta est *Ioannis Oecolampadii* sumentis nomen *corpus*, per tropum, quo nomen significati tribuitur signo, ut sensus sit: Hic panis est figura corporis mei. Septima est *Calvini*, qui *l. 4. Instit. c. 17. §. 21.* cùm *Oecolampadio* admittit in nomine *Corpus*, tropum, sed addit panem non esse nudam figuram corporis Christi, verùm figuram quæ rem ipsam exhibeat, ita ut sit signum efficax, per quod fideles corpus Christi verè manducant, non quidem realiter præsens, sed alio modo ineffabili. Octava est quorumdam *Calvinistarum*, qui (teste *Jansenio c. 59. concordiæ*) sumunt corpus pro Christi corpore mystico, sive Ecclesiâ, quasi Christus dixisset: Accipite & comedite: vos enim Discipuli estis corpus meum. Nonam per jocum excogitavit *Lutherus*, & seriò defendit *Joannes Campanus* teste eodem *Luthero in sua brevi Confessione*, quasi sensus sit: Hic panis est corpus à me factum & creatum.

12. *Sed aliena à proprietate verborum,*

Quæ omnes expositiones adeò sunt distortæ, ut cuilibet sanæ mentis debeant esse suspectæ. Nam juxta indubitatam regulam Scriptura est intelligenda in proprio sensu, nisi necessitas vel Ecclesiæ auctoritas, aliud exigat: quod hîc non fit; cùm potiùs omnes Patres & Ecclesia verba ista semper propriè intellexerint, & ex proprio intellectu nullum absurdum sequatur, ut ex objectionibus patebit.

Intellectu Patrum & Ecclesiæ;

Contra exigentiam circumstantiarum;

Deinde sensus Scripturæ peti debet à circumstantiis: quæ hîc requirunt sensum omnino clarum & proprium. In primis, quia Christus condebat testamentum, cujus verba debent esse clara omnium judicio, ac etiam ex ipsius juris Civilis dispositione. Secundò, quia iisdem verbis inibat fœdus, ut qui dignè sumerent id quod instituebat, haberent vitam æternam; qui verò indignè, judicium; ut patet *1. ad Cor. 11.* Tertiò, quia instituebat rem gravissimam, in qua periculosissimè erratur. Quartò, quia agebat familiariter cùm solis discipulis, quibus datum erat nosse mysteria regni Dei, & quibus solebat obscuriores parabolas verbis claris explicare.

13. *Et apertè ipsius contextûs.*

Præsertim apud Lucam,

Quintò, quia hoc exigunt particulæ adjunctæ: *Quod pro vobis tradetur, Qui pro vobis effundetur.* Quod manifestiùs postulat forma calicis apud Lucam, quæ græcè sic sonat: *Hic est calix in sanguine meo pro vobis effusus*: Cùm igitur calix seu contentum in illo sit pro nobis effusum, certè debuit illud esse sanguis Christi: non enim merum vinum vel figura sanguinis, sed ipse sanguis fuit pro salute nostra effusus. Ad quod argumentum, *Beza* non aliud potuit respondere, quam textum esse corruptum; quantumvis fateatur in omnibus etiam vetustissimis codicibus Græcis ita legi.

Sextò, quia nulla occurit ratio, cur Christus fuisset usus verbis adeo claris, ut non potuisset clarioribus, in sensu tam improprio & inusitato in Scriptura & apud omnes nationes, idque in deceptionem inculpatam fidelium: si enim non sit verum corpus, sed tantùm figura, omnes Catholici sunt coram Deo excusabiles, quia intelligunt testamentum sui Salvatoris sicut sonat, nec habent occasionem suspicandi aliter à Christo esse intellectum. Si autem sit verum corpus, quam excusationem habebunt Hæretici, qui absque fundamento verba clarissima ad peregrinos & inusitatos sensus detorquent?

Denique plura alia, quæ Apostolus *1. ad Cor. 11.* adjungit, præscribens reverentiam in sumendo, & minas divini judicii intentans sumentibus indignè, sicque non dijudicantibus Corpus Domini, fortissimè ingerunt animo bene dispositio, eum non de nudâ figura corporis, sed de vero & reali corpore Christi agere. Non enim de nudo signo rectè diceretur: Qui illud indignè sumpserit, reus efficitur corporis & sanguinis Christi, indignè scilicet accepti seu tractati. Prout de sumente indignè Eucharistiam loquitur Paulus. Immo cùm juxta *Calvinistas* non nisi per fidem Christus in ea manducetur, & juxta eumdem omnis per fidem eum manducans, id faciat dignè, numquam posset consequenter loquendo Corpus Christi indignè manducari: quod tamen apertè repugnat doctrinæ Apostoli: qui proinde de reali manducatione loquitur. Denique non rectè quis damnaretur, quòd Eucharistiam indignè sumens non dijudicet corpus Domini ab aliis cibis, si id quod sumit, verè non est Corpus Domini, sed alius cibus.

His accedunt verba Apostoli *1. ad Cor. 10. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Ubi apertè significat Apostolus (& sic intelligunt Patres Orthodoxi) in calice quem benedicimus communicari sanguinem Christi fidelibus, & consequenter in ejus sumptione eosdem communicare inter se. Similiter panem quem frangimus, sive mysticè in immolatione, sive potiùs physicè ratione specierum post immolationem in distributione (prout olim idè panis immolatus frangi & distribui solebat) esse Corpus Domini, quod unum idemque omnes fideles accipimus. Immo Apostoli inter-

roga-

rogatio habet vim affirmationis vehementioris, quasi de re adeò confessâ, ut nullus auderet contradicere. Qualis est illa, quam paulò pòst subjungit: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Et hâc ratione verificatur, quod Apostolus suprà addit: *Omnes qui de uno pane participamus*; non utique materiali, potiùs quàm omnes Judæi toto tempore veteris Testamenti comederint de uno Agno, aut omnes veteres Sacerdotes unum agnum, unum vitulum &c. mactaverint, eo prætextu, quòd omnes & singuli idem figurarent: sed de uno pane consecrato, id est, de uno corpore Domini. Ex qua participatione fit, ut simus, *concorporei, ut ita dicam, & consanguinei Christi*; ut loquitur *Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi Mystagog. 4.* uniti nimirum corpori & sanguini Christi. Sicque consequenter mysticè per significationem & effectum Sacramenti unus panis, unum corpus multi sumus, ut arguit Apostolus suprà. Quod præclarè explicat *Damascenus l. 4. de fide cap. 14.* prope finem.

Nec obstat, quòd in principio capitis dicat: *Omnes* (antiqui Patres) *eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt.* Loquitur enim apertè de identitate escæ spiritalis seu rei significatæ: comparatque antiquos inter se, bonos videlicet & malos. Et quàmvis comparet nobiscum quoad eamdem escam spiritualem, non sequitur tamen, quòd non sit differentia in modo sumendi: cùm enim omnia illis in figura contingerent, ut ibidem dicitur, nobis autem gratia & veritas per Jesum Christum facta sit, consequens potiùs est, nos illum cibum suscipere realiter, quem illi tantùm in figura suscipiebant.

16. Probatur III. ex Trad.

Probatur III. veritas Catholica ex traditione. Et hæc in primis manifestè constat ex eo, quòd non possit ostendi, quando, & à quo inceperit hæc doctrina primùm in Ecclesia doceri, nisi quando Christus hoc Sacramentum instituit. Adeoque exinde usque nunc in Ecclesia perseveravit: cùm non sit credibile rem tam notabilem postea potuisse irrepere, quin aliquis saltem historicus referret, quando, & à quo, & quinam se opposuissent, uti faciunt de quibuscumque etiam minimis circa doctrinam fidei novitatibus. E contrà autem, quotiescumque aliquis contra hanc veritatem cœpit mussitare, mox per Concilia est repressus, ut patet ex dictis in principio hujus dubii. Secundò constat hæc traditio ex unanimi consensu Patrum, quorum nobilissimam catenam per quindecim ætates texit *Bellarminus* toto *lib. 2. de Eucharistia*. Nobis pauca testimonia sufficiant. *Chrysostomus l. 3. de Sacerdotio sub initium*, ait: *O miraculum! ô benignitatem Dei! Qui cum Patre sursum sedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur.* *Ambrosius l. 6. de Sacramentis c. 1.* sic scribit: *Sicut verus est Dei filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia Patris, ita vera ejus caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus, & verus ejus sanguis est, quem potamus.* Idem clarissimè docet pluribus aliis locis. *Damascenus l. 4. c. 14.* ait: *Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi (absit enim hoc) sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente: Hoc est meum, non figura corporis, sed corpus, non figura sanguinis, sed sanguis.* Quo quid clariùs dici potuisset?

Sed proferamus pauca ex *Augustino*, & 17.
quàm vanè Hæretici in eo tamquam suo glorientur, videamus. Is itaque *9. Confess. c. 13* de matre sua Monica ait: *Tantummodò memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit..... unde sciret dispensari victimam sanctam* (non utique nudum panem, sed carnem Christi) *quâ deletum est Chirographum, quod erat contrarium nobis..... ad cujus pretii nostri Sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei.* Et *Conc. 1. in Psal. 33.* explicans quòd in Titulo psalmi scriptum erat: *Et ferebatur in manibus suis*, ait: *Hoc quomodo posset fieri in homine quis intelligat? quis enim portatur manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo; manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundùm litteram non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait; Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Nullo modo autem mirabile, impossibile aut singulare hoc esset, nisi intellectum de ipsomet vero corpore Christi: quid enim facilius, quàm ferre signum aliquod seu figuram inanem sui ipsius? Unde quod *Conc. 2.* in eumdem Titulum ait: *Ipse se portabat quodammodo, cùm diceret, Hoc est corpus meum*; non indicat modum portandi improprium, sed mirabilem & naturaliter impossibilem, quia scilicet non in propria specie, sed in aliena, verè tamen seipsum portabat.

Et in *Psal. 98. De carne Mariæ carnem accepit & in ipsa carne hîc ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoraverit &c.* Dum autem postea subjungit: *Spiritaliter intelligite quod locutus sum* (scilicet, nisi quis manducaverit &c.) *non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis &c.* solùm excludit stultum & carnalem intellectum illorum, qui *putaverunt* (ut præmittit S. Doctor) *quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt, Durus est hic sermo.* Spiritualiorem itaque, etsi realem intellectum postulat. Ideoque non negat identitatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia secundum substantiam, quam tam patenter prius expresserat, sed secundum speciem seu formam externam. Quo planè modo idem *Augustinus*

18. Allegantur verba Augustini in Psal 98. & instantia sectariorum occurritur.

95. *in Joan.* in illud: *Iam non videbitis me*, loquitur: *Quid ergo est ad Patrem vado & jam non videbitis me: nisi, quomodo sum, cùm vobiscum sum? Tunc enim adhuc erat mortalis &c. Hunc ergo Christum, id est, talem Christum ..... non erant jam visuri: & ipsa est justitia fidei. De qua Apostolus ait: Etsi novimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Similis quoque est locutio, *ad Cor* 15. Item *ad Gal.* 2. ubi Apostolus ait: *Vivo ego, jam non ego.*

Præterea *Lib.* 2. *contra Adversarium legis c.* 9. ait: *Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus: quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare quàm fundere.* Et *l.* 12. *contra Faustum cap.* 10. *Habet* (inquit) *magnam vocem Christi Sanguis, cùm eo accepto ab omnibus gentibus respondetur, Amen.* (Alludit ad veterem morem; nam olim Sacerdos communicaturo dicebat: *Corpus Christi:* isque respondebat, *Amen*, hoc est, verùm; ut habet *Ambrosius l.* 4. *de Sacram. c.* 4.) *Hæc est clara vox Sanguinis, quam Sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem Sanguine redemptorum.* Et *l.* 3. *de Trinit. c.* 10 inter alia inquit: *Dicaturque illis* (pueris) *auctoritate gravissimâ, cujus corpus & Sanguis sit;* qui scilicet *in altari ponitur, & peractâ pietatis celebratione consumitur*, ut præmiserat.

19. *Explicatur locus Augustini l.* 3. *de doctr. Christia. c.* 16.

Nec refert, quod *Augustinus l.* 3. *de Doctrina Christiana c.* 16 ait: *Si præceptiva locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans; aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur jubere. Figura est ergo, præcipiens Passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata sit.* Nam ly *Figura ergo est &c.* non opponit reali & incruentæ manducationi, sed cruentæ & consuetæ carnium sectioni, coctioni & post cocturam manducationi, de qua præmittit: *Facinus vel flagitium videtur jubere.* Quæ enim flagitii aut facinoris apparentia, & non potiùs summæ utilitatis ac beneficentiæ, in sumptione incruenta carnis & sanguinis Christi? Quocirca potiùs recurrit priùs præmissa regula *Augustini: Si præceptiva locutio est, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata.* Incruentia nihilominus manducatio est figura, quatenus repræsentat passionem Christi, in qua is verè occisus est, cui passo communicare, quemque imitari est fructus hujus Sacramenti. *Et hoc designat illibatum illud altaris Sacramentum, ubi Dominicum corpus accipimus*, inquit *Bernardus in Psal.* 90. *Qui habitat.* ad Versum 3.

Plura alia testimonia *S. Augustini* pro veritate Catholica ponderat *Bellarminus l.* 2. *de Euchar. c.* 24. ubi & loca alia, quæ primâ fronte obscuritatem aliquam præ se ferre videntur, ideoque avidè ab Hæreticis arripiuntur, locis clarioribus derelictis, rectè explicat. Et adhuc plura recenset *Hazeus To.* 2. *Anatomiæ in Indice dogmatico*, ac locis ibi designatis ponderat.

Probatur IV. ex plurimis & certissimis miraculis, quæ Deus diversis à locis intulit huius Sacramenti fecit: non est autem conforme divinæ providentiæ ea facere, vel etiam permittere fieri à dæmone in confirmationem erroris: adeò ut non minùs verè quàm confidenter dixerit *Richardus de S. Victore l.* 1. *de Trin. c.* 2. *Domine, si error est, à te decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.* Miracula, quæ passim obvia sunt, non est necesse referre. Interim videri possunt historici, ac etiam *Suarez d.* 46 *sect.* 5. ubi diligenter & historicum & theologum agit.

Ratione merè naturali non potest existentia hujus Mysterii ostendi; fide tamen supposità, maximam ejusdem Mysterii congruentiam & congruitatem ostendit ratio. Hoc enim opus est tam eximiæ bonitatis, dum Christus fidelibus suis seipsum tali modo communicat. Est opus summæ potentiæ, in quo simul tam multa miracula adunantur. Summæ sapientiæ, in remedio tam opportuno & valido pro nostra salute. Summæ liberalitatis & misericordiæ erga hominem. Et præsertim est præclarissimum opus divinæ charitatis: *in quo*, ut loquitur *Trid. sess.* 13. *c.* 2. *divitias divini sui erga homines amoris* Christus *velut effudit.* Item est opus excellentissimum ad nostram utilitatem & consolationem. Adest enim Christus ad tutelam Ecclesiæ, & ad solamen fidelium. Confert etiam maximè ad exercendam fidem, ad roborandam spem, & accendendum charitatis amorem. Charitatis, inquam, primariò erga Deum, & concomitanter inter ipsos homines: *Quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* 1. *Cor.* 10.

Contrà Catholicam veritatem Hæretici objiciunt I. *Genes.* 17. circumcisio dicitur *pactum*, cùm tantùm esset signum pacti. *Exodi* 12. Agnus paschalis vocatur *Phase* seu transitus, cùm tantùm esset memoria transitûs. Immo in Evangelio Christus de seipso dicit: *Ego sum ostium, Ego sum vitis vera*, & similia multa, quæ non nisi impropriè possunt intelligi. Igitur eodem modo, dum ait, *Hoc est Corpus meum*, impropriè debet intelligi. Quod Confirmatur: quia Scriptura videtur ita seipsam explicare, dum Eucharistiam subinde vocat panem 1. *ad Cor.* 10. *Panis quem frangimus, nonne &c.* & *cap.* 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc.* Et ipse Chri-

Christus *Matth.* 26. & *Marci* 14. calicem consecratum vocat vinum dicens : *Amodò non bibam de hoc genimine vitis.* Ergo non est ibi corpus & sanguis, nisi impropriè. Resp. Neg. Cons. quia in prædictis exemplis ex materia, quæ tractatur, & circumstantiis tam clarè constat Scripturam metaphoricè loqui, ut nulli possit esse dubium. In verbis autem istis, *Hoc est corpus meum*, nihil horum habet locum : adeoque metaphoricè non possunt explicari, quin pari ratione reliquæ Scripturæ metaphoricè explicentur, v.g. hæc *Matth.* 3. *Hic est Filius meus dilectus*, de typo & imagine quadam Filii; Item illa *Joan.* 1. *Verbum caro factum est*, de carne phantastica & similitudinaria cum *Manichæis* : atque ita tota fides incarnationis & passionis convellatur.

Figurata dictio Scripturæ in quibusdam locis non impedit eam in propriis dictionibus aut esse figuram accipi.

Subinde autem Eucharistia vocatur panis & genimen vitis ratione specierum panis & vini, cujus speciem totamque operationem retinet ; juxta morem loquendi Scripturæ, quo aliquid solet vocari nomine rei sub cujus forma apparet ; prout Angeli v. g. in forma virili apparentes vocantur viri, *Genes.* 18. & 19. Deinde quia Eucharistia fit ex pane & vino. Sicut *Genes.* 2. Eva dicitur, *Os ex ossibus* Adæ, & *cap. seq.* dicitur homo *pulvis* seu terra : & *Exodi* 7. serpens ex virga factus dicitur, *virga*. Unde Scriptura loquitur de pane consecrato, qui proinde amplius panis non est, sed corpus Christi, ut patet 1. *ad Cor.* 10. ubi *panis quem frangimus*, dicitur *participatio corporis Domini* sive ipsum corpus Domini. Et *Joan.* 6. *Panis* (ait Christus) *quem ego dabo, caro mea est.* Denique vocat panem, quia est spiritualis animæ cibus ; cùm phrasi Scripturæ panis sæpè quemlibet cibum significet. Quo sensu *Exodi* 16. & alibi frequenter Manna vocatur panis.

In Eucharistia ingeritur vocem panis.

23. Objiciunt II. Lucas *cap.* 22. refert Christum dixisse : *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo* ; ubi calix & testamentum sumuntur metaphoricè : ergo similiter Corpus & Sanguis debent metaphoricè sumi. Respondent aliqui in nomine, *calix*, esse aliquam metaphoram, quâ continens sumatur pro contento, sed tam claram & usitatam ut æquivaleat propriæ locutioni ; adeoque nihil fuvere Hæreticis ad deducendam inde metaphoram inusitatissimam, quâ corpus sumatur pro figura. Melius tamen respondetur, quòd sicut propriè & sine ulla figura poculum continens vinum dicitur poculum vini, sic propriè dicatur calix sanguinis, vel in sanguine, id est, sanguinem continens.

Calix in hoc contextu sumitur metaphoricè pro contento.

Similiter testamentum propriè sumitur : cùm non tantum propriè significet testatoris voluntatem, sed etiam hujus instrumentum : Lucas autem & Paulus dum aiunt, *Hic calix novum Testamentum est*, accipiunt testamentum pro authentico instrumento, quo continetur voluntas Christi tamquam testatoris, ejusque hereditas fidelibus defertur : Sanguis enim Christi verè est authenticum instrumentum, quo merita ipsius nobis relicta continentur, & nobis applicantur. Matthæus verò & Marcus dicentes, *Hic est Sanguis meus novi Testamenti*, accipiunt testamentum pro voluntate testatoris, quâ sanguinis illius heredes efficimur. Unde quamvis etiam in voce testamentum, apud Lucam & Paulum aliqua metaphora admitteretur, satis tamen explicatur per verba Matthæi & Marci : immo per se & ex adjunctis esset tam clara, ut non deberet censeri metaphora.

Sanguis Christi non est propriè testamentum.

24. Objiciunt III. *Matth.* 26. Christus ait : *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis.* Et *Joan.* 16. *Relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Ergo Christus non manet nobiscum secundùm realem præsentiam. Resp. Neg. Cons. Christus enim in his locis tantùm vult se non mansurum apud fideles visibili & corporali seu quantitativâ præsentiâ, quâ fuerat cum illis conversatus : non autem negat se mansurum nobiscum sacramentaliter, aut etiam alio modo non visibili : cùm idem *Matth.* 28. dixerit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Christus loquitur de visibili præsentia, dum se cum fidelibus non remansurum dixit.

25. Objiciunt IV. varia testimonia Patrum. Quæ tamen facilem habent solutionem. Nam in primis Patres sæpè valde obscurè fuerunt locuti, ne augustissima mysteria proderent Ethnicis, qui teste *Tertulliano in Apologetico c.* 7. Christianis olim exprobrabant, quòd ad infantem comedendum congregarentur. Idem testatur *Averroes*, qui nos impios appellat, eò quòd Deum nostrum manducemus. Unde *Theodoretus Dialogo* 2. *post med. Non oportet* (inquit) *apertè dicere : est enim verosimile adesse aliquos mysteriis non initiatos.* Secundò Patres quandoque loquuntur mysticè causâ ornatûs & in ordine ad mores ; idque liberiùs, quia sciebant se loqui in Ecclesia Catholicâ, mentemque suam à fidelibus satis intelligi : præsertim nondum exortis Hæreticis hoc Sacramentum negantibus aut impugnantibus. Propter quod de veritate hujus Sacramenti stabiliendâ numquam ex professo egerunt. Tertiò Patres aliquando hoc Sacramentum vocant figuram & typum corporis Christi ; tum ratione specierum, quæ verè sunt signa ; at verè exhibentia & continentia suum signatum, scilicet Christum : tum quia Eucharistia ultra hoc quòd realiter contineat Corpus & Sanguinem Christi, est etiam signum Christi crucifixi. Unde Christus instituto hoc Sacramento dixit : *Hoc facite in meam commemorationem.*

Observanda circa expositionem Patrum.

26. Objiciunt V. Impossibile est idem corpus eodem tempore esse in diversis locis : item magnum corpus, quale est Christi, poni sub parva hostia : ergo &c. Ad quæ & similia argumenta dici posset illud *Augustini l.* 22. *de Civit. c.* 11. *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.* Magna namque vanitas, nihil velle credere, nisi quod

Quàm frivolè sectarii pretextu suo errori impossibilitatem Mysterii.

puter quis intellectu se comprehendere : cùm etiam multa naturalia ab intellectu nostro nequeant penetrari ; & multò magis varia mysteria fidei, v. g. Trinitatis & Incarnationis, omnem intellectum nostrum excedant : quæ proinde pari jure oporteret sive liceret etiam metaphoricè interpretari ; prout fecerunt multi antiqui Hæretici, qui ea negarunt. Et miror similiter ea mysteria non negari fortiori impossibilitatis prætextu à Sacramentariis. Nulla equidem fundata species impossibilitatis est in replicatione corporum aut penetratione ; ut in Physica ostenditur. Immo ex hoc ipso mysterio possibilitas à posteriori innotescit. *Concilium Tridentium* tamen volens abstinere à definienda controversia quæ est inter Thomistas, ac reliquos, præsertim Scotistas, utrum idem corpus possit naturali modo sive circumscriptiue esse in pluribus locis simul, studiosè sic loquitur *sess.* 13. *c.* 1. *Neque enim hæc inter se pugnant, ut Salvator ad dextram Patris in cælis assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut nihilominus alijs locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, & constantissimè credere debemus.*

27. *Absurda quædam ab Hæreticis opponuntur ; sed frivolè*

Objiciunt VI. multa absurda, quæ ex doctrina Catholica sequi videntur ; ut quòd Christus posset comedi à bestiis, si hoc Sacramentum comedant ; quòd Christus descendat in fœtidum stomachum communicantium ; quòd Christus masticaretur & lacerarentur &c. Simili argumento olim *Nestorius* oppugnabat Christi divinitatem dicens : *Egone bimestrem, aut trimestrem, fœdatum sputis, flagris laceratum, crucifixum dicam Deum ?* Possetque oppugnari ubiquitas Dei, cùm ex illa etiam sequatur Deum esse in fœtidissimis stomachis, immo in inferno. Itaque sicut amor impulit Christum ad manendum in utero materno novem mensibus & admittendum in se fœtidissima Judæorum sputa ac ignominiosissimam crucifixionem : sic idem amor impellit ipsum ad manendum cum homine, & intrà hominem per Eucharistiam ; etsi ex negligentia vel malitia aliquorum ei subinde inferatur irreverentia ; præsertim cùm corpus illius jam glorioſum non inquinetur, sicut ipsum in propria specie per sputa v. g. inquinabatur tempore passionis, sed sit, sicut divinitas, impassibile. Similiter nulla Christi fit laceratio vel fractura, sed solarum specierum Encharisticarum. Quas etiam à bestia sumi posse materialiter, non autem sacramentaliter, nullum est inconveniens, institutione Sacramenti suppositâ.

28. Objiciunt VII. Effectus hujus Sacramenti sufficienter haberi potest per manducationem spiritualem per fidem, vel saltem per applicationem panis instituti in rationem signi sacramentalis figurantis seu repræsentatis corpus Christi : ergo frustrà poneretur corpus Christi realiter. Resp. Neg. Antec. nam Eucharistia non solùm est instituta ad conferendam gratiam, sicut alia Sacramenta ; sed insuper propter unionem Christi tamquam capitis cum suis fidelibus, & propter singulariorem sui nobiscum communicationem, dum se nobis non tantùm in signis & gratiâ, sed etiam in propria substantia communicat. Quemadmodum etsi potuisset mundum reconciliare Patri per assumptionem corporis phantastici vel per unionem consistentem solùm in præsentia locali aut donis supernaturalibus ; tamen id facere voluit assumendo veram carnem per veram & indissolubilem hypostaticam unionem. Vide congruentias allegatas *numero* 21.

De hac quæstione videri potest *Bellarminus* eam fusissimè tractans totis duobus libris primis de Eucharistia, & *lib.* 3. *usque ad caput* 11. Nos quoque de eadem præter morem fusius egimus, eò quòd existentibus in medio sive vicinia nationis præ necessaria sit penitior hujus rei adeò controversiæ inter nos & Sectarios notitia.

Summariè autem redigi in compendium possunt motiva seu considerationes, quæ cor sincerum solidissimè in fide, etiam cum vitæ prodigalitate servandâ, firmare abundè sufficiunt. Nimirum, quòd doctrina Catholica de hoc mysterio sit adeò claris totiesque repetitis verbis in sacra Scripturâ expressa ? ut aliud nullum clarius, ne eiusdem Trinitatis vel Incarnationis. Quòd Ecclesia, firmamentum veritatis, eamdem doctrinam semper tradiderit, adeò ut vix quisquam ante *Berengarium* illam saltem publicè & pertinaciter oppugnaverit. cùm tamen ipsum mysterium Trinitatis & Incarnationis tam multos tamque validos impugnatores tanto tempore sustinuerit. Quòd omnes etiam sancti Patres illam sine hæsitatione crediderint ; totque alii viri sanctitate & miraculis clarissimi, v. g. *Franciscus, Dominicus &c.* immo quò sanctiores, eò ampliùs ergà tantum Sacramentum firmâ fide & ardenti pietate affecti fuerint. Quod hæc ipsa doctrina tot tamque patentibus miraculis confirmata fuerit ? Quod eidem nil solidi opponi valeat. Impossibilitas prætensa sit frivola : à fortiori opponibilis Trinitati &c. Sint plurima ante oculos nostros, quæ etiam sapientissimi perscrutari non valent : ut vesania sit intolerabilis, dicere contra Omnipotentem : *Quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum ?* Et quales, quæso, sunt homines, qui hoc similive prætextu veritatem oppugnant ? Infames, superbi, contumelioſi, aliisque criminibus obnoxii, qui sine signo aut miraculo, sine missione attentarunt heri aut nudius tertius antiqua suffodere, ut novo ædificent, in hoc ipso errore inter se differentes quoad

quoad explicationem verborum Christi. Quamvis in omnes pariter quadret illud *August. l. 3. de doctr. Christ. c. 10. Si animum præoccupavit alicujus erroris opinio quidquid aliud asserterit Scriptura, figuratum arbitrantur.*

QUÆSTIO II.

An in Eucharistia maneat panis & vinum simul cum corpore & Sanguine Christi?

30. Lutherani dicunt impanationem

AFFIRMAVIT aliquando *Berengarius*, indeque sibi suisque similibus *Impanatoris* nomen conquisivit. Eumdem errorem admittit *Lutherus l. de Captivit. Babyl. c. De Eucharistia.* addens tamen neutram partem hujus controversiæ ad fidem pertinere. Juxta quos proinde Christus in venerabili Sacramento impanaretur seu sub pane poneretur, non autem sub solis speciebus panis.

Verum fides Catholica asserit substantiam panis & vini destrui, & in Corpus ac Sanguinem Christi converti seu transsubstantiari. Ita definitum est in *Concilio Romano sub Gregorio VII.* & postmodum in *Lateranensi* & refertur c. *Firmiter de sum. Trin.* ubi primùm usurpata fuit vox, *Transsubstantiatio*, licèt res antea fuerit credita, & similibus vocibus, ut *Transmutationis, Conversionis* &c. etsi non tam expresè significativis, explicata, ut fusè ostendit *Bellarm. l. 3. De Eucharistia c. 20. & 21.* Idem postea definivit *Concilium Constantiense*, deinde *Florentinum*. Novissimè & clarissimè *Tridentinum sess. 13. can. 2.* his verbis: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, unà cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Ecclesia Catholica aptissimè transsubstantiationem appellat; anathema sit.*

31. Probatur à Patribus,

Patet etiam hæc Veritas ex antiquis Patribus: quos longâ serie refert *Bellarm. sup. c. 20.* & alii. *Cyrillius Jerosolymitanus Catech. 4. Mystagogicâ*: *Aquam* (inquit) *aliquando mutavit in vinum; & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutarit?* Paulò infrà: *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis.* Et rursum infrà: *Hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat &c. Cyrillus Alexandrinus Epist. ad Calosyrium* (teste *Bellarmino sup.*) ait: *Ne horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ, convertens ea in veritatem propriæ carnis &c.* Denique *Damascenus l. 4. de fide c. 14. Quemadmodum naturaliter panis per cibum & vinum & aqua per potum in comedentis ac bibentis corpus & sanguinem immutantur, corpusque alterum fiunt, atque à priori ipsius corpore diversum: sic propositionis panis ac vinum & aqua per sancti Spiritûs invocationem & adventum mirabili modo in Christi Corpus & Sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum & idem.* Alios vide apud *Bellarminum suprà.*

Insinuata est in Scriptura.

Probatur insuper ex ipsis verbis consecrationis, quæ etsi ex vi significandi grammaticali & speculativa non omnino hunc sensum convincant (ut indicat *Scotus dist. 11. q. 3. n. 15.* & à nobis infrà *n. 35.* amplius ostendetur) prout tamen ab Ecclesia intelliguntur, & semper intellecta fuerunt, habent hunc sensum, qui etiam planior & simplicior & magis proprius est: non enim tam propriè diceretur. Hoc est angelus, demonstrato lapide, cui Angelus esset intimè præsens, si lapis maneret in propria substantia. Et ratio est: quia accidentia sensibilia, ratione quorum aliquid fit sensibile, exhibent illud, cum quo naturalem habent connexionem, & consequenter si panis maneret in sua substantia, pronomen *hoc*, ratione accidentium panis demonstraret potius panem, quàm corpus Christi sub eis latens.

32. *Objectiones Lutheranorum.*

Dices I. Eucharistia sæpè in Scriptura appellatur panis; ergo in ea manet panis. Resp. Neg. Cons. Vide dicta *q. præced. n. 22.*

Dices II. *Gelasius l. 2. contra Eutichen in fine* loquens de Eucharistia ait: *Et tamen non definit naturæ panis.* Similia habet *Chrysostomus epist. ad Cæsarium Monachum.* Resp. satis probabile esse, quòd nec liber ille sit *Gelasii Papæ*, sed alterius cujusdam Græci: neque epistola illa sit *Chrysostomi*, sed cujusdam alterius Joannis Constantinopolitani; ut Multi & sentiunt & concludunt non levibus conjecturis. Deinde ibi nomine *naturæ* intelligitur virtus illa nativa accidentium panis & vini, quæ eosdem effectus corporaliter præstant, ac si ibi esset substantia ipsa panis & vini: sicut in pluribus mixtis dicimus perseverare & manere naturam aquæ, terræ vel ignis, si qualitates aquæ, terræ vel ignis ibi permaneant. Simili modo, immo multò clariùs loquitur *Theodoretus Dialogo 1. sub initium* de solis accidentibus sensibilibus, ut satis colligitur ex contextu.

Naturam panis quo sensu manere quidam Veteres dixerint.

33. *Panis convertitur etiam secundum eam partem quæ sumenda est à peccatore.*

Ex dictis generalibus Conciliorum & Patrum rejicitur error illorum, qui supponunt non converti panem & vinum secundùm eam partem, quæ sumenda est à peccatore. Qui insuper clarè confutantur ex Apostolo *1. ad Cor. 11.* ubi supponit corpus Domini etiam sumi à peccatore, dicens: *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini &c.* Quod etiam expresè docent Patres & Concilia. Unde similiter refutatus manet error aliorum, qui putabant redire substantiâ panis & vini, quâdo Eucharistia sumitur ab indignis.

Necredit natura panis quando à tali sumitur.

Ex

Ex dictis etiam refutatæ manent quorumdam Catholicorum opiniones vel potius errores. In primis quidam *Joannes Parisiensis* voluit (ut refertur) inter panem & corpus Christi intercedere unionem hypostaticam. *Rupertus Abbas Tuitiensis* (quem tamen Nonnulli excusant) existimasse refertur unionem hypostaticam intercedere inter panem & Verbum divinum immediatè. *Durandus dist.* 11 *q.* 3. dixit, remanere materiam panis, & informari animâ Christi, atque ita panem mutari in Corpus Christi, sicut alimentum convertitur in alitum. *Bannes* 1. *p. q.* 4. *art.* 2. *dub.* 2. putat saltem probabile, quòd maneat existentia substantiæ panis, & per illam accidentia existant post consecrationem. Quæ omnes opiniones facilè possent particularibus rationibus refelli: sed quia per se absurdæ sunt; sufficiant nobis verba *Tridentini supra* definientis, *Fieri conversionem totius substantiæ panis & vini, manentibus dumtaxat speciebus.*

Inter panem & corpus Christi non est unio hypostatica.

Vti nec inter panem & Verbum divinum.

Nec remanet materia panis informanda ab anima Christi.

Neque existentia substantiæ panis,

Sed sola species seu accidentia juxta Tridentinum.

34. Petes I. An substantia panis & vini destruatur hîc per annihilationem? Resp. esse meram quæstionem de modo loquendi, in qua *Nominales* & alii, quibus favet *Scotus* sic loquuntur, nec improbabiliter, ut *Lessius q.* 75. *art.* 3. & passim alii oppositum loquendi modum amplectentes fatentur: quidquid *Scotus dist.* 9. *q.* 2. *art.* 4. opinioni adstruenti annihilationem censuram erroris ineptè apponat. Ratio hujus opinionis est, quòd nihil omnino substantiæ panis & vini maneat, adeòque videatur annihilari. Ob quod eidem, si reproduceretur, conveniret propriè creatio; creationi autem opponitur annihilatio.

An substantia panis & vini desinat per annihilationem.

Oppositus tamen loquendi modus videtur communiter receptus, & hoc titulo præferendus. Juxta quem non est hîc propriè annihilatio, eò quòd juxta communem conceptum de ratione annihilationis fit, ut desitio rei sistat in non esse, nec ordinetur ad ulterius esse vi actionis per quam vel propter quam fit. In præsenti autem desitio panis etsi fiat immediatè per subtractionem influxûs conservativi, fit tamen ad hoc, ut sub aliquo communi remanente, scilicet sub speciebus, succedat Corpus & Sanguis Christi per veram conversionem, idque vi ipsius actionis (sive physicè sive moraliter) quâ ponitur Corpus & Sanguis Christi; adeòque desinit hîc substantia panis & vini per conversionem, & non per meram annihilationem. *Scotus* denique hunc loquendi modum absolutè non rejicit, sed solum qualiter prior sustineri posset, subtilissimè arguit; ut videre est *quodlib.* 10. §. *De tertio principali*, & præcipuè 4. *d.* 11. *q.* 4.

35. Petes II. An non destructâ substantiâ panis, posset aliquo sensu vera esse propositio, *Hoc est Corpus meum*? Resp. Aff. Primò, quia etsi divinitùs accidentia panis fuissent primò producta sine substantia, & sub eis poneretur Christus, verissimè diceretur, hoc est Corpus Christi. Secundò id ipsum verè diceretur, si substantia prævia panis insensibiliter aliò transferretur, ibidem à Deo conservanda. Tertiò, quia etsi panis remaneret simul cum corpore Christi sub iisdem accidentibus sensibilibus, adhuc speculativè posset quis demonstrando dicere, Hoc est Corpus Christi, adeòque Christus ipse asserere, Hoc est Corpus meum. Qui sensus dicitur speculativus, eò quòd nil efficiat, sed objectum supponat, & locum habeat, etiam consecratione peractâ. Estque verus: nam etsi falsum esset, quòd panis sit corpus Christi, non foret tamen necesse, per ly *Hoc* demonstrari panem. Quàmvis enim is connaturalius demonstretur, veluti substantia naturaliter connexa, & velut imbuta propriis suis accidentibus, quando aliundè non colligitur aliud demonstrari: posset tamen per prædicatum aut circumstantias ly *Hoc* determinari ad aliquid aliud demonstrandum, puta ipsamet accidentia, dicendo v. g. Hoc est albedo: adeòque etiam ad demonstrandum substantiam Corporis Christi, institutione suppositâ, poterit sufficienter per prædicatum aut circumstantias determinari.

An & quo sensu verificari posset propositio;

Nec refert, quòd tali casu Corpus Christi non foret contentum totale: nam etiam panis non foret contentum totale, & tamen posset per ly *Hoc* simpliciter demonstrari. Similiter ergo poterit, id exigente conditione prædicati, simpliciter demonstrari alia substantia pariter contenta, ut sensus sit: Contentum sub hoc pane, vel sub hac re est Corpus meum. Solet ad hoc confirmandum à Nonnullis allegari similis bursæ continentis ex parte aurum, & ex parte argentum: nam rectè dicitur, quòd contentum in bursa sit aurum, quantumvis simul contineatur argentum. Sed alii hinc potiùs contendunt oppositum: eò quòd non rectè dicatur simpliciter, Hoc est aurum, sed, Hoc est partim aurum, partim argentum. Quod etsi concederetur, non obviaret prædictis magis, quàm ei quod omnes admittunt, scilicet, casu quo maneret panis cum corpore Christi, adhuc simpliciter dici posse, Hoc est panis. Disparitas itaque est, quòd aurum & argentum solùm inadæquatè contineantur secundum diversas partes seu spatia inclusa in corpore continente.

Dices: *Trid. sess.* 13. *c.* 4. ait: *Quoniam Christus Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, conversionem fieri totius substantiæ panis &c.* adeòque non manere panem, prout conversio exigit. Resp. *Tridentinum* solùm velle, quòd etsi alii sensus non esse seu dari grammaticaliter possent, Ecclesia tamen à Deo edocta ex illis verbis hunc sensum conversivum elicuerit. Neque est novum aut mirum, quòd Concilia, ex verbis

bis acceptâ occasione, inferant seu eliciant sensum, præsertim magis obvium & connaturalem, etsi ipsa alioquin alium sensum pati possent. Prout sensus obvius est conversivus, quo scilicet verba Christus protulit de pane faciendo Corpus suum. Quàmvis id non obstet alteri sensui speculativo: immo nec practico, quo fecisset sub pane esse corpus suum, ut indicat *Scotus d. 11. q. 3. n. 5. 10. & 15.* ubi concludit: *Dico, quòd eo spiritu expositæ sunt Scripturæ, quo conditæ. Et ita supponendum est, quòd Ecclesia Catholica eo spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides, Spiritu scilicet veritatis edocta: & ideo hunc intellectum eligit, quia verus est. Non enim in potestate Ecclesiæ fuit, facere istud verum vel non verum, sed Dei instituentis: sed intellectum à Deo traditum Ecclesia explicavit directa in hoc, ut creditur, Spiritu veritatis.* Quo quid magis verè & Catholicè dici potuisset à *Doctore subtili*? Cui proinde falsò imponit *Sotus d. 9. q. 2. ar. 4.* quòd asserat Ecclesiam accepisse transsubstantiationem à Doctoribus.

QUÆSTIO III.

An totus Christus sit in hoc Sacramento?

37. Eucharistia quo sensu sub specie panis corpus, sub specie vini sanguis.

DICO I. In hoc Sacramento, & quidem in qualibet specie est totus Christus secundùm Corpus, Sanguinem, Animam & Divinitatem. Est de fide ex *Concilio Constantiensi sess. 13. Florentino in Decreto Eugenii, Trid. sess. 13. c. 1. & 3.* Patres pro hac veritate videri possunt apud *Bell. l. 4. de Euch. c. 21.* Ratio est: quòd prædicta omnia habeant quamdam unionem inter se in cælo, & spectent ad Christi integritatem, & consequenter non possint, aut saltem non deceat ea poni separatim in Sacramento. Confirmatur ex Apostolo dicente, *ad Rom. 6.* Christum non mori ampliùs, censeretur autem mori vel esse mortuus in Sacramento, si in eo esset corpus sine sanguine & animâ.

Hinc sequitur omnem illam & solam substantiam Christi poni in Sacramento, quam habet sibi unitam in cælo, non autem quam aliquando habuit in hoc mundo, v. g. partes per calorem naturalem absumptas, & sanguinem aliquando effusum ac non resumptum: nec etiam humores excrementitios, qui non sunt in corporibus gloriosis. Neque etiam vestes, quibus tempore ultimæ cœnæ erat indutus, fuerunt in Sacramento, quod tunc dedit Apostolis; quia cum corpore Christi non habebant unionem, nec spectabant ad Christi integritatem.

38. Immo & secundum accidentia absoluta à loco quæ Christus habet in cælo, habet in hoc Sacramento.

DICO II. Etiam accidentia absoluta à loco quæ Christus habet in cælo, habet in hoc Sacramento cum omni sua scientia, gratia & gloria, ceterisque donis ornatus, sicut in cælo. Probatur: nam quòd anima & divinitas ponantur in hoc Sacramento, fundat *Tridentinum* in naturali connexione, quâ copulantur corpori Christi in cælo: atqui est etiam naturalis connexio inter Christum & prædicta accidentia, & aliundè nihil obstat: ergo etiam sunt in hoc Sacramento. Deinde cùm definiat *Concilium* contineri integrum Christum; patet contineri etiam accidentia, sine quibus Corpus substantiale naturaliter nequit existere. Confirmatur: quia replicato subjecto replicantur connaturaliter accidentia independentia à loco; immo juxta Nonnullos absolutè replicari debent. Aliud est de ubi, aliisque dicentibus ordinem ad certum locum: hæc enim nequeunt concomitanter in Sacramento poni, sicut (quod ordinariè supponitur) ob essentialem dependentiam à loco, nequeunt replicato subjecto replicari.

co, v. g. scil. tiam, gratiam, gloriam &c.

39. *Ex vi verborum ponitur sub specie panis corpus, sub specie vini, sanguis: cætera per concomitantiam.*

DICO III. Ex vi verborum sub speciebus panis est solum Corpus, sub speciebus vini solus Sanguis: reliqua autem adsunt sub illis per naturalem solùm concomitantiam. Ita omnes Theologi cum *Trid. sup. c. 3.* Probatur: quia illud ponitur vi verborum, quod per ipsa verba significatur (Sacramenta enim & formæ Sacramentorum præcisè efficiunt id quod significant) sed forma consecrationis panis tantùm significat corpus, & forma calicis tantùm sanguinem: ergo ista sola ponuntur vi verborum respectivè. Quàmvis igitur occasione verborum Deus se determinet ad ponendum sub utraque specie totum Christum; id tamen non facit immediatè vi significationis verborum, sed vi naturalis connexionis & concomitantiæ, quâ illæ partes copulantur inter se. Unde si in naturali Christi præsentia quædam separarentur v. g. à corpore, poneretur similiter in Sacramento corpus ab illis separatum. Ideoque si in triduo mortis Christi fuisset facta consecratio panis & vini, vel species antea consecratæ, isto triduo fuissent conservatæ, fuisset tunc sub speciebus panis corpus mortuum, seu absque anima & sanguine effuso atque à corpore separato, sed cum divinitate, utpote corpori etiam tunc unitâ; sub speciebus autem vini solus sanguis cum divinitate, absque anima, atque etiam corpore, si hoc fuerit planè exangue.

40. *Unde divinitas adest per concomitantiam, Immo tota Trinitas.*

Unde colligitur sub speciebus panis & vini consecratis existere divinitatem, non vi verborum consecrationis, utpote divinitatem non significantium, sed per concomitantiam, seu (ut loquitur *Trid. sess. 13. c. 3.*) *propter admirabilem illam ejus cum corpore & animâ unionem.* Immo etiam Pater & Spiritus sanctus adsunt ibidem per concomitantiam, etsi magis mediatam, ratione identitatis in natura & circuminsessionis cum Filio, adeò ut quamquam divinitas aut tota Trinitas

non

non esset ubique, adesset tamen in Eucharistia divinitas ob unionem cum anima & corpore, & consequenter ratione divinitatis tota Trinitas.

41. *Nomine corporis intelligitur compositum ex materia substantiali & formâ corporeitatis,*

Sed controvertitur, quid hîc nomine Corporis & Sanguinis significetur? Resp. breviter per Corpus intelligi compositum ex materia prima & forma corporeitatis, quæ conflatur ex formis partialibus carnis, ossium &c. & quam dari docet *Scotus* & Recentiores passim, ac in *Tractatu de Anima* probari solet. Hoc namque supposito, manifestum est nihil aliud æquè commodè nomine corporis posse significari. Quare sic tenent *Scotus* cum *Scotistis*, *Coninck*, *Lessius* (qui *q. 76. n. 6.* dicit hanc sententiam verissimam videri) & plures alii.

42. *Non autem sola materia,*

Quod insuper confirmatur: quia in primis non potest intelligi cum *Gabriele* materia prima: nam corpus dicit aliquid compositum. Deinde alioquin aqua, terra &c. haberent corpus, sicut homo; quod est inauditum. Confirmatur: quia certum est, corpus Christi, prout est in Eucharistia vi verborum constare carne, nervis, ossibus &c. his præcisis à ratione vivi & mortui: quæ plus quàm materiam primam important.

Aut illa ut affecta accidentibus,

Non etiam potest cum aliis intelligi materia prima affecta quantitate & certis accidentibus: quia etiam hoc non est corpus, quod dicit aliquod compositum substantiale; ne alioquin vivens, quod essentialiter constat corpore & animâ, involvat in sua ratione compositum aliquod per accidens.

Aut illa simul cum anima,

Nec potest Tertiò cum nonnullis *Thomistis* intelligi materia prima cum anima, non quidem ut anima est, sed ut dat esse corporis substantialis, nam sic anima poneretur sub speciebus panis, non solùm per concomitantiam, sed etiam vi verborum, contra *Tridentinum*. Nec satisfaciunt dicendo, quòd anima tantùm ponatur quatenus dat esse corporeum: cùm enim anima ut anima, & ut dat esse corporeum, sit realiter unum & idem; sequitur etiam animam ut sic poni vi verborum. Immo cùm non habeat corpus esse corporis secundùm ipsos, nisi per informationem animæ, quæ necessariò tribuit vitam; sequitur corpus Christi & cujusvis hominis adhuc esse vivum post expirationem.

43. *Aut prout includit indeterminatè animam vel formam cadaveris.*

Denique non potest dici cum nonnullis *Thomistis* (quibus ferè consentit *Dicastillo d. 5. dub. 11.*) nomine Corporis intelligi corpus humanum commune vivo & mortuo; quod proinde dum vivit, constituitur in ratione corporis per animam; dum mortuum est, per formam cadaveris. Nam sic adhuc poneretur de facto anima vi verborum sub speciebus panis; cùm corpus Christi de facto constituatur per animam Christi. Deinde sic nomen corporis in forma consecrationis acciperetur æquivocè; ut ipsum æquivocum est ad vivum & mortuum: esset quæ distincta modò specie transubstantiatio ab ea, quæ fuisset, si in triduo mortis facta fuisset consecratio. Præterea corpus secundùm omnia substantialia manet idem vivum & mortuum; ne aliàs non fuerit idem Corpus Christi in cœnâ & in sepulchro, adeòque in Eucharistia tempore cœnæ, & tempore tridui, si fuissent species consecratæ, aut reservatæ. Denique vivens componitur ex anima & corpore tamquam alterâ compartе: quî ergo anima sit forma constitutiva corporis in ratione corporis? Adde sine causa recurri ad confictam & novam formam cadaveris, aliasque tricas, ubi planè & sine difficultate potest res explicari, prout à nobis explicata est. Vide *Coninck q. 76. art. 2. dub. unico.*

Nomine *Sanguinis* consequenter intelligitur mixtus aliquis humor, qui est proximum alimentum animalis, constans materiâ primâ & peculari formâ sanguinis, quam semper retinet in corpore vivo & mortuo, intrà & extrà corpus quamdiu remanet sub speciebus sanguinis. Ponitur autem totus sanguis, qui nunc est in corpore Christi glorioso; isque solus: si enim aliquid adhuc de sanguine Christi reperiatur in terris, is non est ampliùs sanguis Christi aut Verbo unitus, sed habet creatam suppositalitatem. Unde de illo non possunt intelligi verba Sacerdotis in persona Christi dicentis: *Hic est sanguis meus.* Si autem in triduo mortis Christi vinum fuisset consecratum, omnes partes sanguinis effusi, etsi discontinuatæ, sicut adhuc erant Verbo unitæ, sic fuissent in Sacramento positæ.

Vertitur insuper à Nonnullis in controversiam, an unio hypostatica ponatur sub speciebus consecratis vi verborum? & quidem *Aversa q. 4. de Eucharist. sect. 1.* putat, quòd sic. Sed sine fundamento repugnat communi doctrinæ receptæ; quæ id negat: eò quòd nullatenus verba consecrationis significent unionem hypostaticam. Nam ly *meum* non est idem, quòd hypostaticè Verbo unitum: sed tantùm significat, hoc esse corpus spectans ad eum qui loquitur. Sic si Christus dixisset, hæc sunt accidentia mea, seu lachrymæ meæ, ly *mea* non significasset ista esse Verbo unita; ideoque si fuisset facta conversio in lachrymas Christi, unio hypostatica non fuisset posita vi verborum. Nec refert quòd *Tridentinum sess. 13. c. 3.* dicat divinitatem esse sub speciebus in Sacramento *propter unionem cum corpore & animâ.* Inde enim nullatenus sequitur, unionem ipsam poni vi verborum. Uti nec vi verborum ponitur ipsamet anima: & tamen propter unionem ad illam adest quoque divinitas. Prout similiter vi verborum non ponitur ipsa naturalis connexio & concomitantia, sanguinis cum corpore & animæ cum utroque;

que; & tamen *Tridentinum sup.* docet corpus sub specie vini, sanguinem sub specie panis, animamq; sub utraque specie existere propter præfatam connexionem seu vi illius.

Denique non rectè quidam Recentiores dixerunt personalitatem seu subsistentiam Verbi divini adesse vi verborum: nam ly *Corpus* non significat subsistentiam Verbi aut subsistentiam in communi, sed partem physicâ humanitatis condistinctam animæ.

QUÆSTIO IV.

An totus Christus sit sub qualibet parte specierum?

DICO I. Post fractionem seu separationem specierum manet totus Christus sub qualibet divisionis particula. Est de fide ex *Florentino* & *Tridentino sup. can.* 3. Et satis constat ex facto Christi, qui calice consecrato *Lucæ* 22. dedit illum discipulis, dicens: *Accipite, & dividite inter vos.* Quod necessariò supponit in singulis speciebus separatis fuisse totum Christum: alioquin enim singuli accipientes partem calicis, non sumpsissent totum Christum. Idem habetur in *Missali Ambrosiano* in quadam præfatione, & refertur c. *Singuli* 77. *De consecr. dist.* 2. *Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuitur sed integrum se præbet in singulis.* Et c. *Vbi pars* 78. *eadem dist.* ex *Hilario* dicitur: *Vbi pars est corporis, est & totum.* Similia habentur c. *Qui manducant* 58. & c. *Invitat.* 70. & c. *Qui manducat me* 71. (quæ sunt desumpta ex *Augustino*) *dist. cit.* Unde fit, ut divisâ Hostiâ Christus non dividatur, nec minùs accipiat communicans sub minima particula, quàm communicans sub maxima. Cujus rei typus præcessit in colligentibus Manna *Exodi* 16. ex quo qui plus collegerat non habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus.

DICO II. Etiam ante divisionem est totus Christus sub singulis speciebus partibus. Est certum apud omnes Theologos contra *Albertum* ut citatur; quem tamen aliqui excusare conantur. Probatur I. quia etsi *Tridentinum sess.* 13. *can.* 3. hoc non definierit sub istis terminis, sed cum adjecta particula, *separatione factâ*; tamen c. 3. sine ulla additione docuerat quòd *totus & integer Christus sub quavis speciei parte existit.* Nihilominus opposita doctrina juxta *Palavicinum infrà* hactenus tamen non est hæresis damnata. Immo canoni jam antea confecto fuit studio adjecta particula, *factâ separatione*, *Ioanne Æmiliano*, Episcopo Tudetano ita monente ob variantes sententias de præsentia sub qualibet particula hostiæ integræ, ac nostro *Cornelio Musso* allegante, solas hæreses esse damnandas, non item Scholasticorum sententias definiendas; prout ex Actis refert *Palavicinus l.* 12. *Hist. Trid. c.* 2. *n.* 15.

Probatur II. quia corpus Christi est in hoc Sacramento modo indivisibili & non quantitativo, ita ut totum sit in tota hostia, & totum in singulis partibus; quod modus existendi indivisibiliter includit, uti patet in anima rationali respectu corporis, Angelo respectu præsentiæ illius extensæ. Alioquin si existeret modo quantitativo, retineret ibi figuram humano corpori proportionatam; quæ cùm notabiliter excedat quantitatem hostiæ, necessariò partes corporis Christi (quæ alioquin extra hostiam extarent) per compressionem sive penetrationem ad tantillum spatium modo satis absurdo redigerentur, paucissimis tantùm partibus sine mutua penetratione remanentibus.

48. *Cur potiùs spiritui repugnet existere modo quantitativo, quàm corpori modo spirituali.*

Et quàmvis repugnet spiritui existere modo quantitativo, & divisibili; cùm hic modus involvat essentialiter partes distinctas (quibus spiritus caret) sic ut totum locatum toti loco & partes locati partibus loci correspondeant: non repugnat tamen corpori existere modo indivisibili, hic enim modus etsi partes necessariò non includat, tamen eas non excludit, dummodo totum locatum sit in toto loco & totum in singulis partibus: quod fiet, si corpus positum divinitùs in puncto replicetur per spatium extensum: atque ita fit cùm corpore Christi in Eucharistia.

Multiplex partialiter præsentia Christi sub unica specie non obstat unitati cibi sacramentalis.

Nec refert, quòd Christus sit in Sacramento per modum unius cibi: unitas enim cibi non est desumenda ex unitate præsentiæ unius, sed ex unitate unius substantiæ Christi latentis sub una specie per unam sacramentalem præsentiam completam. Sicut Tobias habuit unicum viæ comitem Raphaelem, etsi in corpore assumpto per plures præsentias sæpiùs replicatum.

49. *An sit præsens sub indivisibilibus. Status quæstionis.*

Sed difficultas restat in sententia illorum, qui docentes continuum componi ex fine fine divisibilibus, putant similiter ea terminari & copulari per indivisibilia: an Christus etiam sit præsens sub his indivisibilibus. Quæ tamen difficultas locum non habet in sententia probabili, quæ continuum componit ex punctis seu indivisibilibus tamquam partibus; sub quibus indubiè consequenter loquendo, Christus debet esse præsens in hostia consecrata. Cessat etiam difficultas in sententia illorum, qui continuum ex semper indivisibilibus componentes, indivisibilia copulantia & terminantia velut superflua probabiliter rejiciunt. Verùm eadem admittendo manet controversia. In qua *Vasquez* & plures alii adhuc censent, Christum non esse præsentem hujusmodi indivisibilibus. Quibus favet *Scotus dist.* 10. *qu.* 9. *n.* 3. Unde ita tenet ejus *Commentator Higuæus n.* 12. *& seqq.* & *Poncius d.* 44. *n.* 72. *Scotus* tamen facilem patitur explicationem: solùm enim ibi loquitur de hostia seu specie totali, quam dicit non posse esse

Sententia negans.

indivisibilem, juxta quod superiùs diximus non posse consecrari nisi minimum sensibile, & inde arguit non obstare quamdam rationem modo quo ibi erat proposita, quò minùs Christus possit in Sacramento videri.

50. *Sententia affirmans probatur,*

Oppositum nihilominus tenet *Soto*, *Suarez* & alii passim. Christus namque vi consecrationis ponitur sub omni eo, sub quo præerat aliquid substantiæ panis & vini: atqui indivisibilibus quantitatis & specierum correspondebant antea indivisibilia entitativa substantiæ panis & vini: ergo etiam his per consecrationem destructis, succedit Christus. Confirmatur: quia præsentia Christi est in hoc Sacramento continua, sicut animæ rationalis in corpore, & Angeli in spatio: quæ tamen alioquin continua numquam esset, sed per infinita indivisibilia copulantia interrumperetur: quin immo sequeretur illam actu & sine fine fore divisam in omnem sui partem.

51. Dices: Post separationem specierum consecratarum resultant nova indivisibilia terminantia, uti & per earumdem unionem nova indivisibilia copulantia: atqui sub illis non est Christus, cùm noviter non possit esse præsens, ubi antea non erat sine nova consecratione: ergo neque Christus est sub aliis. Resp. I. Neg. Cons. nam alia sunt consecrata, non sic indivisibilia noviter resultantia, uti nec quantitas aut substantia noviter accedens: non videtur autem Christus noviter fieri præsens sine nova consecratione.

An sit præsens sub punctis de novo resultantibus.

Responderi II. cum variis posset Neg. Min. eò quòd cùm indivisibilia ista partibus intimè inhæreant, debeat Christus illis esse præsens vi partium, etsi non proximè vi verborum consecrationis: vi cujus tamen Christus succedit in locum panis respectu accidentium, adeòque etiam respectu indivisibilium quantitatis ex specierum divisione aut copulatione resultantium, quæ cùm non habeant sibi correspondentem substantiam aut indivisibilia seu terminos substantiales panis, habebunt utique corpus Christi sibi correspondens.

52. *Judicium Auctoris de hac tota controversia.*

Et hoc quidem modo solet posterior opinio defendi, ac prioris fundamentum dissolvi. Ego tamen non video ullam rationem dubitandi, quin suppositis indivisibilibus, Christus necessariò sit quibusvis intimè præsens, utpote existentibus in eodem loco cum partibus continui. Sicut necessariò est præsens speciebus seu accidentibus etiam de novo productis, v. g. calori hostiæ &c. Aliqua forte difficultas esset in sententia ponente unionem physicam inter corpus Christi & species, an scilicet in punctis denuò resultantibus exurgat de novo unio Christi ad hujusmodi puncta. Sed alii non difficulter quoque illam unionem admittent exurgere, conformiter ad dicta *num. præced.* vel etiam fortè negabunt, licentes, ad id requiri novam consecrationem.

QUÆSTIO V.

Per quid Christus sit formaliter præsens in Eucharistia?

Suppono, corpus Christi non contineri speciebus sacramentalibus tamquam locatum in loco: ad hoc enim deberet superficie concavâ specierum proximè ambiri; quod non fit, cùm omnes species intimè penetret, sicut ante consecrationem penetrabat panis, qui ob hoc non dicebatur esse sub speciebus tamquam loco, uti generatim substantia non est in accidentibus suis, v. g. anima in scientia, ignis in calore &c. tamquam in loco.

Dico I. Non intercedit formalis unio inter species & corpus Christi. Ita *Scotus, Durandus, Gabriel, Suarez* & alii passim contra Nonnullos. Probatur: quia nullum istius unionis apparet fundamentum. Non enim intercedit unio substantialis materiæ ad formam, ut patet. Neque etiam accidentis cum subjecto: cùm juxta fidem accidentia panis hîc sint sine subjecto substantiali. Et alioquin corpus Christi denominaretur ab illis album, rotundum, madidum &c. quod nemo dixerit. Non denique unio aliqua hypostatica: tam miraculosæ enim & extraordinariæ unionis (sine qua facilè est explicare Eucharistiæ mysterium) non subest sufficiens fundamentum. Alia autem unio physica non reperitur, quæ hîc posset statui cum sufficienti fundamento aut necessitate. Adde sine omni unione formali sufficienter, immo facilè, explicari quidquid fides de Mysterio Eucharistiæ docet.

Nec refert, quòd corpus Christi in hoc Sacramento succedat substantiæ panis, quæ accidentibus erat formaliter unita: non enim succedit quoad modum, quo panis existebat sub speciebus; sed tantùm quoad hoc, quod ubi antea erat panis, ibi post consecrationem sit corpus Christi.

Nec refert etiam, quòd dum species moventur, manducantur, tanguntur &c. hæc etiam dicantur de corpore Christi; adeòque inter illud & species videatur esse communicatio idiomatum, quæ tamen supponit unionem hypostaticam. Nam si esset communicatio idiomatum, corpus Christi deberet etiam dici rotundum, madidum &c. & vicissim species deberent dici animatæ, rationales &c. Aliæ autem prædicationes fundantur in eo, quòd mutationes contingentes circa species concomitentur proportionatæ mutationes circa corpus, v. g. dum moventur species, ponitur proportionatus motus in corpore, quod tunc

tunc dicitur moveri à motu sibi proprio. Frequenter tamen non adsunt in corpore mutationes correspondentes : & tunc vel nullo modo illud denominant ; ideoq; calefactis vel frigefactis speciebus, non dicitur calefieri aut frigefieri corpus Christi : vel non nisi per metaphoram aut extrinsecam denominationem ; prout corpus Christi dicitur solùm tangi, videri &c. dum hæc fiunt circa species. Similiter corpus & sanguis misceri, mixtis panis & vini speciebus, uti & frangi fractis speciebus, seu quatenus Sacramentum Corporis & Sanguinis miscetur aut frangitur, & non aliter, juxta illud quod canitur in Sequentia : *Nulla rei sit scissura, signi tantùm sit fractura.*

Dico II. Inter corpus Christi & species nulla intercedit unio effectiva seu attractiva, ut vult *Suarez d. 47. sect. 3. concl. 2.* existimans corpus Christi per illam unionem seu potiùs actionem conservare accidentia extra subjectum, & ad se trahere; & vicissim accidentia conservare, & trahere ad se corpus Christi ; sicut magnes (inquit) trahit & retinet apud se ferrum. Et ad hunc dicendi modum etiam accedit *Lugo disput. 6. sect. 2.* Sed probatur Conclusio : quia juxta modum loquendi auctoritatum constituitur Christus in hoc Sacramento potiùs per modum præsentiæ & conjunctionis, quàm per modum actionis. Neque etiam ipse *Suarez* præsentiam sacramentalem in tali actione constituit. Et *disp. 50. sect. 4.* ex professo probat istam unionem effectivam non posse esse terminum formalem transubstantiationis ; quæ tamen formaliter tendere debet ad unionem seu presentiam Christi cum speciebus sacramentalibus. Deinde ista unio effectiva nequit explicari sine potentia obedientiali, ut patet; hæc autem non videtur admittenda. Præterea sic corpus Christi conservaret species extra subjectum, & species vicissim conservarent corpus in esse sacramentali: quæ mutua causalitas non videtur possibilis. Denique etsi possibilis foret, non est tamen sufficiens fundamentum illam astruendi: cùm sine illa possit mysterium faciliùs & commodiùs explicari. Species namque conservantur extra subjectum à Deo: indissolubilis autem concomitantia corporis Christi & specierum sufficientissimè refertur in decretum Dei, quo infallibiliter decrevit corpus Christi conservare sub speciebus consecratis. Et quàmvis decretum hoc arguat aliquam unionem effectivam moralem specierum in corpus, quatenus vi specierum sub illis perseverat corpus in esse Sacramentali; nullatenus tamen arguit unionem effectivam physicam specierum in corpus vel contrà.

Dico III. Christus formaliter est præsens in hoc Sacramento per novam præsentiam ad species panis & vini. Ita expresse *Scotus dist. 10. quæst. 1. num. 10.* & plures alii. Probatur : quia non requiritur aliqua unio formalis vel effectiva, ut ex præmissis patet : non restat autem aliud quam hæc præsentia. Deinde per hanc præsentiam commodè & sufficienter salvantur omnia, quæ fides docet de hoc mysterio. Consonat etiam modus loquendi auctoritatum, quæ significant Christum in hoc Sacramento esse per modum alicujus præsentiæ ad ipsas species. Immeritò autem *Aversa quæst. 3. sect. 3.* refert & refutat *Scotum* quasi docentem, quòd præsentia sacramentalis Christi per se & primariò ac intrinsecè non referatur ad species sacramentales instar cujusdam conjunctionis cum illis, sed ad locum seu spatium in quo sunt species & cum speciebus Christus. Quod tamen *Scotus suprà* expresse negat. Et *n. 11.* refutat ex eo, quòd Christus per præsentiam sacramentalem nullo modo determinetur sic ad unum locum seu ubi, ut sibi repugnet alius locus vel ubi. Variatâ quoque præsentiâ locali ; quæ respicit spatium, non variatur præsentia Christi ad species. Est autem hæc præsentia ad species respectus quidam & ordo ad easdem, ut rectè *Scotus sup. Aversa sup.* & alii. Non voluit tamen dicere *Scotus*, quòd sit relatio transcendentalis, ut eum explicat *Aversa* ; cùm talis relatio sit subjecto identificata, & ab illo inseparabilis : nisi relationem transcendentalem quis vocet omnem, quæ non est de prædicamento ad aliquid. *Scotus* itaque docet esse respectum extrinsecùs advenientem, ad quem datur per se actio, & spectare per quamdam similitudinem vel reductionem ad ubi seu præsentiam localem. Quod etiam docet *eâdem dist. q. 6. n. 2.*

mento per novam præsentiam ad species,

Non ad locum, in quo sunt species : ut falsò imponitur Scoto.

Quid tandem sit hæc præsentia Sacramentalis.

58. Petes I. An præsentia Christi in hoc Sacramento vel in loco specierum sit definitiva ? Aliqui asserunt : Alii negant. Sed quæstio solùm est de modo loquendi. In qua constat, præsentiam hanc eatenus convenire cum definitiua, quatenus corpus Christi modo indivisibili statuit in definito & determinato loco, specierum scilicet, sic ut per illam non statuatur extra hunc locum, nec per aliam aliquam sit ubique. Differt tamen penes hoc, quòd supponat necessariò præsentiam ejusdem corporis alibi, scilicet modo naturali & circumscriptivo. Quòdque etiam de facto compatiatur præsentias similes ejusdem corporis sub aliis speciebus sacramentalibus : immo juxta *Suarez* quem citat & sequitur *Dicastillo disp. 5. dub. 20.* præsentia hæc talis sit, ut ei ex se non repugnet corpus per illam præsens reperiri alibi cum simili præsentia. Quòd denique per illam non ita definiatur corpus Christi determinato spatio, quin posset esse præsens majori & majori, si quantitas specierum foret major : cùm alioquin præsentia definitiva, v. g. angelica, habeat magis determinatam sphæram.

An præsentia Christi sub speciebus sit definitiva.

59. *Præsentia Sacramentalis ex natura rei non dependet à naturali.*

Petes II. An præsentia sacramentalis dependeat à naturali ? Resp. non dependere intrinsecè & ex natura rei, adeò ut Christus potuisset priùs produci in Sacramento, quàm in utero Virginis. Ita *Scotus d.* 10. *q.* 4. *num.* 4. *& seqq.* & consentiunt *Vasquez*, *Suarez* & passim alii. Quidquid *Caietanus quæst.* 76. *art.* 2. opinionem *Scoti* chimericam appellet ; cujus potiùs censuræ tale epitheton congrueret. Ratio est : quia nullum potest tam necessariæ dependentiæ ex natura rei assignari fundamentum. Potuisset enim Deus Eucharistiam ita instituere, ut non fuisset necesse ad valorem consecrationis ipsius verba proferri in persona Christi, sed solùm recitativè proferri ; vi autem validæ consecrationis fuisset Christus etiam primò ponendus sub speciebus, etsi alibi non esset, immo nec fuisset.

60. *Sed de facto & ex divina ordinatione.*

Juxta præsentem tamen Dei ordinationem præsentia sacramentalis dependet à naturali, sic ut si Christus nullibi esset in præsentia naturali, non possit esse aut manere alicubi in Sacramento. Ita Doctores communiter, nec dissentit *Scotus*. Ratio est : quia Christus secundùm præsentiam naturalem est velut exemplar juxta quod regulatur præsentia sacramentalis. Unde quia Christus jam in cælo est glorioſus, est etiam talis in Sacramento : quia tempore ultimæ cœnæ erat mortalis & passibilis, erat etiam talis in Sacramẽto, quàmvis ut ibi esset modo impassibili: quia in triduo erat mortuus, fuisset etiam tunc talis in Sacramento. Quare corpus Christi, quod tempore ultimæ cœnæ erat in Sacramento vivum & mortale, fuisset tempore tridui in eodem Sacramento, si reservatum esset, mortuum, & rursus post triduum immortale & redivivum, ut etiam patet ex doctrina *Scoti d.* 11. *q.* 3. *n.* 28. cui consentiunt alii. Proinde similiter in Sacramento omnino esse desiisset, si corpus & sanguis secundùm præsentiam naturalem fuissent planè destructa : adeòque præsentia sacramentalis dependet à naturali. Hinc etiam Theologi conformiter ad *Tridentinum* docent sub singulis speciebus quædam poni per concomitantiam, eò quòd sint connexa naturaliter cum corpore aut sanguine secundum præsentiam naturalem.

61. *Quorumdam probatio satis vulgata, an solida,*

Solet idem ordinariè probari ex hoc, quòd necessariò debeat sacerdos proferre formam in persona Christi tamquam principalis consecrantis ; quod omnino præsupponit ipsum alibi existere. Sed ad hoc responderi posset, sufficere, ut alibi existeret quovis modo. Nam etsi non foret in cælo, sed tantum alicubi in Sacramento, adhuc quantum est præcisè ex parte allegatæ probationis, posset sacerdos verè loqui in persona ipsius, & consecrare eum in novis hostiis. Quàmvis aliundè colligatur præsentiam sacramentalem in una hostia non pendere ab alia simili, & per accidens se habere ad consecrationem alterius hostiæ, solumque pendere à præsentia naturali, neque posse in prima hostia illam poni, nisi Christus alibi in præsentia naturali supponatur.

Immo non desunt qui existiment in triduo mortis potuisse validè consecrari corpus Christi : quando tamen Christus de facto non existebat in præsentia naturali secundum humanitatem, secundum quam tamen ei competit summum & æternum sacerdotium, vi cujus censetur offerens principalis, in cujus proinde persona alii tamquam ministri loquuntur, dum consecrant. Potius tamen censeo ob hoc ipsum non potuisse in triduo, in quo anima erat separata, consecrationem fieri : secundum animam enim præcisè non erat Christus sacerdos, sed quà homo : neque animæ illius absque corpore convenit sacrificare, adeòque nec ministris nomine ejusdem, sed solum in persona Christi Dei hominis (qui tunc non vivebat) loquentibus.

QUÆSTIO VI.

Quid agere & pati possit Christus prout est in Eucharistia ?

SATIS constat inter plerosque Doctores, operationes sive actus immanentes intellectûs & voluntatis quos Christus habet in cælo, habere etiam concomitanter in Sacramento ; idque ratione naturalis connexionis, ob quam accidentia à loco independentia concomitantur suum subjectum. Quod etiam de actibus sensuum internorum, immo & externorum est dicendum. Quàmvis enim sensatio externa requirat præsentiam objecti, ubi primò elicitur, non tamen ubi concomitanter ponitur. Idem est de qualitatibus per alterationem productis, quas si reciperet in præsentia naturali, v. g. in ultima cœna, quando alterationis erat capax, reciperet etiam concomitanter in Sacramento.

Similiter satis constat corpus Christi non moveri concomitanter ad motum ejusdem in cælo : nam præsentia localis & actiones ab ea dependentes non concomitantur in Sacramento. Immo ne quidem ibi movetur motu simili : non enim quando progreditur in cælo, levat brachium &c. idem facit in Sacramento : immo ne quidem facere potest, cùm ista supponant præsentiam circumscriptivam seu quantitativam.

Quæritur itaque quænam passiones aut actiones possint Christo competere primò in Sacramento seu quatenus est in Sacramento.

DICO I. Christus quatenus est in Sacramento potest elicere actus intellectûs non dependentes à phantasmate, & voluntatis, atque

æquè ac si existeret modo naturali: nam actiones istæ & species ad illas fortè requisitæ sunt merè spirituales, nec ullo modo dependent à corpore seu organo corporeo. Ita communiter Doctores. Unde Christus quatenus in hoc Sacramento potest loqui Angelis & spiritibus, eosque spiritualiter illuminare; similiter oculo spirituali intellectûs videt quæ circa se fiunt.

DICO II. Christus quatenus est in Sacramento nequit se ipsum aut circumstantes naturaliter oculo corporeo videre vel audire; immo nec potest ullam operationem sensûs externi ibi in se ipso elicere. Ita *Scotus* & communiter alii Doctores. Ratio est: quia sensus Christi ut in Sacramento existentis, non possunt ab objectis recipere species, uti nec pati ab agente extrinseco, sine speciebus tamen sentire nequeunt, saltem visus & auditus. Deinde organa sensuum non habent ibi extensionem in ordine ad locum, quæ tamen ad sensationem & receptionem specierum requiritur; præsertim in visu & auditu. Pro visu adhuc est specialis ratio, nimirum quòd si pupilla sit infecta aliquo colore, non possit elicere visionem: in Eucharistia verò, & in loco ipso in quo est pupilla, sunt omnes colores totius Corporis Christi, immo & specierum Sacramentalium, De tactu tamen (idem ferè est de gustu) minùs efficaciter ostenditur conclusio.

De sensu interiori sive phantasia, & consequenter de actibus intellectûs dependenter à phantasmate productis, non satis convenit inter Doctores. Verius autem videtur phantasiam ibi non posse naturaliter operari, adeòque nec intellectum dependenter ab illa: quia etiam actus sensûs interni sunt materiales, & naturaliter fieri non possunt, nisi à principio materiali & cõextenso ad locum; adeòque hæc extensio videtur conditio naturaliter requisita ad operadum. Deinde actus isti naturaliter non possunt recipi, nisi in subjecto materiali & extenso.

Nulla tamen ratio dubitandi occurrit, quin supernaturaliter possint sensus tam interni quàm externi operationes suas ibi exercere: ideoque quòd supernaturaliter fiat, est nobis ignotum: quamvis juxta Varios valde opium sit credere Christum de facto ibi audire & videre sensibiliter, quæ ab adstantibus & vicinis geruntur: id enim congruum apparet, ut qui nobiscum in Sacramento corporaliter quasi habitat, non sit ibi quoad potentias & operationes corporales veluti modo quodam mortuo, sed potiùs habeat nobiscum humanum quasi commercium. Verùm hæc conjectura est planè incerta: cui facilè opponi posset contraria aliqua congruentia. Aliunde sufficit ad exercitium internæ reverentiæ ac pietatis, quòd sciamus Christum per intellectum clarissimè videre quidquid circa Sacramentum fit, immo interiora cordium nostrorum.

DICO III. Quamvis Christus prout est in hoc Sacramento, non possit se movere motu progressivo propriè dicto, aut uti potentiâ locomotivâ organicâ; cùm ad hoc requiratur extensio partium, quarum una ante alteram moveatur: potest tamen habere usum potentiæ locomotivæ non organicæ, qui includitur in dote agilitatis cõmuni Beatis: non enim est ratio cur nequeat hâc potentiâ uti in Sacramento v. g. movendo hostiam motu quasi simplicis translationis; & fortè sic aliquando mota est hostia à Christo immediatè, inquit *Scotus dist.* 10. *q.* 7. *n.* 5. *in fine.* 66. *Christus prout in Sacramento nequit progredi. & moveri, non organicè.*

DICO IV. Corpus Christi ut est in hoc Sacramento non potest virtute humanâ per se moveri localiter; cùm virtus humana nequeat illud per se tangere aut impellere, sed tantùm per accidens ratione specierum, quatenus illas movendo concomitanter etiam movetur Christi corpus sub illis inseparabiliter contentum, tali ratione ut illis motis simul moveatur ipsum corpus Christi motu sibi proprio. *Quomodo moveatur à movente species.*

Sed satis difficile est, à quo motus proprius corporis Christi physicè causetur. Varii explicant hoc fieri, non quasi species physicè agant in corpus, sed potiùs quia Christus per modum nexus se conjungit & quasi alligat speciebus consecratis; sicut Angelus alligans se corpori assumpto moveretur ad motum istius corporis, si nexum istum continuaret: adeòque videtur motus corporis Christi procedere physicè ab eo qui movet. Sed cùm præter præsentiam Christi ad species, non sit physica aliqua dependentia Christi ad easdem, aut nexus physicus, sed tantùm voluntarius & moralis in sola Dei voluntate fundatus, non satis apparet, quo modo movens species possit movere physicè corpus Christi; uti patet in aliis, quæ solùm localiter absque alia physica & necessaria dependentia invicem conjunguntur. 67. *A quo causetur physicè motus proprius ipsius corporis Christi*

Verùm partim ob prædicta, partim ob supernaturalitatem ipsius præsentiæ Christi, motus corporis Christi videtur physicè resundendus in solum Deum. Quare *Scotus dist.* 10. *q.* 6. *n.* 2. & 4. & plures alii dicunt motum corporis Christi tantùm procedere moraliter ab eo qui movet species; adeò ut motus specialis corporis causetur à solo Deo, non per novum miraculum, sed per institutionis sive pacti miraculosi continuationem, quo absolutè voluit speciebus consecratis corpus suum semper manere præsens. Idque sufficit, ut corpus Christi absolutè dicatur à Sacerdote in processione & ad ægros deferri, elevari, sumi &c. prout *Trid. sess.* 13. *c.* 5. & 6. & Catholici omnes loquuntur. Quo modo etiam dicitur absolutè, etsi tantùm moraliter, à Sacerdote consecrari. 68. *Verosimilius à solo Deo causatur,*

Adde non improbabile videri motum corporis Christi ad motum specierũ posse procedere *Posset causari ab ang.*

ma Christi aut Angelo per specialē Dei concursum: sed non constat, de facto ità fieri.

cedere ab anima Christi per dotem agilitatis, seu per potentiam loco motivam non organicam: sicut enim per illam potest movere hostiam, sic videtur cum hostia posse movere physicè suum corpus; adeòque conjecturari posse videtur, de facto sic fieri. Unde eâdem ratione posset verosimiliter Angelus movere corpus Christi, vel etiam per accidens, ad motum specierum per contactum virtualem, sicuti potest localiter movere & impellere alterum Angelum. Quod quidem facilius est, si dicatur præsentia localis noviter acquisita seu causata in corpore Christi sub speciebus esse in substantia naturalis, suppositâ semel unione ac præsentiâ sacramentali ad species, adeòque penetratione & modo existendi non quantitativo. At si dicatur esse supernaturalis in substantia, major est difficultas. Videtur nihilominus anima Christi (idem est de angelo) habere ad illam, utì ad actus vitales supernaturales, potentiam inchoatam, speciali auxilio seu concursu Dei supplendā. Quòd sic tamen de facto concurrat anima Christi, & non potiùs ibi modo mortuo se habeat, non nisi conjecturari potest.

69. *Corpus Christi prout in Eucharistia non potest naturaliter alterari à corporibus vicinis.*

Dico V. Corpus Christi prout est in hoc Sacramento non potest naturaliter alterari à corporibus vicinis; adeòque non potest ibi crescere, vel minui, vel interfici: nec vicissim probabiliter potest corpora vicina alterare. Prima pars intellecta de corpore Christi glorioso est per se evidens. Intellecta autem de corpore Christi adhuc passibili, quale erat in ultima cœna, est communis Doctorum. Probatur: quia per alterationem producuntur qualitates materiales & corporeæ, quæ ex natura sua exigunt modum existendi quantitativum; adeòque produci siverecipi nequeunt in corpore Christi, quod in Sacramento existit modo indivisibili & spirituali.

Probabiliter neque cadē alterare.

Secunda pars (quæ *Scoti dist.* 10. *q.* 7. *n.* 2. & aliorum passim) suadetur: quia sicut corpus & qualitates corporeæ exigunt extensum modum, ut possint naturaliter existere, ita eumdem videntur exigere, ut possint naturaliter agere, quia modus agendi consequitur modum existendi. Quod idem constat experientiâ, quâ constat corpus numquam alterare species sacramentales, neque corpus intra quod recipitur.

70. *Quamvis hoc valdè probabiliter proveniat solùm ex subtractione divini concursus ad occultandum mysterium.*

Respondent tamen *Nominales* & alii contrarium docentes (quorum opinio hac in parte non est improbabilis) id supernaturaliter impediri ob exercitium nostræ fidei. Aliunde autem sufficienter non convincitur necessitas existendi quantitativè ad hoc ut corpus agat; sed videtur ab eo, quod spirituali modo existit, posse manare actio, quæ corporaliter & extensè recipiatur in passo. Quemadmodum Deus indivisibilis & spiritualis producit res materiales & divisibiles, & Angelus indivisibilis potest movere rem divisibilem. Sic igitur videtur qualitas corporalis, etsi per accidens penetrativè posita, adeòque virtutem habens unitam, rectè posse (nisi divinitus impediatur) producere calorem divisibilem & habentem suam connaturalem partium collocationem. Positio autem perpetui miraculi non videtur hîc inhærendo rationi posse vitari. Neque adeò operosè vitari debet in Mysterio miraculis pleno; quod ipsum est miraculorum à Christo patratorum maximum. Quare hæc *Nominalium* opinio satis placuit & placet, etsi opposita sit *Scoti* & communior.

QUÆSTIO VII.

Qualiter possit Christus prout in Eucharistia videri seu cognosci.

DIco I. Corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, non potest naturaliter videri oculo corporeo. Ita communiter Doctores contra *Nominales*, qui putant posse quidem naturaliter videri, tamen re ipsâ non fieri propter meritum fidei. Probatur: quia oculus corporeus tendere nequit naturaliter in objectum spirituali & inextenso modo existens; quomodo existit corpus Christi in Eucharistia. Deinde ad visionem requiritur illuminatio objecti; quod indivisibiliter existens non potest naturaliter illuminari, cùm agens naturale non possit naturaliter producere effectum inextensum in ordine ad locum. Adde, quòd juxta magis receptam sententiam corpus Christi indivisibiliter existens non possit diffundere in circumstans medium species visibiles & materiales. Conclusio intelligitur contra illos etiam de oculo glorificato: etsi enim hic sit longè perspicacior oculo mortali, ideoque possit videre res ex majori distantia; tamen sepositio altiori adjutorio non habet ex suo statu, quòd videre possit corpora indepedenter à conditione naturaliter ad visionem requisitâ; prout est extensio objecti.

Sed major difficultas est, an oculus corporeus possit videre corpus Christi in hoc Sacramento, saltem de absoluta Dei potentia? Negat *Suarez* & alii. Sed verosimiliùs affirmat *D. Thomas* & passim Recentiores; & communiter refertur *Scotus dist.* 10. *q.* 9. Probatur: quia corpus Christi in Sacramento est coloratum, potestque per Deum illuminari, adeòque habet formalem rationem objecti corporaliter visibilis. Neque enim refert, quòd non sit extensum in ordine ad locum: cùm non satis efficaciter ostendatur, cur per Deum oculus elevari nequeat ad videndum objectum suum indivisibiliter positum.

Dices modus inextensè existendi nequit videri, utpote extra objectum visûs. Respon-

in primis ultra præsentiam partium corporis Christi in eodem loco frustra fingi modum aliquem positivum: cùm sufficiat negatio extensionis, quæ videri non debet, ut videatur res indivisibiliter posita; sed visio fertur in corpus coloratum. Et quamvis esset ibi modus aliquis positivus, posset sine illo videri corpus inextensum, utì sine extensione corpus extensum, sed præcisè corpus coloratum.

DICO II. Corpus Christi ut est in Sacramento potest ab intellectu supernaturaliter & obscurè cognosci per fidem; cùm ita cognoscant & credant omnes Catholici. Potest item clarè ac supernaturaliter cognosci ab intellectu illuminato per visionem beatificam aut scientiam supernaturaliter infusam; ut etiam constat. Naturaliter tamen non potest clarè cognosci ab intellectu sensibus alligato: cùm hic omnem suam cognitionem hauriat à sensibus, qui nullatenus Corpus Christi in Sacramento intuentur: ipsumque dependeat à divina voluntate per solam fidem cognitâ, cujus ex natura rei non potest peti evidens indicium. Nullus denique est effectus sensibilis, ex quo præsentia corporalis Christi possit naturaliter deprehendi.

DICO III. Intellectus nihilominus sensibus alligatus potest Corpus Christi ut est in Sacramento cognoscere naturaliter, sed abstractivè & confusè: cùm auditâ institutione & prædicatione hujus mysterii, possit illud quilibet apprehendere; immo fide merè naturali assentiri. Intellectus autem à phantasmate independens, v. g. angelicus, videt ibi in primis naturaliter animâ Christi; utpote quæ ibi est modo suo naturali, id est spirituali. Deinde potest etiã ipsum corpus Christi naturaliter seu vi suâ etiam clarè intueri, ut docet *Scotus*, *Præpositus* & plures alii contra *D. Thomam* & multos alios. Probatur: quia corpus Christi est res materialis, & intrà limites objecti intellectûs à phãtasmate independentis v. g. angelici; adeoque videri potest latens sub speciebus. Et quamvis modus ibi existendi seu præsentia sit supernaturalis in substantia (quod Varii negant, qui à fortiori debent tenere Conclusionem) poterit, eo modo non viso videri ipsum Corpus, quod est realiter ab illo modo distinctum.

Deinde etiam ipsam præsentiam Eucharisticam corporis Christi, etsi supernaturalem, posse naturaliter ab Angelo videri, ex mente *Scoti* & plurium aliorum tradidimus in *Tractatu de Angelis*, quos diximus naturaliter intueri posse entia supernaturalia. Quare etsi præsentia Eucharistica sit supra naturã omnis creaturæ, quia non potest ab agente creato naturaliter produci, secundò quia nullũ subjectum supernaturale exigit illam in se habere connaturaliter: non est tamen supra omnem naturæ seu intellectûs naturalis potentiam quoad cognosci; neque ex hoc capite desumitur supernaturalitas entis. Quare totum ens creatum præsertim non involvens in obliquo ens increatum, quantumvis sit alioquin supernaturale, est naturaliter proportionatum intellectui angelico aut sensibus non alligato.

QUÆSTIO VIII.

Quâ actione Corpus & Sanguis Christi ponantur in Sacramento?

DICO I. Actio quâ corpus Christi ponitur in Sacramento est vera conversio substantialis sive transsubstantiatio. Est certum de fide. Et patet ex *Florentino suprà* dicente: *Substantia panis in corpus, & substantia vini in sanguinem convertuntur.* Idem expresè docet *Tridentinum sess. 13. c. 4.* dicens hanc *conversionem convenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia transsubstantiationem esse appellatam.* Idem definitum est *eâdem sess. can. 2.* Huc quoque faciunt eæ auctoritates, quæ asserunt destrui substantiam panis & vini, hancque mutari in corpus & sanguinem Christi. Vide dicta suprà *quæst. 2.* 75. *Christus ponitur in Sacramento per veram transsubstantiationem.*

Declaratur Conclusio ex conditionibus ad conversionem substantialem communiter requisitis. Nã in primis conversio debet esse inter duas res positivas: quod in præsenti locum habet; cùm versetur hæc actio inter panem qui desinit, & corpus quod succedit. Secundò debet terminus à quo simpliciter vel aliquo modo desinere, & terminus ad quem similiter incipere esse. Quod etiam hîc locum habet: cùm panis absolutè desinat, & corpus Christi succedens incipiat esse in Sacramento cum dependentia ad species. Et quamvis simile exemplum in naturalibus non habeamus: cùm tamẽ conversio hæc sit supernaturalis, debet ad similitudinẽ naturalium explicari, nec per omnia similis in naturalibus requiri. Tertiò debet esse cõnexio, saltem moralis, inter desitionem unius termini & inceptionem alterius, idque sub aliquo communi utrique termino; adeò ut terminus à quo sub isto cõmuni esse definat, quia terminus ad quem sub eodem succedit. Hoc autem indubiè etiam convenit actioni, quâ Christi corpus ponitur in Sacramento: perseverat enim aliquod commune, scilicet species, sub quibus pani desinenti succedit corpus; ita ut si panis non desineret, corpus non poneretur; & è contrà si corpus non poneretur, etiam panis non desineret. *Cujus conditiones hîc intervenire, declaratur.*

Porrò conversio hæc dicitur transsubstantiatio, quasi transitio totalis substantiæ in substantiam, ut rectè *Scotus dist. 11. quæst. 1. n. 2.* Ceteræ verò conversiones naturales sunt solùm transitus ejusdem materiæ primæ ab una forma substantiali ad aliam. In illo autem transitu substantiæ panis in 76. *In quo formaliter cõsistat.*

substantiam corporis Christi, adeoque in successione corporis Christi in locum substantiæ panis (quæ vi advenientis corporis Christi destruitur) sub eodem aliquo communi, scilicet speciebus, consistit præcisè & formaliter ipsa transsubstantiatio. Quemadmodum conversio substantialis ligni in ignem consistit in successione formæ ignis loco formæ ligni in eadem materia.

77. *Quæ actiones in illa necessariò intervenient.*

Hinc evidenter sequitur, necessariò in conversione Eucharistica intervenire omnem illam actionem, quæ ad præexplicatum transitum seu successionē requiritur. Quare in primis intervenire debet actio conservativa specierum panis & vini, quæ sunt illud commune, quod instar subjecti primò substantiam panis & vini, dein Corpus & Sanguinem continet: sive ista actio sit nova (prout *disp. 4. q. 2.* docebimus) sive non. Requiritur etiam actio terminata ad ipsum Corpus & Sanguinem Christi: cùm non possit succedere sub eodem communi in locum panis & vini, nisi existat; existere autem non possit, nisi producatur aut conservetur per aliquam actionem. Præterea requiritur actio, quâ Corpus & Sanguis existens in cælo adducatur ad locum specierum seu potiùs ad ipsas species. Quæ quidem actio formaliter terminatur ad unionem Christi cum speciebus sacramentalibus (quæ juxta supradicta non est physica unio, sed præsentia Christi ad ipsas species) quam comitatur præsentia Christi & specierum ad eumdem locum. Solétque ista actio dici adductiva; estque omnino nova, & necessariò distincta ab actione terminata ad præsentiam Christi in cælo seu in aliis locis. Actio autem, quæ terminatur ad ipsam substantiam Corporis & Sanguinis Christi, dici solet productiva. De qua gravis est controversia, an necessariò intervenia nova hujusmodi actio in conversione Eucharistica. Pro cujus resolutione

Controversia est, an requiratur nova actio productiva.

78. *Resolvitur, quòd non.*

Dico II. Actio productiva Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia est eadem cum illa, quâ conservatur in cælo. Ita *Scotus dist. 11. q. 3. n. 23. & seq. Vasquez, Lugo, Dicastillo* & plures alii, contra *Coninck q. 75. art. 4. dub. 3. & 5.* & multos alios existimantes requiri substantialem Corporis Christi reproductionem. Immo *Coninck* putat (quod tamen nullam habet apparentiam) ne quidem de absoluta potentia corpus posse poni in Sacramento per solam actionem adductivam absque substantiali reproductione.

Probatur.

Probatur doctrina *Scoti*: quia præsentia sacramentalis produci potest sine reproductione substantiæ, & sufficit, ut Christus ponatur in Sacramento: ergo non debet superaddi reproductio substantiæ. Antecedens pro prima parte probatur: quia Angelus virtute naturali per replicationem sive actionem adductivam fit præsens pluribus locis continuis sine reproductione substantiæ; idem est de anima rationali: ergo divina virtute poterit corpus poni in locis discontinuis absque reproductione ejusdem. Pro secunda parte probatur: quia Christum poni in Sacramento nihil aliud importat, quàm eum accipere præsentiam sacramentalem ad species loco desinentis panis & vini. Confirmatur: quia in hoc mysterio præter præsentiam sacramentalem non est novus terminus, cùm tota Christi substantia præexistat: ergo non debet poni nova productio sive actio substantialis, esto absolutè esset possibilis. Quod addo: quia utrum absolutè possibilis sit, meritò potest dubitari. Et quidem sententia est *Scoti*, (quem sequitur *Vasquez*) quòd sicut absolute impossibile est, eumdem effectum dependere à duabus causis totalibus; ita etiam à duabus productionibus totalibus, unâ quâ produceretur in cælo, alterâ quâ alibi, videlicet in Sacramento, eò quòd singulæ productiones exhauriant totam capacitatem sive indigentiam effectûs. De quo quidquid sit, saltem non debet connaturaliter statui nova productio absque novo termino.

Contra hanc Doctrinam possent varia oboici, quibus probari videtur, nullum corpus posse poni in pluribus locis per solam actionem adductivam. Sed hæc videantur in physica. Specialiter autem contra eamdem doctrinam ab aliis Auctoribus

Objicitur I. Patres frequenter dicunt corpus Christi in Sacramento fieri, creari &c. Ita loquitur *Ambrosius l. 4. de Sacramentis c. 4. Augustinus* & refertur c. *Vtrùm sub figura dist. 2. de consecr.* ergo intervenit nova substantiæ productio. Resp: N. C. nam Patres non loquuntur de creatione propriè dictâ: cùm etiam, ipso *Coninck* teste, vox similiter non esset rigorosa creatio, etiamsi nova productio interveniret. Similibus itaque loquendi modis solùm declarare volunt, veram & realem præsentiam corporis Christi, ut sicut res, quæ creatur aut fit, verè habet esse, ita corpus Christi verè & realiter in Sacramento ponatur & habeat esse. Immo *Ambrosius suprà* potius facit pro nobis, dum argumentatur à majori ad minus dicens: *Si tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse quæ non erant; quantò magis operatorius est, ut quæ erant in aliud commutentur?* Si enim nova interveniret productio, nihil hîc esset minus aut facilius; cùm æquè difficilè & longè inusitatius sit, prius existens reproduci eodem vel diverso tempore, quàm aliquid de novo produci aut creari. Ubi obiter adverte verba *Ambrosii*, ut relata sunt, haberi in correctis editionibus, etiam breviarii Romani, sicque ante annos 500. ea legisse *Lantfrancum*: etsi aliqua exemplaria habeant: *Vt sint, quæ erant, & in aliud commutentur.* Quàmvis nec sic faveant *Berengario & Lutheranis* negantibus conversionem panis & vini: nam qui possunt post consecrationem

tionem manere quod erant, si in aliud commutentur? Quare sensus esse deberet: Ut sint, dum profertur consecratio, quæ antea erant, & per sermonem Christi operatorium seu consecrationem in aliud commutentur.

80. Objicitur II. Actio quâ Corpus Christi ponitur in Sacramento est, & à Patribus ac Conciliis vocatur transsubstantiatio: atqui nulla actio est transubstantiatio, nisi una substantia destruatur, & alia producatur, saltem novâ actione: ergo Corpus Christi non ponitur in Sacramento absque nova productione. Resp. Neg. Min. Ad transsubstantiationem enim sufficit, quòd una substantia succedat alteri substantiæ desinenti sub aliquo communi; ita ut hæc desinat quia altera ponitur, seu vi incompossibilitatis saltem moralis cum illa; & ad summum, quòd altera conservetur novo titulo. Vide *Vasquez disp.* 181. *cap* 12. Unde si interveniret nova productio, haberet se per accidens ad formalem rationem transsubstantiationis: sicut in naturalibus conversionibus productio rei de novo se habet per accidens, tantùmque intervenit, eò quòd una forma alteri naturaliter non succedat, nisi de novo producatur. Unde non minùs esset substantialis conversio ligni in ignem, si forma ignis præexistens solùm uniretur materiæ ligni, quàm dum de facto simul etiam producitur. Sicut etiam de facto est vera mutatio substantialis in regeneratione hominis (v. g. in resurrectione Christi) in qua tamen anima præexistens solùm reunitur corpori. Quare sicut ad conversionem substantialem propriè solùm pertinet actio, quâ forma unitur materiæ, sive ipsa unitio: sic etiam ad hanc transsubstantiationem propriè spectat ipsa actio unitiva corporis Christi cum speciebus; quæ sunt quasi materia seu subjectum commune; per quam nimirum fit, ut corpus Christi, quod est terminus conversionis, succedat in locum panis; quæ successio est formaliter transsubstantiatio.

81. Nec refert, quòd terminus hujus actionis sit merum accidens, scilicet unio seu præsentia corporis Christi ad species: etsi enim id verum sit loquendo de termino formali istius actionis quatenus est actio, seu quatenus per eam aliquid producitur: falsum tamen est loquendo de termino formali illius, quatenus est conversio, seu quatenus per eam aliquid convertitur. Nam cùm eatenus per eam destruatur panis, & ejus loco ponatur, etsi per eam formaliter non producatur, substantia corporis Christi, habet eatenus pro termino formali ipsum corpus Christi. Quemadmodum productio unionis formæ cum materia quatenus est actio respicit formaliter ipsam unionem; quatenus tamen est substantialis conversio, respicit formaliter formam substantialem quæ de novo unitur.

82. Non refert etiam, quòd in aliis conversionibus substantialibus forma succedens uniatur formaliter subjecto communi; quod hîc non fit. Nam etiam in illis unitur tamquam forma subjecto; quod hîc non fit. Species enim non sunt subjectum substantiæ succedentis, scilicet corporis Christi, sed potiùs è contra: quàmvis verè corpus Christi non sit etiam subjectum specierum, juxta fidem. Similiter in aliis conversionibus non solùm reperitur subjectum commune, & forma ei unita, v.g. materia ligni & succedens forma ignis, sed insuper exurgens inde terminus adæquatus & compositum substantiale; v.g. ignis: quod hîc non reperitur: immo terminus adæquatus, qui hîc statueretur ex subjecto vel quasi subjecto communi, scilicet accidentibus panis, & substantiâ noviter succedente, scilicet corpore Christi, exurgere, esset aggregatum velut per accidens. Quocirca dicendum (ut utar verbis *D. Bonaventuræ dist.* 11. *p.* 1. *art.* 1. *quæst* 2. *in corp.*) quòd hæc est mutatio singularis, quæ nullum simile plenum habet. Assimilatur tamen in aliquo aliis. Quia enim in hac mutatione nihil commune manet, assimilatur creationi. Quia verò principium initiale non est nihil, sed aliquid: ideo dissimilis est creationi, & similis generationi. Quia verò terminum finalem non habet aliquid de novo factum, sed prius existens: ideo est dissimilis generationi, & similis augmento. Quia verò Corpus Christi ex hoc non crescit, sed in pluribus locis existit: ideo dissimilis augmento, & similis loci mutationi. Quia verò in alio loco existit, & à proprio non recedit, sed aliquid in ipsum transit: ideo omni motui & mutationi dissimilis est, & est prorsus mutatio singularis. Hactenus *D. Bonaventura.*

83. Quocirca actio, quâ mediante fit transsubstantiatio, non est propriè motus localis corporis Christi: tum quia corpus Christi nullam præsentiam perdit: tum quia hæc actio non tam respicit locum, quàm ipsas species, quibuscum ipsa corpus Christi quodammodò unit, sic ut vi illius, destructâ substantiâ panis, in hujus locum succedat sub iisdem speciebus, & dependenter ab earumdem permansione sub iis permanere sive conservari debeat substantia corporis Christi. Ex quo evidens est differentia inter hanc mutationem, & aliam actionem, quâ substantia aliqua simpliciter adducitur ad aliquem locum alterius substantiæ, sive à motu locali; cui proinde non competit ratio transsubstantiationis.

84. Sed adhuc instabit aliquis: Unio corporis Christi ad species debet esse prior præsentiâ à nobis explicatâ: cùm ipsum succedat in locum panis, qui utique naturâ priùs uniebatur physicè speciebus, quàm censeretur cum illis uniri eidem loco per præsentiam. Ad quod in primis facilè respon-

Pariformitatem per omnia inter hanc & conversiones naturales non esse urgendam evidenter ostenditur.

Actio, quâ mediante fit transsubstantiatio, in quo differat à motu locali.

Instantia.

Resp. 1.

deri

deri posset, non necessariò succedere corpus Christi quoad omnem planè modum & ordinem seu prioritatem, neque etiam sub simili officio, puta subjecti sustentantis species, quæ ibi sustentantur à Deo, adeòque sufficere ut succedat in instanti reali.

Resp. 2. Aliter tamen posset satisfieri, dicendo præsentiam sacramentalem corporis Christi ad ipsasmet species esse priorem præsentiâ amborum in eodem loco, & ab hoc vel illo loco independentem, sicut indistantia specierum & corporis ab invicem est naturâ prior. Prout etiam unio physica animæ & corporis, &, quæ unioni præsupponitur, mutua indistantia utriusque, est prior præsentiâ locali utriusque ad idem spatium. Unde sicut unio hæc non mutatur mutato loco, seu præsentiâ locali, sic nec præsentia corporis ad species ob hoc mutatur. Et hæc præsentia potest dici succedere in locum unionis specierum cum pane.

85. *Modus conversionem explicandi per actionem productivam, etsi non novam.* Quòd si nihilominus quis malit hanc conversionem explicare per actionem verè productivam alicujus substantiæ, adhuc non foret necesse admittere substantiarem reproductionem corporis Christi: sine qua manifestum est salvari veritatem formæ, seu verborum consecrationis, in qua tamen juxta Adversarios fundatur necessitas conversionis substantialis eucharisticæ: quæque juxta prædicta est omnino superflua si non impossibilis. Dici namque poterit, sufficere productionem corporis Christi antiquam, quâ conservatur in cælo, quatenus huic accedit novus titulus, quòd scilicet per eam incipiat conservari dependenter à speciebus & sub iisdem speciebus, pane destructo, vi ejusdem corporis succedentis. Pro quo

Nota, tantæ esse efficaciæ hanc conversionem, ut si Christus alibi non existeret, & potestas consecrandi maneret (utì potuisset volente Deo) vi ejusdem debuisset Christus etiam primò produci. Quia verò jam productus supponitur, sufficit eum incipere hoc titulo noviter conservari. Quæ tamen conservatio priùs non erat transsubstantiatio, eò quòd tunc deerat hic titulus, scilicet destructionis panis, successionis corporis sub eodem communi, & necessitas sub illo manendi, quamdiu illud commune manet. Et hoc modo clariùs apparet hîc actio substantialis. Et si non sit perfecta similitudo cum aliis conversionibus: de quibus non esse per omnia pariformiter discurrendum, constat.

86. *Quævis prædictarum opinionum satis defendit doctrinam fidei.* Finaliter autem, quævis prædictarum Opinionum defendit à parte rei totum quod fides astruit & intendit, destrui scilicet verè substantiam panis, eò quòd adveniat substantia corporis Christi sub iisdem speciebus permanentibus, vi verborum consecrationis. An autem intercedat unio physica, formalis, effectiva, vel præsentia ad species tantùm, sive ad locum specierum vel reproductio &c. non fecerunt Concilia vel Patres soliciti, qui has scholasticas speculationes non curasse videntur, ut mihi satis quidem exploratum est.

Petes, quomodo de conversione unius extremi in aliud sit in hac materia loquendum? Resp. I. Propositiones, quæ tantùm significant successionem terminorum sive transitum unius in alterum, esse propriè veras: transitus enim iste verè hic intervenit. Tales sunt: Panis transit, vel convertitur in corpus Christi, Ex pane fit corpus Christi. Idem est contra. D. *Thomam* & plures alios de hac propositione (quâ usus est *Ambrosius*) *De pane fit caro Christi*: neque enim præpositio *De* potiùs significare ubique videtur (etsi interdum significet) utriusque termini consubstantialitatem seu aliquid substantiæ panis communicari corpori Christi, quàm præpositio *Ex*: cùm etiam sic loquatur ipse Apostolus 2. *ad Cor.* 4. *Qui dixit de tenebris lucem splendescere* & tamen tenebræ nullo modo sunt consubstantiales luci. Resp. II. Propositiones, quæ in rigore intellectæ indicant esse in hac conversione subjectum substantiale utrique termino commune, esse improprias, adeoque bono sensu explicandas, sicubi apud Auctores probatos reperiantur: cùm re verâ non sit ejusmodi subjectum commune juxta fidem. Ejusmodi propositio est hæc: *Panis fit caro.* Item *Vinum fit sanguis.* Quo modo loquitur *Damascenus lib. 4. de fide c. 14.* Idem amplius est dicendum de hac: *Panis est corpus Christi*: quæ propriè intellecta importaret identitatem inter panem & corpus Christi. Sensus itaque similium propositionum est: Panis transit, seu convertitur, vel est conversus in corpus, & vinum in sanguinem Christi. Hoc sensu dicitur c. *Ego Berengarius, de consecr. dist. 2. Panis & vinum post consecrationem sunt verum Corpus & Sanguis Christi.* Huc etiam revocatur ista propositio: *Panis potest fieri, vel potest esse Corpus Christi*, id est converti in corpus Christi. Quo sensu loquitur *Ambrosius* dicens: *Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi?* & respondet, *Consecratione.* Similiter cavenda & bono sensu explicanda est locutio: Panis commutatur in Corpus Christi: quia significatur motus seu mutatio, quæ propriè connotat subjectum utrique termino commune.

QUÆSTIO IX.

Qualiter Eucharistia seu Christus in ea adorari debeat?

DICO I. Hoc Sacramentum est adorandum cultu latriæ, qui Deo debetur. Ita definit *Tridentinum sess. 13. can. 6.* Rationem dat idem *Concilium c. 5.* dicens: *Neque ideo minùs est adorandum, quòd fuerit à Christo Domino*

Domino ut sumatur institutum: nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei: quem Magi procidentes adoraverunt &c. Et certè suppositâ reali præsentiâ Christi in hoc Sacramento, superiùs probatâ, ne levis quidem occurrere potest ratio de hoc dubitandi. Unde idem habet perpetuus Ecclesiæ usus. Idem etiam docent Patres. *Ambrosius l. 3. de Spiritu sancto c. 12.* de carne Christi ait: *Quam hodie quoque in Mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt. Augustinus in Psal. 98.* ait: *Ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, ut non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Idem tradunt alii Patres & Liturgiæ, ac traditio perpetua Ecclesiæ.

Nihilominus non solùm *Sacramentarii*, sed & nonnulli *Lutherani* negant Sacramentum hoc esse adorandum, etiam in ipso usu. Quibus consonat ipse *Lutherus l. de Eucharistia ad Waldenses.* Alibi tamen contendit adorandum esse corpus Christi in usu cœnæ. Quod & contendunt *Bucerus, Brentius, & Kemnitius.* Adorationem tamen quæ fit extra usum, omnes ferè clamant esse idolatriam, eò quòd putent Eucharistiam consistere in usu, seu Christum ibi tantùm esse in ipso usu. Cujus tamen erroris manifesta falsitas sufficienter in præcedentibus est ostensa. Quòd autem suppositâ etiam Christi præsentiâ, ne quidem sit in ipso usu adorandus in Eucharistia, ut quidam *Lutherani* contendunt, est manifestissima ineptia: nam ubicumque Christus est, dignus est latriâ: non enim convenit illi adoratio, quia in cælo est, vel in alio loco, sed quia Deus est. In Eucharistia primariò quidem est ut manducetur, consequenter tamen, posito quòd ibi sit, etiam ut adoretur. Sicut in præsepi jacebat ut requiesceret, in mensa ut pranderet, alibi ut doceret: & tamen in præsepi fuit adoratus à Magis, alibi passim ab aliis. Sicut etiam princeps terrenus ob sua negotia aliò proficiscens, equidem ab occurrentibus adoratur, seu cum reverentia tractatur. Quare potiori jure Christus est adorandus in Eucharistia.

Quod autem *Kemnitius, Brentius,* & similes reprehendunt Catholicos, quasi absolutè adorantes ipsum Sacramentum seu symbola externa, immo & panem, adeoque velut docentes ἀρτολατρείαν, seu panis adorationem, est mera calumnia, cùm Catholici negent panem remanere: nec ullus doceat ipsa symbola per se & propriè adoranda cultu latriæ, sed quatenus apprehenduntur ut quid unum cum Christo contento, qui per se & propriè est adorandus. Quamquam & ipsum Sacramentum, juxta modum loquendi illorum Doctorum, qui censent ipsum in recto importare corpus & sanguinem Christi, rectè dicatur etiam formaliter esse adorandum, juxta *Bellarminum l. 4. de Euchar. c. 29.* Quod solùm pertinet ad modum loquendi. Res ipsa habet, Christum ibi præsentem esse propriè adorandum & per se, species autem sacramentales coadorari secundariò & per accidens, sicut cum rege adoratur ejus purpura & sceptrum.

91. *Cultus Eucharistiæ rectè adhibetur in delatione ad infirmos: Et processionibus, sanctè & rationabiliter institutis. Causæ assignantur.*

Ex hac doctrina Catholica evidenter patet, rectissimè exhiberi reverentiam Eucharistiæ seu Christo ibi contento, dum defertur per plateas ad infirmos, scilicet per accensionem luminum, genuflexiones &c. Similiter sanctissimè institui solemnes processiones, præsertim in Festo & infra Octavam Corporis Christi, in quibus cum luminibus, hymnis, aliisque singularibus reverentijs exterioribus circumfertur Venerabile Sacramentum, tùm in gratiarum actionem, tum per modum publici triumphi, & in signum lætitiæ, tum ad publicum cultum & adorationem, fideique protestationem, ejusdemque in populo Christiano augmentum ac dilatationem, & consequentem devotionem: ad quæ mirè conducunt hujusmodi exteriores solemnitates, quæ homines sensibiles, & præsertim populum rudiorem, ad interiora & spiritualia velut manuducunt. Neque ad hæc requiritur specialis jussio divina: sed eorum congruentiam, fide mysterii suppositâ, ostendit ipsa ratio.

92. *Quarum typus & exemplū multiplex in veteri Testamento:*

Hujusmodi ceremoniarum adumbrationes sive exempla quædam reperiuntur in veteri Testamento. Sic *Josue 6.* post sex dierum circuitum urbis Jericho jubentur septimò die Sacerdotes tollere septem buccinas & præcedere arcam fœderis, & clangere buccinis, septiesque cum populo circuire civitatem, armatis arcam quoque præcedentibus, reliquo autem vulgo eam sequente. Et *2. Reg. 6.* David cum populo surrexit & abiit, ut adduceret arcam Dei, ludens ipse & omnis Israël coram Domino in citharis & lyris. Divertitque eam in domum Obededom, ex qua rursus postea cum omni Israël eam deduxit in civitatem David cum gaudio, accinctus ipse ephod lineo, & saltans totis viribus ante Dominum. Et *2. Esdræ 12.* convocatis undique Levitis celebrata est dedicatio muri Jerusalem cum processione, cantantibus choris, & gratias Deo referentibus. Denique forma processionum observata fuit circa ipsum Christum passioni vicinum *Matth 21.* ubi refertur, quòd Apostoli imposuerunt vestimenta sua super asinam & pullum, & Christum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant,

Immo circa Christum ipsum passioni appropinquantem,

bant, dicentes: *Hosanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini: hosanna in altissimis.* Quid ni igitur licitè & sanctè veram & vivam arcam fœderis, ipsum Christum nunc glorioſum, verè autem in Eucharistia præsentem, populus Christianus cum omni reverentia, pompa & jubilo in processionibus circumferat? Quidquid Hæretici obganniant instar Michol, quæ (ut refertur 2. *Reg.* 6.) videns regem subsilientem atque saltantem coram Domino, despexit eum in corde suo, & deridendo dixit: *Quàm glorioſus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris.* Quibus cum Davide respondebit verus Catholicus: *Ludam, & vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.*

Processionum antiquitas.

Antiquitatem etiam processionum populi Christiani, in quibus arcas reliquiarum deferebat, ipsi Hæretici: signanter *Kemnitius*, negare verentur: quam apertè probant scripta *Hieronymi contra Vigilantium*. Historiæ Ecclesiasticæ *Sozomeni* & *Ruffini* &c. Si Reliquiis Martyrum iste cultus adhibebatur: quantò potiùs adhiberi cum proportione potest Eucharistiæ? Quæ hîc inserere visum fuit ob hæreses Hæreticosque vicinos, frequentemque cum eis convictum aut sermonem.

93. *An vel quãdo præceptum adorãdi Eucharistiam obliget.*

Dico II. Obligat præceptum adorandi hoc Sacramentum, quando adorationis omissio moraliter censeri posset quædam irreverentia aut virtualis contemptus: hunc enim dignitas tanti Sacramenti prohibet. Unde quoties celebramus, aut ad communicandum accedimus, illud saltem exteriùs adorare obligamur. Similiter cùm in Missa elevatur, aut ad infirmum defertur c. *Sanè, de Celebrat. Missarum.* Ob circumstantias enim omissio reverentiæ censeretur moraliter esse quædam irreverentia. Sicut irreverentialis in regem censeretur, qui in illius alloquio aut occursu omnem reverentiam omitteret. Secluso autem formali contemptu aut scandalo, ejusmodi omissio ex negligentia aut simili capite profecta non videtur esse grave peccatum, ob materiæ levitatem. Immo si naturalis inadvertentia, occupatio vel necessitas occurrat, nullum erit peccatum. Quod notandum est pro ministris Ecclesiæ, qui quodammodo in templis habitant. Vide *Suarez d. 65. sect.* 1.

94. *Est regula-*

Dico III. Sacramentum hoc debet regulariter adorari absolutè: nisi per accidens occurrat hîc & nunc ratio dubitandi de veritate Sacramenti, sive ex parte materiæ vel formæ, sive ex parte ministri (quod est valde rarum) tunc enim ob morale periculum idololatriæ esset adorandum sub conditione. Alioquin imprudenter apponeretur talis conditio: cùm regulariter sit moralis certitudo de legitima specierum consecratione, adeoque de præsentia Christi sub illis: quàmvis in communi, sive in genere, subinde sortetur contingat aliquas species non esse consecratas. Casus namque ille extraordinarius, de quo in particulari numquam potest quis cum fundamento suspicari, non debet immutare communem Christianorum modum absolutè adorandi, fundatum in certitudine morali de præsentia Christi sub speciebus propositis: quâ Deus nos voluit pro hoc statu in rebus agendis esse contentos, & quâ suppositâ non est prudentis de illa re dubitare, adeoque non conditionem adorationi apponere; quæ prudenter non potest apponi, ubi non potest prudenter de veritate objecti dubitari. Periculum autem idololatriæ materialis non est morale, adeoque in morali actione minimè curandum. Et qualecumque subsit, satis ei obviatur per hoc, quòd Christianus semper sit ita affectus, ut non adoraret species, nisi essent consecratæ. Quemadmodum non honoramus parentes sub conditione (de quibus tamen solùm moraliter certò nobis constat, quòd sint nostri parentes) etsi ita simus affecti, ut illos non honoraremus, si verè parentes non essent. Aliundè etiam anxia talium conditionum appositio multùm minuit devotionem & affectum erga hoc Sacramentum; ut patet experientiâ.

Dices: Adoratio fundatur in judicio fidei de præsentia divinitatis objecti; illi autem judicio absolutè repugnat subesse falsum. Resp. fundari quidem remotè in tali judicio de præsentia divinitatis in objecto velut in communi; proximè tamen dirigi per judicium moraliter certum deductum ex una de fide & alterâ moraliter certâ: v. g. per judicium, correspondens conclusioni hujus syllogismi: Omnis hostia legitimè consecrata, utpote Christum continens, est adoranda; atqui hæc hostia est talis, ergo est adoranda. Vel per judicium correspondens conclusioni hujus syllogismi: Omnis hostia est practicè adoranda, de cujus consecratione non subest ratio dubitandi: hæc est talis, ergo est adoranda.

DISPUTATIO QUARTA.

De Accidentibus seu Speciebus Sacramentalibus.

QUÆSTIO I.

An Accidentia panis & vini maneant in Eucharistia, & quomodo?

1. Accidentia in Eucharistia remanere fidei.

DICO I. In Eucharistia remanent accidentia sensibilia panis & vini. Est de fide ex *Concilio Lateranensi sub Innocentio III.* & refertur *Cap. Firmiter de summa Trinit.* & *Concilio Constantiensi sess.* 8. & *Florentino in Decreto de Armenis*, & *Tridentino sess.* 13. *c.* 1. & *can.* 2. Idemque similiter patet experientiâ, quæ tam evidenter docet manere accidentia realia panis & vini, quàm quòd ulla talia accidentia dentur.

Nihilominus refertur à *Ioanne Poncio d.* 44. *q.* 9. Auctor quidam modernus suppresso nomine, qui conatus fuit probare accidentia illa non manere, sed simul cum substantia panis & vini desinere, manentibus dumtaxat speciebus intentionalibus eorumdem accidentium à Christo conservatis, aut ipsomet Christo se visui offerente instar panis & vini ratione accidentium similium in ipso repertorum. Quæ tamen sententia veluti repugnans communi Theologorum, immo Christianorum sensui circa hoc mysterium, prout etiam ipsi Hæretici doctrinam Catholicorum intellexerunt, meritò ab eodem *Poncio* reprobatur tamquam temeria: ac veluti repugnans communi sensui Ecclesiæ conclusionique Theologicæ, reprobatur tamquam erronea: nec non veluti repugnans definitioni *Tridentini sess.* 13 *can.* 2. ibi: *manentibus dumtaxat speciebus* (quo nomine Patres Concilii, omnesque Orthodoxi intellexerunt semper accidentia sensibilia panis & vini) & *Concilii Constantiensis* suprà, damnantis hunc articulum *Joannis Wiclef*: *Accidentia panis non manent sine subjecto*, utpote contrarium communi assertioni Theologorum Catholicorum (quæ etiam exprimitur in Officio Ecclesiastico SS. Sacramenti) *Accidentia sunt ibi sine subjecto*; hoc, inquam, titulo etiam reprobatur à *Poncio* tamquam hæretica. Addo, illam evertere veritatem Transsubstantiationis, utpote consistentis in hoc, quòd in locum substantiæ panis & vini sub iisdem accidentibus succedat Corpus & Sanguis Christi. Præterea Catholica veritas habet, quòd Corpus Christi absque sensuum illusione veraciter contineatur sub speciebus panis & vini; non continetur autem sub speciebus intentionalibus, quæ emittuntur ad organa sensuum nostrorum. Quæ etiam non manent sine subjecto; sed in aëre, vel sensu ipso, v. g. oculo, subjectantur.

Dices: Nulla dantur accidentia distincta à substantia quæ vel divinitus quidem valeant sine substantia existere: quin potius omne ejusmodi est substantia, non accidens. Ita *Cartesius* ejusque Asseclæ (qui etiam Lovanii nuper non deerant inter Philosophiæ aut Medicinæ Professores) asserentes proinde omnes sensibiles corporis affectiones non esse, nisi meras habitudines sive puros modos. Resp. hanc ipsam doctrinam esse in terminis clarissimis *Joannis VViclef*, pro ut ad oculum patet inspicienti ejus verba quæ fusè allegat *Thomas VValdensis* Carmelita *Tomo* 2. *de Sacramentis cap.* 78. quem hortatu *Martini V.* (qui opus commendat in Brevi eidem præfixo) paucis post *Concilium Constantiense* annis absolvit; & ex eo noster *Sichen Tract.* 5. *Physicæ disp.* 1. *q.* 1. Quocirca dum idem Concilium damnavit hunc articulum, *Accidentia panis non manent sine subjecto*, definivit eo ipso contradictorium, quòd scilicet maneant, adeoque quod fuerint & sint accidentia, etsi post consecrationem sine substantia panis. Quod & definivit posteà *Tridentinum* sub nomine specierum, quas ait dumtaxat manere. Quo etiam utitur Concilium Lateranense sub Innocentio III. definiens *c.* 1. *Verum Christi Corpus & sanguinem in Sacramento Altaris sub speciebus panis & vini veraciter contineri, transsubstantiatis pane in Corpus & vino in sanguinem potestate divinâ.*

2. Opinio Caretesii. Eadem quæ VVicleffi. Confunditur.

Nec responderi potest juxta opinionem imaginabilem (quam uti talem refert *Petrus Alliacensis*, aliàs Cardinalis Cameracensis, *in* 4. *q.* 6. *a.* 3.) accidentia quidem esse sine subjecto, si dentur distincta à substantia panis, verè tamen talia non dari; ut proinde determinatio Ecclesiæ debeat intelligi sub conditione, quod sint species accidentales distinctæ à substantiis. Sed si non sint tales, sensus est: sub specie, id est, ubi apparet esse panis, & ubi priùs erat. Quam opinionem quidem improbat, non tamen audet hæresis damnare, eò quòd solùm per probabilem consequentiam inferatur ex transsubstantiatione panis, & principio communiter apud Peripateticos recepto (cujus oppositum tenens non esset propter hoc tamquam hæreticus habendus) quòd accidentia panis sint alia ab ejus substantia.

3. Effugium.

Contra enim facit, quòd accidentia remanere sine subjecto, sit absolutè definitum

Præcluditur.

nitum in *Concilio Constantiensi*: cui etsi Auctor præfatus interfuerit, pluribus tamen ante illius celebrationem annis juxta *Spondanum* fuerat ob illustrem doctrinam scriptis suis vulgatam assumptus ad Purpuram, ante eam & insulam Episcopalem existens Doctor celebris Parisiis. Estque relata ab eo opinio ipsius *Wiclef* damnati, ut patet ex *VValdensi suprà c.* 78. Oppositum quoque non solùm per probabilem, sed etiam evidentem ac irrefragabilem consequentiam inferri poterat ex determinatione Ecclesiæ (quam respicit *Alliacensis*) in *Concilio Lateranensi*, sive in ea continebatur veritas de accidentibus sine subjecto remanentibus: sub quibus sive sub speciebus contineri veraciter Corpus Christi, transsubstantiato pane ibidem definitur; quod apertè falsum foret, si species sive accidentia non sint. Ut proinde etiam ante *Concilium Constantiense* hanc mentem & fidem Catholicorum agnoverit ipse *VViclef* (quem ante *Constantiense* veluti novæ hæresis fabricatorem *VValdensis* impugnat) 2. *parte serm.* 58. dicens: *A tempore Innocentii III. nescitur, utrum Catholicè, an hæreticè sentiebat: ad unam tamen tenetur obedientiam illius Ecclesiæ tamquam fidem, quod credatur accidens esse sine subjecto in hoc Sacramento*; ut refert *VValdensis Tom.* 2. *de Sacram. cap.* 76. Idcircò totus ibidem & in præcedentibus ac sequentibus est, ut ostendat hanc veritatem contra *VViclef*, qui (ut ait *cap.* 71. in principio) *calumniatur fideles quia ..... accidens sine subjecto ponunt esse de fide.*

4. *Dicta Philosophorum qualiter canonizentur interdum.*

Nec ob hoc canonizatur *Porphyrius* aut *Aristoteles* (uti subsannat *Wiclef* renovans errorem *Parmenidis* & *Anaxagoræ*) sed veritas divinitus inspirata, ut respondet *VValdensis*. Aliàs pariter esset decidendus Apostolus, quòd voluerit canonizare *Epimenidem*, aut hemistichium *Callimachi*, *ad Titum* 1. in verbis: *Cretenses semper mendaces*; aut senarium *Menandri*, ex quo 1. *Cor.* 15. dicit: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*; aut apud Athenienses *Aratum* ex quo *Act.* 17. allegat: *Ipsius enim, Dei, & genus sumus*; ut rectè *VValdensis sup.*

5. *Effugium alind.*

Instabis: *VViclef* idcircò damnatus est, quòd substantiam panis diceret in Sacramento remanere; unde consequens erat, illius accidentia non remanere sine subjecto. Resp. *VViclef* principaliter sustulisse veritatem Corporis Christi in Sacramento Altaris cum *Sacramentariis*, ut patet ex *VValdensi supra c.* 52. Dein asseruisse substantiam panis manere sine conversione seu transsubstantiatione; in quo proinde damnatur à *Constantiensi*. In quo præterea specialiter & distinctè damnatur articulus, de quo in præsenti: *Accidentia non manent sine subjecto*, eo quòd conaretur serpens iste venenum suum diffundere & mysterium oppugnare, argumento desumpto ex impossibili separatione & existentia accidentium sine subjecto seu substantiâ: quem proinde tamquam hæreticum & in *Concilio Constantiensi* damnatum impugnat *VValdensis* per multa capita, ostendens quoque distinctionem accidentium à substantia ex Philosophis & Patribus. Quam expugnare nequit aut hodere Catholicorum Philosophorum inter se de nonnullis qualitatibus, an sint veræ qualitates, adeoque à substantia distinguantur, dissensio dum inter se de indefinita Articuli determinati veritatè concordant; tametsi distinguentibus semper faveat magis determinatio ipsa Concilii.

Quod attinet accidentia absoluta occulta seu insensibilia, quæ scilicet nequidem ratione effectûs sub sensum seu experientiam cadunt, in primis non satis constat, an in substantiis corporeis aliqua sint talia. Ut iis admissis, non est pariter certum, an in Eucharistia maneant vel non. Quàmvis enim *Tridentinum* suprà definiat remanere dumtaxat species, hoc est, accidentia sensibilia, particula tamen exclusiva ibi non excludit cetera accidentia, sed solam substantiam panis & vini, ut ex scopo & contextu *Tridentini* patet. Deinde puri modi seu accidentia modalia, quæ inhærent ipsis Speciebus, utique manent: adeoque similiter salvo *Tridentino* manere possunt accidentia absoluta insensibilia. Horum præterea permanentia non repugnat muneri eucharistico: ut proinde meritò credi possit ea per consecrationem seu præsentiam Christi non destrui. Quàmvis hoc ipsum non sit revelatum: nisi quis etiam illa putet significari in *Tridentino* nomine specierum panis & vini. Quod equidem non credo. Accidentia verò relativa in substantia panis & vini immediatè fundata, utì & modi, si qui dentur à relationibus distincti, necessariò pereunt pereunte panis & vini substantiâ, cùm essentialiter ab ea dependeant. Neque illorum permanentia alicubi in Doctrina revelata fundatur.

Præcluditur.

Dico II. Accidentia post consecrationem remanentia existunt sine subjecto. Est de fide ex *Concilio Constantiensi sess.* 8. ubi damnatur hæc propositio Joannis *Wiclef*: *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento*, & *Tridentino sess.* 13. *can.* 2. ubi definitur post consecrationem nihil substantiæ panis aut vini remanere, sed solas species; adeoque sine subjecto: cùm enim non inhæreant substantiæ panis & vini, quæ desiit, nec possint inhærere corpori Christi glorioso; sequitur manifestè, quòd permaneant sine subjecto.

Est autem Conclusio vera, intellecta de omnia

omnibus accidentibus Eucharisticis. Nomineque subjecti intelligitur ultimatum sive substantiale, à quo nimirum accidentia naturaliter sustentari valeant. Non enim prodest, quòd haberent subjectum accidentale immediatum, nisi hoc ulteriùs sustentaretur. Sicut non prodest domui, quòd tectum sulciatur parietibus, nisi hi fundamento firmo innitantur. Unde si hoc desit, & domus persistat, dicetur ipsa stare sine sulcimento aut sustentaculo. Nilque aliud intendit *Concilium Constantiense* docens contra *Wiclef*, quòd desinat substantia panis, quæ accidentia sustentat, utensque verbis ipsius *S. Thomæ*, qui tamen non intelligit, quòd sint omnia accidentia extra omne subjectum, immo docet contrarium; sed esse omnia extra subjectum ultimatum seu substantiale. Et quidem non omnia esse extra omne subjectum accidentale, non potest dubitari ab illis, qui admittunt relationes & puros modos: nam ipsæ species habent suas relationes, præsentias, & modos; quæ utique inhærent ipsis speciebus tamquam subjectis.

An verò accidentia absoluta seu species sint extra subjectum etiam accidentale, non dependet à principiis fidei, sed est ex principiis Philosophiæ deducendum. Nam vel remanet quantitas, vel non. Si non remaneat, utpote indistincta à substantia seu materiâ primâ panis (quod est probabilissimum) patet species esse extra omne subjectum accidentale: nam illud deberet esse quantitas, sed hæc non manet, ut supponitur, ergo. Si remaneat (prout habet probabilissima & receptâ doctrina præcipuorum Theologorum fundata in extensione impenetrabili seu quantitativâ specierum; quam tamen *Nominales* & alii refundunt in Deum sic occultantem Mysterium) adhuc incertum est: nam incertum planè est, an dum adest quantitas, accidentia seu qualitates sensibiles subjectentur in ipsa, an verò immediatè in forma, an in ipso composito. Et quidem quodlibet horum trium tenent probati Auctores. Primum quoque accommodum est, quo facilè plura explicentur fieri citra miraculum, quando videlicet species calefiunt, frigefiunt &c. Quàmvis mirum videatur, quòd in quantitate, & per eam in materia hujusmodi accidentia subjectarentur, & non potiùs in forma aut composito, cui sunt connaturalia, aut unde emanant, prout frigus v. g. est forma connaturalis aquæ, & ab ea ejusve formâ connaturaliter emanat. Neque majus apparet fundamentum subjectandi accidentia in quantitate, quàm in gravitate vel levitate, suppositâ utrobique distinctione illarum reali à substantia, ut arguit *Arriaga d.* 38. *n.* 5. & 14. Quorum tamen, quoniam philosophica sunt, ampliorem discussionem Philosophis relinquimus.

10. *Accidentia in Sacramento existunt sine modo positivo eis superaddito.*

Dico III. Accidentia non accipiunt in hoc Sacramento alium modum positivum existendi, præter potentiorem sive sublimiorem Dei concursum, quo extra subjectum conservantur. Ita *Scotus d.* 12. *q.* 1. *n.* 4 & 24. & *q.* 6. *n.* 14. *Lessius*, *Soto*, *Arriaga* & plerique alii contra *Suarez* & alios. Probatur: quia illa ratio existendi extra subjectum ex nullo capite apparet impossibilis, & est commodior ac facilis explicatu; ergo est asserenda. Confirmatur: quia modus positivus, quem Alii statuunt, vel esset substantialis, vel accidentalis: si substantialis, contra naturam addetur accidenti: si accidentalis, ipsemet postulabit inesse subjecto, nec sine illo existere poterit magis, immo minùs, quàm accidens cui ponitur superaddi. Deinde si esset substantialis, ipse potiùs exigeret esse subjectum accidentium, quàm in his subjectari, adeoque hæc non essent sine subjecto: si accidentalis, nimis esset imbecillis ad sustentandum accidentia.

Addo tamen, non videri improbabilem quorumdam Doctorum Sententiam, qui censent corpus Christi sustentare species, non quidem tamquam subjectum, sed instar meri termini. Eo ferè modo, quo docuimus in *Tract. de Incarnatione d.* 1. *quæst.* 1. Verbum posse uniri accidenti, non ut ab hoc informetur, sed ut ipsum instar meri termini substantialis sustentet. Estque hæc Opinio etiam satis commoda ad explicationem transsubstantiationis. Nihilominus non est necesse illam adstruere: possibilitas enim non infert factum. Et sine ea obvio magis modo explicatur mysterium, & congruè ad locutiones Patrum. Potiùs quoque dicitur, accidentia esse sine sustentaculo creato, solùmque à Deo sustentari.

11. *Sustentata à Deo per specialem concursum.*

Quod autem specialis & sublimior Dei concursus saltem requiratur, est communior opinio Doctorum. Quæ probatur: tum quia sic saltem suppleri debet causalitas materialis substantiæ panis & vini, à quibus accidentia priùs sustentabantur: tum quia si eodem planè concursu posset accidens conservari intrà & extrà subjectum, posset consequenter per vires naturæ etiam poni extrà subjectum, seclusa Dei extrinseco decreto: adeoque nullum interveniret miraculum, præterquam suspensio decreti extrinseci, quo Deus ordinavit ad positionem talium formarum extra subjectum non concurrere: quod omnino falsum apparet.

Dices: Subjectum exercet in accidēs causalitatem tantùm materialem, quam Deus nequit supplere; adeoque impertinens aut certè insufficiens est specialis Dei concursus. Resp. Deum quidem non posse causalitatem materialem in eodem genere cau- *Qualiter possit Deus*

Supplere causalitatem causæ materialis.

sæ supplere, componendo per se instar materiæ aliquod totum, aut per susceptionem accidentis illud sustentando: posse tamen illam supplere in genere causæ efficientis; præsertim quando agitur de causalitate, non secundùm quam ex materia aliquid componitur, sed tantùm secundùm quam forma ab ea sustentatur. Poterit itaque Deus illam supplere per majorem concursum effectivum, præstando totum id, quod forma accipiebat à materia sive subjecto sustentante. Nec mirum: cùm etiam subjecti approximatio aliæque conditiones, quæ actionem agentis reddunt faciliorem, possint in alio genere causæ per intensionem virtutis & majorem conatum sive concursum agentis suppleri; quantumvis ad genus causæ materialis soleant revocari.

QUÆSTIO II.

Quomodo Accidentia panis & vini possint agere, & recipere mutationes?

12. *Accidentia possunt in Sacramento agere eadem quæ extrà.*

DICO I. Accidentia panis & vini possunt in Sacramento exercêre easdem operationes; tam reales, quàm intentionales, quas poterant exercere, dum erant in subjecto. Ita Theologi communiter. Et patet experientiâ: nam immutant sensum, dum videntur, tanguntur &c. disponunt effectivè ad novæ substantiæ generationem, alterantque corpori vicina. Ratio est: quia existentia in subjecto non aliter est ipsis necessaria ad agendum, quàm quatenus est eis necessaria ad existendum: cùm ergo hîc sine subjecto quantitativè existant, possunt etiam sine illo agere; quandoquidem sint principium totale actionis accidentalis sibi propriæ. Quod addo: nam actionem substantialem exercere non possunt extra subjectum, uti nec in subjecto: cùm nullum accidens ob suam imperfectionem possit producere substantiam; ut rectè *Scotus* & alii passim docent. Unde etsi ad productionem substantiæ disponant, peractâ tamen dispositione Deus illam producit, supplendo defectum substantiæ absentis. Quod etiam facere videtur, quando accidentia Eucharistica alterata reducuntur ad statum naturalem: si enim forma substantialis panis & vini foret præsens, in eam esset restauratio illa referenda, & non in accidentia, adeoque ipsâ absente est referenda in Deum. Hac proinde ratione vinum consecratum, si nimiùm calefiat, reducitur ad illam temperiem, quam naturaliter exigit.

Distemperatu ad statum naturalem reducuntur à Deo.

13. *Moventur localiter,*

DICO II. Qualitates Eucharisticæ possunt etiam moveri localiter, sicut dum suberat substantia; ut patet experientiâ. Nam ratione quantitatis aut quantitativæ extensionis remanentis sunt impenetrabiles; ideoque possunt ab agente naturali suscipere quemlibet motum localem. Idem est de quavis alia alteratione, ut calefactione, frigefactione &c. Et quidem ea naturaliter fit, supposito semel cum communiori Sententia subjecto communi, & immediato accidentium quantitate: quæ proinde sufficit, ut in ea qualitates subeant alterationes secundùm intensionem & remissionem, immo secundùm inceptionem & desitionem. Unde tunc non sunt necessariæ tot actiones creativæ: cùm alioquin dicendum foret in alia opinione, speciebus ad ignem v. g. applicatis, calorem in illis à solo Deo produci per creationem ad præsentiam ignis. Quod equidem sine gravi incommodo admitti posset in hoc Mysterio miraculis pleno: in quo ut gratis recurreretur ad miraculum, deberet antecedenter seu independenter ab illo ostendi necessitas distinguendi quantitatem omnis substantiæ corporeæ à materia: à qua alioquin optimè intelliguntur provenire ea, quæ quantitati adscribuntur; ut arguit *Arriaga disp. 38. sect. 2.* addens, etsi distincta esset, non tamen fore subjectum accidentium. Quod satis probabile videtur.

DICO III. Qualitates Eucharisticæ similiter possunt ratione quantitativæ extensionis aut ipsius quantitatis remanentis, uti & ipsa quantitas, frangi sive dividi, & uniri, vel per appositionem augeri, item rarefieri & condensari. Quæ omnia patent ab experientia.

Sed difficultas est, quomodo hæc fiant virtute naturali: cùm in primis per divisionem resultent novi termini quantitatis finientes, à subjecto separati, & per unionem novi termini copulantes, prioribus finientibus destructis; qui proinde destruuntur per annihilationem, reliqui autem producuntur per creationem: quæ videntur superare virtutem agentis naturalis. Resp. tamen illos terminos (si dentur) satis intimè dependere à partibus quantitatis, quas terminant aut copulant, ut propterea non censeantur præexistentes annihilari, vel noviter ex ipsis partibus quantitatis resultantes creari. Si quis tamen omnino velit, hos terminos exigere pro subjecto connaturali correspondentes terminos seu puncta substantiæ, adeoque in propositæ quæstionis casu creari vel annihilari, nolim multùm contendere de re abstrusa, & in fundo ipso (an scilicet tales termini dentur) incertissimâ, minimæque utilitatis.

Major est difficultas de condensatione & rarefactione: præsertim quia vix explicari potest, in quo istæ mutationes consistant. Ideoque de illis *Scotus* manet valde irresolutus. Dico equidem, si in rarefactione acquiratur nova quantitas totalis

vel partialis & in condensatione destruatur (ut Quidam volunt) consequenter illam à solo Deo per creationem produci aut per annihilationem destrui; unde satis patet: cùm quantitas creata vel destructa supponatur fore extra omne subjectum. Aliud est, si quantitas præexistens in rarefactione tantùm extendatur, & in condensatione contrahatur, aut novus tantùm aliquis modus in rarefactione accedat, & in condensatione pereat: tunc enim satis patet, non intervenire quantitatis creationem aut annihilationem; cùm modus iste subjectetur in quantitate. Idem adhuc clarius est, si (quod saltem est valde verosimile) rarefactio fiat per intromissionem corpusculorum intrà poros rei rarefactæ, & condensatio per eorumdem expulsionem.

QUÆSTIO III.

An Species Sacramentales corrumpantur, & quando sub eis desinat esse Corpus Christi?

16. Dico I. Qualitates sacramentales corrumpuntur eodem modo, quo, si inexisterent substantiæ panis & vini; ut patet experientiâ. Et probatur: quia supposito, quòd subjectentur in quantitate, agens contrarium non minùs potest naturaliter in eas agere, producendo qualitates repugnantes & destructivas, quàm si subesset substantia panis & vini. Si tamen non subjectarentur in quantitate, dicendum foret eas à Deo annihilari. Quod idem dicendum est in sententia *Scoti* & multorum aliorum de ipsa quantitate: quòd nimirum speciebus per agens naturale corruptis, annihiletur à Deo ipsa quantitas: *Scotus* enim docet quantitatem subjectari in composito, adeoque cum eo produci & interire, fierique in corruptione resolutionem usque ad materiam primam. In sententia tamen communiori de quantitate non est difficultas: cùm secundùm illam subjectetur in materia, sitque illi coæva, adeoque semper remaneat eadem in genito & corrupto.

17. Dico II. Corpus Christi desinit esse sub speciebus, quando ita alterantur, ut si sub illis esset substantia panis, corrumperetur substantialiter. Ita omnes Theologi. Ratio est: quia Corpus Christi succedit in locum panis, & ab accidentibus panis moraliter saltem conservatur in esse sacramentali, sicut panis ab iisdem conservaretur in ratione physicarum dispositionum: ergo præcisè tam diu manet sub illis, quamdiu maneret substantia panis. Idem cum proportione est de Sanguine Christi sub speciebus vini. Confirmatur: quia casu quo hostia post sumptionem ejiceretur per vomitum, speciebus immutatis, judicaretur ab omnibus retinere suam consecrationem. Ideoque fideles sunt soliciti ne hoc fiat; immo & Ecclesia, cavens, ne detur Eucharistia in periculo vomitûs, & præscribens, quid eo contingente sit agendum cum speciebus, quas supponit manere consecratas. Unde & Ecclesiasticæ Historiæ referunt casus, quibus è rectoribus gravium peccatorum fuit hostia miraculosè extracta, velut adhuc continens Christum. Quare non mox à sumptione, sed in consumptione desinere Sacramentum hoc, constat: etsi Christus aliter instituere potuisset.

18. Ex dictis sequitur, si mitteretur una gutta ex calice consecrato in vas integrum vini, sanguinem Christi sub illa gutta verè mansurum, saltem si vinum, cui injicitur, non sit multùm diversæ conditionis ab eo, quod est consecratum: nam species illius guttæ manerent tunc incorruptæ, cùm ibi non haberent contrarium à quo corrumperentur: quare sicut non obstante mixtione, si gutta non fuisset consecrata, retinuisset substantiam prioris vini, sic gutta consecrata retineret sanguinem Christi. Hinc totum illud vas esset aliquo modo sacrum, & usibus sacris v.g. celebrationi missarum &c. applicandum; ut ex quibusdam miraculis docet *Baronius tom.* 12. *ad finem anni* 1192. *Suarez, Coninck* & plures alii. Quod quidem indubiè congruentissimum foret; Nonnullis tamen apparet non esse necessarium, inter quos *Sotus*, *Henriquez* & alii: eò quòd parva gutta haberi possit pro non immissa; præsertim cum singuli bibentes non exponantur probabili periculo bibendi sanguinem Christi.

Gutta consecrata in dolium vini missa consecrationem non amittit.

Quid tali casu agendum.

19. Econtrà si gutta aquæ aut vini specie distincti mixta speciebus consecratis transmutetur ab his substantialiter, non erit pars illa vini noviter producti consecrata: cum consecratio præcesserit, afficiens solummodò species præexistentes. Nec obstat, quòd *oleum non consecratum, consecrato possit oleo commisceri*, ut dicitur c. *Quod in dubiis*, *de Consecr. Eccles. & totum sit consecratum*, ut habet *Rubrica*. Idemque est de aqua non benedictâ, mixtâ benedictæ. Non obstat, inquam: quia consecratio Eucharistiæ fit per realem transmutationem, in ordine ad quam est vis tributa solis Christi verbis circa materiam tunc præsentem. Alia autem consecratio tantum est moralis, per quamdam denominationem extrinsecam institutam ab Ecclesia, quæ voluit eam fieri; etiam per solum attactum seu admixtionem cum simili liquore benedicto.

Quod peractâ consecratione transmutatur à speciebus consecratis, non fit consecratum.

20. Petes, an si dentur vina specie substantiali distincta, & speciebus consecratis misceatur vinum non consecratum specie distinctum, & hoc transmutaret in se species vini consecrati, desineret sub his esse

An species manerent consecratæ si transmutarentur in

Species vini substantialiter seu specie diversi.

esse Christus? Idem est, si ab initio consecretur vinum mixtum ex pluribus specie distinctis, & species vini fortioris transmutent substantialiter in se species alterius, aut ex utrisque exurgat tertia species vini. Resp. Affirm. admisso quæstionis supposito, de præfata scilicet distinctione vinorum: de quo Plures dubitant. Ita varii Recentiores contra *Soto* & Nonnullos alios. Ratio est: nam in propositis casibus desiisset substantia prioris vini, si non fuisset consecratum; Christus autem non manet diutius sub speciebus, quàm mansisset substantia præexistens. Vinum quoque cum novis speciebus etsi sit materia de se consecrabilis, non tamen de facto consecrata: cùm prior consecratio solùm affecerit substantiam sub accidentibus tum præsentibus contentam.

QUÆSTIO IV.

Quâ ratione possit aliquid ex Speciebus sacramentalibus generari?

21. *Corruptis speciebus nova generatur substantia, ac si non præcessisset consecratio:*

EXPERIENTIA docet corruptis speciebus generari novam substantiam, & quidem talem, qualem exigunt dispositiones corruptivæ in quantitatem eucharisticam introductæ, qualisque producta fuisset, si sub illis accidentibus fuisset panis & vinum: nam si species contingat exuri, supersunt aliqui cineres; si putrefiant, oriuntur etiam vermes; si quis illis in quantitate magna utatur, non minùs illis reficietur & sustentabitur, quàm pane & vino non consecratis. Quod Deus disposuit, ut mysterium esset à nostris sensibus absconditum, ad fidei nostræ exercitium & meritum. Quæritur itaque, quomodo illa substantia producatur; cùm hîc nulla sit materia ex qua?

22. *Nè quidem ex quantitate Eucharistica tamquam supplente vicem materiæ in genito.*

DICO I. Non potest dici, quòd substantia producenda componatur ex quantitate eucharistica tamquam parte materiali supplente vicem materiæ. Ita communiter Doctores contra *D. Thomam qu. 77. art. 5. in corp. & ad 1.* quem tamen Varii conantur aliter interpretari. Probatur: quia substantia genita ex speciebus sacramentalibus est compositum substantiale, adeoque non potest involvere accidens seu quantitatem tamquam partem materialem. Deinde vermes v.g. ex illis speciebus geniti non essent vera animalia; cùm non constarent corpore, quod essentialiter involvit materiam. Plura absurda, quæ ex contraria sententia sequuntur, pertranseo.

23. *Sed ex materiâ ac novo à Deo creatâ,*

DICO II. Illo instanti, quo sub speciebus ob corruptionem desinit Corpus Christi, creatur à Deo alia materia prima; verosimiliùs eadem, quæ ante consecrationem fuerat materia panis vel vini: & in eodem instanti producitur forma substantialis ab illo agente, quod eam produxisset, si sub speciebus corruptis fuisset substantia panis & vini. Prima pars est *Scoti dist. 12. q. 6 n. 12. & 13.* & aliorum communiter: nam cùm substantia de novo generanda necessariò constet materiâ prima, & illa hîc non præsupponatur, nec aliundè adducatur, restat, ut de novo creetur. Secunda pars, quòd creetur eadem quæ priùs fuerat panis & vini, probatur: quia hoc est Deo æquè facilè, & sic minùs fit variatio in universo, præsertim materiæ primæ, quæ alioquin notabiliter variaretur. Adde ex *Arriaga disp. 38. n 16* quòd cùm materia ista sit naturâ suâ incorruptibilis, & solùm ob præsentiam Christi fuerit destructa, factâ ei quadam violentiâ, connaturale videatur eam restitui in pristinam existentiam hoc ipso, quòd præsentia Christi cesset. Totum hoc nihilominus manet intra terminos conjecturæ, in re pendente à beneplacito Dei. Tertia pars fundatur in exigentia rerum creatarum, juxta quam semper producuntur ab agente naturali, si adsit; alioquin à Deo supplente defectum illius.

Movent hîc Nonnulli dubium physicum, utile aliquando praxi in ordine ad cautelam servandam in provocando vel admittendo vomitu post communionem; quanto tempore indigeant species eucharisticæ, ut in ventriculo corrumpantur. De quo sunt diversa admodum judicia seu conjecturæ. Quidam enim Medici consulti à *Lugo d. 10. de Euchar. num. 54.* in eam ferè ierunt sententiam, ut parva hostia consumatur à mediocri stomacho spatio minuti, seu sexagesimæ partis horæ. Species verò, quas sumit sacerdos, censebant esse corruptas in semiquadrante horæ. Quod si quis ad quadrantem velit extendere, videtur (inquit *Lugo*) extra omne prorsus dubium aut periculum se constituere. Sed inhærendo discursui Medicorum, quem *Lugo* adfert, arguit *Arriaga d. 39. sect. 5.* multò citius ordinariam parvam hostiam debere corrumpi; utpote quæ (ut observavit) non nisi octingentesimam efficiat partem duarum unciarum cibi solidi, quas unâ horâ à calore naturali stomachi concoqui contendebant iidem Medici. Ipse verò *Arriaga* universim non dubitat, quin spatio quinque Pater & Ave sic fiat generatim concoctio, ut nequeat superesse scrupulus: immo in sacerdote vix esse dubitandum, quin species panis & vini sint consumptæ, postquam is absolvit Missam & vestes sacras exuit.

Alii nihilominus censent sacras species regulariter esse digestas post horam. Alii parvam particulam dimidiatâ fortasse horâ posse destrui à ventriculo, præsertim jejuno & apperente, conjectant. Quòd vis species vini non tam pertinaciter in ventriculo

triculo detineantur: cùm experientiâ constet, vinum nisi alio cibo solido in ventriculo detineatur, sæpè etiam ante quadrantem horæ mutato colore, sapore, & ceteris ferè vini accidentibus instar excrementi emitti. Immo quia in ore inchoatur quoddam primæ concoctionis rudimentum, experimur vinum subrubrum pauciſſimo tempore ore retentum, tum ardorem, tum ruborem deponere. Quod autem celeritatem concoctionis hostiæ Nonnulli probant exemplo aquæ bullientis, in qua hostia parva etiam citiùs minuto absumitur, non videtur solidum: cùm animalis calor in stomacho non tantus sit, quantus in aqua bulliente: urit enim hic confestim, noster verò tepidus est calor; ut experiri licet, si chylus etiam perfectè coctus revomatur.

Tandem consultus à me Vir clarissimus *Vopiscus Fortunatus Plempius* in Academia Lovaniensi Medicinæ Professor primarius, dubio hoc discusso, censuit ob diversitatem stomachorum, sanitatis, temperamentorum non posse definiri certâ regulâ, quanto tempore cibus in ventriculo conficiatur. Et quidem in valente stomacho parvam hostiam consumi brevi admodum tempore, hoc ipsum tamen non posse certò determinari ob magnam valetudinis & caloris differentiam ac gradus. Tutissimum autem arbitrabatur in utcumque bene constituto stomacho minimùm requiri quadrantem horæ: stomacho autem malè constituto (qualis ut plurimùm saltem est, in quo vomitus timetur, vel sponte veniens, vel provocatus) nullam posse accommodari regulam. In ægro siquidem stomacho potest hostia multò diutiùs hærere non consumpta; immo & transire tota intestina sine corruptione, in illo videlicet affectu, qui lienteria appellatur. Quocirca non immeritò suadetur in *Philosophia Christiana Fromond. l. 2. de Anima c. 3. a. 4.* ut minimùm integram horam à sacra Communione vomitum esse substinendum ab iis, qui habent ventriculos pituitosos, seniles aut à morbo languescentes. Et hæc de re nobis incertissimâ dicta sufficiant.

QUÆSTIO V.

Quid sit censendum de Mutationibus miraculosis circa species Eucharisticas?

COnstat ex historiis, sæpè fieri ejusmodi mutationes: aliquando quidem ad confusionem infidelium, qui veritatem hujus Sacramenti negant; aliquando ad terrorem indignè communicantium, aliquando autem ad confirmationem infirmorum, aliquando etiam ad consolationem sanctorum & piorum hujus Sacramenti culto-rum. De quibus videre licet *Paschasium Corbeiensem lib. De Eucharistia c. 14. & seqq. Guitmundum l. 3. de Eucharistia* & alios.

Illa quando-que sint ve-ra quando-que aparentes.

Mutationes autem istæ aliquando contingunt verè, aliquando tantùm apparenter per immutationem medii aut organi sensorii, aut etiam solius phantasiæ. Porrò indicium ejusmodi mutationis tantùm apparentis est, si solùm à quibusdam videatur, & non ab aliis adstantibus, qui Sacramentum vident in forma consueta, aut si non satìs constanter juxta exigentiam objecti: Aliud est, quando omnibus apparet eodem modo, saltem ad longum tempus: hoc enim signum aliquod est, mutationem verè contingere in Sacramento, vel in alio aliquo objecto reali. Hîc autem quæritur, an in istis mutationibus, sive veris, sive apparentibus, Christus exhibeat semetipsum realiter videndum. Secundò, an his mutationibus non obstantibus, Christus equidem maneat in Sacramento.

Indicia utrarumque.

26.

In eis potest Christus se in propria persona exhibere videndum.

DICO I. Sive mutationes sint reales, sive non, possibile est, ut Christus in illis semetipsum exhibeat videndum in propria specie seu personâ: immo pium & probabile est, credere, quòd sic de facto, saltem aliquando, semetipsum exhibeat: etsi oppositum sit verosimilius.

Prima pars probatur: quia posset Christus, in cælo manens, simul existere alibi, etiam circumscriptivè, & ibi se videndum exhibere, adeòque idem facere posset in similibus circa Eucharistiam mutationibus, dum videretur apparet, sive tamquam cruci affixus, sive corpore sanguinolento & consciſſo, sive in forma elegantis pueri. Quomodo *Paschasius suprà* narrat Christum apparuisse cuidam Sacerdoti in forma pulcherrimi pueri, & se illi ad osculandum præbuisse, sed precibus Sacerdotis ad sacramentalem formam, ut sumi posset, rediisse. Deinde etsi Christus tantùm in cælo existeret circumscriptivè, posset divinitùs se exhibere corporaliter videndum in Sacramento, sive instar massæ carneæ, sive instar sanguinis, sive instar pueruli, cujus caput appareret in supremitate hostiæ, pedes in inferiori parte, & sic consequenter, ipsis speciebus hostiæ visui occultatis.

Et probabiliter interdum hoc modo se exhibet.

Secunda pars est *Alexandri Alensis* & aliorum. Immo illi, qui tertiam partem tenent, non diffitentur pium & probabile esse, quòd aliquando saltem ita contingat: cum enim id sit possibile, & valde consonum fini ejusmodi apparitionum; cur non possit credi subinde saltem sic contingere? præsertim dum v. g. apparet Christus in forma pueri, mutatis realiter speciebus; aut etiam dum illis non mutatis apparet pro brevi tempore & in eadem quantitate caro vel sanguis.

27.

Probabilius tamen est, quòd non.

Tertia pars probatur: tum quia est communis opinio Doctorum cum *D. Thoma q. 76. art. 8.* tum quia juxta regulam

communem, quæ in materia de Angelis traditur, Christus post ascensum in cælum, in aliis apparitionibus non solet se exhibere in propria persona: tum quia hoc non requiritur ad finem, ob quem istæ apparitiones contingunt, vel ad falsitatem & mendacium vitandum: non enim significatur, quòd Christus sit præsens sub forma, sub qua apparet, sed quòd sit realiter præsens sub speciebus consecratis. Confirmatur discurrendo per varios mutationum sive apparitionum modos: nam aliquando apparet in calice sanguis exuberans; aliquando hostia manat sanguinem, aliquando apparet massa cruda carnis: non est autem credibile carnem aut verum Christi sanguinem seorsum realiter exhiberi. Deinde ista caro & sanguis aliquando per sæcula asservatur, alteratur, nigrescit, corrumpitur: quæ non sunt attribuenda carni aut sanguini Christi jam glorioso secundùm propriam speciem. Idem clarius est, dum hostia vertitur in lapidem, aut aliud corpus: cùm ibi ne quidem appareat aliquid Christi. Similiter dum Christus apparet corpore sanguinolento aut conscisso, vel per modum pueri; nam cùm nullibi sic existat in rerum natura, credibile videtur, apparitiones ejusmodi non esse Christi in propria persona. Quàmvis hoc postremum non sit certum: cùm similiter se exhibuerit in propria persona, & tamen in specie peregrina, post resurrectionem, tum Magdalenæ, tum duobus discipulis euntibus in Emmaus.

28. *Christus non obstantibus hujusmodi mutationibus manet in Sacramento, quãdo species non sic mutantur, quin sub similibus naturaliter adhuc maneret panis & vinum.*

Dico II. Non obstantibus similibus mutationibus, manet Christus in Sacramento tunc solùm & semper, quando species non sunt realiter sic immutatæ, quin si non forent consecratæ, adhuc posset sub illis naturaliter permanere substantia panis & vini. Patet: quia præsentia sacramentalis dependet à solis speciebus, idque quamdiu ipsæ manent per se sufficientes ad conservandam substantiam panis & vini. Porrò an talis mutatio verè contigerit, non potest semper dignosci. Quando equidem brevi redeunt species, signum est illas tantùm fuisse sensui nostro occultatas sine immutatione circa ipsas factâ. Sed quando mutatæ permanent, v.g. caro sanguis, lapis &c. & ex inæqualitate aut odore, sapore, duritie, similibusve qualitatibus magis propriis (color enim & figura sunt satis indifferentes, ut iis mutatis non necessariò mutetur res ipsa) colligitur species panis aut vini esse perfectè corruptas, nullatenus ibi manet Christus sacramentaliter, ideoque nec exhibenda est reverentia, quæ Christo in Sacrmento, sed quæ miraculoso vestigio Christi, qui ibi præextitit, potest exhiberi. Putat autem *Suarez* non esse carnem aut sanguinem propriè dictum, in quem species Eucharisticæ quandoque miraculosè transmutantur, sed aliud corpus à Deo productum, quod figuram & speciem carnis & sanguinis referat. Verùm nulla est ratio negandi esse carnem & sanguinem propriè dictum; non quidem hominis aut bruti, sed creatum à Deo, & nulli unquam animali incorporatum.

Petes, quid faciendum sit Sacerdoti sacrificanti in hujusmodi apparitionibus? Resp. si species sacramentales redeant, esse sumendas: cùm nulla sit ratio non sumendi, & mutatio verosimiliter tantum contigerit in oculo sacrificantis. Si non redeant, & mutatio tantum cõtigerit in aliqua parte specierum, sumi debet residuum ad complementum sacrificii. Si mutatio sit totalis, & perseveret, reservandæ sunt species sic mutatæ: neque est necesse denuò consecrare (etsi id putent Aliqui) Deus enim ipso facto tunc videtur dispensare in præcepto, quo mandavit utriusque speciei sumptionem. Addunt Alii, reconsecrationem tunc non fore consumptionem prioris sacrificii, utpote in utraque specie confecti, sed potius novi inchoationem. Ad quod tamen dicerent aliter sentientes, censeri moraliter consumptionem prioris sacrificii. Sicut si totus sanguis sit effusus, debet denuò fieri consecratio calicis juxta *Rubricas Missalis*; censeturque hæc pertinere ad complementum incepti sacrificii, perficiendi sumptionem utriusque speciei. Eædem *Rubricæ part. 3. tit. 3. in fine* reconsecrationem consulunt in calu, quo hostia per miraculum disparet. Quare in præsenti similiter fieri Plures consulunt, etsi non necessariũ putent. Quod nec ego vellem improbare. Videri potest *Suarez d. 55. sect. 4.*

DISPUTATIO QVINTA.

De Ministro Eucharistiæ.

QUÆSTIO I.

Ad quos pertineat Eucharistiæ confectio?

1. *Solus Sacerdos ritè ordinatus.*

Dico: Eucharistæ confectio pertinet ad solos sacerdotes ritè ordinatos: ita ut hi soli validè consecrent. Est contra quosdam Hæreticos existimantes, quòd omnes Christiani sint sacerdotes, & habeant hanc potestatem, etsi eâ non debeant uti, nisi à communitate deputati, scilicet ob disciplinam & ordinem Ecclesiæ, & ad vitandum nimiam confusionem, quæ esset, si quilibet Sacramenti confectioni se ingereret: ut sensit *Lutherus* variis locis apud *Bellarminum lib. 4. de Euchar. cap. 16.* Immo is cõ

is eò usque progressus est, ut diceret in *Lib. de Missa privata & Unctione Sacerdotum* (teste *Bellarmino sup.*) fore verum Sacramentum, etiamsi à diabolo conficeretur. Idem in re sentiunt *Kemnitius* & recentiores *Lutherani*, etiamsi quæstionem istam ut plurimum dissimulare soleant. Miraturque meritò *Bellarminus* dissentire *Sacramentarios* utpote docentes Sacramenta non operari, nisi excitando fidem, & per Ordinationem ministrorum non imprimi characterem, nec dari novam spiritualem potestatem, sed solum usum seu officium.

Verùm Conclusio constat ex communi consensu & perpetuâ traditione Ecclesiæ, quæ in plurimis Conciliis etiam est definita, ut *Nicæno I. can.* 14. aliàs 18. *Lateranensi*, & refertur cap. *Firmiter*, *de summa Trinit. Florentino*, & novissimè *Tridentino sess.* 22. *cap.* 1. *& can.* 2. *sess.* 23. *cap.* 1. *& 4. & can.* 1. Idem docuerunt antiqui Patres, dum efficaciæ verborum Christi conjungunt statum sacerdotalem, eumque inde extollunt. Sic *Chrysostomus* ob hanc eximiam potestatem consecrandæ Eucharistiæ non rarò scribit angelis æquari sacerdotes sive ab his illos superari *lib.* 3. *de Sacerdotio* & alibi. *Ambrosius l. de dignitate sacerdotali c.* 2. sacerdotalem potestatem regiæ anteponit. Quod etiam faciunt *Chrysostomus* & *Nazianzenus*, & reipsâ docuit *S. Martinus*, cùm teste *Severo Sulpitio* in vita illius, in convivio Imperatoris hunc postposuit suo Presbytero. *Hieronymus* quoque frequenter asserit non posse nisi Episcopos & Presbyteros Eucharistiam conficere, & *Epistol. ad Evagrium* hoc potissimùm argumento demonstrat Presbyteros esse longè superiores diaconis, quòd hi non habeant potestatem consecrandi Eucharistiam. Quo titulo etiam *S. Franciscus* in suo Testamento tantum honorem vult deferri Sacerdotibus. Immo (teste *S. Antonino* 3. *part. Chron. Tit.* 24. *c.* 2. §. 2.) dixit: *Si Sancto venienti de cælo, & pauperculo alicui Sacerdoti me contingeret obviare, ad Sacerdotis manus deosculandas citius me conferrem, & Sancto dicerem: Expecta me Sancte, quia manus hujusmodi verbum vitæ contrectant, & ultra humanum aliquid possident.* Præterea *Clemens Romanus l.* 2. *Constitut. Apost. cap.* 31. loquens apertè de sacrificii oblatione, ait: *Laicus omnis sine sacerdote perficiens aliquid, frustrà facit.* Denique nullum proferri potest ex tota antiquitate exemplum, quo probetur diaconum aut laicum in aliquo casu consecrasse Eucharistiam: sicut tamen non pauca proferuntur exempla, quibus ostenditur in certis casibus diaconos, immo & laicos baptizasse. Vide *Bellarminum suprà*, qui tamen non rectè allegat *Ignatium Epist. ad Trallianos* ad confirmationem hujus veritatis, ut inspicienti textum patebit.

Ratio Theologica est: quia potestas conficiendi Eucharistiam debet provenire ex concessione Christi; qui nusquam legitur illam promiscuè omnibus dedisse. Quin immo ipse nullis dedit potestatem consecrandi, quàm iis, quibus dixit *Lucæ* 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; id est, solis Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut semper intellexit Ecclesia; quibus proinde potestatem dedit consecrandi: cùm hæc fuerit præcipua Christi actio, quam verba illa demonstrant. *Accedit ratio Theologica.*

Confirmatur: quia si vetus sacerdotium non erat omnibus commune, sed constitutis à Deo speciale; quantò magis in hoc longè excellentiori sacerdotio fuit observandum, ut nemo sibi illius honorem sumeret, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron, ut loquitur Apostolus *ad Hebr.* 5. Ob quod ab initio Ecclesiæ usitata fuit Ordinatio Sacerdotum, in qua eis traditur consecrandi potestas. *Confirmatur.*

Omnes porrò Sacerdotes certum est validè posse consecrare, etsi sint hæretici, schismatici, excommunicati, degradati, irregulares, aut aliàs impediti: id namque patet ex sensu totius Ecclesiæ, & ex *Tridentino sess.* 7. *can.* 9. & alibi, docente numquam amitti characterem sacerdotii: quamdiu autem iste in hac vita perseverat, tamdiu subsistit in ministro potestas validè consecrandi. Unde idem *Tridentinum sess.* 23. *cap.* 4. *damnat eorum sententiam, qui asserunt novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodò potestatem habere, & semel ritè ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant.* 4. *Omnis Sacerdos, etiam hæreticus, degradatus &c. validè potest consecrare.*

Confirmatur: quia consecratio non est actus jurisdictionis respiciens subditos, sed tantùm Ordinis, respiciens materiam consecrandam. Deinde revertentes ab hæresi aut schismate non iterum ordinatur, sed recipiuntur in suo gradu. Similiter sublatâ excommunicatione aliove impedimento canonico, permittuntur ministrare, qui antea impediti fuerant.

Non favet *Magistro* & *Gratiano* in cap. *Quod quidem* 1. *q.* 1. (qui improbabiliter dixerunt quosdam sacerdotes, præsertim hæreticos, schismaticos, degradatos, non posse validè consecrare) quòd nonnulli Pontifices & Patres dicant talium consecrationes non esse ratas, vel esse irritas: nam hi solùm volunt, quòd reprobentur tamquam illicitæ & sacrilegæ, quòdque à talibus Episcopis ordinati sint suspensi ab exercitio. *Quo sensu Sancti interdum dicant talium consecrationes esse irritas seu non ratas.*

Non favet etiam, quòd præcisi ab Ecclesia non possint ejus nomine dicere: *Offerimus &c.* eò quòd Ecclesia nolit talibus uti: nam hoc, veluti ceremonia, non requiritur ad valorem sacrificii vel consecrationis.

Nihilominus præcisi ab Ecclesia per censuram, vel suspensi ab officio sacerdotali, conficiendo Eucharistiam graviter peccant, quantumvis supponeretur esse in statu gratiæ, adeòque duplici peccato, si præterea 5. *Censurâ impediti speciale peccatum committunt.*

tereæsint extra statum gratiæ. Porrò status gratiæ generaliter in Ministro requiritur, non tantùm ut licitè sumat, sed etiam ut licitè conficiat; uti ad confectionem aliorum Sacramentorum. Sufficit tamen in confessione dicere : *Celebravi in malo statu.* Estque duplex peccatum sacrilegii, scilicet indignæ receptionis & confectionis juxta *Aversa* & alios. Nonnulli tamen dicunt esse unicum, ut *Diana*, *Azorius*, *Bonacina* & alii. Equidem in praxi dubitari non potest (ait *Aversa q.* 10. *sect.* 1. *in fine*) non satisfacere talem dicendo : *Communicavi in malo statu.* Confessio autem prærequiritur ad celebrationem, quatenus sumitur, non quatenus conficitur Eucharistia.

Extra statum gratiæ constituti peccat, tum conficiendo, tum sumendo. Qualiter id confitendum.

QUÆSTIO II.

Ad quos pertineat Eucharistiæ dispensatio?

6. *Sacerdotibus dedit Deus ordinariam potestatem distribuendi.*

DICO I. Ordinaria potestas & auctoritas dispensandi hoc Sacramentum jure divino ita est sacerdotibus concessa, ut nullis aliis inferioribus pari jure competat. Ita communiter Doctores. Probatur ex *Lucæ* 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis Christus sicut consecrationem corporis sui principaliter commisit Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, sic etiam ejusdem distributionem, quasi dixisset : Actis Deo gratiis Corpus meum consecrate, aliisque distribuite. Idem colligitur ex hymno Ecclesiæ : *Cujus* (scilicet sacrificii) *officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant & dent ceteris.* Unde *Tridentinum sess.* 13. *c.* 8. *Semper* (inquit) *in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici à Sacerdotibus communionem acciperent, qui mos tamquam ex Traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.* Quare etiam olim, dum Corpus Domini porrigebatur in manus Fidelium communicantium, id ipsum fiebat à Sacerdote, qui censebatur principalis dispensans. Congruentia est : quia conveniebat, ut qui potestatem accipiebant super corpus Christi verum in conficiendo, etiam acciperent super corpus Christi mysticum, id est, Ecclesiam in dispensando. Deinde sicut Sacerdotis, inter Deum & homines medii, est dona & vota populi Deo offerre, ita etiam dona divinitùs sanctificata populo tradere.

Requiritur porrò Ordo sacerdotalis solùm ad dispensandum licitè, non autem ad dispensandum validè, aut etiam cum fructu suscipientis, si hic sit dispositus, adeòque bonâ fide suscipiat à non ministro; immo etsi suscipiat Eucharistiam taliter dispositus à se ipso : utpote sine obice suscipiens verum Sacramentum.

7. DICO II. Non est tamen jure divino prohibitum committere aliis ex delegatione hujus Sacramenti dispensationem. Patet ex antiqua praxi, quâ olim diaconi, non quidem propriâ auctoritate, sed ex jussu Episcopi vel Presbyteri, velut eorum ministri, Eucharistiam dispensabant; ut constat ex *Clemente Romano l.* 8. *constit. c.* 28. *Cypriano Serm. de Lapsis post med.* Et verbis *S. Laurentii Martyris ad S. Xystum Papam : Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.* Et quàmvis dispensatio sanguinis ob certas rationes diaconis fortasse committeretur frequentiùs : quòd tamen etiam frequenter commissa eis fuerit dispensatio corporis Christi, testis est *Justinus Martyr Apologiâ* 2. *pro Christianis in fine*, & *Nicænum l can.* 14. aliàs 18. statuens : *Quod diaconus si non fuerit in præsenti vel Episcopus vel Presbyter, tunc ipsi* (scilicet Diaconi) *proferant, & edant.* Et *Carthaginense IV. cap.* 38. statuens, ut *diaconus præsente presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Quocirca nullatenus admittendum est, quod Aliqui dixisse referuntur, diaconum ex officio potuisse dispensare sanguinem, ex commissione autem corpus Christi. Neutrum enim ex officio sec. proprio jure, verùm tantùm tamquam commissi seu delegati potuere; ut loquuntur auctoritates relatæ, & *Clemens l.* 8. *constitut. Apost. c.* 28. dicens : *Oblatione ab Episcopo aut Presbytero factâ, ipse diaconus dat populo, non tamquam sacerdos, sed tamquam qui ministrat presbyteris.* Quemadmodum Dominus assumit famulos ad distribuendum pauperibus panem. Putat tamen *Aversa q.* 10. *sect.* 3. Corporis distributionem fuisse tantum committendam & commissam in necessitate : secùs quàm Sanguinis, qui non debet tangi, uti corpus. Sed hoc probatum : cùm olim etiam laici viri communicanti tangerent illud nudis manibus. Credo tamen sæpiùs commissam fuisse dispensationem Sanguinis, quàm Corporis ob commoditatem fidelium communicantium in utraque specie, quibus per ordinem sacerdos communicabat Corpus, diaconus subsequens Sanguinem, sicut nunc minister ablutionem; ne aliàs duplici tempore & labore occuparetur sacerdos, sicut si ipse singulis porrigeret quoque ablutionem.

Solebat autem commissio ista olim esse frequentior : cùm tunc ob paucitatem presbyterorum passim esse moralis necessitas. Nunc verò in desuetudinem abiit; cùm major sit modò copia sacerdotum, quàm eorum, qui tantùm sunt diaconi, ideoque vix umquam occurrat necessitas : quæ tamen juxta communem sensum requiritur ad hoc, ut diacono committatur, sive sacerdos sit præsens, sive absens.

Ceterùm non debet necessitas esse adeò gravis, sed sufficit causa notabilis prudenter dijudicanda, v. g. ex parte sacerdotis infirmitas,

infirmitas, occupatio in confessionibus, aut concione &c. Ex parte communicantium impletio annui præcepti, Jubileum &c. quando alius sacerdos haberi facilè non posset. Immo in extrema necessitate, si sacerdos non valeat aut irrationabiliter non velit ministrare Viaticum, poterit hoc facere diaconus, etiam sine mandato sacerdotis, ex præsumpta facultate Juris sive Episcopi aut Papæ.

DICO III. Clericis diacono inferioribus & à fortiori laicis nullo modo potest committi dispensatio Sacramenti; ut docent omnes Theologi, & constat ex communi usu Ecclesiæ ac sensu. Idemque tradidit *Concilium Rhemense*, & refertur cap. *Pervenit, de Consecrat. dist.* 5.

Nihilominus plures Doctores præsertim recentiores existimant verosimiliter in casu gravissimæ necessitatis, ut in articulo mortis, deficiente sacerdote & diacono, posse etiam laicum secluso scandalo porrigere Viaticum de expressâ vel præsumptâ licentiâ sacerdotis: nam hoc non est prohibitum jure divino, quandoquidem olim permissum fuerit fidelibus secum deferre Eucharistiam sequenti die sumendam: ac teste *Eusebio lib. 6. Historiæ cap. 34.* presbyter quidam infirmus miserit particulam consecratam ad Serapionem senem moribundum per puerum, è cujus manibus juxta mandatum presbyteri illam sumpsit: usus quoque Ecclesiæ contrarius non videatur casum tam extraordinarium obligative comprehendere, nec tanti momenti esse appareat, ut tam raræ & gravi necessitati debeat prævalere. Quod confirmat exemplum laudatissimæ Mariæ Reginæ Scotiæ, quæ superiori sæculo subitura martyrium se ipsam prius communicavit. De speciali autem dispensatione Pii V. quæ à quibusdam spargitur, non constat. Æquè infundatum est, quòd ipsa id fecisset, ne Eucharistia veniret in manus Hæreticorum: huic enim incommodo potuisset aliter obviare, & potiùs non debuisset Eucharistiam secum assumere; quam proinde retinuit animo sumendi in articulo mortis. Denique non usus hujus facultatis (qui pariter militare videtur contra ipsos diaconos) potiùs apparet facti, quàm juris, oriturque sivè ex rarissima occurrentia talis occasionis aut necessitatis, sivè ex inscitia eorum quos concernit, sive etiam pro parte ex imbutis contrariâ opinione.

DICO IV. Sacerdos extra missam & officium Paraseeves potest se ipsum communicare in necessitate, dum non adest alius sacerdos, juxta Doctores communiter: ipse enim est ordinarius minister hujus Sacramenti, nec ipsum Sacramentum requirit distinctionem ministri à sumente, sive ex ratione sua, sive ex præscripto juris, saltem in casu necessitatis obligante. Unde plurimi Doctores censent posse id fieri ex sola devotione, aut in magno aliquo festo, si infirmus sit, aut commodè celebrare nequeat, nec sit copia alterius sacerdotis qui ministret. Immo Varii existimant sacerdotem infirmum debere Eucharistiam sumere propriis manibus, quando in defectu sacerdotis ad illum defertur à diacono: quod tamen negat *Vasquez*. Alii autem volunt esse arbitrarium.

An etiam necessitas ad hoc requiratur, aut qualitas?

Quod dictum est de Sacerdote, extendi etiam potest ad diaconum in casu gravissimæ necessitatis, ut si v.g. alioquin deberet decedere sine Viatico: nam *Concilium Nicænum can. 14.* aliàs 18. expressè concedit diaconis, ut se ipsos in absentia sacerdotis communicent: quod jure novo non est revocatum, pro tantæ saltem necessitatis articulo. Immo Aliqui existimant idem licere diaconis in necessitate, etsi non sit tam gravis & extrema.

Etiam Diaconus posset seipsum in casu gravissimæ necessitatis communicare.

De aliis diacono inferioribus, etiam laicis, videtur idem non improbabile, secluso scandalo, in casu gravissimæ necessitatis. Et confirmatur ex facto Reginæ Scotiæ. Unde *Trid. sess. 13. c. 8.* mandans, ut laici communionem à Sacerdotibus percipiant, non censetur hunc casum extremæ necessitatis comprehendere. Confirmatur: quia laicus posset & deberet Eucharistiam è terra levare, & ob periculum irreverentiæ eam subinde propriis manibus sumere: ergo mirum videri non debet, si id possit in sua propria, eâque extremâ necessitate. Immo olim juxta exemplum Christi in ultima cœna solebat porrigi Eucharistia in manum dexteram communicantium sinistræ in modum crucis superpositam, eamque nudam, si quidem viri essent, velatam verò seu involutam nitido linteo (quod Dominicale dicebatur) si fœminæ: qui deinde manu propriâ Eucharistiam ori ingerebant. Immo interdum etiam domum ferebant, ibique inter suos distribuebant, ut refert *Estius in illud 1. Cor. 10. Panis quē frangimus &c.* Quàmvis nunc extra necessitatem graviter illicitum foret laicis Eucharistiam immediatè manu tangere: ad hoc enim manus sacerdotum consecrantur, juxta *D. Thomam q. 82. art. 3.* Immo graviter peccaturos esse laicos, qui sustinerent pixidem aut calicem in quo Eucharistia actu continetur, censet *Aversa q. 10. sect. 3. §. Tertiò minister* in fine.

11. *Fortè & alii.*

DICO V. Sacerdos ex causa rationabili potest partem hostiæ suæ dare communicare volenti: hoc enim non obest integritati sacrificii; cùm in qualibet parte specierum tantumdem contineatur. Immo antiquitus moris fuit, ut unus idemque panis consecratus frangeretur, & ex eodem vasculo Sanguis Domini à fidelibus sumeretur, uti etiam fecit Christus cum Apostolis. Nunc equidem sine causa non licet recedere à moderno ritu Ecclesiæ, qui habet,

12. *Potest Sacerdos partem hostiæ suæ dare communicare volenti, si sit rationabilis aliqua causa.*

Aliàs ser-

vandus hodiernus ritus,

bet, ut pro communicaturis distinctæ formulæ ab hostia sacerdotis consecrentur. Quàmvis ei contraire non foret peccatum mortale juxta varios Doctores : eò quòd irreverentia non videatur gravis, nec consuetudo graviter videatur obligare.

De cujus gravi obligatione non satis constat.

Quæ censeatur causa sufficiens.

Porrò justa causa non tantùm est, quando communicandus est moribundus (de quo non potest esse dubium) sed etiam si urgeat præceptum Communionis : immo si magna petentis devotio id suadeat, similisve causa, & alia parva hostia commodè haberi nequeat. Ita *Antoninus, Sylvester, Henriquez, Bonacina* & plures alii. Similiter licitum erit aliquas particulas consecratas, dum omnibus non sufficiunt dividere, & sic communicaturis præbere.

13. *Parochus obligatur Eucharistiæ ministrare, quoties rationabiliter eam subditi petunt.*

Dico VI. Parochus obligatur hoc Sacramentum administrare per se vel per alios, non solùm quando subditi obligantur illud suscipere (ut Quidam sine fundamento sunt opinati) sed etiam quotiescumque subditi rationaliter petunt. Ita communiter Doctores. Ratio est : quia munus pastoris est pascere non tantùm in necessariis, sed etiam in valde utilibus ad salutem, saltem quando subditi id exigunt : ad hoc enim accipiunt stipendium ; & non ut tantùm in extrema necessitate, aut quando subditi obligantur, Eucharistiam eis administrent. Unde quia alii non habent officium pastorale vel speciale stipendium non obligantur, nisi communi lege charitatis in extrema vel gravi necessitate proximi. Dixi, *quotiescumque subditi rationabiliter petunt* : si enim nimis sæpè considerato eorum statu, aut importuno tempore petant, vel parochus ob infirmitatem aut aliàs causas impediatur, licitè poterit communionem voluntariam denegare, seu differre. An autem obligetur parochus hoc Sacramentum (idem est de extrema Unctione) ministrare tempore pestis cum periculo vitæ, est controversum inter Doctores. Affirmat *Filiucius, Sylvius*, & alii. Negat *Armilla, Villalobos, Suarez, Rodriguez, Diana, Dicastillo disp.* 11. *dub.* 7. & alii, eò quòd non sit tantæ necessitatis, sicut Baptismus & Pœnitentia. Affirmanti tamen sententiæ favet pietas, praxis, & summa Viatici utilitas, quæ dici possit necessitas. Potest insuper absque novo, saltem notabili periculo ministrari peste infectis Eucharistia post ministratum Sacramentum Pœnitentiæ ; à quo ministrando parochus certò non excusatur. Ceterùm in casu, quo Eucharistia foret seorsim ministranda, aut Pœnitentia quidem, non tamen Eucharistia, posset sine periculo infectionis ministrari, Opinio negativa efficaciter non potest redargui.

Aliàs non,

An obligetur tempore pestis cum periculo vitæ,

An possit se periculo subducere, renuntiando officio.

Petes, an obligatione ministrandi suppositâ, possit instante hujusmodi periculo parochus officio renuntiare, sicque fugere ? Resp. indubiè non posse, nisi sit alius idoneus, qui se offerat : sicut miles non potest renuntiare militiæ, instante necessitate pugnæ. Aliàs sanè nullus Pastor foret obligatus ovibus assistere, cùm posset semper hoc remedio ad fugiendum uti.

QUÆSTIO III.

Quid requiratur ad licitè distribuendum Eucharistiam ?

Dico I. Ultrà statum gratiæ, & carentiam censuræ (de quibus alibi) & ordinationem omnibus Sacerdotibus communem, requiritur in ministro jurisdictio ordinaria, vel licentia, seu delegatio eorum, qui habent jurisdictionem ordinariam : qualem habet Papa in universam Ecclesiã, Episcopus in suam diœcesim, Parochus in suam parochiam, Superiores Religionum in sibi subditos respectivè. Est certum apud omnes, & colligitur ex *Carthaginensi 3. can.* 7. *Milevitano can.* 18. Idem patet ex *Clement. Religiosi, de Privil.* ubi fertur excommunicatio Papæ reservata ipso facto incurrenda, specialiter contra Religiosos, qui Eucharistiam sæcularibus clericis & laicis ministrare præsumpserint. Ubi obiter adverte illam consequenter non incurri à sacerdotibus sæcularibus, immo nec à Religiosis ministrantibus Eucharistiam aliis Religiosis. Similiter ab incurrenda censura excusare ignorantiam vel bonam fidem : tunc enim non est præsumptio, quam jus requirit. Privilegia quoque varia à Pontificibus concessa, & quidem cum aliqua restrictione seu limitatione supponunt, ministerium hoc licentiam aut jurisdictionem saltem delegatam exigere.

Ratio Conclusionis est : quia proprius sacerdos sive pastor jus habet pascendi suas oves, & ne alieni pascant, nisi de ejus licentia. Deinde Ecclesia sic statuit ad vitandum confusionem regiminis & ordinis Ecclesiastici.

Unde juxta communem sententiam est peccatum morale, si secùs fiat, cùm usurpetur officium alienum in re gravi : nisi forsitan ex probabili causa intercedat bona fides & præsumpta pastoris voluntas : quæ facilius præsumitur in communione ex devotione factâ, præsertim si parochus sit absens. Idem certum est licentiam dare illi, quem communiter admittit ad celebrandum in sua Ecclesia. Quare autem sufficiat licentia rationabiliter præsumpta ad ministrandum Eucharistiam potius, quàm Sacramentum Pœnitentiæ, est, quòd ad prius sufficiat talis subordinatio, ut non fiat invito pastore ordinario, sive non contra voluntatem rationabilem illius : Absolutio autem sacramentalis requirit insuper in absolvente superioritatem actualem, sive ordinariam,

dinariam, sive de facto delegatam : cùm sit essentialiter actus judicii, adeòque dum fit, requirat præsentem jurisdictionem, quæ non acquiritur per similem licentiam præsumptam; utpote quæ nil ponit, utì nec spera vel subsequens ratihabitio.

Cetertùm Religiosi mendicantes per privilegium sive licentiam summi Pastoris, Romani scilicet Pontificis, possunt Eucharistiam ministrare omnibus Christi fidelibus toto anni tempore, exceptâ communione paschali, & factâ per modum viatici in articulo mortis; ut (omissis variis privilegiis) concessit *Paulus III.* Societati Jesu, & amplissimè *Paulus IV.* Fratribus Minoribus Bullâ 3. in *Bullario Rodriguez*, & *Julius II.* Fratribus Minimis apud *Rodriguez To. 1. q. 56. a. 3.* qui eisdem Minimis insuper concessit, ut Religiosi possint aliis simplicibus sacerdotibus etiam non approbatis (nam pro administratione Eucharistiæ nulla requiritur approbatio) facultatem concedere administrandi Eucharistiam in suis Ecclesiis, quam censentur concedere iis, quos ad celebrandū in suis Ecclesiis admittunt. Idemque habet praxis. Neque privilegia Pontificum facultatem Religiosis concessam restringunt ad certum locum, ut patet ex privilegio *Pauli III.* immo *Paulus IV.* eam positivè & expressè extendit ad omnem locum, dicens : *Ubilibet, etiam extra domos & habitacula eorumdem fratrum &c.*

Dum verò in Bullis Pontificum excipitur dies Paschæ vel Resurrectionis Domini, id ita accipiunt *Rodriguez sup. Suarez, Vasquez, Bonatina, Lugo d. 18. sect. 2. n. 50.* & alii communiter contra *Navarrum c. 21. nu. 52.* & quosdam alios, non quòd non liceat Mendicantibus, & aliis, qui participant in eorum privilegiis, administrare Eucharistiam ipso die materiali Paschæ sive Resurrectionis Domini, modò Fideles alio die in sua parochia communicent ad satisfaciendum præcepto communionis paschalis : sed quod non liceat administrare communionem paschalem, quâ Fideles satisfaciant præcepto. Nam non videtur credibile Pontifices voluisse excipere communionem paschalem merè materialiter, sed formaliter, quatenus præcepta est : alioquin enim sequeretur, vi similium Bullarum posse Fideles satisfacere præcepto cōmunionis paschalis in Templo Mēdicantium aliis diebus inter Dominicam Palmarum & Dominicam in albis; cùm verba Bullarum diem Resurrectionis Domini sive Paschæ ita excipiant, ut non præcipiant eo die communionem fieri in parochia : adeòque consequens videretur, communionem paschalem, quæ aliis diebus intrà quindenam sumi potest, posse ministrari in templis Mendicantium, præterquam in die materiali Paschæ, veluti dumtaxat excepto juxta *Navarrum*. Confirmatur : quia Pontifices tantùm voluerunt consulere præcepto communionis paschalis & juri parochorum, ut videlicet singulis annis quisque semel communionem à proprio Sacerdote recipiat, juxta cap. *Omnis utriusque sexûs de Pœnit. & remiss.* Præcepto autem isti aut juri nullatenus præjudicatur, porrigendo in die Paschæ communionem non impletivam præcepti, utì nec, si id fiat aliis diebus paschalibus vel alio quovis tempore. Advertit quoque *Layman* apud *Lugo suprà*, præsumi debere (nisi oppositum constet) eos qui petunt communionem die Paschæ in Ecclesiis Mendicantium vel satisfeciſse, vel satisfacere velle aliâ die in sua parochia; ideoque eis non esse denegandam. Estque præmissa explicatio, inhærendo communibus regulis interpretandi Bullas, & secludendo declarationem Papæ, quæ fieret in oppositum, plane rationabilis & solida; & passim his in locis practicata. Etsi pro cautela majori, rudiorum præsertim, aut ad submovendas offensionis occasiones, in plerisque nostris Ecclesiis die Paschæ non soleat exponi publicè Ciborium SS. Sacramenti. Quòd si verò his non obstantibus S. Sedes declarationem faceret mentis suæ, de excipienda, tam Communione Paschali, quàm faciendâ materialiter in die Paschæ, indubiè ei post sufficientem & authenticam intimationem standum esset; neque etiam aliàs magnopere contendendum de hac re.

18. *Et Viatico cum moriuntur.*

Excipitur etiam in privilegio Pauli III. articulus mortis. Et quamquam Paulus IV. illum non excipiat, quantumvis etiam de infirmis loquatur, sed solum Pascha, ideoque nonnulli Doctores existiment Mendicantibus illum verè non esse exceptum. Consuetudine tamen & sensu communi, atque etiam tacitâ mente Pontificis exceptus videtur, ita scilicet ut Religiosi Mendicantes nequeant moribundis administrare Viaticum, sive Communionem tunc faciendam ex obligatione, & quæ datur (ut loquuntur) per modum Viatici. Quàmvis possint eis ministrare Communionem faciendam ex mera devotione, etiam sine licentia parochi : quod enim Communio fiat in articulo mortis, se habet tunc velut materialiter & per accidens, nec censetur dari per modum Viatici. Estque hoc indubitatum juxta *Castro Palao Tract. 21. disp. un. punct. 20. n. 8.* Favet etiam apertè *Paulus IV.* Bullâ *Cùm sicut 3. in Bullar. Rodriguez*, ubi ait : *Quòd de cetero per totum orbem omnium utriusque sexûs Fidelium dicti Ordinis Fratres à suis Superioribus, ut moris est, deputati Confessores, confessiones etiam infirmorum ubilibet, etiam extra domos & habitacula eorumdem Fratrum, audire, ac omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Dominicæ, Sacramentum Eucharistiæ tam illis, quàm aliis quibusvis personis licitè ministrare possint, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium indulgemus ac decernimus, & declaramus.*

19. *Neque obstat Bulla Pauli IV.*

Quæ verba Pontificis maximè quoque pro se urgent isti Auctores, qui contendunt Regularibus fas esse ministrandi infirmis Communionem etiam per modum Viatici. Sed sine sufficienti ratione: quia nimirum in generali concessione non censetur contineri Viaticum, utpote specialem difficultatem habens, & in aliis Bullis sufficienter exceptum. De quo etiam non erat controversia inter Religiosos & Parochos, sed solùm de casibus ordinariis, videlicet, an sicut generaliter possunt Regulares in suis Ecclesiis excipere confessiones & dare Eucharistiam recurrentibus ad illos, sic idem possint deforis seu extra domos suas: ipsi alioquin Religiosi tunc temporis non urgebant sibi competere vi privilegiorum administrationem Viatici; utpote non ita pridem clarissimè excepti per *Paulum III.* Solùm itaque permittitur eis ministrare Communionem non obligatoriam, sive sanis, sive etiam infirmis, tam extra prorias domos vel Ecclesias, quàm intrà illas, ut ex verbis prælegatis liquet.

Quid per illam concedatur.

Nihilominus si periculum sit, ne moribundus sine Viatico decedat, sive quia parochus deficeret, sive quia communionem injustè negaret; potest, immo ex charitate obligatur sacerdos Religiosus, uti & alius sæcularis, ministrare Viaticum ex voluntate saltem tacitâ Ecclesiæ aut superioris Prælati; ut contra *Navarrum* docent communiter Doctores. Idemque est de Communione paschali, quando injustè negaretur à parocho. Ubi tamen de injustitia & irrationabili denegatione Parochi deberet præcedere sufficiens notitia sive certitudo.

Dico II. Ad licitè ministrandam Eucharistiam insuper requiritur, ut non tribuatur, nisi legitimè dispositio. Patet ex dictis de Sacramentis in communi *disp. 3. quæst. 6.*

DISPUTATIO SEXTA.

De Sumptione Eucharistiæ, & Dispositione prærequisitâ.

QUÆSTIO I.

An Sumptio Eucharistiæ sit absolutè necessaria ad salutem?

1. *Sumptio Eucharistiæ non est parvulis necessarium medium ad salutem:*

Dico: Etsi hoc Sacramentum sit utilissimum ad salutem, ut ex dicendis de Effectu illius clariùs patebit: non est tamen simpliciter necessarium. Ita Theologi communiter. Estque de fide quoad parvulos ex *Tridentino sess. 21. c. 4. & can. 4.* & ex sensu ac usu Ecclesiæ parvulis Eucharistiam subtrahentis. Ratio est: quia parvuli justificantur per Baptismum, justificationem autem sine peccato mortali (cujus sunt incapaces) amittere non possunt: adeòque decedentes cum Baptismo sine Eucharistia re susceptâ salvantur; voti autem sunt incapaces: adeòque Eucharistia in re vel in voto non est simpliciter omnibus ad salutem necessaria.

2. *Immo nec adultis, sive in re, sive in voto.*

Probatur deinde Conclusio generaliter etiam de adultis (de quibus Nonnulli sic loquuntur, ut sentire videantur Eucharistiam esse his necessariam in re vel in voto) quia illud tantùm est necessarium medium in re vel in voto, quod re susceptum habet vim conferendi aliquem effectum necessarium ad salutem, qui tamen etiam per votum illius medii possit conferri. Sed Eucharistia re susceptâ non confert effectum necessarium ad salutem; cùm supponat primam gratiam, quæ sufficit: ergo non est necessarium medium in re vel in voto.

Confirmatur I. quia Eucharistia non est medium necessarium ad justificationem à peccato, ergo nec ad salutem. Quàmvis autem ad perseverantiam sit utilissima; non desunt tamen alia ad eamdem media: ergo non aliter est necessaria etiam adultis, quàm sicut observantia aliorum præceptorum.

Confirmatur II. quia si quis brevi moriturus sumpto Viatico peccet mortaliter, potest per contritionem & pœnitentiam justificari & salvari, quàmvis nolit, immo non possit (puta, si ipsâ die moriturus jam sumpserit Viaticum, sed cum obice,) iterum communicare: ergo tali non est Eucharistia necessaria in re vel in voto.

Dices I. Christus *Joan. 6.* generaliter dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis*; sicut *c. 3.* dixerat: *Nisi quis renatus fuerit &c.* ergo Eucharistia est omnibus æquè necessaria, sicut Baptismus. Resp. (prætermissa expositione Variorum de Spirituali manducatione) Scripturam juxta doctrinam communem intelligi de reali manducatione Eucharistiæ, & tantùm habere vim præcepti, utique concernentis eos solos qui sunt præcepti capaces, scilicet adultos. Ideoque Christus loquens de Baptismo, qui etiam parvulis est necessarius necessitate medii, non utitur verbis significantibus actionem, ut in præsenti, sed potiùs passionem; dicens: *Nisi quis renatus fuerit.* Deinde etsi modus loquendi esset planè similis, dissimilem tamen esse modum intelligendi, constat, tum ex sensu & interpretatione Ecclesiæ; tum ex

subjecta materia: quia nempe Baptismus est institutus ad conferendum effectum saluti necessarium, qui deficiente Baptismo haberi nequit, nisi per Baptismi votum, scilicet gratiam justificantem; non autem Eucharistia.

Dices II. *Augustinus l. 1. de Peccat. meritis & remiss. c. 20. Epist. 106.* & alibi sæpè verba Christi *Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* etiam extendit ad parvulos, inde solitus probare peccatum originale in parvulis. Quibus proinde olim post Baptismum Eucharistia tribui consueverat, ut colligitur ex *Dionysio de Eccles. Hierarch. cap. 7.* prope finem & aliis antiquis Patribus. Hujus quoque usus meminit *Alcuinus l. De divin. offic. c. De Sabbato sancto.* Et *Hugo de S. Victore l. 1. de Sacram. c. 20. Pueris* (ait) *recèns natis idem Sacramentum in specie Sanguinis est ministrandum digito Sacerdotis: quia tales naturaliter fugere possunt.* Resp. *Augustinum* (idem est de *Innocentio 1. Epist. 93. apud Augustinum*) non loqui de reali sumptione Eucharistiæ, sed potiùs de unione & incorporatione quadam cùm Christo, quæ etiam per Baptismum habetur, & metaphoricè dicitur manducatio & potatio, seu participatio corporis & sanguinis. Nam (ut ait idem *Augustinus l. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 4.*) *nihil agitur aliud, cùm parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est, corpori Christi membrisque socientur.* Et infrà: *Nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est, participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam.* Et concludit, *non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere, præter Christi corpus; cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuuntur.* Et cap. *Quia passus est 36. de Consecr. dist. 2.* & cap. *Nulli est 132. de Consecr. dist. 4.* ex *Augustino* dicitur: *Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum Christi efficitur, nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio non privatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum est, invenit.* Et quàmvis hæc verba hodie in operibus *Augustini* non reperiantur, ea tamen refert *Beda* in illud 1. *Cor. 10. Calix benedictionis &c.* Et ferè omnia etiam ex *Augustino* recitat *Hugo de S. Victore* suprà.

Augustinus non loquitur de reali sumptione Eucharistiæ, &c.

Instabis: *Augustinus l. 1. De peccat. merit. c. 20.* ait: *Dominum audiamus, non quidem hoc de Sacramento lavacri dicentem, sed de Sacramento sanctæ mensæ suæ, quò nemo ritè nisi baptizatus accedit; Nisi manducaveritis carnem meam &c.* indeque probat id necessarium esse etiam parvulis; ut habeant vitam; loquens utique de ipso Sacramento Eucharistiæ proprio jam baptizatis. Resp. ex contextu aliisque locis mentem *Augustini* esse manifestam, quòd scilicet verba Christi prolata de ipso Sacramento Eucharistiæ jam baptizatis proprio, etiam verificentur in parvulis, alio tamen modo, quàm in adultis, ratione scilicet unionis per gratiam Baptismi cum corpore & sanguine Christi: quamquam ad ipsum Sacramentum Eucharistiæ nemo ritè nisi baptizatus accedat. Unde ibidem *Augustinus* præmiserat: *Verumtamen si percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis &c.* nimirum, quia ut ait idem *Augustinus l. 2. c. 28.* in Baptismo *omnino plena & perfecta sit remissio peccatorum.*

Ejusdem sensus dilucidando novam instantiam, amplius elucidatur.

Unde manifestum est, nil magis alienum à mente *Augustini*, quam quod parvuli per lavacrum non perfectè emundentur à peccato, vel quod sine nova culpa in Dei iram recidant; quorum alterutrum foret necessarium, si realis sumptio Eucharistiæ esset eis necessaria ad salutem. Usus autem antiquus ministrandi Eucharistiam parvulis non probat necessitatem illius pro talibus. *Ut enim* (inquit *Trident. sess. 21. c. 4.*) *sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certè eos nullâ salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.*

Usus antiquus parvulis dandi Eucharistiæ non probat faciendi necessitatem.

QUÆSTIO II.

An & Qualiter Sumptio Eucharistiæ sit præcepta jure divino?

6. *Est divinum præceptum sumendi Eucharistiam.*

DICO I. Datur præceptum divinum sumendi Eucharistiam. Ita *D. Thomas q. 80. art. 11.* & alii communiter, adeò ut *Valentia* scribat, jam nullum Catholicum docere contrarium; quàmvis quidam Antiqui contrarium docuisse referantur.

Probatur I. ex *Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quæ verba de manducatione sacramentali esse intelligenda ostendimus *disp. 3. q. 1.* & manifestè significant necessitatem; non quidem medii, ut *quæst. præc.* ostendimus, ergo saltem necessitatem præcepti.

Probatur II. ex verbis Christi *Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis præcepit non tantùm confectionem, sed etiam sumptionem hujus Sacramenti q. d. Id quod nunc agitur, dum ego accipio panem, consecro & dispenso, & quod vos agitis accipiendo & manducando, hoc volo in Ecclesia mea fieri, quæ laicis & sacerdotibus constat. Atque ita præcipit, ut singuli respectivè faciant, quod ad se spectat. Quod confirmatur ex *Tridentino sess. 13. c. 2.* dicente, *in illius*

sumptione colere nos sui memoriam præcepit. Nec dici potest Christum tantùm voluisse, ut quando Eucharistia sumitur, tunc recoiatur memoria illius: alioquin enim obligaretur communicans habere actualem memoriam passionis Christi, quod nullus apprehendit. Deinde *Tridentinum juprà* docet, Christum præcepisse coli memoriam suæ passionis per ipsam sumptionem: adeòque ipsa secundum suam substantiam præcipitur, estque memoriale seu commemoratio Dominicæ passionis. Ratio congruentiæ est maxima hujus Sacramenti utilitas; immo moralis adversùs peccata, & ad conservandam Dei gratiam necessitas.

7. *Obligans omnes adultos baptizatos,*

Dico II. Præceptum divinum sumendi Eucharistiam obligat omnes adultos, qui ad sufficientem discretionem pervenerunt: valde tamen verosimiliter solos baptizatos. Prima pars est manifesta ex generalitate verborum Christi. Secunda pars est contra *Suarez* & alios plurimos, qui ex generalitate verborum Christi *Joan 6* quæ Christus loquebatur etiam non baptizatis, putant hos quoque obligari, ut se capaces communionis reddant; idque non solùm ex vi præcepti de Baptismo, sed etiam vi præcepti Communionis: quia eo ipso, quòd præcipitur cuipiam aliquid facere, tenetur ex vi præcepti adhibere media ad id necessaria. Quemadmodum obligantur peccatores; non ut in malo statu communicent, sed peractâ dignâ pœnitentiâ. Neque eadem (inquiunt) ratio est de præcepto Confessionis: quia hoc non obligat absolutè omnes, sed tantùm Baptizatos, & quidem sub conditione, si post Baptismum peccaverint mortaliter.

Immo etiam non baptizatos, ut Plurimi volunt.

8. *Sed non satis probant.*

Nihilominus secundam partem tenet *Dominicus Soto* & plures alii: nam hic specialis obligationis titulus ex lege non satis constat, adeòque non est asserendus: etsi enim verba dicta sint generaliter etiam non baptizatis, facilè tamen intelligi potest, quòd tantùm referantur ad tempus Baptismi susceptì; sicut certum est referri ad tempus tunc adhuc futurum instituendæ ac promulgandæ Eucharistiæ. Et sicut verba Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*, referuntur ad solos fideles. Sicut denique cetera præcepta positiva Christi censentur ferri solis baptizatis, excepto præcepto ipsius Baptismi, quod utique concernere debet non baptizatos. Confirmatur: quia in Baptismo homo nascitur, in Eucharistia nutritur; nullus autem habet obligationem nutrimenti, nisi jam natus: nec tenetur homo speciali titulo nasci spiritualiter, ut spiritualiter nutriatur, sed solùm suppositâ nativitate tenetur spirituali alimoniâ uti. Quemadmodum etiam si Confirmatio, quæ est accretio spiritualis, fuisset à Christo præcepta, non afficeret hoc præceptum specialiter non baptizatos, quasi hi speciali titulo obligarentur spiritualiter renasci, ut postmodum accrescant, sed solùm nativitate suppositâ tenerentur crescere per Confirmationem.

Dico III. Præceptum divinum ad sumptionem Eucharistiæ non obligat parvulos aut perpetuò amentes. Est certum ex communi praxi Ecclesiæ & *Tridentino sess. 21. c. 4.* dicente, *parvulos usu rationes carentis* (idem est de perpetuò amentibus) *nullâ obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem; si quidem per Baptismi lavacrum regenerati & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt.* Addit, *non ideo tamen damnandam esse antiquitatem, si eum morem in quibusdâ locis aliquando servavit, & sanctissimos illos Patres sui facti probabilem causam habuisse.* Ratio autem cur Ecclesia hunc usum hodie non admittat, est: tum quia infantes carent notitia & gustu hujus cælestis cibi, ac devotione decente; tum maximè quia est res subjecta variis irreverentiæ periculis maximè adeo multiplicato infantium Christianorum numero, ad inhibito generatim usu calicis, infantibus cibi solidi incapacibus faciliori. Augmentū verò gratiæ inde parvulis obvenens non tenetur Ecclesia modo minùs cōgruo eis procurare; sed è contrà justis de causis potuit inhibere ministris Ecclesiæ, ne parvulis hoc Sacramentum ministrent. Et quàmvis non extet prohibitio expressa: immo tametsi urgente Episcopo Brixiensi, non placuerit *Tridentino* communiter hunc usum damnare, cui favent primitivę Ecclesię monumēta, prout refert *Palavicinus l. 17. c. 7. n. 17.* tamen est ipso usu & sensu Ecclesiæ Latinæ id modò creditur illicitum. Et favet *Rituale Romanum Tit. de Sacram. Eucharistiæ*, ubi arcendis ab Eucharistia accensere videtur infantes, dicens: *iis etiam, qui ob ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem & gustum habent, administrari non debet; id est*, non potest; ut suadet contextus. Quo sensu in Regula S. Francisci prohibetur æquitatio extra necessitatem, per verba: *Et non debeant equitare.* Ex quibus etiam manifestum est, nullâ præcepti necessitate adstringi adultos, ut parvulis usum hujus Sacramenti procurent.

Parvulis porrò profuisse usum Eucharistiæ ad augmentum gratiæ, adeòque etiam profuturum esse, si eis ministraretur, tradit recepta hodie Doctorum sententia contra Paucos. Quam satis confirmat antiquus usus sanctissimorum Patrum, qui (ut ait *Tridentinum jup.*) *sui facti probabilem causam habuerunt*; nec Sacramentum hoc contulissent incapacibus effectū, illius. Deinde parvuli ex susceptione Sacramenti Confirmationis percipiunt augmentum gratiæ; ergo similiter ex susceptione Eucharistiæ.

Dices I. cum Nonnullis: Patres id fecerunt, quia existimabant, quòd fortè parvuli obligarentur lege: *Nisi manducaveritis &c.* Resp. id gratis dici, & contra re-

spectum

spectum Patrum, præsertim Dionysii Areopagitæ ab Apostolis instructi: cur enim credantur rem certò falsam existimasse veram, aut etiam de ea dubitasse? Est etiam contra *Tridentinum sess. 21. c. 4.* dicens: *Patres habuisse facti sui probabilem causam.* Item eos id *nullâ necessitate salutis* fecisse. Fecerunt ergo, quoniam credebant parvulos esse capaces fructûs spiritualis Eucharistiæ. Quod tamen à fortiori etiam credidissent, si realem illius sumptionem parvulis ad salutem esse necessariam existimassent.

Dices II. cum Nonnullis aliis: Etsi olim Eucharistia profuisset parvulis, quando concurrebat voluntas Ecclesiæ; non tamen modò, quando Ecclesia prohibet. Resp. id non esse verosimile, tum quia non requiritur voluntas Ecclesiæ, sed sufficit voluntas Christi pro parvulis, utì pro Baptismo & Confirmatione (esto hæc Sacramenta parvulis extra necessitatem conferri Ecclesia prohiberet) tum quia etsi nolit Ecclesia illam dari, non vult tamen, ut si secùs fiat, non habeat effectum. Ecclesiæ voluntas non aliter potest dum non est obex, impedire effectum, quàm quatenus potest impedire validum Sacramentum, ejusque validum ministerium.

Dices III. Eucharistia datur per modum cibi; cujus natura est, partes vi caloris deperditas restaurare; quod locum non habet in parvulis, defectu liberi arbitrii. Deinde non possunt seipsos probare, nec Corpus Domini contra cibum profanum dijudicare; quod tamen requirit Apostolus *1. ad Cor. 11.* uti nec commemorationem facere Christi patientis; quod similiter requirit Christus apud Apostolum *sup. & Lucæ 22.* Alia igitur ratio probabilis Patrum olim fuit, ob quam concesserint parvulis Eucharistiam, sive destructio ritus gentilis, quo eis dari solebant idolothyta, prout Nonnulli; sive munimen contra infestationem Maleficarum, ac malorum dæmonum: quemadmodum non numquam etiam defunctis traditum fuerat, testimonio S. Joannis. c. 6. prout alii Theologi, qui *Tridentino* aderant responderunt; quorum plerique negarunt gratiam augeri teste *Palavicino l. 17 Histor. Trident c. 6. n. 12.* immò Non nemo (ut testatur idem *c. 11. n 21.*) loco rationis allegatæ à Concilio petijt alteram apponi, quasi desumptam ab Apostoli mandato: *Probet seipsum homo.*

Resp. Naturam cibi esse quoque, ut augeat; qui proinde sumi posset, etsi vi caloris nil divinitus absumptum foret. Magis autem id convenit cibo huic cælesti, etsi nil absumptum fuerit in anima per pugnam spiritualem, quæ nec est continua, nec plerumque detrimentum animæ, quale calor corpori, justò certante & vincente, adfert; neque extitit in Deipara, tametsi cum fructu gratiæ participante hunc cibum. Verba Apostoli & ipsius Christi diriguntur ad compotes rationis. Alioquin etiam usu rationis de facto destitutis, qui eo usi fuere, nisi aliud obstet, dandam in articulo mortis Eucharistiam, patet ex infra dicendis. In quibus, uti & in extaticis, quæ circa se aguntur ignorantibus, nihilominus haud deesset fructus gratiæ. Ut proinde non sit quærendum effugium in deletione usûs gentilis de participando idolothyta (qui utique dudum cessaverat temporibus *Alcuini* & *Hugonis à S. Victore*, quibus usus communicandi infantes adhuc vigebat) aut in munimine contra dæmones & maleficas, nisi quatenus hoc ex augmento gratiæ Sanctificantis, gratijsque externis vi Sacramenti dandis resultabat. Frivolè quoque allegabatur manifestus abusus (ex quo utique probabilis veteris usûs ratio non poterat depromi) quo olim videtur à quibusdam Grecis nimium visis *Bellarmino l. 1. de Purgat. c. 5.* velle juvare animas defunctorum, Eucharistia data defunctis: qui etiam reprobatur *Can. 83. Conclij Quini Sexti.* Et ne per umbram quidem ex *Joan. 6.* colligi poterat. Denique meritò neglectum fuit à Patribus, quod quidam Episcopus apud *Palavicinum sup. n. 12.* expunctâ ratione Concilij substitui contendebat.

12. *An infans hostiam casu repertam comedens acciperet gratiam.*

Dices IV. Ergo etsi infans hostiam casu repertam comederet, reciperet gratiam. Responderi posset cum *Joanne Poncio disp. 44. q. 13. n. 108.* Neg. Seq. quia putat non censeri Christum voluisse, ut conferret gratiam, nisi quando ministratur ei tamquam Sacramentum. Sed est conjectura. Obstat enim, quòd recipiat verum Sacramentum, cujus est capax, etiam quoad effectum gratiæ; cùm sit justus. Sacramenta autem suscepta sive applicata subjecto causant velut causæ naturales gratiam, quando non est obex; prout hîc non est. Intentio verò in parvulis non requiritur. Ita *Lugo, Dicastillo* & alii.

13. *An idem sit de justo adulto.*

Instabis: Ergo etiamsi adultus casu manducaret hostiam consecratam nescius esse talem, reciperet gratiam. Respondetur communiter, Neg. Seq. eò quòd in ipso requiratur intentio suscipiendi Sacramentum, quæ ibi non est, sed potiùs opposita, scilicet comedendi tamquam cibum communem.

Hæc tamen Responsio patitur difficultatem non modicam. Etenim hactenus non video, cur etiam tali casu adultus justus non reciperet gratiam, veluti recipiens verum Sacramentum sine obice: Sacramenta autem sine obice recepta conferre gratiam ex opere operato, est doctrina fidei. Intentio quoque specialis etsi in adulto suscipiente requiratur quoad Sacramenta consistentia in usu sive actione; quæ proinde conficienda sunt, & alioquin forent invalida: non tamen in Eucharistiæ sus-

ceptione, quæ priùs confecta, per sumptionem tantùm applicatur, & quidem subjecto dispositio. Alioquin si etiam alia sacramenta possent validè confici, adeòque applicari subjecto non habenti obicem, utique haberent in iis, utì in parvulis, effectum, v. g. Baptismus conferret characterem & gratiam. Neque potest capax Sacramenti illud suscipere verè & validè, quin sacramentaliter. Quàmvis non baptizatus non sacramentaliter, sed merè materialiter instar canis Eucharistiam sumeret, quæcumque foret in eo intentio, eò quòd non in ratione signi collativi gratiæ, ad quam practicè significandam, est instituta non nisi respectu subjecti baptizati.

Deinde fortasse non deest sufficiens intentio interpretativa in casualiter manducante Eucharistiam: qui etsi nolit scienter manducare Eucharistiam tamquam cibum communem, si tamen id ignoranter aut citra culpam fieret, quidni censeri possit velle, ut illa prosit quantùm potest? Sicut etsi incidenti ægro in phrenesim illicitè detur Eucharistia, non expectato, si speretur, lucido intervallo, isque illam sumat quasi cibum communem, tamen accipit gratiam, censeturque habere sufficientem, si quæ requiratur, intentionem, ut etiam tali casu dato sibi prosit Eucharistia. Nec posset ad se redeunti eâdem die tribui iteratò Communio aut Viaticum. Manducationem denique Eucharistiæ quà talis non requiri humanam & liberam, patet in parvulis ac moribundis usu rationis destitutis. Utramq; hanc viam, me viso, sed juxta morem non citato, propositam nunc reperio à *Bosco de Eucharist. sect. 8. Concl. 4.*

14. *Adultis, lapsis dein in phrenesin dandum est Viaticum, si absit periculum irreverentiæ.*

Notandum verò, quòd etsi iis, qui ad sufficientem discretionem hactenus non venerunt, non sit juxta prædicta ministrandum Eucharistiæ Sacramentum? illis tamen, qui aliquando usum rationis habuerunt, sed postea per morbum, phrenesim vel similem causam amiserunt, administrandum est per se loquendo hoc Sacramentum in articulo mortis, utì & extrema Unctio: si videlicet non sciatur eos in malo statu incidisse in amentiam, sed potiùs præsumatur oppositum, & non sit periculum vomitûs, aut alterius irreverentiæ. Ita communiter Doctores. Et colligitur manifestè ex *Concilio Carthaginensi IV. can. 76.* & refertur *can. Is qui Pœnitentiam 26. q. 6.* Idem supponitur in *Toletano XI. can. 11.* Item adferri solet *Arausicanum I. can. 3.* & refertur *can. 7. Causâ & quæst. cit.* Idem approbat *Catechismus Romanus cap. de Eucharistia n. 49.* dicens: *Amentibus, qui tunc à pietatis sensu alieni sunt, Sacramenta dare minimè oportet: quàmvis, si antequam in insaniam inciderint, piam & religiosam animi voluntatem præ se tulerunt, licebit eis in fine vitæ ex Concilij Carthaginensis decreto Eucharistiam administrare; modò vomitionis vel alterius indignitatis & incommodi periculum nullum timendum sit.* Ratio est: quia si detur Eucharistia, potest illis prodesse: habetque infirmus jus ad extrema Sacramenta, quorum est capax, quando nulla obstat prohibitio. Unde obligantur etiam pastores ex justitia talibus dare Eucharistiam, idque per modum Viatici: præsertim cùm in vita Christianè transactâ sufficienter præcesserit devotio, & includatur voluntas saltem interpretativa recipiendi Viaticum, utì & extremam Unctionem. Semifatui autem vel habentes debilem usum rationis (quales dicuntur esse multi ex recenter conversis in novo orbe) sicut sunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ, sic eis est ministranda Eucharistia, saltem in articulo mortis & Paschate, quando abest periculum irreverentiæ.

De Energumenis, si utantur ratione, & absit periculum irreverentiæ, dicendum est eis simpliciter dari posse Eucharistiam, non tantùm in articulo mortis aut in Paschate, sed etiam frequentiùs, prout prudens Confessarius judicaverit expedire ad expellendum vel frænandum dæmonem, vel ad patientiam & utilitatem obsessi. De quo videri potest *Prosper. l. 4.* aliàs *parte 4. De prædict. & promiss.* cui titulus est, *Dimidium temporis cap. 6.* Idem expresè conceditur in *Arausicano I. can. 14.* & confirmatur ex praxi Ecclesiæ. Idem docet *D. Thomas, Sotus, Suarez* & Doctores passim. Quare etiam in Rituali Pauli V. inter arcendos à S. Communione, qui particulatim recensentur, non exprimuntur Energumeni. Immo in *Tit. De exorcizandis obsessis* præscribit: *Admoneatur obsessus, ut sacrâ Confessione & Communione sæpiùs ad arbitrium Sacerdotis se communiat.* Unde constat non esse receptum, saltem hoc tempore ab Ecclesia, si quid apud nonnullos Veteres reperiatur de neganda Energumenis extra mortis articulum Communione.

Similiter mutis & surdis à nativitate, si non appareant indispositi, & ex nutibus satis constet eos cibum illum distinguere à profano (quod eos signo edoceri posse experientia ostendit) & accipere in remedium salutis; potest præberi Eucharistia in articulo mortis & Paschate: immò si discretio sit maturior & perfectior (qualem, & quidem notabilem quandoque deprehensam scio) etiam sæpiùs, v. g. in solemnioribus festivitatibus, ut docet *Layman* & alii: quemadmodum possunt confiteri & absolvi juxta *Sanchez, Navarrum* & alios. Secùs est, si simul sint à nativitate cæci: tunc enim non videntur capaces Eucharistiæ dignoscendæ, adeòque nec sumendæ magis quàm perpetuò amentes.

Pueri rationis capaces obligantur jure divino, quando cibum hunc possunt à profano discernere: adeòque est obligatio illis

dandi Eucharistiam, quando sunt in articulo mortis; quàmvis necdum ad communionem paschalem sint admissi, suntque, quoad fieri potest, instruendi: alioquin enim juri divino numquàm satisfacerent. Et quàmvis eos hoc non obligasset pro tali tempore, secluso articulo mortis: hoc tamen suppositio obligat pro illo determinato tempore. Ita *Cajetanus*, *Suarez*, *Bonacina*, *Lugo* & alii passim contra *Vasquez* & quosdam alios oppositum existimantes, & contra *Navarrum* existimantem esse arbitrarium. Quare corrigendus videtur quorundam parentum abusus, qui ne cogantur solvere Parochis funeralium jura pro majoribus solvi consueta, prolibus periclitantibus, ministrari Eucharistiam nolunt. Potiùs autem deberent Parochi in jurium præfatorum exactione dissimulare tali casu, quàm permittere, ut proles tam maturæ sine extremis sacramentis decedant.

18. Dico IV. Valde probabile est, præceptum divinum obligare per se in articulo mortis, quantumvis infirmus aliquoties in vita, aut etiam in Paschate communicasset: tum quia est communior sensus Doctorum: tum quia finis præcepti, nempe restauratio virium & confortatio contra tentationes in via salutis, maximè locum habet in moribundo. Consonat etiam solicitudo fidelium, cura pastorum, & antiquissima consuetudo asservandi Eucharistiam, ne infirmi umquam priventur Viatico. Quam appellat *Legem antiquam ipsum Concilium Nicænum can.* 13. mirum, *ut si quis* (inquit) *ego ditur de corpore, ultimo & necessario Viatico minimè privetur.* Immo cùm sit cibus spiritualis animæ, non tantùm in articulo mortis, sed sæpiùs in vita sumendus est, ut spirituales animæ vires foveantur & reparentur: ideoque Christum conformiter ad finem præcepti obligasse ad sæpiùs in vita communicandum, docet *Suarez*, *Præpositus* & plures alii. Et quamquam hoc indeterminatum sit, ei tamen sufficienter juxta omnes Doctores est provisum per determinationem Ecclesiæ præcipientis annuam communionem.

Nihilominus prædicta omnia non convincunt, sive in articulo mortis, sive sæpiùs in vita esse à Christo graviter præceptam Eucharistiæ sumptionem. Finis namque Eucharistiæ sæpiùs sumendæ videtur aliis mediis posse ad sufficientiam, etsi non tam perfectè, obtineri. Plures enim præterea sunt spirituales animæ cibi, seu qui illam spiritualiter nutriunt, scilicet exercitia virtutum, præsertim charitatis. Nec similitudo cibi corporalis per omnia quadrat: cùm hic per plures annos aut dies differri nequeat, sicut potest Eucharistia, quantum est ex parte præcepti divini. Confortatio etiam contra tentationes, præsertim in articulo mortis, posset haberi per orationes aut alia Sacramenta, puta Pœnitentiæ, & præsertim extremæ Unctionis. Solicitudo autem & antiqua lex circa Viaticum, item quòd appelletur necessarium, non convincit esse aliam legem, quàm Ecclesiasticam *Concilio Nicæno* anteriorem. Verba denique Christi *Joan. 6. Nisi manducaveritis &c.* in rigore videntur verificari in unica manducatione seu sumptione. Quare sic tenent Varii etiam recentiores, cùm *Victoria* & *Ledesma*, nempe unicâ Communione in vita satisfieri præcepto quà præcisè divino: cujus obligatio non est amplianda, nisi sufficienter constet.

Unde probabiliter satisfit præcepto divino per unicam communionem.

Petes I. An liceat sæpiùs eodem die communicare? Resp. Neg. etsi id jure divino non sit prohibitum, sed tantùm jure Ecclesiastico, saltem consuetudinario. Quod constat, tum ex sensu omnium Doctorum cum *D. Thoma q. 80. art. 10.* tum ex generali usu totius Ecclesiæ, & sensu omnium fidelium. Colligitur etiam à fortiori ex eo, quòd nequidem sacerdotibus extra casum necessitatis & diem Nativitatis Ecclesia permittat sæpiùs in die celebrare. Excipe casum, quo Sacramentum alioquin in manus hæreticorum aut infidelium veniret, vel aliàs indignè tractaretur: quod enim pro Sacramenti reverentia est introductum, non debet in ejus dispendium retorqueri.

20. *Non licet ex jure Ecclesiastico sæpiùs unâ die communicare.*

De hora autem quâ communio laicalis fieri debeat, nihil etiam est à Christo statutum, immo nec ab Ecclesia. Unde secluso scandalo & inconvenientiis fieri posset à jejuno qualibet horâ diei naturalis. Ita *Cominck*, *Bonacina d. 4. q. 7. p. 1. n. 14.* & alii Doctores passim. Idemque interdum practicari vidi, quòd scilicet deforis ad lucrandam Indulgentiam seriùs advenientes sub Vesperam diei adhuc jejuni communicarent. Quàmvis occasio ista sit rara, utì & rarum jejunium eò usque protractum, ob rei incommoditatem.

Quàvis diei horâ id licet Laico aut etiam Sacerdoti modo lâicali.

Petes II. An expediat laicos indies communicare? Resp. expedire, quantum est ex parte Sacramenti: quia est symbolum maximi amoris Christi erga homines, & in eo vicissim homines ostendunt reciprocum amorem erga Christum. Deinde in eo confertur maxima gratia, & confortatio virium, quibus homo quotidie indiget. Unde præclarè dixit *Ambrosius l. 5. de Sacram. c. 4. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie mereari accipere.* Similiter alii Sancti frequentem hujus Sacramenti sumptionem deprædicant, suppositâ congruenti dispositione. Ideoque *D. Bonavent. d. 12. p. 2. a. 2. q. 2. in corp.* dicit, *quòd si quis semper esset paratus, semper utile esset hoc Sacramentum recipere, ut scilicet haberet habitaculum mundum, & spiritualiter comederet hunc cibum cum honore & devotione. Quia igitur tempore Ecclesiæ primitivæ erant mundi per Baptismi innocentiam, & charitate ardentes per devotionem Spiritûs sancti, ideo congruebat eis quotidie communicare.*

21. *Quotidiana Communio per se utilis.*

22. *Per accidens ordinarium non est omnibus justis passim suadenda.*

Verùm cùm nimia familiaritas pariat quandoq; contemptum, & quotidianæ hujus vitæ occupationes ac distractiones in plerisque, præsertim in sæculo degentibus, non permittant quotidie dignam præparationem ac devotionem, qualem hoc Sacramentum requirit; idcirco ex conditione sumentis non expedit laicos passim quotidie communicare, juxtà *D. Thomam suprà*, *D. Bonaventuram sup.* & aliòs Theologos communiter. Quoties autem laici sint ad communionem admittendi, non potest unâ regulâ definiri, sed ex puritate conscientiæ, devotione erga hoc sanctissimum Sacramentum, aliisque circumstantiis corporis & animæ judicabit prudens Confessarius: à quo juxta *Henriquez* & *Tannerum* major est cura gerenda circa fœminas, quæ illusionibus dæmonum faciliùs seducuntur.

23. *Singularis doctrina circa hoc punctum rejicitur.*

Non est autem ullatenus probandum, quod unus vel alter Hispanus apud *Lugo d. 17. sect. 1.* scripsit recenter, expedire cuilibet non gravato culpâ mortali quotidie communicare, sive sit nobilis, sive civicus, sive rusticus, sive continens, sive uxoratus, etiam post copulam maritalem, aut pollutionem istâ die voluntariè procuratam.

Hoc enim alienum planè est à sensu Sanctorum, *Francisci, Thomæ, Bonaventuræ, Ignatii &c.* Non est quoque hac in re dumtaxat spectandus fructus, scilicet augmentum gratiæ, inde proveniens justo communicanti, sed etiam dignitas & reverentia tanti Sacramenti; quæ magis postulat, vt non sumatur quotidie, nisi à valdè perfectis. Neque est urgendum exemplum primorum Christianorum; nisi & eorumdem vitæ ac fervoris imitatio ostendatur. Unde *D. Bonav. suprà*: *Si videat* (inquit) *se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est, quotidie communicare &c.* Augmentum verò gratiæ respondens indevotæ & tepidæ Communioni modicum est, quod abundè rarior & ferventior Communio compensat: *Quia* (inquit *D. Bonav. suprà ad 1.*) *majorem efficaciam credo quòd recipiat homo in una Missa vel manducatione cum bona præparazione, quàm in multis, si non se præparet diligenter.* Deinde Eucharistia etiam decès in die sumpta conferret augmentum gratiæ; & tamen ob hoc non congrueret illam toties de die indifferenter à quolibet justo sumi: immo congruentissimè Ecclesia ob reverentiam Sacramenti inhibuit, ne plùs quàm semel in die sumatur, etiam à Sacerdote. Sanè abhorret à pietate & praxi Communi, ac Regulis Missalis, suadere seu expedire Communionem justificato, qui paulò antè fornicatione, mollitie &c. se contaminavit, hoc solo titulo, quòd sit justus, adeòque sit acceptus augmentum gratiæ. Quin immo etiamsi dubitetur, an voluntaria fuerit in causa mortali pollutio nocturna, consulitur abstinentia à Communione. De quo vide *Regulas Missalis Tit. de Defectibus Missæ §. 9. num. 5.* Et in antiquissimo *Concilio Eliberitano* (quod refertur c. *Omnes homo, de Consecrat. dist. 2*) præscribitur uxoratis abstinentia à copula conjugali tribus saltem ante Communionem diebus. Denique Sancti valdè exaggerant singularem animi puritatem & devotionem in susceptione hujus divinissimi Sacramenti requisitam: quæ planè non subest ut plurimum in justis communibus.

24. *Reprobatur pia sed indiscreta devotio.*

Nec obstat, quòd *Tridentinum sess. 22. c. 6.* optet, *ut in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.* Nam optat, partim ut aliqui saltem id faciant, partim ut digni inveniantur, non tamen ut id promiscuè faciant etiam justi in præsenti facie Ecclesiæ, in qua adeò refriguit charitatis fervor & abundavit iniquitas.

25. *Nec Declaratio Cardinalium.*

Non obstat etiam Declaratio Cardinalium ad d. locum Concilii declarantium *obstare Tridentinum Episcopo volenti præscribere certa tempora, velut dies Dominicos, quartam & sextam feriam, quibus tantùm liceat viris Laicis conjugatis, negotiatoribus, & mulieribus etiam non conjugatis, sanctissimam Eucharistiam sumere.* Nam (ut omittam auctoritatem istius Declarationis ex variis capitibus nutare, ut habet *Dicastillo disp. 9. n. 461.* signanter quòd de ea authenticè non constet) nihil in ea habetur contra à nobis dicta. Aliud enim est, suadere indifferenter omnibus quotidianam Communionem, aliud declarare, quòd Episcopus non possit determinare certos dies hebdomadæ, quibus ita liceat præfatis generibus personarum communicare, ut aliis diebus id eis non liceat generatim, quantumvis forent dispositi: cùm potius semper hic cibus debeat esse paratus ex mente *Tridentini* convenienter præparatis, cujuscumque sint generis personæ: quarum singulæ etsi non sint singulis diebus dispositæ, possunt tamen nunc hæ, nunc illæ esse paratæ, atque hâc ratione poterit, juxta votum *Tridentini*, Missis privatis interponi Communio laicalis.

Non obstat denique, quòd Sacerdoti tepido non dissuadeatur quotidiana Communio. Nam hæc faciliùs ei congruit, tum ratione beneficii aut obedientiæ regularis, tum ratione stipendii frequenter ad sustentationem necessarii, tum ratione officii sacerdotalis boniqué communis ex Sacrificio provenientis Ecclesiæ ejusque membris. Quàmvis nec ego universim suadere possim Sacerdotibus, qui in rei veritate sint sæculares, ac vix nisi terrena sapientes, ut quotidie celebrent, frequenter sine gustu & ex mera consuetudine, ac, heu! nimium perfunctoriè pro re tanta.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An jure divino sit Laicis præcepta Communio sub utraque specie?

26. CIRCA annum Domini 1412. quidam *Petrus Dresdensis* & *Jacobellus Misnensis* in Bohemia cœperunt id asserere, condemnandes proinde Ecclesiam Latinam, velut quæ injustè Laicis subtrahat usum Calicis. Hos studio opponendi se Ecclesiæ Romanæ secutus est *Calvinus* aliique Hæretici nostri temporis: quàmvis *Lutherus* & *Melanchton* in hac re sint varii & inconstantes, modò cum adversariis loquentes, teste *Martino Becano de Eucharistia c.* 24.

Verùm neminem, excepto sacrificante, teneri jure divino ad sumptionem utriusque speciei est veritas Catholica, definita in *Concilio Tridentino sess.* 21. *c.* 1. & *can.* 1. & antea in *Constantiensi sess.* 13. & olim ante utrumque Concilium idem docuerat *Alexander Alensis*, *Albertus*, *D. Thomas*, *D. Bonaventura*, *Scotus* & alii, hæresibus nondum exortis, & deinceps omnes Theologi. Quàmvis olim Communio laicalis sub utraque specie fuerit satis usitata, ut etiam indicatur 1. *ad Cor.* 10. & 11. illaque consuetudo in variis Ecclesiis perseveraverit usque ad tempora *D. Thomæ* ut ex ipso colligitur *q.* 80. *art.* 12.

Hoc autem supposito, facilè patet usum calicis potuisse ab Ecclesia Laicis justissimè prohiberi, non solùm ut in tota Ecclesia sit conformitas, utque contra Hæreticos ostendatur, totum Christum sub singulis speciebus contineri, sed etiam & potissimùm ut consuleretur reverentiæ Sacramenti, quod fidelibus ita multiplicatis, senibus, pueris, infirmis, multis valde agrestibus sine effusionis periculo administrari nequit, nec commodè transportari, aut diu conservari sub speciebus vini. In his enim, sicut in aliis quæ dispensationem & usum Sacramentorum concernunt, Christus reliquit Ecclesiæ plenariam disponendi potestatem, salvâ Sacramentorum substantiâ. Unde etiam Ecclesia de facto Laicis strictissimè usum calicis inhibuit in *Constantiensi citato* & *Tridentino sup. cap.* 2. Neque Ecclesia per hoc fideles Sacramento privavit, sed tantùm certo modo illud sumendi: cùm *sub altera tantùm specie totus Christus verumque Sacramentum sumatur, ac propterea, quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem defraudentur, qui unam speciem solum accipiunt*, ut loquitur *Tridentinum sup. c.* 3.

28. Itaque sumptionem utriusque speciei non esse à Christo præceptam, Probatur I. quia Ecclesia numquam intellexit tale præceptum fuisse in Scriptura expressum aut fidelibus traditum; quin potiùs declaravit contrarium: ab ipsa tamen verus Scripturæ sensus & divinorum præceptorum declaratio est petenda, quæ est firmamentum fidei & columna veritatis.

Accedit, quòd pleræque figuræ Eucharistiæ manducationem sub una specie significent, ut Lignum vitæ in medio paradisi, Agnus paschalis, Manna, participatio sacrificiorum. Inde enim conjectura desumitur, Christum non imperasse omnibus sumptionem duplicis speciei. Quæ etiam sumitur ex *Act.* 2. ubi describitur sacra Communio fidelium his verbis: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus*. Ubi apertè, fatente ipso *Luthero* & *Calvino*, fit mentio, non de fractione panis usualis in prandiis, sed panis Eucharistici, non factâ mentione calicis: quo usos fuisse Nazaræos ad Christianismum conversos, in istis initiis adhuc legalia observantes, adeoque à vino, omnique potu inebriativo abstinentes, minùs credibile apparet; quos tamen omnino à Communione abstinuisse non est probabile. Et quidquid sit de his & similibus conjecturis (quas discutit *Bellarminus lib.* 4. *de Eucharistia cap.* 24.) veritas Catholica

29. *Confirmatur ex usu primitivæ Ecclesiæ.*

Probatur II. quia etiam in primitiva Ecclesia fideles frequenter communicabant sub una tantum specie: adeoque constat Ecclesiam tunc non censuisse, sumptionem utriusque speciei esse jure divino necessariâ. Nam in primis tempore persecutionis concedebatur fidelibus, ut hostias sacras domũ deferrent, & inde quotidiè sumerent; ut patet ex *Tertulliano l.* 2. *ad Vxorem* ubi ait: *Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes? & si sciverit, panem, non illum credit esse, qui dicitur*. Idem patet ex *Clemente Alexandrino*, *Cyriano*, *Basilio* & aliis. Domum autem non conferebant fideles, nisi species panis, quæ solæ dabantur in manus fidelium, calix autem admovebatur ori communicantium, ut patet apud *Cyrillum Catech. Mystagog.* 5. qui etiam in domibus non habebant vasa sacra, quibus contineri posset sanguis Christi, ut clarissimè patet ex *Apol.* 2. *Athanasii* contra *Arianos*.

Ex Communione infantium.

Idem comprobat ritus antiquus communicandi infantes; qui cùm non possint cibum aliquem solidum sumere, instillabatur in os eorum aliquid Sanguinis Domini, ut etiam testatur *Cyprianus Serm. de Lapsis*, adeoque sub una specie dabatur eis Eucharistia.

Et Communione ex præsanctificatis in Paraseeve.

Deinde antiquissimus Ecclesiæ Latinæ usus (cujus meminit antiquus *Ordo Romanus* editus ante 800 annos) habet, ut Sacerdos in Paraseeve sub una tantùm specie communicet. Et simile quiddam de Ecclesia Græca testatur *Concilium Laodicenum can.* 49. in qua per totam quadragesimam, præterquam in Sabbato & die Dominico, fiebat Communio ex præsanctificatis, uti apud Latinos in Paraseeve.

Tertiò

30. *Ex diuturna asservatione Eucharistiæ pro infirmis.*

Tertiò idem patet ex antiquissima consuetudine (quam etiam sæculum *Concilii Nicæni* agnovit, & de qua videri potest *Clemens Romanus l. 8. constit. c. 13.* & *Eusebius lib. 6. Ecclesiasticæ historiæ c. 34.*) asservandi in loco deputato Eucharistiam pro ægrotis; ita ut teste *Sophronio in Prato spirituali c. 79.* servaretur aliquando per annum: quod satis declarat jam conservari solitas species panis pro communicandis ægrotis, cùm vini species tàm diu servari non possint sine periculo irreverentiæ.

Eorumq; Communione sub una specie.

Unde testatur *Eusebius l. 6. Histor. c. 34.* ex Epistola Dionysii Alexandrini, Presbyterum dedisse puero particulam Eucharistiæ deferendam Serapioni seni ægroto, ac jussisse, ut eam priùs madefaceret, quàm seni porrigeret. *Amphilochius* quoque in vita *S. Basilii* scribit, eum in morte Eucharistiam accepisse in sola specie panis, quam longo tempore asservaverat.

Ex praxi Manichæorum.

Denique Manichæi, teste *Leone I. Serm. 4. de Quadrages.* numquam communicabant, nisi sub specie panis; nec tamen ex hoc præcisè capite sunt redarguti erroris ab *Epiphanio, Augustino* vel aliis, qui de eorum erroribus scripserunt. Immo ut hæresim suam tegerent (teste *Leone suprà*) panem Eucharisticum cum Catholicis sumere solebant; vanè utique, si usitata & libera non fuisset Romæ Communio sub una specie. Græci quoque numquam Latinos ex hoc capite redarguerunt: etsi alioquin valdè effusi in prætexendis & conquirendis quibuslibet, quæ speciem erroris vel tenuem, etsi infundatè, putabant habere. Plura vide apud *Bellarminum lib. 4. de Eucharist. c. 24.*

Denique ex incommodis.

Confirmatur: quia cum Christus totus contineatur sub alterutra specie, non erat ratio præcipiendi generaliter utramque; præsertim ob gravia inconvenientia, partim suprà insinuata, partim quia multi nullatenus ferunt potum vini, partim etiam quia in multis regionibus non posset haberi copia vini sufficiens multitudini fidelium communicandæ.

31.

Objicitur I. Christus *Joan. 6.* ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo præcepta est sumptio utriusque speciei. Resp. Neg. Cons. nam (utcumque sermo ille Christi juxta varias sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur) qui dixit hoc, dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et post similia sæpiùs repetita tandem concludit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; ut rectè notavit *Tridentinum sess. 21. cap. 1.* adeoque cùm soli pani ibi frequentiùs tribuatur vivificatio, non potuit ibidem præscribi utriusque speciei ad vivificationem animæ necessitas. Præcipitur itaque ibi sumptio dumtaxat Eucharistiæ Sacramenti, sub quacumque tandem specie, ita ut præceptum versetur circa rem quæ sumitur, non circa modum quo sumitur: jam verò etiam sub altera tantùm specie caro & sanguis sumuntur, ob mutuam connexionem & concomitantiam.

Non obstant verba Christi Ioan. 6. Nisi manducaveritis &c.

Deinde potest propositio Christi intelligi in sensu etiam copulativo seu potiùs distributivo, idque secundùm rigorem dialecticum hoc modo: *Si nec manducaveritis carnem Filii hominis, nec biberitis ejus sanguinem &c.* Nam particula exceptiva *Nisi*, involvit negationem, & valet idem quod, *sinon* (ut etiam expressit Græcus) & repeti debet etiam in secunda parte enuntiationis compositæ. Velut si diceretur: *Nisi adsit Ceres & Bacchus, friget Venus.* Sensus enim est: Si neutrum adsit, friget Venus; cùm alterutrum sufficiat, ut non frigeat.

Objicitur II. Christus *Matth. 26.* dixit: *Bibite ex hoc omnes.* Resp. id esse dictum solis Apostolis, ideoque Syrus vertit, *Vos omnes*, & Lucas expressit *c. 22.* hoc modo: *Dividite inter vos*, sic videlicet, ut in orbem vos omnes aliquid ex eodem isto calice bibatis. Panem enim consecratum ipsemet fregerat, & singulis dederat. Unde hoc impletum fuisse testatur Marcus *c. 14. Et biberunt ex illo omnes.* Quare patet, quàm inepte Hæretici inde conficere velint omnibus fidelibus præcipi sumptionem etiam specierum vini.

Objicitur III. Christus *Lucæ 22.* dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; id est, distribuite omnibus utramque speciem. Resp. Christum ibi sumptionem Eucharistiæ præcepisse quidem Ecclesiæ, attamen non omnibus omnem sumendi modum; sed in hoc plurimum reliquit dispositioni Ecclesiæ, ex cujus traditione oportet cognoscere, quousque Christi mandatum se extendat.

Objicitur IV. Judæi omnes in deserto non solùm comederunt manna, sed etiam biberunt aquam de petra, teste Apostolo *1. ad Cor. 10.* Atqui hæc erant figuræ Eucharistiæ sub utraque specie sumendæ: ergo & nos in deserto hujus vitæ utramque speciem debemus accipere. Resp. hoc argumentum potiùs pro nobis facere: quia illi non eodem tempore & loco acceperunt manna & aquam de petra; sed aliquot diebus interjectis: manna enim datum est in deserto Sin, *Exod. 16.* aqua verò in Raphidim *Exodi 17.* Unde hæc erant figuræ Eucharistiæ sub una specie sumendæ; sicut & panes propositionis, quibus nullus mysticus potus erat adjunctus; & participatio sacrificiorum, quorum sola caro manducabatur, sanguis autem omniaque libamina effundebantur Deo, ut patet *Exodi 25.*

Objicitur V. Auctoritas quorumdam Patrum. Ex quibus tamen nihil aliud habetur, quàm usum calicis olim fuisse Laicis licitum, cùm necdùm esset ab Ecclesia interdictus.

Explicantur Patres. Explicatur Patres. Explicatur Gelasius.

cus. Quòd si subinde Patres videantur dicere (tamen apertè non dicunt) sanguinem esse necessariò sumendum, intelligunt ipsum Eucharistiæ Sacramentum, quod corpus & sanguinem continet, & indifferenter à Patribus exprimebatur modò nomine corporis, modò nomine sanguinis, eò quòd tunc sub utraque specie permitteretur. Vel intelligunt sanguinem sumendum, saltem cum corpore, in quo continetur. Quo sensu *Paschasius lib. de Corpore Domini c. 19.* dixit: *Nec Caro sine Sanguine, nec Sanguis sine carne jure communicatur*, q. d. illum non jure communicare, qui sentit unum sine altero accipi. Quo sensu idem *c. 17.* dixerat: *Non rectè caro Christi sine divinitate sumitur, nec divinitas sine carne præstatur.*

35. Signanter objici solet auctoritas *Gelasii* Papæ c. *Comperimus, de Consecrat. dist. 2.* ubi detestatur perceptionem Sacramenti sub una tantùm specie, & præcipit sumi sub utraque. Sed juxta *D. Thomam* & antiquas Glossas loquitur de sacrificantibus, & planè consonat titulus præfixus apud *Gratianum*, qui est; *Corpus Christi sine ejus sanguine Sacerdos non debet accipere.* Quadrat etiam ratio Pontificis: *quia divisio unius ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire*, utique in sacerdote sacrificante. Potuitque illa divisio à quibusdam Sacerdotibus tunc hæresi Manichæorum infectis usurpata fuisse. Si autem loquatur etiam de Laicis (ut Quidam volunt) arguit superstitionem quorumdam, qui more Manichæorum credentes Christum assumpsisse corpus sine sanguine, & vinum esse creaturam malam à principio malo creatam, abstinebant semper ab usu calicis. Et huic responsioni favet parenthesis: *Quoniam nescio, quâ superstitione docentur obstringi.* Quare hoc modo ad *Gelasium* respondet *Joannes Hesselius Tr. 2. de Communione sub unica specie cap 7.* At alii censent, *Gelasium* ibi simpliciter prohibere, sumi Eucharistiam sub una specie, scilicet panis; idque quia hoc prohibuerat *Leo* Papa *Gelasii* prædecessor ob hæresim *Manichæorum* & quorumdam aliorum, qui docebant Christum assumpsisse corpus phantasticum sine sanguine, ideoque contendebant Eucharistiam sine sanguine esse sumendam. Ita *Ruardus art. 15. circa initium*, & ex eo *Wiggers q. 80. art. 12.* Quod tamen hi Auctores id referunt inhibitum à Leone Papa in quodam Decreto & *Serm. 4. de quadrages.* non satis ostendunt, Decreti locum non citantes, & Sermonem citatum non rectè allegantes. In hoc enim non condit novum decretum, sed (ut patet ex contextu) pro signo quo deprehendantur Manichæi (qui vinum velut malam creaturam reprobabant) ut agniti pellantur, ponit, quòd *Christi Corpus accipiunt, Sanguinem autem haurire omnino declinant*, stabiliter scilicet & studiosè. Quàmvis alioquin Catholicis esset liberum & indifferens, abstinere à calice vel non. Qui credibiliter ex hoc fine deprehendendi Manichæos, exinde stabiliùs cœperunt uti calice, saltem ad tempus.

Objicitur VI. Fideles dum privantur unâ specie, privantur perfecto & integro convivio, & majori gratiâ per utramque speciem conferendâ; ergo Ecclesia non rectè usum calicis eis ademit. Resp. privari Laicos convivio perfectiori quoad rationem signorum sensibilium, non tamen quoad rem contentam: nec privari ullâ gratiâ necessariâ ad salutem. Et quàmvis (quod Plerique negant) major gratia per utramque speciem conferretur, potest tamen illud augmentum meliori præparatione aut frequentiori Communione compensari, ac illo non obstante species vini ob urgentes causas suprà memoratas inhiberi, sicut inhibetur secunda & tertia communio eodem die facienda, etsi amplioris gratiæ causativa. Verè tamen Communionem sub utraque specie majorem gratiam non conferre, cum communi Sententia ostendetur *disp. 7. qu. 3.*

QUÆSTIO IV.

De Præcepto Ecclesiastico sumendi Eucharistiam.

DICO I. *Concilium Lateranense* sub *Innocentio III.* (& refertur c. *Omnis utriusque sexûs, De pœnitentiis & remissionibus*) statuit, ut *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, saltem semel in anno confiteatur, suscipiens reverenter, ad minus in Paschа, Eucharistiæ Sacramentum; nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ.* Idem confirmat & definit *Tridentinum sess. 13. can. 9.* 36. *Semel in anno obligantur omnes, qui ad annos discretionis pervenerûnt, sumere Eucharistiam ex præcepto Ecclesiæ.*

Ubi adverte I. requiri, ut communicaturi pervenerint ad annos discretionis. Quod non ita est spectandum ex eorum ætate, quàm ingenii maturitate, & circa res fidei instructione, ita ut aliqui etiam anno decimo sint admittendi, aliqui vix decimoquarto ætatis. Non potest tamen de hoc statui certa regula, sed juxta Doctores communiter relinquitur judicio parentum, Parochi, vel prudentis Confessarii, qui poterit subinde Communionem ad unum alterumve annum suspendere, etsi judicetur puer ad annos discretionis pervenisse, ut crescat devotio & reverentia erga Sacramentum. Quàmvis peccent pueri determinationi parentum aut Confessarii resistentes; uti & ipsi parentes hac in re notabiliter negligentes. Declarat autem Ecclesiæ consuetudo pueros citiùs teneri ad annuam Confessionem, si peccaverint mortaliter, 37. *Quando parvuli sine censendi pervenisse ad annos discretionis quoad annuam Communionem.*

An citiùs quoad annuam Confessionem.

taliter, quàm Communionem: tum quia major est confessionis necessitas: tum quia major est mysterii Eucharistiæ intelligendi difficultas, & requisita in suscipiente reverentia.

38. *Quid per Pascha intelligatur.*

Adverte II. per Pascha intelligi tempus à Dominica Palmarum usque Dominicam in Albis inclusivè; ut patet ex praxi Ecclesiæ, & declaratione *Eugenii IV.* apud *Navarrum c.21.n.45.* Quod tempus in certis Ecclesiis recepta consuetudo longius, immo in aliquibus per totam Quadragesimam extendit.

Dilatio Communionis relinquitur rationabili arbitrio Parochi aut Confessarii.

Adverte III. per proprium Sacerdotem, ex cujus consilio possit differri Communio paschalis, intelligi non solum parochum vel superiorem, sed etiam quemlibet Confessarium, qui eo tempore potest Confessionem excipere: censetur enim ad hoc à propriis animarum pastoribus delegatus eo ipso, quòd potestatem acceperit Confessiones excipiendi: præsertim cum consilium differendi sæpè sumendum sit ex conscientia pœnitentis, quam parocho revelare non tenetur, v. g. quia confessio generalis est præmittenda, pœnitens ad perfectiorem dolorem est disponendus &c. Idemque recepta praxis declarat; idque singulariter circa Communionem parvulorum inchoandam, vel absolutè differendam. Et consonat quoad hos *Catechismus Romanus c. De Eucharist. numer.* 48. dicens: *hoc neminem melius constituere posse, quam Patrem, & Sacerdotem, cui illi confitentur peccata: ad illos enim pertinet explorare, & à pueris percunctari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint, & gustum habeant.*

Pœna non communicentium est ferenda sententiæ.

Adverte IV. pœnam, quæ in Jure apponitur, non esse latam, sed ferendam, etsi in quibusdam Ecclesiis imponatur pœna latæ sententiæ.

39. *Communio Paschalis est facienda in Parochia, nisi adsit consensus saltem præsumptus parochi.*

Adverte V. obligare hoc præceptum, ut Communio fiat in propria parochia; nisi adsit consensus, saltem rationabiliter præsumptus (qui etiam sufficit secundùm *Navarrum cap.21. num.* 52. *Rodriguez Tom. 1. qq. Reg. qu.56. art. 3. Aversa q.10. sect. 4. Bassæum in Supplem. V. Communio n.3.* & alios communiter, ut ait *Bassæus*) proprii Pastoris vel superioris ad alibi communicandum. Id patet, tum ex communi sensu Doctorum existimantium hanc circumstantiam etiam obligare sub mortali: tum ex usu Ecclesiæ; tum ex eo quòd Pontifices communionem illam in privilegiis Mendicantium tam constanter excipiant. Idem quoque declaratur in *II. Synodo Mechlinienſi Tit. de SS. Eucharistiæ Sacram. c.5.*

40. *Circumfertur privilegium quoddam Regularium.*

Solùm obstare videtur privilegium in contrarium tam expresè concessum à *Nicolao V.* Monasterio B. Mariæ de Guadalupe Ordinis S. Hieronymi, confirmatum à *Paulo III.* per vivæ vocis oraculum, ut testatur *Antonius Cardinalis* ejusdem Papæ Pœnitentiarius. Hoc autem privilegium, ubi & cetera omnia præfato monasterio concessa, *Pius IV.* & alii fecerunt communia tosi Ordini, ut ostendit *Rodriguez Tom. 1. q. 55. art. 9.* & *quæst. seq. art. 3.* adeoque communicatur reliquis Ordinibus Mendicantibus præfatum privilegium, utpote qui cum dicto Ordine in privilegiis communicant. Quare *Rodriguez* posteriori loco & nonnulli alii existimant præcepto Communionis Paschalis posse satisfieri in templis Mendicantium. Sed cùm privilegium istud à quibusdam vocetur in dubium, nec sit in usu apud Mendicantes; sit etiam summè odiosum pastoribus, qui ad minus semel in anno præsentiam suarum ovium meritò requirunt: ideo existimo in praxi (quidquid sit speculativè de validitate) ab illis planè abstinendum, omnibusque in parochia Communionem esse efficaciter persuadendam: præsertim cùm Congregatio Cardinalium nomine & auctoritate Urbani VIII. declarârit Boncompagno Archiepiscopo Neapolitano 20. Martii 1638. ad querelas ejusdem urbis Parochorum institutas contra Patres Theatinos & Societatis Jesu Communionem Paschalem in propria parochia omnino debere fieri.

Excipiuntur tamen ex consuetudine Sacerdotes, etiam sæculares, qui satisfaciunt, ubicumque celebrent: uti & Religiosi, etiam Laici, qui satisfaciunt in suis monasteriis. Idem est secundùm *Sanchez, Aversa, Diana* & alios de advenis & peregrinis, quamvis aliqui velint illis esse communicandum in parochia sui hospitii. Denique familiis sive familiaribus Religiosorum Mendicantium possunt iidem liberè administrare Communionem paschalem, sicut etiam Viaticum & Extremam-Unctionem, quando degunt intrà septa monasterii; ex privilegio Societati Jesu concesso à Paulo III. & aliis concessis Fratribus Minoribus apud *Rodriguez q. 56. art. 14.*

Petes I. An huic præcepto satisfiat per Communionem sacrilegam? Resp affirmativè cum Doctoribus communiter contra *Franciscum Sylvium* & quosdam alios. Ratio est: quia substantia præcepti habetur in manducatione sacramentali & religiosâ; modus autem extrinsecus, vel finis intentus, v.g. obtentio gratiæ, non cadit sub præceptum. Aliud est de sacrilega Confessione: cùm enim illa non sit sacramentalis, nec valida, non ponitur substantia præcepti. Unde si Confessio foret valida, etsi informis, satisfieret per eam: sicut satisfit præcepto Baptismi, etsi suscipiatur sacrilegè & cum obice.

Ex quo sequitur etiam satisfieri præcepto divino positivo & affirmativo communicandi per communionem sacrilegam; sicut præcepto affirmativo divino suscipiendi Baptismum satisfit per illius veram, etsi indignam,

dignam, susceptionem; qui proinde non posset iterari. Prout neque infirmus, qui ipsâ die mortis Viaticum sumpsisset cum obice, non deberet neque posset iteratò illud, esto à Christo præceptum, sumere.

43. Nec obstat, quòd jure divino præcipiatur communio in statu gratiæ sumenda; adeoque eadem præcipiatur jure Ecclesiastico, utpote determinante jus divinum ad certum tempus. Nam jus istud divinum est naturale & negativum, quo vetatur solùm indigna sumptio, uti susceptio indigna Baptismi: hîc autem solùm est quæstio de præcepto positivo affirmativo, quo præcipitur sumptio Eucharistiæ. Aliud namque jus manifestè constat non fuisse impletum, sed violatum. Neque Ecclesia illud determinat, utpote determinatione non indigens, sed obligans ad semper & pro semper: cùm nullo umquam tempore possit quis accedere indignè vi juris naturæ. Determinat itaque Ecclesia præceptum divinum affirmativum aliquando communicandi ad annuam communionem: quod verè impletur per sacrilegam.

Non obstat etiam, quòd Ecclesia cap. Omnis utriusque sexûs præcipiat Eucharistiam susci-

pi reverenter: ad reverentiam enim internam jure divino naturali requisitam, præsertim ad obtinendum Eucharistiæ effectum, tantùm hortatur: cùm non soleat aut non valeat actus merè internos præcipere, qui ad substantiam actûs externi, etiam quatenus est certæ speciei moralis, minimè sunt necessarii. Unde ad summum præcipit reverentiam externam; aut certè internam, quâ Christum recognoscimus præsentem: quæ etsi præcepta foret, potest cum insufficienti dispositione ad effectum Eucharistiæ, adeoque cum sacrilega Communione consistere.

44. Petes II. An qui ex malitia aut negligentia non communicavit in Paschate, teneatur adhuc quàm primùm communicare? Respondent Doctores passim affirmativè: quia præcipitur absolutè sumptio Eucharistiæ facienda semel in anno; & designatur tempus Paschæ, non ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandam, & non differendam diutiùs Communionem: alligatur autem isti tempori tanquam congruentiori ob venerationem festivitatis. Idque videtur colligi ex textu Canonis & *Tridentino* suprà definiente, fideles teneri singulis annis, saltem in Paschate, communicare. Quemadmodum igitur quando præcipitur annua solutio alicujus censûs, facienda in festo v. g. S. Joannis, non liberatur, qui istâ die solutionem non præstitit, sed lex fortiùs illum urget; ita contingere videtur in præcepto annuæ Communionis; ut proinde qui culpabiliter differt, semper sit in peccato, donec communicet. Idem videtur confirmare consuetudo Prælatorum & Parochorum, qui etiam per censuras Ecclesiasticas urgent ad quantociùs communicandum eos, qui in Paschate non communicarunt: quod signum est, eos non imponere novum præceptum, sed urgere observantiam præcepti neglecti. Estque indubiè hæc doctrina valde probabilis. Et in praxi omnino admonendi seu urgendi sunt fideles, ut Communionem neglectam statim suppleant; cùm id sit securissimum & saluberrimum, quidquid sit de rigoroso præcepto.

Judicium de eadem in ordine ad praxim.

45. Nihilominus *Rodriguez*, *Henriquez*, *Victoria*, *Soto*, *Valentia*, *Ledesma*, *Toletus* & plures alii apud *Diana* P. 3. *Tract.* 4. *Resol.* 41. docent eos qui culpabiliter in Paschate non communicarunt, esse isto anno liberos ab obligatione communicandi, existimantes, obligationem illam esse alligatam tempori, adeoque eo elapso expirare; prout cernitur in obligatione legendi horas, audiendi sacrum &c. cùm neque ex verbis legis, neque ex mente Ecclesiæ hactenus declaratâ amplius convincatur, & alioquin obligationes sint restringendæ. Quod autem Cardinalis *Lugo disp.* 16 *sect.* 4. asserit esse duplex Ecclesiæ præceptum, unum de annuè communicando, alterum de communicando tali parte anni, scilicet in Paschate, adeoque eum, qui communicaret extra tempus Paschale, satisfacere priori dumtaxat præcepto: hoc, inquam, gratis excogitatum est, nec satis consonum communi sensui: neque enim duplicis præcepti violati arguunt se, qui toto anno non communicant. Nec particula *saltem*, quâ utitur *Tridentinum*, id insinuat sufficienter; uti nec particula *ad minus*, quâ utitur *Concilium Lateranense*, cujus ordinationem solùm innovat *Concilium Tridentinum*. Nam solùm indicat, Ecclesiam quidem desiderare, ut fideles sæpiùs communicent, non tamen præcipere, nisi quòd communicent saltem in Paschate. Quod clariùs indicat tenor præcepti, prout etiam pueris in Catechismo proponitur: *Eucharistiam ad minus semel in anno, idque circa festum Paschæ sumito.* Simile foret, si Ecclesia hujus tenoris præceptum ferret: Ad minus semel in septimana, idque die Dominico missam audito. Sicut autem ibi non censeretur ferri duplex præceptum, unum pro hebdomada, & alterum pro die Dominico, sed unicum idque exspirans cum ipso die Dominico, sic etiam dicendum videtur in præsenti.

Sententia negativa præfertur.

46. Excipiunt tamen omnes casum, quo quis sine culpa distulit communionem ex consilio proprii Sacerdotis: talem enim obligari ad postea communicandum, constat apertè ex textu Canonis. Idem *Armilla* & plures alii applicant ad casum, quo communio ex justa causa vel impedimento est dilata: hic enim casui videtur priori æquivalens; cùm dilatio contigerit ex præsumpto consilio Confessarii. Videtur autem in Jure hoc solùm exprimi gratiâ exempli

Excipiuntur nonnulli casus.

ordinarii, quia nimirum causâ subsistente non solent fideles fidere proprio, sed Confessarii judicio. Unde mens & ratio legis est eadem ac generalis, quando justa causa & impedimentum adest: cùm etiam arbitrium Confessarii debeat in justa causa fundari. Aliàs quoque habens impedimentum se solo excusans, si ad securitatem expeteret arbitrium Confessarii, deberet postea ex lege communicare; non autem, si tacuisset: quod absonum apparet.

47. *Satisfit objectionibus.* Dices I. Ordinarii seu judices cogunt incurios communicare postea, idque sub pœnis & censuris. Resp. in primis, tales fortè sequi opinionem alteram. Deinde (quidquid de hoc sit) pœnas minantur ob delictum in omissa Communione patratum: cùm enim propterea mereantur pœnam, & Jus nullam latæ sententiæ apponat, Judices illam minantur se illaturos, non ob peccatum continuatum omissæ Communionis, quasi adhuc obligantis, sed ob peccatum præteritum; ob quod tamen non infligerent illam, nisi supposito, quòd nolint postea communicare. Deinde hoc ipsum possunt eis injungere per modum pœnæ, quòd communicent postea.

Dices II. Qui ex consilio proprii Sacerdotis seu Confessarii distulit communionem tenetur postea; ergo etiam qui ex incuria: ne alioquin malitia ei patrocinetur. Resp. Neg. C. quia prius in textu exprimitur; non posterius. Unde si simili modo loqueretur præceptum auditionis sacri diebus festis, deberet differens de consilio Confessarii supplere postea missam; non alter, qui omittit ex malitia. Nec hic reportat commodum ex malitia, sed magnum incommodum, scilicet offensam Dei & legis transgressionem; quam alter sic procedendo non transgreditur.

48. *Jure saltem Ecclesiastico obligantur fideles sumere Viaticum.* Dico II. Satis constat fideles obligari jure Ecclesiastico (quidquid sit de jure divino) ad sumendum Viaticum in mortis articulo. Probatur ex antiquissimis Conciliis. *Nicæno can.* 13. *Carthaginensi IV. can.* 77. & aliis, quæ cavent summoperè ne morientes discedant sine Viatico. Unde consuetudo hæc ita est recepta; ut sine gravi scandalo nequeat violari. Quod est signum gravis obligationis. Quam etiam agnoscit communis sensus Doctorum & fidelium. Quare hunc salutarem morem deferendi Eucharistiam ad infirmos, ut eis ministretur Viaticum, omnino retinendum esse, & necessarium, confirmat *Tridentinum sess.* 13. *c.* 6. Hinc non sunt audiendi *Sylvester V. Eucharistia* 3. *in principio*, *Caietanus V. Communio* (quorum opinionem *Emanuel Sa* putat probabilem) docentes, non esse mortale, si omittatur Communio in articulo mortis citra contemptum, ex quo moribundus impleverit Communionem paschalem.

Quòtumvis eodem anno in Paschate communicassent,

Qualiter sit computandus, Non est autem articulus mortis sic computandus, quasi Eucharistia debeat sumi immediatè ante mortem: sic enim executio hujus præcepti frequenter esset impossibilis: sed sufficit, quòd in gravi morbo, etsi pluribus diebus ante mortem, sumatur, quamtumvis ex devotione sedùm, sine memoria mortis aut hujus præcepti.

Sed petes, quid faciendum, si aliquis sanus existens communicaverit, & paulò pòst incidat in morbum, ex quo eodem die aut aliquo tempore postea moriatur? Respondetur communiter, non teneri talem rursus communicare eodem die (quod certum esse, *sam* ait *Wiggers q.* 80. *a.* 11.) immo nec posse: quamquam Nonnulli existiment saltem posse, immo aliqui etiam teneri, rursù communicare: tum quia est sensus & praxis communis: tum quia nulla est causa excusans à multiplici Cõmunione in una die: si enim foret aliqua causa, esset necessitas Viatici, cui jam est satisfactum: sicut si sanus occidendus eodem die communicasset. Quòd si uno aut altero die, imo sex vel octo diebus ante morbum communicaverit, consulenda omnino est iterata Communio; non est tamen præcepta juxta communiorem Doctorum sententiam. Ratio generalis est, quòd talis moraliter loquendo verè communicaverit constitutus in articulo seu propinquitate mortis, etsi ignoraverit se in illo constitutum: quòd non obest impletioni præcepti; ut patet in eo, qui ignorans esse diem festum, audit Sacrum. Itaque talis verè accepit Viaticum in articulo mortis: itemque satisfecit fini præcepti.

Ex dictis sequitur milites iturosve periculosum conflictum, item eos qui initurí sunt periculosam navigationem, similiter lethaliter vulneratos, & damnatos ad mortem, obligari ad communicandum. Unde etiam judex obligatur reo dare tempus disponendi se ad Communionem, ut patet ex *c. Super eo de Hæreticis in* 6. ubi *Alexander IV.* præcipit dari Eucharistiam Hæreticis traditis brachio sæculari, si sufficientia pœnitentiæ signa dederint. Idem antea constitutum fuerat *c. Quæsitum* 13. *q.* 2. etiam de iis, qui ob alia delicta erant extremo supplicio afficiendi. Illud ipsum in Motu proprio edito anno 1569. mandavit *Pius V.* tollens & prohibens morem contrarium. Denique conformiter ad prædictum Motum proprium hoc judicibus præcepit *Philippus II.* Hispaniarum Rex anno 1569.

QUÆSTIO V.

Qualis Dispositio requiratur ex parte corporis?

DICO I. Ad sumptionem hujus Sacramenti requiritur jejunium. Patet ex universali Ecclesiæ consuetudine, quam ab Apostolis manasse testatur *Augustinus Ep.* 118. *c.* 6. Ubi

118. c. 6. Ubi etiam ait: *Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi: & ideò per universum orbem mos ille servatur.* Eadem obligatio constat ex variis Conciliis *Carthaginensi III. c. 29. Constantiensi sess. 13.* & aliis. Quod autem in *Carthaginensi* permittitur, Eucharistiam sumi à non jejunis in die Cœnæ Domini, non est ab Ecclesia universali receptum, vel potiùs est contrariâ consuetudine dudum revocatum.

52. Requiritur autem certò ex praxi Ecclesiæ & sensu fidelium jejunium naturale; ita ut à media nocte usq; ad tempus Communionis nihil sumptum sit, quòd aliquâ ratione censeatur se habere & sumi per modum cibi vel potûs. Dico, *à media nocte*: quia etsi pro diversitate regionum vel etiam negotiorum dies variè censeatur inchoari; tamen communi Ecclesiæ sensu (quem exprimit *Rituale Romanum*) in hac materia censetur inchoari à media nocte. Unde si paulò ante mediam noctem quis aliquid sumpserit, posset statim post mediam noctem communicare, quàmvis non dormierit, nec cibum digesserit. Nihilominus devotio & reverentia Sacramento debita exigit, ut sacer ille cibus profano non misceatur. Ideoque etiam convenit, ut post sacram escam non statim sumatur profana, sed ut pietati vacetur, & species priùs consumantur; etsi de facto certum aliquod intervallum non fit præscriptum jure aliquo, quod adhuc sit in vigore.

53. Similiter congruum est, abstinere aliquantisper à sputis: quamquã mox posteaquam satis constiterit nullum in ore fragmentum remansisse, non sit illicitum spuere. Pariter nec illicitum est aromata ruminare ad sputa seu phlegmata provocanda. Species namque sacramentales, etsi adhuc indigestæ, in stomacho resident, sputum autem seu saliva ex capite in os defluit, juxtà Medicos, ipsumque *S. Gregorium Homil. 10. in Ezech. ante med* aut certè ex pulmonibus ascendit, non ex ventriculo, in quo cibus coquitur. Secùs tamen foret, si adhiberetur aliquid excitans vomitum. Is enim non nisi, postquam consumptæ fuerint species, potest provocari; regulariter loquendo. Quod addo ob casum, quo vomitus esset citiùs provocandus ad conservationem vitæ, v. g. si hostia aut vinum veneno fuissent infecta.

54. Si horologia sonent inæqualiter, putant Aliqui non posse illo die communicare aut celebrare eum, qui post duodecimam in uno loco auditam aliquid sumpsit. Sed communius censent Doctores, quòd possit sequi tardius horologium, quando non constat illud errare: eò quod illa horologia se habent instar opinionum probabilium, vel saltem (quoniam nimis facilè errant) quòd ex usu fidelium, & mente Ecclesiæ sint in simili materia mensura mediæ noctis, quam sequi nobis liceat, cum ex mensura naturali nobis nihil certi constare possit. Existimant autem plures Doctores mediam noctem computandam præcisè à puncto, quo incipit sonare horologium, immo (ut vult *Præpositus* & alii) à primo sonitu præludii. Quod licet mathematicè loquendo verum videri posset; nihilominus nonnulli Doctores putant probabile horam v. g. duodecimam moraliter durare usque ad ultimum sonum; adeoque interim comedentem vel bibentem posse postridie communicare.

55. Porrò illud habet se per modum cibi vel potûs, quod in stomacho digeritur sive alteratur. Illud autem sumitur per modum cibi aut potûs, quod sumitur per actionem quæ est comestio seu potatio, adeoq; ab extrinseco ori impositum per se sumitur, etsi causâ medicinæ, & in quantumcumq; parva quantitate. Quàmvis enim in jejunio Ecclesiastico parvitas materiæ cibi excuset à mortali, non tamen in hoc jejunio naturali: quia materia hujus præcepti non est abstinentia à cibo vel potu, sicut in jejunio Ecclesiastico; sed est abstinentia ab Eucharistia post cibum aut potum: quam graviter & meritò inhibere Ecclesia potest, uti abstinentiam à secunda vel tertia Cõmunione.

Quid se habeat, aut sumatur instar cibi & potûs.

Etsi minimum fuerit, mortale est postea communicare.

56. Hinc sequitur I. post modicum granum anisi, vel post unam aut alteram guttam voluntariè trajectam per os in stomachum, nõ licere sub mortali isto die communicare. Similiter Sacerdotẽ, qui in missa sumpsit ablutionem, non posse progredi ad ulteriorem missam celebrandã, prout etiam decernitur c. *Ex parte de Celebr. Missar.* Item qui ori imponunt saccharum, tabacũ vel quæcumq; aromata, si ex eis quidpiam deglutiant post mediam noctem: idque etsi vesperi imponantur ori ad curandam raucedinẽ, catarrhum &c. quia hæc omnia censentur sumpta per modum cibi aut potûs. Idem est de sumptione medicinarum sive ciborum medicinalium; ut habet sensus fidelium & Ecclesiæ, quem expressit *Paulus V. in Rituali Romano Tit. de Cõmunione infirmorum* dicens: *Ceteris fidelibus*, sanis videlicet, seu non infirmis ad mortem, *nec etiam per modũ medicinæ ante aliquid sumere licet.*

V. g. trajectum sit granũ anisi.

Aromata, tabacum.

Medicinæ.

Quòd si autem aromata vel tabacum in ore retineãtur, aut etiã masticentur, ad confortandũ caput vel humores phlegmaticos evacuandos, & non deglutiantur, saltem post mediam noctẽ, non nocebunt jejunio; quia id agere non est verè comedere. Quòd si aliquid cum saliva descendat, utì natum est fieri, cum impediri nequeat, quin descendat saliva prædictis infecta, non obest jejunio, ut notat *Tannerus disp. 5. q. 8. dub. 4.* Eò quòd non sumatur instar cibi, sed salivæ, & huic immixtum; sicut quod inter abluendum os, gustandum jusculum, salivæ immixtũ transit in stomachum. Est tamen valde fœdus & meritò per Ordinarios seu Ecclesiæ Prælatos extirpandus abusus quorumdam jugiter quasi,

quasi, etiam mox ante celebrationē Missæ, tabacum ore masticantium, sicque ore fœtenti Sanctissima Mysteria sumentium.

57. *Quid de reliquiis quæ inter dentes hærent,*

Item plerique docent de reliquiis intrà dentes relictis ex die præcedenti, eas non quidem violare jejunium, quando involuntariè, sed tunc saltem quando voluntariè deglutiuntur: quamvis contrarium non sit etiā improbabile, præsertim si reliquiæ non sint notabiles; quod docet *Tabiena* & novissimè *Arriaga d.44. n.12.* existimans alteram Sententiā nimis esse scrupulosam, neque Ecclesiam de hujusmodi reliquiis fuisse solicitam.

Quid de papyro,

De papyro, si deglutiatur, est quoque controversia, an solvat jejunium naturale: Variis negantibus (inter quos *Marchant To. 2. Tribun. Tract. 2 p. 2. Tit. 4. q. 2. in Examine quartæ dispositionis*) pluribus affirmantibus illam habere rationem cibi, quo nonnulla animalia vescuntur, ac digeri à stomacho instar herbæ, ex qua, uti filum lineum, originem ducit. De frusto ligni solidi, auri, plumbi, unguis, lanæ, ossiculi fructuum &c. quæ à stomacho etiam valido non digeruntur, sed inalterata egeruntur, censent Doctores passim, quod res hujusmodi deglutiendo non solvatur jejunium naturale. Aliud apparet de terra, quæ cibus est quorundam animalium, vel creta, aut crusta parietis, quam mulieres interdum sumunt, sive per modum cibi cum stultè imaginatâ voluptate, sive per modum medicinæ ad inducendum colorem pallidum.

De frusto plumbi &c.

58. *Quid de trajectione salivæ, sanguinis,*

Sequitur II. salivam, quæ in stomachum etiam voluntariè trajicitur, etsi fiat mox post oris ablutionem, non impedire communionem. Similiter nec sanguinem aliosque humores ex cerebro aut gingivâ in os aut stomachum defluentes: quia non sumuntur ab extrinseco per modum cibi aut potûs. Secùs est, si ex vulnere v. g. digiti sanguis sugatur & deglutiatur.

Aqua aut liquoris instar salivæ seu mixtim transeuntis.

Sequitur III. non impedire communionem, si quis dum os abluit, dum præguſtat cibos, vinū, &c. aliquid fortuitò transmittat: quia id non per modum cibi aut potûs, sed per modum salivæ censetur sumi. Quamvis secundùm Doctores debeat hoc fieri in parva quantitate; aliàs impediret: tunc enim non censeretur transire per modum salivæ. *Præpositio* tamen *q. 80. n. 40.* non videtur magnus faciendus scrupulus, quàmvis paulò major quantitas casu transmittatur. Quod equidem non facilè admiserim.

Musca v. g. respiratione attracta, quæ expui nequeat, non obest jejunio naturali,

Sequitur IV. non impedire communionem, quòd cum aëre, qui inspiratur, aliquid casu transmittatur in stomachum, v.g. musca, aliquæ guttæ pluviæ vel pulveres: quia non attrahuntur per modum comestionis, sed respirationis.

59. *Dubius de jejunio an possit cōmunicare.*

Quid autem faciendum sit dubitanti, utrùm sit jejunus, controvertunt Doctores. Nam *Sanchez* & plures alii existimant non posse communicare, eò quòd possessio videatur esse pro præcepto. At *Lugo d. 15. n. 42.* censet posse communicare, si dubitet, an noctu aliquid comederit seu deglutierit; non autem, si certus se comedisse, dubitet, utrùm post mediam noctem. Sed hanc distinctionem impugnat *Dicastillo disp. 9. dub. 17. quæst. 4.* Cum quo & pluribus aliis verius dici videtur, licitum esse communicare, sive sit dubium de comestione, sive de tempore. Potest enim talis censeri possidere suam libertatem: cùm enim jus habuerit v. g. cras communicandi, non potest dubium superveniens jus seu possessionem juris præcedentem evertere.

Quare si petenti Communionem opponatur, eum non esse jejunum, id est, ipsum hodie comedisse vel bibisse, potest is negare, & opponenti incumbit onus probandi, qui non poterit probare contra dubitantem, sive de comestione, sive de comestionis tempore, quòd is hodie comederit; adeoque hic manet in possessione contra legem, quæ mandat, ne communicet ille, qui, ipsâ die cibum vel potum sumpserit.

Dices I. Præceptum est sumendi Eucharistiam jejunè; adeoque qui, sic dubius eam sumit, dubitat, an præcepto adversetur. Resp. dubitare ad summum speculativè, non practicè; utpote munitum possessione, vi cujus practice judicat, quòd, quidquid sit de veritate dubii jejunii, non sit adstringendus præcepto arcenti à Communione. Sicut etsi sit Lex naturæ vetans usum seu retentionem rei alienæ, potest tamen eam licitè usurpare seu retinere, ob antecedentem possessionem, cui nocere nequit dubium impedimentum superveniens.

Dices II. Qualitas non præsumitur, nisi probetur; ut tradunt Jurisperiti: ideoque dubius de ætate ad Ordinationem requisitâ non potest ordinari, sed debet positivè probare suam qualitatem seu ætatē legitimam: ergo in præsenti debet communicans probare se esse jejunum. Resp. quòd dum agitur de jure possesso amittendo, uti in præsenti fit, præsumatur qualitas debita, nisi ostendatur amissa: quamvis dum agitur de jure obtinendo, deberet qualitas ad id obtinendū requisita ostendi, maximè si sit positiva, prout fit in casu, quo quis prætendit Ordines susciperē, de cujus ætate dubitatur.

Aliter, seu aliis saltem verbis responderi posset, qualitatem negativam, qualis est in præsenti, non debere probari, sed potiùs præsumi. Aut si probanda esset, certè non nisi modo negativo, puta; per hoc, quòd non constet de contrario. Aliud est de qualitate positiva, v.g. ætatis jure requisitæ ad Ordines. Et maximè de tali, quæ supposita tribuat jus ad functionem aliquam, v.g. ad visitandum, puniendum &c. Hinc si pro dote puellæ consanguineæ relicta sit dos, dummodo ipsa non sit inhonesta; debet quidem positivè ostendi consanguinitas, at abstinen-

ta ab inhonestate satis probatur, dum non potest ostendi opposita inhonestas.

Conciliorum gratiam.

Hinc in praxi frequenter pacari possunt conscientiæ volentium communicare, ac dubitantium, an os abluendo, aquam deglutierint aliter seu ampliùs, quàm per modum salivæ. Resolvendum enim est in favorem eorumdem, juxta præmissa.

61. *Quo casu infirmus in articulo mortis possit non jejunus communicare.*

Excipiuntur à Conclusione nonnulli casus. Nam in primis infirmus constitutus in articulo mortis, si aliter commodè nequeat (in quo scrupulosè non est procedendum) potest communicare non jejunus: tunc enim urget præceptum communicandi, cui cedere debere aliud de jejunio naturali, docet praxis Ecclesiæ, & *Concilium Constantiense sess.* 13. Unde non tenetur infirmus communionem differre cum notabili incommodo in sequentem diem, ut tunc possit jejunus communicare: nec etiam cum incommodo differre sumptionem medicinæ aut cibi, vel curare, ut Eucharistia ad se deferatur noctu, ut notant *Suarez* & alii: & satis docet praxis, quæ est optima legum interpres. Consonatque absolutus loquendi modus *Ritualis Romani Tit. de Commun. infirmorum*; ibi: *Potest Viaticum brevi morituris dari non jejunis.* Quod etiam de interficiendis verum est, quando non possunt commodè expectare, ut postero die jejuni Communionem sumant. Neque obligatur judex executionem sententiæ differre, ad hoc ut reus postridie jejunus communicare possit.

Quin potiùs reus ad hanc metam necessitatis adactus fit exemptus à lege non communicandi non jejunè, utpote obligatus lege fortiùs obligante de sumendo Viatico.

62. *An infirmus in eadem infirmitate non jejunus communicare possit.*

Sed dubitatur, an infirmus possit sæpiùs in eadem infirmitate non jejunus Eucharistiam sumere? Respondetur autem, si mutetur status morbi, ita ut prius periculum mortis, in quo communicavit, moraliter evaserit, poterit in altero periculo superveniente, etsi postridie, iterum communicare non jejunus: tunc enim censeri potest periditari velut ex alio morbo. Ita plerique Doctores. Immo etsi sit idem status morbi, valde probabile est & tutum in praxi, posse infirmum durante periculo mortis sæpiùs communicare non jejunum, v.g. post octo vel decem dies; immo juxta alios etiam longè citiùs & sæpiùs, præsertim quando infirmus est assuetus frequentiùs communicare. Ita contra *Vasquez* tenent Recentiores passim: nam (quidquid olim fuerit) hodie viget passim ea consuetudo, præsertim inter Regulares, per tot doctissimos & sanctissimos viros publicè approbata, sciente nec contradicente Ecclesiâ, à cujus usu hæc facultas vim suam habet circa infirmos, ut patet ex *Concilio Constantiensi citato*. Et quàmvis non teneatur tunc infirmus iteratò ad Viaticum; non videtur tamen Ecclesia illud velle subtrahere in extrema juncta constitutis.

63. *Secùs est de sacerdote ad communicandum infirmum celebrante, vti nec eidem licet ob id celebrare sine sacris vestibus.*

Dices: Sacerdos non jejunus nequit celebrare ad communicandum infirmum alioquin sine Viatico moriturum; ut habet communis sententia Doctorum contra *Joannem Majorem*, & paucos Recentiores, & probat praxis Ecclesiæ: ergo neque potest moribundus non jejunus communicare. Resp. Neg. Cons. quia Ecclesia hoc privilegium concedit infirmo, non verò Sacerdoti. Sicut certum est Sacerdoti non licere celebrare sine sacris vestibus, nec juxta Doctores communissimè in fermentato (quidquid consequenter censuerit *Joannes Major* id licere) ad hoc ut infirmus præceptum fortè divinum adimpleat, à quo proinde censebitur excusatus, eò quòd nullus sit, qui ritè administret juxta legem Ecclesiæ, ob reverentiam Sacramenti aliasque graves causas sancitam.

64. *Excusat à jejunio Sacramenti reverentia.*

Secundus casus est, quando hoc postulat reverentia Sacramenti: ut si sit periculum irrogandæ irreverentiæ ab infidelibus, hæreticis, animalibus, igne &c. Ita communiter Doctores.

Necessitas sacrificii perficiendi aut consummandi.

Tertius casus est, quando occurrit necessitas perficiendi aut consummandi sacrificium. Ut in primis si Sacerdos sumpto calice advertat esse aquam, debet iterum consecrare vinum & sumere. Ubi notandum, Sacerdotem dum sumit calicem & gustat aquam, non debere expuere quod jam habet in ore: id enim indecens est. Secundò, si facta consecratione meminerit se non jejunum. Cujus si recordetur ante consecrationem, & privatim celebret, ita ut sine infamia & scandalo possit desistere, tutius est quòd desistat, juxta *D. Thomam q.* 83. *a.* 6. *ad* 2. Immo quòd absolutè desistere debeat, docent Doctores passim. Qui tamen addunt, debere progredi, si celebret publicè; ita ut ab altari sine gravi nota discedere non posset. Quod simili casu etiam locum habet in Laico, qui existens in scamno communicantium recordaretur se non esse jejunum. Tertiò, si post factam consecrationem, etiam unius tantùm speciei, deficiat Sacerdos: tunc enim alius debet sacrificium perficere etiam non jejunus, si non adesset jejunus, ut declaratur in *Concilio Toletano VII. can.* 1. Gravius enim est, sacrificium manere imperfectum, quàm Eucharistiam sumi à non jejuno.

Quid si sacerdos ante consecrationem recordetur se non jejunum.

Aut deficiat post consecrationem unius tantùm speciei.

65. *Vel post sumptam ablutionem advertat particulas à se tunc consecratas*

Quartus casus est, si Sacerdos sumptâ ablutione, quamdiu est in altari, advertat aliquas particulas suæ primariæ hostiæ vel etiam aliarum à se tunc consecratarum, potest eas sumere: sumptio enim illarum spectat ad complementum ejusdem sacrificii, & conflat cum aliis moraliter unam actionem sacramentalem, in cujus initio servatum est jejunium naturale: neque enim est necessarium, immo nec

possibile, ut Sacerdos omnes omnino species sumat, antequam deguſtet alium potum: quia ante primam ablutionem nec potest ultimam guttam sanguinis ex calice haurire, nec in sumenda ablutione facere, ut restantes guttæ sanguinis priùs deglutiantur, quàm vinum. Unde improbanda est anxia quorumdam in elambenda quasi ultima sanguinis guttâ cum nausea adstantium solicitudo: quibus potiùs curæ esse deberet honestas in evacuando calice; cùm longè minùs referat, quòd paulò plures fortasse sanguinis guttæ remanentes ablutionis vino misceantur. Sic etiam Sacerdos, si pars hostiæ in calicem immissa in eo post sanguinis sumptionem remaneat, potest curare infundi ablutionem in calicem, & illam partem simul cum ablutione sumere. Similiter, si dum Laicus communicat, adhæreat hostia palato illius, potest sumpto vino transmittere, quamquam moraliter loquendo aliquid vini priùs deglutiatur. Quemadmodum etiam, si infirmus non possit cibos transmittere, potest ei dari parva hostiæ particula simul cum vino imposita cochleari deglutienda.

66. *Dixi, quamdiu est in altari.*

Dixi, *quamdiu est in altari*, etiamsi diu interruperit actionem sacrificii distribuendo communionem, aut etiam legerit orationes post Communionem. Quando tamen recessit ab altari, censetur ministerium suum expleviſſe, & consequenter non posset hoc titulo sumere, sed deberet se gerere, sicut cum aliis quæ in hoc sacrificio non essent consecratæ; ut docent communiter Doctores: etsi nonnulli extendant etiam ad Sacerdotem qui pervenit ad sacristiam, quamdiu saltem indutus adhuc est vestibus sacris.

Quid si ab hoc recesserit.

Vel particulæ sint alio tempore à se consecratæ.

Dixi etiam, *particulas suæ principalis hostiæ vel aliarum*: nam reliquiæ alio tempore consecratæ cùm non spectent ad completionem hujus convivii & sacrificii, debent asservari, si commodè fieri potest, juxta Doctores communiter contra quemdam *Philibertum Marchinum*. Si tamen id commodè fieri nequeat, debent ob reverentiam Sacramenti sumi etiam extra altare. Quemadmodum quoque inventæ reliquiæ, de quibus dubitatur, an sint consecratæ, possunt sumi post sumptionem calicis vel post ablutionem.

Corollarium practicum.

Pro praxi notat *Diana P. 3. Tract. 4. resol. 45.* si similes reliquiæ consecratæ inveniantur in Ecclesia ubi non est celebranda alia missa, nec asservatur Eucharistia, posse & debere sumi à Sacerdote non jejuno, etiam post absolutum sacrum.

Ex his patet, quòd dum ciborium est purgandum, particulæ sint sumendæ ante ablutionem, quantùm fieri potest: quæ autem ob parvitatem aliàs non possunt antè sumi, possunt sumi cum vino aut aquâ missâ in ciborium.

DICO II. Nulla alia dispositio ex parte corporis graviter obligans requiritur, utpote nullo jure præscripta. Quod enim *Concilium Bracarense III. c. 3.* (& refertur c. *Ecclesiastica dist. 23*) præcipit, ut Sacerdos etiam laicaliter communicans *non aliter accedat quàm oranto* seu stolâ *utroque humero circumseptus*; *alioquin excommunicationi debitæ subjaceat*, non est in usu: ut testatur *Azorius* & plures alii apud *Diana P. 1. Tract. 14. de Celebr. missar. resol. 20.* sic saltem ut ampliùs non obliget. Similiter etsi olim præceptum aliquod fuisset (quod opinatur *Vasquez*) ut polluti & feminæ tempore menstruorum, & qui habuissent copulam conjugalem, abstinerent certo tempore à Communione; illud tamen ampliùs non vigere fatentur Doctores.

Cavendum tamen est in infirmis periculum vomitûs, de quo si dubitetur, poterit Sacerdos resolvere juxta judicium medicorum, vel ex qualitate & interpolatione v. g. tussis &c. ipse judicium ferre, ut pro majori cautela tentare priùs dando hostiam non consecratam. Alioquin semper *id diligenter curandum est, ne* etiam Viaticum *instribuatur à quibus ob phrenesim vel continuam tussim aliumve similem morbum aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri potest*; ut ait *Paulus V. in Rit. Romano Tit. de Commun. Infirmorum.*

Insuper ex condecenti, & subinde juxta multos sub veniali requiritur, quòd non præcesserit pollutio, maximè culpabilis, etsi culpa fuerit per confessionem deleta, quando relinquit alterationes corporis, & distractiones animi, ac hebetudinem quamdam mentis. Reverentia enim Sacramenti postulat corpus & animum ab iis liberum. Quòd si tamen rationabilis causa suaderet, posset licitè & decenter communicari, modò pro viribus voluntas illis motibus & distractionibus repugnet. Unde conjugibus sequenti die communicaturis, dissuadenda est petitio debiti conjugalis, nisi rationabilis causa præter voluptatem intercedat: quia talis actus, præsertim causâ voluptatis adhibitus, nimiam alterationem corporis & circa spiritualia distractionem solet post se relinquere. Redditio debiti, quæ subterfugi non poterat, facilè purgatur, etiam quoad congruentiam, singulari Communionis affectu. Cæterum in his arbitretur prudens Confessarius, prout secundum Sacramenti reverentiam & animarum serium profectum viderit expedire. Uti sæpè in piis hominibus non expedit differri Communionem titulo pollutionis nocturnæ involuntariæ.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Qualis dispositio requiratur ex parte animæ?

DICO I. Ad sumptionem hujus Sacramenti requiritur status gratiæ. Ita contra *Lutheranos* tradunt omnes Catholici, & *Tridentinum sess. 13. c. 7. & can. 11.* Idque probat ex Apostolo 1. *ad Cor. 11. Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Unde *Chrysostomus homiliâ 3. in Ep. ad Ephes.* ait: *Regem quidem nolles ore tuo fœtido adosculari: Regem verò cœli animâ graveolenti oscularis.* Et *Clemens Romanus l. 7. constit. Apostolic. c. 27. in fine: Si quis* (inquit) *sanctius est, accedat: si quis non est, cuiquam, ut fiat per pœnitentiam.* Quæ formula paucis verbis mutatis invenitur in omnibus antiquis Liturgiis, in quibus ante communionem fideles præmonebantur his verbis: *Sancta sanctis.* Quæ non tantùm esse dicta ad excludendos Catechumenos (ut respondent Hæretici) patet satis ex verbis *Clementis*, & ex eo quòd Catechumeni jam antè exclusi essent ante oblationem sacrificii & consecrationem. Ceteros Patres vide apud *Bellarm. l. 4. de Euchar. c. 18.* & alios. Ratio est, quòd Eucharistia sit Sacramentum vivorum, adeòque supponat vitam animæ sive statum gratiæ.

Ex quo constat statum gratiæ esse necessarium etiam ad consequendum Eucharistiæ effectum; prout est necessarius in ceteris Sacramentis vivorum, & significat Apostolus loco citato. Nihilominus per accidens potest aliquando conferre primam gratiam, quando quis attritus accederet bonâ fide existimans se ritè dispositum, ut diximus *Tract. 11. Disp. IV. Quæst. 1.*

Porrò peccatum indignæ sumptionis Eucharistiæ videtur per se loquendo esse gravius omnibus, quæ fiunt circa aut contra puras creaturas, vel in usu aliorum Sacramentorum, ut docet *D. Thomas*, & quidem est eò gravius, quò cum pluribus & gravioribus peccatis accedatur. Quàmvis nulli periculosiùs hoc Sacramentum contingant, ceteris paribus, quàm luxuriosi & incestuosi, ut loquitur *Paschasius l. De corp. & sang. Christi c. 22.* eò quòd peccatum illud singulariter puritati hujus Sacramenti adversetur, & fervorem devotionis impediat, carni spiritum subjiciendo.

Ad gravitatem hujus peccati pensandam quoque facit, quòd ob hoc Deus frequenter graves pœnas in præsenti vita intentet. Quâ de re exempla refert *Cyprianus Serm. de Lapsis* & alii. Ipseque Apostolus 1. *ad Cor. 11.* idem testatur dicens: *Ideo*, id est, ob peccatum indignæ sumptionis, *inter vos multi infirmi & imbecilles*, per morbos scilicet corporales, *& dormiunt multi*, id est, præmaturè moriuntur seu mortui sunt; ut Patres & Expositores interpretantur.

DICO II. Conscius peccati mortalis tenetur Communioni præmittere Confessionem sacramentalem, quando fieri potest. Patet ex *Tridentino sess. 13. c. 7. Communicare volenti* (inquit) *revocandum est in memoriam ejus præceptum: Probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.* Idem repetit *can. 11.* In eadem veritate unanimiter conveniunt Doctores. Excepto ferè *Caietano*; cujus Commentarius jussu *Pii V.* est expunctus. Neque enim *Tridentinum* imponit recens præceptum, sed præexistens potiùs declarat & confirmat. Congruentiam *assignat Scotus dist. 9. n. 3.* quia non tantùm debet reconciliari Deo, sed etiam Ecclesiæ, ut quis dignè recipiat Sacramentum Ecclesiæ unitatis. 71. *Conscius peccati mortalis tenetur præmittere Confessionem.*

Advertendum tamen doctrinam contrariam non fuisse à *Tridentino* hæresis damnatam, Unde plerique (teste *Palavicino l. 12. Hist. Trid. c. 2. n. 12.*) arbitrati sunt antecedentem confessionem ita esse necessariam, ut tamen opinio contraria notam hæresis haud acciperet. Ideoque *can. 11.* non dicitur anathema juxta morem solitum; sed: *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* *Etsi non sit definitum tamquam articulus fidei.*

Porrò præceptum hoc non est juris naturalis: quandoquidem ex jure naturæ sufficeret status gratiæ, qui per contritionem potest obtineri. Doctores tamen magis communiter existimant esse juris divini, illudque ad Ecclesia tantùm declarari. Quare Ecclesia numquam in hoc præcepto legitur dispensasse in circumstantiis, in quibus reverà obligabat. Apostolus etiam dicendo: *Probet se ipsum homo*, non tam præceptum statuit, quàm statutum à Christo promulgat; ut universaliter præmiserat dicens: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Maximè, quia alioquin solum tuliisset præceptum Corinthiis, quibus scribebat; cùm tamen Ecclesia in illis verbis agnoscat præceptum universale, utique à Christo traditum, & à Paulo promulgatum. 72. *Iuxta communem sententiam ex præcepto positivo Christi.*

Non est tamen improbabile (inquit *Lessius q. 80. a. 4. dub. 1.*) hoc præceptum esse dumtaxat Apostolicum, sicut præceptum de Eucharistia à jejunis sumendâ: quod tenet *Navarrus de Pœnitentia dist. 5. in principio*, *Joannes Medina Cod.* de Confessione & multi alii. *Coninck q. 8. a. 4. dub. 1. in fine* censet utramque sententiam esse satis probabilem, neutram verò habere rationes convincentes. 73. *Quamvis non sit improbabile, esse id jure tantùm Ecclesiastico.*

Favet huic secundæ opinioni, partim quòd non satìs ostendatur lex divina, adeòque non videatur asserenda: partim quòd Præsbyteri Græci, ab antiquo non soleant confessionem præmittere celebrationi Missæ potiùs, quàm ministerio aliorum Sacramentorum. De quo Ecclesia Latina numquam eos legitur reprehendisse. Immo cùm in *Concilio Florentino* desuper fuissent interrogati ab *Eugenio IV.* Episcopus Mitilinensis legitimè satisfecisse dicitur in fine Concilii.

Quod suadetur.

74. *Verba Tridentini discutiuntur.*

Præterea dum *Tridentinum* suprà dicit *revocandum esse in memoriam ejus præceptum*; ly *ejus* non refertur ad Christum, sed ad ipsum Apostolum, ut docet contextus. Neque is solùm tradit ibi quæ acceperat à Domino, sed etiam nonnulla ipse disponit, alia adhuc reservans, cùm ait: *Cetera autem, cùm venero, disponam.* Tradit itaque accepta à Domino, ea scilicet quæ Sacramenti institutionem concernunt. Quæ namque modum seu ritum suscipiendi concernunt, potiùs Ecclesiæ suæ Dominus reliquit, ut inductione declarari posset. Nihilominus præceptum istud universa Ecclesia, scilicet Latina saltem, acceptavit. Potuit etiam Apostolus Paulus, vel alii Apostoli, pollentes potestate universali, veluti legati Dei extraordinarii, præceptum hoc aliis Ecclesiis præscripsisse. Quod saltem subesse Ecclesiastica consuetudo declarat. Non ita tamen declarat, quin illud ipsum Ecclesia quoque statuat & decernat. Unde *Trid. suprà* subjungit: *Quod à Christianis omnibus ..... hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit.* Et *can.* 11. ait: *Statuit atque declarat ipsa sancta Synodus ..... necessariò præmittendam esse Confessionem Sacramentalem.* Quod denique Ecclesia numquam legatur dispensasse, parum urget, eò quòd non sit seu non occurrat dispensandi occasio; sed dum subest necessitas, præceptum cessat per se. Deinde quo casu, quam ob causam recurreret quis in materia adeò secreta, ad Pontificem v. g. pro dispensatione?

Hinc satìs apparet sententiam priorem, hodie communiter receptam, ex hactenus ab Ecclesia declaratis non satìs patere: quæ proinde solùm intrà terminos opinionis probabilioris continetur, juxta Doctores passim, ipsumque *Arriaga d.* 46. *n.* 10. etsi *n.* 8. eam vocet veritatem, & in nota marginali appelletur certa.

75. *An peccatum oblitù in confessione jam ritè institutâ, teneatur quis confiteri ante Communionem? Resp. Affirmativè.*

Petes, An qui post Confessionem sacramentalem ritè factam recordatur alicujus peccati mortalis per oblivionem omissi, teneatur per se loquendo seu regulariter illud confiteri priusquam communicet? Resp. Affirm. eò quòd hoc præceptum sic declaret communis sensus Theologorum, & consuetudo fidelium. Consonat etiam *Tridentinum sup. c.* 7. universaliter procedens: *Nullus* (inquit) *sibi conscius peccati mortalis*, scilicet non confessi, *quantumvis sibi contritus videatur*, adeòque etiamsi peccatum coram Deo remissum sit, *absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Alias quoque possent tales non solùm primâ vice, sed toties, quoties volunt, sine prævia confessione communicare, donec nempe incidant in novum mortale: hoc autem planè repugnat communi sensui fidelium.

Dices: *Tridentinum* agit de confessione peccati mortalis post ultimam confessionem commissi seu ne quidem indirectè absoluti; quem vult non posse communicare sine prævia confessione, *ne tantùm Sacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur*, ut loquitur *can.* 11. adeòque ob majorem securitatem status gratiæ, quæ habetur æqualiter per directam & per indirectam absolutionem, quæque manet usque ad commissionem novi peccati mortalis. Resp. Ecclesiam sive potiùs Christum potuisse quidem præceptum hoc modo dedisse, idque consonè ad finem ipsius præcepti: juxta tenorem tamen ejusdem & communissimum intellectum, amplius de facto exegisse, utì sanè exigere potuit, scilicet, quòd communioni præmitteretur confessio toties quoties subest materia necessaria confessionis, qualis est peccatum mortale non directè absolutum: cui subjectus, verè conscius sibi est peccati mortalis, & obligatus lege Confessionis, implendâque ante Communionem. Secluso equidem sensu communi, non video, quid efficaciter oppositam doctriam falsitatis convincat: quam docuisse quosdam Recentiores refert *Kellisonius q.* 80. *a.* 5 *dub.* 2. & tamquam probabilem admittit Petrus Corneio, apud *Arriaga q.* 8. *sect.* 6. Denique *Arriaga disp.* 46. *sect.* 1. *subsect.* 2. censet esse valde probabilem standō rationi, sive speculativè loquendo esse probabilem, concludens tamen standum esse communi: quam alii tamquam certam seu sine oppositæ probabilitate tradunt. Ego verò non censeo censurandum, quod non censurat S. Mater Ecclesia.

Hoc equidem addendum communi doctrinæ, quòd in casu, quo sic indirectè absolutus non posset iterum confiteri ante Communionem, non sit quoque obligatio eliciendi contritionem de eo peccato, quod jam supponitur remissum, nec per contritionem fieret subjectum clavibus Ecclesiæ. Unde Sacerdos, qui Sacro inchoato recordatur peccati in confessione oblivi, sed indirectè absoluti, non tenetur conteri, sed potest pergere, dum non potest confiteri: si verò recordetur peccati post confessionem commissi, tenetur indubiè in casu simili conteri; consultò quidem statim, necessariò autem ante consecrationem. Quòd si demum recordetur consecratione peractâ, tenetur saltem conteri ante sumptionem. Ad alia verò ceremonialia Missæ non adeò requiritur status gratiæ.

Disi

78. Dixi in Conclusione, præmittendam esse Confessionem sacramentalem *quando fieri potest*: si enim fit communicandi necessitas, & desit copia Confessarii, potest accedi ad Communionem cum sola contritione, ut patet ex *Trid. suprà*, & consuetudine Ecclesiæ.

Necessitas communicandi censetur esse primò in articulo mortis, quando quis alioquin esset dicessurus sine Viatico. Secundò, quando Sacerdos tenetur ex officio celebrare, nec potest hoc facere per alium. Similiter quando opus est celebratione ad consecrandam hostiam pro Communione moribundi, sive Sacerdos teneatur ratione officii, sive non. Tertiò, quando sine scandalo aut infamiâ non potest celebratio aut Communio omitti; ut si Sacerdos incepisset publicè se vestire, vel si laicus accessisset ad scamnum communicantium, nec posset absque nota recedere. Secùs est, si tantùm detur occasio cujusdam admirationis. Vide *Scotum dist. 9. qu. un. n. 3.* ubi addit aliud exemplum, quando scilicet consuetudo est in aliqua Religione vel Ecclesiâ, ut omnes non Sacerdotes pariter publicè communicent: tunc enim si quis cùm debet communicare, non habet idoneum Confessorem ad manum (quod faciliùs in Monialibus inclusis contingere posset: circa quas tamen oporteret diligentius curare, ut à frequentioribus Communionibus liceat, nunc his, nunc illis, absque graviori nota abstinere) potest juxta *Scotum* non confessus communicare, non obstante remorsu peccati tunc incidentis, de quo tamen sit contritus aut indirectè absolutus; scilicet ad vitandum scandalum sive infamiam. Quartò, quando Sacerdos Missâ inchoatâ recordatur peccati mortalis non confessi, vel etiam mortaliter peccat, non tenetur Missam inchoatam relinquere, nec Confessarium ad se vocare, etiamsi posset sine nota, si tantùm recordetur, aut peccet post consecrationem, juxta *Suarez*, *Coninck*, *Præpositum* & plures alios: eò quòd nimis indecens sit sacrificium post consecrationem interrumpere. Idem docet *Sotus*, *Henriquez* & alii, & probabilè censet *Diana*, etsi Missa tantùm sit inchoata, vel statim post introitum. Et quidem plerumque contingit, non posse convenienter confiteri Sacerdotem ex quo accessit ad altare. Interdum tamen posset esse opportunitas sine nota confitendi. Nec tunc video causam excusantem: quantumvis (quod non est natum fieri) opportunitas solùm contingeret jam factâ consecratione.

Idem in similibus casibus locum habet in Laico, quod nimirum conscius peccati mortalis possit in illis communicare, elicitâ saltem contritione.

79. Quòd si non sit aliqua necessitas, sed tantùm singularis devotio ad communicandum, vel celebritas festi, vel indulgentia, non est licitum communicare sine prævia Confessione: quia *Tridentinum* requirit necessitatem. Et meritò: quia obligatio juris, præsertim divini, vel adeò notabilis, non tam facilè cessat. *An sufficiat singularis devotio erga Communionem.*

Unde etiam conscio peccati mortalis verosimiliùs non est licitum celebrare aut communicare sine prævia confessione ad præceptum annuæ Communionis implendum: quia talis nullam patitur necessitatem, cùm obligatio annuæ Communionis cessaret ob concursum præcepti divini incompossibilis. Ita *Præpositus*, *Suarez* & plures alii: quàmvis non pauci aliter censeant. *An excusetur præceptum annuæ Communionis.*

Ob eamdem rationem non potest ejusmodi Sacerdos celebrare, nisi ratione officii obligetur, ut ipse aut alius audiat Sacrum in die festo, juxta Doctores communiùs: etsi contrarium non sit improbabile, præsertim si Sacerdos alioquin diebus festis diu maneret sine Sacro, vel similiter notabilis multitudo populi careret Sacro in die festo. Faciliùs autem contrarium hujus & præcedentis Corollarii sustineretur, dicendo cum Variis Confessionem ex solo Ecclesiæ præcepto esse præmittendam Communioni. *An obligatio audiendi missam die festo.*

80. Censetur porrò non adesse copia Confessarii (quod etiam *Tridentinum* requirit) primò, quando absolutè deest, qui posset Confessionem audire. Secundò, quando nullus adest, cui posset pœnitens confiteri sine interprete. Tertiò, quando non potest confiteri Confessario præsenti sine gravi periculo infamiæ, damni, pertractionis ad peccatum, revelationis peccati confessi &c. tunc enim si aliquid horum habeat locum respectu omnium mortalium, censetur absolutè deesse Confessarius; si verò solùm habeat locum respectu unius vel alterius, tenetur illis omissis confiteri cetera, respectu quorum non censetur Confessarius deesse. Ita communiter Doctores. Quid autem faciendum sit Sacerdoti habenti casum reservatum, si non adsit Confessarius habens potestatem super reservata, & tamen sit necessitas celebrandi, dicetur *in Tract. de Sacramento Pœnitentiæ*. *Quando censeatur deesse copia Confessarii.*

Quantùm verò debeat Confessarius distare, ut censeatur abesse, non potest certâ regulâ definiri, sed pendet à prudenti judicio. Generatim solùm dici potest, eum censeri abesse, quando ob infirmitatem, difficultatem itineris, brevitatem temporis, præsentiam aliorum, urgentia negotia &c. sine gravi incommodo hîc & nunc aditi non potest. Ita *Coninck*, *Suarez*, *Vasquez* & alii passim.

81. Subjungit autem *Tridentinum* suprà pro Sacerdotibus, ne facilè ac indiscretè necessitatem prætexant, ut à confessione se eximant, ut nihilominus mox confessionem suppleant, dicens: *Quòd si necessitate urgente Sacer-* *Explicatur præceptum Ecclesiasticum quoad primum*

Confitendi postea.

Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur. Ubi proinde fertur rigidum præceptum ; prout censent Doctores, & ab initio recepit ac intellexit Ecclesia ; etsi contrarium existimasse referantur *Ledesma* & *Villalobos*, & novissimè id fusè propugnet *Thomas Tamburinus in Methodo expeditæ Communionis cap. 1. §. 6. n. 49. & seqq.* Quorum doctrinam velut ad minus scandalosam damnavit *Alexander VII.* vetans eam doceri sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Pontifici reservata, aut ad praxim deduci. Cùm autem præceptum hoc quamprimùm confitendi, non sit naturale vel divinum, sed solius *Tridentini*; ideo non obligat ubi *Tridentinum* non est receptum. Similiter non obligat Laicos, aut etiam Sacerdotes laicaliter communicantes; quia solum loquitur de celebrantibus. Neque etiam obligat eos, qui immemores suorum mortalium, aut qui sine urgente necessitate celebraverint, juxta Doctores passim : quia *Tridentinum* loquitur de conciis suorum peccatorum, & celebrantibus ob urgentem necessitatem. Similiter nec obligantur, qui recordantur Sacro peracto : immo verosimilius nec illi qui recordantur post consecrationem, etiam ante Communionem, & (quod amplius est) etsi recordentur Sacro tantum incepto, ut probabiliter Varii docent contra *Suarez* & alios : nam *Tridentinum* satis potest intelligi de Sacerdote, qui conscius peccati mortalis, nempe ante Missam, celebrat, sive celebrare incipit, totamque actionem Missæ exercet sine prævia confessione. Et consonat scopus Concilii, quod voluit arctare Sacerdotes nimis facilè præsumentes sine Confessione celebrare, prætextu necessitatis & defectûs Confessarii, eis præcipiendo, ut postea statim suppleant: quæ præsumptio non habet locum, nisi Sacerdos sit conscius peccati ante missam inchoatam.

Quòd verò *Tridentinum* suprà statuit : *Quam primùm confiteatur*, seu (ut *Regulæ Missalis* exprimunt) *debet cùm primùm potuit confiteri*, id Aliqui (quorum doctrinam ad minus tamquam Scandalosam damnavit *Alexander VII.* ut suprà) explicarunt in sensu apertè enervante vim præcepti, scilicet quòd debeat confiteri suo tempore, puta antequam postea celebret, etsi post menses. Alii è contra id intelligunt in toto rigore, quasi statim post missam debeat, si possit commodè, confiteri. Communiùs autem explicant ceteri, ut quàm primùm censeatur fieri, si intrà triduum : quàmvis si hodie v. g. se offerat occasio, nec putetur adfutura diebus sequentibus, potius sit prævenienda facies Domini in Confessione sacramentali.

82. In sumptione Eucharistiæ requirit.

Dico III. Requirit hoc Sacramentum in sui susceptione internam animi devotionem : quæ tamen non est necessaria ad gratiæ habitualis augmentum recipiendum. Prima pars patet ex Patribus, qui sumnum devotionem in Communione requirunt, & tepidè communicantes reprehendunt. Idem ostendit sensus communis fidelium & conscientiæ remorsus, quem quilibet sentit ex distracta & tepida Communione. Idem requirit dignitas & reverentia tanti Sacramenti : si enim oratio requirat attentionem & devotionem ; quantò magis hæc familiarior & intimior cum Deo communicatio ?

Secunda pars est *D. Thomæ q. 79. a. 8.* & aliorum communiter contra *Caietanum*. Probatur : tum quia in aliis Sacramentis ad recipiendam gratiam non requiritur actualis devotio : tum quia alioquin sine illa communicans peccaret mortaliter, utpote ponens obicem principali effectui hujus Sacramenti, quod tamen est absurdum, & contra omnium fidelium apprehensionem : tum quia hoc Sacramentum etiam datur parvulis, & etiamnum in articulo mortis datur, dum abest periculum irreverentiæ, phreneticis seu usu rationis destitutis ; qui tamen sine actuali devotione (cujus non sunt capaces) recipiunt gratiam : aliàs enim acciperent Sacramentum cum obice, adeòque cum ejusdem injuriâ ac irreverentiâ.

Nec obstat I. quòd Sacerdos quotidie & Laici frequenter communicantes sine devotione, maximum acquirerent cumulum gratiæ ac nihilominus maneant æquè tepidi & difficiles ad resistendum tentationibus : id enim fit, quia per augmentum charitatis habitualis non excluduntur habitus vitiosi, nec mortificantur passiones : soli quoque habitus acquisiti facilitant ad bene operandum. Gratiæ verò actuales & inspirationes vi hujus Sacramenti suo tempore conferendæ ad resistendum tentationibus parciùs dantur tepidis, & in iis facilè impediuntur per solicitudines sæculares, vel frustrantur effectu ob defectum cooperationis liberi arbitrii. Adde, similes facilè præservari à mortalibus ; qui effectus est unus ex præcipuis hujus Sacramenti effectibus. Adde insuper hanc objectionem militare contra ipsum *Caietanum* : cùm enim vix sit Sacerdos in bono statu celebrans, quin eliciat aliquem pium actum tempore celebrationis Missæ ante Communionem aut (ut ad hominem loquar, qui fatetur sufficere quòd accedat dispositio perseverantibus in stomacho speciebus) communione jam factâ, curret adhuc argumentum de incredibili augmento gratiarum in quotidie celebrantibus. Addit denique *Aversa q. 7. sect. 5.* devotionem actualem requiri ad percipienda auxilia actualia vi hujus Sacramenti conferenda. Quod tamen non probo : cùm dignam susceptionem Sacramentorum comitetur infallibiliter gratia sacramentalis, scilicet gratia habitualis & huic

huic annexum jus ad aliquas gratias actuales, ut patet inductione.

Non obstat II. quòd Eucharistia operetur effectum per modum cibi & nutrimenti; cibus quidem seu nutrimentum requirat cooperationem ipsius viventis. Nam similitudo Eucharistiæ cum cibo in multis claudicat, præsertim quantum ad modum nutriendi: cum etiam in parvulis (utì & in ratione destitutis) augeret gratiam sine horum cooperatione, cumque simpliciter dignæ susceptioni (cui in anima solum prærequiritur vita spiritualis) sit annexa promissio gratiæ.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Effectu Eucharistiæ.

QUÆSTIO I.

Quis sit Effectus Eucharistiæ?

DICO I. Eucharistia confert augmentum gratiæ & charitatis habitualis. Patet tum ex generali doctrina de Sacramentis in communi: tum specialiter ex *Florentino in Decreto Eugenii §. Hujus Sacramenti* & *Tridentino sess. 13. c. 2. & 3.* tum ex *Joann. 6. Qui manducat me, vivet propter me*: tum ex Patribus passim obviis.

DICO II. Eucharistia *venialia delet, & cavet mortalia*; ut loquitur *Innocentius III. de sacro Mysterio altaris c. 44.* Idem docent omnes Theologi cum aliis Patribus & *Tridentino sess. 13. c. 2.* ubi eam vocat *Antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.*

Delet porrò venialia dupliciter. Primò juxta *D. Thomam q. 79. a. 4.* & reliquos Theologos mediatè: quatenus nempe confert actualia gratiæ auxilia, per quæ excitantur actus charitatis & contritionis, quibus venialia immediatè remittuntur ex opere operantis. Secundò juxta *D. Thomam supra, Suarez* & plures alios immediatè ex opere operato conferendo remissionem venialium, ad quæ ampliùs non viget in anima affectus; quatenus per modum alimenti spiritualis sumpta, restaurat ruinas quotidianarum defectionum cum proportione ad cibum corporalem. Verius tamen puto etiam sic requiri retractationem, saltem virtualem, ipsorum venialium remittendorum, conformiter ad dicta *ut sup. 4. de Sacrament. in gen. q. 7.* & in *Tract. de Gratia disp. 5. q. 7.* Non enim videtur Deus offensas etiam leves remittere, nisi ab eis se homo aliqualiter avertat seu eas retractet. Hic porrò modus delendi venialia est proprius; adeòque non malè attribuitur Eucharistiæ, cui Auctoritates hunc effectum simpliciter, atque adeò propriè adscribunt. Quare *Tridentinum* diversâ loquendi formulâ utitur, dum Sacrificio Missæ attribuit vim propitiatoriam quoad remissionem peccatorum etiam mortalium; clarè insinuans hunc effectum esse solùm mediatum, sive convenire ei mediante obtentione auxilii seu doni pœnitentiæ.

Potest verò Eucharistiæ convenire deletio immediata culparum venialium interveniente actu de se insufficienti ad illas, saltè omnes delendas. Et facilius, si non requiratur vera illarum retractatio in Eucharistiæ sumptione. Aliàs si requiratur retractatio, & quævis sufficiat in justo extra Sacramentum, quæ in Sacramento, ad delenda venialia, ad quæ se extenderit, quoad culpam, vix appareret in Eucharistia alia venialium deletio, quàm vel mediata quoad culpam, vel immediata quoad pœnam. Quæ tamen difficultas pariter militaret in Extrema-Unctione, utique habente vim delendi in justis peccata venialia.

3. *Hic tamen modus habet difficultatem.*

Dices: Si culpæ veniales per Eucharistiæ sumptionem tollantur, in vanum urgerentur fideles, ut se studeant à venialibus, priusquam communicent, emundare. Resp. Neg. Seq. tum quia suadetur quod est securius, tum quia illa expurgatio est dignior dispositio, adeòque conferens ad uberiorem gratiam Sacramenti: tum quia suadetur displicentia seu retractatio venialium, qualis, saltem aliqua, requiritur ad ea etiam in Eucharistia tollenda: tum quia Confessio est ad hoc velut magis per se instituta. Alioquin nimis sæpè venialia confiteri volentibus Confessarii quandoque ingerunt, ea aliis quoque mediis, præsertim Communione, deleri. Præterea Confessio ipsa potest delere, tum mortalia tum venialia, etiam cum sola attritione, & tamen rectè suadetur fidelibus contritio, per se seu antecedenter deletiva. Prout etiam detestatio culparum venialium est suadenda inungendo, etsi ipsæ per Extremam-Unctionem remittantur.

4. *Cur suadeatur prævia expurgatio venialium, si hæc per Eucharistiam deleantur.*

Præservat autem Eucharistia à mortalibus, quatenus vi illius Deus hominem exteriùs specialiter protegit, ac etiam interius corroborat per singulare adjutorium, ut vel represso dæmone & amotis occasionibus à tentationibus liberet, vel ad eas superandas specialia auxilia & gratias tribuat. Unde

5. *Qualiter Eucharistia præservet à mortalibus.*

DICO III. Certū est apud omnes Theologos Eucharistiam conferre varia auxilia gratiæ

6. *Confert gratias actuales,*

gratiæ actualis : prout de Sacramentis in communi dictum est. Et specialiter patet ex Conclusione præcedenti : nam delectio venialium & maximè præservatio à mortalibus fit mediantibus hisce auxiliis. Deinde *Florentinum in Decreto Eugenii* expresè dicit, quòd *omnem effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam spiritualem & hoc Sacramentum operatur* : cibus autem corporalis sustentat, auget, reparat, delectat, confortat : adeòque similia spiritualiter facit Eucharistia : quæ tamen non fiunt sine auxiliis gratiæ actualis.

Et omnem spiritualem effectum quem cibus corporalis quoad corpus.

7. *Unde anima dat vires ad operationes vitæ spiritualis.*

Itaque Eucharistia confert in primis vires ad exercendas opera vitæ spiritualis, tum aliarum virtutum, tùm præcipuè charitatis Dei & proximi, sicut cibus corporalis præbet vires ad exercendos actus vitales. Præcipuè autem charitatis Dei : sicut enim cibus corporalis transmutatur in substantiam aliti, ita cibus iste cælestis ordinatur ad sumentis affectum transformandum in ipsum Christum. *Hæc* enim *est differentia inter comestionem corporalem & spiritualem, quia ibi cibus comestus transit in substantiam & nutrimentum comedentis, hîc verò comedens incorporatur Christo, & transit in amorem, & unitatem spiritûs Christi*, inquit *D. Bonaventura in Opusc. de Præpar. ad Missam c. 7.* conformiter ad illud *Aug. 7. Confess. c. 10.* ubi introducit Christum seu Deum loquentem: *Manducabis me, nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Similiter excitat charitatem proximi : cùm sit Sacramentum unitatis fidelium, non tantùm cum Christo capite, sed etiam inter se. Idemque sumitur ex *Tridentino sess. 13. c. 2. & 8.* & indicant ipsæ species panis & vini. *Namque* (ut notavit *Augustinus Tract. 26. in Joannem*) *aliud in unum ex multis granis conficitur : aliud in unum ex multis acinis confluit.* Ideoque Apostolus *1. ad Cor. 10.* ait : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.*

Eamq; per Charitatem unit Deo,

Et proximo.

8. *Facit & illam in virtute crescere.*

Deinde Eucharistia cum proportione ad cibum corporalem facit nos in charitate aliisque sanctis operibus crescere, quàmdiu durat status vitæ præsentis nobis datæ ad spiritualiter crescendum.

Rursum sicut cibus & potus corporalis delectat, ita confert spiritualem quamdam suavitatem internam : ut proinde ei meritò applicet Ecclesia prophetiam Jacob de Aser *Gen. 49. Pinguis panis ejus, & præbebit delicias regibus.* Id ipsum manifestè traditur. *Clem. un. de Reliq. & Ven. SS.* & ab *Ambrosio serm. 5. in Psal. 118.* Has tamen delicias illi soli sentire solent, qui animo ab inordinatis affectibus, etiam venialibus, vacuo, solicitè ad illius sumptionem se præparant, ac ejusdem quasi masticatione per sanctas meditationes ad hanc mensam accedunt.

Delectat spiritualiter.

9. Rursum ad instar cibi corporalis reficit ac reparat vires animæ, quas noxii humoris calor debilitat, ipsamque animæ vitam conservat ; prout Conclusione præcedenti explicatum est. Cujus rei signum extitit panis iste subcinericius 3. *Reg. 19.* in cujus fortitudine ambulavit Elias 40. diebus, donec perveniret ad montem Horeb. Item lignum vitæ in paradiso, quod præservabat à corruptione. Cui etiam consonat illud Christi, *Joan. 6. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hinc quatenus est causa perseverantiæ finalis, dicitur ab Ecclesia in officio divino & *Tridentino sup. c. 2.* pignus futuræ gloriæ. Item dicitur causa perpetuæ beatitudinis animæ. Idque specialiùs quàm cetera Sacramenta, quæ eatenus possunt dici causa gloriæ, quatenus sunt causa gratiæ sanctificantis, quæ est radix & semen gloriæ. Eucharistia autem insuper, quatenus specialiter est instituta ad conservandam animæ vitam attribuendam perseverantiam. Ipsa si quidem devotè eam frequentantibus est *verè animæ vita & perpetua sanitas mentis; cujus vigore confortati ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cælestem patriam pervenire valeant &c.* inquit *Trid. sess. 13. c. 8.*

Eâdem quoque ratione à sanctis Patribus & Doctoribus ei tribuitur resurrectio & immortalitas corporum, conformiter ad illud Christi *Joan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam : & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Causando enim perseverantiam, adeoque gloriam animæ, causat quoque mediate seu consequenter resurrectionem, adeoque gloriam & immortalitatem corporis. Quam proinde Eucharistiæ tribuunt *Nyssenus, Cyrillus, Paschasius* & alii Patres, juxta quos caro nostra per Eucharistiam ad immortalitatem præparatur.

Immo *Suarez* & plures alii censent resurrectionem & immortalitatem corporibus fidelium in Christo morientium, qui aliquando hujus Sacramenti fuerunt participes, deberi titulo speciali, ratione conjunctionis specialis cum corpore Christi in hac vita habitæ. Aliis autem tantùm deberi titulo beatitudinis, v.g. Sanctis veteris Testamenti, Catechumenis &c. Priorius quoque ex hac parte verosimiliter accessurum esse gaudium quoddam accidentale, ait *Wiggers 9. 79. n. 4.* Nihilominus specialis iste titulus seu jus ad immortalitatem non satìs solidè à *Suarez* probatur, ideoque velut carens sufficienti fundamento rejicitur à *Dicastillo d. 8 dub. 6.*

Quia verò prædictis effectibus pluriùm obest fames concupiscentiæ, ideo secundùm *S. Cyrillum l. 4. in Joan. cap. 17. S. Bernardum ser. de Cœna Domini* & reliquos Doctores per Eucharistiam etiam reprimitur concupiscentia, passiones edomantur, & corpus spiritui subditur ; idque mediantibus auxiliis, tum externis, tum internis.

Ducle-

Duodecim porrò effectus Eucharistiæ breviter complexus est noster *Richardus* 4. *d.* 9. *a.* 1. *q.* 2. his verbis: Manducanti reducit ad memoriam passionem Christi, fidem confirmat, spem auget, Charitatem inflammat, dat vitam gratiæ, Christo unit, manducantem spiritualiter æternâ consolatione reficit, ipsum roborat ad operationem boni, sustentat contra casum provenientem ex propria infirmitate, munit contra dæmonum impulsum, remittit ardorem carnalis concupiscentiæ, purgat veniale peccatum, & quandoque mortale. Possunt hi duodecim effectus significari per duodecim fructus ligni vitæ, de quo habetur *Apoc. ult.* & ad celeriorem istorum memoriam in tribus versibus collecti sunt.

Inflammat, memorat, sustentat, roborat, auget,
Hostia spem, purgat, reficit, vitam dat, & unit,
Confirmatque fidem, munit fomitemq; remittit.

Hactenus *Richardus*. De his plura videri possunt apud alios, tùm Scholasticos, tum pios Scriptores.

Petes: An communicans accipiat cum corpore Christi specialem unionem corporalem, ut fiant velut unum corpus & una caro? Affirmant plures Doctores explicantes de quadam unione reali quidem, sed non physicâ, at morali, quæ duret etiam corruptis speciebus, idque (juxta plerosque ex ipsis) tantùm in digne communicante, & quamdiù permanet in gratia acceptâ, quasi interim caro communicantis tractetur à Christo tamquam caro propria. Quod *Vasquez d.* 204. *c.* 4. referens *Hesselium*, *Alanum* & *Claudium Sainctes*, explicat exemplo conjugii, in quo conjuges efficiuntur una caro. Prout etiam Apostolus 1. *ad Cor.* 6. tradit, quòd qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur cum ea. Juxta quam explicationem putat *Vasquez* considerari posse formâ quamdam seu similitudinem consummationis matrimonii spiritualis, quasi inter animam & Christum sponsalia præcedant per fidem, matrimonium contrahatur per charitatem, idemque consummetur per Eucharistiæ sumptionem.

Verùm etsi hæc similitudo videatur satis apposita, unio tamen specialis præter verba speciosa nil videtur aliis Doctoribus importare; quam contactum realem & localem propinquitatem Christi cum communicante (quæ evanescit cum speciebus) & unionem moralem per gratiam & affectum charitatis, & dona gratiæ actualis, eò quòd de alia non videatur sufficiens fundamentum.

Pro fine quæstionis observa, nullum effectum Eucharistiæ, quatenus est Sacramentum, esse alteri communicabilem; uti nec effectus aliorum Sacramentorum. De sacrificii autem eucharistici effectu aliud est dicendum, ut infrà patebit. Quando itaque pii subinde communicant pro aliis etiam defunctis, non applicant communionem, ut illis valeat ex opere operato; sed cùm communicare sit opus meritorium, satisfactorium & impetratorium, intendunt pro defunctis satisfacere, applicando illis communionem per modum suffragii, aut etiam vivis aliquid mereri de congruo, sive impetrare ex opere operantis, à Christo ibi realiter præsente, ob cujus præsentiam solent ferventiùs & efficaciùs Christum pro aliis deprecari.

Quid prosit Communio alteri applicata.

QUÆSTIO II.

Quando Eucharistia conferat suum Effectum?

DICO I. Eucharistia confert gratiæ augmentum, quando sumitur, seu quando verè manducatur & bibitur. Colligitur ex *Joan. 6. Qui manducat me, vivet propter me.* Ubi manducationi sive manducanti promittitur effectus hujus Sacramenti. Ratio est; quia Sacramenta operantur per modum causæ naturalis, adeòque remoto obice, quàm primùm sunt suscipientibus perfectè applicata; prout Eucharistia in casu Conclusionis est applicata. 15. *Eucharistia cõfert gratiæ augmentum quando sumitur,*

Sed dubitatur, an conferatur gratia, quando manducatio est planè perfecta; an verò sufficiat incepta. Quidam putant conferri, quando hostia v. g. adhuc est in ore, antequam trajiciatur. Sed hoc aliis communiter apparet nullatenus fundatum. Et meritò: quia ille non dicitur manducasse, qui cibum ore masticatum ejiceret; neque talis ideo fregisset jejunium. Unde si species in ore corrumpantur, antequam earum aliqua pars deglutiatur, aut si homo antea moriatur, non recipiet fructum Eucharistiæ. Neque solet præberi ipsa infirmis, qui non possunt deglutire, sed solicitè curari solet, ut hostiam trajiciant. Idemque curare debeat laici sani communicantes, ne species modicæ nimiùm diu in ore retentæ ante trajectionem in stomachum evanescant. Quamquam non sit de hoc magnum periculum, eò quòd calor naturalis debilior in ore, quàm in ventriculo, tardiùs species panis corrumpere valeat: ideòque facilè per longum satis tempus substantialiter incorruptæ ibi servari possint. Species vini tamen in ore retentæ citò evaporarent, aut in salivam transirent. 16. *Non quidem dum adhuc est in ore,*

Alii itaque (inter quos *Præpositus q.* 79. *a.* 1. *dub.* 2.) existimant gratiam conferri, quando hostia aut certa aliqua ejus pars est trajecta per guttur, seu dum pertigerit ad terminum dividentem interstitium spatium, in quo fit manducatio, ab externo: quia tunc verè dicitur aliquis manducare. Sed quàmvis in hac re nihil certi definiri possit; ideoque *Sylvius*, *Diana* & 17. *Vel quando trajecta est per guttur,*

na & alii dicant gratiam conferri in instanti Deo cognito, nobis autem ignoto: tamen videtur rectè posse dici cum *Coninck* q. 79. a. 1. *dub.* 2. & pluribus aliis, conferri gratiam tunc, quando hostia vel pars illius, adeòque ipse Christus potest dici in stomachum receptus, seu attigerit ejus initium. Talis enim perfectè est manducans: cousque autem cibus corporalis non habet se per modum nutrimenti, adeòque nec Christus sub speciebus. Quare etiam videretur jejunus, qui cibum ejiceret, priusquam eò perveniret. Unde etsi tunc certò percipiatur gratia, quàmvis homo moreretur ante specierum digestionem; non perciperetur tamen gratia juxta hanc Opinionē, si moreretur homo aut corrumperentur species priusquam ad stomachum venissent.

Sed quando attigerit initium stomachi.

18. *Si indispositus ante successivā specierū sumptione disponatur, recipiet effectum Eucharistiæ.*

Petes: An si quis incipiat communicare in malo statu, & durante successivâ specierum sumptione disponatur, conferretur gratia. Resp. affirmativè: nam etsi prima pars specierum invenerit obicem, non tamen posterior pars: quæ cùm sit Sacramentum causativum gratiæ promissæ manducanti dignè, causabit illam. Quòd enim ordinariè gratiam actu non causet, est, quia jam in prioris partis speciei attingentia ad stomachum gratia fuit ordinariè causata.

Similiter crescerot effectus, crescente interim dispositione.

Ex quo etiam sequitur, quòd si dispositio crescat durante manducatione, crescat similiter gratia: nam illud augmentum gratiæ fuisset causatum, si dispositio fuisset ab initio: & similiter posterior pars specierum sacramentalium est apta causare, tum istud augmentum, tum ipsam gratiam priùs collatam; ergo quamquam hanc, utpote jam collatam ipsæ non conferant, nihil tamen impedit, quò minùs conferant illud augmentum respondens auctæ postea dispositioni.

19. *Post sumptionem non est locus augendæ gratiæ vi Sacramenti.*

Dico II. Peractâ manducatione, dum adhuc species sacramentales perseverant in stomacho, non augetur de novo gratia, nisi saltem augeatur seu melioretur dispositio & devotio communicantis: nam causa naturalis absente contrario causat statim omnem effectum permanentem; quem causare potest, nisi fiat aliqua variatio melioris dispositionis aut applicationis agentis ad passum. Et sanè alioquin per se ad augmentum gratiæ conduceret specierum magnitudo aut stomachi languor.

Si verò interea dispositio melioretur; incertum est, quid fiat. *Suarez*, *Coninck* & multi Recentiores putant gratiam augeri: quia Sacramentum toto illo tempore manet applicatum; adeòque non est ratio, cur melioratâ dispositione effectum non augeat: præsertim quia operatio gratiæ tribuenda est ipsi Christo præsenti, sumptione tantùm se habente instar conditionis. Deinde hoc Sacramentum habet se per modum cibi; ergo cum proportione ad cibum corporalem, quamdiu ratione melioris dispositionis sacramentaliter perficitur, tam diu aget in animam sumentis. Nec tamen sequitur, peccare sacrilegio mortali, qui post Communionem devotioni non vacat, aut novum mortale durantibus adhuc speciebus committit: eò quòd nullam speciem sacramentalem à productione gratiæ totaliter impediat, sed solùm ab aliquo augmento: quod etiam facit ille, qui cum parva præparatione accedit. Juxta hanc autem Opinionem, si quis in mortali susceptisset Eucharistiam, & durantibus adhuc speciebus se disponeret, probabiliter consequeretur fructum illius.

Contrarium nihilominus rectiùs docent *Vasquez*, *Præpositus* & passim alii. Ratio est, quod etsi Eucharistia sumatur per modum cibi, similitudo tamen illa non currat in omnibus, sed in illis tantum, in quibus Christus voluit: de voluntate autem illius in præsenti non satis constat (de qua constare deberet) quin potiùs oppositum videri posset voluisse, dum gratiam tantùm promisit manducanti, adeòque illam annexuit sibi ipsi quatenus actu manducatur, non quatenus digeritur. Quòd autem dicitur, manducationem sive sumptionem esse tantùm conditionem, ut Sacramentum primò in anima operetur, non autem ut deinceps operari pergat, videtur gratis dici: potuisset enim Christus velle, ut Sacramentum tantùm operetur, dum durat ipsa applicatio sive sumptio. Nec amplius ex dictis Scripturæ, Conciliorum vel Patrum aut veterum Scholasticorum colligi potest. Adscribit quidem *Florentinum in Decreto* huic Sacramento quoad vitam spiritualem omnem effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem: hoc tamen rectè accipitur de similitudine effectuum secundùm se, quatenus videlicet Eucharistia spiritualiter nutrit, confortat, auget, delectat &c. non autem, quòd simili planè modo, simili aut æquali tempore, quo cibus corporalis, operetur etiam Eucharistia. Nam certè cibus corporalis non nutrit, uti Eucharistia, in ipsa sumptione seu applicatione, sed postea, dum à stomacho consumpitur. Quare etiam non nutrit, quamdiu est in stomacho. Et licet constanter faceret, certè id ageret independenter à nova applicatione physica. Unde ad hominem argui posset, nec Eucharistiam nutrire quamdiu est in stomacho; aut certè sine nova dispositione id præstare. Insuper cibus corporalis potiùs patitur, quàm agit, & pro majori parte est alito inutilis: secus quàm Eucharistia.

Opposita quoque Sententia teste *Dicastillo d.* 8. *dub.* 3. solum à tempore *Cajetani* (quàmvis *Suarez* putet ante *Cajetanum* eam docuisse *Gabrielem lect.* 85. in Canonem & Majorem 4. *d.* 9. *q.* 1. *arg.* 5. In quibus, aliquā

quin *Caietano* quasi contemporaneis, nil simile reperio) cœpit audiri in scholis & in Ecclesia, cùm eò usque solùm crederetur in ipsa manducatione & potatione conferri gratiam ex opere operato. Quam *Caietani* opinionem addit ita arreptam à vulgaribus fidelibus in Hispania ante aliquot annos, ut multi curarent sibi majorem quantitatem specierum ministrari, quò diutiùs iis durantibus uberior gratia proveniret: utì omnino natum est fieri, auctâ jugiter dispositione per devotionem actualem, quæ sumptionem subsequi & ad aliquod tempus continuari solet. Et ob hoc supremus Hispaniæ Inquisitor *Antonius Zapata* Cardinalis monuit sacerdotes, ne cui ministrarent plures seu majores particulas. Plura de hac difficultate videri possunt apud *Arriaga disp. 41. sect. 2. & duabus seqq.* ubi fusè hanc posteriorem Opinionem propugnat.

QUÆSTIO III.

An Eucharistia conferat majorem Gratiam sub duplici, quàm sub unica specie?

RESP. Neg. ceteris paribus. Quod addo: quia si dispositio sit inæqualis, erit etiam inæqualis gratia: utì quoque, si sumptis speciebus panis, augeatur dispositio ante sumptionem specierum vini. Conclusio est *D. Thomæ, D. Bonaventuræ*, & communis aliorum tam Antiquorum quàm Recentiorum, & ab aliquibus putatur certa. Contrarium tamen hactenus non est improbabile, & docetur, à *Vasquez, Lugo* & variis Recentioribus, qui pro se citant *Alexandrum Alensem*, & paucos alios.

Probari solet communior doctrina ex *Trid. sess. 21. c. 3.* dicente, *sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.*

Ad hoc tamen Alii respondent, quòd *Concilium* ab utraque Sententia abstrahere voluerit, ideoque studio dixerit, *Nullâ gratiâ necessariâ privari*; quia videlicet sumunt verum Sacramentum, & satisfaciunt Christi præcepto ac fini Sacramenti. Præmittit tamen etiam totum Christum sub altera specie contineri propter Bohemos de contrario errore suspectos; quibus idcirco (ut constat ex *Concilio Basileensi.*) usus calicis non fuit concessus, nisi priùs faterentur in hostia quoque sanguinem contineri.

Videri nihilominus posset Concilium favere communi doctrinæ, quatenus illationem suam videtur etiam referre ad præsentiam totius atque integri Christi; ex qua pariter inferri potest, nullâ exinde gratiâ privari accipientes unicam speciem, quia nimirum *sub una panis specie sumitur totus & integer Christus, omnium gratiarum fons & auctor*, ut definit *Tridentinum sup. can. 3.* recapitulans ibidem doctrinam præmissam *cap. 3.*

22. *Inverisimilis quædam relatio refellitur.*

Id saltem nullatenus apparet credibile, quòd contraria fuerit unanimis sententia Patrum Concilii, etsi ob rationes necdum voluerint definire; prout dixisse *Franciscum Blanco* Archiepiscopum Compostellanum referunt *Lugo d. 12. sect. 3.* & *Dicastillo d. 10. dub. 10.* (quam relationem vehementer miratur, nec immeritò taxat *Arriaga d. 42. sect. 2.*) cùm enim nostra doctrina, tum ante, tum post *Tridentinum* fuerit communis Theologorũ; quomodo omnes tam repentè in ipso Concilio conspirassent in contrariam, etiam extra occasionem definiendi? Immo ipse *Dicastillo* pro nostra doctrina refert Præsidem Concili Tridentini *Hosium*, item *Petrum Soto, Alphonsum à Castro, Didacum Payva, Hesselanum, Claudium*, qui *Tridentino* interfuerunt, & in eo claruerunt: prout etiam in eo claruerunt *Catharinus, Salmeron* & *Ruardus*, qui nobiscum tenent, ut de *Ruardo* ostendit *Hesselius Tract. 3. de Commun. sub unica specie c. 16.* Qui etiam retulerat *c. 6. in fine* & *Tract. 2. c. 69.* ex *Joanne Slechta* Bohemo in *Epistola ad Erasmum*, Hussitas Bohemos intelligere, à Synodo Basileensi sibi præscriptum esse, ut si velint sub utraque specie communicare, protestentur se credere, totum Christum esse sub una specie, & non plus fructûs habere, qui sub duabus, quàm qui sub una specie, communicat. Jmmo *Palavicinus* (quem ante priorem operum editionem videre non licuit) *l. 12. Histor. Trid. c. 2. n. 5.* manifeste ex Actis Concilii ostendit consensum Theologorum potius pro nostra doctrina: tametsi aliqui cuperent de æqualitate gratiæ nil definiri. Pro quo etiam stetit potior pars Patrum, ut subdit *n. 11.* Et repetit *l. 17. c. 6. n. 11.* & *c. 12. n. 3.* Quamvis nonnulli etiam Patres, signanter Cardinalis *Hosius* urgerent definiri gratiæ æqualitatem, quò magis appareret insundata Calicis postulatio ac justa denegatio. Majori tamen parti placuit abstinendum, juxta *Palavicinum sup. c. 6. n. 11* addentem id etiam convenisse pœne inter hispanos præsules, nominatim *Franciscum Blancum.* Quare, (inquit idem *c. 12. n. 3.*) postmodum etiam pleriq; Catholicorũ Doctorum id ipsum censuere, de æqualitate gratiæ scilicet, adeo, ut *Bellarminus* docuerit deduci ex *Tridentino* probabilem argumentationem, eamque sententiam tam certo niti fundamento auctoritatis, ut citrà omnem dubitationem è suggestu asseveranter prædicari possit. Sic fere ad verbum *Palavicinus.*

Maximè ex Palavicino.

23. *Assertionem nostram tradit Concilium Moguntinum.*

Accedit, quòd nostram doctrinam citra dubitationem tradat *Concilium Provinciale Moguntinum sub Sebastiano c. 32.* ubi dicitur: *Jam nec hoc quidem quisquam fidelis dubitare debet, illum sub una specie communicandi morem*

Quorumdam probatio rejicitur.

morem ad salutem sumentium æquè utilem & efficacem esse, quàm alterum sub utraque. Nonnulli præterea probant responsionem ex eo, quòd alioquin Ecclesia injustè laicos privasset usu calicis. Sed hæc probatio etiam non subsistit, ut patet ex dictis *disp. præced. quæst.* 3. in fine. Hoc saltem fatendum est, prohibitionem in nostra doctrina faciliùs apparere æquiorem.

Allegat insuper *Suarez d.* 63 *sect* 6 & ex eo *Arriaga disp.* 42. *sect.* 3. verba clarissima *Paschasii lib. de Corp. & Sanguine Domini c.* 14. Quæ tamen ibi non habentur; sed neque in aliis capitibus ea reperire potui.

24. *Ratio Responsionis assignatur.*

Ratio responsionis est: quia sub altera tantùm specie Christus æquè totus & perfectus continetur ac sumitur: ergo confertur æqualis gratia: quandoquidem hæc conferatur præcisè, quatenus continent species Christum, & eas sumendo Fideles sumunt Christum, eique uniuntur: quòd autem sint species panis vel vini, indifferens est; uti etiam quòd sint plures vel paciores, parvæ vel magnæ.

25. Dices I. Ecclesia in Officio divino videtur adscribere singulis speciebus distinctos effectus, canens: *Dedit fragilibus Corporis ferculum, dedit & tristibus Sanguinis poculum.*

Consortatio Corpori, lætificatio Sanguini per accommodationem adscribitur,

Resp. Ecclesiam adscribere per quamdam accommodationem, idque ex *D. Thomâ* Hymni Auctore; qui tamen tenet nobiscum. Nisi quis hinc cum *Aversa q.* 7. *sect.* 3. conjectet, fortasse conferri diversa auxilia gratiæ actualis. Sed tamen non satis solidè aut consequenter hoc dictum videtur: cùm talis auxiliorum diversitas consequatur diversitatem effectûs principalis, cui annexa sunt. Ipsa equidem species panis etiam lætificat, & species vini confortat: cùm cibus spiritualis sit simul potus, & contrà: ut notat *Augustinus* in illud *Psal.* 103. *Panis cor hominis confirmet* Unde rectè dixit *Paschasius l. de Corp. & Sanguine Domini c.* 20. quòd *illo cibo,* Eucharistico, *interior noster homo inebrietur.*

Ipse tamen panis Eucharisticus etiam lætificat & inebriat.

Dices II Clemens VI in Bulla ad regem Angliæ, (ut refert *Vasquez* & *Aversa*; *Lugo* autem & *Dicastillo* appellant, Galliæ) anno 1341. concedit ei etiam usum calicis, idque ad majus gratiæ augmentum. Resp. Pontificem loqui de augmento obtinendo ex opere operantis per majorem devotionem, inde (ut confidit) excitandam; prout explicat etiam ipse *Dicastillo*, etsi alioquin contrarius nostræ doctrinæ.

Usus calicis concessus ex privilegio ad majus gratiæ augmentum quo sensu?

Dices III. Utraque species perfectiùs significat convivium spirituale per modum cibi & potûs Resp. etsi modus significandi sit perfectior, non tamen res significata aut accepta, quæ æquè continetur sub una specie, ac sub utraque. Neque expressior significandi modus necessariò aliquid speciale in re significata aut effectu causato importat: quemadmodum immersio in Baptismo perfectiùs significat consepulturam bap-

26. *Non refert quòd modus significandi sit perfectior in utraque specie.*

tizati cum Christo, quàm aspersio, & tamen utrovis modo collatus importat eandem gratiam, quæ baptizatum Christo consepelit. Confirmatur: quia etsi cibus & potus naturalis ad diversos fines proximos ordinentur, diversosque naturæ defectus tollendos: idem tamen est finis hujus cibi & potûs cælestis, idemque effectus, nempe unio animæ cum Deo. Similiter fames & sitis, ad quas sedandas sunt instituti, in spiritualibus etiam non distinguuntur, ut notat *Augustinus Tract.* 25. *in Joannem.* Sicut idem justitiæ & sanctitatis effectus dicitur fames & sitis *Matth.* 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.*

Dices IV Singulæ species non significant totum Christum vi verborum; ideoque non fuisset sub singulis seorsim in triduo mortis. Resp. id fore per accidens; imo nec sub utraque specie tunc fuisset totus Christus, seu tantum, quantum nunc sub una, cùm sub neutra tunc fuisset anima Christi separata. Attendenda itaque est dispositio Christi, qui sic in futurum stabiliter disposuit, ut totus semper sealiter contineatur, esto non vi verborum; quod parum refert: cùm indubiè vis caudandi competat non soli corpori, sed potissimùm Christo, seu divino supposito ibi contento. Deinde suppositâ institutione Christi, & connexione partium in cælo: provenit etiam suo modo ex vi seu efficaciâ sacramentali verborum (etsi grammaticaliter id non significent) quòd totus ibi sit Christus. An verò Eucharistia sumpta in triduo mortis reverâ minorem gratiam contulisset, eò quòd non totus Christus in ea tunc fuisset, quis novit? Potuit enim Christus de eo casu, qui non contigit, nil disposuisse. Potuit etiam disposuisse, quòd conferret æqualem gratiam, tum ob præsentiam divinitatis, tum quia ob casum istum non oportebat stabilem alioquin dispositionem variari. Potuisset denique (quod factum non ostenditur) disponere, ut conferret gratiam minorem.

Dices V. Ergo per sumptionem specierum vini vix unquam conferretur gratia, cùm tamen non sint minoris efficaciæ, quam species panis. Resp. id, quod infertur, non esse absurdum; sicut nec, quòd posteriores partes hostiæ gratiam non conferant. Quod non oritur defectu virtutis, seu quia reperitur effectus jam productus in toto gradu, quo produci poterat. Non inutiliter tamen species secunda sive vini sumitur: uti nec partes posteriores hostiæ; immo potiùs, tum ut sacerdos satisfaciat præcepto, tum ut compleat sacrificium. Adde, valere ad augmentum gratiæ, si (quod solet) dispositio interea crescat, mediante inter sumptionem utriusque speciei devotâ gratiarum actione, & actu dilectionis. Immo si dispositio tunc primùm poneretur, aut si casu primò sumerentur, conferrent nunc

speciem vini gratiam, utì aliàs species panis primo loco sumi solitæ.

Quod verò *Salmeron Tom. 9. in Evang. tract. 36.* non procul à fine scripsit, sumenti unicam speciem dari statim totum effectum, sumenti autem duplicem dari medietatem effectûs in sumptione primæ, & alteram medietatem in sumptione secundæ speciei; hoc, inquam, sine fundamento excogitatum est ad evadendam difficultatem. Sacramentum namque instar causæ naturalis statim operatur in subjecto dispositum effectum; qui non debet suspendi ex intentione sacerdotis de sumptione secundæ speciei. Et sanè durum est, sacerdotem sacrificantem accipere tantùm ex eodem cibo medietatem effectûs, quem recipit alter de manu ejus communicans, ob hoc solùm quia accepturus est calicem. Deinde quid si casu postea non sumat: an propter intentionem sumendi calicem tantùm habebit medietatem? quod certè non pium aut æquum. An fortè accipiet totum à Deo futurorum præscio? qui tamen in largitione ejusmodi effectuum non solet futura aspicere, sed præsentem causæ applicationem. Denique si quis plures hostias sumeret, utique in sumptione primæ reciperet totam gratiam: ergo similiter etsi sumat species diversæ rationis, supposito quòd ambæ non dent majorem. Ob hæc aut similia optabat *Dicastillo disp. 10. dub. 10. n. 217.* istam doctrinam à tali viro non fuisse traditam.

Ex dictis etiam refutata manet Opinio *Bellarmini l. 4. de Eucharist. cap. 23. ad 4.* dicentis gratiam non conferri, nisi quando sumitur secunda species, scilicet vini.

30. *Examinatur doctrina Dicastillo putantis, quòd species ambæ simul sumptæ unicam, successivè sumptæ duplicem conferant gratiam.*

Denique *Dicastillo dub. cit.* docens alioquin in sumptione duplicis speciei majorem conferri gratiam, conatur probare discursu, quem tamen fatetur non convincere, quòd si utraque species sumeretur simul, v. g. ab infante, utì à sacerdote sumente species vini cum particula hostiæ, non major daretur gratia, quàm per unam speciem; eò quòd tunc censeatur unica refectio. Sed parum cohærenter: nam simili ratione censeri potest moraliter una refectio, dum more consueto successivè sumitur utraque species. Deinde utraque equidem sumitur secundum propriam cuilibet rationem, cibi nimirum vel potûs. Nec repugnat aliquem simul bibere & manducare, seu simul sumere cibum & potum. Denique alioquin consequenter sacerdos non reciperet majorem gratiam, quàm laicus communicans sub unica specie, si tota hostia casu incidisset in calicem, adeòque juxta regulas Missalis simul cum sanguine sumeretur: quod putem non facilè ab aliquo admittendum, qui aliàs sentiret in sumptione duplicis speciei majorem conferri gratiam; prout sentit *Dicastillo*.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Sacrificio Missæ.

QUÆSTIO I.

Quid sit Sacrificium.

SACRIFICIUM in Scriptura sumitur dupliciter. Primò latè pro quolibet opere bono; ut *Psal. 4. Sacrificate sacrificium justitiæ. 1. Petri 2. Ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.* Et alibi sæpè. Sic etiam *Augustinus 10. De civit. cap. 6.* ait: *Sacrificium verum est omne opus bonum, quod agitur, ut sanctâ societate inhæreamus Deo.* Secundò sumitur strictè & propriè pro certo actu religionis specialiter exhibito in honorem Dei. Quo modo plerumque usurpatur in Scriptura, atque etiam apud profanos scriptores, præsertim quando ponitur absque addito. Dum autem generaliter seu impropriè sumitur, ordinariè exprimitur cum addita particula denotante improprietatem, v. g. Sacrificium justitiæ, Sacrificium laudis, vituli labiorum &c.

2. *Huic acceptioni obloquentes Sectarii refutantur.*

Porrò Hæretici, ut faciliùs rationem Sacrificii à Missa tollant, nullam agnoscunt rationem Sacrificii magìs propriam, quàm quâ quodlibet opus bonum censetur Sacrificium. Sed confundit eos Scriptura variis locis evidenter opponens Sacrificium aliis bonis operibus, *1. Reg. 15. Melior est obedientia, quàm victimæ. Oseæ 6. Misericordiam volo, & non Sacrificium. Psal. 50. Si voluisses Sacrificium, dedissem utique.* Et per totum librum Levitici ac Numerorum & alibi sæpissimè sumitur Sacrificium pro speciali actione seu ceremoniâ colendi Deum; & quidem pro ceremonia exigente rem aliquam sensibilem, quæ immoletur Deo tamquam victima. Unde Isaac dicebat patri suo *Genes. 22. Ecce ignis & ligna, ubi est victima holocausti.* Et *ad Heb. 8.* Apostolus dixit: *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur: unde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat.* Deinde apud omnes nationes vox *Sacrificium* prolata sine addito, significat specialem Dei cultum: quilibet enim legens apud quemcumque Scriptorem, quòd aliquis sacrificaverit,

non apprehendit eum jejunasse aut dedisse eleëmosynam, sed specialem aliquem cultum Deo exhibuisse. Præterea perpetua Ecclesiæ traditio solùm novit unum Sacrificium Christianorum, quod juxta *Augustinum lib. 3. de Bapt. cap. ult.* & alibi successit omnibus veterum Sacrificiis. Et ut ait *Leo Papa serm. 8. de Passione Domini*: *Nunc carnalium Sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis & sanguinis tui implet oblatio.* Accedit, quòd Sacrificium & sacerdotium, item Sacrificium & altare sint relativa: non omne autem opus bonum exigit propriè dictum altare, aut in operante propriè dictum sacerdotium, quod in veteri lege paucis personis, similiter in evangelica, convenit. Quare non sunt probanda varia, quæ *Michael Baius* de hac re scripsit in *Libro de Sacrificio* præter seu contra stylum usitatum Doctorum Catholicorum, signanter *cap. 6.* ubi inter alia ait: *Igitur ipsa Eucharistiæ confectio non ideo à fidelibus peculiariter nomine Sacrificii prædicatur, quòd inter Sacramenta sola Sacrificium sit, sed quia inter omnia Sacrificia sic eminet, ut nomen aliis commune velut proprium sibi vendicare mereatur.*

3. *Definitur & explicatur Sacrificium propriè dictum, Essq; Oblatio externa.*

Sacrificium propriè dictum describi potest, *Oblatio externa legitimè instituta, quâ res aliqua sensibilis immutatur per ministrum legitimum in protestationem supremi Dei dominii.* Nam in primis omne Sacrificium est quædam oblatio externa; quàmvis non è contrà, ut patet in decimis, primitiis, primogenitis &c. quæ olim offerebantur, non tamen sacrificabantur. Deinde debet esse legitimè instituta; uti & alia signa communia instituuntur per publicam seu legitimam auctoritatem. Et hanc quidem Deus sibi reservavit in veteri Testamento, in quo determinata sacrificia eorumque ritus Hebræis præscripsit: similiter in novo Testamento, instituendo per semetipsum unicum Sacrificium, quo coli vellet. Divinâ tamen reservatione seclusâ, posset respublica ejusmodi oblationem ac rem sacrificandam determinare, uti ad eam spectat signa communia instituere. Tertiò res, quæ offertur, debet esse sensibilis: Sacrificium enim est cultus externus, quo protestamur summum Dei dominium in omnes res, & in vitam ac mortem; idque non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus, quibuscum communicamus tantùm in externis ac sensibilibus rebus.

Legitimè instituta

Victima sensibilis.

4. *Quæ immutanda est.*

Quartò debet res ista immutari: quandoquidem per Sacrificium protestemur Deum habere dominium in vitam & mortem, sic ut pro libitu possit omnia immutare; hoc autem accommodatiùs fieri non potest, quàm per alicujus rei immutationem realem. Sic in omnibus retrò institutis Sacrificiis, res oblata semper, saltem ex parte, immutabatur: ut patet in oblationibus pecudum, quæ occidebantur & reliquis veteris legis. Cùm autem rei destructæ succedat nova, si hæc erat dignior, seu si Deus per illam magis intenderet honorari, Sacrificium sive hostia illius præcipuè consistebat in re producta. Sic in oblatione thuris potiùs sacrificabatur suffitus, in quem thus per concremationem convertitur, quàm ipsum thus. Similiter in Sacrificio Eucharistico, sacrificatur Christus per conversionem panis & vini in ipsum. Si verò Deus intenderet magis honorari re quæ destruitur, utpote perfectiori, Sacrificium consistebat in actione quatenus destructivâ rei, quæ tunc censebatur hostia Sacrificii, ut contingebat in occisione animalium. Neque putandum est hanc conditionem defuisse Sacrificio Melchisedech: etsi enim Scriptura non refert, eum circa panem & vinum, quæ sacrificavit, fecisse aliquam immutationem: potuit tamen facilè aliquam partem panis, more victimarum pacificarum, adussisse, vel certè comminuisse, partemque vini effudisse; præsertim cùm ex Scriptura constet, eum verè ibi sacrificasse, nec intendat isto loco referre modum, quo oblatio illa facta est.

Quintò debet immutatio fieri per ministrum legitimum: quia sicut quælibet actio naturalis requirit suam proportionatam causam, sic etiam actio moralis. Et quamquam fortè ad essentialem rationem Sacrificii non requiratur minister specialiter è reliquis deputatus, tamen convenientius est, ut aliquis ad hoc specialiter deputetur: cùm Sacrificium sit extraordinarius Dei cultus, nomine communitatis illi exhibendus; cujus proinde administrationem non decet cuilibet permitti. Unde in lege tam Mosaica quàm Evangelica non offeruntur Sacrificia, nisi à ministris ad hoc specialiter deputatis. Quales pro Sacrificio agni paschalis erant patresfamilias. Et qui sine tali deputatione offerre tentarunt, divinitùs sunt puniti; ut patet in Ozia rege 2. *Paralipomenon 26.* & Saüle 1. *Reg. 13.* Immo etiam apud Ethnicos quidam specialiter deputabantur huic muneri, & in lege naturæ fuisse deputatos, colligitur ex *Genes. 14.* ubi pro ratione, cur Melchisedech Rex Salem protulerit panem & vinum illa offerendo in Sacrificium, allegatur: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Quàmvis non conster, quinam præcisè in illa lege erant Sacerdotes. Secundùm plerosque autem tales erant primogeniti & principes familiarum. Unde *Job 1.* legitur ipse obtulisse holocausta. Præter quos videntur aliqui alii ex divino instinctu sacrificasse, ut Abel & Jacob.

Denique debet actio hæc fieri in protestationem summi Dei dominii: si enim fiat sub alio motivo formali, deerit finis intrin-

intrinsecus, & ratio specificativa Sacrificii.

6. Eadem confirmatur à ratione superiori.

Ex quibus patet I. accensionem candelarum, incensionem thuris, & similia, quæ fiunt in Ecclesia, non esse Sacrificia: quia non fiunt à ministris in nova Lege deputatis, saltem tamquam talibus; cùm hi tantùm sint deputati ad offerendum Sacrificium incruentum. Deinde etsi fiant ad honorem Dei aut Sanctorum, vel ob alias mysticas significationes, non tamen in protestationem summi Dei dominii.

Significata per Sacrificia Veteris, adveniunt.

Patet II. Sacrificium essentialiter consistere in ratione signi protestativi supremæ Dei potestatis in omnes res. Præterea verò nulla alia significatio requiritur; etsi possit adesse: cùm Sacrificia Mosaica, & Sacrificium incruentum novæ Legis significent insuper Sacrificium cruentum à Christo in ara crucis oblatum. Immo appareat omne Sacrificium vero Deo post lapsum Adæ oblatum fuisse signum ejusdem cruenti Sacrificii.

7. Triplex datur in lege veteri primo ratione materiæ.

Sacrificium porrò variè dividi potest. Primò ratione materiæ. Et sic erant triplicia in Lege veteri, scilicet oblatio animalium (quæ victimæ & hostiæ dicebantur, juxta nonnullos etymologiâ à victis hostibus desumptâ) puta ovium, caprarum, hœdorum, boum, vitulorum, columbarum, passerum & turturum. Et hæc offerebantur mactatione & combustione. Deinde oblatio fructuum terræ solidorum, quæ immolatio dicebatur, & fiebat combustione seu adustione aut fractione. Sic panis infrusta dissecabatur, simila, sartagine, clibano vel craticulâ coquebatur; sal urebatur, thus adolebatur, manipulus spicarum virentium torrebatur, triticum conterebatur. Denique oblatio liquidorum: quæ libatio seu libamen dicebatur, & fiebat effusione liquoris, puta sanguinis, vini, olei vel aquæ.

8. Secundò ex parte formæ ac finis.

Secundò dividi potest ratione formæ ac finis. Et sic etiam triplex erat Sacrificium in lege veteri. Primum, idque perfectissimum, erat holocaustum, in quo tota res oblata destruebatur seu comburebatur, ut nihil inde cederet in usus humanos. Secundum, Sacrificium pro peccato, quod partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescebantur. Tertium, hostia pacifica, scilicet ad impetranda nova beneficia, vel ad agendum gratias pro acceptis. Et hujus una pars comburebatur ad honorem Dei, altera cedebat in usum Sacerdotum, tertia in usum ipsorum offerentium.

Huic divisioni affinis est illa, quâ Sacrificium dividitur in latreuticum, quod offertur totum ad Deum colendum, nostramque servitutem testandam (quod fit potissimùm holocausto) Eucharisticum, quod fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis; impetratorium, quod fit pro beneficiis accipiendis (utrumque hoc membrum in veteri Lege dicebatur hostia pacifica) & propitiatorium, quod offertur pro peccatis, & pro peccatorum pœnis ac flagellis avertendis. Et hoc coincidit cum Sacrificio pro peccato.

9. Tertio ex parte temporis, quo offerendum est.

Posset præterea dividi Sacrificium ex parte temporis, quo debet offerri. Et sic in Lege veteri Sacrificium agni Paschalis erat offerendum singulis annis, primo anni mense, die 14. mensis ad vesperam. Juge Sacrificium debebat offerri quotidie, duo scilicet agni anniculi & immaculati, unus manè, & alter vesperè, in holocaustum, & pariter simila conspersa oleo, & vinum pro libamine. Quæ oblatio ob hoc ipsum vocabatur juge Sacrificium vel holocaustum sempiternum. Alia enim Sacrificia in aliis solemnitatibus offerri debebant scilicet in sabbatis, neomeniis, solemnitate azymorum, Pentecoste, festo Tubarum, expiationis, tabernaculorum, seu scenopegia, festo cœtûs atque collectæ.

10. Quartò ex parte temporis seu status pro quo institutum est.

Denique dividi potest Sacrificium ratione temporis, quo institutum est, scilicet in lege naturæ, in lege mosaica, denique in evangelicâ. Et quidem hoc loco non est inquirendum de Sacrificio cruento, in quo Christus semetipsum obtulit in ara crucis pro peccatis totius mundi: sed de alio Sacrificio incruento, quod scilicet in Ecclesia Christi jugiter à Sacerdotibus novi Testamenti offerendum sit, complectens in se eminenter legalium differentias hostiarum. De quo sit

QUÆSTIO II.

An in Lege nova detur Sacrificium propriè dictum?

11. Datur in lege novæ Sacrificium propriè dictum.

RESPONSIO affirmativa est fide certissima: quam contra Hæreticos recentiores definivit *Tridentinum sess. 22. can. 1.* & pulcherrimè docet *c. 1.* his verbis: *Etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum, repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternùm constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba.*

Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.

12. *Prout perpetua & manifestè patens Ecclesiæ traditio docet.*

Qui quidem Ecclesiæ sensus perpetuaque Traditio adeò manifestè patet ex dictis antiquissimorum Conciliorum & Patrum unanimiter, in quibus creberrimè fit mentio altarium, Sacerdotum, Sacrificii panis & vini, sive Corporis & Sanguinis Christi: item ex vetustissimis Liturgiis diversarum Ecclesiarum, ut *Chrysostomi*, *Basilii*, immo ipsius *S. Jacobi* Apostoli, item *S. Marci* Evangelistæ: adeò ut hanc traditionem, cujus initium post Apostolorum tempora nequit deprehendi, Hæretici non valentes eludere, dignam ipsis vocem emittant, non esse hac in re curandam antiquitatem. Prout patet apud *Lutherum in lib. de abroganda Missa* & in *lib. contra Regem Angliæ*. Denique in *lib. de Missa privata*, ubi ait: *Hîc non moramur, si clamitent Papistæ Ecclesia Ecclesia, Patres Patres: quia, ut dixi, hominum dicta aut facta, nihil in tam magnis curamus. Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos: verbo Christi judicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoque ipsos Angelos.* Similiter auctoritatem Veterum excutit *Calvinus l. 4. instit. c. 18. §. 11. & 12.*

Nihilominus Doctrina Catholicorum validissimè firmatur hoc ipso, quòd perfidi Sectarii nuper nati, evidentiâ facti convicti, negare non possunt, eamdem esse antiquissimorum Doctorum & veteris Ecclesiæ sententiam, quæ modò fidelibus de Sacrificio novæ Legis proponitur.

13. *Idem probatur ex Sacrificio Melchisedech, typo novi Sacrificii.*

Eadem veritas probatur ex figuris & prophetiis veteris Testamenti. Nam in primis *Psal.* 109. de Christo dicitur: *Tu es Sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech*, id est, secundùm similitudinem seu ritum Melchisedech. Qui ordo proinde consistit in similitudine Sacrificii à Melchisedech oblati, nempe panis & vini. *Gen.* 14. & Sacrificii oblati à Christo in ultima cœna, ut apertissimè declarat *Cyprianus Ep. 63. ad Cæcilium* post alia dicens: *Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Jesus Christus? qui Sacrificium Deo Patri obtulit: & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet Corpus & Sanguinem.* Et *Augustinus 16. de civit. c. 22* loquens de oblatione Melchisedech: *Ibi* (inquit) *primùm apparuit Sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum &c.* & aliis locis. Et consonant reliqui Patres apud *Bellarm. l. 1. de Missa c. 6.* Et hâc ratione Christus dicitur potiùs Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, quàm secundùm ordinem Noë, Aaron vel Abel. Dicitur insuper Sacerdos in æternum secundùm hunc ordinem, quia scilicet per suos ministros offertur in Ecclesia toto orbe diffusâ Sacrificium per oblationem Melchisedech adumbratum usque in finem sæculi: non autem dumtaxat ex hoc, quòd in æternùm vivat (quod convenit etiam aliis Sacerdotibus bene morientibus) vel ratione fructûs cruenti Sacrificii, qui durat usque in finem sæculi (quo modo etiam Noë esset Sacerdos in æternùm, ob æternum Sacrificij illius fructum, scilicet quòd numquam sit deinceps futurum universale diluvium) & à quo dici nequit esse Christus in æternum secundum ordinem Melchisedech Sacerdos.

Respondent Novatores Melchisedech non sacrificasse, sed tantum protulisse panem & vinum ad epulandum & milites Abrahæ confortandos. Immo non videtur fuisse Sacerdos: cum vox hebræa etiam significet principem; ut colligitur 2. *Reg.* 8. ℣. 18. ubi loco *Sacerdotes Septuaginta* vertunt, *Principes aulæ*. Et quamquam Sacerdos fuisset, non adfertur *Gen.* 14. ratio, cur protulerit panem & vinum, sed cur Abrahæ benedixerit.

Verum responsio non subsistit. Verba enim scripturæ sunt: *At vero Melchisedech, rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei*, Abrahæ scilicet. Quòd porrò Melchisedech protulerit panem & vinum sanctificatum per oblationem Deo factam, non solùm postulat ratio in Scriptura subjuncta, & unanimis sensus Patrum, sed etiam antiquissimorum Rabbinorum. Unde veteres Rabbini (teste nostro *Galatino l. 10. de Arcanis Catholicæ veritatis c. 5.* & *Genebrardo in Chronologia in principio tertiæ Ætatis*) ne quis putaret fuisse panem & vinum commune, appellant oblationem & libamen: quæ prius sacro ritu fuerunt Deo oblata tamquam Sacrificium pacificum in gratiarum actionem pro obtenta victoria, ac deinde Abrahæ & sociis distributa, sicut in victimis pacificis fieri solet. Fruſtrà ergo *Calvinus* ex eo, quòd Abraham & reliqui fuerint hoc pane & vino refecti (quos tamen jam ante refectos fuisse, satis insinuatur ℣. 24. junctò ℣. 11.) contendit ea non fuisse Deo oblata, quòd hic satis clarè indicatur factum fuisse, & optimè cum refectione cohæret. Ut omittam verbum proferre seu adducere pro loci exigentia sæpè usurpari pro adductione hostiæ ad immolandum; ut apertè significatur *Judic. 6.* ubi habetur id verbum hebraicum, quod hoc loco in Genesi cernimus.

Melchisedech porrò fuisse Sacerdotem, non solum omnes versiones, Græca, Chaldaica, & Latina, demonstrant; sed etiam ipse Apostolus *ad Hebr. 7.* qui legit: *Sacerdos Dei summi*, & Psalmista *Psalm. 109.* Ut proinde ineptè Hæretici opponant unicum locum, in quo vox Hebræa videtur minus propriè sumi pro principe.

Denique quod dicitur: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*, juxta omnium Patrum sensum refertur ad oblationem panis & vini. Idemque convincit particula, *enim*, quam ponunt noster Interpres & *Septuaginta*. Et quamquam in Hebræo legatur, *Et erat Sacer-*

cedis: cùm tamen omnes codices Hebræi, immo & Græci ac Chaldaici terminent periodum in voce *altissimi*; patet ad præcedentia esse referendum: præsertim cùm particula *Et*, Hebræis sæpissime sit causalis, quando ita postulat contextus. Sic ubi textus Latinus legit *Gen.* 20. *Habet enim virum.* Et *c.* 27. *Supplantavit enim me.* Et *Psal.* 59. *Quia vana salus hominis*; textus Hebraicus ponit particulam *Et*. Adde, quòd sola ratio Sacerdotii non sit apta respectu benedictionis datæ Abrahamo, utpote qui & ipse erat Sacerdos: sed potiùs præeminentia quædam in Melchisedech, ut ponderat Apostolus *ad Hebr.* 7. sive quia simul erat Rex regionis (Regibus autem, etiam non Sacerdotibus, titulo majoritatis seu eminentiæ competit aliis benedicere, ut patet in Davide 2. *Reg.* 6. & Salomone 3. *Reg.* 8.) sive quia erat Sacerdos eminentior, qui proinde in Canone Missæ dicitur *summus Sacerdos*.

Altera figura Sacrificii Eucharistici erat juge Sacrificium, quod juxta dicta *quæst. præc.* quotidiè offerebatur. Unde *Danielis* 12. prædicitur Antichristus in fine mundi ablaturus esse juge Sacrificium, quod nimirum usque ad finem mundi publicè celebrabitur in Ecclesia; utique Eucharisticum, ut Patres explicant. Unde nostri *Sacramentarii* se prodromos Antichristi ostendunt, dum usum Sacrificii Missæ, immo & substantiam ac veritatem ejusdem evellere moliuntur.

Præterea (ut figuris recensendis supersedeamus) extat aperta prophetia *Malach.* 1. de Sacrificio novæ Legis: *Non est mihi voluntas in vobis*) supple Sacerdotibus Mosaicis, eorumque Sacrificiis, ut patet ex contextu) *dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*; utique Eucharistica, ut explicat *Trid. sess.* 22. *c.* 1. & Patres unanimiter: inter quos *Damascenus l.* 4. *de fide c.* 14. ait: *Illud est purum & incruentum Sacrificium, quod Dominus à solis ortu usque ad occasum oblatum sri per Prophetam prædixit*; reprobatis videlicet Sacrificiis legalibus. Idemque patet non solùm ex eventu; sed etiam ex ipso textu. Opponit enim propheta Sacrificio, Sacerdotem Sacerdoti, locum loco, panem pollutum, animalia cæca & clauda, oblationi mundæ, contemptum nominis, magnificationi nominis. Præterea vocabulum oblationis simpliciter positum in Scriptura designat Sacrificium. Dicitur quoque *oblatio munda*, scilicet ex se & sine ordine ad ministrum, seu quia malitiâ ministrorum non potest pollui, juxta *Trid. sess.* 22. *c.* 1. eò quòd nimirum primarius offerens sit ipse Christus, qui etiam est ipsa hostia. Secùs est de Sacrificiis veteribus, aut etiam de operibus bonis, quæ ex intentione vel malitiâ operantium facilè inquinantur; præsertim in errore Hæreticorum, volentium omnia nostra opera esse ex se polluta & immunda, quibus proinde competere nequeat ratio oblationis per Malachiam prædictæ, utpote ob suam munditiam Deo placentis.

Probatur insuper veritas Catholica ex novo Testamento: Christus enim summus Sacerdos panis & vini in suum corpus & sanguinem conversione se ipsum in ultima cœna obtulit; cui quidem actioni nihil deest ad rationem verissimi Sacrificii: præcepitque id ipsum fieri ab Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ut patet ex Evangelio & ex 1. *Cor.* 11. Quare id definit *Trid. sup. can.* 2. Idemque semper Ecclesia intellexit, juxta *Trid cap.* 1. Et patet ex Patribus unanimiter. Inter quos *Irenæus l.* 4. *c.* 32. dicit, quòd Christus tunc *novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.* 18. *Sacrificium Eucharisticum probatur ex institutione Eucharistiæ, prout in novo Testamento refertur.*

Confirmatur ex 1. *Cor.* 10 ubi Apostolus dicit: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris.* q. d. Israelitas, comedendo hostias Deo oblatas, censeri socios sacrificantium, & consummare ipsum Sacrificium: atque adeò comedentes de pane Eucharistico esse participes Sacrificii Eucharistici, & manducantes idolothyta participare de Sacrificiis idololatricis. Postea subdit: *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*; id est, oblatorum in mensa sacra seu altari Domini (ut exponit *Tridentinum suprà*, & clamat contextus) & oblatorum in altari Idolorum. Habent igitur fideles altare, & Sacrificium (quod est relativum altaris) juxta Apostolum. *Confirmatur ex* 1. Cor. 10.

Huc etiam facit illud *Act.* 13. *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus.* Quod *Erasmus* vertit: *Sacrificantibus autem illis Domino.* Et consonat vox Græca λειτουργούντων. Quæ, ubi agitur de ministerio exhibendo Domino Deo per Sacrificium, frequentissimè adhibetur in Scriptura. Indeque officium Missæ apud Græcos appellatum est Lyturgia. Ministerium autem verbi in Græco exprimi solet nomine Διακονιας, ut *Act.* 6. & 21. *ad Rom.* 12. 2 *ad Cor.* 6. & alibi. 19. *Accedit locus Act.* 13.

Solet præterea adduci illud Apostoli *ad Hebr* 13. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Si enim habeamus altare, ex quo mysteria sumantur, habemus & Sacrificium, quo hæc eadem offeruntur. Nusquam enim datur altare, nisi propter Sacrificium. Quare & *Sacramentarii* altaria destruunt, quòd Sacrificium non admittant. Sicque hunc locum explicant Plurimi, etiam veteres: atque adeò eatenus rectè Novantibus opponitur. Quàmvis non desint, qui per altare hîc intelligunt ipsum Christum, ut noster *Titelmannus*, *Solet etiam adduci locus ad Heb.* 13. *ut substat expositioni multorum Veterum.*

mannus, vel potiùs crucem Christi, ut *Estius*, de quo altari edere, est fructum passionis Christi percipere, & ipsi tamquam capiti incorporari: quod non possunt, qui tabernaculo deserviunt, id est (ut noster *Lyranus*) qui legalia custodiunt, non habentes partem in efficacia passionis Christi.

20. *Probatur ratione Theologicâ.*

Accedit ratio: quia Sacrificium inter actus religionis externos est perfectissimus, tantamque habet cum natura rationali in statu viæ congruentiam, ut vix ulla gens illo caruerit, quæ alicujus Numinis, sive veri, sive putatitii; persuasionem habuit: ergo non debuit Christus eo privare populum Christianum; utpote populis omnibus perfectiorem, & tum in vivendo, tum in colendo Deum naturæ rationali conformiorem. Deinde externus Dei cultus (qualis utique convenit cœtui hominum sensibili) per Sacrificium, est soli Deo proprius, & incommunicabilis creaturæ; adeoque illo carere non debuit Religio Christiana. Est etiam Eucharistia maximè idonea, ut Deo offeratur per Sacrificium: in quod proinde Sacrificia Legis veteris Christus commutavit, sicut istius legis Sacramenta in alia veriora & præstantiora mutavit. Denique causæ, ob quas Judæi non caruerunt Sacrificio, etiam militant in Christianis, nempe Deum placare, pro beneficiis gratias agere, nova impetrare, mortem Christi sæpè repræsentare, Deum cultu ei proprio, & nobis etiam corpore præditis convenienti honorare.

21. *Sacrificium novæ Legis perficitur in Missa.*

Ex his patet, non solùm dari in Lege nova propriè dictum Sacrificium, sed etiam ipsum perfici in Eucharistia seu Missa. De Sacrificio enim hoc expressè agunt Concilia, Traditio, Lyturgiæ, Patres, & pleraque testimonia Scripturæ. Neque aliud à Catholicis agnoscitur, vel cum apparentia excogitari potest. Neque ullus concedens in Lege nova verum Sacrificium, illud Missæ denegabit: cui etiam definitio Sacrificii optimè convenit.

22. *Expenditur illud Christi Joan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.*

Objicitur I. Christus mulieri Samaritanæ Joan. 4. respondit: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Per quæ verba insinuat omnem cultum externum, atque adeo Sacrificium in Lege nova cessaturum. Resp. Christum solùm velle ceremonias carnales apud Judæos typicas, apud Samaritanos falsicatibus permixtas esse cessaturas, & novam cultûs formam magìs spiritualem & veram, etsi etiam externam esse introducendam. Immo ex hoc loco sumitur argumentum pro Catholicis: Christus enim dicens Patrem esse adorandum, loquitur de adoratione, quæ sit Sacrificium: nam de vero Sacrificio, & loco ejus Samaritana interrogaverat inquiens: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet*; utique ad immolandum ibidem in templo unico sacrificia: adeoque cùm Christus eodem verbo adorandi utatur, *justa & digna præscriptio est, ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis*; ut ait *Tertullianus l. 4. contra Marcionem c. 38.*

Objicitur II. Christus est unicus Sacerdos, & quidem in æternùm, teste Apostolo *ad Hebr. 7.* ubì postquàm dixisset Aaronicos Sacerdotes fuisse plures idcirco, quòd morte prohiberentur permanere, subjungit: *Hic autem Christus; eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Ergo in Lege nova non sunt Sacerdotes, qui offerant verum Sacrificium. Resp. Neg. Conf. quia Christus est & ab Apostolo dicitur unicus Sacerdos, sicut dicitur unus Pastor & unus Magister, quia videlicet non habet sibi succedentes in eadem potestate & auctoritate, sicut habebant Sacerdotes Aaronici. Ex quo tamen non sequitur, eum carere Vicariis, utì Pastoribus & Doctoribus, ita & Sacerdotibus: immo illos habere sequitur. si enim sempiternum habeat Sacerdotium, illudque non debeat esse otiosum, nec tamen per se exerceat, sequitur quòd debeat habere Vicarios Sacerdotes, per quos exerceat, sicut habet Vicarios Pastores & magistros, per quos gregi suo provideat.

Objicitur III. Apostolus *ad Hebr. 7.* docet Sacerdotium & Sacrificium aaronicum esse reprobatum propter infirmitatem & inutilitatem, ideoque debuisse offerri quotidie: atqui Sacrificium crucis, quod Christus semel obtulit, non fuit infirmum aut inutile, sed infiniti valoris; ideoque non fuit opus Christum sæpiùs pati, juxta Apostolum *suprà & c. 9.* ergo etiam non fuit opus alio Sacrificio, quod illi succederet, & quotidie offerretur. Resp. Neg. Conf. quàmvis enim Sacrificium crucis sit infiniti valoris & sufficientissimum instar hostiæ seu pretii, ut propterea Deus omnibus, quibus ipsum debitè applicatur, sit paratus tribuere veniam seu remissionem omnium peccatorum, quod tantùm vult Apostolus: opus tamen fuit alio Sacrificio quotidie offerendo. In primis in honorem Dei, à quo sicut quotidie, immo singulis momentis vita nostra dependet, sic congruentissimè populus Christianus id quotidie aliquo Sacrificio protestatur. Deinde ut fructus Sacrificii crucis nobis applicetur: fructus enim ille, etsi infinitus, non est tamen hominibus immediatè applicatus (alioquin omnes essent salvandi) sed opus est aliis mediis, v. g. bonis operibus, Sacramentis, per quæ applicetur: ad quod inter alia convenientissimum est Sacrificium. Unde sicut Sacramenta non sunt equidem superflua; ita nec Sacrificium in nova Lege: & sicut illa insufficientiam passionis Christi non arguunt, ita nec hoc Sacrificium insufficientiam Sacrificii cruenti. Non itaque neces-

necesse est Christum sæpiùs pati, & sic offerre pretium condignum pro novis peccatis: cùm una oblatio corporis sui in cruce fuerit pretium abundantissimum pro expiatione omnium, etiam futurorum, delictorum: sed opus est Sacrificio applicatorio istius pretii Sacramentis &c. sicut ipsi Novatores necessariam ad hoc dicunt fidem suam specialem: debentque media illiusmodi repetitis peccatis denuo applicari.

Hinc patet subsistere argumentum Apostoli *ad Hebr.* 10. arguentis insufficientiam veterum Sacrificiorum, quæ jugiter pro peccatis etiam iisdem expiandis offerebantur, ea scilicet non sufficisse instar lytri seu pretii pro peccatis, prout contendebant Judæi, componentes, immo præponentes Moysen & Aaronem Christo, sacrificiaque sua tamquam deletiva peccatorum & justificativa, Sacrificio Christi. *Alioquin* (inquit) *cessassent offerri, ideo quòd nullam haberent conscientiam peccati cultores semel mundati.* Quod tamen non obstat efficaciæ medicum in nova Lege iterabilium, sive Sacrificii incruenti, sive Sacramentorum, sive bonorum operum, quorum omnium tota vis pendet à Sacrificio Crucis. Ut proinde omnia induant rationem unius. Et signanter Sacrificium incruentum semper offertur ac repetitur tamquam unum cum cruento; cujus est commemorativum & applicativum, ac in quo idem numero Christus offertur & offert. Neque nova aut improvisa est hæc objectio Hæreticorum, sed eam sibi movent, & solerter conantur diluere omnes ferè Orthodoxi Commentatores, signanter *Chrysostomus*, magno argumento veritatis semper creditæ in Ecclesia de altaris Sacrificio.

Objicitur IV. Eucharistia est Sacramentum, ergo non Sacrificium. Resp. Neg. Cons. possunt enim illa coincidere in eamdem rem, ut sit Sacramentum, quatenus est signum efficax gratiæ; Sacrificium, quatenus offertur Deo. Quamvis cùm Sacrificium propriè consistat in actione, non tam Eucharistia, quàm illius consectio sit Sacrificium.

Objicitur V. Eucharistia est testamentum; ergo non Sacrificium: nam testamento Deus aliquid largitur; Sacrificio autem nos Deo aliquid offerimus. Resp. Neg. Cons. quia non repugnat, ut quod Deo offerimus, ab ipso receperimus, juxta illud 1. *Paralip.* 29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

Objicitur VI. Si Christus obtulerit Sacrificium Eucharisticum in ultima cœna, fuisset illud infiniti valoris & sufficientissimum ad deletionem omnium peccatorum generis humani: ergo frustrà fuisset Sacrificium crucis. Resp. Neg. Cons. quia etsi fuerit infiniti valoris, uti & quævis alia actio Christi, tamen ex pacto inter Christum & Deum

tollit necessitatem Sacrificii crucis.

27. Pro fine quæstionis nota, vocabulum *Missa* (quo exprimi solet Sacrificium novæ Legis) esse in Ecclesia Latina, utì usitatissimum, sic & antiquissimum, ut patet ex vetustissimis Conciliis *Romano sub Sylvestro, Carthaginensi II. & IV.* & Patribus, *Ambrosio, Gregorio* & aliis passim. Et quidem putant Nonnulli esse hebraicum designans oblationem voluntariam. Quod refutat *Bellarm. l. 2. de Missa c.* 1. meliùs censens esse vocem latinam à Latinis primò usurpatam, sive ob hoc quòd oblatio & preces in Sacrificio ad Deum mittantur, sive potiùs à missione seu dimissione populi, ut Missa sit idem quod missio, sicut apud Veteres collecta & collectio, aut sicut peccati remissa & remissio. Quo modo *Cassianus l. 3. de Canonico orationum & psalmorum modo c.* 7. dimissionem congregationis vocat *Missam congregationis.* Eodemque sensu in fine Sacri dicit Sacerdos, *Ite, Missa est*, id est, dimissio est. Et *Carthaginense IV. c.* 84. jubet omnes ab Episcopo admitti ad Ecclesiam usque ad missam, id est, dimissionem, Catechumenorum. Et *Augustinus serm.* 237. *de temp.* inquit: *Ecce post Sermonem fit Missa*, id est, dimissio, *Catechumenis. Manebunt fideles &c.*

Missa est vox Latina primò usurpata ut sit idem quòd missio seu dimissio, populi scilicet.

Quo sensu dicit Sacerdos, Ite, missa est.

Et olim fiebat missa seu dimissio Catechumenis.

Hinc factum est ut totum ipsum divinum officium, complectens confectionem Eucharistiæ, ceteraque ipsam antecedentia & consequentia appelletur nomine Missæ. Estque hæc usurpatio frequentissima apud omnes posteriores, immo etiam apud *Gregorium, Leonem, Felicem IV. Concilium Agathense, & Concilium Aurelianense*, ut refert *Bellarm. sup.* Ipsa verò pars hujus officii anterior, cui interesse poterant Catechumeni, scilicet usque ad Offertorium, appellatur in *Concilio Valentino c.* 1. Missa Catechumenorum, quorum tunc fiebat dimissio. Sequens autem pars divini officii propriè dicitur Missa fidelium, teste *Alcuino l. de off. Eccles. c. de Celebr. Missæ.* De qua *Ambrosius l. 5. Ep.* 33. *Ego mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione.*

Nunc, & sæpè apud Veteres significat totum officium in quo peragitur Sacrificium.

Cujus pars prior usque ad Offertorium Missa Catechumenorum postea dicitur Missa Fidelium.

QUÆSTIO III.

In quibus rebus sive actionibus consistat essentia Sacrificii novæ Legis?

28. NOta nomine Sacrificii propriè intelligi ipsam etiam actionem sacrificandi. Frequenter tamen sumitur pro ipsa re quæ sacrificatur, sive pro victima ipsius Sacrificii. Sic *Tridentinum sess. 22. in proœmio* Eucharistiam vocat *verum & singulare Sacrificium.* Et *Augustinus* 22. *de Civit. c.* 10. postquàm dixisset: *Uni Deo Martyrum & nostro*

Sacrificium propriè actionem sacrificandi, interdum ipsam rem

Sacri-

sacrificandam denotat.

Sacrificium immolamus; paulò post subdit: *Ipsum verò Sacrificium* id est, victima quæ offertur, *corpus est Christi.*

29. *In Missa Sacrificatur propriè & principaliter Corpus & Sanguis Christi, seu ipse Christus.*

Dico I. Res, quæ propriè & principaliter in Missa sacrificatur, est Corpus & Sanguis Christi, sive ipse Christus. Est de fide ex *Tridentino sess. 22. can. 2.* ubi definit Christum instituisse, *ut Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum.* Et *cap. 1.* docet Christum *in Cœna novissima Corpus & Sanguinem suum Deo Patri obtulisse*, & *c. 2.* docet, *quod sit una eademque hostia idemque nunc offerens, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ.* Item Christum in mysterio Missæ *incruentè immolari.* Idem significat Andreas Apostolus dicens: *Ego immaculatum Agnum in altari offero.* & alii Patres. Unde sicut non tantùm Corpus vel Sanguis Christi, sed etiam ipse Christus est victima in cruce oblata, ita quoque est victima Sacrificii Missæ. Quamquam enim sub singulis speciebus non sit totus ex vi verborum, est tamen totus (quod sufficit) per concomitantiam, etiam vi consecrationis. Nisi quis cum *Aversa q. 11 sect 3.* dicere malit, Christum realiter totum immolari, uti totus realiter penitur: formaliter autem ex vi verborum sub specie panis Corpus, sub specie vini Sanguinem immolari.

30. *Secundariò panis & vinum.*

Dixi, *quæ principaliter sacrificatur*: nam panis & vinum etiam aliqualiter spectant ad Sacrificium Missæ, tamquam materia ex qua seu terminus à quo; & verè immutantur in honorem Dei, quàmvis eorum destructione non ita intendat Deus honorari, sicut novæ ac sanctioris hostiæ productione. Unde etiam subinde dicuntur in Sacrificio offerri, sacrificari &c. prout loquitur Ecclesia in Officio venerabilis Sacramenti, *Ambrosius in Oratione præparatoria ad Missam, Irenæus, Cyprianus*, & alii Patres: quid ni propriè intelligendi? Immutatur enim substantia panis & vini destructione factâ à ministro legitimo in protestationem summi dominii Dei.

Dices: In cruce non fuit panis aut vinum hostia minùs principalis; ergo nec modò: cùm hostia sit utrobique eadem secundùm *Tridentinum.* Resp. Concilium loquitur manifestè de identitate hostiæ principalis. Nam etiam docet ad nostrum Sacrificium spectare symbola sensibilia seu species, quæ non spectabant ad Sacrificium crucentum.

31. *Quorum destructio simul cum Christi positione sub speciebus efficit unicum, non duplex Sacrificium.*

Panis porrò & vini, velut terminorum præsuppositorum, destructio, conficit cum consecratione corporis & sanguinis Domini, non duplex Sacrificium (quàmvis ita loquatur *Ruardus art. 16. contra Lutherum*) sed unicum, ut loquuntur Doctores communiter, & loquitur Ecclesia *in Orat. Secreta Dom. 7. post Pentec. Qui legalium differentiam hostiarum, unius Sacrificii perfectione sanxisti.* Similiter loquuntur SS. Patres, & satis apertè insinuat *Tridentinum sess. 22. in proœmio.* Ratio est, quia eâdem actione consecrativâ, quâ destruitur panis & vinum, ponitur Christus. Deinde ubi unum est propter aliud, tantùm est unum.

Præterea species panis & vini sunt medium sub quo fit Sacrificium: non enim Christus ut existens in propria specie, sed ut existens sub speciebus sacramentalibus, est res in hoc Sacrificio oblata, sicut earnus etiam est Sacramentum; sitque per illas sufficienter victima sensibilis. Unde nulla actio Sacrificii versatur circa Christum ut in propria specie existentem, sed quatenus existit sub speciebus sacramentalibus. Idem colligitur ex *Tridentino suprà c. 1.* docente *Christum in novissima cœna Corpus & Sanguinem suum Deo Patri obtulisse, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium.* Item Christum *novum instituisse pascha se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum.*

Immo non malè dici videtur ipsas species sensibiles esse quoque partem quamdam ipsius victimæ seu hostiæ; ut plures loquuntur. Et colligitur ex *can. Hoc est, de cons. Consecr. d. 2. Hoc est quod dicimus, Sacrificium Ecclesiæ duobus constare, visibili Elementorum specie, & invisibili Christi carne & sanguine.* Deinde victima debet esse sensibilis; ergo quod sensibilem facit, est pars. Sed hoc non convincit: nam colores & accidentia sensibilia faciebant in cruce Christum sensibilem, & tamen non erant pars victimæ. Tertiò immutantur à ministro legitimo, quatenus abstrahuntur à subjecto proprio, & transeunt ad novam substantiam. Quartò Eucharistia dicitur Sacrificium, utique tamquam res oblata seu victima: ad Eucharistiam autem spectant species tamquam pars. Quintò victima hujus Sacrificii cedit in cibum; cedit autem in cibum quà Sacramentum, adeoque quà includit species.

Dico II. Certum est non omnes actiones, quæ in Missa exercentur, pertinere ad substantiam Sacrificii: plurimæ enim solùm sunt accidentales ceremoniæ ab Ecclesia institutæ. Quod specialiter cum Doctoribus communiter est dicendum de oblatione verbali sub offertorio, item de oblatione quæ sequitur consecrationem, similiter de fractione hostiæ ejusque mixtione cum sanguine: quàmvis de omnibus aut singulis Nonnulli fuerint opinati, eas pertinere ad essentiam Sacrificii. Sed absque apparenti fundamento: cùm eas solùm instituerit Ecclesia, nec in principio ejusdem omnes fuerint adhibitæ; neque etiam legantur esse adhibitæ ab ipso Christo: exceptâ fractione, quam solum adhibuit materialiter, idque juxta multos ante consecrationem, ut videlicet Apostolis fieret distributio. Unde si omittantur, adhuc Sacrificium est perfectum; neque necesse est illas supplere. Et hinc

hinc dum una vel utraque species est reconsecranda, non necessariò præmittitur oblatio verbalis, neque etiam juxta præscriptum Rubricarum necessariò postponitur, sed facta consecratione, omissis ceteris actionibus, species consecratæ sumuntur. Sicut etiam omittitur fractio hostiæ ex præscripto Rubricarum, si antea in calicem ceciderit.

Quare nequidem dici debent de Sacrificii integritate (quamvis nonnulli sic loquantur) potiùs quàm aliæ cæremoniæ Missæ. Etsi pertineant ad Missæ integritatem, prout ipsa censetur aggregatum ex omnibus, quæ solent à Sacerdote exerceri: sic autem pertinet quoque ad illius integritatem lectio Epistolæ vel Evangelii.

Dices: Sacrificium consistit in oblatione: ergo oblatio verbalis, saltem subsequēs consecrationem, est de essentia hujus Sacrificii. Resp. Neg. Cons. quia ipsa consecratio est oblatio, hoc est, actio Deo exhibita eâ intentione, ut denotetur esse supremus Dominus. Sicut absque oblatione verbali mactatio animalium, facta à Sacerdote juxta præscriptum veteris Legis, erat oblatio realis sufficiens ad rationem Sacrificii.

Est etiam extra controversiam, quòd distributio Eucharistiæ, quæ fit Laicis, non sit de ratione hujus Sacrificii: hoc enim sine illa rite peragi definit *Tridentinum sess. 22. c. 6.* & *can. 8.* contra Hæreticos, qui hoc maximè nomine oderunt Missas privatas, quòd in eis solus Sacerdos communicet. Has tamen velut licitas approbat Ecclesia & *Tridentinum suprà c. 6. Si quidem* (ait Concilium) *illæ quoque Missæ verè communes censeri debent, partim quòd in eis populus spiritualiter communicet; partim verò quòd à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.* Præterea nullum apparet vestigium divini præcepti, quo vel omnes, vel aliqui adstantes obligarentur ad participandum de hostia Sacrificii Missæ. Nullum etiam extat hac de re præceptum Ecclesiæ, ut ex ejusdem praxi ac declaratione constat. Neque obstant quidam Canones, quibus præcipi videtur, ut communicent, qui Missæ intersunt. Nam inde non sequeretur Missas aliter celebratas esse illicitas; sed ad summum, peccare eos, qui nolentes communicare Sacrificio, intersunt. Deinde Canones isti hodie vim non habent. Immo jam olim *Fabianus Papa Epist. 3.* & refertur *c. Etsi non 16. de Consecr. d. 2* tradidit, ut fideles saltem ter in anno communicent, apertè supponens eos non obligari quotidie, aut quoties intersunt Sacrificio Missæ, communicare. Neque etiam umquam videtur fuisse stricta obligatio communicandi singulis diebus, aut in singulis Missis. Adde, aliquos Canones peculiariter agere de Clero assistente Sacerdoti in Missa solemni: qui tamen ne quidem eatenus sunt in usu.

Optat nihilominus *Tridentinum suprà*, ut in singulis Missis fideles adstantes sacramentaliter communicent, aliqui saltem. Estque idem consonum fini saltem secundario Sacrificii, nec non nostræ Liturgiæ, in qua pluraliter dicit Sacerdos: *Vt quotquot ex hac altaris participatione Sacrosanctum Filii Corpus & Sanguinem sumpserimus.* Quod videtur institutum, quando frequentior erat participatio adstantium de Sacrificio; & nunc etiam retinetur, tum ob spiritualem de Sacrificio participationem: tum quia ratio ista adhuc retinet veritatem ex hypothesi, ut si qui sint communicaturi, id præstent cum augmento cælestis gratiæ & benedictionis. Hodie tamen ob commoditatem valde frequenter datur Communio adstantibus & communicare volentibus ex formulis præconsecratis. Per quod non fiunt quidem sacramentaliter participes præsentis Sacrificii, sed potiùs præteriti, sub quo formulæ istæ fuerant consecratæ. Cui consonat illud Apostoli 1. *ad Cor. 10. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Et consequenter ipsius Sacrificii quod in altari oblatum est. Unde *Estius ibid.* ait: *Discimus ex hac Apostoli sententia, similiter omnes eos, quibus communicatur corpus Domini, etiam extra locum & tempus Sacrificii, prout in Ecclesia fieri consuevit; ipsius Sacrificii, quo illud oblatum est, fructum participare: quandoquidem & in veteri Lege extra tempus & locum Sacrificii de immolatis edebatur, idque cum effectu sanctificationis legalis.*

37. *Consonat tamen desiderio Tridentini, fini Sacrificii & Liturgiæ.*

Quotquot & quando cumque cōmunicant, censentur participare de altari seu Sacrificio.

Solùm ergo remanet duplex actio, quæ fit à Sacerdote circa Eucharistiam, scilicet consecratio & sumptio sacerdotalis: de quibus dubitari potest, an in utraque, an verò in alterutra solùm consistat substantia Sacrificii. 38.

Dico III. Sumptio Eucharistiæ non videtur pertinere ad essentiam Sacrificii. Ita communiùs Doctores contra *Bellarminum* & alios. Colligitur ex *Toletano XII.* (& refertur c. *Relatum de Consecrat. dist. 2.*) ubi graviter reprehenduntur Sacerdotes, qui non communicabant toties quoties sacrificabāt: *quasi non sit* (ait Concilium) *toties illi Sacrificio participandum, quoties corporis & sanguinis immolatio facta constiterit.* Ubi distinguitur sumptio sive participatio Sacrificii ab ipso Sacrificio & immolatione. Quod etiā fit in Oratione secreta Festi Epiphaniæ, ubi habetur: *Declaratur, immolatur & sumitur Jesus Christus &c.*

Sumptio à sacrificante faciendā nō est de essentia Sacrificii Missæ.

Ex quo desumitur ratio Conclusionis: quia manducatio solùm est quædam participatio altaris seu Sacrificii jam peracti, populo & Sacerdoti cōmunis; neque fit in persona Christi, utì Sacrificium fieri debet, sed in ipsius manducantis utilitatem, etsi ad honorem Dei. Confirmatur: nam quòd manducatio pertineret ad essentiam Sacrificii, potissimùm foret ideo, quòd per illam fiat immutatio circa hostiam: quod videtur fundamentum *Bellarmini*. Sed non urget; cùm

cùm immutatio huic Sacrificio essentialis habeatur in ipsa consecratione, ut *sect. concluſ.* patebit. Adde, non esse omnino certum, quòd Christus Eucharistiam sumpserit; ubi tamen de fide est, eum in ultima cœna sacrificasse.

39. *Spectat tamen ad quàdam illius perfectionem & complementum.*

Fatendum nihilominus est, sumptionem Eucharistiæ proximiùs, accedere ad rationem Sacrificii, sive tamquam partem integralem, sive potiùs tamquam extrinsecam Sacrificii perfectionem & ultimatum complementum: cùm Eucharistia sit institutа, non solùm ut Sacrificium, sed etiam ut convivium: adeoque illius sumptione obtineatur finis ad quem res consecrata ordinatur. Et hinc tantam semper adhibuit Ecclesia diligentiam, ut ipse celebrans, aut eo deficiente alius Sacerdos sacra mysteria perficeret per sumptionem: quæ proinde videtur esse juris divini: quàmvis hoc non satis constare censeat *Suarez d 75. sect 5. circa finem.* Ubi advertit, quòd *Tridentinum sess. 13. c. 8.* quidem dicat: *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Sacerdotes celebrantes se ipsos communicarent: qui mos tamquam ex traditione Apostolica descendens jure ac merito retineri debet*; nullam tamen faciat juris divini mentionem. Verùm non agit ibi *Tridentinum* de sumptione utriusque speciei, sed de hac solùm circumstantia, quòd Laici soleant de manu Sacerdotis, Sacerdos autem celebrans de manu propria sumere Eucharistiam. At *sess. 21. c. 1.* agens de sumptione utriusque speciei, cautè ait, *nullo divino præcepto Laicos & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum*; sufficienter indicans, non esse idem de Clericis conficientibus. De quibus idcirco est solicitudo tam inviolabilis Ecclesiæ, ut semper integra Sacramenta sumant.

Iurè, ut apparet, divino.

40. *Officium in die sancto Paraſceves non est propriè Missa seu Sacrificium,*

Dices I. Feriâ sextâ Paraſceves fit Sacrificium, ut colligitur ex Oratione, quæ tunc dicitur: *Sit fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie &c.* nulla autem actio sacrificativa tunc fieri videtur præter sumptionem. Resp. officium illius diei non esse propriè Missam, adeoque nec Sacrificium: cùm sumptio saltem non sit tota essentia illius, sed ad illam indubiè consecratio videatur debere concurrere, quæ isto die non fit. Sicut nec concurrit utraque species: cùm tamen de facto constet in toto orbe non posse offerri Sacrificium in unica specie. Sumitur itaque ibi Sacrificium latiùs, sive pro re Sacrificio aptâ, sive pro actionibus in communi Sacrificio usurpari solitis, etsi sacrificatio essentialis desit: vel sanè petit Ecclesia ut Sacrificium præcendentis diei fiat denuò acceptabile in hostia tunc oblatâ: prout in fine Missæ orat Sacerdos, ut Sacrificium jam peractum sit Deo acceptabile, ipsoque acceptante nobis propitiabile. Alioquin sumptio Eucharistiæ cum tali ritu est ab Ecclesia instituta, solâque solemnitate Ecclesiasticâ differt à laica Sacerdotis communione.

Dices II. Sacrificium novæ Legis est holocaustum: ergo ad rationem illius spectat consumptio per manducationem. Resp. Neg. Cons. nam holocaustum non debet totaliter consumi per manducationem: immo quæ in veteri Lege per manducationem consumebantur, non erant holocausta. Solebant tamen tunc holocausta omnino destrui, & per ignem in cineres redigi; idque ex præcepto divino, non autem ex natura holocausti: cùm in Sacrificio crucis (quod erat holocaustum) corpus Christi non fuerit manducatione vel alio modo consumptum. Sufficit igitur, ut victima totaliter offeratur & cedat in honorem Dei, sive id fiat per totale hostiæ consumptionem, ut in veteri Testamento, sive per talem oblationem, quâ res sic integrè cedat Deo, ut nulla ejus pars cedat in humanum usum seu utilitatem, nisi spiritualem, ut fit in Sacrificio novæ Legis. Addè victimam secundariam totaliter destrui, scilicet substantiam panis & vini, ut nequidem maneat materia prima, quæ saltem in holocaustis taurorum, vitulorum &c. remanebat.

Dico IV. Essentia Sacrificii juxta Theologos communiter consistit in consecratione; immo juxta communiorem & veriorem sententiam in illa sola.

Prima pars satis insinuatur à Patribus docentibus oblationem sive Sacrificium novi Testamenti fieri seu perfici in consecratione. Sic *Irenæus l. 4. contra hæres. c. 32.* dicit Christum docuisse novi Testamenti novam oblationem, quando dixit, Hoc est corpus meum. Et *Chrysostomus hom. de proditione Judæ* dicit verba Domini, *Hoc est corpus meum*, usque ad finem mundi præstare Sacrificio firmitatem. Et Auctor vetustissimus *Serm. de Cœna Domini* apud *Cyprianum* dicit, cùm verbis consecrationis panis beneficitur, Eucharistiam fieri, medicamentum & holocaustum.

Deinde probatur: quia Sacerdotium per se primò ordinatur ad sacrificandum: Sacerdotium autem novæ Legis seu character Sacerdotalis, quatenus respicit verum Christi corpus, ordinatur præcipuè ad actum consecrandi: ergo in consecratione consistit Sacrificium. Insuper Sacrificium fieri debet in persona Christi, qui in illo est offerens principalis; consecratio autem, eaque sola, fit in persona Christi: in qua Sacerdos loquitur, tamquam ipse sit Christus.

Denique in consecratione perfectè reperitur immutatio hostiæ in Dei cultum, quatenus Corpus & Sanguis Christi succedit in locum panis & vini, sive hostiæ minùs principalis destructæ: neque enim minùs idonea est immutatio hostiæ principalis productiva ad testandum supremum Dei dominium, quàm ejusdem destructiva.

va. Præterea in consecratione potissimùm cernitur immutatio sive mactatio mystica hostiæ principalis, repræsentativa cruenti Sacrificii, cujus nostrum ex principali suo fine est commemorativum seu repræsentativum: quatenus Christus per consecrationem ponitur sub speciebus inanimatis modo mortuo, sive quia, quantum est ex vi verborum consecrationis, exhibentur corpus & sanguis separatâ tamquam partes victimæ occisæ: sive etiam quia ibi statuuntur in statu inepto ad connaturales operationes & passiones vitæ humanæ. Igitur consistit Sacrificium novæ Legis incruentum in consecratione.

Secunda pars Conclusionis satis colligitur ex præcedenti: quia videlicet sola consecratio fit in persona Christi. Deinde in illa sola sufficienter & perfectè cernitur repræsentatio Sacrificii cruenti, & immolatio Christi, ejusdem nomine facta. Idem etiam insinuant Patres, statuentes nostrum Sacrificium in consecratione; in qua etiam Nonnulli expressè asserunt reperiri rationem holocausti. Denique patet ex antè dictis, ceteras Missæ actiones ad rationem essentialem Sacrificii novæ Legis non spectare; ergo ad illam spectat sola consecratio.

Sed quæri potest, an includatur essentialiter consecratio utriusque speciei? Et passim respondetur affirmativè. Nec videtur dubitandum, quin utriusque speciei consecratio requiratur ad perfectam rationem Sacrificii novæ Legis ex institutione Christi, qui in illo instituit offerri Corpus & Sanguinem suum sub specibus panis & vini. Similiter satis constat rationem essentialem Sacrificii incruenti, & repræsentationem cruenti perfectissimè reperiri in consecratione utriusque speciei. Nihilominus non satis apparet, cur in consecratione solius panis, aut etiam solius vini seorsim, non habeatur ratio veri Sacrificii, etsi non totalis & completi, prout à Christo est institutum: nam in solius v. g. panis (idem cum proportione est de vino) consecratione cernitur immutatio consistens in productione hostiæ principalis, ac destructione minùs principalis, fitque à ministro legitimo in protestationem summi Dei dominii; & specialiter repræsentatur Christus in cruce immolatus, immo separatio corporis à sanguine, quatenus ex vi verborum ponitur solum corpus, vel simili aliquo modo. Quàmvis alioquin hæc repræsentatio non appareat essentialis huic Sacrificio quà Sacrificium, præcisè est; utpote citra quam reperiri possunt in ea quævis requisita ad veram rationem Sacrificii. Adde, quòd in gravissima necessitate, ex epykia præsertim Ecclesiæ, consecratio unius speciei sit licita, & extra illam saltem valida; quæ etiam sola adhibetur, quando inopinatò deficit altera species: his tamen casibus omnino dicendum est, Sacerdotem sacrificare, seu facere Sacrificium, sed mutilum, seu non integrum; utì verè conficeret Sacramentum; quod nisi per Sacrificium non conficitur: adeò ut exclusâ penitùs intentione sacrificandi, consecrationem fore invalidam censeat *Aversa quæst. 11. sect. 1. in fine* & alii.

QUÆSTIO IV.

Qui sint Offerentes hoc Sacrificium?

DICO I. In omni Missæ Sacrificio Christus est Offerens. Patet ex c. *Firmiter de summa Trinit. Florentino in Decreto Eugenii, & Tridentino sess. 22. c. 2.* ubì ait: *Una eademque est hostia, idemque nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit.* Idem patet ex *Ambrosio in Psal. 38. Cypriano Epist. 63.* aliàs *lib. 2. Epist. 3.* Item ex ipsis verbis consecrationis, in quibus Sacerdos super materia præsenti, dicit: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Quibus clarissimè significatur, ipsum loqui in persona Christi, adeoque in persona ejusdem offerre Sacrificium. 46. *In qualibet Missa Christus est Offerens.*

Ex quo etiam patet, quâ ratione Christus sit offerens, & quidem principalis: videlicet non tantùm quia Sacerdotium hoc & Sacrificium instituit, ac juxta voluntatem ipsius offertur, sed etiam quia ipse Sacerdotes constituit suos ministros & vicarios, qui nomine & in persona ipsius, eumque repræsentantes Deo offerunt hoc Sacrificium: nam *Sacerdos* (in altari scilicet) *vice Christi fungitur*, ut ait *Cyprianus suprà*. Ipseque *in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*; ut loquitur *Florentinum suprà*. Patet hoc ipsum ex *Tridentino suprà*. Unde sicut Rex mittens legatum ad gratulandum & obsequium deferendum Pontifici noviter creato censetur principalis agens, dum legatus gratulatur & obsequium offert: ita etiam Christus est principalis offerens, seque submittens in ordine ad Deum, qui Sacrificio colitur. Huc accedit, quòd Christus etiam ad Sacrificia sit attendens, & illa Deo Patri repræsentet. Quàmvis non constet, quòd alium actualem & immediatum in quotidiana Sacrificia concursum præbeat, & non potiùs ministris juxtà suam voluntatem (in qua adhuc perseverat) & nomine suo offerentibus, actiones sacrificativas relinquat. Quod videtur insinuare *Florentinum suprà*, & *Cyprianus suprà*. Sic etiam verificatur quod *Tridentinum suprà* dixit eamdem esse victimam, eumdem offerentem in altari & in cruce, solâ offerendi ratione existente diversâ, quia videlicet in cruce per se & sub propria spe- 47. *Et quidem principalis.* *Quo sensu id verum sit.*

cie, in altari per alios, seu (ut loquitur *Trident. suprà*) Sacerdotum ministerio, & sub aliena specie offertur, sic tamen ut ipsa quæ per alios fit oblatio, sit moraliter actio ipsius Christi, prout in veteri Testamento locutio Angeli Deum repræsentantis censebatur locutio ipsius Dei, in cujus persona Angelus dicebat: *Ego sum Deus Abraham &c.* sicut nunc Sacerdos in persona Christi ait, *Hoc est corpus meum.* Nec aliud voluit *Scotus quodlib. 20. n. 23.* dicens, Christum non immediatè hîc offerre Sacrificium, quàm quòd Christus non offerat immediatè per se quotidiana Sacrificia eo modo, quo fecit in ultima cœna, & quo id faciunt quotidie Sacerdotes.

48. *Hâc ratione Christus est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Et hoc modo etiam patet, qualiter Christus verè sit Sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech: quia usque in finem mundi per suos vicarios & ministros juxta illum ordinem offert Sacrificium. Patet etiam, qualiter illud non polluatur malitiâ ministrorum: eò quòd hi tantùm præstent ministerium offerendo in persona alterius, quæ Patri æterno displicere non potest.

49. *Sacerdotes sunt ministri propriè, etsi secundariò, sacrificantes.*

Dico II. Sacerdotes legitimè ordinati offerunt propriè & per se hoc Sacrificium. Et certum est. Et patet ex forma Ordinationis, in qua Sacerdotibus datur *potestas offerendi Sacrificium pro vivis & pro defunctis.* Item ex *Tridentino sess. 22. cap. 2. & can. 2. & sess. 23. c. 1.* Deinde hanc potestatem non esse aliis fidelibus communem, sed Sacerdotibus particularem, eamque perpetuam, docet idem *Tridentinum sup. cap. 4. & can. 4.* Hinc Sacerdos non est merum instrumentum seu merus executor, sed verus sacrificans, etsi tamquam vicarius & publicus minister Christi; ideoque debet procedere ex certa intentione, ut non sufficiat præterita Christi voluntas seu intentio, nisi in præsenti Sacerdos ipse intendat offerre & sacrificare. Prout è contrà datio eleemosynæ per famulum, veluti merum executorem & instrumentum, non pendet ab hujus intentione, libertate &c.

50. *Fideles reliqui offerunt Sacrificium aliquo modo,*

Dico III. Fideles non Sacerdotes possunt aliquo modo dici offerre hoc Sacrificium. Patet ex variis partibus Canonis Missæ. Nam ante consecrationem post *Memento*, dicit Sacerdos: *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Item: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ.* Idem patet ex *Leone Ep. 81 c. 2.* Modus autem ille, quo offerunt, consistit in eo, quòd aliqualiter ad Sacrificium concurrant, petendo illud pro se offerri, ministrando, eidem assistendo, & affectu se conjungendo Sacerdoti, qui est primarius Sacrificii minister.

Qui declaratur.

QUÆSTIO V.

Pro quibus hoc Sacrificium sit offerendum?

Dico I. Potest hoc Sacrificium offerri, tum pro vivis, tum pro defunctis. Ita definit *Tridentinum sess. 22. c. 2. & can. 3.* Deinde in ipsa ordinatione Sacerdotum traditur eis potestas offerendi Sacrificium pro vivis & pro defunctis. Quod etiam exprimitur in Ordinario Missæ, & antiquis Liturgiis. Idem patet ex plurimis Patrum auctoritatibus, quas Nonnulli congerunt. Nobis paucæ sufficiant. *Augustinus Enchiridii cap. 110. Neque* (inquit) *negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt &c.* Idem docet alibi sæpissimè. Immo oppositam doctrinam inter errores *Arii* recenset, tum ipse, tum *Epiphanius & Damascenus.* Eumdemque ritum ab Apostolis manasse asserit *Chrysostomus Hom. 69. ad populum Antioch.* Et *Homil. 3. in Epist. ad Philippenses. Denique* (inquit *Cyrillus Hierosolymitanus Catech. Mystag. 5.*) *pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod ut altari positum est, Sacrificii.*

Immo etiam in antiqua Synagoga offerebantur Sacrificia pro defunctis, ut patet *2. Machab. 12.* Ratio est: quia per alia suffragia possumus juvare tum vivos tum defunctos: ergo maximè id poterimus per acceptabile altaris Sacrificium.

Quod tamen attinet ad defunctos, non potest Sacrificium offerri pro damnatis, ut Patres & Doctores communiter supponunt, & decisum est c. *Pro obeuntibus 13. quæst. 2. & c. Placuit 23. quæst. 5.* idque ob irremissibilem eorum damnationem. Quare pro iis solis potest offerri, qui in statu gratiæ decesserunt necdum plenè purgati: hi enim sunt capaces fructûs Sacrificii, scilicet remissionis pœnarum temporalium. De quibus proinde hoc expresè tradit *Tridentinum sess. 22. cap. 2. & sess. 25.* in *Decreto de purgatorio*, ubi ait, *animas* in purgatorio *detentas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris Sacrificio juvari.*

Hinc etiam pro Beatis non potest propriè offerri Sacrificium: neque enim possumus pro eis satisfacere, aut aliquid, quo indigeant impetrare, aut eorum gloriam apud Deum orationibus augere. Sicut nec possumus pro eis orare. *Quia* (ut ait *Innocentius III. c. Cum Marthæ de celebrat. Missarum*) *Sancti orationibus nostris non indigent. Et injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Quàmvis aliquo modò minùs propriè possit pro illis Sacrificium offerri, videlicet

in gratiarum actionem pro gloria illis à Deo collatâ, vel in eorum honorem, sive *ut ad hoc prosit, quòd magis ac magis* hic vel ille sanctus *à fidelibus glorificetur in terris*, ut loquitur *Innocentius III. suprà* explicans in particulari orationem, quæ in Missa B. Leonis dici solebat: *Annue nobis, quæsumus Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio.* Eodem modo intelligendum est, quod in *Liturgia S. Chrysostomi* dicitur Sacrificium offerri *pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, &c. præsertim pro sanctissima, immaculatâ, super omnes benedictâ Deiparâ*; id est, in honorem eorum. Unde mox subditur: *Verè dignum est glorificare te Deiparam, penitus inviolatam*, seu (ut Alii transferunt) *ab omni noxa exemptam.* Et paulò pòst dicit Sacerdos celebrari memoriam omnium Sanctorum, *Quorum* (inquit) *supplicationibus respice seu protege nos Deus.* Deinde subsequitur oratio pro fidelibus, tum defunctis, tum vivis. Unde idem *Chrysostomus Homil. 21. in Acta*: *Quid* (inquit) *putas pro Martyribus offerri, quod vocantur in illa horâ laici? Martyres sint, etiam pro Martyribus magnus honor nominari Domino præsente, dum mors illâ perficitur, & horrendum Sacrificium &c.*

Obiter hîc advertè, quòd sicut templa & altaria soli Deo dedicantur, etsi frequenter in honorem & invocationem Sanctorum, qui appellantur eorumdem Patroni; sic etiam Sacrificium offerri soli Deo; utpote soli supremo omnium Domino, & cui soli debetur supremus præsertim latriæ cultus, cujusmodi est Sacrificium. *Et quamvis* (ut loquitur *Trid. sess. 22. c. 3.*) *in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi Sacrificium Petre vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.*

DICO II. Pro non baptizatis, sive vivis, sive defunctis, potest offerri Sacrificium, ut eis prosit per modum impetrationis: non tamen juxta plerosque Doctores, ut prosit per modum satisfactionis ex opere operato, seu quoad fructum principalem: etsi oppositum non sit improbabile. Prima pars est *Suarez, Bellarmini, Coninck, Lugo*, & passim aliorum, contra *Vasquez*. Probatur ex *c. 2. de Presbytero non baptizato*, ubi *Innocentius III.* jubet, ut preces & hostiæ offerantur pro Presbytero non baptizato, qui in fide Christiana erat defunctus. Et *Ambrosius in Oratione de obitu Valentiniani*, qui obierat Catechumenus, hortatur, ut pro anima ejus Sacrificia offerantur. Insuper in antiquo Ordinario Romano habetur Missa peculiaris pro Catechumenis baptizandis; ubi apertè offerebatur Sacrificium pro ipsis Catechumenis. Quæ saltem persuadent posse Sacrificium pro illis offerri per modum impetrationis. Adde Judæos olim sacrificare solitos pro gentilibus, ut patet ex 1. *Esdræ 6.* & 2. *Machab. 12.* Idem testatur *Josephus l. 2. de bello Judaico c. 17.* Unde *Tertullianus* (cujus tempore Imperatores erant Ethnici) *lib. ad Scapulam* ait: *Sacrificamus pro salute Imperatoris.* Ratio est: quia si pro non baptizatis liceat orare, & divina beneficia impetrare; cur non sacrificare? quod est efficacissimum orationis genus ad impetrandum rogata.

Potiori ratione potest illis applicari satisfactio correspondens actionibus Sacrificii, quatenus sunt opus proprium Sacerdotis, sicut potest illis applicari satisfactio aliorum bonorum operum. Similiter possunt eis prodesse orationes, quas Sacerdos in Missa profert nomine Ecclesiæ tamquam publicus illius minister: nullibi enim Ecclesia hoc irritavit vel prohibuit; à cujus alioquin intentione id pendet. Ipsa equidem Ecclesia Romana non ordinat positivè, ut in suffragiis publicis oretur nominatim & directè pro non baptizatis, præterquam in die sancto Parasceves: etsi nec positivè eos excludat, vetando, ne iis suffragia communia applicentur. 56. *Vel quatenus est opus bonum sacrificantis, Vel quatenus completur preces Ecclesiæ.*

Secunda pars est communis contra Nonnullos. Ratio est, quòd Baptismus sit janua Ecclesiæ: quare sicut Sacramenta non prosunt iis, qui Ecclesiam per Baptismum non sunt ingressi, sic nec Sacrificium: quod (uti ipsa Sacramenta) Christus reliquit ad utilitatem fidelium, seu (ut loquitur *Trid. sess. 22. cap. 1.*) *dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ.* Allegatur etiam auctoritas *Chrysostomi Homil. 3. in Epist. ad Philipp.* prope finem, ubi de defunctis Catechumenis ait: *Catechumenos vero neque iste solatio*, Sacrificii nempe, *dignamur, sed omni hujusmodi destituti sunt auxilio, uno dempto*, eleemosynarum scilicet, *unde illis nonnihil refrigerii accedit.* Et *Concilium Braccarense I. cap. 17.* aliàs 35. statuit, *ut Catechumenis sine redemptione Baptismi defunctis simili modo neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium: nam & hoc per ignorantiam usurpatum est.* Adfertur etiam *Augustinus lib. 1. de Anima & ejus origine cap. 9.* Accedit quòd Catechumeni non sint capaces indulgentiarum, quarum thesaurus à Christo relictus est dispensandus fidelibus, juxta Clementem VI. *Extrav. Unigenitus de Pœnit. & remiss.* 57. *Non tamen quoad fructum principalem seu satisfactorium, juxta receptam sententiam.*

Tertia pars, quòd scilicet oppositum non sit improbabile, suadetur: tum quia auctoritates *Ambrosii* & *Innocentii* allegatæ *num. 55.* absolutè & simpliciter loquuntur, nec est ratio limitandi ad effectum secundarium & fallibilem: tum quia Sacrificium incruentum imitatur cruentum, quod etiam non baptizatis prosuit: tum quia satisfactiones proprias possumus Ca- 58. *Etsi oppositum non sit improbabile.*

thecumenis applicare, cur ergo non satisfactiones Christi per Sacrificium?

Ratio præcedentis opinionis dissolvitur.

Ad rationem prioris opinionis facilè respondetur, non esse per omnia eodem modo discurrendum de Sacramentis & Sacrificio: sed quoad hoc, quòd à solis baptizatis possint Sacramenta suscipi, & Sacrificia offerri: cùm alioquin constet Sacrificia posse offerri pro animabus defunctorum, quæ tamen non possunt suscipere Sacramenta.

59. *Explicatur Tridentinum.*

Dicit quidem *Tridentinum* suprà Sacrificium esse relictum Ecclesiæ: sed id intelligi potest hoc sensu, ut in ea offeratur, vel ut principaliter pro ea, & per ejus ministros fructus dispensetur; non tamen sic ut nequeat dispensari extraneis; aliàs neque prodesset quoad fructum impetratorium. Sicut parens relinquit filio thesaurum, præcipuè in ipsius utilitatem, cum potestate tamen etiam extraneis distribuendi.

Et Chrysostomus.

Chrysostomi auctoritas etiam aliis est solvenda; cùm omne prorsus Sacrificii auxilium negare videatur, adeoque etiam impetratorium. Videtur autem tunc, saltem in Ecclesia *Chrysostomi*, non fuisse usus publicè & nominatim in Missa orandi pro Catechumenis defunctis, nequidem in Collectis aut Memento, quod consecratione peractâ fit pro defunctis fidelibus etiam in Lyturgia *Chrysostomi*, tam à Sacerdote quàm populo (quàmvis in ea nominatim oretur pro Catechumenis vivis ante Missam Fidelium) *stante siquidem universo populo manus in cælum extendente, cœtu item sacerdotali, verendoque posito Sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro istis orantes?* ut præmittit *Chrysostomus* suprà.

Item Concilium Braccarense.

Ad Concilium Provinciale Braccarense dici potest, agi in eo de Catechumenis defunctis in malo statu, qui peccaverant per gravem negligentiam Baptismi. Quare etiam vetat pro iis orari sive iis impendi psallendi officium, dicitque hoc per ignorantiam usurpatum. Et simili modo loquitur *cap. præced.* de homicidis sui, & punitis propter scelera. Deinde posset explicari, quòd Missam & sepulturam Ecclesiasticam cum ceremoniis consuetis non velit per speciale statutum Cathecumenis adhiberi; prout etiam inde arcentur excommunicati, etsi in gratia mortui. *Augustinus* denique loco citato apertè loquitur de parvulis decedentibus in originali.

60. *Respondetur ad simile de indulgentiis.*

Ad simile desumptum ab indulgentiis, dici potest in primis, quòd plures existiment, & probabile dicat *Suarez Tom. 4. disp. 53. sect. 4.* etiam Catechumenis posse concedi indulgentias per modum suffragii. Deinde possent ipsi etiam comprehendi nomine Fidelium: aut esto quòd non, addi posset, thesaurum indulgentiarum dici quidem relictum dispensandum Fidelibus præcipuè, non tamen omnino necessariò solis; cùm etiam propriæ satisfactiones possent Catechumenis applicari. Quòd si demum omnino quis contendat in *Extrav. Vnigenitus*, & esse sermonem de Fidelibus baptizatis, & iis attribui fructum indulgentiarum cum exclusione ceterorum; adhuc non sequeretur idem de Sacrificio incruento, à Sacrificio crucis solâ offerendi ratione diverso: utpote de quo similiter non constaret, quòd sit institutum cum tali restrictione; utique non asserendâ, nisi constet.

Dico III. Pro Excommunicatis quodam sensu potest offerri Missæ Sacrificium quodam non. Conclusio declaratur. Nam sacerdos in Missa repræsentat partim personam Christi tanquam principalis offerentis, cujus nomine & auctoritate applicat fructum principalem ipsius Sacrificii: partim se habet tamquam publicus minister & legatus Ecclesiæ: partim denique se habet tamquam privata persona; uti & circumstantes. Itaque tamquam persona privata potest secretò in Missa pro excommunicatis, etiam non toleratis, orare, v. g. in Memento; aut preces, quæ in Missa dicuntur, quatenus sunt opus meritorium ipsius sacerdotis, & (inquit *Aversa quæst. 11 sect 10. §. Decimotandem*) suum privatum Sacrificii fructum illis applicare: sicut potest alias orationes & suffragia privata pro eis facere: quia Ecclesia tantùm prohibuit publica suffragia & orationes, quæ fiunt nomine Ecclesiæ, ut sumi solet ex c. *A nobis* 28. & c. *Sacris* 38. *de Sent. Excommun.* Quatenus verò est minister publicus Ecclesiæ, certò non potest pro excommunicatis non toleratis offerre Sacrificium & publica suffragia: quia id Ecclesia prohibet; immo absolutè non habet animum pro talibus orandi, ut proinde talis oratio nullum haberet effectum nomine Ecclesiæ.

Denique nomine & in persona Christi potest quidem validè applicare fructum Sacrificii; immo certum est Ecclesiam non posse applicationem invalidare: effectus enim Sacrificii, uti & Sacramentorum, non pendent quoad valorem ex intentione Ecclesiæ, neque possunt impediri, si inde non resultet obex in subjecto impediens effectum ex institutione Christi. Quare si excommunicatus non toleratus sit alioquin capax, v. g. quia est in gratia, obtinebit etiam fructum satisfactorium. Communiter tamen supponitur vel asserimur, illicitè saltem fructum nomine Christi applicari excommunicatis non toleratis ex prohibitione Ecclesiæ. Quod mihi difficile apparet: eò quòd Ecclesiæ prohibitio sic videretur ferri directè in actum merè internum, in intentionem scilicet applicandi fructum Sacrificii: nam Sacrificium ipsum quidem non pro-

prohibet, sed solùm prohibet offerri pro tali; quod nihil aliud est, quàm prohibere, ne Sacerdos habeat interiùs intentionem præfatam, quæ ad substantiam aut valorem ipsius Sacrificii non spectat. Unde *Arriaga disp. 32. sect. 4. num. 12. & 13.* censet esse probabilius, hoc non esse illicitum.

63. Potest nihilominus pro excommunicatis etiam non tolerati indirectè offerri Sacrificium & oratio publica Ecclesiæ; puta pro dilatatione fidei, pro extirpatione hæresum &c. sic enim directè & per se oratur pro ipsa Ecclesia. Et hâc ratione juxta quosdam ipsa Ecclesia nominatim orat, & ab antiquo, dum omnes excommunicati essent non tolerati, oravit in die sancto Parasceves pro Hæreticis & Schismaticis. Sed non video, cur dici nequeat cum *Suarez d. 9. de Censuris sect. 2. num. 1.* id fieri ab Ecclesia etiam directè pro illis in communi (quod sine gravi peccato non posset aliis diebus in Missa seu Officio publico fieri a Sacerdote; etsi alioquin posset privatim ex propria devotione istam orationem usurpare, juxta *Suarez suprà*) scilicet per quamdam exceptionem à sua lege ob hoc, quòd isto die sit Christus mortuus pro omnibus, etiam excommunicatis.

Dixi *pro Excommunicatis non toleratis*; nam post *Concilium Constantiense* seu *Extr. Ad evitandum*, probabiliùs licitè offertur pro tolerati Sacrificium Missæ tam nomine Ecclesiæ, quàm nomine Christi; uti & alia suffragia publica. Nam post dictam Extravagantem tolerati non sunt ampliùs vitandi, sed possunt eis communicare Fideles in quibuscumque, etiam divinis; adeòque in suffragiis publicis: quantumvis inde ex consequenti & indirectè redundet favor in ipsos excommunicatos.

Quod autem Alii dicant, ibi non esse communicationem, parum urget: est enim communicatio seu communio antea inhibita, quæ usu Ecclesiæ sic vocatur; etsi is, pro quo orationes publicæ funduntur, sit absens. Unde orationes apertè supponuntur c. *A nobis* suprà citato participare nomen communicationis; ut inspicienti contextum patebit. Deinde tolerati admittuntur ad ecclesiasticam sepulturam, prout etiam Alii fatentur: hæc autem non fit sine publicis suffragiis Ecclesiæ. Insuper admittuntur ad recitandum & cantandum officium, etiam in choro; in quo tamen concinens pro excommunicato orat, dum dicit: *Misereatur tui omnipotens Deus &c.* Uti etiam Sacerdos talem adhibens in diaconum in Missa solemni pro eo orat dicens: *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, ut &c.* Quare ita docet *Navarrus, Sa, Henriquez, Cominck, Lugo*, & alii passim contra *Suarez suprà n. 17. & seqq. Vasquez*, & alios.

QUÆSTIO VI.

Quos Effectus habeat Sacrificium Missæ?

65. *Sacrificium Missæ est Latreuticum, Eucharisticum & propitiatorium, complectens omnes differentias legalium Sacrificiorum.*

SUPPONO Sacrificium Missæ non solùm esse latreuticum sive holocaustum, quatenus totum offertur in cultum aut honorem Dei: aut Eucharisticum hostiamque pacificam, quatenus in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, præsertim in redemptione nostra, ac in ordine ad salutem, à Deo collatis offertur (quomodo etiam ipsi Sectarii aiunt ritè celebrari Eucharistiam, etsi illam negent esse Sacrificium) sed insuper esse propitiatorium & satisfactorium, quatenus offertur pro remissione & satisfactione peccatorum, sive culparum & pœnarum: ac denique impetratorium, & eatenus rursum esse hostiam pacificam, quatenus scilicet celebratur pro beneficiis acquirendis. Quàmvis enim hæ rationes sint diversæ, non tamen oppositæ: adeòque possunt simul concurrere in eodē hoc Sacrificio, quod omnes veterum hostiarum differentias continet, & in efficacia longè antecellit. Unde id contra Sectarios docet traditio Ecclesiæ & Liturgiarum, ac sensus veterum Patrum; nec non definit *Trid. sess. 22. can. 3.* his verbis: *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti; non autem propitiatorium: vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere: anathema sit.* Quam doctrinam latiùs explicat ibidem *c. 2.* Idque habet Missæ Sacrificium non tantùm ex opere operantis (hoc enim commune est omnibus bonis operibus; cujusmodi indubiè est Sacrificium: quod proinde est meritorium, impetratorium, & satisfactorium, eo modo & conditionibus, quibus alia bona opera, præsertim oratio) verùm etiam id habet ex institutione sua, independenter à bonitate & devotione ministri, adeoque ex opere operato, quatenus scilicet est opus ipsius Christi, nomine illius ac juxta institutionem ejusdem factū. Et hoc insinuat *Tridentinum sup. c. 1.* dicens: *Hæc illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest.*

66. *Unde valet ad remissionem peccatorum & justificationem peccatoris, Non immediatè, sed mediante auxilio ad pœnitendum.*

DICO I. Sacrificium Missæ valet ad peccatorum remissionem & justificationem peccatoris. Patet ex Liturgiis, Patribus, & *Tridentino sup. c. 2.* dicente: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina ac peccata, etiam ingentia dimittit.* Intelligē, mediantibus auxiliis gratiæ & dono pœnitentiæ; ut verba manifestè insinuant, & habet certa ac communissima Theologorum doctrina contra paucos, qui existimarunt

marunt Sacrificium immediatè justificare. Ratio Theologica est, quia si Sacrificium immediatè deleret mortalia & conferret primam gratiam, sufficeret attritio cum Sacrificio, cum tamen illa extra Sacramentum non possit perducere ad justificationem, ut docet *Tridentinum sess.* 14. *c.* 4. Confirmatur: quia alioquin attritus pro quo celebraretur Missa etiam dormiens vel absens, aut ipse Sacerdos per consecrationem justificaretur: quod est contra communem omnium apprehensionem. Deinde non confert immediatè justis gratiæ augmentum, ut dicetur *n.* 68. ergo nec primam gratiam peccatoribus.

67. *Quod, saltem sufficiens, datur infallibiliter, ex probabili ac receptâ sententiâ,*

Petes, an adjutoria gratiæ ad pœnitendum dentur infallibiliter virtute hujus Sacrificii? Respondent Doctores passim affirmativè: non quidem quòd dentur semper adjutoria efficacia, ut satis ostendit experientia; sed saltem sufficientia: idque propter præstantiam Sacrificii & promissionem divinam, quæ colligitur ex verbis *Tridentini*, & formâ consecrationis calicis, prout satis probabiliter à variis etiam antiquis refertur ad effusionem mysticam sanguinis in Sacrificio Altaris. Quòd autem hæ gratiæ sæpè non sentiantur, contingit: quia dantur tempore Deo placito; ideoque vocantur à *Tridentino* suprà *Auxilium opportunum*, vel quia peccator obicem illis ponit. Et quidem præmissa responsio satis credibilis est, & consonat dignitati Sacrificii: non tamen est certa. Plures namque existimant effectum propitiatorium quoad remissionem culpæ, non tantùm esse mediatum, sed etiam esse fallibilem per modum impetrationis, juxta conditionem ejusdem & modum propitiandi Sacrificiis consuetum. Quamquàm specialiter propitiatorium sit hoc ipsum Sacrificium, tum quia impetrat auxilium pœnitendi multò faciliùs & certiùs, & quidem frequentissimè efficax: tum quia in hoc ipso impetrando non pendet à dignitate vel indignitate ministri. Quare *Tridentinum* non dicit donum pœnitentiæ dari ex certa promissione & semper; sed fundat doctrinam in natura & dignitate Sacrificii: adeòque videtur sufficere, quòd sæpè vel ut plurimum donum hoc concedatur, etsi non semper, nec æqualiter. Eò magis, quòd *Tridentinum* agat de auxilio efficaci, & consequente illud peccati remissione; cùm saltem vi Sacrificii auxilium efficax non detur infallibiliter & semper.

Altera sententia tamen non est improbabilis.

68. *Valet quoque justis ad gratiæ augmentum, sed non nisi mediatè.*

Ex his patet à fortiori Sacrificium valere justis, mediantibus iisdem gratiæ auxiliis, ad augmentum gratiæ sanctificantis: non tamen immediatè, ut contra Nonnullos docent communissimè Doctores. De immediatâ enim efficaciâ nihil nobis constat ex doctrina revelata aut aliundè, quin potiùs oppositum: cùm nemo recipiat augmentum gratiæ habitualis absque proprio merito vel susceptione Sacramenti. Deinde alioquin dives, justus, etiam dormiens aut de salute sua non cogitans eò magis justificaretur, quò plura pro se offerri curaret, aut etiam ipso non curante offerrentur Sacrificia. Denique alioquin in parvulo recèns baptizato augeretur gratia habitualis, si pro ipso Missæ celebrentur. Equidem si Sacerdos celebrans rite dispositus indubiè habitualis gratiæ augmentum accipit, non quatenus sacrificat, sed quatenus hostiam immolatam, utpotè verum Sacramentum, recipit ac sumit.

Petes, an saltem non remittantur immediatè peccata venialia justis, pro quibus offertur hoc Sacrificium. Resp. Neg. cum Doctoribus communiùs contra *Canum* & quosdam alios: quia *Tridentinum* remissionem illorum, non aliter quàm mortalium Sacrificio attribuit: nec est aliud fundamentum, ex quo vis ista possit colligi. Remittuntur itaque peccata venialia, quatenus per Sacrificium impetratur pius motus eis repugnans, per quem delentur, sive gratia ad similem motum eliciendum. Quæ quidem impetratur faciliùs & certius, tum ob levitatem offensæ, tum ob conditionem offendentis, qui est in gratia.

Dico II. Valet hoc Sacrificium ad delendum pœnas temporales, tam vivorum quàm defunctorum peccatis remissis debitas in purgatorio. Est constans Catholicorum doctrina, quæ à *Tridentino sess.* 22. *c.* 2. appellatur *Apostolica traditio*: & definitur *can.* 3. Et *sess.* 25. *in Decreto de Purgatorio* particulariter de animabus ibi detentis definitur *fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili Altaris Sacrificio juvari*: constat autem eas aliter juvari non posse, quàm remissione pœnarum.

Consentiunt porrò Theologi pœnam temporalem remitti immediatè: cùm Sacrificium applicetur defunctis, qui per se ipsos suos pro pœnis non satisfaciunt. Idem indicat *Tridentinum supra cap.* 2. limitatè loquens de remissione culparum, illimitatè verò de remissione pœnarum. Et *sess.* 25. *in Decreto de Purgatorio*, definit animas ibidem fidelium suffragiis juvari, & potissimum Altaris Sacrificio: cùm igitur indubiè juventur suffragiis immediatè vel per modum solutionis, juvari similiter debent per potissimum remedium & suffragium, quod est Missa.

Immò remittitur etiam pœna temporalis ex opere operato, idque lege infallibili, juxta Doctores passim contra *Sotum, Canum* & quosdam alios, qui id quidem admittunt respectu vivorum, non tamen respectu defunctorum, quibus putant prodesse Sacrificium, prout Deo placuerit acceptare. Sed cùm Sacrificium sit pro vivis & defunctis indiscriminatim institutum, non est ratio, cur potiùs in illis, quàm in illis infallibi-

fallibiliter operetur. Neque in hoc aliquod discrimen Fideles passim agnoscunt. Deinde si juxta Doctores plurimos satisfactiones nostræ, aut certæ indulgentiæ habeant effectum infallibilem, etiam dum applicantur defunctis: quantò magis id credendum est de Sacrificio? Insuper Sacrificia vetera efficaciter expiabant legalem immunditiam; ergo Sacrificium novæ Legis efficaciter emundat à peccatis, saltem quoad reatum pœnæ temporalis. Denique secundùm Doctores communiter Sacrificio est tribuendus aliquis saltem effectus infallibilis; nullus autem alius potest ei certiùs tribui: immo nullus alioquin foret fructus infallibilis, saltem pro defunctis. Hactenus tamen non vidi irrefragabile fundamentum, ex quo certò constet, fructum satisfactorium esse ita infallibilem, uti infallibilis est effectus Sacramentorum sive gratia Sacramentalis. Prout nec certum est, suffragia facta pro aliis, & indulgentias, saltem pro defunctis, prodesse infallibiliter & semper.

Dico III. Valet quoque Sacrificium Missæ non tantùm ad impetranda bona spiritualia, v.g. castitatem aliasque virtutes, & avertenda mala opposita, ut peccata, tentationes & infestationes dæmonum, sed etiam ad temporalia beneficia spiritualibus subservientiâ obtienda, v. g. sanitatem, aëris clementiam, frugum abundantiam &c. & opposita incommoda avertenda, ut infirmitatem, sterilitatem &c. Conclusio est certa, tum ex Patribus, tum ex quotidiano usu Ecclesiæ universæ, & *Trid. sess. 22. c. 2. & can. 3.* definiente Sacrificium Missæ non tantùm pro peccatis, pœnis &c. sed etiam pro *aliis necessitatibus offerri debere.* Ratio est, quia similia impetrari possunt per orationem; præstantissimum autem orationis genus est Sacrificium, ratione Christi Domini, qui est tum principalis offerens, tum res oblata. Unde *Chrysostomus Hom. 41. in Epist. 1. ad Cor.* rectè dixit: *Communis totius orbis victima, preces sunt.*

Nihil tamen determinatum obtinetur infallibiliter; ut docet experientia. Immo multa obtineri absolutè non possunt; ut si duo sacrificent petentes oppositа: alia verò obtineri nequeunt, nisi læso ordine divinæ providentiæ, cui voluntatem & intentionem suam Christus subordinavit. Quamquàm credibile sit, si non obtineatur illud quod petitur, semper tamen obtineri saltem aliquid aliud, quod Deo melius visum fuerit. Alioquin non haberemus de impetratione promissionem Dei absolutam, sed tantum conditionatam, si nobis, quod rectè petimus, secundum divinæ providentiæ rationem dari expediat.

Ex quo colligitur, quâ ratione ista obtineantur, quasi ex opere operato, & quâ non. De quo Varii disputant, solo ut apparet nomine dissentientes. Nam conferuntur ex opere operato, quatenus independenter à dignitate & indignitate ministri Sacrificium ex se est idoneum ad flectendam divinam bonitatem, ut postulata concedat: ab hoc tamen modo obtinendi receditur, tum quia ista bona non obtinentur infallibiliter, tum quia debet peculiariter à ministro, & pro iisdem obtinendis Sacrificium offerri.

74. *Qualiter ad impetrandum prosit devotio ministri.*

Notandum autem, ad hoc plurimum conducere sanctitatem seu devotionem ministri seu Sacerdotis: etsi enim dignitas principalis offerentis & rei oblatæ sit sufficientissima ad quodlibet impetrandum; efficacia tamen etiam proportionatur devotioni ipsius ministri. Quemadmodum in humanis, etsi gratus sit qui postulat, & gratum sit munus quod offert; facilius tamen & melius impetrat, quando legatus ejus nomine postulans similiter est charus & gratus.

75. *Missa piè celebrata quâ ratione sit utilior.*

Ex quo patet, Missam Sacerdotis boni & pii, etsi in se non plus valeat, quàm Missa mali Sacerdotis, tamen multò plus ex hac parte prodesse, tam Ecclesiæ, quàm privatis, pro quibus offertur. Similiter communes Ecclesiæ preces ejus nomine, tam intrà, quàm extra Sacrificium, à malo ministro oblatæ, etsi non careant omni suâ efficaciâ, cùm Ecclesia, cujus nomine offeruntur, maneat Deo grata; sunt tamen multò minùs efficaces, quàm si offerantur à ministro sancto, ac cum interiori pietate, cùm inde specialem accipiant virtutem. Tamen improbi Sacerdotes non tenentur ad stipendii restitutionem juxta Doctores communiter: eò quòd saltem applicent fructum illum, qui respondet Sacrificio nomine Christi oblato, & ad devotionem aliamve dispositionem non censeantur petentibus se obligasse. Insuper ad impetranda per Sacrificium beneficia juvat devotio assistentium & aliorum offerentium: sicut & communis devotio Ecclesiæ ad quamvis oblationem concurrens: & quidem probabiliter eò magis, quò plures & majores in ea sunt sancti. Denique juvant intercessiones Sanctorum, in quorum memoriam offertur Sacrificium; prout orat Ecclesia in Missa: *Ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris.*

QUÆSTIO VII.

Quibus prosit Sacrificium, & qualiter sit applicandum?

76. *Sacrificium prodest iis pro quibus offertur.*

Dico I. Sacrificium propriè prodest iis, pro quibus offertur. Patet quia Sacerdos fungitur vice Christi, qui iis profuit, pro quibus obtulit. Deinde cùm fructus Sacrificii non sit à Christo certis personis

sonis appropriatus, aptiùs non potuit applicari, quàm Sacrificii pro alio oblationè: & consequenter hi, pro quibus offertur, percipiunt fructum Sacrificii ex opere operato.

An fructus crescat pro eorumdem dispositione, controvertitur.

An autem ille crescat pro dispositione eorumdem, utì proportionatè crescit effectus Sacramentorum, & satisfactionis propriæ, cujus defectum supplet: an verò sit portio determinata (etsi nobis incognita) & æqualis etiam in inæqualiter dispositis; utì satisfactio nostra aliis applicata non habet majorem effectum, etsi inter illos unus sit magis dispositus quàm alter: controvertunt Doctores.

Resolutio Auctoris.

Estque planè incertum quoad fructum saltem satisfactorium, utpote pendens ab arbitraria Christi voluntate, nobis haud satis declaratâ. Si tamen ex simili præmisso de satisfactionibus nostris conjectare liceat, credibile videtur effectum satisfactionis saltem non crescere, neque in hoc Sacrificium imitari Sacramenta. Saltem videtur omnino crescere fructus impetrationis ob meliorem dispositionem, sicut faciliùs per orationem impetramus pro aliis, quando sunt meliùs dispositi. Et specialiter de gratia pœnitendi id insinuat *Trident. sess. 22. cap. 2.* Ad hunc tamen fructum non requiritur in ipsis status gratiæ: quàmvis hic juxta Doctores satis communiter requiratur ad fructum satisfactionis percipiendum.

77.

Fructus Missæ triplex est portio.

Notandum verò plerosque Theologos ex *Scoto quodlib. 20.* distinguere triplicem portionem Effectûs Missæ, nempe generalissimam, specialissimam & mediam. Portio media sive specialis est illa, quam Sacerdos specialiter applicat iis, pro quibus Sacrificium specialiter offert, seu pro quibus propriè & principaliter celebrat Missam.

Portio specialis seu media datur ei pro quo sacrificatur.

Hanc tamen portionem potest quoque applicare sibi ipsi, si voluerit, & pro alio non celebraverit. Estque hic fructus, tum satisfactorius, tum impetratorius beneficiorum, pro quibus obtinendis Sacrificium offertur.

Portio specialissima reservatur Sacerdoti.

Portio specialissima est, quæ reservatur ipsi Sacerdoti celebranti, etiam tunc quando accepto stipendio pro aliis celebrat. Immo *Suarez*, *Lessius* & plures alii existimant hanc portionem non posse à Sacerdote aliis applicari, utì nec aliis applicari potest effectus satisfactionis sacramentalis, aut remissio pœnæ per Baptismum. Quod tamen satis incertum est: cùm constet alioquin effectus Sacrificii, sicut & propriarum satisfactionum, esse aliis applicabiles. Quidquid sit, in ordinaria Missæ applicatione censetur hæc portio ipsi Sacerdoti reservata.

An sit aliis applicabilis.

An sit ex opere operato.

Quæ ei quoque obvenit ex opere operato, juxta receptam Doctorum sententiam (quàmvis fundamentum irrefragabile illius necdum viderim) correspondetque eidem quatenus est persona quædam privata suam habens devotionem, quæ ad hoc Sacrificium concurrat, ut explicat *Lessius q. 83. art. 1. n. 44.*

Immo Doctores passim existimant similiter fideles assistentes Sacrificio, ministrantes, aliove modo cooperantes sive offerentes participare inde aliquem fructum infallibilem ex opere operato, & quidem eò ampliorem, quò melius & perfectius concurrunt. Quàmvis id non satis certò constet: eò quòd etsi Christus sic instituere potuisset, non tamen satis probetur de facto ita instituisse.

Fatendum saltem ratione Sacrificii, cui conjunguntur, & quod cum Sacerdote offerunt, preces cooperantium Sacrificio majorem inde accipere efficaciam. Deinde specialiter inter ceteros sunt participes fructûs generalis Sacrificii, quatenus non tantùm offertur pro Ecclesia, pro omnibus fidelibus Christianis, sed etiam signanter pro circumstantibus & cum Sacerdote offerentibus. Unde eatenus revocantur ad aliquam portionem, quæ generalissima dicitur, & ex intentione Ecclesiæ applicatur Papæ, Antistiti; immo quoad effectum impetrationis (qui sunt fallibiles) omnibus qui sunt de Ecclesia. Nam quod singulis omnino membris ex singulis Sacrificiis obveniret fructus aliquis ex opere operato (ut Varii existimant) videtur minùs credibile: sic enim fructus Sacrificii excresceret in immensum. Et alioquin si Sacerdos totum fructum etiam omnibus Ecclesiæ membris obvenientem, sive licitè, sive illicitè applicaret uni, is obtineret remissionem immensæ pœnæ; ut patet. Præterea si omnibus Ecclesiæ membris proveniret ratione cujusque Sacrificii aliquod speciale auxilium gratiæ vel condonatio pœnæ temporalis, provenirent cuilibet quotidie aliquot millia gratiarum prævenientium, ac detraherentur plurimæ partes debiti temporalis: quo fieret, ut vix justi haberent aliquod debitum pœnæ temporalis. Sufficit igitur, quòd singula membra ex opere operato recipiant fructum aliquem generalem ut Ecclesiæ pacem, bonos prælatos &c. valeatque singulis per modum impetrationis fallibilis.

Dico II. Ut Sacrificium habeat effectum in iis, pro quibus offertur, necessaria est propria Sacerdotis applicatio. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia ille solus est minister publicus ad hoc mysterium dispensandum constitutus, accepitque in ordinatione potestatem offerendi pro vivis & defunctis; adeòque & potestatem applicandi, quæ in priori involvitur, aut certè fundatur. Confirmatur: quia solus Sacerdos sustinet personam Christi, in cujus persona sicut Sacrificium pro aliis offertur, sic etiam fructus ejusdem applicatur.

Hinc

80. Hinc sequitur I. Si Sacerdos ex voto, justitiâ, charitate, obedientiâ, obligetur Sacrum suum applicare certis personis, valide tamen applicare aliis, etsi illicitè, quantumvis intentio sive applicatio Superiorum aut Ecclesiæ sit in contrarium: quemadmodum non possunt ab Ecclesia vel Superiori Regulari irritari cetera, quæ jure divino sunt Ordini sacerdotali annexa, seu quæ Sacerdos agit in persona aut ex institutione Christi; ut patet in intensione conficiendi Sacramenta eorumque collatione, & speciliter in ipsa consecratione seu confectione Sacrificii Missæ. Ita Doctores communiter contra nonnullos.

81. Sequitur II. Sacrificium à Sacerdote nemini applicatum, nemini profuturum, sed fructum ejus mansurum in thesauro Ecclesiæ. Ita *Suarez*, *Vasquez* & alii. Quod etsi verum sit, si Sacerdos ex certa intentione nolit cujquam, nec sibi applicare: si tamen hoc ex inadvertentia accidat, videtur adesse probabiliter tacita intentio applicandi sibi, aut certè aliis, quibus est obligatus, ut varii Doctores censent. Vel simpliciter loquendo prodest principaliter ipsi offerenti. Sicut opus satisfactorium etsi non prosit certo, nisi huic applicetur, prodest tamen ipsi operanti, si nemini applicet: satisfactio autem, quæ in Sacrificio obtinetur, etsi sit Christi, sic tamen data videtur Sacerdoti, ut facta sit velut propria illius. Immo *Aversa q.* 11. *sect.* 10. id verum putat etiam de fructu impetratorio, licèt non quoad peculiare aliquod beneficium, sed saltem generaliter ad divinam opem implorandum. Idem est, si Sacrificium ex ignorantia applicetur incapaci. Et quidem certiora hæc sunt, si Sacerdos aliquando talem intentionem expresè formaverit, proficiendi v. g. talibus casibus sibi ipsi aut aliis quibus obligatur, & hæc intentio habitualiter perseveret, seu non sit retractata. Pro securiori autem consulitur, ut celebrans habeat secundam intentionem, quâ velit fructum, aut certè illius residuum alteri applicare, posito quòd prior non indigeat aut sit incapax, v. g. si defunctus, pro quo fit Missa non sit in purgatorio.

82. Dico III. Applicatio Sacrificii non debet esse actualis aut virtualis, sed sufficit habitualis, sive actualis, non retractata. Ita communiter Doctores contra *Vasquez* & quosdam alios. Videallicta *Tract. de Sacr. in gen. disp.* 3. *q.* 5. *n.* 33. & 34. ubi obstendimus non esse idem de confectione Sacramentorum & de applicatione Sacrificii: applicatio enim Sacrificii non est ejusdem effectiva, sed intentionem sacrificandi concomitatur, & dirigitur ad Deum, ut fructum futuri Sacrificii conferat ei, cui Sacerdos ex nunc illum donat, supposito quòd sit sacrificaturus, & non revocet.

83. Debet nihilominus intentio sive applicatio fieri antequam Sacrificium sit perfectum, immo ante consecrationem ad minùs calicis (quidquid Aliqui secùs sentiant) ne alioquin fideles fortè frustrentur effectu Sacrificii, quem Plerique putant conferri statim post consecrationem, veluti in qua consistit essentia hujus Sacrificii. Varii tamen censent effectum non conferri ante sumptionem, quam credunt esse partem essentialem. Atque esto quòd non, saltem est pars ex institutione divinâ completiva sive perfectiva Sacrificii: cujus proinde effectus potuisset ex eadem institutione eò usque suspendi. Et favet, quòd in Canone Missæ post consecrationem demũ fiat memoria defunctorum, pro quibus celebratur Missa. Sed hanc doctrinam non ausim probare in praxi ob nimiam incertitudinem, immo probabilissimam falsitatem, indeque consequens præjudicium Missas petentium. Verissimè enim perficitur intrinseca Sacrificii essentia in consecratione: quâ perfectâ, non apparet effectum suspendi usque ad sumptionem: aut hâc non secutâ omnino non poni. Memento autem defunctorum solùm habet vim orationis cujusdam. Immo debet Sacerdos, præsertim quando accepto stipendio pro aliis celebrat, formare intentionem ante initium Missæ, ut etiam precum apparatus iis prosit.

Qua tamè debet fieri ante sumptionem, immo ante consecrationem, saltem calicis.

84. Hoc saltem satis indubitatum est, fructum non suspendi post peractum Sacrificium ad libitum Sacerdotis, in cujus potestate nõ aliter est Sacrificii effectus, quàm sit ipsum Sacrificium. Unde indubiè reprobanda est praxis illorum, qui cùm non habeant stipendium pro Sacro faciendo, celebrant sine applicatione, applicaturi ei, qui dato stipendio primò Sacrum ad suam intentionem fieri postulabit: non enim est in potestate ipsorum Sacrificii effectum suspẽdere. Immo & reprobanda est cum *Suarez* & aliis passim illorum praxis, qui per modum anticipatæ solutionis ex nunc applicant fructum Sacrificii iis, qui postea petent, aut stipendium offerent, vel ad eorum futuram intentionem, quam Deus noverit: est enim periculum, ne intentioni petentium non satisfiat, vel quia adhuc vivunt, pro quibus postea defunctis petetur Sacrum, vel quia tunc non habent debitum pœnæ persolvendæ, vel quia sunt incapaces fructûs satisfactionis &c. Unde praxis illa, tamquam periculosa, scandalosa, & contraria vetustissimo Ecclesiæ mori, reprobata est à Congregatione Cardinalium anno 1605. ut refert *Barbosa in Remiss. Conc. Trid. sess.* 22. *in princip.*

Nonnulla praxes improbantur.

85. Alioquin seclusis periculis, suppositâque præsenti indigentiâ & capacitate, non video, quòd obsit valori ejusmodi applicationis & solutionis anticipatæ, etiam in ordine ad fructum satisfactorium: eò quod talis applicatio fructum non suspendat, sed de facto conferat ei, qui primò noscitur à Deo petiturus;

Qualiter valere possit applicatio Missæ celebrandæ facta ei, quem Deus

novit primò petiturum.

petiturus ; qui in præsenti à Deo noscitur.

Minor est difficultas de fructu impetrationis : cùm possit Sacrificium offerri pro impetrando auxilio in tempore futuræ indigentiæ, v. g. in hora tentationis vel mortis.

Nec inde sequitur, licere Sacerdoti celebrare hodie Missam pro oblaturo cras stipendium, utpote obtenturo saltem fructum impetrationis : uti pro notorio peccatore, qui incapax est fructûs satisfactorii. Nam peccator præsumitur habere consensum saltem implicitum ad solum fructum impetrationis, saltem quoad se (quàmvis velle possit alium fructum applicari propinquis vivis vel defunctis) quæ præsumptio in altero casu non currit : cùm fideles potiùs præsumantur velle, ne stet per Sacerdotem, quò minùs fructus satisfactorius applicetur ipsis sive aliis, pro quibus oblato stipendio Missas fieri curant.

86. *Formula intentionis.*

Sacerdotibus porrò obligatis celebrare Missas ad certam intentionem pro applicatione seu intentione rectè formandâ (quæ consultissimè formatur eo tempore, quo Sacerdos format intentionem celebrandi Missam) servire potest formula quàm præscribit *Scotus Quodl.* 20. *num.* 19. Estque talis : *Digneris Domine oblationem istam specialiter acceptare pro illis, pro quibus nosti me teneri specialiter offerre* (si sit Missa postulata v. g. à Petro, suppleri potest : *Ex postulatione Petri*, aut quid simile) *& in illo gradu in quo nosti me teneri pro eis.* Quæ formula etiam potest servire Prælatis formantibus intentionem generalem circa Missas à variis petitas, & ad ipsius intentionem à subditis (qui satisfaciunt simpliciter legendo Missam ad intentionem sui Prælati) celebrandas, hoc modo : *Digneris Domine Missas ad intentionem meam legendas acceptare pro illis &c.* Vel : *Applico Missas ad intentionem meam legendas illis, & eo modo & ordine, quibus & quo modo & ordine secundùm Deum obligor.*

QUÆSTIO VIII.

An Sacrificium pluribus applicatum minus prosit singulis ?

87. *Assistentes Sacrificio quantumvis multiplicentur, non ideo minorem fructum percipiunt.*

DICO I. Fructus Sacrificii obvenientis illis, qui secundariò & impropriè offerunt, est æquè magnus, sive multi sint, sive pauci. Ratio est : quia fructus taliter offerentium consequitur concursum, quem præstant : atqui iste multiplicatur pro multitudine offerentium ; ergo & fructus. Hinc quando plures eamdem Missam audiunt sive ei assistunt, non ideo singuli percipiunt minorem fructum, quàm si essent soli. Et hâc ratione fructus Sacrificii posset dici syncategorematicè infinitus, eò quòd quantumcumque multiplicentur ejusmodi offerentes, ceteris paribus æquè magnum semper fructum percipiant. Idemque dicendum videtur, si plures Sacerdotes concelebrarent seu eadem materiam simul consecrarent : nam etiam tunc essent plures propriè dictæ oblationes, adeòque multiplex Sacrificium : sicut si plures unam hostiam successivè sumerent, omnes æquè magnum effectum perciperent.

DICO II. Fructus Sacrificii (loquendo de propria & eadem oblatione, ac respectu illorum pro quibus fit) eò est minor in singulis, quò idem offertur pro pluribus. Ita *Scotus quod l.* 20. *n.* 20. *Durandus, Major, Gabriel, Soto, Bellarminus, Bonacina, Suarez, Lugo, Mercerus* & alii magis communiter contra *Vasquez disp.* 231. *c.* 3. & alios.

Probatur I. ex praxi Ecclesiæ, quæ consuevit offerre Sacrificium pro paucioribus, & sæpè pro uno tantùm ; quod non rectè faceret, si ipsum æquè prodesset pluribus : postulat enim charitas, ut pro omnibus offeratur, quibus potest prodesse sine aliorum præjudicio. Confirmatur quia alioquin una Missa oblata pro mille diversis intentionibus tam prodesset singulis, quàm mille Missæ ita dictæ, ut unaquæque offerretur pro illis in particulari.

Probatur II. quia fructus Sacrificii est finitus : finitum autem quò in plura dividitur, eò est minus in singulis ; ergo & fructus Sacrificii. Major est *Scoti supra, Suarez*, & aliorum quasi communiter. Et colligitur ex praxi Ecclesiæ ; quæ sæpiùs celebrat, immo ordinat sæpiùs celebrari pro uno defuncto, vel etiam vivo ; ergo censet fructum Sacrificii esse finitum. Deinde si esset infinitus, Sacrificium oblatum pro uno remitteret ei omnem pœnam, etsi tanta foret persolvenda, quanta est omnium animarum in purgatorio simul.

Dices I. Actio sacrificativa, quatenus est moraliter ipsius Christi, est infinita, tum ratione rei oblatæ, tum ratione principalis offerentis : ergo habet effectum infinitum. Resp. Neg. Cons. quia non obstante infinitate actionis sacrificativæ ut prouidentis ab offerente mediato (quam non fatìs video) potuit Christus eidem tribuere valorem in actu secundo determinatum sive effectum finitum, & non nisi talem ex merito passionis suæ (in quo vis Sacrificii fundatur) annectere ; prout de facto ipsum in institutione annexuisse ex sensu sive praxi Ecclesiæ satis constat : quæ alioquin sanè præscribere debuisset, ut omnia Sacrificia simul pro omnibus celebrentur : cùm tamen ex sensu & praxi Ecclesiæ peti debeat, quid de effectu Sacrificii sit judicandum. Alioquin conditionem actionis, prout de facto fit à Christo, non oportere in hac quæstione attendi quantùm ad infinitatem illius, inde patet : quòd actiones Christi non

non sint in præsenti satisfactoriæ aut meritoriæ, adeòque tota vis tollendi debitum pœnæ peti debeat ex actionibus præteritis, præsertim ex passione: inde verò congruebat vim limitatam Sacrificio incruento participari.

Dices II. Si essent infiniti homines, illisque omnibus applicaretur idem Sacrificium, omnes ex eo aliquid participarent: ergo effectus Sacrificii est infinitus, & consequenter idem pluribus applicatum non ideo minùs valet singulis. Resp. Neg. Seq. Antec. si enim tot hominibus applicetur, ut singulos secundùm aliquam sui partem fructus (quem ostendimus esse finitum) non possit extendi, nemini aliquid conferretur, sed totum remaneret in thesauro Ecclesiæ, quousque fructus ille aliorum Sacrificiorum accessu ita augeretur, ut omnes aliquid valeant participare.

Dices III. *Can. Non mediocriter, de Consecrat. dist. 5.* ex *Hieronymo* dicitur: *Dum igitur pronunciis* (aliàs, *pro centum*) *animabus Psalmus vel Missa dicitur, nihil minus, quàm si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Resp. verba non esse *S. Hieronymi*, immo nec reperiri in alio auctore probato: etsi *Gratianus* sub nomine *Hieronymi* ea referat. Proceduntque pariformiter de Missa & lectione psalmorum: cùm tamen intellecta, ut sonant, de psalmis, sint manifestè falsa. Proinde sana explicatio est etiam ab aliis adhibenda, si aliquam patiantur. Explicat autem ea *Vasquez* hoc sensu, quòd nihil minùs accipiatur ab ipso, qui legit psalmũ vel Missam, non ab illis, pro quibus legitur: eò quòd Auctor agat contra illos, qui sibi nocebant nimietate lectionis, abstinentiæ &c. Unde *Can. sit.* præmittitur: *Melius est quinque psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, & spiritali hilaritate, quàm totius psalterii modulatio cum anxietate cordis & tristitiâ.* Quæ verba sunt desumpta ex *Auctore Regulæ Monachorum Cap. de Contempl. Orat. & Lectione* versùs finem To. 4. operum S. Hieronymi.

Ex hac Conclusione sequitur, non licere fructum Sacrificii uni debitum applicare pluribus, vel stipendium à pluribus recipere. Immo id non licet, suppositâ etiam probabilitate oppositæ sententiæ: fideles enim, qui Sacerdotem obligant, intendunt sibi applicari fructum Sacrificii certiori modo, utì dant certum stipendium. Unde nulli Missas peterent vel stipendium darent ei, quem scirent idem Sacrificium offerre pro multis. Ideoque meritò hoc ipsum inhibuit Urbanus VIII. cùm consilio Cardinalium in Constitutione, quæ incipit, *Cùm sæpè contingat* 21. Junii. Anno 1625.

Ex Conclusione etiam sequi videtur fructum Sacrificii esse finitum quoad vim impetratoriam: eò quòd se habeat per modum orationis; oratio autem non profit tantùm singulis, dum funditur pro pluribus, quantùm si pro uno solo. Unde non impetramus effectum infinitum, & eò minus impetramus, quò pro pluribus sacrificamus. Quare etiam sigillatim pro singulis necessitatibus, & sæpè sacrificamus. Et quàmvis dignitas Sacrificii sit major, quàm precum, potuit tamen Deus efficaciam limitasse, & de facto limitavit ad normam precum & orationum; ad quarum instar similiter repeti potest. Varii tamen existimantes fructum Sacrificii satisfactorium esse finitum, existimant impetratorium esse infinitum: adeòque non minui, etsi ad varia beneficia impetranda idem Sacrificium offeratur. Quod in praxi ad hoc servire posset, ut Missas liberæ intentionis conformiter quis applicare posset; aut si intentio ratione v.g. stipendii sit alteri obligata seu adstricta, adhuc offerri posset idem Sacrificium ad impetranda alia beneficia per secundam intentionem conditionatam, nempe si vel quatenus id fieri queat sine præjudicio obligationis. Estque hæc praxis non improbanda: quin immo potiùs consulenda. *Nota pro praxi.*

Quod hactenus de fructu Sacrificii dictum est etiam locum habet in fructu generali, qui provenit à generali applicatione omnibus fidelibus factâ: is enim similiter eò minor est in singulis, quò dividitur in plures. Idem est manifestius de orationibus Ecclesiæ, quæ sicut non habet efficaciam infinitam, sic nec preces ejus nomine oblatæ.

QUÆSTIO IX.

An & Quoties teneatur Sacerdos celebrare?

92. DICO I. Sacerdos etiam simplex ex vi muneris sacerdotalis probabilissimè tenetur aliquando celebrare: tum quia est communis doctrina, præsertim post *Tridentinum*: tum quia ipsum *Trid. sess. 22. cap. 1.* docet Christum *Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepisse per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.* Et hoc sensu Concilium intellexerunt Doctores passim, & (ut appareret) ipse *Pius V.* immediatus executor Concilii, qui oppositam *Caietani* sententiam jussit abradi ex Commentariis *D. Thomæ q. 82. art. 10.* Tum quia Sacerdos ex vi muneris sacerdotalis habet onus interpellandi & intercedendi apud Deum pro populo: adeòque magnus foret neglectus, & quædam injuria officii tantæ dignitatis, numquam aut rarò admodum hâc potestate divinitùs concessâ uti ad Dei cultum, populi salutem, & ædificationem. Unde Sacerdos secùs faciens peccaret mortaliter, utpote infringens præceptum divinum in re gravi. Ita passim Doctores. Quamquam sit relinquendum arbitrio prudentis, quando-

Sacerdos vi officii Sacerdotalis tenetur aliquando celebrare juxta opinionem hodiè communissimam.

Sic ut secùs faciens graviter peccet.

nam Sacerdos mortaliter peccet ex eo, quòd omittat celebrare. Plerique existimant obligari ad celebrandum saltem ter vel quater, aut etiam sæpiùs in anno: Alii putant sufficere, quòd semel in anno celebret, si aliundè non obligetur sæpiùs celebrare. Indubiè consulendum est, ut frequenter celebret, cùm sit mediator inter Deum & populum. Ideoque *Trident. sess. 23. cap. 14. de Reformatione* graviter monet Episcopos, ut curent Sacerdotes celebrare, saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus.

93. *Opinio contraria discutitur relati probabilis*

Et hæc quidem dicta sint juxta communem sententiam: nam *Alensis*, *S. Bonaventura*, *Richardus*, *Gabriel*, *Cajetanus*, *Victoria*, *Ledesma*, & plures, præsertim antiquiores (quorum sententiam meritò tamquam probabilem defendunt *Suarez*, *Henriquez*, *Lugo*, *Diana*, & alii recentiores) existimant Sacerdotem vi muneris sacerdotalis per se, saltem graviter, non obligari ad celebrandum. Præceptum autem à *Tridentino* insinuatum intelligi posset esse datum communitati, non tamen ita, ut singulos & sæpè obliget, sed quatenus in ea semper aliqui debent esse Sacerdotes, qui offerant: uti frequenter obligatio celebrandi quotidiè, etiam solemniter, vel cantandi in choro officium, afficit non singulos, sed communitatem, cui Superior debet providere, ut fiat. Quod confirmatur: tum quia reliqua Sacerdotia & Sacrificia sic fuere præcepta in lege naturæ & mosaicâ: tum quia *Tridentinum* (quod non solet definire controversias solemnium præsertim Theologorum; & si cubi opinioni alicuius Theologi præjudicet, id non factum sine magna indagine & cautela, prout Acta seu historiam apud *Palavicinum* inspicienti est manifestum) loquitur, docente contextu, de re veluti semper in Ecclesia manifestâ; qualis hæc numquam fuerat, utpote negata à præstantissimis & celeberrimis Theologis diversarum ætatum: tum quia plures olim Sacerdotes sancti vix aut numquam celebrarunt, & superioribus temporibus Sancti, etiam celebres per annum abstinuerunt: ac abstinent irregulares, & similes.

Opinionem autem hanc jussit quidem *Pius V.* expungi ex Commentariis *D. Thomæ* in editione jussu illius factâ. Quod tamen non generat eidem opinioni præjudicium: id namque fecit Pontifex Thomista, eò quòd *Cajetanus*, agens Commentatorem *D. Thomæ*, ejusdem opinioni contrariaretur. Quare similiter jussit expungi sententiam *Cajetani*, etsi communissimam Theologorum, sed contrariam opinioni *D. Thomæ*, de forma calicis, quantùm ad verba, *Novi & æterni testamenti &c.*

94. *Ex Cap. dolentes, de celeb. Miss. non*

Denique obligatio Sacerdotum celebrandi aliquoties, infertur à nonnullis ex c. *Dolentes*, *de Celebr. Missarum*, ubi inter cetera *Innocentius III.* cum *Concilio Lateranensi* refert: *Sunt & alii, qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno &c.* Et postea concludit: *Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis penitùs inhibemus &c.* Verùm alii passim Auctores ipsius communis sententiæ advertunt, eam inde non posse firmiter stabiliri. Nam certè aliàs peccaret graviter Sacerdos, qui quater in anno, & non sæpiùs celebraret: quo autem jure, sive divino, sive etiam Ecclesiastico, erat frequentior celebratio præcepta? Quàm rara tam rara celebratio, ex mera desidia procedens (prout in casu procedebat juxta tenorem contextûs) sit quidam defectus veræ pietatis, ejusve signum: non tamen mortale, seclusâ speciali obligatione. Quo circa pœna suspensionis non cadit super hunc defectum, sed super defectus scandalosos in divino officio tunc committi solitos, ut colligitur ex fine capitis, & ex ipsa Rubricâ, quæ est: *Præcipit Prælatis & Clericis in virtute obedientiæ, ut nocturnum officium & diurnum studiosè celebrent & devotè.* Ita varii. Vel potiùs est sermo de Missa solemni, sive (ut loquitur Concilium) *Missarum solemnis*, quæ in Ecclesiis Collegiatis ex obligatione fieri debebant. Ex quo nullo modo infertur in Sacerdotibus obligatio privatim celebrandi Missam, ne quidem juris Ecclesiastici, & multò minùs divini.

Dico II. Pastores & alii curam animarum habentes tenentur sub mortali per se vel per alios celebrare in sua parochia illis diebus, quibus subditi obligantur audire sacrum. Est certum. Nam ad hoc & similia ministeria populo exhibenda accipiunt stipendium.

Non tenentur tamen (nisi ex fundatione, aut alio titulo specialis obligatio constet, titulo pastoratûs seu beneficii curati fructus Sacrificii suis ovibus applicare, ut docent Doctores ferè communiter contra *Domicum Sotum* existimantem obligari ad hoc pastorem quotidie, si fructus beneficii sufficiant ad sustentationem; alioquin ter aut quater in hebdomada arbitrio Episcopi. Sed non allegat solidum aliquod fundamentum. Estque idem contra praxim communem Pastorum. Quidam alii existimant Pastorem ad hoc teneri saltem diebus festivis, aut certè semel in septimana. Sed nec ista, præsertim gravis obligatio sufficienter probatur aliquo jure aut ratione; deòque non est asserenda. Quamvis ibidem ita fieri congruat.

Dices: *Tridentinum sess. 23. de Reform. c. 1.* inter cetera munia pastoralia jure divino obligantia recenset, quòd *præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre.* Resp. *Tridentinum* ibi agere etiam de Episcopis & Archiepiscopis, qui tamen non sunt obligati jure divino ad celebrandum singulis Dominicis & festis coram suis ovibus, applicando eis

eis fructu Sacrificii. Utì nec obligantur Superiores monasteriorũ sic celebrare pro suis ovibus. Neque etiam id asserit *Tridentinum*: quod non facit de certis diebus mentionem. Intendit autem ibi proponere jus divinum indubitatum; quale numquam fuit, quod alii subesse prætendunt: uti etiam post *Tridentinum* Doctores communiter id negarunt. Solùm itaque vult, quòd prædicare, Sacramenta ministrare, celebrare ad commoditatem ovium, ut Missam audiant, eáque assistendo de fructu illius participent &c. teneantur quilibet Curati jure divino naturali proportionatè ad pactum seu contractum & officium singulorum: quod Nemo negat. Quin immo satisfaceret Parochus, si festis diebus aliquis alius loco ipsius celebret coram populo: & tamen non teneretur is fructum specialem populo applicare, neque etiam Parochus hoc ipsum per aliam Missam supplere. Unde etiam posset accepto stipendio dictis festis Missam alicui alteri applicare. Quàmvis indubiè rationabile sit, ut curam animarum habentes frequenter fructum non solùm generalem, sed etiam specialem populo suo applicent, veluti mediatores inter Deum & eumdem populum constituti.

Dico III. Beneficiarii, aut Capellani, aut recipientes stipendium, tenentur celebrare toties & pro illis, quoties & pro quibus in litteris fundationis continetur, aut ratione stipendii censentur se obligasse. Conclusio in his generalibus terminis est clara. Quæ autem dubitationem habere aut interpretationem postulare possent, *quæst.* 15. ubi de stipendio Missæ agemus, tractabuntur.

Dico IV. Prælati Ecclesiarum Collegiatarum, Cathedralium & Regularium, tenentur curare, ut quotidie fiat Missa conventualis. Colligitur quantùm ad Ecclesias Collegiatas & Cathedrales ex c. *Cum creatura, de Celebr. Missarum*, & consuetudine. Ex qua idem colligi solet quoad Ecclesias Regularium seu Conventuales. Dubitari tamen posset, an consuetudo hæc sit frequentata animo gravis obligationis, vel taliter acceptata; prout communiter supponitur. Immo etiam quoad Ecclesias Collegiatas existimat *Victoria in Summa, de Eucharistia n.* 95. non esse mortale peccatum, si rectores earum interdum in hoc deficiant: & juxta *Thomam Tamburinum de Sacrif. Missæ c.* 6. §. 2. *n.* 4. si Missam solemnem semel vel bis in hebdomada omittant. Quam nihilominus licentiam non approbat *Suarez d.* 80. *sect.* 2. *concl.* 2.

QUÆSTIO X.

Quàm sæpè & quo tempore liceat Sacerdoti celebrare?

98. *Licitum est Sacerdoti quotidie celebrare.*

Dico I. Licitum est Sacerdoti celebrare singulis diebus anni, exceptis saltem tribus diebus postremis hebdomadæ sanctæ. Conclusio est manifesta ex prax, & colligitur ex c. *Consuluisti, de celebr. Missarum.*

Præterquam in die sancto Parascevες.

Dixi, *exceptis saltem tribus postremis diebus hebdomadæ sanctæ*: nam in primis die Veneris sancto prohibetur celebratio, & quidem sub mortali, juxta Theologos unanimiter. Et patet ex c. *Sabbato de Consecr. dist.* 3. Confirmatur: quia Ecclesia pro isto die nullam Missam ordinavit; quod signum est eam non velle tunc celebrari. Inde tamen non sequitur attentis regulis interpretandi leges positivas, quousq; adseratur decretum Ecclesiæ debitè publicatum, esse illicitum (quod nihilominus non est usitatum bene valentibus) isto die communicare modo laicali: quia verba canonis sonant celebrationem, & non communionem. Ita *Vasquez, præpositus* & plurimi alii. Quamquam Varii sentiant oppositum de communione sanorum; pro quibus adfertur declaratio Cardinalium.

Quo tamẽ non inhibent canones communionem laicalem.

99. Insuper de Feria quinta in Cœna Domini quidam existimarunt solùm esse licitum isto die celebrare solemniter, non autem privatim. Et idem de Sabbato sancto censuerunt multi Doctores.

Licita sunt missæ privatæ in feria V. Cœnæ Domini:

Equidem satis certum est, Feriâ quintâ prædictâ posse celebrari privatim, præsertim ante finitum sacrum solemne: cùm nullo jure vel consuetudine id prohibeatur. Immo praxis Doctorum & piorum est in contrarium. Quàmvis plerumque ex devotione Clerus isto die more laicali communionem de manibus Prælati accipiat exemplo Apostolorum, qui isto die de manu Christi Eucharistiam acceperunt.

Immo etiã in Sabbato sancto.

De Sabbato sancto probabilis est, & in praxi (quam tamen suadere nolim, etsi eam in Galliis quoque viderim) secura sententia multorum Doctorum, præsertim Recentiorum, isto die similiter non esse licitum privatim celebrare: quàmvis enim c. *Sabbato*, æqualiter fiat prohibitio quoad Sabbatum sanctum & Feriam sextam Paraseeves: consuetudo tamen videtur ei derogasse. Deinde jam ejus causa universim cessat; quæ olim fuit, luctus super Dominicam Passionem protrahendus usq; ad sequentem noctem: cùm Ecclesia jam incipiat celebrare Resurrectionem ante meridiem istius Sabbati. Pro quo

100. *Quando*

Nota officium in Sabbato sancto, quod modò inchoatur horâ octavâ matutinâ, olim

olim solita fuerit celebrari Missa ôftius dici,

lim solitum fuisse inchoari post meridiem vel sub vesperam : ob quod adhuc in Præfatione Sacerdos tunc canit : *Sed in hac potissimum nocte.* Similiter in Canone dicit : *Et noctem sacratissimam celebrantes.* Quo tempore poterant etiam Sacerdotes privatim celebrare, Paschâ jam velut inchoato, ut constat ex *Micrologo c. 53. de Sabbato sancto* : adeòque anticipato postmodùm Officio & missæ celebratione solemni, non apparet, cur non censeatur anticipatum tempus generaliter pro Sacerdotibus, qui olim initio noctis poterant celebrare. Nec apparentiam habet, quod nonnulli supponunt, signanter *Vasquez d. 232. c 2 & 3.* Missam illam olim dictam fuisse post mediam noctem : cùm id manifestè repugnet *Rabano* (qui floruit circa annum 835. juxta *Bellarminum l. de Scriptor. Eccles.*) *l. 2. de Institut. Cleric. c. 38.* dicenti: *Hac autem die* (loquitur de Sabbato sancto) *inclinante ad vesperam, statuta celebratio noctis Dominicæ in Ecclesia incipit.* Et *Ordo Romanus* antiquus de Officio Sabbati sancti sub finem expresè habet : *Postea modico intervallo, ut fuerit prima stella in cælo visa, sonant signa, & incipiunt canere Litanias ad Introitum, &c. Postquam finierint,* scilicet Litaniam, *dicit Sacerdos, Gloria in Excelsis &c.*

101. *Non nisi semel indies celebrare licet,*

Dico II. Non licet eidem Sacerdoti plures Missas eodem die celebrare. Ita statuitur c. *Consuluisti, de celebr. Missarum,* & c. *Te referente, eod. tit.* ubi Honorius III. determinat hoc intelligendum esse, quacumque dignitate Sacerdos præfulgeat. Et rationem addit : *Nam & valde est felix, qui celebrat dignè unam.* Et anteà idem statuerat Alexander II. c. *Sufficit, de Consecr. dist. 1.* Quàmvis olim licitum fuerit pluries in die celebrare, & Leo Papa, ac Bonifacius Archiepiscopus interdum septem aut novem Missas una die celebrasse referantur.

102. *Excepto die natalis Domini,*

Excipitur I. dies Nativitatis Domini, in quo singuli Sacerdotes possunt celebrare plures Missas, ut patet ex c. *Consuluisti* & quidem tres, ut patet ex *Missali Romano*, & praxi Ecclesiæ: quàmvis non obligentur.

Et casus necessitatis.

Excipitur II. casus necessitatis eodem cap. ubi dicitur : *Nisi causa necessitatis suadeat.* Quæ dum adest, pluries celebrare licet; etiam ter vel quater, si necessitas id postulet. Neque necessitas debet esse valde magna sive extrema, sed prudenter determinanda, ut insinuant præmissa verba, & colligi potest ex c. *Sufficit* citato.

103. *Quando hic subsit.*

Casus necessitatis in primis est, si aliquis Pastor habeat duas parochias, nec commodè possit habere substitutum. Hunc casum admittunt omnes Doctores : immo illum solum *Vasquez disp. 232. c. 5. in fine.* Secundò, si Sacerdos sumptâ communione, ante ablutionem moneatur de communicando moribundo. Sed casus est rarus : nam si moneatur ante communionem, debet reservare particulam hostiæ principalis ; si moneatur post ablutionem, non poterit juxta receptam Doctrinam (quàmvis Aliqui contradicant) defectu jejunii iterum celebrare. Rarum autem est, quòd Sacerdos moneretur præcisè tam parvo temporis spatio intermedio. Alii casus vel revocantur ad primum, vel sunt rari & incerti : & videri possunt apud alios, signanter *Præpositum q. 83. a. 2. dub. 3.* Videntur autem Episcopi in variis locis cognitionem causæ sibi reservare, ut (nisi fortè in casu inopinato) neminem absque sua concessione permittant bis vel pluries eodem die celebrare. Quàmvis coram Deo sufficeret justa necessitas, & in ea fundata Epykia ; quam quilibet doctus & prudens adhibere potest. Auctoritas tamen Episcopi in dubio supplere posset causæ insufficientiam viâ dispensationis. Eadem porrò auctoritas in hac materia competit Prælatis Regularibus exemptis, v. g. Provincialibus quoad sibi subjectos (in quos habent jurisdictionem quasi Episcopalem) puta in Missionibus constitutos &c. Nisi Papa restringat.

Dico III. Tempus celebrandi incipit ab aurora, & terminatur in meridie sive hora duodecimâ. Ita unanimiter Doctores, & patet ex *Rubricis Missalis.* Per auroram autem non intelligitur ortus solis, sed prima solis irradiatio, seu initium crepusculi, quo aliquid lucis apparet. Quod quidem crepusculum non est semper & ubique locorum æquale : cùm aliquando duret duobus horis, aliquando multò minùs : immo circa solstitium æstivum incipiat in multis locis circa horam primam noctis. Ordinariè autem computatur durare horâ & quadrante, vel sesquihorâ ante ortum solis. Cùmque hæc res moraliter magis quàm mathematicè sit consideranda, docent plures Doctores, posse Missam inchoari duobus horis ante ortum solis, ut circa initium auroræ sit finita : quemadmodum constat sufficere, ut missa ante meridiem sit inchoata. Neque etiam meridies est ita punctualiter accipienda, quin paulò post eam liceat celebrare, præsertim accedente aliquâ rationabili causa. Quamdiu possit autem post meridiem celebrari absque gravi peccato, valde variant Doctores. Sed hoc nihil melius determinabit, quàm consuetudo, per quam hæc obligatio est primò introducta. Quæ quidem introducta videtur commoditatis gratiâ, ne plebs aut sacerdotes cogerentur tam diu jejunare : cùm aliàs quin celebrari soleret, & quidem adhuc temporibus non adeò antiquis, usque ad horam tertiam pomeridianam, quâ nimirum horâ Christus consummavit Sacrificium cruentum in cruce.

Unde *Navarrus c. 25. Manual. n. 85.* Pr- *valdus* & quidam alii affirmant ob aliquam rationabilem causam licere celebrare usque

que ad tertiam pomeridianam. Additque *Navarrus*, se id frequenter feciſſe in itinere, & privilegia hac in parte pluribus dari ſolita concedi ad ſedandos ſcrupulos, ſolumque continere jus commune. *Tannerus* quoque *diſp. 5. q. 10. dub. 4. n. 31.* affirmat non peccaturum mortaliter, qui circa tertiam horam pomeridianam celebraret. Nonnulli alii de gravitate peccati ſubdubitant, eò quòd conſuetudo non ſatis appareat tali mente introducta, quòdque hoc temporis circumſtantia non videatur ſatis gravis, ſintque de cetero graves obligationes reſtringendæ potiùs quàm ampliandæ. Suadendum ſaltem in praxi, ne ſine gravi cauſa prudenter dijudicanda tempus prandii notabiliter excedatur: etſi non credam requiri neceſſitatem valde gravem. Unde die feſto ſacerdos ſeriùs perveniens in itinere ad locum commodum celebrationi, poteſt ſine ſcrupulo unâ horâ poſt meridiem celebrare. Meritò tamen Epiſcopi per edicta tollerent abuſum quorumdam ſatis diu poſt meridiem celebrantium, quatenus ſic fovent deſidiam multarum præſertim nobilium perſonarum; quam etiam hic in Belgio experimur.

Similiter ratione loci conſuetudo in partibus ſeptentrionalibus obtinuit, ut in hieme, quando ſol ibi valde ſerò oritur, pluribus horis ante auroram celebretur. Quomodo in Belgio & vicinis regionibus hac in parte communi mori eſt derogatum.

Excipitur I. dies Nativitatis Domini; in cujus nocte licitum eſt Miſſas celebrare, etiam omnes tres ad libitum, juxta communiorem ſententiam; idque multò certiùs, quando adeſt rationabilis cauſa. Videturque hodie ex uſu etiam piorum & doctorum, in his ſaltem locis, res ſatis indubitata.

Excipitur II. privilegium, quo gaudent Epiſcopi (qui etiam cum aliis diſpenſare poſſunt; & conſequenter id reſpectu ſuorum poſſent Prælati Regularium exemptorum) ut citiùs vel ſeriùs ratione itineris vel alterius juſti impedimenti valeant celebrare. Similiter Regularibus privilegiatis factæ ſunt variæ conceſſiones celebrandi, tum ante auroram poſt Matutinum, tum poſt meridiem, etiam uſq; ad nonam, ſeu horam tertiam pomeridianam, quæ videri poſſunt in *Compendio Privileg. V. Miſſa*. Et apud alios. Nonnullæ tamen (quod notandum eſt) conceſſionis circa anticipationem temporis factæ ſunt vivæ vocis Oraculo. Præterea allegat *Lugo diſp. 20. de Euchariſtia ſect. 1. n. 27.* cum aliis privilegium *Alexandri VI. Bullâ 13.* apud *Rodriguez* in Bullario conceſſum monaſterio Benedictinorum de Monteſerrato celebrandi duabus horis poſt mediam noctem. Quod declarat extenſum eſſe ad totam Congregationem, adeòque communicari reliquis Ordinibus privilegiatis.

Neque hæc privilegia eſſe revocata per *Tridentinum ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſarum*, contra Nonnullos docet *Rodriguez to. 1. q. 43. a. 5. Lugo ſup. n. 29.* & plures alii. Denique poſt *Tridentinum Gregorius XIII.* conceſſit presbyteris Societatis Jesu facultatem celebrandi unâ horâ ante auroram & unâ poſt meridiem, cauſâ itineris vel alterius impedimenti, de licentia Præpoſiti Generalis vel cujuſvis alterius ab eo deputati. *An ſint hæc privilegia per Tridentinum revocata.*

Excipe denique caſum juſtæ neceſſitatis, prudenter dijudicandæ. Quæ quidem non debet meo judicio eſſe tanta: cùm præceptum hoc non videatur eſſe de re adeò neceſſariâ bono communi, aut de re valde gravi; ſintque aliundè congruentiæ pro tempore matutino quantùm ad celebrationem, mente maximè ad unionem cum Deo tunc temporis diſpoſitâ, in iis præſertim, qui media nocte ſurgunt ad confitendum Domino. Unde *Præpoſitus q. 83. n. 140.* judicat ſufficere hîc quamlibet gravem cauſam; v. g. ſi Sacerdotes ſint valde occupati in confeſſionibus audiendis: cùm (inquit) ea cauſa non debeat cenſeri minùs juſta, quàm iter ineundum, vel opera præſtanda ab opificibus. 108. *Excipitur denique caſus juſtæ neceſſitatis.*

QUÆSTIO XI.

In quo loco ſit Miſſa celebranda?

OLim non poterat Miſſa celebrari, niſi in Eccleſia conſecrata, ſive (ut ait *Silveſter Papa*, & refertur c. *Nullus de Conſecr. diſt. 1.*) *inſi in ſacratis ab Epiſcopo locis*. Hodie autem ſufficit Eccleſiam vel Oratorium eſſe benedictum, aut etiam non benedictum, quod tamen ad hunc ſolum uſum debitè deputatum ſit, & ab Epiſcopo deſignatum; ut patet ex *Tridentino ſeſſ. 22. in Decreto de obſerv. in celeb. Miſſ.* Eſtque mortale peccatum, ſi ſecùs fiat, utpote tranſgreſſio gravis præcepti, quod etiam ſub pœna depoſitionis imponitur c. *Nullus citato*. Ita communiter Doctores contra *Soto* & *Emanuelem Sa*: quorum opinio nullam habet probabilitatem, juxta *Præpoſitum q. 83. a. 3. dub. 1. n. 150.* 109. *Miſſa in locis ſacris aut debitè aut cultui divino deputatis dicenda. Sub gravi obligatione.*

Excipitur I. neceſſitas, quæ juxta Doctores communiter eſſe poteſt, celebrandi in locis privatis, aut etiam ſub dio, in altari tamen viatico ſeu portatili: ut ſi Eccleſiæ ſint dirutæ, vel ab infidelibus ſeu hæreticis occupatæ; ſi locus ſacer non capiat tot confluentes, ut in ſupplicationibus ad parvas capellas. Item in caſtris militum diebus feſtis, aut in litore maris, dum navigantes non poſſunt navem deſerere, aut locum ſacrum opportunum habere. Immo plures recentiores Doctores cenſent idem licere in mari, dum tranquillum eſt, & periculo offuſionis occurritur, idque in 110. *Excipiuntur caſus neceſſitatis,*

in longa navigatione, v.g. Indicâ. Ad quod tamen alii requirunt specialem licentiam Pontificis : alii censent sufficere licentiam generalem celebrandi ubique in altari portatili, vel dispensationem Episcopi. Idem est, si Sacerdoti itineranti longo tempore non occurrat locus sacer, & incidat dies solemnis.

111. *Item dispensatio.*

Excipitur II. nisi fiat dispensatio. Quam ante *Tridentinum* poterat dare Episcopus celebrandi in quocumque loco honesto, c. *Missarum.* & c. *Hic ergo*; *de Consecr. dist.* 1. *Tridentinum* autem suprà mandat Episcopis, ne permittant aliquem, sive sæcularem, sive regularem, celebrare extra Ecclesiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata oratoria ab ipsis deputanda & visitanda : hanc tamen facultatem eis non omnino ademit : qui proinde ex justa causa poterunt dispensare pro aliquot vicibus : ut celebretur in loco profano, sed honesto etsi aliis usibus deputato v. g. in cubiculo nobilis personæ ex morbo decumbentis.

Quam, in casu speciali & justa de causa potest dare Episcopus.

112. *Non obstâte Concilio Tridentino.*

Nec verba Concilii repugnant : iis enim tantùm intelligitur prohiberi Episcopo, ne id permittat pro suo arbitratu, uti antea permittere poterat, quàmvis in domo privata non esset locus divino cultui deputatus. Non agit autem Concilium de potestate in casu aliquo dispensandi ex justa causa. Ita *Lessius q.* 83. *a.* 2. *n.* 78. *Præpositus eâd. quæst. n.* 147. referens *Henriquez*, *Suarez*, *Toletum* & plerosque alios sic sentire. Immo *Zypæus in Analyst. Juris Pontificii Tit. de Celebr. Miss. n.* 8. existimat hunc locum tantùm esse ad abusus extirpandos eorum, qui id suâ auctoritate præsumunt; quos ne patiantur, monentur Episcopi. Et addit verba, *non patiantur*, in rigore non significare derogationem auctoritatis Episcopalis, ut permittere non possint, ubi justa ex causa id permittendum censuerint : neque solere existimari, quòd Constitutionibus Conciliaribus in primitiva Ecclesia latis (scilicet *Synodi VI.* & *Triburiensis* apud *Azorium l.* 10. *Instit Moral. c.* 26. *q.* 3.) obscuro verbo derogatum sit : nec denique Episcopos in Concilio existentes facultates suas facilè restringere (prout non facilè restringi debent) sed augerè ; ut in ipso *Concilio Tridentino*, tam quoad Superiores, quàm inferiores, plurima liquent. Ita *Zypæus suprà*. Et consonat praxis in his locis recepta.

113. *Immo juxta receptam doctrinam possunt stabiliter designare Oratoria privata attentâ dispositione Tridentini.*

Saltem in hoc conveniunt ferè omnes juxta *Lugo d.* 20. *sect.* 2 *n.* 49. posse Episcopos juxta *Tridentinum suprà* in domo privata locum certum assignare, qui maneat cultui divino deputatus, seu designare oratoria privata, & concedere, ut ibi quotidie dicatur sacrum super altari portatili ; quàmvis alioquin locus non sit benedictus, ut apertè colligi videtur ex verbis Concilii. Et multò certiùs adhuc potest approbare oratoria publica, etsi privatis ædibus annexa, quæ nempe pariter habent liberum egressum in publicam plateam seu viam.

Refert verò *Scortia* & ex eo *Gavantus in Rubric. Missal. P.* 1. *Tit.* 20. & alii litteras ab Horatio Cardinali Lancelloto jussu Pauli V. Anno 1615. ad Episcopos datas, quibus facultas designandi oratoria privata cum licentia in iis celebrandi reservatur Sedi Apostolicæ. Videant Episcopi, an eas receperint, vel an per similes litteras, quas Auctor aliquis privatus (ex quo id ceteri sumpserunt) datas refert, censeri debeat sufficienter derogatum tam solemnibus & Conciliaribus juribus. *Arriaga disp.* 54. *sect.* 4. *n.* 27. notat non esse receptas in partibus Septentrionalibus : cui quoad has partes Belgicas facilè accederem. Immo addit *Arriaga suprà* in partibus Septentrionalibus neque *Tridentini* prohibitionem videri receptam : cùm Episcopi non solùm in Oratoriis privatis sed in locis aliis in nobilium domibus facilè permittant Sacra fieri. Saltem non obstantibus præmissis litteris, adhuc posset Episcopus in suo palatio, aut etiam domo rurali habere Oratorium privatum pro Missa dicendâ : domus enim Episcopi non censetur privata.

Excipitur denique, nisi aliqui habeant privilegium. Quale habet Episcopus, celebrandi in itinere pro sua commoditate extra Ecclesiam, etiam sub dio, aut faciendi celebrare, c. *finali de Privilegiis in* 6. Quod per *Tridentinum* non est sublatum. Prout etiam docet *Rodriguez to.* 1. *q.* 45. *a.* 5. *Præpositus q.* 83. *n.* 151. *Lugo*, *Arriaga* & plurimi alii apud *Portel V. Altare. n.* 1. non esse per *Tridentinum* sublata privilegia à *Sixto IV.* & *Alexandro VI.* data fratribus Minoribus celebrandi cum altari portatili in quocumque loco honesto, quousque saltem Episcopi non contradicunt : vel quia tantùm monentur Episcopi, seu eis injungitur, ne patiantur extra dedicata Oratoria celebrari ; adeòque tacentibus Episcopis nihil scrupuli movendum sit Religiosis, ad quos Concilii textus non dirigitur : vel quia non derogatur privilegiis Regularium, vt respondet *Præpositus sup.* existimans clausulam finalem Decreti, *Non obstantibus privilegiis*, commodè referri posse ad immediatè præcedentia, nimirum, *Atque ad ea inviolatè servanda censuris Ecclesiasticis aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituantur, fidelem populum compellant.* Vel denique potiùs, quia privilegium quoad FF. Prædicatores & Minores est insertum Corpori Juris *cap. In hac* 30. *de Privil.* adeòque ut quoad hos saltem censeatur revocatum, videtur non sufficere simplex clausula *non obstantibus privilegiis.* Quidquid sit, censeo saltem privilegium hoc non esse facilè practicandum ; prout neque in Ordine nostro, quantùm scio, practicatur.

Postea verò cum derogatione *Tridentini*,

tiri, idem privilegium concessit *Gregorius XIII.* Sacerdotibus Societatis JESU, sed cum restrictione, scilicet in Missionibus suis, & de judicio Generalis vel per eum Præpositi provincialis. Vide *Rodriguez sup. a.* 4. Idem etiam Pontifex concessit Societati, & consequenter aliis communicantibus in privilegiis Societatis, ut non obstante *Tridentino* in suis domibus possint dici Missæ (intelligè cum *Suarez* & aliis etiam à presbyteris sæcularibus) in privato oratorio à provinciali approbato absque Episcopi approbatione.

Præterea est peccatum mortale celebrare in Ecclesia polluta aut violata. Ita omnes Doctores. Et colligitur ex toto Titulo *de Consecrat. Ecclesiæ*, & gravitate ipsius materiæ prohibitæ.

Violatur autem & polluitur Ecclesia primò per homicidium mortaliter peccaminosum, cujus causa, v. g. vulnus, debet dari intrà Ecclesiam. Sufficit autem, ut sit injuriosum sanctitati loci, etsi non sit injuriosum occiso; ut si quis occidat se ipsum, aut judex reum bene meritum in Ecclesia. Aliud est, si amens alterum occidat, vel etiam sui ipsius juste se defendendo.

Secundò violatur per injuriosam sanguinis effusionem, quæ copiosa sit, & cujus causa sit data intrà Ecclesiam, idque cum tam gravi percussione seu læsione corporis, ut sit peccatum mortale, non tantùm in ratione læsionis honoris, sed in ratione læsionis corporalis. Unde si casu vel in justam sui defensionem excutiatur alteri sanguis, vel cum veniali tantùm injuria (v.g. dum pueri ex veniali tantùm cholera excutiunt sibi invicem è naribus sanguinem) non polluitur. Non est tamen necesse, ut sanguis effluat in pavimentum, sed sufficit, quòd ejus causa detur in Ecclesia, etiamsi sanguis reciperetur in sudarium vel extra Ecclesiam emitteretur. Indifferens est etiam, sive lædens sit intrà, sive extra Ecclesiam, modò læsus sit intrà. Item sive lædat proximum consentientem, sive invitum, aut etiam seipsum, modò actio fuerit mortalis. Quantumcumque autem malè aliquis tractetur in Ecclesia, modò non moriatur, nec sanguis effundatur, ipsa non polluitur.

Tertiò violatur humani seminis emissione mortaliter peccaminosâ factâ intrà templum. Secùs est, si fiat in campanili aut locis subterraneis. Debet etiam juxta Doctores communiter fieri in vigilia; & consequenter Ecclesia non violatur, si fiat emissio in somno, etsi causa sit data in vigilia. Indifferens tamen est, utrùm fiat per pollutionem, vel fornicationem. De actu conjugali dubitatur. Quibusdam absolutè affirmantibus, aliis negantibus: Plurimis cum quadam modificatione dicentibus, per illum pollui tunc solùm, quando actus spectatis circumstantiis est sacrilegus & mortalis. Juxta quos proinde, dum conjuges v. g. ex necessitate diu manere coguntur intrà templum, idque cum periculo incontinentiæ, sicut tunc actus conjugalis ibi exercitus non est mortalis, sic nec violat locum sacrum. Ita *Suarez*, *Cominck*, *Præpositus*, *Lessius l. 4. de Justitia c. 3. dub.* 12. & alii. Estque hæc opinio probabilissima, atque adeò in praxi sequenda, juxta *Dicastillo disp. 9. de matrim. dub.* 5. qui tamen cum aliis probabilem putat opinionem, quam tenet *Glossa in can. Ecclesiis de Consecr. dist.* 1. *Basilius Pontius* & nonnulli alii, Ecclesiam simpliciter non violari per copulam conjugalem: cùm pœnæ sint restringendæ, quantùm fieri potest: videatur autem jus explicari posse de effusione seminis alioquin illicitâ seu extra copulam conjugalem; sicut intelligitur de effusione illicitâ sanguinis. Sic enim habetur *cap. fin. de Consecr. Eccles. Si Ecclesia injuscumque semine fuerit, aut sanguinis effusione polluta.* Idemque insinuat ly *polluta.* Non constat autem, actum conjugalem aliàs esse ab Ecclesia prohibitum intuitu reverentiæ loci sacri.

120. *Quartò polluitur per sepulturam Excommunicati vitandi vel Pagani.*

Quartò violatur per sepulturam excommunicati non tolerati. Item per sepulturam hominis pagani. Intellige, quando est natus ex utero: infans enim adhuc in utero materno existens potest cum matre sepeliri, cum qua censetur quid unum: Similium quoque sepultura, etiam facta sine culpa, violat Ecclesiam. Nomine tamen Infidelium seu Paganorum hìc non comprehendi Catechumenos, eò quòd hi reputentur fideles, notavit *Arriaga disp. 54. sect. 5. n. 36.*

121. *Quando pollutâ Ecclesiâ pollutur cœmiterium.*

Est autem advertendum I. pollutâ Ecclesiâ pollui simul cœmiterium; non contrà: nam cœmiterium est accessorium Ecclesiæ, accessorium autem sequitur suum principale. Si tamen cœmiterium sit ab Ecclesia remotum, eâ pollutâ non polluitur; ut expressè decidit, *c. Unico, de Consec. Eccles. in 6.*

Requiritur ad violationem loci, ut de ea publicè constet.

Advertendum II. locum sacrum in prædictis casibus non censeri pollutum, nisi de eis publicè constet, sive evidentiâ facti, sive confessione auctoris, sive aliâ ratione. Quare quamdiu res manet occulta, sic ut non nisi pauci sciant, Ecclesia non est polluta; polluetur tamen, quandocumque propalabitur. Ita communiter Doctores. Vide *Suarez disp. 81 sect. 4. §. Secundo dubitari solet.*

122. *Qualiter & per quos locus Sacer violatus reconcilietur.*

Advertendum III. si Ecclesia fuerit solùm benedicta, posse per Sacerdotem cum aqua ab ipso benedictâ reconciliari, ut colligunt Doctores communiter ex *c. Si Ecclesia de Consecr. Ecclesiæ.* Idem est de reconciliatione cœmiterii, quando ipsum vulgari modò solitariè, non autem cum Ecclesiâ consecratâ, fuit benedictum. Si verò Ecclesia sit consecrata, debet per Episcopum reconciliari aquâ ab aliquo Epi-

scopo benedictâ cùm vino & cinere. Prælati tamen Regulares ex privilegio *Leonis X. Bullâ 6. in Bullario Rodriguez* possunt suas Ecclesias consecratas, quando pollutæ sunt, reconciliare; sed aquâ ab Episcopo benedictâ cum vino & cinere: nisi Episcopus distet ultra duas dietas; tunc enim reconciliare possunt aquâ à se benedictâ. Vide *Rodriguez to. 1. q. 19. a. 6. Portel V. Ecclesia in Additione n. 10.* Immo ex privilegio ejusdem Pontificis possunt iidem Prælati suas Ecclesias & cœmiteria benedicere.

123. *Nonnulli putarunt violationem tolli per Missam bonâ fide in loco celebratam. Sed oppositū probatur.*

Advertendum IV. *Alphonsum à Castro, Avila, Sa* & quosdam alios existimare, Ecclesiam violatam sufficienter reconciliari per præsentiam corporis Christi, si bonâ fide contingat in ea Missam celebrari. Sed oppositum est dicendum cum *Portel suprà n. 5. Præposito* & aliis passim: eò quòd Ecclesia, ex cujus voluntate inducitur & tollitur violatio, ad hanc tollendam non ordinaverit celebrationem Missæ, sed aliam determinatam ceremoniam. Deinde quia aliàs Ecclesia reconciliaretur, etsi celebratio fieret malâ fide: aut etiam quando fit in necessitate ex dispensatione Episcopi, aut quando Ecclesia violatur Canone inchoato ante consecrationem, & sacerdos Missam, uti debet, prosequitur usque ad finem: quia semper est eadem præsentia Christi & dignitas Sacrificii. Denique Ecclesiæ, vel altaria non consecrata, seu non benedicta, per hoc non fiunt consecrâta, seu benedicta, quòd in eis Sacrificium celebretur (aliàs sanè etiam loca privata, in quibus id fieret, censerentur mox consecrata) ergo nec violata reconciliantur.

124. *Quando liceat in Ecclesia pollutā Missam inchoare aut perficere.*

Advertendum V. Etsi communiter sit grave peccatum celebrare in Ecclesia violata (ob cujus violationem etiam Missa est dimittenda, si ipsam violari contingat Canone necdum inchoato, juxta *Rubricas Missalis parte 3. §. 10.* & Doctores communiter: quàmvis *Roderico de Arriaga disp. 54. sect. 5. n. 40.* non videatur, Ecclesiam tam rigidè id prohibere, ut si jam sit post oblationem hostiæ & calicis, etiam ante Canonem, teneatur sacerdos desistere, eò quòd verè tunc sit moraliter inchoatum Sacrificium) tamen interdum id fieri potest ex licentia Episcopi ob aliquam necessitatem seu justam causam, juxta *D. Thomam q. 83. a. 3. ad 2.* & alios Doctores. Immo tam gravis posset esse necessitas, ut locus sit Epykiæ seu excusationi, etiam citra dispensationem, aut recursum ad Episcopum, juxta *Lessium q. 83. n. 85. Lugo disp. 20. n. 63.* & alios. v. g. si in die festo populus non habeat aliam Ecclesiam, in qua possit Missam audire; si Viaticum infirmo dandum, &c.

125. *Quando Ecclesiæ consecratio tollatur, ut sit reconsecranda.*

Adverte denique Ecclesiam semel consecratam debere iterum consecrari, quando est ab igne exusta, juxta *cap. Ecclesiis 20. de Consecr. dist. 1.* quod est desumptum ex *Concilio Nicæno*. Hoc tamen intelligendum est cum modificatione, quæ habetur *cap. Lignea, de Consecrat. Ecclesiæ*, si parietes ipsi sint destructi: si enim hi in sua integritate permanserint, licèt tectum corruerit, seu lignea Ecclesiæ ædificia sint consumpta, non debet Ecclesia denuò consecrari. Quòd si autem ampliùs velit *cap. Ecclesiis*, est per posteriora jura ei derogatum. Prout eidem derogatum est in hoc, quòd Ecclesias sanguine aut semine pollutas statuat rursùm consecrandas esse (si de strictè dicta consecratione ibi fit sermo) ut patet ex *cap. Proposuisti, & cap. Aqua, de Consecr. Ecclesiæ.* Quòd si parietes successivè destruantur, ita tamen ut reparentur, antequam major pars censeatur periisse vel destructa esse Ecclesia non perdit suam consecrationem; sed tunc, quando omnes aut major pars eorum simul destruuntur vel destructi manent, ut habet *Navarrus c. 27. Man. n. 258. Sylvester, Sa, Præpositus, Lugo* & alii passim contra *Glossam in cap. Proposuisti* citatum, & quosdam alios: tunc enim non censetur destrui Ecclesia, sed moraliter eadem perseverare.

QUÆSTIO XII.

De Altari, ejusque sacro Apparatu ad celebrandum requisito.

DICO I. Ad Sacrificium Missæ licitè offerendum requiritur Altare lapideum ab chrismatis unctione benedictum ab Episcopo vel ex commissione soliùs Pontificis à simplici Sacerdote. Patet ex praxi Ecclesiæ & communi Doctorum sensu. Et in hoc solus Pontifex potest dispensare. Multique existimant hanc consuetudinem antiquissimam cœpisse à S. Silvestro; qui, concessâ Ecclesiæ pace, sancivit, ut deinceps altaria ex lapide fierent, ut in ejus actis, & in officio Ecclesiastico Dedicationis Basilicæ Salvatoris legitur: cùm antea etiam in ligneis aris seu mensis (quæ designabant crucem ligneam, seu altare Sacrificii cruenti) Sacrificia tempore persecutionis, quo fixa plerumque loca fideles vix habere poterant, offerri solerent; extetque adhuc altare ligneum, in quo Princeps Apostolorum Sacrificasse dicitur. Nihilominus ante *Silvestri* sanctionem, *Auctor Operis de Cardinalibus Christi operibus* (qui si non sit Cyprianus, saltem coævus est, prout constare ait *Pamelius in Argum. Operis*) *Serm. de Unctione Chrismatis* mentionem facit lapidum altaris oleo seu chrismate delibutorum. Immo inter decreta Evaristi Papæ (qui sedit ante Alexandrum primum) legitur: *Si altaria non fuerint lapidea, ad celebranda divina officia non consecrentur.* Sic ex Codice librorum quinque l. 5. c. 8. refert *Binius Tom. 1. Concil.* Haud satis tamen constat mihi, quòd sit decretum authenticum. Mysticam altaris lapidei significationem allegat *D. Thomas q. 83. a. 3. ad 5.* quòd

quòd nempe repræsentet petram, quæ Christus est, sive etiam sepulchrum Christi, quod lapideum fuit. Ratio litteralis fuit commoditas, quæ est in materia obvia & durabili.

Altare est duplex, fixum & portatile. Fixum est integra structura alicui loco seu basi affixa. Illud dum consecratur, integra structura simul consecratur: amittiturque consecratio, si lapis superpositus amoveatur à basi, vel per eorum fractionem, c. *Ad hæc* & c. *Quod in dubiis, de Consecr. Eccles.* Portatile sive viaticum non est alicui loco affixum, sed mobile, soletque appellari ara. Et hoc sufficit ad celebrandum etiam citra privilegium, etsi reliqua altasis structura non sit lapidea. Neque amittit consecrationem, etsi à ligno, cui solet ad ornatum tantùm aut faciliorem conservationem includi, separetur, juxta plerosque Doctores. Quod verum est, etsi in ligno sit sigillum, aut locus reliquiarum: nam reliquiæ non sunt de substantia consecrationis altaris juxta Doctores communiùs: cum nullo jure id exprimatur. Et quàmvis exprimeretur, est per consuetudinem sublatum, ut iidem Auctores testantur. Deinde jura intelligi possent (uti & *Pontificale Romanum*) de præcepto; non autem quod requirantur reliquiæ ad valorem consecrationis altaris; aut etiam de altari fixo. Sanè cùm altare debeat esse de lapide, si tam necessariò requirantur ad ipsum reliquiæ, harum locus potiùs in lapide ipso, quàm in ligno ipsum circumdante esse deberet: cujus oppositum tamen interdum fieri videmus.

Amittit itaque altare portatile consecrationem, quando ita frangitur, ut calix cum patena continente hostiam non possit majori parti imponi; immo tunc ampliùs consecrari nequit. quando autem major pars sufficit, illius solius ratio est habenda. Unde diligenter advertendum est, ut saltem (quod etiam sufficit juxta *Rubricas parte* 1 §. 20.) major pars calicis & hostiæ imponatur isti lapidi consecrato: quàmvis (ut monet *Suarez*) non sit scrupulosè curandum, etsi ex aliqua parte ligno aut lapidi non consecrato innitantur.

Advertè hîc posse etiam instar altaris portatilis consecrari longam aliquam mensam lapideam mobilem: quod enim portatile sit parvum vel magnum, est omnino per accidens ad consecrationem, solùmque deservit commodiori translationi. Unde talis ara per translationem similiter non amitteret consecrationem: etsi hanc amittat, si sit mensa altaris fixi, & proportionatè consecrata, per motionem de loco: nisi fortè tota altaris structura cum sua mensa retinendo integram & eamdem compositionem ab uno in alium Ecclesiæ locum mutaretur: tunc enim non amitteret consecrationem juxta *Suarez disp.* 81. *sect.* 5. §. *Tertiò additur.*

130. Dico II. Altare, in quo celebratur, debet esse coopertum mappâ saltem duplicô, quarum una totam ejus mensam tegat. Patet ex communi sensu, & ex perpetuo Ecclesiæ usu. Dixi, *saltem duplici* (subintellige cum pluribus Doctoribus, vel unâ duplicatâ) quia etsi c. *Si per negligentiam, de Consecr. dist.* 2. & in *Rubricis Missalis* requirantur tres aut loco duarum breviorum una duplicata; idque sit omnino decentius & in Ecclesiis bene regulatis jam fiat: consuetudo tamen contrarium præscripsit; ut Doctores testantur. Immo si ob necessitatem aliquam tantùm adhibeatur una cum corporali, non videtur fore mortale, juxta *Azorium, Præpositum* & alios: nam omissio non videtur esse rei gravis, & cum tanto rigore præceptæ. Si tamen corporale sit paulò majus, potest plicari, & altera pars servire loco secundæ mappæ.

Altare quot mappis debeat esse coopertum.

131. Prædictæ autem mappæ solent ab Episcopo, aut habente potestatem benedici: quàmvis juxta plurimos probatissimos Doctores id non sit necessarium: immo *Vasquez* dicat hoc esse certum, eò quòd nec jure nec consuetudine præcipiatur. Hodie tamen videtur consuetudo magis invalescere, præsertim ubi commodè adiri possunt qui pollent facultate benedicendi. Et pro mapparum benedictione non solùm præscribitur formula in Missali & Ritualibus (ubi alioquin habentur formulæ benedicendi varia non necessariò benedicenda) sed etiam in *Rubricis Missalis Parte* 1. §. 20. earumdem benedictio præscribitur, & *Parte* 3. §. 10. inter defectus in ipso ministerio occurrentes recensetur: *Si mappæ non sint benedictæ.*

An debeant esse benedictæ.

132. Dico III. Requiritur præterea aliud linteum, quod Corporale dicitur, & ex lino tantùm esse debet, nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album & mundum & ab Episcopo vel alio habente facultatem simul cum palla benedictum. Patet ex *Rubricis Missalis* & usu Ecclesiæ & c. *Consulto de Consecr. dist.* 1. Hoc linteum olim (ut nunc etiam fit apud Ecclesias Orientales) non tantùm deserviebat, ut corpus Domini & calix ei imponeretur, sed etiam ut aliquâ ejus parte calix cooperiretur. Unde complectebatur tam illud quod nunc corporale dicitur, quàm pallam. Et hinc consequenter juxta Doctores & Rubricas Missalis debet palla, ex ea saltem parte quâ tangit calicem, esse linea, alba & benedicta, eâdem scilicet benedictione, quâ corporale.

Requiritur insuper corporale ex lino album.

Quod olim simul operiebat calicem, uti nunc facit palla.

Quæ sit ex eadem materia, & similiter benedicta.

Videtur tamen quoad hoc materia esse levis, & consuetudo multis in locis contraria; ut ad oculum patet, atque etiam testatur *Soto dist.* 13. *q.* 2. *a.* 5. *in fine*: qui idcirco non videtur in hoc facere difficultatem: uti nec ego propterea omitterem celebrare. Quàmvis omnino præfectis Ecclesiarum cordi esse debeat, ut in hoc, uti in ceteris, exactè serventur Regulæ Missalis.

An vel quæ sit quoad hoc obligatio.

Circa

133. *Possunt corporalia & palla esse ex canabe vel gossipio.*

Circa hoc verò, quod dictum est, corporalia & pallas (idem est de albis & mappis) debere esse lineas, observandum est ex *Thoma Tamburino l. 1. de Sacrif. Missæ c. 5. §. 3. n. 3.* sufficere quòd sint ex canabe, ut idem certum putat: eò quòd telæ istæ in communi usu vestium & acceptione hominum censeantur lineæ, etsi specie physicâ differant. Ex quo sequi videtur idem esse tenendum (& tenet *Azorius*, probabileque censet *Tamburinus sup. n. 4.*) de telis textis ex gossipio, vulgò *Catoen*.

134. *Requiritur etiam candela accēsa.*

Dico IV. Requiritur lumen accensum. Patet ex consuetudine & indubitato omnium sensu. Idem colligitur ex c. *Litteras, de Celeb. Missarum*, ubi graviter decernitur puniendus Presbyter, tum ob alia crimina, tum etiam, quia sine igne celebraverat. Requiritur autem ex usu Ecclesiæ antiquissimo candela ex cera. Unde Ministri, qui in Ecclesia ordinantur ad luminaria accendenda & ferenda, dicti sunt Ceroferarii. Sufficitque de rigore una candela cerea juxta Doctores communiter.

Sufficit una cerea.

Ut proindè ad solam decentiam pertineat, quòd in *Regulis Missalis Parte 1. § 20.* præscribuntur duæ candelæ; utì & hoc, quod parandus dicitur cereus ad elevationem Sacramenti accendendus. In necessitate quoque sufficit lucerna ex oleo, immo etiam candela ex sevo. Et quidem Plures non requirunt necessitatem magnam, etiam ut cum candela sebacea celebretur licitè, sed prudenti id relinquendum judicio ex parte defectûs ceræ; quæ si morali adhibitâ diligentiâ haberi nequeat, tunc (inquiunt) celebretur cum alio lumine, & non propterea omittatur celebratio. Ita *Dicastillo d. 4. n. 160. dub. 9.* qui censet secluso scandalo satiùs esse, celebrare cum lumine olei, quàm non celebrare.

Etsi deceat ut sint duæ.

In necessitate, etsi non magnâ, sufficit lucerna ex oleo, & candela ex sevo.

135. *Adesse etiã debet Missale, an semper.*

Dico V. Requiritur etiam juxta Rubricas liber Missalis, qui saltem contineat Canonem, idque juxta Doctores communiter sub mortali, ne in re tanti momenti memoria hominem fallat. Probabile tamen est (ut docet *Lugo d. 20. n. 78.* referens *Layman*, *Villalobos*, *Ledesma*, *Diana*, *Vasquez*) licere absque eo justâ de causâ celebrare, absente scandalo & periculo erroris. Et sanè quod ad Canonem attinet, quem Plures quotidie celebrantes interdum non inspiciunt, non dubito, quin possit sæpè abesse errandi periculum. Scandalo vel potiùs admirationi posset facilè occurri, vel non esse illius periculum. Unde etiam *Suarez disp. 81. sect. 6. §. Quarto requirunt*, fatetur se sufficientem peccati rationem tali casu non invenire.

136. *Crux in medio altaris ponenda, citra obli-*

Solet præterea apponi crux, ut præscribitur in Rubricis Missalis. Ejus tamen omissio non est peccatum, saltem grave; cùm nullum jus aut consuetudo, aut etiam ipsa materia hoc indicet. Quare ob hujus defectum non necessariò esset omittendum Sacrum: cùm ipsa celebratio alioquin omittenda sit causa non modica, sufficienter excusans defectum hunc, quando crux haberi commodè non potest. Insuper solet apponi tabella Secretarum infra pedem Crucis: ut quoque præscribunt Rubricæ Missalis novi: sed certò nulla est obligatio.

Denique in Rubricis Missalis novi fit mentio pallii seu antipendii altaris: quo ipsum ex decentia, sed sine obligatione, ornatur.

QUÆSTIO XIII.

De Sacris Vasis & Vestimentis, & reliquis ad celebrandum requisitis?

Dico I. Ad licitè celebrandum requiritur calix & patena. Constat ex consuetudine, & c. *Vasa* & c. *Vt calix, de Consecr. dist. 1.* Quæ etsi desumpta sint ex Conciliis provincialibus, tamen sunt ab Ecclesia recepta. Debet autem calix esse ex auro vel argento, vel ratione paupertatis saltem ex stanno, ut habetur c. *Vt calix cit.* Quod etiam usus confirmat. Nullo autem modo ex vitro, ut ibidem cavetur: neque ex ligno, ut prohibetur ibidem, & c. *Vasa cit.* & c. *Litteras de Celebr. Missarum.* Neque ex ære aut auricalco, ut prohibetur c. *Vt calix*, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum prouocat, ut ibidem dicitur. Sufficit tamen cuppam esse ex prædicta materia: per enim esse potest ex ære, auricalco, vel etiam plumbo, ut patet ex consuetudine. Ex qua posset quoque alicubi desumi causa excusans eos, qui utuntur calice æreo: prout in ipsa Urbe Romana esse innumeros calices & patenas ex ære toto, seu cupro inaurato, testatur *Lugo disp. 20. sect. 4.* Non est etiam strictè præceptum, nec consuetudine receptum, quòd dum solla cuppa est argentea, sit intùs inaurata, quòdque patena argentea sit similiter inaurata; etsi id in *Rubricis Missalis recogniti parte 2. §. 1.* præscribatur.

Calix cum patena debet esse consecratus. Patet ex usu, & sensu communi: & insinuatur c. *Vnico, de sacra Vnctione*, in fine. Amittit autem Consecrationem, quando tam enormiter frangitur, ut ad usum Sacrificii nequeat inservire. Quòd si separetur pes à cuppa, amittit juxta omnes Consecrationem calix, si sit fixus: non tamen si sit tornatilis, seu si absque ipsius calicis fractione separabilis sit cuppa à pede, juxta communem Doctorum sententiam, quam usus confirmat. Inde namque constat ejusmodi calicem tali ratione consecrari. Præterea per illam artificiosam sepa-

ratio-

rationem cuppæ à pede non censetur prior forma calicis perire, sive calix mutari, sed manet idem communi judicio, aptusque moraliter ad finem suum; uti pelum Episcopale, quod est frequenter tornatile ad majorem transferendi commoditatem. Immo satis probabile est, non perdi Consecrationem, etsi de novo inauretur, ut docet *Sa, Coninck, Diana* & multi alii, contra *Suarez, Lessium* & alios satis probabiliter oppositum docentes: quia moraliter remanet idem calix, qui erat consecratus: sicut eadem Ecclesia est, & consecrata manet, etsi de novo dealbetur. Neque inauratio videtur pars principalis, sed potiùs accessoria: sicut quando pars modica corporalis reficitur, etsi refectio cadat super partem, quæ occupatur ab integra hostia, non equidem censetur nisi pars accessoria, & minùs principalis. Nec etiam simile est de cuppa subtilissima auri, qui poneretur intrà cuppam talis calicis, ut arguit *Suarez*: quia ibi esset duplex vas. Admittit tamen etiam *Suarez* & alii auctores oppositæ sententiæ, consecrationem calicis saltem non perire, etsi deauratio pereat; uti pedetentim perire solet per continuum usum.

De pyxide sive ciborio (idem est de lunula in Remonstrantia) dubitatur hic, an debeat benedici. Varii Recentiores affirmant, non solùm quia in Pontificali Romano peculiaris pro ea ponitur benedictio; sed etam quia in *Rubricis Missalis reformati, parte* 3. præscribitur, ut particulæ consecrandæ collocentur in corporali, vel calice cõsecratò, vel vase mundo benedicto. Alii tamen passim censent, non esse obligationem: eò quòd in Pontificali ponantur benedictiones variæ non præceptæ, Rubrica verò solùm præscribat quod aliundè non est jure præceptum, sed quod congruentius est; prout indubiè est quòd Eucharistiæ immediatum continens sit benedictum. Id verò indubitatũ est, quòd sufficiat simplex benedictio: quam adhibere possunt ii, qui possunt benedicere corporalia, & reliqua paramenta, in quibus chrisma non intervenit. Denique materia pyxidis non est determinata, sed ex decentia est eadem, quæ calicis.

Dico II. Requiritur etiam purificatorium, ut patet ex usu. Ex quo similiter, & receptâ Doctorum sententiâ contra *Layman l. 5. Tract. 5. c. 6. n. 12* ac denique ex eo, quòd nulla in Pontificali vel Ritualibus reperiatur præscripta pro eo benedictio; satis constat, ipsum non necessariò benedici. Unde posset quis loco purificatorii adhibere mundum sudarium, dummodò ipsum postea non impendat usui profano.

Dico III. Requiruntur ad celebrandum certa quædam vestimenta, scilicet amictus, alba, cingulum, manipulus, stola & casula, idque sub mortali juxta Doctores communiter. Quamquam teste *Præposito* aliqui probabiliter existiment non fore mortale, si unum aut alterum omittatur in necessitate; ut cingulum, manipulus vel stola. Illud etiam probabile est, in necessitate posse nos uti stolâ pro manipulo & cingulo, & similiter manipulo oblongo pro stolâ; quia similem habent benedictionem.

142. *Quæ debẽt benedici ab Episcopo vel præditis pontificiâ facultate.*

Debent autem hæc vestimenta esse benedicta, ut præscribitur *can. Vestimenta, de Consecr. dist. 1.* Benedici verò debent ab Episcopo, vel aliis habentibus à Pontifice facultatem. Qualem habent Prælati, etiam locales, Ordinum mendicantium, & in eorum absentia Vicarii, saltem pro propriis Ecclesiis, ex concessionibus Pontificum (quæ videri possunt in *Compendio Privilegiorum V. Benedicere*, & apud *Rodriguez to. 1. q. 19. a. 2.* & alios) per quas præfatis conceditur potestas benedicendi corporalia & omnia alia paramenta Ecclesiastica, in quibus chrisma non intervenit; quod intervenit in Consecratione calicis & altarium. Plures tamen contendunt, præfatos non posse illa benedicere pro alienis usibus seu Ecclesiis, prout nonnulla Privilegia sonare videntur. Alii multi oppositum existimant. Quibus favet quotidiana praxis, saltem his in locis. Pro qua etiam est expressum privilegium Innocentii VIII. vivâ voce (ut refert *Compendium Societatis*) concessum Congregationi S. Justinæ (quod etiam refertur apud *Rodriguez suprà*, & in *Compendio suprà in additione Cappuccini*) cujus privilegia indubiè participant Ordines mendicantes. Et quàmvis Capitulum generale Mechlinienſe (quod fuit celebratum Anno 1464. sub Vicariis generalibus Observantium, dudum ante unionem perfectam sub Leone X.) prioris alicujus Pontificis concessionem restrinxerit ad proprios dumtaxat usus: hæc tamen restrictio ne quidem in Ordine nostro Seraphico locum habet: tum quia privilegium Innocentii VIII. est posterius: tum quia ordinationes istius Capituli hodie certò non obligant, sed omnino sunt abolitæ; & aliundè privilegia antiqua generaliter concessa revixerunt per varias eorumdem confirmationes postea factas motu proprio & ex certa scientia. Immo illud ipsum Capitulum solùm fuit celebratum ab & pro Fratribus ab hac parte montium constitutis: quos Itali vocant Ultramontanos, nos vero Cismontanos vocamus.

Quam habẽt Prælati Regularium Mendican. tium etiam circa corporalia & mappas altaris.

An etiam pro usibus alienis.

143. *An Sacerdotes horũ Ordinum non prælati possint ea benedicere, exceptis corporalibus*

Unde etiam non obstat restrictio ejusdem Capituli, quâ ad prælatos Provinciales & Guardianos restrinxit Privilegiũ Sixti IV. concedens generaliter Sacerdotibus Fratrũ Minorum facultatẽ benedicendi paramenta altaris, & indumenta, exceptis corporalibus dumtaxat (quòd esse in usu apud Dominicanos, quibus convenit per communicationem, testatur *Portel V. Benedicere, in addit. n. 2.*) quo minùs possent fratres præfati eo uti: quàmvis in his locis non utantur.

Magis

Magis obstare posset, quod tam hoc quam Innocentii VIII. privilegium sit vivæ vocis oraculum. Quo loco autem sint hodie habenda hujusmodi oracula, præsertim postmodum (ut loquuntur) bullata alibi indicavimus, & pendere insuper potest ex eo, utrùm Decretum revocatorium in his aut istis locis sit in vigore. Videri etiam potest quædam Concessio Bonifacii IX. apud *Compendium Privileg. V. Benedicere, in Annot. Cordubæ.*

Quid intelligatur hîc nomine benedictionis solêmnis.

Quod verò in privilegiis dicitur de benedictione solemni, intelligitur de solêmnitate sitâ in hoc, quòd benedicens adhibeat versus, competentes alioquin Episcopis solemniter benedicentibus, scilicet *Adjutorium nostrum* &c. &, *Sit nomen Domini benedictum* &c. ut notat *Sorbus in Addit. ad Compend. V. Benedicere.*

144. *Campanæ juxta Recentiores ab Episcopis consecrandæ.*

Eâdem operâ hîc observandum, Consecrationem seu benedictionem campanarum ex sententia variorum Recentiorum censeri reservatam solis Episcopis, seu iis qui possunt calices vel altaria consecrare; eò quòd similiter interveniat usus chrismatis. Ita *Barbosa l. 1. de jure Eccles. c. 11. n. 105. Ascanius Tamburinus to. 1. de jure Abbatum disp. 23. q. 12.* (ubi tamen extra rem adducit *Guilielmum Durandum* & *Stephanum Durantum*) & alii. Admittit tamen idem *Barbosa supra* simplicem benedictionem (in quâ videlicet omitteretur Chrisma) posse ab Episcopis delegari. Eademque consequenter competit Prælatis Mendicantium; prout iisdem competit facultas benedicendi ipsasmet Ecclesias suorum Ordinum, & quævis alia, in quibus non intervenit chrisma. Immo in Belgio delegant Episcopi Decanis ruralibus aliisque Sacerdotibus consecrationem campanarum: cujus formula, in qua etiam fit mentio chrismatis, describitur in ipso Pastorali Mechlinienſi, in quo alioquin sola Pastoralia sunt posita. Quorum proinde opinione usus iste chrismatis videretur non esse ita reservatus ordini Episcopali: uti nec reservata est unctio baptizati in vertice, quæ fit cum chrismate à parochis. Denique nullo jure reperitur expressum, quòd campanæ necessariò debeant benedici: nisi quod S. Congregatio Rituum 5. Julii 1614. censuerit (ut refert *Barbosa l. 2. c. 3. n. 68.*) posse Episcopum prohibere, suis scilicet Pastoribus & diœcesanis subditis, ne campanæ pulsentur, si non sint benedictæ.

A quibus possint simpliciter benedici.

An benedictio illarum sit strictè præcepta.

145. *Quando paramenta amittant suam benedictionem.*

Porrò paramenta seu vestimenta sacra amittunt benedictionem suam, quando ita franguntur, ut non censeantur apta ad suum consuetum usum; ut si manica separetur ab alba; si cingulum ita frangatur, ut neutra pars sufficiat ad cingendum Sacerdotem; secùs est, si longior pars adhuc sufficiat. Aliqui volunt in fractione prima licere uti partibus simul nexis; quod in rigore falsum est. Aliqui etiam apud *Diana p. 1. Tract. 14. de Celebr. Missar. resol. 68.* volunt tantùm esse veniale ob levitatem materiæ. Difficile videtur, quòd ob hoc deberet omitti Missa, saltem cum aliquo incommodo notabili.

Requiritur præterea in paramentis & vasis Ecclesiasticis munditia, tum ex natura rei, tum ex c. *Relinqui nolumus, De custodia Eucharistiæ*, ubi Innocentius III. cum Concilio generali Lateranensi, postquam retulisset: *Sunt & alii, qui non solùm Ecclesias dimittunt incultas, verùm etiam vasa ministerii, & vestimenta ministrorum, ac pallas altaris, nec non & ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori*, subjungit: *Præcipimus quoque, ut oratoria, vasa, corporalia & vestimenta prædicta, munda & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.* Qua in re potest interdum committi mortale peccatum, adhibendo saltem corporalia valde notabiliter immunda, contra reverentiam tanto Sacramento debitam, ut notat *Emanuel Sa, Angelus, Tabiena, Silvester, Suarez*, & alii, quos refert, & sequitur *Bonacina disp. 4. q. ult. de Missæ Sacrificio, pu. 9. n. 23.* Istique signum defectûs vivæ fidei, & munditiæ interioris, neglectus munditiæ in hisce rebus. Planèque intolerabilis est abusus, calices interdum manere tam immundos, ut vir honestus detrectaret potum communem sumere ex tam immundis vasis: corporalia item, & sæpiùs purificatoria reperiri tam sordida, ut adeò sordidis sudariis honestus vix uteretur ad emunctionem narium.

Petes: An paramenta & vasa sacra possint à quovis licitè tangi? Resp. quantùm ad mappas altaris & indumenta Sacerdotalia, certum esse ex sensu & praxi omnium, quòd sic; nec jura, si quæ in oppositum sint, amplius esse in usu. Ad pyxides verò & linteolas etiam benedictas quod attinet, videntur similiter posse tangi à laicis, quando necdum Eucharistiam continuerunt. Idem est de corporalibus & purificatoriis necdum usui applicatis. Similiter Acolythi vel alii Clerici extra sacrum ministerium possunt contingere sacra vasa vacua, v. g. calicem vacuum, juxta *Suarez d. 81. sect. 3. n. 5. Tertium exemplum*: quàmvis dum celebratur Missa solis id Acolythis & in altiori gradu constitutis concedat ex c. *Nonnullis 2. dist. 23.* & c. *Nullus. 1. dist. 24.* Quod autem ad laicos & feminas spectat, certum in primis est, non congruere, ut tangant calices consecratos, vel patenas, uti nec, post contactum Eucharistiæ, corporalia &c. Certum præterea est, non esse grave peccatum, facilèque esse causam excusantem: nisi quòd, dum actu continent Eucharistiam, tangi manu ab inferioribus Diacono queant (quod tamen non est natum fieri, planè voluntariè à timoratis) sine periculo gravioris peccati, ut Quidam notant.

Esse autem veniale, si à laicis aut feminis tan-

tangantur calices vel patenæ consecratæ, sive ante sive post usum, pyxides aut corporalia, aut purificatoria post usum, est communis doctrina & sensus timoratorum. Ideo Sixtus IV. concessit vivæ vocis oraculo omnibus fratribus Clericis & laicis, ut cum reverentia possint sine scrupulo conscientiæ tangere calices, corporalia & alia ornamenta; ut refertur in *Compendio Privilegiorum V. Ornamenta Ecclesiastica.* Idem antea concesserat Fratribus laicis Callistus III. Et postmodum Leo X. rogatus id concedere recusavit, nisi cum magna restrictione: ut refertur in *Compendio V. Laici Fratres.* Quod signum est, Pontificem censuisse id sine privilegio non licere. Oppositum nihilominus fusè defendit *Thomas Tamburinus l. 1. de sacrif. missæ c. 2. §. 1.* dicens idem tenere *Soto, Bartholomeum ab Angelis,* & alios: conaturque fusè dissolvere singulos textus canonum, qui in oppositum allegantur. Consuetudo tamen & sensus communis aliter jus interpretatur. Immo *Azorius, Henriquez, Bonacina* & alii, quos citat & sequitur *Castro Palao Tom. 22. disp. un. pu. 10. n. 13.* (etsi *parte 2. disp. de Adoratione pu. 6. n. 24.* oppositum sequatur cum *Suarez suprà*) censent per sacratos homines, quibus liceat sacra vasa & corporalia tangere, intelligi solos ordinibus sacris insignitos. Quibus favet consuetudo. Unde etiam solet prima lotio corporalibus & purificatoriis adhiberi à diacono, aut certè à subdiacono: deinde ulterior lotio feminis aut monialibus ad id aptioribus, ati reparatio eorumdem, committi. Subestque tunc causa sufficiens, scilicet jam insinuata. Hoc ipsum autem non parvam erga res sacras æstimationem ac venerationem in personis laicis conciliat.

Petes II. An vestimenta ac vasa profana possint converti in usus sacros? Resp. Aff. dum tamen usibus sacris apta sint, vel aptentur quantùm ad formam, & ubi necesse fuerit, quoad benedictionem vel consecrationem. Patet: quia id nullibi prohibetur. Et usus idem confirmat. Immo etiam antiquitùs domus privatæ aut templa idolorum fuerunt conversa in templa Dei & Basilicas Sanctorum.

Petes III. An è contrà licitum sit vasa aut vestimenta seu alia divino cultui consecrata convertere in usus profanos? Resp. immutatâ formâ non posse indubiè id fieri, c. *In sancta,* c. *Vestimenta,* & c. *Ad nuptiarum, de Consecr. dist. 1.* Et ob hanc causam Balthasar rex fuit graviter punitus, prout habetur *Dan. 5.* ac etiam allegatur *c. Vestimenta.*

Hinc colligitur, non sine sacrilegio posse sacros calices adhiberi in communi mensa, nec corporalia ad emungendas nares &c. Posset tamen locum habere levitas materiæ, v. g. si quis semel leviter abstergeret sudorem mappâ benedictâ &c. Non censetur quoque usus profanus, aut contra Canones, quòd sacerdotibus defunctis adhibeantur vestimenta sacerdotalia, quibuscum sepeliantur: neque quòd vestes sacræ interdum adhibeantur ad sacram tragœdiam.

151. *Quid censendum, si forma mutetur.*

Quòd si forma mutetur, atque adeò benedictio seu consecratio tollatur, omnino convenit, ut ad usus profanos non redeant, sed vel comburantur, vel alio decenti modo consumantur; ut præscribitur c. *Ligna* & c. *Altaria de Consecr. dist. 1.* Unde Doctores communiter inferunt, hoc ipsum esse de necessitate præcepti. Quàmvis *Castro Palao suprà disp. de Adorat. n. 25.* probabile putet, secluso scandalo nullum vel levissimum in hac applicatione peccatum intervenire: & quàmvis Canonibus citatis contrarium insinuetur, ob necessitatem tamen excusari posse irreverentiam, quæ ibi potest præsumi. Verisimile saltem est juxta *Præpositum q. 83. a. 3. dub. 6.* (qui refert *Sa V. Ecclesia n. 2.*) ex licentia Episcopi hæc posse in usus profanos converti. Et consequenter ex licentia aliorum habentium Episcopalem potestatem respectivè idem fieri posset, dum adest rationabilis causa vel aliqua necessitas.

152. *Ad celebrandum requiritur unus saltem minister.*

Dico IV. Ad celebrandum requiritur minister, & sufficit unus. Utrumque patet ex universali consuetudine Ecclesiæ. Nihilominus in casu necessitatis, posset missa celebrari sine ministro, v. g. ad communicandum moribundum: vel si alioquin Sacerdos in die festo non posset audire Sacrum: item si Missâ jam inchoatâ minister recedat, & expectatus non redeat. Ratio est: quia præceptum in consuetudine fundamentum non cessetur obligare, nisi extra casu necessitatis.

153. *Usq; masculus.*

Hic minister non potest esse femina, ut patet ex c. *Inhibendum, De cohabitatione clericorum & mulierum.* Ubi prohibetur, Ut nulla femina ad altare præsumat accedere aut Presbytero ministrare. Unde Doctores passim existimant in necessitate potiùs esse celebrandum sine ministro, quàm feminâ ministrante. An autem in Belgio aut vicinis locis, ubi saltem deficiente ministro masculo, virgines, præsertim religiosæ, superioribus conniventibus indies in monasteriis ministrant celebranti, consuetudo isti juri derogaverit, meritò posset dubitari. *Præpositus* & *Coninck* qui eam viderunt, dicunt non esse tolerandam. Non ausim tamen tales damnare peccati, præsertim mortalis, ubi & quamdiu toleratur hîc usus: qui apud nostras Moniales non toleratur. Saltè potest femina respondere à longè (uti etiã respondent Moniales in Choro) ministrante Sacerdoti viro, etsi hic nesciat respondere; aut fortè etiam Sacerdote sibimet ministrante aquam & vinum, si ea habeat ad altare præparata, quãdo minister masculus haberi non posset.

Quid censendum de oppositio usu alibi vigente.

Dico V. Ex honestate debet Sacerdos esse indutus calceis: quãquam hac de re nullum exstet præceptum obligans, præsertim sub mortali, sed solùm sit honestatis, adeoq; facile

Ad solam decentiam spectat, quòd cele-

Gravis sit calceatus.

facilè possit esse causa excusans, sic ut ob horum defectum non sit omittenda missa.

154. *Non est obligatio, saltem gravis, præmittendi matutinum celebrationi missæ.*

Dico VI. Non est gravis obligatio præmittendi Sacro privatam etiam lectionem matutini cum laudibus. Ita communiter Theologi recentiores, contra multos alios, præsertim antiquiores. Immò juxta quosdã nulla est obligatio, utpote nullo jure inducta. Quod etsi in rigore verum sit, præsertim, quando adest aliqua rationabilis causa, absque omni tamen prorsus causa secùs faciens vix videtur excusandus à culpa veniali alicujus supinæ negligentiæ vel torporis. Ratio Conclusionis est: quia horæ matutinæ non habent necessariam connexionem cum officio Missæ quoad materiam (cùm Missa frequenter ab officio discrepet) adeoque multò minùs quoad tempus & ordinem. Immo major est connexio inter matutinum & parvas horas (quæ tamen absque gravi peccato per transpositionem præmittuntur matutino) quàm inter matutinum & Sacrum: ut proinde nõ videatur postpositio matutini esse materia gravis, etsi in jure inveniretur prohibita: in quo tamen non prohibetur.

Ordinatio proinde Rubricarum est à fortiori citra strictam obligationem; uti constat esse, quod additur: *Et orationi aliquantulum vacet.* Inter defectus quidem in ministerio occurrentes iste connumeratur: sed non omnes isti sunt mortales, utì si desit tertia mappa, aut sit non benedicta, si non adsint plura luminaria cerea, sed unicum, si cingulum non sit benedictum, vel juxta varios, si absit Missale, secluso errandi periculo. Adde istum defectum fuisse connumeratum à Theologis, per Pium V. adhibitis, qui fortasse in contraria opinione, tunc satìs receptâ, fuerunt: quæ tamen nunc deserta est à Doctoribus communiter; adeoque etiam gravis obligatio, si quæ fuisset, mitigata jam foret contrario sensu Doctorum & praxi seu usu timoratorum, idque inspiciente & non contradicente Ecclesiâ. Quòd si etiam gravis obligatio aliquando fuisset, aut etiamnum esset, constat ad summum non fore, nisi quando matutinum cum laudibus præmitti potest absque incommodo, etsi non adeò gravi.

156. *Non est gravis obligatio dicendi orationes inter vestiendum præscriptas.*

Similiter non est gravis obligatio dicendi orationes, quæ præscribuntur Sacerdoti, dum se vestit: quidquid contrarium dixerit *Navarrus* & quidam alii: nusquam enim strictè præcipiuntur: & quàmvis absolutè præceptæ forent, tamen etiam omnes simul nõ faciunt gravem materiam, sed valde levem: & aliàs valde irrationabiliter multiplicantur graves obligationes legum humanarum & peccata mortalia sine necessitate. Nullam etiam existimo esse obligationem, aut certè non gravẽ, præmittendi præparamenta, modò Sacerdos sit alioquin per meditationes pias bene præparatus: non enim assignantur in Missali per modum præcepti, sed pro opportunitate & commoditate Sacerdotis per modum consilii & directionis, ut ait *Suarez disp. 82. in principio.* Et consonat ipse modus loquendi *Rubricarum Missalis p. 2. §. 1.* ubi dicitur: *Orationi aliquantulum vacet, & Orationes infrà positas pro temporis opportunitate dicat.* Unde idem habet sensus & praxis etiam doctissimorum pariter ac piissimorum nullius peccati scrupulum in hoc facientium.

Idem est de præparamentis in Missali assignatis.

QUÆSTIO XIV.

De Supplendis defectibus in Missa occurrentibus ac de Ritibus Missæ.

DUBITATUR primò, quomodo supplendus sit defectus in Missa occurrens, quando in sumptione calicis advertit Sacerdos non fuisse vinum, sed aquam aut alium liquorem? Resp. quòd vel denuò consecranda sit hostia cum vino, præviâ oblatione saltem mente conceptâ, incipiendo à verbis, *Qui pridie quàm pateretur*, ut præscribunt *Rubricæ* juxta sententiam *D. Thomæ*: vel de novo consecrandus sit solus calix sine pane, incipiendo à verbis, *Simili modo postquam cœnatum est*; & post Consecrationem reliquis omissis sumendus. Quod postremum esse magìs congruum, docet *Scotus dist. 8. quæst. 3. nu. 7.* quem sequitur *Navarrus*, *Suarez*, *Vasquez* & passim Recentiores: si enim denuò consecretur utraque species, non tam perficietur Sacrificium prius, quàm reficietur, seu fiet novum; cùm tamen potiùs secundùm jura & rationem sit perficiendum, adeoque solùm cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Rubricæ autem sunt tantùm instructiones quædam doctrinales, datæ secundùm probabilem doctrinam, non magis obligantes, quàm doctrina, in qua fundantur, ut inquit *Suarez disput. 85. sect. 1. §. Ad Primam Confirmationem.* Addo *Rubricas Missalis reformati p. 3 §. 4 num. 5.* consulere sententiam *Scoti*, quando Sacerdos celebrat publicè seu coram aliis (prout ordinariè contingit) nam certè tunc quam sine nota potest curari infundi vinum ablutionis & modicum aquæ, silenterque post oblationem saltem mente conceptam præmissâ Consecratione illud sumere, deinde ad secundam & ordinariam ablutionem procedere. Quòd si Sacerdos per ignorantiam, inadvertentiam, aut alium modum, prædictum defectum supplere omiserit, donec Sacrum est absolutum & ab altari recesserit, nullatenus debet iterum consecrare ad supplendum defectum, immo non potest: quia tunc est moraliter distincta actio. Ita *Suarez, supra*, & alii.

Dubio

158. Dubitatur secundò, quid faciendum sit, quando Sacerdos, qui plures hostias detulit ad altare ad communicandum populum, dubitat, an habuerit debitam intentionem consecrandi? Resp. si Sacerdos verè de hoc dubitet, dicat Sacerdoti celebraturo, ut eas sub conditione consecret, modò dubium sit probabile: nisi malit post sumptionem sanguinis ipsemet eas sumere, idque commodum fuerit. Alioquin in hac materia non oportet scrupulosum esse, ne via pluribus malis aperiatur. Constat quòque Sacerdotem eo ipso, quo detulit hostias ad altare, videri habuisse intentionem sufficientem ad Consecrationem.

159. Dubitatur tertiò, quid faciendum, si celebrans non recordetur se dixisse ea, quæ in Consecratione communiter dicuntur? Resp. non debere propterea turbari, ut inquiunt *Rubricæ*. Et meritò: quia factorum aut dictorum, etiam sine dubio rationabili, sæpè non recordamur ob defectum reflexionis.

Si tamen certò ei constaret, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, deberet resumere ipsam formam absolutè; aliàs, si valdè probabiliter de hoc dubitet, sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulteriùs; ut inquiunt *Rubricæ*. Unde etiam, si oblitus fuerit in Missa *Gloria in Excelsis*, aut *Credo*, aut aliquid simile, non debet, si postquam aliquantulùm progressus memor fiat, supplere quod omissum est, cum perturbatione Ordinis ab Ecclesia præscripti; ut notat *Bonacina d. 4. q. ult. de Missæ Sacrificio pu. 10. n. 16.* post *Silvestrum*, *Suarez*, *Reginaldum* & *Coninck* quos citat.

160. Non apparet tamen, cur non possit aut non debeat interdum Sacerdos repetere, si inter secretè orandum quid notabile omisisset, & post pauca verba certò id adverteret: id enim commodè & sine notabili turbatione Ordinis fieri potest. Sic etiam frequens est, ut incepto *Communicantes*, vel *Hanc igitur oblationem*, incidat additio faciendi infra Octavam Paschæ v. g. ad quam recitandam regredi, post pauca verba juxta formam ordinariam dici cœpta, non est inconveniens. Similiter si ante consecrationem certò recordetur Sacerdos, se omisisse mixtionem aquæ, debet illam supplere. Pleraque alia, quæ de supplendis defectibus in Missa occurrentibus dici possunt, satis explicantur in *Rubricis Missalis*. Qui plura desiderat, adeat *Suarez disp. 85.* Apud quem etiam & apud *Gabrielem Biel* & alios videri potest explicatio partium Missæ in particulari.

161. Dubitatur quartò, qualiter peccet, qui aliquid omittit, vel addit in Missa? Resp. peccare mortaliter ex genere suo. Quod addo: nam levitas materiæ & inadvertentia excusat. Unde omittere *Gloria in Excelsis*, *sa addens vel de ea minuens*, vel *Credo*, aut simile quid, non est mortale, ex levitate materiæ. Ordinariè etiam tunc adest oblivio seu inadvertentia. Idem est de Epistola vel Evangelio in Missa solemni, si Sacerdos ea privatim non legat, ut Plures docent, sive quia Rubricæ submissam tunc lectionem ordinantes sunt directivæ, sive quia in Missa solemni, in qua nihilominus à Ministris cantantur, talis omissio videtur exigua.

162. Immo *Thomas Tamburinus lib. 2. cap. 5. §. 2. num. 6.* allegans *Sanchez* opinatur Sacerdotem celebrantem cum Diacono & Subdiacono meliùs facturum, si dum hi cantant Epistolam & Evangelium, ipse attentè audiat, nec secretè recitet. Quod extendit ob paritatem rationis ad *Gloria*, *Credo*, Prophetias Sabbati sancti, Passionem Domini, & similia, quæ in majori hebdomada, & in Missa solemni ab aliis à celebrante cantari solent. Sed hoc apertè repugnat praxi, & apertiùs *Rubricis Missalis*; quæ etsi hac in parte forent merè directivæ, dant saltem consilium de meliori. Similiter in additione excusat levitas materiæ, ut si absque intentione inducendi novum ritum Sacerdos velut privata persona adderet in Missa *O sacrum convivium &c.* vel quid simile ex privata devotione; aut in Canone nomen alicujus Sancti, v. g. de quo fit festum. *Opinio Thomæ Tamburini refutatur.*

163. Quod si Regularis non nominaret Episcopum loci (qui etiam à peregrinantibus, non autem Episcopus ipsius Sacerdotis nominandus est) sed ejus vice suum Generalem, declaravit S. Congregatio apud *Diana Parte 2. Tract. 14. Resol. 40.* esse mortale. Sed hactenus non constat declarationem esse authenticam juxta *Tamburinum suprà §. 3. num. 7.* qui existimat idipsum esse leve, nisi cùm fieret ad mutandum ritum, vel ex contemptu Episcopi, vel ob aliquid simile. Nec putat de cetero S. Congregationem voluisse id quod ex se leve est sub mortali prohibere. Faciliùs nihilominus subesse posset culpa gravis mutationi factæ in Canone: qui censetur gravissimi ponderis. *In Canone nominandus Episcopus loci, etiam à peregrinis etiam Regularibus.* *Non Generalis.*

Propriè autem incipit Canon, juxta Doctores (quod etiam videntur supponere Scriptores antiquiores, signanter *Honorius Augustodunensis l. 1. de antiquo Ritu Missar. cap. 103. Tom. 12. Bibliath. Patrum Edit. Colon.*) ab illo: *Te igitur clementissime Pater*, & finitur ad *Pater noster*, ut iidem docent aut supponunt. Et quidem *S. Gregorium* censuisse, ut Oratio Dominica recitaretur mox post Canonem, refert *Berno Augiensis Abbas* (qui floruit ante 600. annos) *l. de quibusd. reb. ad Offic. Miss. spectantibus c. 1. To. 11. Biblioth Patrum.* *Quando incipiat & finiatur Canon.*

164. Circa ritus Missæ observandum est, Rubricas non omnes esse strictè præceptivas, seu obligare ad peccatum mortale ex genere suo: sed plurimas solùm esse directi- *An & quæ Rubricæ obligent.*

vas, seu solùm de consilio, neque obligare, saltem sub mortali. Ad dignoscendum autem, quænam tales sint, adhibet *Lugo d. 20. sect. 4.* hanc regulam, Omnes scilicet Rubricas ut tales esse directivas, illas autem solùm censendas esse præceptivas, quæ continent seu notant aliquid, quod aliàs ex jure vel ex legitima consuetudine graviter jubetur, vel in ipsis Rubricis expresè sub mortali præcipitur. Ex qua regula facilè erit in particulari has ab illis discernere. Graviter nihilominus vitandus est neglectus sacrorum rituum cum scandalo populi, vel junctus contemptui, vel intolerabili incuriæ, quâ quis illos statuliter seu ut plurimùm non curat addiscere seu servare, vel adjunctum habens animum inducendi novos ritus. Vide *Tamburinum supra* §. 1 & *Marchant tom. 2. tract. 2. p. 2. tit. 4. quæst. 2. §. 4. dub. 9.*

165. *Missa ex usu antiquo Ecclesiæ non est celebranda linguâ vulgari.*

Solùm restat contra Hæreticos nostri temporis ostendendum, quòd Missa non sit dicenda necessariò linguâ vulgari, neque etiam omnia sint in ea pronuntianda clarâ voce. Quod utrumque definivit *Tridentinum Sess. 22. can. 9.* Videri potest *cap. 8. ejusdem sessionis* Quantum ad primum attinet, constat quidem non esse oppositum in se malum, aut à Christo vetitum: tamen justis de causis Ecclesia consuevit non alia linguâ uti, quàm doctrinali, Græcâ vel Latinâ, admiscens tamen aliquid Hebraicæ linguæ (quæ tres linguæ titulo crucis Domini fuerunt honoratæ) quia lingua Latina est apud eruditos usitata in Occidente, Græca verò in Oriente olim præsertim. Id namque habet antiquus Ecclesiæ usus; ut ex omnibus etiam vetustissimis Liturgiis satis constat, & bene deducit *Bellarminus l. 2. de Verbo Dei cap. 15.* Et sanè insolentissimæ insaniæ est, usum universalis Ecclesiæ culpare juxta *Augustinum Epist. 118. c. 5.* Potest etenim Ecclesia in similibus accidentalibus statuere seu determinare, quod convenientius judicaverit.

166. *Congruentia assignantur.*

Convenientia autem fundatur, partim in eo, quòd ob varietatem, quæ in linguis vulgaribus sæpè & facilè intervenit, frequens foret variatio in Missæ celebratione necessaria: partim, quòd si in singulis locis Missa celebraretur linguâ vulgari & patriâ, nimia foret varietas in Ecclesia, & cum maximo Fidelium dispendio tolleretur Ecclesiarum communicatio, adeò ut pauci Sacerdotes possent in alienis regionibus celebrare: partim quòd majestas rerum quæ aguntur, exigat linguam magis venerandam & gravem: quòdque mysteria populari linguâ celebrata facilè vilescerent apud multos rudiores & plebeos (esto in aliquibus excitaretur aliundè major devotio) de rebus juxta suam intelligentiam judicantes, nec mysteria ac tropos capientes: partim, quòd quæ in Sacrificio Missæ dicuntur, non tam ad instructionem populi (ut con-

cio) quàm ad Deum ipsum referantur. Et quamquam secundariò deservire possint etiam ad instructionem populi, facilè & efficaciùs id potest, & debet suppleri per Parochos in Concionibus, ut præscribit etiam *Tridentinum sess. 22. cap. 8.*

Nec refert, quòd Paulus V. concesserit Anno 1615. die 27. Junii ut apud Sinenses Missa & Officium divinum dicatur idiomate Sinensi; ut Auctores recentiores referunt. Item quòd Moravis (teste *Æneâ Sylvio de Origine Bohem. cap. 13.*) sit concessum, ut officium divinum facerent linguâ Sclavonicâ; idque post auditam cælitùs vocem: *Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei.* Nam id pendet à voluntate Ecclesiæ, quæ potuit hac in re dispensare cum istis Nationibus. Et quidem quoad Sinenses non dispensavit, ut missa diceretur linguâ apud ipsos vulgari, sed aliâ, quæ est litteratorum apud ipsos, ut testatur *Præpositus q. 83. art. 4. dub. 1.* Moravis autem id concessum fuit in principio quando totum regnum simul convertebatur ad fidem, nec inveniri poterant, qui pro omnibus Latinè celebrarent; eâ verò necessitate cessante amplexi sunt morem Ecclesiæ Romanæ. Vox autem illa audita designat tantùm, id non esse in se malum: etsi non semper in omnibus circumstantiis præeligendum. Ita respondet *Sylvius q. 83. art. 4. §. Quæritur II. ad 4.* ex *Bellarmino sup. c. 16. in fine.* Vide *Palavicinum lib. 18 Histor. Trid. c. 10. n. 3. & 4.* allegantem & explicantem verba Joannis VIII. indulgentis, ac Gregorii VII. post annos ducentos post, causæ cessationem denegatis.

Quod ad secundum, apud Hæreticos in calumniam vocatum, attinet, non apparet quid mali sit, vel quod inconvenienti in hoc, quòd in Officio publico quædam secretò dicantur: nam sufficit quòd dicantur à ministro publico & ad publicam utilitatem: cur ergo non potuit Ecclesia præscribere, ut aliqua secretò dicerentur? Quod sine sufficienti ratione factum non esse persuadet satis ipsa Ecclesiæ auctoritas, esto nos causam ipsam non penetraremus. Ratio autem inter varias mysticas seu congruas, esse potuit, quòd ipsum silentium in operatione mysterii excitet attentionem ac venerationem, uti & ipsa quoque varietas ad devotionem conducit. Quare *Basilius l. de Spiritu sancto c. 27.* ait: *Qui ea primordiis Ecclesiæ certo ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occultis spiritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occultis mysteriis suam servavere dignitatem. Nec lentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Nec enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur.* Unde & ipsi Ethnici lumine naturæ id agnovêre. Et in lege veteri ex divina institutione idem cernitur, significanter *levit. 15.* ubi dum Sacrificium thuris describitur, jubetur Sacerdos pergere ultra velum, ibique precari, non solùm non auditus, sed ne visus quidem à populo.

Unde

169. Unde etiam in Ecclesia Græca quædam submissè proferuntur à sacerdote; ut ex Liturgia S. *Chrysostomi* est manifestum; quamvis in illâ verba Consecrationis proferantur altè. Quod parum refert: quia potuerunt diversæ Ecclesiæ diversa præscribere, propter varias hinc inde congruentias occurrentes, à singulis uniformiter servanda. Occasio autem proferendi secretò verba consecrationis in Ecclesia Latinâ desumpta videtur (ut graves Auctores, etiam antiqui referunt) ex miraculoso ac horribili exemplo relato à *Sophronio* (qui floruit ante Damascenum & VII. Synodum) *in Prato spirituali c.* 196. de parvulis pastoribus, qui ex alta verborum formæ pronuntiatione ipsa didicerant, iisque abutebantur. Cujus verissimi miraculi mendacem relationem à *Kemnitio* factam refutat *Bellarminus l.* 2. *de Missa c.* 12. *in fine.*

Nec refert, quòd Christus altâ voce consecraverit. Nam circumstantia ista aut similes nullatenus concludunt ita nobis esse faciendum: cùm etiam consecraverit sub noctem, non jejunus, recumbens &c. Etiam ratio fuit in Christo ita agendi: ut scilicet doceret Apostolos formam, quâ uti in consecratione deberent.

QUÆSTIO XV.

De Stipendio Missæ & Obligatione inde resultante.

170. CErtum in primis est ex communissima praxi, etiam piissimorum & doctissimorum Sacerdotum, per totam Ecclesiam, idque ex monte Episcoporum, ipsiusque Pontificis, idipsum in suis Decretis manifestè supponentis, licere Sacerdoti accipere stipendium pro Missa, non quidem per modum pretii (quod foret simoniacum) sed stipendii, ad sui sustentationem. Nam qui altari servit, de altari vivere debet, juxta Apostolum 1. *ad Cor.* 9. Quare Missam gratis donat & offert; uti & Parochus alia Sacramenta ac sacra ministeria, etsi recipere, aut etiam exigere valeat stipendium sustentationis. Prout etiam Sacerdos potest accipere panem & vinum cetera quæ necessaria huic ministerio; & consequenter etiam potest aliquid accipere necessarium ipsi ministro sustentando. Unde posset licitè ex natura rei, & secluso scandalo pusillorum de stipendio pacisci: quod enim quis peracto opere licito tenetur jure naturæ dare, non est per se illicitum ante opus in pactum deducere. Item potest promissum seu constitutum exigere, etiam à judice; qui obligatur ei ipsum adjudicare: signanter dum veluti legitimum est ab Ordinario taxatum.

171. Neque tantùm in pauperibus Sacerdotibus, sed etiam in divitibus, sive ex suo, sive ex Christi patrimonio, hoc locum habet (etsi possit in his interdum macula seu nota avaritiæ concurrere) juxta Doctores communiter: nam habent equidem titulum communem, adeoque jus similiter se sustentandi, si velint, ex altaris ministerio. *Etiam à Sacerdotibus alioquin divitibus.*

172. Immo idipsum locum habet in Beneficiatis ad celebrandum adstrictis, pro diebus, quibus sic adstricti sunt, dummodò non sint obligati ad applicandam Missam, sed solùm ad celebrandum pro commoditate populi aut honore Ecclesiæ; ut habet praxis quotidiana, & communis Doctorum, etiam Recentiorum, sensus; contra quosdam alios Recentiores: neque enim præjudicat illis, pro quorum commoditate debet Missam facere, neque quidquam minus accipiunt alii, quibus integrè Missam applicat: neque aliquod jus obstat. *Aut Beneficiatis merè ad celebrãdum adstrictis, non autem ad applicandum.*

173. Extat quidem Declaratio Cardinalium super decreta novissima *Vrbani VIII.* de celebratione Missarum (quæ cum suis Declarationibus extant in *Bullario Romano* & apud *Bassæum V. Missa VII*) in qua habetur, *Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione beneficii, seu cappellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eâdem Missâ utrique obligationi satisfacere.* Verùm hæc declaratio loquitur de casu, quo Sacerdotes sunt aliundè ex justitia obligati ad celebrandas Missas cum earumdem applicatione: tali namque casu non possunt accepto stipendio etiam applicare aliis; quantumvis ipsi Sacerdotes forent pauperes. An autem sit tantùm obligatio dicendi Missam sine applicatione, an insuper cum applicatione ex tenore & circumstantiis fundationis, legati, vel postulationis colligendum est. De quo vide *Thomam Tamburinum l.* 3. *de Sacrificio c.* 1. §. 3. *num.* 15. *& seqq.* *Satisfit Declarationi Cardinalium.*

174. Ex dictis colligitur posse Missam solemnem, quæ alioquin quotidie conventualiter celebranda supponitur, pro stipendio applicari aliis, quando scilicet non est aliundè specialis obligatio applicandi, sive Conventui, sive Fundatoribus, sive alicui alteri. *Corollarium.*

Petes I. An si Sacerdos acceperit v. g. quatuor stipendia à quatuor petentibus, possit celebrare quatuor Missas pro omnibus simul, sic ut singulæ pro rata prosint omnibus? Resp. omnino posse: quia sic singuli accipiunt, quòd eis debetur, idque tempore, ut supponitur, debito. Ita Doctores passim contra Nonnullos. *Potest quis pro pluribus simul celebrare, donec singulis sit satisfactum.*

175. Petes II. An pro una Missa possint accipi à diversis plura minuta stipendia usque ad quantitatem stipendii justi? Resp. posse quidem iure à sacerdote exigi stipendium integrum lege aut consuetudine taxatum, immò alios obligari ad id præstandum, nisi sacerdos sit minori stipendio contentus, *An plura diminuta stipendia possint uniri*

usque ad quantitatem justi stipendii.

suo iuri cedendo. Alioquin *Leo X. Bulla VII.* apud *Confectium* decrevit, non teneri, salva conscientiarum puritate, fratres ad tot Missas, quot eleemosynæ tenues, & quæ non æquivalent valori unius Julii, fuerint oblatæ: quasi concedat ad majorem securitatem, quod per se licebat, etiam taxando Julium pro stipendio, utique tunc temporis saltem satis honesto. Quare numerum Missarum posse minui ad rationem integri & consueti stipendii, nisi sacerdos oppositum expresse promiserit, affirmant *Corduba, Azorius* & alii apud *Aversa q. 11. de sacrif. Missæ. sect.* 17. & in casu, quo sacerdos, nimiâ coactus inopiâ, diminuta stipendia acceptavit, *Peyrinus* loquens etiam post Decreta *Vrbani VIII.* apud *Aversa supra.*

Verum S. Congregatio seu potius *Vrbanus VIII. ubi pro pluribus Missis celebrandis stipendia, quantumcumque incongrua, sive ab unâ, sive à pluribus personis, collata fuerunt, aut conferentur in futurum .... sub attestatione divini Judicii mandat & præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant: quin immò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Et ad exactiorem Decreti observantiam *revocat Privilegia quibuscumque concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum vel Anniversariorum celebratione aut aliquibus Collectis seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.* Quamvis autem *Thomas Tamburinus supra n.* 53. putet nihilominus oppositum adhuc esse licitum, explicando Decretum, quòd velit tot Missas celebrari, quot fuerint præscriptæ juxta ratam datæ eleemosynæ, quatenus nempe sufficientis ad tantum numerum: obstant tamen satis manifestè verba Decreti, in quo expresse agitur, ubi *stipendia quantumcumque incongrua* conferuntur. Et in declarationibus dubiorum, quæ occasione Decretorum emerserant, ad tertium quæsitum, *An cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam, juxta qualitatem loci, personarum & temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo teneantur Missas ab offerente præscriptas celebrare*, responsum fuit, *Teneri.* Ratio est: quia sacerdos accipiens stipendia incongrua, censetur iisdem contentus, adeòque se obligare ad numerum Missarum ab offerente proscriptum. Immò ipsa verba Decreti videntur innuere obligationem ex naturâ rei in verbis: *Alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant: quin immò graviter peccent*, scilicet contra justitiam, & *ad restitutionem teneantur.* Nisi quis malit Pontificem jure hoc positivo reddere sacerdotes aliter incapaces dominii, sic ut stipendia non faciant sua. Quod tamen in jure solet fieri aliis loquendi formulis. Accedit, quod sermo sit de stipendiis etiam quæ in præterito *Collata fuerunt*: quod est apertum indicium, agi de debito ex naturâ rei præexistente. Nihilominus adhuc posset Sacerdos, altero admonito de insufficientia stipendii, ipsoque consentiente, Missas ad justam taxam diminuere. Similiter si inscio Sacerdote deponatur stipendium diminutum, potest is admonito petente, aut, si ob justam causam nequeat, etiam non admonito, pro rata diminuere numerum Missarum. Et hâc ratione posset excusari praxis quarumdam Ecclesiarum: nisi fortè insuper excusentur aliorum judicio alicubi, quòd Decretum non sit ibi usu receptum, sitque juris merè positivi.

Petes III. An, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, possit eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, committere? Resp. etsi id non appareat, darè illicitum ex natura rei, ut exemplis ex aliis contractibus desumptis confirmari posset; habet nihilominus speciem quamdam turpis quæstûs, estque meritò prohibitum per Decretum *Vrbani VIII.* (Propositionem, quæ asserit adhuc licitum id post decretum *Vrbani*, seu ejus vigore supposito, reprobavit *Alexander VII.* saltem ut scandalosam) & quidem juxta plerosque graviter, etsi *Bordonus tom. 1. variar. Resolut. 25. quæst.* 18. (ut refert *Aversa quæst. 11. sect.* 17.) putet secus facientem solùm peccare venialiter, nec teneri ad restitutionem partis sibi retentæ. Tamen gravitas materiæ & causæ, absolutaque prohibitio satis indicant gravitatem culpæ.

Hoc equidem Decretum non tangit Beneficiatos, qui (ut Cardinales declarârunt) possunt excessum consueti stipendii, alteri pro Missis à se alioqui celebrandis assignati, retinere sibi ipsis. Uti etiam id potest Capellanus habens salarium stabile instar Beneficiati.

Excipitur etiam casus, quo pinguius stipendium datur per modum eleemosynæ tamquam à speciali amico & benefactore loci vel personæ, adeòque non tantùm intuitu Missæ, pro qua utique aliis non daret tam extraordinarium stipendium. Secus solet juxta Declarationem Cardinalium, si ex mera devotione & liberalitate indifferenti ad personas daretur stipendium pinguius solum pro ipsa celebratione Missæ, sive eius intuitu. Similiter quando alter Sacerdos in hujusmodi diminutum stipendium scienter & spontè consentit: prout interdum rationabile est ipsum consentire ex eo, quòd indemnitati quarumdam Ecclesiarum Regularium, ubi indifferenter plurimæ Missæ petuntur, & non rarò multò postmodum partim non satisfit, partim non præbetur justum stipendium, sit frequenter necessarium ex pinguiori aliarum stipendio partem reservare. Alia excusatio adduci posset pro iis locis, in quibus Decreta Urbani, nec sunt publicata, nec usu recepta, & signanter hoc

Decre-

Decretum: ut patet in Belgio, in quo contraria praxis passim viget, immo ante annos non multos paucis sacerdotibus Decretum istud innotuerat; quod ex recentioribus quibusdam Scriptoribus postmodùm cœpit magis innotescere. Immo *Marchinus* apud *Thomam Tamburinum lib. 3. c. 1. §. 5. num. 12.* ait se audivisse in multis Italiæ locis, & Romæ in multis Collegiatis, hoc Decretum quoad hanc partem non servari.

Petes IV. An Sacerdos possit accipere duplex stipendium pro una Missa, applicando uni partem illam fructûs, quæ ipsi sacrificanti respondet? Nonnulli affirmant, etiam post Decreta *Vrbani VIII.* Resp. Neg. etiam independenter à Decretis prætatis, quæ huic responsioni plurimum favent. Immò censuit S. Congregatio 25. Jan. 1659. *casum esse comprehensum in Decretis aliàs editis* (scilicet *Vrbani VIII.*) *quibus prohibetur, ne duplex stipendium seu eleëmosyna pro unicâ Missa recipiatur.* Quam sententiam S. Congregationis *Alexander VII.* dein 29. Januarii approbavit & Decretum publicari jussit: tursumque oppositum statuit inter Propositiones 45. à se reprobatas Ratio est; quia incertum est, an pars illa sit alteri applicabilis. Similiter incertum est, an ista portio sit ex opere operato, & quanta sit: etsi Quidam conjectent æquivalere portioni, quæ datur ei, pro quo offertur: Quidam verò æquivalere circiter quoad tertiam solùm partem. His namque incertitudinibus exponi nolunt dantes certum stipendium, qui censentur exigere fructum sacrificii certum.

Hinc etiam non potest Sacerdos regulariter loquendo accipere à duobus stipendium, quorum uni applicet fructum satisfactorium, alteri impetratorium alicujus beneficii: sensus enim consuetus petentium missam est, ut utrumque fructum sibi acquirere velint, nisi explicent contrarium, vel hoc ex circumstantiis colligatur. Si namque significent; hic quidem, se esse contentum impetratione beneficii: iste verò, se solùm velle satisfactionem pro pœnis; volentibus & consentientibus non fiet injuria. Immo si quis liberaliter erogaret stipendium contentus vel unicâ collectâ, vel particulari oratione in *Memento*, posset indubiè pro sacrificio ipso exigi à tertio aliud stipendium. Præterea qui liberaliter promisit dicere missam pro alterius sanitate, & uni tertio missam dicere pro satisfactione pœnarum parentis defuncti, satisfacere posse videtur unicâ missâ, applicando uni unum, alteri alium fructum. Prout etiam qui vovit dicere missam in gratiarum actionem pro obtento beneficio, videtur posse fructum satisfactorium alteri donare seu applicare. Sic namque totum fit, in quod ferebatur formaliter intentio promittentis aut voventis.

Nolo immorari absurdæ doctrinæ *Thomæ Hurtadi*, quæ est expressa inter 45. propositiones ab *Alexandro VII.* reprobatas: *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neq; etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmatâ, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Impugnatione namq; haud eget, quod propriâ absurditatis mole ruit. *Doctrina Thomæ Hurtadi reprobata.*

Quod attinet ad obligationem Sacerdotis ex stipendii acceptatione consurgentem, ipsa est de genere justitiæ, habens annexum onus restitutionis, si non adimpleatur: talis namque injustè retineret stipendium. Quare indubiè est obligatio ex genere suo gravis. Immo *Petrus Navarra*, *Arragon*, *Bonacina*, quos refert & sequitur *Aversa quæst. 11. sect. 18.* censent sacerdotem accepto stipendio non celebrantem peccare mortaliter, etiamsi alioqui stipendium non attingat notabilem furti materiam: eò quòd, licèt damnum pecuniæ non sit grave, tamen damnum spirituale, per privationem debiti fructûs missæ, sit satis grave. Alii nihilominus censent esse parvitatem materiæ in una missa, neque hîc esse attendendum spirituale damnum, sed quantitatem materiæ mensurandam esse ex quantitate stipendii: cujus proinde restitutione reparatur injustitia commissa: negligere autem restitutionem unius vel alterius stipendii missæ, non est mortale, utì nec ipsum stipendium est gravis materia. Quod à fortiori locum habet in negligente celebrationem Sacri liberaliter promissi, etiam concesso (quod Multi negant) promissionem simplicem ex genere suo grauiter obligare. Immo cùm ex doctrina *Sanchez* & plurimorum aliorum in promissionibus requiratur quantitas triplo vel quadruplo major quàm in furto, ut sit materia peccati mortalis, consequenter hîc procedendum foret.

180. *Tenetur Sacerdos ex justitia satisfacere dantibus stipendium.*

Qualiter peccet non satisfaciens uni Missæ pro qua accepit stipendium.

Vel quam alteri liberaliter promisit.

Est autem obligatio ex genere gravis, satisfaciendi citò celebratione missarum, pro quibus acceptum est stipendium; ut ipsa ratio justitiæ dictat. Idemque præscribit Urbanus VIII. in suis Decretis: *Eleëmosynas* (inquit) *manuales & quotidianas pro missis celebrandis, ita demum accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleëmosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis.* Quod explicat *declaratio Cardinalium in Responsione ad 10. Dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.* Et in *Resp. ad Vndecimum* excipit casum, quo tribuens eleëmosynam sciat & consentiat in dilationem: prout contingit, quando is est conscius onerum præexistentium, vel quando uni Sacerdoti committit legendas tot Missas, ut non possint brevi tempore omnes absolvi. 181. *Obligatio est ex genere gravi satisfaciendi brevi tempore.*

Quodnam verò censeatur modicum tem- 182.

Quodnam tempus hîc censeatur breve.

pus, atque adeò modica dilatio, dubitari posset. Estque valde credibile modicum censeri tempus unius mensis, aut etiam duorum mensium; immo Nonnulli id extendunt ad tres menses. Exorbitans tamen nimis est, & omnino reprobandum, quod *Peyrinus*, teste *Tamburino supra* §. 9. *n.* 4. modicum tempus hîc intelligat spatium trium annorum. Quod sanè tempus communi judicio apparet valde longum. Posset quoque fieri per accidens ob necessitatem non patientem moram, pro qua Missa petitur, ut etiam unius diei dilatio sit enormia: ut si quis hoc mane petat Missam pro lite eâ die decidendâ, pro infirmo agonizante, vel periclitante & similibus: ita ut præter culpam dilationis teneretur Sacerdos restituere stipendium, transactâ jam indigentiâ.

183. *An Missa dicenda uno mense, possint anticipatè dici.*

Dubitari è contrà posset, an si Sacerdos debeat tot vel tot Missas in mense vel hebdomadâ celebrare, possit licitè anticipare, & uno mense aut hebdomadâ celebrare etiam pro subsequenti? Resp. affirmativè, cum *Petro Navarra, Bonacina, Lugo* & aliis: ibi enim subest tantùm velut anticipata solutio. Excipe tamen, nisi oppositum constet de mente Institutoris; ut si contrarium expresserit, vel intenta sit etiam utilitas aliorum; utpote ut successivè habeant commoditatem audiendi tales Missas, vel ut dicantur Missæ pro iis, qui successivè moriuntur.

184. *An Missæ addictæ certis hebdomadæ diebus, possint diei aliis diebus,*

Similiter si Missæ ex institutione sint addictæ certis diebus, absque speciali ratione tales dies respiciente, v. g. feriæ quartæ, sextæ & sabbato totius anni, possent aliis diebus hebdomadæ suppleri; eò quòd servetur mens fundatoris quoad principale: ut proinde parva illa temporis variatio, quæ in nullius cedit præjudicium, non sit culpabilis, nisi ad summum venialiter, aut etiam nullo modo, saltem quando adest causa aliqua rationabilis. Si autem certi dies fuerint electi ex speciali motivo, v. g. sabbatum ob devotionem B. Virginis in ejus altari, feria sexta propter Domini passionem &c. debet omnino Sacerdos iis diebus celebrare, ex vi voluntatis fundatoris. Quamvis etiam hæc variatio non facilè accedat ad mortale; cùm pariter appareat modici præjudicii. Si tamen Missa esset addicta diebus Dominicis aut festivis, ut populus habeat commoditatem audiendi Missam, faciliùs posset in tali variatione dierum gravis culpa committi. Simile est judicium de variatione horæ, quâ Missa ex institutione est dicenda.

185. *Qualiter servandus locus celebrationis Missarum determinatus per Fundatorem.*

Tenetur præterea Sacerdos celebrare in loco per requirentem aut instituentem præscripto; idque juxta communem sententiam sub obligatione ex genere suo gravi, adeò ut ne quidem de consensu hæredum secùs fieri posset; qui & ipsi tenentur adimplere mentem testatoris; sed solùm ex auctoritate superioris, habentis facultatem commutandi ultimas voluntates. Intellige, quando fundator aut requirens Missas, non solum curat applicationem fructûs (si enim hanc solùm curet, ut plerumque contingit in Missis, quæ à Religiosis indifferenter petuntur, possunt indubiè Missæ alibi celebrari, utpote ubique ejusdem valoris) sed specialiter aut principaliter respicit talem Ecclesiam vel Capellam vel Altare. Quàmvis hîc etiam locum habeat levitas materiæ, utpote si rarò mutetur locus, v. g. bis vel ter in anno. Immò *Thomas Tamburinus supra* c. 2. §. 1. *num.* 2. judicat non delinquere in gravi materiâ Capellanum obligatum toto anno in certo loco celebrare, qui uno vel altero die feriato singulis mensibus alibi celebraret.

Et faciliùs adhuc excusari potest celebrans in alio altari ejusdem Ecclesiæ, quàm celebrans in diversa Ecclesia; utpote minùs recedens à voluntate fundatoris, ut notat *Lugo d.* 21. *nu.* 36. addens Capellanum quotidianæ Missæ ex rationabili causa posse etiam citra veniale celebrare rarò extra locum designatum; eò quòd non censeatur fundator voluisse cum tanto rigore Capellanum suum obligare. Potest etiam culpa abesse, si locus designatus sit impeditus, & Sacerdos aliis negotiis pressus deberet nimium expectare. Similiter si constet locum esse assignatum, ut frequens populus audiat Sacrum, contingat autem nullos aut vix ullos comparere, præsumi potest juxta *Tamburinum supra num* 4. mens fundatoris esse, quòd cessante causâ, cesset effectus obligationis.

Præterea ratio dictat faciliùs posse venire ad gravitatem materiæ, si obligatus celebrare in altari privilegiato celebret alibi, quàm si sit obligatus in alio communi altari celebrare. Immo si vice altaris non privilegiati celebraret in privilegiato, dum requirebatur Missa pro defunctis, ob hanc ipsam causam vacat variatio hæc omni culpâ juxta *Aversa supra* §. *Octavò*.

Denique quàmvis Sacerdos extra locum debitum celebrans peccaverit; quia tamen simpliciter adimplevit obligationem celebrandi, prætermissâ solùm circumstantiâ loci, ad nihil amplius tenetur ordinariè quando, juxta *Bonacina q. ult. pu.* 7. §. 4. n. 5. & alios.

Difficultas est, an Capellanus habens perpetuum vel annuum stipendium ad quotidie celebrandum, si morbo impediatur, teneatur supplere per alium sacerdotem? *Sylvester* & quidam alii absolutè asserunt. Verùm recepta doctrina id negat, quando infirmitas non est diuturna, puta octo vel decem aut quindecim dierum. Varii extendunt ad unum mensem, idemque concedit *Concilium Mediolanense VII.* arbitrio Episcopi. Immo *Petrus Navarra, Vega, Lugo disp.* 21. *num.* 49. extendunt hoc ad infirmitatem duorum mensium. Fundamentum

est, quòd præsumendus sit fundator seu testator noluisse cum tãto rigore obligare, ut ex causa infirmitatis non indulgeret brevem intermissionem; qualis in hac materia censeri potest intrà dictam latitudinem: nisi tamen ex pactis aut verbis testatoris oppositum constet, quibus tunc standum erit.

Similiter interpretantur ex quadam æquitate plures Doctores mentem fundatoris non fuisse, ut Capellanus ne paucas quidem intrà annum Missas pro se aut sibi conjuncto dicere posset. Plerique insuper concedunt posse illum ex justa causa vel ob reverentiam semel in hebdomada à Sacrificio abstinere, quando scilicet electa est persona Capellani, v.g. si in institutione dicatur: Deputetur Sacerdos, qui quotidie celebret, aut simili modo. Non autem, quando per se intenditur celebratio quotidiana in tali Ecclesia vel altari, aut alio modo exprimatur obligatio ad supplendum: utpote si dicatur: Celebretur quotidie in tali loco, provideatur à meis hæredibus quotidie de Missa, Cappellanus satisfaciat per se vel per alium. Idem est, quando onus est Ecclesiæ vel monasterii seu collegii Sacerdotum, ut quotidie dicatur Missa: tunc enim nulla subest causa concedendi vacationem. Prout etiam tunc infirmitas unius Sacerdotis non excusat; cùm possit supplere per alium. Nisi tamen impedimentum sit totius monasterii: quod sanè rarissimum erit.

Admonent quoque Doctores, non licere Sacerdoti, quâ die abstinere posset, celebrare, pro alio, cum stipendio vel sinè: sed si velit celebrare, teneri pro onere Capellaniæ: quia nempe solùm ei conceditur abstinere à Missa ob reverentiam, vel justam causam abstinendi.

Illud ulterius notandum est, quòd Capellanus non teneatur in die Nativitatis Domini dicere tres Missas ad intentionem fundationis seu fundatoris, sed possit dicere duas pro se vel pro aliis. Non teneri etiam celebrare in tribus majoris hebdomadæ præter usum receptum Ecclesiæ, esto alioquin feriâ quintâ & sabbato sancto licitè celebrare possit. Item in die Commemorationis Fidelium defunctorum convenire, ut applicet Missam generaliter defunctis juxta mentem Ecclesiæ: etsi ad hoc non sit obligatus strictè, uti nec reliqui Sacerdotes. Denique satisfacere Capellanum celebrando Missas per se vel per alium, quoties fundator non apponit hanc clausulam, ut per se ipsum Capellanus celebret, seu ut non celebret per alium (idem est de Sacerdote obligato ad celebrandum Missas aliquas pro eleëmosynis manualibus) immo non posse ab Episcopo compelli, ut per se Missas celebret: implet enim sufficienter mentem testatoris.

Petes I. An Sacerdos, qui accipit stipendium ad celebrandam certam Missam, puta defunctorum, vel votivam aliquam, satisfaciat suæ obligationi celebrando aliam Missam, nempe currentem ejusdem diei? Resp. affirmativè, non solùm quando illâ die incidit festum alicujus Sancti (quod admittunt Doctores communiter) sive sit de præcepto, sive aliud duplex (quando Missale præscribit, ut fiat Missa de Officio) sive etiam sit aliud minus festum, vel officium: verùm etiam absque ulla dierum limitatione, ut plurimi Doctores tradunt. Sacrificium enim semper idem est, & habet eumdem suum effectum: preces verò & orationes pro defunctis, vel ad aliquem Sanctum, compensantur per alias, & per majorem Sacerdotis devotionem in dicenda Missa, cui magis afficitur, adjunctâ præsertim collectâ de defunctis, vel Sancto, de quo Missam fieri alter postulabat. Et aliundè expedit, consulturque in *Rubricis Missalis*, ut Missa sit conformis officio.

191. *An Sacerdos acceptâ stipe possit celebrare Missam diei currentis, etsi rogatus sit dicere v.g. Missam de Requiem, De S. Mariâ &c.*

Advertendum tamen, ne sequatur perturbatio ejus, qui certam Missam postulat; aut ne Sacerdos deficiat promissioni specialì à se factæ. Et præterea si Sacerdos susceperit in se specialem obligationem celebrãdi in altari privilegiato, habente indulgentiam tantùm pro Missis de Requiem (prout sonant Brevia Apostolica, quæ hoc tempore conceduntur, in quibus & aliæ restrictiones habentur: quàmvis olim simpliciter annecti soleret indulgentia Missæ ad certum altare celebrandæ pro liberatione unius animæ à quovis Sacerdote, etiam extraneo, & sine alia restrictione; uti sonat Privilegium quod olim est datum Ecclesiæ nostræ Lovaniensi) ex hoc capite oporteret has Missas in specie dicere.

192. *Cautela pro praxi.*

Petes II. An Sacerdos simpliciter sit obligatus ei, à quo, vel pro quo Missa postulatur, oblato stipendio, applicare, non tantùm fructum ipsius Sacrificii ex opere operato, sed etiam fructum orationum & precum, quæ in Missa dicuntur, & non sunt de substantia ipsius Sacrificii? Negat *Comitolus quæst. moral. lib. 4. q. 83. art. 1. dub. 10. n. 195.* & alii: eò quòd alioquin non satisfaceret Sacerdos ex malo fine celebrans aut excommunicatus; cùm tunc nullus adsit fructus ex opere operantis. Sed hanc sententiam plures alii non audent approbare: cùm potiùs sensus communis petentium, aut voventium Missam, ipsorumque Sacerdotum existimatio esse videatur, ut tota Missa, etiam quoad orationes, applicari debeat: exceptis iis, quæ pro aliis ex tenore ipsius Missæ funduntur, aut specialibus collectis & orationibus in *Memento*.

193. *An idem teneatur etiã fructum Orationum, quæ in Missa dicuntur petentibus illam applicare.*

Non tamen propterea deberet Sacerdos se purgare à peccato & censurâ, ut postulans Missam consequatur etiam fructum, de quo hic quæritur, necsecùs faciens teneretur

194. *Dato quòd sic, adhuc non obliga-*

tetur inde Sacerdos se purgare à peccato aut censurâ.

netur restituere partem stipendii, ut praxis docet: non enim censentur fideles hoc cum tanto rigore exigere, nec Sacerdotes ad id se obligare. Solùm itaque exposcunt fideles totum fructum Missæ, sive sit multus, sive ex aliquo accidenti aliquantulùm deficiens, juxta dispositionem scilicet, in qua invenitur Sacerdos, dum celebrat. Unde sive celebret ex malo fine & in malo statu, sive ex bono fine, & in bono statu, dat, quod exigitur, fructum scilicet correspondentem præsenti suæ dispositioni. Et ob hoc ipsum laudabiliter studeant fideles invenire Sacerdotes bonæ vitæ, qui pro ipsis celebrent, ob amplius videlicet lucrum seu fructum.

195. *Ordinatio Tridentini circa reductiones Missarum refertur.*

Postremò circa hanc materiam observandum est *Tridentinum sess. 25. c. 4. de Reform.* dare facultatem Episcopis, ut in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus & Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis Generalibus possint, pro sua conscientia, in Ecclesiis sibi subjectis indigentibus reductione Missarum ad minorem numerum, quando copia est tanta, vel stipendium adeò tenue, ut illis convenienter satisfieri non possit, statuere quidquid magis viderint expedire, factâ semper commemoratione, sive in *Memento*, sive per collectas, eorum defunctorum, qui legata pro salute animarum suarum reliquerunt. Quod Decretum juxta Declarationem Cardinalium, quæ refertur ad dictum caput *Tridentini*, habet locum etiam in reductione officiorum pro defunctis.

196. *Recentiora Decreta Vrbani VIII. recensentur,*

Nihilominus Urbanus VIII. in suis Decretis sæpè citatis districtè prohibet, *Ne Episcopi aut Generales quoquo modo reducant onera ulla celebrandarum Missarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, reductiones aliter faciendas omnino nullas atque inanes decernens. Quantumvis* (ut postea declàrarunt Cardinales) *legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus ei injunctum subire.* Excipiunt

Et explicantur.

iidem Cardinales casum, quo in ipsa beneficii erectione expressè cautum est, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari. Quare etiam non est ablata potestas reducendi onera Missarum antecedentia *Tridentinum*, & non imposita in limine fundationis: ut patet ex tenore Decreti: quidquid *Bassæus V. Missa VII. n.* 11. simpliciter dicat ablatam esse potestatem quoad onera tam antecedentia quàm consequentia tempus *Tridentini*.

197. *An obligent extrà Italiam,*

Immo ex plano contextu Decreti advertisse se ait *Marchant Tom. 2. Tr. 2. P. 2. Tit. 4. §. 2. in Appendice doctrinali Resol. 5.* illud tantùm intrà Italiam obligare. Quod tamen non satis clarè advertere ego potui. Et oppositum supponitur in *Declaratione Cardinalium super Decreta Vrbani VIII. in Resp. ad ult.* in qua declaratur etiam extra Italiam locum habere decretum, de quo specialis erat mota ratio dubitandi, quod nempe ad Italiam erat restrictum decretum proximè antecedens. Videri saltem debet, an Decretum sit usu receptum in his vel illis extra Italiam locis, signanter in Belgio; ubi etiam numquam fuit publicatum. Quare de Belgio quoad Episcopos ita testatur *Zypæus in Consultationibus Canon. l. 3 Tit. de celebr. Miss. Consultat. 1.* Estque idem de pluribus aliis locis.

Quod autem ad ipsam *Tridentini* dispositionem attinet, existimat *Navarrus, Henriquez, Marchant suprà, Diana. p. 1. Tr. 14. de celebr. Miss. Resol. 4.* & alii Concilium quoad Episcopos non statuere jus novum, sed concedere seu declarare id, quod jure ordinario eis competebat. Quocirca plures censent ibi dispositа competere Episcopis etiam extra Synodum, vi juris communis. Quibus favet *Lessius in Resolut. V. Missa casu 7.* At quoniam quoad Generales & Abbates condit *Tridentinum* jus novum, existimat *Diana sup.* alios citans, his saltem non competere ista, nisi in Capitulis Generalibus. Verùm quia his quoque antea competebant ea, quæ Episcopis de jure communi, existimat *Bruno Chaissaing. P. 2. Tract. 8. c. 1. propos. 8.* (in cujus Scriptis inter alia desidero exactiores seu fideliores citationes) etiam illis id convenire extra Capitula, solùmque directivam esse clausulam *Tridentini*, non annullativam actus aliter facti. Quidquid de his sit, imò consultissimum saltem est, terminis *Tridentini* inhærere. Quòd si Synodi non celebrentur, convenit Episcopum requirere consensum Capituli: immo juxta plerosque requirere tenetur; etsi non sequi.

QUÆSTIO XVI.

An & Quomodo obligentur fideles assistere Sacrificio Missæ?

PRo complemento hujus materiæ explicanda restat obligatio assistendi Sacrificio Missæ, seu (quod vulgò dicitur, & in idem redit) audiendi Missam.

Itaque certum in primis est, baptizatos adultos & ratione utentes teneri diebus Dominicis & Festis interesse Missæ. Patet ex communi sensu omnium Doctorum & fidelium, & antiquâ ac universali Ecclesiæ consuetudine. Immo hoc præceptum recensetur inter quinque præcepta Ecclesiæ, quæ etiam pueris in Catechismo proponuntur. Idem colligitur ex c. *Omnes fideles*, & c. *Missas de Consecrat. dist. 1.* Ex eodem communi consensu & praxi fidelium patet prædictæ obligationis gravitas: prout & ipsa

ipsa materia gravis est, adeò ut vel semel Missam omittere sit grave.

Non obligantur autem necdum baptizati, quàmvis Catechumeni sunt; utpote non subditi Ecclesiæ. Idem est de pueris & aliis nondum ratione utentibus, utpote incapacibus præcepti, & assistentiæ humanæ; qualem hoc præceptum exigit. Obligantur nihilominus parvuli, quàm primùm attigerint usum rationis, sic ut saltem in confuso possint honestum à malo discernere, & mortaliter peccare. Et quamvis ipsi ratione ignorantiæ aut inadvertentiæ vel imperfectæ notitiæ in his initiis facilè excusentur à culpa, præsertim gravi: obligantur tamen parentes, & alii curam illorum habentes, esse soliciti (prout soliciti sunt, qui Deum timent) ut Missam audiant. Eidem obligationi satisfaciunt Sacerdotes Missam celebrando: sic enim perfectissimè interstant ipsi Sacrificio.

Est porro obligatio audiendi Missam unam etiam in die Natalis Domini, juxta indubitatam sententiam & praxim Doctorum; etsi sit liberum Sacerdotibus dicere tres: immo etsi juxta *Miranda*, *Henriquez* & alios Parochi sint obligati ad providendum plebi tunc de tribus Missis, si commodè possint. Quam tamen obligationem rigorosam simpliciter loquendo plures alii non admittunt.

Certum deinde est, audiendam esse Missam integram, sic ut omittens interesse parti notabili, peccet juxta omnes graviter. Pars autem notabilis censetur media, aut etiam tertia pars, juxta Doctores communiter. Si verò quis adsit ab initio Missæ usque ad communionem inclusivè, & tunc discedat, non omittit partem notabilem: utì etiam, si adsit, antequam legatur Epistola: immo juxta Doctores passim, etsi Epistola sit lecta, modò interfit Evangelio. Adhuc plus addunt varii Recentiores, scilicet probabiliter non omitti partem notabilem, etsi Evangelium sit lectum, modò quis adsit reliquæ parti usque ad finem Missæ, adeòque saltem audiat ultimum Evangelium. Id probabile putant *Lugo*, *Bonacina*, *Diana*, & plures, quos refert & sequitur *Aversa q.* 11. *sect.* 19. §. *Sexto constat*. Videtur saltem multorum simplicium sensus, sufficere, quòd Evangelium necdum sit ex toto lectum, seu quòd intrantes templum repererint Sacerdotem occupatum lectione Evangelii. Sæpissimè etiam rustici serò venientes excusantur per bonam fidem & inadvertentiam periculi serò veniendi, vel per hoc, quòd sint decepti in hora, vel non audiverint pulsum, nec postea sit opportunitas aliud Sacrum audiendi. Gravitas denique partis sumenda quoque est ex ejusdem qualitate. Unde graviter peccaret, qui non interesset consecrationi & communioni, in quibus consistit essentia & integritas Sacrificii, quæque sunt maximè intenta in hoc præcepto.

Petes I. An qui nequit audire Missam integram, teneatur audire partem? Resp. si pars restans sit nullius momenti, aut consecratio sit peracta, non teneri: tunc enim deficit pars principalis & essentialis: secùs est, si consecratio necdum sit peracta, idque ob oppositam rationem. Hinc etiam non est obligatio audiendi officium feriæ sextæ Paraseeves, ut contra Nonnullos docent Doctores passim & declaravit S. Congregatio Rituum teste *Gavanto in Rubr. Miss.* & 4. *tit.* 9. *num.* 24. etsi in ea celebretur aliquod festum in populo, v. g. festum Annuntiationis (quod apud Italos semper celebratur die occurrenti, sed apud Leodienses anticipatur, in Provincia autem Mechlinienſi transfertur in feriam tertiam post Dominicam in Albis) quando Sacerdos quidem communicat, & quosdam alios ritus adhibet, verè tamen Missam non celebrat. Idem est de Missis, quas vulgò *siccas* appellant, hoc est, cum adhibitis ceteris precationibus ritibusque, minimè consecratur. Hæ enim non sunt ab Ecclesia præscriptæ. Immo in *Concilio Tridentino* (teste *Palavicino l.* 18. *c.* 6. *n.* 18.) complures propendebant ad eas interdicendas: sed postea mutatum est consilium, auctore potissimum *Georgio Droscovizio*, creato Episcopo Quinque Ecclesiarum, cum animadversum esset, in navigationibus, aliisque rerum conditionibus, cum sacerdotum, vel sacræ supellectilis defectu, celebrare non licet, eam aspectabilem sacrificii expressionem plurimum conferre ad excitandam in animis pietatem, qui ut etiam supra sensus evehantur, sensibus indigent.

202. *An qui nequit interesse Missæ toti, teneatur interesse parti.*

An officio Paraseeves ubi inciderit festus dies.

De Missa sicca.

Petes II. An is, qui audiret mediam Missam unius Sacerdotis, v. g. à consecratione inclusivè usque ad finem, satisfaceret præcepto, audiendo partem alterius Missæ usque ad consecrationem? Existimant varii Recentiores, spectando principia intrinseca, quòd non: eò quòd duæ partes diversarum Missarum non integrent unum sacrificium sive unam Missam in rigore loquendo. Fatentur tamen affirmativam doctrinam esse probabilem, & securam in praxi, ob auctoritatem Theologorum quasi communiter existimantium, talem satisfacere præcepto. Et planè potuit Ecclesia non velle obligare ad amplius, quàm ut certâ temporis protractione Fideles intersint actionibus integræ Missæ, etsi non omnes propriè spectent ad eamdem numero Missam. Hoc porrò sensu legem Ecclesiæ diu intellexit & interpretatus est usus & recepta Doctorum Sententia, sciente Ecclesiâ & non contradicente; esto fortasse à principio fuisset alia Ecclesiæ intentio. Confirmatur à simili: quia si quis foret obligatus audire Vesperas, satisfaceret, etsi audiret singulos psalmos cani à diversis sibi succedentibus.

203. *An sufficiat audire successivè priorem medietatem unius; & posteriorem alterius Missæ.*

Et

Et hæc opinio potest, dum saltem causa subest, practicè admitti; sed tamen altera tamquam securior & salubrior est consulenda.

204. *An etiam simul, pluribus scilicet diversæ Missæ partes peragentibus.*

Nullatenus equidem probandum est, quod velut absurdum rejicit *Suarez disp.* 88. *sect.* 2. (quidquid *Diana* & quidam alii id admittant tamquam probabile) satisfacere illum, qui audit duas partes Missæ simul, v. g. Missam unius Sacerdotis ab initio usque ad consecrationem, & alterius simul celebrantis à consecratione usque ad finem. Hoc enim est contra communem Doctorum & Fidelium sensum, qui persuasim sibi habent, præcipi ab Ecclesia, ut Fideles intersint actionibus integræ Missæ successivè, & cum tractu temporis faciendis. Alioquin sanè sex aut spetem Sacerdotibus diversas Missas partes simul celebrantibus, posset quis voluntati Ecclesiæ satisfacere spatio duorum circiter minutorum: quod est planè absurdum. Denique simili ratione constat non satisfacturum præcepto recitandi horas, qui psalmos legeret, alio recitante alios psalmos vel lectiones, etiamsi simul posset ad horum recitationem attendere.

205. *Quid in casu voti aut satisfactionis sacramentalis.*

Quid sit autem de vovente plures Missas audire, vel ad id obligato ex pœnitentia Sacramentali, an nimirum talis satisfaceret assistendo simul pluribus missis, id pendet ab intentione voventis & Confessarii, quæ præcisè ferri posset in fructum ex assistentia plurium missarum oriundum, qui quidem fructus hoc modo verè percipi posset. Quàmvis non dubitem intentionem præsertim Confessarii regulariter esse aliam, ut scilicet successivâ Missarum auditione, quæ pœnalis est, peccatum plectatur. Deinde mens Confessarii & voventis, qui legem velut privatam imponunt, regulanda videtur ad instar Legis communis seu Ecclesiasticæ.

206. *Perinde est, qualis vitus aut Officii Missa audiatur.*

Secundò quoad præceptum Missæ audiendæ, certum est ex praxi & judicio omnium, ac tenore simplici ipsius præcepti, perinde esse, qualis Missa audiatur, sive nimirum sic de festo occurrente, sive non: sive celebretur juxta ritum Romanum, sive juxta Ambrosianum, aut Carmelitanum, aut Græcum &c.

207. *Similiter, quo in loco.*

Tertiò quoad locum, certum similiter est ex praxi totius Ecclesiæ, & sensu communi, perinde esse, ubi Missa audiatur, scilicet sive in Parochia, sive in quavis alia Ecclesia, aut publico Oratorio. Amplius enim lex non indicit, quàm Missæ interesse. Estque controversia, quæ sub finem præcedentis sæculi super hac materia erat suborta inter Clerum sive Episcopos Artheſiæ & Regulares, terminata per decretum Apostolicum Clementis VIII. ad Octavium Episcopum Tricariensem Nuntium Apostolicum in Belgio directum, in quo Pontifex declarat populum satisfacere præcepto audiendo Missas in Ecclesiis Regularium. Quod prius decreverant Pontifices diversi in Bullis Apostolicis, scilicet Leo X. Paulus III. & Pius V. Quare consequenter non posset Episcopus Fideles cogere ad audiendam Missam in Parochia: quod proinde de Missa, ac etiam de concione declaravit S. Congregatio, ut allegat *Azorius q.* 11. *sect.* 19.

Solùm posset moveri difficultas de Oratoriis domesticis, in quibus ex indulto Pontificio potest audiri Missa cum certis restrictionibus dierum solemnissimorum & personarum; sicut in Brevibus hodiernis declaratur, istis diebus non posse ibi Missas fieri, neque aliis quoque diebus festis posse ab aliis personis satisfieri præcepto audiendi Missam. Quæ quidem forma ut sonat servanda est, ut plerique tradunt: quamquam, quod attinet ad hoc secundum, Nonnulli censeant, eos qui aliàs in Parochia vel Ecclesia Missam audire non obligantur, si audiant Missam in istis Oratoriis, utì si audirent in quovis alio loco, etiam sub dio, præcepto audiendi Missam satisfacere. Ita noster *Marchant Tom.* 2. *Tract.* 4. *Tit.* 2. *q.* 1. *dub.* 1. & in *Resolut. Miscell. casu* 3.

Quartò circa modum adimpiendi hoc præceptum, oportet esse assistentiam moralem & religiosam. Ad moralem autem assistentiam in primis requiritur præsentia corporalis: sine hac enim non potest verificari, quòd quis Missæ interfit seu assistat, prout tamen exigit ipsa lex. Quare communi judicio non dicitur quis audisse Missam, qui domi aut alibi procul ab ea dista, etsi animo pervolvat, quæ in Missa peraguntur. Non est tamen necessarium, ut videat aut audiat Sacerdotem (alioquin cæci aut surdi non possent Missam audire) sed sufficit, ut morali æstimatione censeatur præsens. Quod etiam contingit, si filium societ alios videntes aut advertentes, quàmvis sit extra Ecclesiam omnes præsentes non capientem, ut ex signis & gestis Missæ aliqua possit colligere, & ad multitudinem assistentium censeatur moraliter pertinere. Quod contingit in parvo Sacello, etiam post columnam illius; & in magna Ecclesia dum præsente magnâ hominum copiâ, quis esset ex postremis sectis, si sacerdote in vasta Ecclesia coram paucis celebrante quis foret in alia extremitate Ecclesiæ, quasi non pertinens nec potens advertere ad actionem, quæ ibi fit, adeòque cum detrimento moralis præsentiæ faceret enim cum ea multitudine unam moraliter præsentiam. Unde etiam ex cancellis, ex ali, choro post altare existente, potest quis Missæ assistere, dum potest aliquo modo advertere ad actionem Sacrificii.

Immo existimo cum *Lugo d.* 22. *num.* 21. sufficere, si quis è fenestra domûs suæ ad videat

videret seu audiret Missam, dum via intermedia foret stricta. Quod quidem putat *Aversa quæst.* 11. *sect.* 19. communi usu & existimatione non esse receptum. Sed immeritò: nam usum talem ipse vidi in locis, in quibus Hæretici dominantur, ubi interdum etiam modicum flumen est intermedium inter domum seu cubiculum in quo fit Missa, & aliam domum, ex qua pars populi frequens Missam audit. Possetque usus etiam esse alibi in casu impotentiæ & infirmitatis. Quid mirum autem, si sit non rus in personis aut locis, in quibus ad Ecclesiam ipsam datur liber accessus.

Notant etiam & conueniunt Doctores, eos qui Missæ inserviunt, & occupantur in deferendis Sacrificio necessariis, v. g. aquâ, thure &c. etsi varias Missæ partes non audiant seu non percipiant, præcepto satisfacere, & censeri assistere toti Missæ, cùm toti inserviant. Vide *Præpos. quæst.* 83. *num.* 205.

Unde requiritur intentio aliqua audiendi Missam seu assistendi tali Sacrificio: ita ut non sufficiat esse in Ecclesia, ad expectandum v. g. amicum, nisi intendas etiam Sacro interesse. Sufficit tamen hic animus seu intentio etsi procedens ex metu seu minis, vel ex pravo fine, v. g. inanis gloriæ, turpis aspectûs &c. cum hac enim culpabili voluntate stat moralis seu humana præsentia ad Missam. Intentionem autem satisfaciendi præcepto non requiri, adeòque eum qui ignorat esse diem festum, & audit Missam, non obligari iterum audire: imo nec eum, qui expresè noluit præcepto satisfacere, sed Missam v. g. ex devotione audire, dummodo intrà debitum tempus sciat vel cogitet, se nihilominus præceptum verè implesse, patet ex dictis in *Tract. de Legibus d.* 3. *q.* 7.

Præterea cùm Ecclesia præcipiat auditionem Sacri tamquam actum religiosum & cultum Dei, patet consequenter requiri assistentiam religiosam. Porrò ut aliquis religiosè intersit, debet habere intentionem audiendi Sacrum, animo Deum colendi, sive Sacrificium eo modo offerendi.

Similiter requiritur interna attentio, saltem talis, qualis sufficit ad præfatam intentionem: cum qua etiam stare videtur voluntaria distractio, saltem aliqua. Unde varii Doctores existimant non improbabiliter satisfieri præcepto Ecclesiæ à voluntariè interiùs distracto (quamvis peccet contra jus divinum sive naturale, uti etiam qui sic distrahitur in precibus voluntariis) modo non exerceat actionem externam cum interna devotione incompossibilem. Prout idem existimant de præcepto recitationis horarum (de quo proprius agendi locus est in Materia de Horis Canonicis, & obiter egimus in *Tract. de Leg. disp.* 3. *quæst.* 8. *in fine*) quàmvis Doctores communiùs contradicant. Qui nihilominùs fatentur sufficere, ut quis sit interiùs attentus ad verba, & actiones quæ in Sacrificio fiunt sub confusa saltem ratione rei sacræ, vel ad significationem verborum aliarumque actionum, vel denique ad Deum per considerationem rerum cælestium sive divinorum mysteriorum.

Ex quo sequitur I. eum qui tempore Missæ mysterium Eucharistiæ, aliasve res divinas meditatur implere præceptum: immo etiam eum, qui recitat Horas Canonicas ad quas tenetur, vel pœnitentiam sacramentalem, juxta Doctores passim: quia intentio audiendi Missam & orandi se invicem compatiuntur, immo juvant, uti & attentiones; cùm utrimque sufficiat attentio ad divina. Confirmatur: quia sicut recitatio Rosarii non impedit moralem præsentiam vel attentionem, sed potiùs involvit, sic etiam recitatio horarum aut precum obligantium: quòd enim oratio sit præcepta vel non præcepta, est impertinens. 213. *Compatibilis est lectio rosarii, horarum, satisfactionis sacramentalis &c.*

Sequitur II. non satisfacere suæ obligationi, qui per notabilem Missæ partem dormit, etiam involuntariè, fabulatur, aut aliis actionibus incompossibilibus intendit: ille enim non assistit religiosè sacrificio. Quod autem de fabulante dicitur, id explicant varii de confabulante magnâ parte Sacri de rebus seriis vel mentem ita occupantibus, ut non attendat ad ea quæ fiunt. Si interdum solùm cum aliquo colloquatur, non peccat mortaliter: uti nec juxta *Præpositum quæst.* 83. *art.* 6. *dub.* 5. quando colloquium non impedit attentionem sufficientem. Nihilominus abusus hujusmodi fabularum est nimius, & scandolosus, meritò per strictas leges extirpandus: prout hîc fieri cœpit junctim per utramque potestatem, Academicam scilicet ac Politicam. 214.

An autem satisfaciat, qui per notabilem Missæ partem confitetur sua peccata, meritò quæri potest. Et quidem Respondent Doctores passim negativè cum *Bonacina disp.* 4. *quæst. ult. pu.* 11. *num.* 26. (qui etsi antea contrarium docuisset, postea tamen suam sententiam mutavit) nam Confessio facit, quòd homo non censeatur moraliter assistere Sacrificio: uti nec Concionatores tunc concionantes: quàmvis enim illa opera sint honesta, tamen respectu Missæ sunt planè disparata, nec habent se per modum orationis; adeòque impediunt, ne homo censeatur esse præsens seu assistens Sacrificio. 215. *Plerique censent sub Missa consistentem non satisfacere præcepto.*

Nihilominus *Lessius in Resolut. V. Missa casu* 2. etsi quoad Confessionem sub Missa, quæ mentem velut absorbet ac aliis affixam tenet, censeat præmissa valde probabilia, omnino tamen excusandos putat, quibus ratione negotiorum, vel quia sunt in obsequio aliorum, non est integrum audire aliud sacrum; partim ex epykia: partim ex consuetudine legitimè præscriptâ, hîc saltem in Belgio; quam putat etiam alibi vigere: 216. *Opinio Lessii.*

gere : partim ratione lucri spiritualis, quo tales alioquin privarentur : partim denique quòd attentio quædam confusa videatur posse consistere cum actu confitendi, præsertim relato ad participandum tali Sacrificio. Immo tandem satis probabile idem judicat de illis, quibus integrum est aliud Sacrum audire, si bonam saltem partem extra Confessionem audierint. Cum his tamen non suaderem ut Confessarius dissimulet.

217. *Quid censendum de Collectoribus Eleëmosynarum sub Missa.*

Quod attinet ad Collectores eleëmosynarum sub Missa, censent Doctores similiter passim, non satisfacere præcepto audiendi Missam, si magnam partem sacri in hoc munere insumant : nisi fortè consuetudo sit in contrarium excusans eos qui tali publico pietatis officio tempore summi sacri destinentur, quia aliàs omnino pauci inveniuntur, qui vellent illud onus subire, ut ait *Præpositus quæst.* 83. *num.* 206. Generaliùs tamen *Lessius suprà Casu* 3. illos excusat : partim ex æquitate seu epykiâ ob utilitatem Ecclesiæ, quæ aliter non rectè videtur posse obtineri : partim ex consuetudine à pastoribus ac prælatis toleratâ & præscriptâ : partim denique, quia cum hoc opere potest stare confusa attentio ad Missam, uti ad alias preces. Quod postremum facilius admisero in parvis Ecclesiis, aut ubi eleëmosynæ colliguntur in facie altaris, & sacerdotis celebrantis. Aliàs in majoribus templis non ita apparet moralis præsentia ad Missam privatim in altari aliquo multùm disito à loco collectionis celebratam.

218. *Causæ excusantes ab auditione Missæ generatim recensentur.*

Quintò denique certum est excusari à præcepto audiendi Missam, qui eam non potest audire sine notabili incommodo animæ, corporis, honoris vel bonorum fortunæ, aut sine similis incommodi periculo. Patet ex sensu omnium Doctorum, praxique communi. Ratio est : quia Ecclesia non censetur Fideles suos hoc præcepto velle obligare cum simili incommodo ; quàmvis etiam non sit adeo extraordinarium.

219. *Excusati titulo impotentiæ spiritualis.*

Hinc titulo impotentiæ quasi spiritualis excusantur excommunicati vel interdicti ; cùm his prohibeat Ecclesia, ne licitè sacro intersint. Habens tamen privilegium assistendi Missæ tempore interdicti localis, assistere obligatur juxta receptam doctrinam contra Nonnullos ; utpote potens assistere, seu carens impedimento. Sicut indubiè carceri mancipatus deberet audire Sacrum, oblatâ ad hoc à judice facultate.

Excusati titulo impotentiæ corporalis,

Secundò titulo impotentiæ corporalis excusantur carcere detenti, infirmi lecto affixi, & regulariter omnes ii, qui propter indispositionem domo exire non possunt. Unde etiam excusantur proles, quas parentes ob justam correctionem domi velut in carcere inclusas detinent, & quibus indumenta honesta denegant ; prout in pœnam criminis, & ad resipiscentiam proprium parentes interdum rationabiliter faciunt.

Tertiò titulo impotentiæ moralis excusantur, quibus immineat detrimentum seu malum notabile, v. g. periculum vitæ ob insidias hostium, infectionem aëris pestilentis, aut ipsius populi convenientis ad templum. Similiter excusantur ægroti, prægnantes, convalescentes, aut qui absque gravi labore vel difficultate ob distantiam loci & incommoda viarum interesse nequeunt. In quibus omnibus bona fides, & prudentum consilium sufficit. Prout etiam mulieres nobiles, quando decenti vestitu comparere non possunt, nec commodè in secreto aut in tenebris Missam audire possunt, excusantur. Similiter matres & nutrices parvulorum, quos nec possunt relinquere, nec propter magnos vagitus decenter ad Ecclesiam deferre. Item laborantes in officinis fusoriis, ceresores ; custodes civitatis, prædium, vineæ, armentorum vel domûs quando non rectè compatibilis est auditio Missæ. Item qui debent subvenire aut servire infirmis graviter laborantibus, qui convenienter soli relinqui non possunt ob periculum alicujus detrimenti, vel quia alioquin opportuno tempore carerent medicamentis.

Denique attendenda est consuetudo universalis Ecclesiæ aut etiam alicujus patriæ. Ex qua mulieres tempore purificationis suæ post partum aliquot septimanis licitè ab auditione Missæ abstinent, etsi alioquin nullâ justâ infirmitate detineantur. Similiter quibusdam in locis mulieres nobiles ad aliquot hebdomadas tempore luctûs domo non exeuntes. Aliæque consuetudines, quæ in variis regionibus reperiri possent, excusant, si sint approbatæ legitimo usu inter timoratos. Simplex quoque ignorantia & bona fides rudiores excusat frequenter à mortali, etsi alioquin reverà non sufficiat causa sufficiens : qui tamen à Curatoribus animarum sunt instruendi & monendi. Estque planè deploranda miseria, quòd cùm hebdomada habeat 168. horas, & unam tantùm horam vel horæ dimidium divino cultui adstringat Ecclesia nomine Dei, tot excusationes, etiam sæpè prætensas, quærat Christianus, idque in tanta Sacrificiorum abundantia : quam meritò in pœnam negligentiæ ac ingratitudinis Deus subtraheret : prout variis populis vicinis subtraxit, qui suspirant & anhelant nunc ad divinum hoc Sacrificium ac cælestem panem. Ut rectè eis applicari queat illud *Thren.* 1. *Omnis populus ejus gemens, & quærens panem.* Et *c.* 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

Est etiam observandum Pastoribus, ut bubulcos atque porcarios vel alios pastores vel aratores, qui in agris assiduè commorantur vel in sylvis, & ideo more pecudum

dum vivunt, curent ad Ecclesiam diebus festis venire, heris eorum graviter admonitis; non solùm ut audiant Missam, sed etiam ut instruantur in rebus fidei & animæ: in quibus frequenter non sunt instructi ad sufficientiam jure divino aut naturali requisitam. Proinde si custodia gregis alicujus præsentiam exigat, servanda est quædam vicissitudo, ut nunc huic, nunc illi vacet locus & tempus assistendi divinis & audiendi instructiones necessarias.

Est insuper observandum ei, qui non potest sacro interesse cum cæteris, monitum *Augustini Sermon. 251. de Temp.* ut *saltem in domo sua oret, & non negligat Deo solvere votum ac reddere pensum servitutis.* Quàmvis vi præcepti Ecclesiastici non sit in rigore obligatus aliis piis actionibus aut exercitiis compensare defectum Missæ, dum ab ea audienda est excusatus.

Putat tamen *Marchant Tom. 2. Tract. 4. Tit. quæst. 3.* ex præcepto divino primævo, *Memento ut diem Sabbati sanctifices*, teneri, qui Missam non audit in die Dominica, Deum speciali cultu colere: adeò ut qui nullo cordis motu vel cultu Deum in Dominica colit, peccet mortaliter, veluti non observans præceptum de sanctificatione illius diei: & consequenter penes eos, qui excusantur à Missa, remanere obligationem realem & communem Deum aliquo cultu religioso in Dominica colendi, quàmvis Ecclesia pro iis nullas preces, orationes, vel ritus ordinaverit.

Quæ omnia communi Doctorum sensui & praxi repugnant, & absque solido fundamento sunt asserta. Præceptum namque divinum primævum de sanctificando Sabbato, quatenus positivum, Christianos non obligat: quatenus autem naturale est, & respicit cultum Dei, non est determinatum ex se ad certam hebdomadæ diem, sed æquè potest impleri die jovis aut veneris: immo nec constat esse determinatum ad singulas hebdomadas aut quindenas: cur ergo mortaliter peccare censendus esset contra hoc præceptum, qui in Dominica Deum non coleret, præsertim si id faceret pridie vel postridie? Quod spectat ad *Scotum 3. d. 9.* *Scotus exquæst. 1. num. 5.* is juxta *Scotistas*, *Ovando, plicatur.* & *Angles* loquitur non de necessitate stricti præcepti, sed de necessitate congruitatis: quæ planè maxima est, ut saltem semel in septimana colatur Deus; præsertim cùm incertum sit, quanto alioquin tempore possit homo sine peccato gravi contra jus naturale abstinere à cultu Dei, à quo omni momento dependemus. Necessitas gratiæ quoque postulat frequentem orationem ac divini Numinis invocationem. Idcoque *d. 27. q. un. n. 18.* ob incertitudinem temporis, quo obligat præceptum dilectionis Dei, dubitando dixit: *Quando autem sit hoc*, fortè *determinavit hoc illud præceptum divinum*, Sanctifica sabbatum, *Et*, maneat unusquisque apud se. *Et Ecclesia specificavit quantum ad Missam audiendam in die dominico.*

224. *Refutatur*

TRACTATUS IV.

DE

SACRAMENTO POENITENTIÆ, EXTREMÆ UNCTIONIS, ET ORDINIS.

PRÆFATIO.

SI ea (*inquit* Trid sess. 14. c. 1.) in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam, in Baptismo ipsius beneficio & gratiâ susceptam, constanter tuerentur; non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ; quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. *De quo ob multiplicem utilitatem, immo necessitatem, exactior nôtitia est habenda, adeoq; à nobis tradenda, tum pro praxi Confessariorum, tum pro intelligentia ac defensione fidei contra Hæreticos, plurimùm hâc ætate à regulis Christianæ fidei circa hoc Sacramentum aberrantes. Ob materiæ quoque cognationem, visum est huic Tractatui inserere pauca illa, quæ tangunt Sacramentum Extremæ Unctionis:* Quod (*ut ait* Trid. sess. 14. in Proœmio doctrinæ de Sacramento Extremæ Unctionis) non modò Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus. *Illa denique quæ Sacramentum Ordinis concernunt, neque ob paucitatem dicendorum specialem Tractatum exigunt, pariter huic Tractatui inseremus. Solent autem Doctores fusè hîc tractare pariter de virtute Pœnitentiæ.*

Quam

Quam Nonnulli communem seu transcendētalem faciunt cum quavis virtute : Alii verò communiter particularem esse volunt, sive Justitiæ, sive Religionis, aut similis. De quo tamen non est proprius hic locus. Ea denique quæ concernunt Pœnitentiam actualem, seu detestationem peccatorum præparantem sive disponentem ad remissionem eorumdem (quæ usu Scripturæ & Patrum nomen Pœnitentiæ sibi vendicavit, nec specialiter ad virtutem moralem Pœnitentiæ spectat) partim in materia de Justificatione explicata sunt, partim hic agendo de prima parte materiali Sacramenti Pœnitentiæ, scilicet Contritione, explicabimus.

DISPUTATIO PRIMA.

De Institutione & Partibus Sacramenti Pœnitentiæ in Communi.

QUÆSTIO I.

An Pœnitentia sit Sacramentum à Baptismo distinctum, & quando institutum ?

DICO 1. Pœnitentia est Sacramentum à Christo institutum, & à Baptismo distinctum. Est contra *Novatianos*, sic dictos à *Novato* Episcopo Africano, & corruptore *Novatiani* presbyteri Romani, qui etsi non penitùs negaverint remissionem peccatorum coram Deo; negarunt saltem illam dari baptizatis per ministerium Ecclesiæ, atque adeò omnem usum & ritum hujus Sacramenti abstulerunt. Quod etiam fecerunt *Calvinistæ*, & passim alii Novatores moderni, quorum calumnias & impósturas detegit *Bellarminus l. 1. de Pœnitentia c. 2. & quatuor seqq.*

Sed Conclusio patet ex cap. *Ad abolendam, de Hæreticis, Florentino in Decreto Eugenii*, & novissimè ex definitione *Tridentini sess. 14. c. 1. & 2. & can. 1. & 2.* Probatur eadem veritas potissimùm ex *Joan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Quibus verbis Christus Apostolis, eorumque successoribus manifestè tribuit potestatem remittendi peccata. Hæc autem potestas exerceri debuit per signum sensibile: cùm exerceatur circa homines sensibiles, & in communitate sensibili ; & quia nemo alioquin sciret, an peccata sibi essent remissa. Isti autem signo nihil deest ad rationem Sacramenti, ut patet ex ejus definitione.

Scripturam adeò claram variè torquent Hæretici, respondentes passim, ibi tantùm Apostolus dari potestatem prædicandi Evangelium, ut per fidem prædicatione conceptam remittantur peccata : vel solùm dari potestatem denuntiandi peccata esse remissa. Sed contra apertum tenorem & proprietatem verborum, in quibus expressè continetur potestas peccata remittendi : remissio autem non est nudum ministerium annunciandi Evangelii vel declarandi, sed instar actûs judicialis. Unde sic ista verba explicat *Ambrosius, Chrysostomus*, & semper intellexit Catholica Ecclesia, ut ait *Trid. sup. can. 3.* ubi etiam definit ea sic intelligi debere. *Quam variè, sed iniquiter torquent Hæretici.*

Probatur denique ex Patribus. *Ambrosius l. 1. de Pœnit. c. 7.* ait: *In Baptismo utique remissio peccatorum omnium est: quid interest, utrùm per pœnitentiam, aut per lavacrum hoc jus* (scilicet remittendi peccata) *sibi datum sacerdotes vendicent? Unum in utroque mysterium est.* *Cyrillus l. 12. in Joan. c. 56.* postquam verba *Joan. 20.* interpretatus esset, docet apertè in fine capitis, Discipulos, scilicet Sacerdotes, per potestatem sibi à Salvatore traditam duobus modis peccata remittere, *Primum* (inquit) *Baptismo, deinde Pœnitentiâ: nam aut homines ad Baptismum inducunt, aut Ecclesiæ filiis pœnitentibus indulgent.* Quòd autem Hæretici objiciant *Cyrillum* explicare verba Christi de potestate baptizandi, falsum est : nam in expositione verborum, Baptismi non meminit ; sed tantùm in fine Capitis, ad explicandam sacerdotum dignitatem numerat duplicem prædictam potestatem : non asserit tamen, quòd utraque sit illis ibi tradita ; neque id congruit contextui Evangelii. Et quàmvis verba illa ad utramque potestatem peccata remittendi extenderet, id solùm faceret per quamdam accommodationem, ut ait *Wiggers q. 84. art. 1. Hieronymus*, tum alibi, tum *Epist. ad Heliodorum* *Idem tradunt Patres.*

Heliodorum expresit Catholicam veritatem, ubi de sacerdotibus ait: *Absit, ut de his quidquam siniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui succedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos & nos Chriſtiani ſumus, qui claves regni cælorum habentes, quodammodò ante diem judicii judicant.* *Chryſoſtomus l. 3. de Sacerdotio* poſt varia præclarè dicta de eminenti Sacerdotum poteſtate ſupra Principes terræ, immò ne quidem Angelis aut Archangelis conceſſa quoad ſolutionem vinculorum animæ; veriis interiectis ſubdit: *Corporis lepram purgare, ſeu verius dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare, judæorum ſacerdotibus ſolis licebat .... At verò noſtris ſacerdotibus, non corporis lepram, verùm animæ ſordes, non dicit purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* & infrà: *Neque enim ſolum cum nos regenerant, ſed poſteà etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.*

4. *Reſponſio Hæreticorum Auctoritates de Baptiſmo ad memoriam revocato exponentium enervatur.*

Ex his præcluditur effugium Hæreticorum dicentium Pœnitentiam eſſe ipſum Baptiſmum ad memoriam revocatum: nam Chriſtus *Joan.* 20. non agit de Baptiſmo, ſed de poteſtate ſacerdotum ad remittenda peccata. Et quidem poteſtas baptizandi Apoſtolis data fuit *Matth. ult.* immo diu antea baptizaverant, ut patet *Joan.* 3 & 4. Neque uſquam in Scriptura vel tota antiquitate lapſi poſt Baptiſmum remittuntur ad memoriam Baptiſmi pro remedio reconciliativo. Quin immo Patres de Pœnitentia tractant tamquam remedio peccati diſtincto à Baptiſmo; ut patet ex auctoritatibus allegatis, & aliis, in quibus Baptiſmum quidem vocant primam tabulam poſt naufragium factum peccato Adæ, Pœnitentiam autem ſecundam tabulam, ſecunda ſubſidia, item reconciliationem fidelium, ſimilibuſque nominibus.

5. *Qualiter diſtinguatur Sacramentum Pœnitentiæ à Baptiſmo.*

Idem patet ex eo, quòd Baptiſmus & Pœnitentia habeant diſtinctam materiam & formam: Baptiſmus quoque ſit initerabilis, non Pœnitentia: habeatque diſtinctum miniſtrum, cùm Baptiſmus etiam à laico poſſit conferri valide, & in neceſſitate licitè; at reconciliatio pœnitentium ita propria ſemper fuerit Epiſcopis & Presbyteris, ut quovis caſu laicus illam attentaſſet, nemo invalidam & irritam eſſe dubitaret: habeat inſuper diſtinctum effectum, cùm Baptiſmus deleat omnem pœnam, Pœnitentia regulariter relinquat aliquam pœnam temporalem ſatisfactionibus expiandam; ob quod à Patribus vocatur Baptiſmus quidā laborioſus & lacrymarum, ut refert *Bellarm. l. 1. de Pœnit. c. 13.* Denique ridiculū eſt dicere, Baptiſmum olim ſuſceptum ſui recordatione remittere ſubſequentia peccata. Quod autem Hæretici dicant id fieri, quatenus ita excitatur fides, per quā quis juſtificatur, falſum aſſumunt. Nam fides iſta ſpecialis non juſtificat, & ſignanter Sacramenta non juſtificant excitando fidem, ut *Tract. de Sacram. in genere* oſtenſum eſt. Nec inde aliquid ſpeciale competeret Baptiſmo, quod non competeret alicui concioni in memoriā revocate.

Dices: *Ad Epheſ. 5.* de Chriſto dicitur: *Mundans eam* (ſcilicet Eccleſiam) *lavacro aquæ.* Intellige cum *Auguſtino l. 1. de Nuptiis c. 33.* quia per illud lavacrum etiam remittuntur peccata poſtea commiſſa. Reſp. Apoſtolum agere tantùm de fundatione membrorum Eccleſiæ per Baptiſmū, quando primùm aggregantur Eccleſiæ. *Auguſtinus* autem tantùm vult Baptiſmum eſſe principium remiſſionis ſubſequentium peccatorum, quatenus niſi eſſet ſuſceptus non remitterentur per pœnitentiam aut remedia à Chriſto inſtituta, ſeu quatenus baptizatis fiunt remiſſibilia per Sacramentum Pœnitentiæ, non autem quòd remittantur per ipſum Baptiſmum: *Quid enim* (inquit ibidem) *præeſſet vel ante Baptiſmum Pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur; vel poſtea, niſi præcederet?* Alioquin (ut ait idem *Auguſtinus Epiſt. 23.*) *Si infans poſt Baptiſmum propria incipiat habere peccata, illa non regeneratione auferuntur ſed aliâ curatione ſanantur;* ſcilicet Sacramēto Pœnitentiæ, cujus ſit capax per Baptiſmū. Et *l 2. De adulter. conjug. c. 16.* *Si* (inquit) *à Catechumeno factum eſt homicidium, Baptiſmate abluitur, ſi à baptizato, Pœnitentiâ & reconciliatione ſanatur;* ſcilicet Sacramento Pœnitentiæ.

DICO II. Chriſtus inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ *Joan.* 20. dum inſufflando in Apoſtolos dixit: *Accipite Spiritum ſanctum &c.* Colligitur ſatis evidenter ex *Trid. ſeſſ. 14. c. 1.* ubi docet, Chriſtum Dominum Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituiſſe, cùm à mortuis excitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos dicens: *Quorum remiſeritis peccata &c.* Addit autem, *præcipuè*, ut ſignificet idem Sacramentum antea fuiſſe inſinuatum & promiſſum, videlicet *Matth. 16. & 18.* Deinde probatur: quia Chriſtus per verba prædicta dedit Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata, ut patet ex textu, ac *Trid. ſup. can. 3.* ergo tunc inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ: cùm non ſit aliud dare poteſtatem remittendi peccata, quàm inſtituere tribunal, in quo jus dicerent Sacerdotes, abſolvendo, quos judicarent dignos; non abſolvendo, quos judicarent indignos.

QUÆSTIO II.

Quæ ſit Materia Sacr. Pœnitentiæ?

DICO I. Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ ſunt peccata commiſſa poſt Baptiſmum. Patet: quia circa illa verſatur materia proxima, nempe actus pœnitentis. Deinde quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum per modum judicii; materia autem remota judicii ſunt crimina, delinquentis.

Dixi, *Commiſſa poſt Baptiſmum:* quia peccatum originale, & alia Baptiſmū præcedentia, neceſſariò debent remitti per ipſum Baptiſmum: nec poteſt de illis Eccleſia judicare; cùm ſint commiſſa antequam eſſet homo Eccleſiam ingreſſus, aut ſubeſſet illius juriſdictioni. Idem colligitur ex *Trident. ſeſſ. 14. c. 1.*

14. 1. & 2. Estq; apud omnes indubitatum.

Intelligitur autem Conclusio non tantùm de peccatis mortalibus, sed etiam de venialibus, quæ huic judicio utiliter subjici tradit *Trid sup. c. 5. & can. 7.* Sunt enim vera Dei offensa; circa quam versari possunt actus pœnitentis.

Intelligitur etiam Conclusio de peccatis semel confessis, & per absolutionem sacramentalem remissis: nam adhuc circa illa possunt versari actus pœnitentis, potestque pœnitens ea, si velit, denuò subjicere judicio: sicut reus legitimè absolutus potest, si velit, denuò de iisdem criminibus expostulare judicium. Idem confirmat sensus communis Doctorum, praxis Confessariorum & piorum fidelium, expressitque *Benedictus XI. Extrav. Inter cunctas. de Privilegiis §. Cetèrùm*, ubi dicitur: *Cetèrùm licèt de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre &c.*

Dices: Forma sacramentalis non potest sæpiùs proferri super eamdem numero materiam: ergo non possumus eadem peccata sæpiùs confiteri. Resp. Neg. Ant. intellectum de materia remota; prout sunt peccata: cùm eadem aqua sæpiùs possit adhiberi in administratione Baptismi, idem instrumentum in collatione Ordinum &c. Si autem intelligatur Antecedens de materia proxima, major est difficultas.

Quantùm ad præsentem materiam, satis certò requiri videtur iterata confessio; & secundùm Doctores communiter (ut apparet) etiam iteratus dolor: tum quia confessionis & contritionis videtur esse par ratio: tum quia alioquin idem dolor non retractatus posset deservire per longum tempus iteratis confessionibus, sicque confitentes venialia non deberent sub gravi obligatione elicere novum dolorem, quando aliquod mortale v. g. aliàs confessum addederent. Nihilominus quod ad dolorem spectat varii Recentiores docent oppositum, & probabile censet *Diana*, ac fusè propugnat *Dicastillo disp. 6. dub. 12.* negans oppositum esse commune. Idem tenet noster *Poncius*, ac novissimè *Matthæus de Moya Tract. 3. de Sacr. disp. 5. q. 8.* citans nostrum *Delgaddillo*, & plures alios: eò quòd ad novum Sacramentum ex parte materiæ sufficere videatur materiam proximam per se sensibilem esse diversam, super quam cadere queat nova forma sive absolutio; tametsi dolor, qui per se non est sensibilis, foret unicus. Quemadmodum in Eucharistia idem Corpus Christi deservit pluribus Consecrationibus & Sacramentis, junctâ symbolorum sensibilium diversitate. Quamvis è contrario non sufficeret pro pluribus Absolutionibus unica Confessio cum dolore interno multiplici. Quod insuper confirmatur ex ratione judicii, quod ut iteretur, nova adsit accusatio. Neque enim judex in eodem tribunali super eadem causa novam sententiam fert, nisi nova sit accusatio, nòvusque fiat processus: at verò novæ accusationi sufficere potest idē dolor. Et foret valde consolatorium pro praxi pœnitentium confitentium quotidiana venialia; de quibus fortasse non habent satis serium dolorem & propositum emendationis, quādo nimirum adjungerent mortale aliàs confessum, aut gravius veniale, de quo aliàs elicuerunt dolorem cum confiterentur, sine reincidentia. Immo sic posset quis toties quoties vult confiteri peccatum aliàs confessum cum dolore semel elicito nec interea retractato: cùm alioquin probabilissimè non requiratur temporis propinquitas. Quod videtur minus consonū praxi. Quidquid sit, illud omnino existimo, quòd non requiratur nova contritio, quando quis post absolutionem recordatur alicujus peccati, ad quod prior contritio sese extenderat, nimirum quia eatenus necdum fuit informata absolutione Idque suadet praxis Confessariorum & Fidelium. *Notandum pro praxi.*

Petes, An peccatum dubium sit materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ? Resp. 12. certum esse, quòd sic, quando fuit esse peccatum, sed dubitatur de gravitate. Quando autem dubitatur, an verè peccatum sit, eatenus est materia sufficiens, quatenus absolutio futura sit valida, si peccatum verè subsit; aliàs non. Sicut si quis consecraret in materia dubia, validè consecraret, si à parte rei esset vera materia. Sed quia minister Sacramenti non potest illud conferre in materia dubia, debet curare, ut tunc adjungatur peccatum aliquod certum, sive veniale, sive aliàs confessum. Si tamen certum haberi non possit (quod non est morale) & equidem sit verum dubium de mortali, absolvendus est pœnitens sub conditione. Ita passim Doctores. *An peccatū dubium sit sufficiens materia Sacramenti.*

Dico II. Quasi materia proxima Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, Contritio, 13. Confessio & Satisfactio. Ita *Florentinum in Decreto Eugenii, & Tridentinum sup. c. 3. & can. 4.* Ratio est: quia illi actus immediatè applicant materiam remotam & determinantur immediatè à forma sive sententia judicis. *Quasi materia proxima sunt actus pœnitentis.*

Dices I. Dolor non est sensibilis, ergo nec materia Sacramenti. Resp. esse satis sensibilem per accidens, scilicet per confessionem, vel alia signa externa; utì consensus internus in Sacramento matrimonii hâc ratione fit sufficienter sensibilis. *Nec refert quòd dolor non sit sensibilis.*

Dices II. Satisfactio est posterior formâ Sacramenti sive absolutione; ergo non est hujus Sacramenti materia. Resp. Neg. Cons. sufficit enim ut à forma suo modo determinetur (quod fit, dum ab ea accipit virtutem delendi pœnas, aut saltem contrahit necessitatem ut impleatur) & ut suo modo Sacramentum integret, concurrendo videlicet ad plenam peccatorum remissionem, scilicet etiam quoad reatum *Quòdq; satisfactio sit posterior formâ Sacramenti.*

pœnæ temporalis, quem satisfactio delet ex divina institutione.

14. *Cur actus pœnitentis dicantur quasi materia.*

Dixi in Conclusione *quasi materia*: sic enim loquuntur Concilia citata. Idque juxta multos ob hoc, quòd isti actus pœnitentis non sint substantiæ sensibiles, prout sunt materiæ aliorum Sacramentorum, v. g. aqua Baptismi, chrisma Confirmationis &c. Verùm pari ratione Concilia formam Sacramentorum appellassent quasi formam: cùm non sit forma substantialis, immo nec artificialis, qualis est figura, sed consistat in quibusdam verbis. Deinde etiam peccata non sunt substantia sensibilis, & tamen dicuntur sinpliciter materia Confessionis, non autem quasi materia.

15. *Opinio Scotistarum de hac re,*

Quare *Scotistæ* communiter existimant actus pœnitentis vocari quasi materiam, eò quòd non sint materia propriè intrinseca & essentialis; uti de satisfactione certum est, ac de contritione & confessione docet *Scotus, Gabriel, Major* & alii multi. Quod quidem solùm ad modum loquendi (ut notat *Cavellus in Scholio ad dist. 16. q. 1. n. 7.*) spectare videtur: nam quod ad rem attinet, satis constat essentiam sive valorem Sacramenti non subsistere sine contritione & confessione: ob quod reliqui Doctores illas esse censent propriè partes essentiales & intrinsecas. Verùm sicut ipsa peccata requiruntur ad valorem Sacramenti, & tamen non sunt pars illius intrinseca & essentialis, sed solùm conditio prærequisita, sive materia extrinseca, super quam cadunt actus pœnitentis, & consequenter ipsa absolutio: sic possent ipsi quoque actus pœnitentis prærequiri instar materiæ quasi extrinsecæ, circa quam versetur absolutio, quæ cadit super ipsa peccata quatenus contrita & confessa. Sacramentum namque hoc est à Christo institutum veluti sacrum quoddam tribunal, cujus ministri sint veri judices. Ad hoc autem tribunal integrè & ritè complendum, etsi varii actus concurrant, essentia tamen illius propriè consistit in ipso actu judicis, sive in ipso actu judicii remissivo peccati: qui est sola absolutio, seu sententia judicialis, actibus ipsius Rei necessariò concurrentibus seu præcedentibus, ut judicium ritè feratur. Unde hoc Sacramentum dicitur à Sacerdote confici & à pœnitente susci pi; utique dandum à Sacerdote, qui tamen dat solam absolutionem. Solus etiam Sacerdos à *Florentino* & Catholicis dicitur minister hujus Sacramenti, & posse remittere peccata: cùm tamen etiam pœnitens, si actus ab eo adhibendi sint partes essentiales, id conficeret, & ad remissionem peccatorum tamquam minister concurreret, saltem secundariò.

Solùm in modo loquendi à reliquis differentium.

declaratur.

16. *Quâratione actus pœnitentis dicantur partes Pœnitentiæ.*

Et hoc quidem ferè modo discurrunt seu loquuntur *Scotistæ*. Qui tamen nec volunt, nec possunt negare, quin sicut actus pœnitentis sunt quasi materia, sic etiam suo modo dici possint partes Pœnitentiæ, pertinentes ad constitutionem completam hujus sacri Tribunalis. Sic enim loquitur *Trid. sess. 14. c. 3.* *Qui*, actus, *quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hâc ratione*, seu hoc sensu (in quo id nullus negat) *Pœnitentiæ partes dicuntur.* Denique ipsum *Rituale Romanum tit. de Sacram. Pœnitentiæ* similiter ait, *ad illud* Sacramentum *constituendum concurrere materiam & formam.* Sed cùm similiter addat ita concurrere etiam Ministrum, & materiam præfatam dividat in remotam, seu peccata, & proximam seu actus pœnitentis, patet ipsum non agere solùm de constitutione intrinseca instar partis essentialis; qualiter utique non constituitur hoc Sacramentum, sive per ministrum, sive per peccata: quidquid pauci Recentiores dixerint. Simili sensu *Florentinum in Instructione Armenorum* dixit omnia Sacramenta perfici rebus, verbis & personâ Ministri.

Petes I., An contritio, quæ est quasi materia Pœnitentiæ, debeat adesse, dum pœnitens confitetur? Resp. etsi hoc sit securius & suadendum, sufficere tamen, quòd præcesserit: sicut enim confessio non est necessariò præsens, dum impenditur absolutio, sed potest etiam diu præcessisse; sic quoque potest dolor præcedere confessionem. secundùm moralem enim æstimationem talis ei conjungitur, dum saltem ipsa sit virtute doloris antea elicti. Confirmatur: quia si quis post edita signa doloris incidat in amentiam, absolvitur in periculo mortis, etiam longo tempore post actum elicitum: similiter satisfactio multò sæpe tempore postponitur ceteris Sacramenti partibus: ergo non est ratio, cur inter contritionem & confessionem temporis distantia intercedere nequeat. Et ratio desumitur ex natura judicii, quod tamen partium propinquitatem non requirit. Vade qui manè, antequam exiret domo, contritionem elicuit, seque ad confessionem præparavit, potest postmodum in Ecclesia existens confiteri; non renovato dolore. Idem est juxta *Præpositum* & alios, quamvis solùm vespere præcedenti doloré elicuisset, dum tamen interea non sit retractatus. Immò noster *Delgadillo* apud *Mayat. 3. in Sacram. disp. 5 q. 9. n. 7.* censet, dolorem, quantumvis longo tempore præcesserit, dummodo per voluntatem contrariam non fuerit interruptus, satis perseverare moraliter (uti consensus conjugis, cujus Matrimonium erat nullum defectu consensûs compartis) etiam ad iteratam Confessionem. Ipse verò *Maya n. 10.* censet dolorem & Confessionem satis moraliter uniri, quoties pœnitens, ex odio præcedenti peccatorum, ac desiderio obtinendi veniam in memoriam revocato, movetur ad eorum Confessionem vel primò instituendam vel iterandam: cum id sufficiat ad dolorosam accusationem. Quemadmodum facit talem dolor, qui Physicè ante paucas horas defit. Talisque præbet verè signum sensibile doloris, sufficiens ad dolorosam & veram Confessionem, adeoque ad Absolutionem.

Dubium tamen est, an debeat dolor procedere ex intentione formaliter vel virtualiter relatâ ad confessionem, sive ad Sacramentum Pœnitentiæ. Et quidem *Præpositus* & plures alii censent, quòd sic: eò quòd ad constitutionem Sacramenti necessaria videatur intentio Sacramenti & partium ibi salius; ut patet exemplo aliorum Sacramentorum: nam ablutionem sine tali intentione factam non posset quis postea referre ad confectionem Sacramenti Baptismi, etiamsi formam legitimam præferret. Idem est in aliis. Estque hoc quoad praxim securius & consulendum.

Nihilominus *Lugo*, *Poncius* & plures alii censent hoc non requiri, sed posse pœnitentem velle, ut dolor priùs elicitus sibi ad hunc effectum valeat: adeoque non esse per omnia hîc discurrendum de quasi materia quam adhibet ipse suscipiens Sacramentum, & de partibus aliorum Sacramentorum

rum, quæ ex certa intentione adhibentur à Ministro. Sufficere enim videtur, quòd dolor hîc adhibeatur, quantùm satis est ad debitè instruendum Tribunal; quod sufficienter instrui appareat, si dolor adsit, & confessio sequatur, exinde omnino futura dolorosa rei accusatio. Et consonare videtur sensus fidelium, qui omnino putant se sufficienter dispositos, si ex concione dolorem de peccatis concipiant, & inde incipiant ulteriùs cogitare de confessione, ad quam tamen dolor iste non videtur antecedenter fuisse relatus, sed consequenter. Nec credunt dispositionem suam contineri in subsequenti voluntate confitendi, sed potiùs in priori expresso dolore.

Accedit, quòd juxta plerosque in satisfactione Sacramentali non requiratur hujusmodi expressa intentio, sed sufficiat libera impletio operis injuncti. Et quàmvis in ea requireretur, ratio specialis esset, quòd satisfactio sit pars Sacramenti habens proprium & specialem effectum Sacramentalem, scilicet rectionem pœnæ. Deinde dolor sic elicitus sufficienter elevatur per ministrum, ut sit pars Sacramenti; ex parte autem pœnitentis seu suscipientis sufficere videtur intentio interpretativa, sicut in suscipiente alia Sacramenta, & in moribundo, qui absolvitur ob vitam Christianè transactam, quæ tantùm est interpretativa confessio. Censetur autem in tali dolore (qui secus quam narratio quædam peccatorum de se ordinatur ad remissionem peccatorum obtinendam) saltem esse interpretativa quædam relatio ad absolutionem Sacramentalem, quando non excluditur. Quare hæc doctrina videtur satis fundata.

Quod autem ad praxim attinet, non videtur solicitè ambigendum de hac relatione, dum constat de dolore: quia etsi is postquam cœpit elici referatur ad Sacramentum, tamen dum refertur, ordinariè adhuc durat aut renovatur, sicque ipse quâ continuatus aut innovatus satis refertur antecedenter ad Sacramentum: ut taceam in dolore de mortalibus non confessis involvi necessariò propositum hujus Sacramenti.

11. Petes II. An contritio debeat præcedere confessionem? Existimat *Coninck* & pauci alii debere præcedere non tantùm naturâ, sed etiam tempore. Resp. tamen sufficere, si comitetur confessionem, immo subsequatur, dummodò ante absolutionem. Ita communiter Doctores. Et colligitur ex praxi Confessariorum, qui post confessionem pœnitentes excitant ad dolorem, non autem ad iteradam sub compendio confessionem (ut vult *Coninck*) quam Confessarii non cogitant; qui non intendunt, nisi dolorem exprimere; neque etiam cogitant pœnitentes, qui existimant priorem confessionem esse sacramentalem, & ut talem fecerunt. Consonatque praxis ista *Rituali Romano* Tit. *Ordo Ministrandi Sacram. Pœnit.* ubi hæc datur Confessario instructio: *Demum auditâ confessione* utique Sacramentali (de qua agitur) *.....ad dolorem & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet &c.* Deinde confessio satis significat dolorem aut præcessisse, aut nunc existere, aut saltem ante absolutionem futurum esse. Præcedens etiam confessio aut concomitans satis est accusatio dolorosa ab ejusmodi dolore. Non enim debet esse dolorosa per dolorem influentem, utpote qui satis diu antea potest fuisse elicitus, sed per concomitantem, prævium aut subsequentem. Quamquam semper adsit in quolibet seriò se accusante aliqua saltem displicentia; ne alioquin sit non tam accusatio, quàm historica quædam narratio, quæ non sufficeret, etiam quando dolor tempore præcessisset.

QUÆSTIO III.

Quæ sit Forma hujus Sacramenti seu Absolutionis?

22. DE formâ Absolutionis *Rituale Romanum tit. de Sacramento Pœnitentiæ* sequentia præscribit Sacerdoti seu Confessario. *Cum pœnitentem absolvere voluerit, injunctâ ei priùs, & ab eo acceptatâ salutari pœnitentiâ, primò dicit*: Misereatur tui omnipotens Deus; & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen. *Deinde dextrâ versùs pœnitentem elevatâ dicit*: Indulgentiam absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat: & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. *Si pœnitens sit laicus, omittitur verbum*, suspensionis. Passio Domini nostri Jesu Christi, meritâ beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum: quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ & præmium vitæ æternæ. Amen. *In Confessionibus autem frequentioribus & brevioribus omitti potest, Misereatur, &c. Satis erit dicere, Dominus noster Jesus Christus, &c. ut suprà, usque ad illud, Passio Domini &c. Vigente vero aliquâ gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Hactenus *Rituale* præfatum. Non est etiam necesse in Confessionibus ordinariis absente apparentiâ censuræ præmittere absolutionem ab eâdem. Ordinariè autem, præsertim in concursu pœnitentium, uti

Forma Sacramenti cum pracibus laudabiliter adjungi solitis ex Rituali Romano describitur.

Brevis forma in necessitate.

Alia in concursu pœnitentium, vel aliàs ad libitum adhibenda.

soleo hâc similivè brevi formulâ : *Ego te absolvo ab omni censura, si quam incurreris. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.*

23. *Forma essentialis quæ.*

Propria porrò ipsius Sacramenti forma consistit in his verbis, *Ego te absolvo à peccatis tuis.* De quibus id constat ex sensu & praxi universalis Ecclesiæ. In quibus etiam apertè exprimitur executio potestatis à Christo datæ Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* Unde *Florentinum in Decreto* expressè ait, *formam hujus Sacramenti esse, ego te absolvo &c.* Similiter *Tridentinum sess.* 14. *cap.* 3. docet, *formam in illis ministri verbis positam esse, Ego te absolvo &c. Quibus quidem Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur : ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ,* ut inquit *Tridentinum.* Immo sine peccato possunt omitti, & passim pro libitu omittuntur.

24. *Invocatio Trinitatis non spectat ad essentiam formæ.*

De invocatione quoque SS. Trinitatis satis constat apud Doctores unanimiter contra *Durandum*, quòd non sit de essentia formæ ; cùm nec Scriptura, nec Concilia hoc exprimant (utì fit in forma Baptismi) nec sensus Ecclesiæ id doceat, quin immo sensus communis sit in oppositum. Nullatenus tamen consultum est, verba hujus invocationis omittere sine rationabili causa, idque ob universalem Ecclesiæ consuetudinem : ob quam *Bonacina* & alii existimant non omitti sine culpa veniali. Quod tamen negant plures alii, dicentes consuetudinem istam esse liberam.

Cujus proinde effectus non suspenditur eo usque.

Hinc patet, effectum Sacramenti conferri, antequam invocetur Trinitas : cùm antecedenter Sacramentum sit substantialiter perfectum.

Ly Omnibus *non est addendum.*

Non est præterea necesse absolventem dicere, *ab omnibus peccatis* juxta Doctorum certam sententiam, quam confirmat communis usus & Rituale Romanum reformatum, quod sustulit particulam, *omnibus.* Modus enim loquendi indefinitus æquivalet universali, quantùm expedit, scilicet, quantùm ad omnia peccata tunc absolutionis & remissionis capacia. Et alioquin peccata venialia non necessariò omnia simul remittuntur.

25. *Sufficeret ad valorem Absolvo te.*

Porrò verba formæ *num.* 23. expressa non ita sunt omnia de essentia, quin salvo Sacramenti valore aliqua possint omitti : nam juxta Doctores communiter sufficit dicere : *Absolvo te* : eò quòd pronomen *ego*, satis involvatur in verbo *absolvo* : idemque verbum etsi indifferens ad absolutionem à variis vinculis, tamen in circumstantiis, in quibus profertur, satis determinetur ad significandam absolutionem à peccatis, quam pœnitens petit. Quod confirmatur non modicùm ex ritu seu formâ Græcis usitatâ, de qua *num.* 29. Immo hoc Quidam adeò indubitanter tradunt, ut existiment ly *à peccatis* posse omitti sine gravi culpa. Quod tamen difficultatem habet ob aliquale dubium de valore Sacramenti : nam illud valere negant *Paludanus*, *Petrus Sote* & quidam alii, ac inter Recentiores *Aversa.* Pro quibus

Dices : *Tridentinum suprà* docet formam Sacramenti esse : *Ego absolvo te &c.* Ubi (ut patet ex verborum suprà relatorum contextu) loquitur de forma essentiali, & per ly *te & cetera*, satis significat, attento similiter contextu, adhuc aliqua alia verba pertinere ad essentiam formæ quæ non possunt esse alia quam hæc, *à peccatis.* Resp. Concedendo totum. Nam verba ista formaliter seu quoad sensum ac significationem sumpta verè sunt de essentia : non tamen sumpta materialiter (ut ita dicam) quasi debeant expressè poni, quando æquivalenter continentur in aliis ; prout illa contineri in prioribus verbis, quatenus prolatis in certis circumstantiis, jam dictum est. Nam certè *Tridentinum* etiam expressit in forma pronomen *ego* : quis tamen dubitet, quin illud salvo valore possit omitti, veluti satis contentum in verbo *absolvo.*

Incertum magis est, an quando posteriora verba formæ expressè adjunctur, suspendatur eò usque Sacramenti significatio & effectus. Aliqui negant, Alii affirmant. Probabilius videtur id pendere ab intentione proferentis ; quæ apparet esse talis, quòd ly *absolvo* determinatè significaret absolutionem à peccatis, quando alia verba non exprimuntur : dum autem exprimuntur, videtur loquens velle per singula verba significare id, quod propriè per se significant, adeòque sumere tunc ly *absolvo* in significatione generali determinandâ per verba subsequentia *à peccatis tuis.* Quod etiam in talibus circumstantiis esse penes voluntatem loquentis, patet ; quia in iisdem circumstantiis frequenter dicit, *Ego te absolvo*, & addit, *ab omni vinculo excommunicationis* ; tunc autem ly *absolvo* tantùm significat absolutionem in genere : utì etiam, dum urgente necessitate juxta præscriptum Ritualis Romani eâdem propositione à censuris & peccatis absolvit dicens : *Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis* : tunc enim non perficitur Sacramentum ante ly *à peccatis* ; & consequenter ly *absolvo* potest ex intentione ministri sumi generaliter, volendo, ut determinetur ad absolutionem à peccatis per verba expressa ad hoc instituta.

Nota, verba formæ debere proferi indicativè aut modo æquivalenti, non posse autem proferri deprecativè, juxta Doctores communiter : nam forma hoc modo prolata est substantialiter diversa quoad sensum substantialem differant. Deinde absolvio

solutio est actus judicialis; cui non congruit forma deprecandi alterum pro remissione. Denique Sacerdos talem deprecationem solet præmittere; quâ petit à Deo remissionem peccatorum pœnitentis, & tamen constat ex *Tridentino suprà* illam non esse formam Sacramenti.

Neque oppositum de forma deprecatoria conficiunt verba Patrum Latinorum, apud *Joannem Morinum, l. 3. de administrat. Pœnitentiæ c. 8. & 9.* sanè intellecta. Prout nec sufficienter probant Ritualia antiqua, sive edita (de quibus agit *c. 10.*) sive manuscripta, de quibus agit *c. 11.* Quamvis enim meminerint piarum precationum Sacerdotis (quales & modò præmitti solent) formam tamen indicativam non excludunt: quam exprimit antiquum M. S. litteris Longobardicis exaratum ante annos 600. ipsius *Morini* judicio, & Liber Sacramentorum *B. Gregorii*, non minor annis 800. judicio *Morini* in *Excerptis* ad Calcem Operis de antiquis Sacramentorum libris, ubi post titulum, *Absolutio Pœnitentis*, concluditur: *Cujus nos virtute freti, & clementiâ confisi, humillimè imprecantes pietatem suam, Absolvimus te à vinculo tuorum omnium delictorum &c.* Similiter in Codice antiquo Ecclesiæ Bellovacensis (omissis aliis, quæ etiam refert *Morinus supra c. 11.*) habetur: *ipse te absolvat ab omni vinculo peccatorum, & quantum fragilitati meæ permittitur, Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis.* Immo quæ *Morinus* in sensu optativo sive deprecativo accipit, rectè sensum imperativum admittunt, aut judicativum habent implicitum. Sanè cum in variis Libris ab ipso allegatis precationes multiplicentur seu repetantur; sciri non posset, an omnes, vel quæ substantiam formæ absolutionis constituant. Immò si quæ essentiam aliquando constituissent, utique constituerent hodie, quando nil circa substantiam Sacramenti potuit immutari. Adeoque ante prolationem formæ hodiernæ indicativæ (in qua juxta fidem vis Sacramenti potissimùm consistit) jam Sacramentum foret constitutum. Denique vetusta illa & obscura monumenta sunt incertæ auctoritatis, nec possunt præjudicare claræ consuetudini S. Romanæ Ecclesiæ, cujus Rituali (uti præfatur Paulus V.) *receptos & approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus* continet, item *quæ Ecclesia Catholica, & ab ea probatus usus antiquitatis statuit*; ut ad ejus præscriptum *in tanta Ritualium multitudine sua ministeria* Sacerdotes *peragerent, ac inoffenso pede ambularent.*

Non obstat, quoque quod in Euchologio seu Rituali Græcorum non appareat forma absolutionis, nisi deprecativa, quâ Sacerdos pro pœnitente Deum rogat, ut condonet ei peccata confessa. Nam Græcos nihilominus uti formâ absolutâ & indicativâ pro comperto habet *Jacobus Goar in Notis Euchologii in Orationes super pœnitentes*: Acceptâ enim occasione à verbis pœnitentis, *Precor, ut veniam mihi eroges*, absolvere consueverunt dicendo: *Habeo te condonatum*, seu *veniâ donatum*; aut *Sis condonatus.* Quod perinde est, ac si diceretur, Facio te veniâ donatum. Absoluta enim locutio potest imperative enuntiari; sicut in ordinatione sacerdotis ly *Accipe potestatem*, idem est, quod, Do tibi potestatem, Abstinent autem Græci ab indicativo activo, eò quòd id excellentiam quamdam sonet, ac ne minister sibi auctoritatem arrogare videatur. Unde Episcopus apud illos dicit (ut refert *Goar supra*) *Humilitas mea habet te condonatum*; Patriarcha verò, *Mediocritas mea habet te condonatum.* Potuitque similis forma, etsi in Euchologiis non expressa, esse per traditionem accepta, prout accepta est forma Latinorum, quæ similiter in antiquioribus Ritualibus vel Sacramentariis aut Scriptoribus passim non reperitur expressa. Quare non fuit desuper Græcis in *Florentino* mota quæstio, nec eis, veluti rectè sentientibus & practicantibus data instructio, qualis & quidem ampla fuit data Armenis.

30. *Examinantur, quæ in contrarium adducit Morinus.*

Unde non est audiendus *Joannes Morinus l. 8. de administratione Pœnitentiæ c. 12.* ex professo asserens Græcos hactenus in absolutione à peccatis nullâ alia formulâ usos esse, quam deprecativa: quam tamen esse validam putat insuper ex eo, quod juxta *Clementem VIII.* in instructione super Ritibus Græcorum (quæ edita est anno 1595.) dicat: *In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere*; utique per formam eis usitatam, quæ etsi fusior, compendiosè est hæc, aut similis: *Domine remitte, dimitte, condona peccata hujus N. quia tua est potentia, tuum regnum Patris &c.* Nam ultra prælegata, contra facit, quòd *Petrus Arcadius* diligentissimus Græcorum Rituum indagator apud *Morinum suprà* ex ipsis Græcis, ac manuscripto libro idiomatis Ruthenorum deducit formam indicativam (contra quam nil refert *Morinus*, quo suum intentum conficiat) in sensu eamdem cum Latina. Quod autem dicit hanc formam *Michaelis* Patriarchæ Antiocheni, qua usus est erga Theodosium zygomalum, *Mediocritas* nostra *habet veniâ condonatum spiritualem filium suum Theodosium in quibuscumque etiam ipse ut homo deliquit, atque in Deum verbo, opere & cogitatione &c.* respicere absolutionem ab excommunicatione, non solùm gratis dicitur, sed & falsum esse docent vel ipsa verba postrema: cùm ob ea, quæ cogitatione deliquerit, non poterat esse excommunicatus, uti nec ob quævis peccata, sive *in quibuscumque deliquit.* Similes formas indicativas habet *Euchologium Abbatianum*, & *Gabriel* Philadelphus Metropolita, quorum excerpta refert *Morinus* ipse ad Calcem sui Operis. Ut proinde aliæ, quæ deprecationem forte sonant, sint juxta *Arcadium* imperativæ quoad sensum, & concordandæ

dandæ cum forma Ecclesiæ Romanæ, omnium Ecclesiarum Matris ac Magistræ.

QUÆSTIO IV.

Quis sit verus Sensus formæ Absolutionis?

31. *De sensu formæ opinio Magistri erronea refellitur.*

Magister dist. 18. existimavit verba Absolutionis habere hunc sensum: Ego te ostendo seu declaro absolutum. Sed est contra proprietatem verborum formæ, & ipsius Christi Joan. 20. & contra *Tridentinum sess. 14. can. 9.* definiens, absolutionem esse actum judicialem, & non nudum ministerium pronunciandi & declarandi peccata esse remissa.

Altera Hugonis explicatio erronea rejicitur.

Secundò *Hugo de S. Victore* refertur existimasse hunc esse sensum: Ego te absolvo, non quidem à reatu culpæ (quem putabat antecedenter à Deo semper esse remissum) sed pœnæ æternæ. Quod tamen erroneum est: tum quia reatus pœnæ æternæ simul dimittitur cum ipsa culpa mortali, ut docet *Tridentinum*, & traditur in materia de Justificatione: tum quia reatus ille non subest in peccatis venialibus aut confessis. Immo peccata subjici possunt absolutioni, etsi ne quidem reatus pœnæ temporalis subsit.

Tertia aliorum explicatio refutatur.

Aliqui alii dixerunt sensum esse hunc: Ego te absolvo, non quidem à culpis, sed ab obligatione ea subjiciendi clavibus Ecclesiæ. Sed omnino falsum est: tum quia est contra proprietatem verborum formæ & ipsius Christi: tum quia (ut alia omittam) in culpis venialibus vel aliàs confessis non est talis obligatio, & tamen super illas verè profertur forma.

Quarta D. Thomæ improbatur.

Divus Thomas quæst. 84. art. 3. ad 5. dicit sensum esse hunc: Ego tibi impendo Sacramentum absolutionis. Sed est contra proprietatem verborum. Nec est ratio, cur forma hujus Sacramenti potiùs talem sensum efficeret, quàm forma Baptismi hunc: Ego tibi confero Sacramentum Baptismi. Deinde expositio est obscura, imò in ea idem explicatur per idem: cùm adhuc maneat difficultas, quid in ista expositione significet absolutio. Essentque juxta illam verba reflexa supra se, & solùm significarent semetipsa: cùm Sacerdos ex ipso Sacramento Pœnitentiæ solùm ponat verba absolutionis, & per illa Sacramenti effectum.

32. *Quinta Francisci Suarez expenditur.*

Suarez disp. 19. sect. 2. & plures alii sic explicant: Ego, quantùm est in me, tibi confero gratiam remissivam peccatorum tuorum. Et hæc quidem explicatio quoad rem verissima est, cùm de facto saltem fiat remissio peccatorum mortalium, immo in Sacramento etiam venialium, per ipsam gratiam; quæ quatenus per hoc Sacramentum confertur, est remissiva peccati, si adhuc supersit, etsi per accidens aliquando illud non tollat, quia scilicet antea remissum est. Nihilominus verba Absolutionis attentâ significatione propriâ, aut velut naturali (quæ hîc inquiritur) non videntur significare determinatè gratiam: possentque verificari, etsi Deus sine gratiâ peccata remitteret. Deinde non obstante gratiâ ex se remissivâ peccati, possent peccata de absolutâ potentiâ non remitti; tunc autem verum esset dicere: ego confero tibi gratiam remissivam peccati, non autem: ego te absolvo à peccatis. Præterea etiam forma Baptismi habet hunc sensum sacramentalem, quòd scilicet baptizans per eam ministeriali conferat gratiam remissivam peccati: eumdemque sensum haberet pariter alia forma Sacramenti Pœnitentiæ, si Christus eam instituisset, v. g. hæc: Ampliùs noli peccare.

Quare meliùs & simplicius verba intelliguntur hoc modo: Ego quantùm est ex me, condono tibi peccata tua, sive confero tibi remissionem peccatorum, te commissorum. Ita plures Doctores. Ratio est: quin ita sonant verba, & ex iis talem sensum mox erueret, qui intelligit linguam latinam. Consonat etiam idem sensus verbis Christi Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* Quare præcedens sensus est sacramentalis, hic quasi grammaticalis & speculativus. Uti grammaticalis sensus formæ Baptismi est, quòd minister abluat corpus alterius sub invocatione SS. Trinitatis. Cui actioni debitè intentionatæ jungitur significatio practica Sacramentalis.

Petes, quomodo verificetur forma, quando peccata antecedenter sunt remissa, sive per contritionem, sive per præcedentes confessiones, cùm tunc non inveniat, quod per illam remittatur. Resp. adhuc verificari, quia peccata remittuntur quantùm est ex parte ministri, & ipsius formæ, sic operantis circa peccata pœnitentis, ut vi illius tolerentur, si adhuc essent. Inde tamen non sequitur posse dari absolutionem, etsi nulla peccata verè sint remissa: nam absolutio cadit super peccata aliquando commissa velut materiam circa quam, utì & ipsa confessio ac contritio.

Dices: Non verè quis diceret: ego solvo te à vinculis corporeis; si alter jam antea ab iis erat solutus: ergo idem est in præsenti. Resp. Neg. Cons. nam solutio significata in antecedente est physica, adeoque circa objectum physicum & actu existens; cùm tamen illud supponatur ampliùs non existere. In præsenti autem solutio est moralis, quæ communi judicio sufficienter verificatur circa vinculum præteritum, quando est talis actio, vi cujus vinculum tolleretur, si adhuc esset. Sic enim communi judicio debitum adhuc semel dimissum rogati iterum dimittimus. Similiter rem aliàs promissam iterum pro-

mittimus aut vovemus: ac etiam in foro externo ab eodem crimine iteratam absolutionem petimus. Tunc autem potissimùm potest quis solvi iteratò à vinculis præteritis peccatorum, quando datur nova gratia illorum deletiva, prout vi novæ absolutionis datur. Quemadmodum donatio ejusdem rei potissimùm tunc sæpiùs fieri potest, quando per illam semper aliquid novi obtinetur, quo res donata perfectiùs possideatur; ut patet in donatione, quâ datur Spiritus sanctus.

QUÆSTIO V.

An Absolutio Sacramentalis possit dari absenti vel scripto?

OLIM affirmarunt plurimi Doctores præsertim ex familia Dominicanorum, inter quos *D. Antoninus* testatur plurimos Doctores ita sensisse in *Concilio Basileensi*) validè, & ex justa causa licitè inter absentes dari absolutionem, sive per epistolam sive per internuntium, sive saltem propriâ voce absolvendo absentem.

Verùm nec validè nec licitè id fieri, docuerunt ante Decretum *Clementis VIII. D. Thomas* & plurimi alii apud *Suarez* hîc *disp. 19. sect. 3.* & *disp. 21. sect. 4.* Et refertur *Scotus 4. dist. 17. q. 7 n. 32.* ubi (ait *Hugo Cavellus* in Scolia) ad penult. docet non valere Confessionem absenti per scriptum factam, adeoque apertè & à fortiori supponit non valere absolutionem absenti datam. Post Decretum autē id tradunt unanimiter Doctores.

Constat primò ex *Decreto Clementis VIII.* in quo Pontifex (ut uta verbis Decreti) *hanc propositionem (scilicet, Licere per litteras seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minùs ut falsam, temerariam, ac scandalosam damnavit, & prohibuit, ac præcepit, ne umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quovis modo deducatur*; idque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ac Sedi Apostolicæ reservatæ. Ubi omnes quidem intellexerunt per se & principaliter interdictam esse absolutionem in absentia. De Confessione autem quo modo intelligatur, infrà dicetur. Communiter etiam intelligitur prohiberi in quovis casu etiam extremæ necessitatis; ut patet ex verbis: *Ne umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.* Ex quo colligitur, non solùm prohiberi ut illicitam, sed etiam damnari ut invalidam: alioquin enim Pontifex eam non prohibuisset pro casu saltem extremæ necessitatis.

Idem colligitur exemplo aliorum Sacramentorum, quæ (excepto Matrimonio) non possunt ministrari inter absentes.

Denique hoc ipsum requirit forma absolutionis: illa enim ex communi sensu ac proprietate sermonis dirigitur necessariò ad personam præsentem pronomine *Te* expressam. Et quamquam scribens epistolam eodem modo absentem alloquatur; non tamen voce, ut patet: scripto autem data absolutio non valet, ut mox dicetur. *Sacramentorum, Et ex ipsa forma.*

Nec obstant plura veterum exempla, signanter *Gregorii VII.* item *Alexandri III.* quoad S. Thomam Cantuariensem, de absolutione à peccatis absentibus data aut etiam litteris expressa, quæ adfert *Morinus l. 8. c. 25.* qui nihilominus censet modò invalidam post Pontificium Decretum *Clementis VIII.* quasi Pontifex possit Sacerdotibus, uti & quilibet supremus Princeps, cum ferendarum sententiarum ratio dubia est, certam definire & insuper Judicibus suis certas cōditiones sententiis ferēdis apponere, quibus neglectis sententiæ ipso jure irritæ sunt & nullæ. Conaturque suadere in antiquorum exemplis non esse nudam pœnitentiarum canonicarum indulgentiam seu remissionē. Sed nihil solidi allegat. Quin immò *Alexander III.* in litteris suis. *Si igitur*, inquit, *aliquid te recolis commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere, quidquid sit, Sacerdoti, qui discretus & providus habeatur, tibi consulimus per pœnitentiam confiteri. Quo facto & misericors Dominus ..... tibi consuetæ pietatis suæ miseratione dimittet.* Absolvit itaque Pontifex ipsum à suspensione, quam sibi Sanctus propter peccatum intulerat, immò (teste ipso *Morino*) *nullam esse declarat, & ne illam observet, mandat.* Neque fundatum est, quod præter sensum communem tribuat Pontifici facultatem rescindendi ac irritandi formas ex Christi institutione validas: ne alioquin cogamur adstruere, quandoque posse à Pontifice invalidari illam, in qua tamen præcipua Sacramenti vis consistit juxta *Tridentinum sess. 14. c. 3* nimirum. *Ego te absolvo &c* Aliud est in exemplis quæ allegat *n. 18.* in quibus defectu jurisdictionis seu potestatis (quam Ecclesia subtrahit) in Ministro non valet absolutio; v. g. in casibus reservatis, vel dum Sacerdos justâ de causâ est approbatus solùm pro certis locis aut personis. Falsum tamen est (quod subdit fere apud omnes Theologos constare) absolutionem contra mandatum datā non modò illicitam esse, sed etiam invalidam. Falsissimum, inquam, si simplex sit mandatum non tollens jurisdictionem in Ministro, nec impediens debitam dispositionem in Pœnitente, v. g. ignorante prohibitionem. Sanè etsi Auctor iste in Præfatione dicat, *de his omnibus quæstionibus se tantum disputare probabiliter, nihil asserere*; tamen in progressu Operis varia satis paradoxa asserit veluti ex præjudicio vetustatis, cujus eruendæ uti laudandum in Auctore studium, sic improbandum, quòd potiùs conetur suadere differentiam, quam stabilire

37. *Non obstant Exempla Morini.*

Cujus doctrina singularis discutitur.

Ejus protestatio.

bilire obscuræ, vetustatis cum moderno usu (ubi potest) concordiam; maximè cum tanta sit in Romana Ecclesia cura probatæ antiquitatis, ut in Sacramentorum administratione observentur *Apostolicis Traditionibus & SS. Patrum decretis constituti ritus* observentur, ut *Paulus V.* in Rituali Romano præfatur.

38. Non obstat etiam, quod videatur valere absolutio, si dicatur, *Absolvo Petrum*, vel *Absolvatur servus Christi* &c. ut colligitur ex forma Baptismi, quæ valet similiter prolata: locutio autem ista verificari possit circa absentem. Resp. enim non valere, nisi saltem implicitè ratione circumstantiarum, dirigatur ad præsentem, quasi ejusdem allocutio; prout dirigi videtur quando alter est præsens, ut sensus sit: Absolvo hunc, qui vocatur Petrus, sive absolvatur hic servus Christi.

Occurritur alteri Objectioni.

Qualis & quanta præsentia sit necessaria

Qualis autem, & quanta præsentia requiratur, non potest physicè definiri: sed moraliter requiritur tanta, quanta humano modo inter eos, qui invicem alloquuntur. Quamquam non sit necesse, ut pœnitens verba absolutionis audiat: cùm valeat absolutio, etsi Sacerdos, loquatur tam submissè, dummodò verè verba proferat, ut à pœnitente audiri non possit.

39. Quòd verò absolutio omnino necessariò debeat ore proferri, sic ut invalida foret scripto prolata, est certa & communissima Theologorum sententia contra *Paludanum*, *Jonnnem Medina* & quosdam alios antiquiores. Patetque ex *Florentino in Decreto de Armenis*, ubi generaliter docet omnia Sacramenta perfici verbis tamquam formâ, sic ut aliàs non subsisteret Sacramentum, excipitque postea solùm Matrimonium, quod docet regulariter contrahi per verba, eò quòd extraordinariè possit celebrari per alia signa. Unde manifestè colligitur, Concilium loqui de verbis strictè dictis; eaque exigere ad reliqua Sacramenta, quæ non excipit, exceptione firmante regulam in contrarium. Idem docet formam hujus Sacramenti esse *verba absolutionis quæ Sacerdos profert, cùm dicit, ego te absolvo &c.* ubi particulæ *verba quæ profert, cùm dicit*; aperte significant Concilium loqui de verbis ore prolatis. Denique *Tridentinum sess. 14. cap. 3.* docet *Sacramenti pœnitentiæ formam in illis ministri verbis positam esse, Ego te absolvo &c.*

Absolutio ore danda, sic ut scripto data certò non valeat.

Nec obstat, quòd in aliis judiciis possit, aut etiam interdum debeat sententia proferri scripto; nam aliud potuit Christus in hoc judicio, quod ipse de novo instituit, requirere; & de facto requisivisse, patet ex sensu Ecclesiæ, & exemplo ceterorum Sacramentorum; excepto matrimonio, quod elevavit ad statum Sacramenti, nil immutando circa conditiones contractûs naturalis præsuppositi. Quod idcirco more contractuum potest quoque celebrari per nutus vel sub conditione de futuro: secùs quàm absolutio sacramentalis, aut alia Sacramenta.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Contritione, seu Pœnitentiâ interiori, quæ est prima pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ.

Pœnitentia interior quid.

1. EXPEDITIS breviter, quæ de materia hujus Sacramenti generaliter dicenda videbantur, & paucis aliis, quæ formam specialiter concernebant, restant plura dicenda de materialibus hujus Sacramenti partibus in particulari. Et primò quidem de Contritione seu Pœnitentiâ interiori, quæ describitur à *Trid. sess. 14. c. 4. Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.*

Quæ vocis Etymologia.

Idque apposite ad nominis Etymologiam: dicitur enim Pœnitentia quasi pœnæ tenentia juxta *Augustinum* sive potiùs alium Auctorem *l. de vera & falsa Pœnit. c. 19. & Scotum dist. 14. quæst. 1. num. 15* vel quasi punientia; uti pœna est dicta quòd puniat, juxta *Isidorum l. 5. Etymolog. cap 27.* Sicut & verbum *pœnitere* non solùm recognitionem aut mutationem anteactæ vitæ significat (ut apud *Bellarm. l. 1 de Pœnit. c. 7.* contendunt Hæretici, non tam vocis odio, quàm veræ Pœnitentiæ tædio) sed præcipuè dolorem & afflictionem animi, præteritum peccatum in se punientis ac detestantis. Quo sensu dicimus: *Pœnitet me.* Et hoc sensu SS. Patres & Fideles illo nomine semper usi sunt: remque illo significatam velut peccati remedium requisivit Scriptura, dum peccatores ad tristitiam, planctum &c. induxit & exemplo Davidis, Magdalenæ, Petri &c. proponit, qui hoc modo veniam impetrarunt. De quo vide *Trid. sess. 14.* signanter *c. 4.* Unde frivolè Novatores contendunt, resipiscentiam potiùs, quàm Pœnitentiam in scriptura à Latino Interprete verti oportuisse. Quamquàm & ipsa resipiscentia ut salutaris sit, debeat esse Catholicorum pœnitentia, id est, debeat non solùm futura bene proponere, sed etiam mala præterita detestari; juxta illud ipsius *Lactantii* (quem tamen Hæretici pro se allegant) *l. 6. divinar. Institut. c. 24.* dicentis: *Ille resipiscit, quem errati piget, castigatque se ipsum dementiæ, & confirmat animum*

Hæreticorum de ea sententia refertur & refellitur.

suum

sum ad rectiùs vivendum. Quod ipsum Ethnici intellexerunt. Inter quos *Ausonius* Poëta Latinus in Epigrammate de occasione & pœnitentiâ cecinit:

Sum Dea, quæ facili non faclique exigo pœnas:
Nempe, ut pœniteat, sic Metanœa vocor.

Itaque hîc agemus de Pœnitentia interiori, quatenus sumitur pro detestatione peccati commissi, & remedio ad illius remissionem ordinato. Potissimùm autem quatenus est tale remedium in Sacramento Pœnitentiæ, & pars ejusdem. Nonnulla tamen alia simul proponamus, quæ etiam extra Sacramentum convenire possunt Pœnitentiæ perfectæ: reliquis, quæ illam eatenus concernunt, in materiam de Justificatione rejectis.

QUÆSTIO I.

An Contritio, seu Pœnitentia interior sit possibilis, ac necessaria, & quando?

DICO I. Omni peccatori viatori interior Pœnitentia est utilis ac salutaris; & quilibet, si ritè Pœnitentiam agat, potest Deo reconciliari. Est certissimum de fide. Et patet ex Scriptura, quæ indifferenter omnes peccatores invitat ad Pœnitentiam, & per eam ad veniam, quam pœnitentibus promittit. Narrat etiam hac de re exempla hominum antea valde impiorum. Et ad hoc in lege nova dedit Christus generalem Sacerdotibus super omnia peccata potestatem. Idem est definitum in pluribus Conciliis, & inculcatur passim à Patribus, quorum aliqui ex professo contra oppositum errorem scripserunt. Idem denique confirmatur perpetuo Ecclesiæ usu, ac Fidelium sensu. Ex quibus etiam constat Pœnitentiam, si ritè adhibeatur, habere utilitatem certam, sive infallibiliter Deo reconciliare. Fundamentum à priori est divina misericordia. Etsi enim Deus potuisset nobis, utì angelis peccantibus, non dare locum pœnitentiæ; ex sua tamen benignitate dare voluit, ideoque Redemptorem ad nos misit.

Dices: *ad Hebr.* 12. de Esau dicitur: *Non enim invenit Pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Et 2. *Machab.* 9. dicitur de Antiocho: *Orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Et *Matt.* 12 ac *Marci* 3. dicitur, peccatum seu blasphemiam in Spiritum sanctum non remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Denique 1. *Joan.* 5. dicitur: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.*

Resp. Esau non invenisse locum Pœnitentiæ paternæ, ut scilicet pater ipsius benedictionem fratri datam rescinderet, ac in ipsum transferret; utì satìs docet contextus: nam immediatè præcesserat: *Scitote enim, quoniam & postea cupiens hæreditare*, seu consequi, *benedictionem, reprobatus est*, id est, repulsam passus est à Patre nolente benedictionem ei, tamquam primogenito impertiri, sed de Jacob ad Esau dicente *Gen.* 27. *Benedixi ei, eritque benedictus*; q. d. non mutabo sententiam, quod feci, feci. Quòd si ly *Pœnitentiæ* quis referret ad ipsum Esau, sensus esset, quòd non invenerit locum, id est, fructum seu effectum suæ pœnitentiæ, quam habebat de venditis primogenitis & amissâ benedictione, *quamquam cum lacrymis inquisisset eam*, supple, benedictionem primogeniti. Quòd si denique quis præter scopum Scripturæ contenderet, hîc esse sermonem de pœnitentia in ordine ad remissionem peccati, adhuc non mirum foret, quòd pœnitentia Esau, utpote imperfecta, & affectui fratricidii conjuncta (ut patet ex *Gen.* 27.) non invenerit locum, sive fructum remissionis, quamdiu talis permansit. Quàmvis alioquin non constet Esau esse damnatum, & non potiùs post fraterni odii depositionem Deo esse reconciliatum ac salvatum.

Ad Antiochum quod attinet, is petebat liberari à pœna mortis temporalis. Addit *D. Thomas q. 86. art. 1. ad 1.* pœnitentiam Antiochi fuisse imperfectam; cùm solùm doleret ob infirmitatem corporalem. *Respondetur ad exemplū Antiochi.*

4. *Quid intelligatur per peccatū in Spiritum sanctum, neque hic neque in futuro remissibile.*

Per peccatum in Spiritum sanctum Nonnulli intelligunt impœnitentiam finalem. Sed meliùs cum *Chrysostomo* & plerisq; aliis intelligitur peccatum blasphemiæ, quâ opera Spiritûs sancti, id est, divinæ bonitatis & gratiæ, tribuuntur spiritui immundo (utì Judæi tribuebant) quæ non remittetur, hoc est, valde difficulter & rarò; idque ob extremam malitiam: cùm per illud peccatum oppugnetur directè id, quo ad pœnitentiam iumus perducendi, scilicet divina bonitas, propter quam offensam est pœnitendum.

Quid significetur per peccatum ad mortem.

Denique quod Joannes Apostolus dixit de peccato ad mortem, optimè explicatur (ut alias suppositiones omittam) de peccato mortali finali, cum quo quis moritur.

5. *Peccator omnis, an pœnitere salutariter possit, remissivè.*

Quàmvis autem omnes Catholici fateantur pœnitentiam esse infallibiliter salutarem cuivis peccatori, si illam adhibeat: fuerunt tamen pauci, qui existimarunt gratiam ad salutariter pœnitendum non omnibus peccatoribus dari, sed quibusdam absolutè à Deo negari. Quod etsi de gratia efficaci certum sit: tamen intellectum de gratia sufficienti, saltem remotè, rejicitur à Doctoribus communiter. Idque intelligendum est etiam de illis, quos Scriptura appellat obduratos. Vide dicta in *Tract. de Gratia d. 3. q. 4.* & *Smising Tract. 3. disp. 6. q. 4.* signanter *n. 164. & seqq.*

6. *Pœnitentia*

DICO II. Pœnitentia interior convenit omni viatori, qui aliquando actualiter peccavit:

locum habet in omnibus, qui aliquâdo actu peccarunt.

cavit: est autem necessaria omnibus, qui commiserunt peccatum mortale. Prima pars patet: quia sive quis peccaverit mortaliter, sive venialiter tantùm; & sive peccata sint ei remissa, sive non, potest equidem pœnitere ac peccata præterita detestari, utì etiam confiteri; idque tum ad majus meritum; tum ad abundantius peccati remedium, & satisfactionem pro pœna temporali.

7. *Et in via sunt. An etiam in Beatis.*

Dixi, *Viatori*: nam peccatoribus damnatis, utpote in malo obstinatis non convenit Pœnitentia. Beatis autem, qui aliquando in vita peccaverunt, convenit quidem detestatio præteritorum peccatorum; tamen sine dolore & pœnalitate, & non tamquam remedium peccati. Quo posteriori modo etiam non convenit animabus in purgatorio, etsi cũ dolore peccata detestari possint.

Non convenit perfectè innocentibus, aut soli Originali subjectis,

Dixi etiam *qui aliquando actualiter peccavit*: nam innocentes, utì B. Virgo, vel qui solum originale contraxerunt, non possunt detestari seu retractare peccata commissa, nec verè dicere, me pœnitet feciſſe. Quàmvis peccatum originale possit esse objectum doloris, quo quis doleat se illud contraxisse; & similiter dolere possimus de peccatis alienis, eorumque destructionem procurare. Qui quidem affectus est pœnitentiæ affinis; quàmvis isto nomine non soleat appellari: quod pertinet ad quæstionem de voce.

Est necessaria iis, qui mortaliter peccarunt.

Secunda pars patet: quia Scriptura ubique inculcat peccatoribus pœnitentiam tamquam remedium necessarium *Ezech.* 18. *Lucæ* 13. & alibi. Quod etiam faciunt Patres, & docet *Trid. sess.* 14. *c.* 1. & 4.

8. *Tum necessitate medii,*

Dico III. Pœnitentia interior est peccatoribus necessaria, tum necessitate medii, tum necessitate præcepti, & quidem ex suppositione naturalis. Est communis.

Prima pars patet: quia sine pœnitentia non contingit peccatorẽ justificari, ac proinde nec salvari: adeò ut qui impœnitens moreretur, damnandus foret, etsi ob ignorantiam vel oblivionem non committeret novam culpam omittendo pœnitentiam.

Tum necessitate præcepti.

Secũda pars patet: quia dum præceptus est finis, etiam præceptum est medium necessarium. Deinde ad salutem sufficit servare mandata, ergo pœnitentia est unum ex mandatis: cùm sine ea non sufficiant cetera ad salutem.

9. *Et quidem naturalis ex suppositione.*

Tertia pars probatur: quia supposito statu & ordine supernaturali, ac insuper decreto Dei de non admittendo alio peccati remedio; sequitur ex natura rei peccatorem obligari ad pœnitentiam. Idque tum ex obligatione charitatis Dei, quem sicut obligamur diligere & amicum habere, sic quoque offenso reconciliari: tum & clarissimè ex charitate sui, ex qua sicut obligamur nobis ipsis; in necessitate corporali succurrere; ita, & quidem potiùs, in tanta necessitate spirituali. Addunt *Suarez*, *Præpositus* cum pluribus aliis, specialem obligationem ex particulari virtute Pœnitentiæ, quæ inclinat ad satisfaciendum Deo pro offensa sive injuria ei illata; quam tamen obligationem *Vasquez*, *Coninck*, & alii non agnoscunt. Sed saltem hæc obligatio non caret magnâ probabilitate: cùm naturalis ratio dictet, debere nos humiliari coram summo Principe, quem graviter offendimus, ab eoque veniam petere offensæ.

Petes: an igitur impœnitentia finalis sit peccatum speciale? Diversi diversimodè loquuntur. Breviter Resp. Aff. quando scilicet est expressè aut interpretativè volita. Quare voluntariè moriens in peccato mortali, committit insuper speciale peccatum contra eam obligationes præmissas pœnitendi. Frequẽter tamen non est speciale peccatum formale: sive quia mors hominem de hac obligatione non cogitantem præoccupat; sive quia homo bonâ fide se pœnituisse credit. Aliàs talis habet explicitam aut interpretativam voluntatem Deo se numquam submittendi aut reconciliandi; adeoque æternæ inimicitiæ divinæ, perpetuæque damnationis, malorumque inexplicabilium ac irreparabilium eam consequentium. Hæc verò malitia non est in quovis peccato mortali; cùm non adsit semper præfata voluntas, sed potiùs opposita, periculumque moriendi in malo statu ac damnationis plerumque non sit propinquum vel grave.

Dico IV. Præceptum interioris pœnitentiæ non obligat peccatorem, ut quàm primùm moraliter fieri potest, pœnitat. Est communis Doctorum contra varios antiquiores. Probatur ex sensu Fidelium, qui non putant se novæ culpæ reos esse, si non statim post cõmissum peccatum pœnitentiã agant: neque solent de ejusmodi peccato se in confessione accusare: neque solent confessarii aut pastores illis hoc præceptum proponere. Deinde hæc obligatio esset valde onerosa; adeoque cùm de ea non satis constet, non est imponenda. Præterea aliàs vix umquam liceret peccatori absque suppositione novi peccati confiteri cum sola attritione: cùm inter peccatum & confessionem regulariter mediet tempus, quo debuisset elici contritio justificativa. Sanè Ecclesia olim adultis non conferens Baptismum extra duo tempora, haud supponebat Catechumenos regulariter esse justos ante susceptionem Baptismi; quod utique supponere debuisset, aut certè illos interim graviter peccasse defectu obtentæ per contritionem charitate perfectam (quæ juxta oppositam doctrinam elici debuisset) reconciliationis cum Deo seu remissionis peccatorum. Difficile denique est, quomodo (ut arguit *Arriaga d.* 18. *n.* 9.) ex opposita doctrina non sequatur, semper de novo peccare aliquem, quousque non elicuerit sufficientem pœnitentiam, adeoque; in confessione

ne explicandum esse tempus, à quo mortale fuit commissum, & quoties se homo reflexit supra illud seu statum suum: quod planè ab omni praxi alienissimum est.

Objicitur I. *Eccl.* 5. dicitur: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Resp. ibi contineri salubertimum consilium (quod etiam Patres frequentissimè urgent) ne homo à morte præventus in peccatis moriatur. Aliquando etiam Scriptura exhortans ad conversionem, urget, ut peccatores desistant à peccatis actualibus; ut *Isaiæ* 65. *Ieremiæ* 8. *Ezech.* 33.

Objicitur II. Infirmus tenetur statim adhibere remedium ad sanitatem corporalem conducens: ergo multò magis peccator, tamquam spiritualiter infirmus, tenetur statim adhibere remediũ Pœnitentiæ. Resp. Neg. Ant. in casu quo potest corporalis curatio absq; notabili periculo vel detrimento differri; utì differri potest curatio spiritualis.

Objicitur III. Ex præcepto charitatis obligamur corripere proximum primâ datâ opportunitate: ergo multò magis emendare nosmetipsos. Resp. Antecedens tantùm esse verum in casu, quo est periculum, ne proximus relabatur, aut alioquin in malo statu moriatur, vel in casu quo postea non esset futura corripiendi opportunitas. Quando autem horum aliquid subest in ipso peccatore, tenetur etiam statim pœnitere: sed hoc est per accidens.

Objicitur IV. Qui non resurgit statim à peccato exponit se periculo iterum peccandi, & in peccatis moriendi, ergo &c. Resp. ista pericula esse remota, qualia non tenetur homo sub gravi culpa vitare. Quòd si tamen adesset periculum in aliquo manifestum, v. g. peccandi de novo, nisi pœniteat, tenebitur pœnitere: sed hoc est quoque per accidens. Vide dicta *disp.* 2. *de Necess. grat. n.* 26.

Objicitur V. Numquam licitum est peccare; ergo nec in peccato permanere. Resp. Dist. Con. in peccato actuali. Conc. conseq. in peccato habituali, neg. conseq. cùm hoc nihil sit aliud, quàm differre pœnitentiam; quod esse prohibitum, deberet ostendi.

Objicitur VI. qui proximum læsit in bonis fortunæ vel famæ, tenetur statim restituere: ergo etiam peccator, qui Deum læsit peccando, tenetur statim per pœnitentiam satisfacere. Resp. Neg. Cons. nam homo tam diu censetur lædi per detentionem rei sibi utilis (hæc enim detentio ipsi continuò nocet) donec illi restituatur: Deus verò non censetur continuò lædi, cùm nihil per peccatum ei auferatur, cujus indigeat, vel cujus privatione damnificetur. Deinde dilatio restitutionis in humanis ideo est mala, quia dominus censetur continuò invitus: cujus oppositum si rationabiliter præsumatur, non erit dilatio statim peccaminosa. Deus autem non exigit statim sibi fieri à nobis satisfactionem, volens nostræ condescendere infirmitati. Quod rationabiliter præsumitur, tum quia ipse inde non patitur, uti homines, tum quia sic habet communis sensus Fidelium. Si autem tale fuisset peccatum, quo quis læsisset quasi Dei famam, sive divinum cultum, aut circa fidem aut circa mores; teneretur statim hoc quasi damnum reparare. Posset tamen hoc facere, etiamsi non ageret perfectam pœnitentiam, qua consequeretur remissionem peccati: sicut inter homines potest debitor restituere sine perfecta pœnitentia. Et ad hoc homo teneretur, non ex obligatione communi pœnitentiæ, sed alterius virtutis exigentis talem reparationem. Addunt aliqui præceptum de restitutione sive satisfactione inter homines esse negativum, quod obligat ad semper, ne quis maneat in statu offensionis cum proximo: sed præceptũ pœnitẽtiæ esse affirmativum, obligans pro certo tempore.

An autem vel quare infidelis fide sufficienter propositâ teneatur potiùs statim credere, ut Theologi passim admittunt, quàm peccator pœnitere, explicandum est in materia de Fide, *disp.* 7. *q.* 6. *n.* 76.

15. *Obligat peccatorem in periculo vitæ ac perpetuæ amentiæ.*

Dico V. Certum est obligare præceptum pœnitentiæ peccatorem in periculo vitæ & perpetuæ amentiæ: nisi enim tunc fiat pœnitentia, non supereſt tempus quo fiat. An verò etiam alio tempore obliget per se & secluſis extrinsecis, dubitatur. Negat *Navarrus*, *Vasquez* & alii, eò quòd charitas Dei & sui non plus videatur exigere, quàm pœnitentiam fieri in extrema necessitate. Verùm sicut præceptũ charitatis Dei juxta communiorem opinionem non tantum in fine vitæ, sed etiam sæpiùs in vita obligat; sic quoque videtur obligare pœnitentia, ut peccator non possit valde diu illam differre, vel usque ad ultimum vitæ. Et sanè minùs credibile, ac valde rationi dissonum apparet, licere peccatori per totam vitam, aut tempore valdè diuturno manere in peccato, quàmvis non committeret alia nova peccata. Ita *Henriquez*, *Cominck*, *Lugo*, qui testatur communiorem esse sententiam. Quandonam autem intra vitæ cursum teneatur peccator ex natura rei ad pœnitentiam, difficile est determinare, nec conveniunt Doctores, utì in similibus indeterminatis solent; nam aliqui determinant tempus quinq; vel sex annorum alii tempus trium vel quatuor annorum, alii adhuc minus. Satis equidè providisse videtur Ecclesia determinando annuam confessionem: quam si peccatores debitè instituant, non est periculum in obligatione pœnitentiæ deficiẽdi.

An & quando adhuc.

Nota pro praxi.

16. *Quando per accidens obliget hoc præceptum.*

Nihilominus quandoque per accidens obligatur peccator ad pœnitentiam, v. g. ratione susceptionis aut ministrationis Sacramenti, vel quando alioquin peccator existimat se lapsurum in novum peccatum. Addunt aliqui tempus gravis & communis necessitatis. Sed vix potest casus occurrere,

rere, juxta *Suarez*: & si occurreret, obligaret tantùm ex communi charitate erga communitatem. Addunt præterea alii alios casus: sed sine fundamento.

17. *An justificatus per solum actum dilectionis teneatur postea elicere actum formalem pœnitentiæ.*

Petes: an si quis esset justificatus per pœnitentiam virtualem, scilicet dilectionem Dei super omnia, obligetur postea adhuc elicere pœnitentiam formalem & explicitam? Resp. probabilius Neg cum *Vasquez*, *Præposito* & aliis contra *Vega*, *Suarez* & alios: nam pœnitentia videtur solùm esse in præcepto in ordine ad obtinendam à Deo veniam seu remissionem peccatorum; quæ supponitur in casu quæstionis.

An quoties justo peccatorum memoria incidit, debeat pœnitere.

Multò minùs obligatur peccator jam justificatus pœnitentiam repetere toties, quoties peccata postea memoriæ occurrunt tam quam detestabilia, ut docent Doctores communiter contra varios antiquiores. Quàmvis enim hoc sit optimum consilium, nullum tamen adfertur istius obligationis fundamentum: nec fideles aut confessarii communiter de hoc sunt anxii. Per primam denique pœnitentiam reconciliativam satisfactum est fundamentis, ex quibus nascitur obligatio pœnitendi.

18. *Quæ pœnitentia sit in præcepto.*

Ex dictis colligitur illã pœnitentiam esse in præcepto, quæ requiritur & sufficit ad remissionem peccatorum. Unde constat olim fuisse requisitam contritionem perfectam; cùm videlicet peccatoribus non suppeteret aliud medium ordinarium ad impetrandam peccatorum remissionem. At quia in lege nova sufficit attritio, etiam cognita, cum Sacramento ad impetrandam veniam (ut infrà dicetur) sequitur eamdẽ sufficere cũ Sacramento ad implendum præceptũ pœnitẽtiæ.

Olim contritio perfecta. In lege nova saltem attritio.

19. *An hæc sufficiat cum Sacramento in articulo mortis controvertitur.*

Dubitatur tamen, an attritio cum Sacramento sufficiat in articulo mortis? Nam hoc negat *Suarez*, *Præpositus* & plures alii, putantes peccatorem tunc obligari ad contritionem, saltem ex charitate sui ipsius, ut securissimè saluti provideat: maximè cùm non sit omnino certum, attritionem cognitam sufficere cum Sacramento ad justificationem: major autem probabilitas nequeat occurrere damno irreparabili, quod sequeretur, si illa opinio à parte rei esset falsa. Et pro praxi quidem hoc saltem consultissimũ est; utì etiam, quòd pluribus & sæpè repetitis mediis homo saluti prospiciat in tali articulo, in quo agitur de negotio jam jam instantis æternitatis. Attamen sufficit absolutè certitudo moralis, qualis in rebus humanis exquiritur, de recuperatione divinæ amicitiæ: ad quam sufficere attritionem cum Sacramento videtur moraliter certum, ut patebit ex infra dicendis. Alioquin contritione semel elicitâ, non est quis magis certus, quòd perfectam contritionem habuerit; & tamen ad illam identidem repetendam non obligatur. Posset quidem peccator in fine vitæ esse obligatus ad perfectam Dei dilectionem, idque ratione præcepti charitatis Dei: quo tamen similiter obligaretur is, qui numquam peccavit. Ita *Lugo*, & varii Recentiores. Aliàs si non foret moraliter certum attritionem sufficere, clarum esset obligari peccatorem pro tali articulo ad certum remedium contritionis perfectæ. Eò magis, quòd accedat aliunde non certò constare peccatori de absolutione Sacerdotis, an is verè sit sacerdos, vel an verè absolverit: forte enim alterutrum fingit (quòd soli absolventi constat) vel forte est invalidè ordinatus; quod insuper aliunde dependet. Ad hæc tamen responderi posset, constare peccatori id sufficienter, nempe certitudine morali. Nihilominus inde satis patet, quàm sit saltem consultum in isto articulo conari ad perfectam, immo & iteratam cordis contritionem.

Judicium auctoris.

QUÆSTIO II.

De Efficacia, Appretiatione & aliis conditionibus necessariis pœnitentiæ reconciliativæ.

DICO I. Requiritur ad reconciliationem pœnitentia, quæ sit detestatio peccati efficax. Patet ex Scriptura, quæ passim requirit, ut impiùs derelinquat vias suas, avertat se ab injustitiis suis, easque à se projiciat: quæ planè significant detestationem debere esse ita efficacem, ut per illam voluntas absolutè fugiat omnem offensam Dei. Et *Trid. sess. 14. c. 4.* docet de contritione imperfecta, eam tunc demum disponere in Sacramento ad remissionem peccatorum, si voluntatem peccandi excludat. Ratio est: quia cum affectu inefficaci potest consistere voluntas de cetero peccandi; immo & affectus inefficax seu complacentia circa peccata commissa.

Potest autem considerari efficacia actûs pœnitentiæ, partim circa præterita, partim circa futura. Et circa futura quidem debet esse absolutè efficax velut in actu primo: cùm debeat esse absoluta voluntas de cetero servandi mandata, & Deum non offendendi mortaliter. Quod etiam expressêrunt *Florentinum*, & *Tridentinum*, dum ad contritionem requirunt *propositum non peccandi de cetero*. Circa præterita verò appareret difficultas: cùm enim ad præteritum non detur potentia, non videtur circa illud posse efficaciter versari voluntas. Ideoque hoc non debet ita intelligi, quasi possit aut debeat homo absolutè velle facere, quòd non peccaverit: hoc enim stultum esset juxta *D. Thomam*. Debet ergò circa præterita peccata elici talis displicentia vel detestatio, quâ peccator sic abominatur peccatum, ut si res esset integra, faceret peccatum tale vel tale non esse commissum, seu

seu non fuisse committendum, & hic affectus explicatur per has & similes propositiones, *Vellem non peccasse, Vtinam non peccassem, Heu mihi, displicet mihi, Pœnitet me, quòd Deum offenderim.* Eliciturque aliquando per modum fugæ, & aversionis à peccato; aliquando per modum prosecutionis, quæ habet pro objecto, non peccasse. Estque indifferens, utrovis modo eliciatur: quàmvis frequenter unus alterum concomitetur, & ex prosecutione nascatur fuga. In omnibus præterea consequitur passio doloris, sive afflictio quædam & molestia animi, quæ etiam frequenter redundat in portionem sensitivam. Quàmvis propria contritionis seu pœnitentiæ essentia potiùs consistat in actu.

22. Dico II. Pœnitentia ad remissionem peccatorum requisita debet esse cum proposito non peccandi de cetero: sufficit tamen propositum implicitum & virtuale contentum in ipso actu detestationis seu contritionis. Prima pars est certa ex *Florentino & Tridentino* mox citatis. Patet etiam ex Scriptura exigente novam vitam, & custodiam mandatorum; utique in proposito. Idem tradunt Patres & Doctores communiter.

Secunda pars est *Navarri, Vega, Vasquez, Trapositi*, & plurium aliorum contra *Suarez* & alios. Probatur: quia vera peccatorum detestatio virtualiter continet propositum non peccandi, utpote incompossibilis cum affectu peccati: ergo non est ratio, cur insuper requireretur aliud propositum explicitum; præsertim cùm detestatio charitate perfecta sit proxima ad gratiam dispositio, eamque ipso instanti secum adferat. Confirmatur: quia fieri potest, ut detestans peccata non cogitet de illi in posterum vitandis, vel certò sciat se jam moriturum: non videtur autem dubitandum, quin talis justificabitur, etiam sine expresso proposito non peccandi.

23. Nec obstant Concilia, Patres & Theologi, dum requirunt propositum non peccandi: non enim requirunt propositum explicitum, sed sive illud sit explicitum, sive virtuale; quod posterius est. Unde *Trident. sess. 14. c. 4.* loquens de contritione imperfectâ, solùm requirit, ut voluntatem peccandi excludat: ad quod non requiritur propositum expressum, ut patet. Fatendum tamen, vix posse deesse expressum non peccandi propositum, si perfectè pœnitenti talis cogitatio practicè occurrat. Ad quod etiam in praxi est laborandum, tum quia est tutius & securius justificationis remedium: tum quia propositum expressum est magnum veræ pœnitentiæ signum.

24. Dico III. Ad pœnitentiam reconciliativam non requiritur certa perfectio intensionis aut durationis, sed sufficit appretiativa. Ita communiter Doctores contra paucos. Probatur: quia in quavis intensione & duratione habetur tota perfectio entitativa actûs. Deinde non potest certa intensionis aut durationis mensura cum fundamento statui. Denique dum Scriptura postulat contritionem ex toto corde, intelligenda est de dolore appretiativè summo; sicut dum præcipit dilectionem Dei ex toto corde, intelligitur de dilectione appretiativè summâ.

Hæc autem appretiatio consistit in eo, quòd sicut Deus est super omnia diligendus, ejusque amicitia cunctis creaturis est præponenda, quia est summum bonum; ita peccatum sit super omnia mala fugiendum, quia est summum malum: adeò ut si talis pœnitentiæ actus in voluntate perseveret, & contingat quodcumque aliud incommodum repræsentari, futura sit parata subire potiùs quodvis detrimentum, quàm consentire in peccatum: etsi frequenter fiat, ut ob repræsentationem alterius objecti voluntas à suo proposito deflectens in peccatum consentiat. Estque hoc intelligendum de quocumque malo etiam pœnæ inferni: quam homo potiùs subire deberet, utpote minus malum, quàm culpam. Quàmvis attritio concepta ex metu inferni non detestetur peccatum plùs quàm ipsum infernum, juxta *Aversa q. 2. sect. 10.* quæ tamen cum Sacramento est utilis ac salutaris, ut infrà dicetur.

25. *In quo hæc cõsistat, declaratur.*

26. *Aliqua Expressa comparationes sunt periculosa imperfectis in Charitate.*

Adverte tamen non necessariò debere institui expressas ejusmodi comparationes, quæ fragilioribus periculosæ essent: sufficit enim talis præferentia implicita, quæ in actu efficaci ob tale motivum elicito involvitur. Quàmvis comparatio ista sit valde laudabilis, ac legitimæ pœnitentiæ signum.

27. *Majora peccata sunt appretiativè magis detestanda;*

Dico IV. Pœnitentia, saltem implicitè, debet esse appretiativè major de peccatis gravioribus, quàm de levioribus. Patet: quia unumquodque est detestandum juxta suum gradum malitiæ: & in gravioribus est major ratio detestandi.

Implicitè Dixi: nam qui verè detestatur peccata, eo ipso magis detestatur illa, in quibus est major detestandi ratio. Immo vi ipsius contritionis ita censetur affectus, ut si necesse foret alterutrum è duobus operibus prohibitis eligere, potiùs eligeret quod est minus.

Implicitè scilicet.

28. *Non necessariò explicitè.*

Non est tamen necesse comparationem inter peccata facere, ut illa explicitè juxta comparationem factam detestemur: cùm non sit necesse gravitatem singulorum scire inter se ponderare, immo nec illa in memoriam sigillatim revocare, aut distinctè de illis conteri, ut mox dicetur. Qui equidem comparationem illam faceret, & juxta eam de peccatis doleret, deberet de graviori magis dolere: si enim magis detestaretur levius, implicitè præ illo approbaret gravius, esset que paratus committere potiùs gravius, quàm levius; quod est inordinatum. Immo si comparatio fieret inter mortale & veniale, indubiè ista inversio esset mortalis. Quando autem fit comparatio inter morta-

Qui inter propria peccata comparatione factâ levius peccatum præ gravi detestantur, peccavet; & quomodo.

lia, quorum utrumque quidem detestatur, mallet tamen se commisisse quod est majus, v. g. homicidium, quàm minus, v. g. furtum, *Henriquez*, *Sotus* & Nonnulli alii putant esse tantùm veniale. Quod etsi verum esse possit, quando inter utrumque mortale non est notabilis excessus: secùs tamen est juxta Doctores communiter, si excessus fuerit notabilis: nam qui mallet se commisisse duo mortalia, quàm unum ejusdem gravitatis, peccaret moraliter; ergo etiam mortaliter peccat, qui mallet se commisisse peccatum longè gravius, quod duplici æquivalet. Confirmatur: quia casu quo alterutrum è duobus esset committendum, eligens majus peccaret moraliter; ergo etiam is qui peccatum longè minus detestatur appretiativè plùs quàm peccatum majus, malletque se majus commisisse.

29. *Facta comparatione inter propria & aliena peccata, ista sunt præ his, etsi gravioribus, detestanda.*

Quæ diximus, intelligenda sunt, si fiat comparatio inter peccata propria, graviora & leviora: nam si fiat comparatio inter peccata propria & aliena, debemus magis detestari propria, etiam venialia, quàm mortalia aliena: cùm ne quidem ad avertenda peccata totius mundi possit eligi vel minimum veniale. Confirmatur: quia charitas Dei nos obligat, ut magis fugiamus, quod Deus magis à nobis vitari desiderat, licèt aliud malum ipsius sit simpliciter gravius: Deus autem magis desiderat, immo præcipit, ut non faciamus verum peccatum, etiam minimum, ut alienum quodcumque vitetur.

30. *Pœnitentia reconciliativa debet esse de omnibus mortalibus.*

Dico V. Pœnitentia reconciliativa debet esse aliquo modo de omnibus peccatis mortalibus: sufficit tamen, quòd in generali, absque distincta & explicita recogitatione ac detestatione singulorum. Prima pars est certa. Patet ex Scriptura, quæ indicit pœnitentiam de omnibus peccatis, ut *Ezechielis* 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis* &c. Ideoque SS. Patres falsam dicunt esse pœnitentiam, quæ non est de omnibus peccatis, ut ex *Augustino* seu potiùs alio Auctore apud ipsum *l. De vera & falsa pœnitentia c.* 9. refertur *can. Sunt plures* 42. *dist.* 3. *de Pœnitentia*. Et ex *Innocentio II. can. Fratres nostros dist.* 5, ibidem. Ratio est: quia peccatum, de quo non habetur pœnitentia, non remittitur: unum autem mortale non remittitur sine altero; ac etiam unicum sufficit ad inimicitiam cum Deo.

31. *Potest dari alioquin Pœnitentia bona, qua non est generalis.*

Adverte, posse dari pœnitentiam, etiam bonam, quæ non est generalis de omnibus peccatis, quando videlicet motivum pœnitendi non est omnibus generale. Sic potest quis rectè & efficaciter dolere de homicidio ob specialem illius turpitudinem, etsi non doleat de aliis peccatis, immo etsi illis de facto per affectum inhæreat. Quando autem motivum pœnitendi est generale, tunc, saltem regulariter, qui efficaciter dolet de uno peccato mortali, dolet etiam implicitè & virtualiter de aliis: v. g. qui de luxuria dolet, quia summum bonum graviter offendit, dolet etiam implicitè de omni alio mortali peccato, nec potest cum tali dolore complacentia ullius peccati mortalis consistere. Idem est, quando quis de uno dolet, quia meretur pœnam æternam. Ratio est: nam qui aliquod objectum vult, efficaciter quantum potest, aversatur omnia cum tali objecto incompatibilia. Sicut qui detestatur unum vulnus lethale, detestatur implicitè omnia; cùm detestando unum, intendat absolutè conservare vitam; ad quod requiritur absentia omnis vulneris lethalis. Non est quidem necesse, ut qui ob divinæ bonitatis offensam detestatur peccatum mortale, detestetur etiam venialia, utpote per quæ non dissolvitur divina amicitia: sicut qui amat Deum super omnia, simul potest retinere affectum erga veniale peccatum. Consulendum autem omnino est, ut etiamsi quis non recordetur nisi unius vel alterius peccati seu criminis, eliciat tamen pariter contritionem generalem etiam de aliis, præsertim oblitis, ut reconciliatio etiam in Sacramento sit securior.

Secunda pars est communis Doctorum hoc tempore, contra Nonnullos, qui significarunt requiri de singulis peccatis distinctum dolorem (quam sententiam *Cajetanus* appellat ridiculam, & Doctores passim ut improbabilem refellunt) & contra *Sotum*, *Canum* & quosdam alios docentes, pœnitentiam debere elici explicitè & distinctè, etsi non in distinctis actibus) de omnibus peccatis in specie & numero, quorum post sufficiens examen potest peccator recordari. Sed hæc, etsi consultissima & à Patribus commendata, non sunt simpliciter necessaria: nisi quòd confessioni debeat præmitti diligens examen juxta *Trid. sess.* 14. *c.* 5. non ut eliciatur contritio, sed ut fiat debita de singulis confessio.

Probatur itaque Conclusio quoad secundam partem: quia ex nullo capite offendi potest, quòd aliquid amplius sit necessarium. Aliundè autem constat sine distincta recogitatione, & peccatorum recogitatorum explicitâ ac distinctâ detestatione, posse elici dolorem efficacem de omnibus peccatis, etiam ex motivo charitatis Theologicæ, qui quidem dolor sit incompossibilis cum omni mortali, habeatque omnem perfectionem detestationis explicitæ. Deinde etsi futurna recogitatio præcesserit, sæpè tamen est moraliter impossibile, in puncto contritionis ac justificationis esse cogitationem omnium peccatorum, si hæc sint nimis multa & varia: adeòque tunc solùm potest esse pœnitentia de illis quatenus in confuso consideratis. Denique illa vitæ anteactæ recogitatio sæpè requirit longam temporis moram; cùm tamen

tamen perfecta ad Deum conversio possit etiam in magnis peccatoribus fieri brevissimo tempore, ut patet in Latrone, Zachæo & aliis.

QUÆSTIO III.

De Necessitate seu Sufficientia Contritionis, etiam imperfectæ, seu Attritionis cum Sacramento.

NOta duplicem à *Tridentino sup. c.* 4. pœnitentiam seu contritionem assignari: unam perfectam, quæ etiam Contritionis nomen simpliciter retinet: aliam imperfectam, quæ Attritio dicitur. Idque accommodè ad ipsas voces: nam sicut contritio realis perfectam denotat (ut sic dicam) tritionem & comminutionem rei, attritio autem inchoatam & imperfectam: sic perfecta contritio voluntatis cor peccatis induratum confringit & perfectè peccata comminuit, attritio autem solùm inchoativè.

Describi autem potest contritio perfecta, quòd sit detestatio peccati, quatenus est summum malum & offensa summi boni super omnia amabilis; Vel (ut alii passim) super omna dilecti. Quod aliqui Doctores sic intelligunt, ut ad contritionem putent necessariò prævièconcurrere expressum & distinctum actum dilectionis Dei. Sed quàmvis verum sit, quòd frequenter ita contingat, aut natum sit contingere; eò quòd odium mali soleat procedere ex amore boni oppositi: non apparet tamen, cur malum voluntati propositum non possit primò movere voluntatem ad illius fugam, etsi non præcesserit distinctus actus prosecutionis boni. Et alioquin ipsa contritio est actus, esto secundarius, charitatis Theologicæ; quæ sicut inclinat ad amandum Deum & bonum ipsius, sic etiam ad odiendum mala opposita ex eodem motivo. Et hoc sensu *Tridentinum suprà* contritionem docet aliquando esse charitate perfectam, non solùm quia oritur ex amore Dei prævio, sed quia ipsa quoque contritio est charitatis actus, & procedit ex illius motivo. Ad praxim quod attinet, possumus esse securi hoc dolore elicito, quia eo supposito credi potest, non deesse actum Charitatis, si is tam naturaliter præcedat; aut certè, non esse necessarium.

36. De hac porrò contritione, utpote perfectissimâ possibili, non est dubium, quin sufficiat ad reconciliationem in Sacramento. Immo sufficère etiam extra Sacramentum actu susceptum, indubitatum est apud Doctores, & ex professo à nobis traditur in *materia de Justificatione disp.* 5. *q.* 5. Nulli tamen præterea Pœnitentiæ id competit, juxta *D. Thomam*, *D. Bonaventuram* & alios Doctores communissimè: quamquàm Nonnulli etiam hanc vim adscripserint pœnitentiæ conceptæ ex motivo justitiæ vel alio simili propter Deum, etsi non sit motivum charitatis. Quorum sententiam acri censurâ perstringit *Vasquez*, sed probabilem putat *Suarez*, & à nota liberant *Lugo* & *Dicastillo*. Vide dicta *disp. cit. q.* 3. *n.* 23.

Attritio est dolor de peccatis deficiens à perfectione contritionis, potissimùm ex parte motivi; ideòque non est per se dispositio proxima ad gratiam. De ea *Tridentinum suprà* dicit, quòd *ex turpitudinis peccati consideratione, vel gehennæ & pœnarum metu concipiatur.* Quàmvis etiam ex aliis motivis charitate inferioribus (de quibus postea) concipi possit. His notatis *Quid Attritio.*

Non defuerunt olim gravissimi scriptores, qui cum *Magistro* 4. *d.* 18. prærequirebant contritionem perfectam, adeoque justificativam peccatoris. Et favet *S. Bonaventura*, quem pro *Magistri* sententia refert *Palavicinus l.* 12. *Hist. Trid. c.* 12. *n.* 3. addens, *Richardo Victorino lib. de Potestate ligandi atque solvendi c.* 2. eam adeò absurdam fuisse visam, ut irrisione magis quàm impugnatione dignam appellaverit, juxta quam nimirum solvere sit idem quod declarare verè solutum fuisse. Verum etsi *Richardus victorinus lib. cit.* Sed *c.* 12. Sic loquatur, revera tamen coincidit cum sententia *Magistri* adscribens remissionem culpæ, absolutioni præviam soli Deo, sacerdoti autem solutionem à debito pœnæ temporalis, nec non à debito confitendi: pro ut Tractatum relatum sæpius revoluenti satis apertè patuit. Unde cum pro sententia *Magistri* refert *Suarez de Pœnit. disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 1. At verò *D. Bonaventura d.* 17. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 4. *in Corp.* apertè favet communi doctrinæ post alia dicens: *Hæc autem dispositio attritio est, quæ frequenter ob Confessionem superadjunctam & absolutionem sacerdotis, formatur per gratiam &c.* Et ad 1. *Dicendum quod vocat suscitatum, dispositum ad charitatem, qui iam incipit suscitari, cùm atteritur per dolorem, & in Confessione plerumque recipit vitam.* Et *d.* 18. *p.* 1. *a.* 2. *q.* 1. *in Corp.* oppositam sententiam refutat, dicens, quod habet in superficie phantasiam, & inter alia adducens, quòd *possibile est, quòd aliquis ad absolutionem accedat attritus, sicut ad Baptismum: quare tunc non fiet attritio contritio, cùm non sit fictus?* Dum autem remissionem culpæ adscribit in Sacramento Pœnitentiæ, uti Baptismi, soli Deo, addit ibidem, *propriè loquendo*; item, *per modum activi & imperantis ex se*, hoc est, per modum causæ efficientis & principalis, qui est Deus infundens gratiam. Vide ipsum suprà. Doctrinam porrò de Contritionis necessitate in Sacramento, & attritionis insufficientia Facultas Parisiensis Anno 1636. die 1. Julij omninò damnavit, eamque pronuntiavit esse quietis Animarum perturbativam, communi & omninò tutæ praxi Ecclesiæ contrariam, efficaciæ Sacramenti 37.

menti imminutivam, & insuper temerariam ac erroneam; ut refert *Isambertus disp. 4. de Pœnit. n. 6. teste Georgio De Rhodes To. 2. Tract. 11. de Sacram. Pœnit. disp. 2. q. 3. sect. 2. §. 1.* Sed censurandi munere auctoritati sedis Apostolicæ ob ejus reverentiam derelicto.

38. *Hæc justificat cum Sacramento Pœnitentiæ.*

Dico I. Ad justificationem cum Sacramento pœnitentiæ non requiritur perfecta contritio, sed sufficit imperfecta, sive attritio etiam cognita. Conclusio est communis Theologorum, præsertim post *Tridentinum* de qua ob recentius exortas in Belgio controversias fusiorem in *Tract. de Gratia* 2. Editionis quæstionem institui, ad quam remitto lectorem, relictis hîc antecedenter de eodem argumento scriptis.

Probatur ex Tridentino.

Probatur ex *Tridentino sess. 14. c. 4.* ubi de attritione dicit: *Quàmvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Ubi Concilium loquitur de dispositione proxima: nam etiam extra Sacramentum est remota dispositio, & tamen ponitur discrimen inter ipsam intrà & extra Sacramentum, & illa dispositionis ratio, quæ ei in Sacramento adscribitur, extra Sacramentum negatur. Deinde statuitur discrimen inter attritionem & contritionem, quòd hæc possit per se & proximè disponere ad justificationem sine Sacramento realiter susceptо; attritio autem solùm disponat in Sacramento, utique per se & proximè, ac sine perfecta contritione. Atque hinc infert Concilium, quòd Hæretici *falsò calumnienter Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre: quod numquam Ecclesia Dei docuit nec sensit.* Nimirum, quia gratia non confertur sine motu saltem attritionis, quem suprà docuerat esse bonum & salutarem.

Cujus verba ponderantur.

39. *Probatur II. ratione Theologicâ Multiplici.*

Probatur II. quia alioquin nulla remaneret Sacerdotibus potestas clavium ad remittenda peccata quoad culpam; utpote quæ per contritionem antecedenter essent remissa, adeòque numquam remitterentur per potestatem calvium. Nec obstat, quòd etiam absolutio cadat super peccata semel remissa: nam saltem debet ex se vim habere ea remittendi, etsi adhuc essent: quænam enim foret alioquin remittendi vis?

Deinde aliàs deberet confitens necessariò confidere, se esse in statu gratiæ, antequam recipiat absolutionem, sicut hoc est necessarium, dum suscipit Sacramenta vivorum. Nec aliam haberet vim Sacramentum hoc ad conferendam primam gratiam, quàm Sacramenta vivorum. Insuper deberet pœnitens credere semper se habuisse finem, antequam adhibuerit medium, id est, se habuisse peccatorum remissionem, antequam receperit Sacramentum Pœnitentiæ, quod tamen ad remissionem ipsam est institutum. Ipse denique judex existimare deberet, reum semper priùs esse liberatum à crimine, à quo tamen debet eum liberare, seu de cujus remissione debet proferre sententiam,

Confirmatur Conclusio: quia alioquin Christus non instituisset novum & facilius peccati remedium, sed solùm addidisset novum onus confitendi peccata, permanente eâdem necessitate contritionis, quæ antea erat: quod est planè alienum à mente fidelium & suavitate ac utilitate legis Evangelicæ. Prætereà hâc de causâ fideles omni ævo adeò solliciti fuerùt pro remedio absolutionis in mortis articulo, infirmis, etiam sensu destitutis vi morbi, impendendo, ne defectu illius contingat animam perire: quod planè non subsisteret in carente copia Confessoris, qui, si contritio requireretur, per eam utique salvaretur, sine eâ nihilominus damnandus, quantumvis absolutionem accepisset.

Cùm autem Concilium dogmaticè loquens, dicat simpliciter & indefinitè, attritionem in Sacramento disponere ad gratiam, & non addat, quæ existimetur contritio: apertè contra *Sotum* & quosdam alios sequitur, attritionem, etiam cognitam ut talem, sufficere cum Sacramento ad remissionem peccatorum. Quod inde confirmatur: quia existimatio falsa hominis est omnino impertinens ad aliquid faciendum medium justificationis aut partem Sacramenti, quod à parte rei non est tale. Deinde alioquin confitens deberet ante absolutionem esse in statu gratiæ, aut saltem hoc existimare, sicut ante sumptionem Eucharistiæ aut Ordinis. Denique (ut plura alia omittam) cùm hoc Sacramentum sit institutum ipstar medii ad remissionem peccatorum, deberet quis semper existimare, se ante medii adhibitionem obtinuisse effectum; eumque semper esse positum ante usum potestatis à Christo concessæ ad illum ponendum: ut mox dictum est in probatione Conclusionis, quam *Sotus* nobiscum tenet.

Hinc potest peccator absolutionem petere, sciens se tantùm attritum, vel Confessarius illam dare: quia hæc Sententia modò videtur practicè satis secura, ut proinde Sacramentum non exponatur morali periculo invaliditatis, aut carendi suo effectu. Quàmvis Doctores rectè moneant, tam peccatorem, quàm confessarium debere conari ad excitandam contritionem, præsertim in extremis; ut quàm fieri potest securissimè & fructuosissimè provideatur Sacramento & saluti.

Objicitur I. *Tridentinum sess. 14.* tantùm vult ostendere contra Hæreticos, quòd attritio non sit actus malus, sed bonus; & consequenter, quòd falsa sit calumnia Hæreticorum impingentium Scholasticis quasi docerent hoc Sacramentum causare gratiam sine ullo pio motu suscipientium. Quæ quidem

dem calumnia esset falsa, quantumvis doctrina ista Scholasticorum non subsisteret: nam etsi requireretur perfecta contritio, equidem falsum esset, quòd Scholastici doceant non requiri pium motum; cùm saltem requirant attritionem, quæ (ut docet *Tridentinum*) est pius motus. Ad quod probandum etiam adjungit: *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetraverunt*: & tamen iste timor tantùm disponebat remotè ipsos ad justitiam, utpote qui non habebant Sacramentum: Ergo non est mens *Tridentini* agere de dispositione proxima.

Resp. primariò quidem intendere *Tridentinum*, quòd timor non sit malus, similiter nec mala sit pœnitentia ex eo concepta, sed bona. Idque sufficiebat ad retundendam calumniam Hæreticorum, quam impingunt Scholasticis, ut rectè in objectione ostenditur. Eâdem tamen operâ approbat Concilium istam Scholasticorum doctrinam; ut ex claris verbis patet: *Et quàmvis sine Sacramento &c.* Dum autem subdit: *Hoc enim timore utiliter &c.* non est probatio illius, quod immediatè præcesserat, sed primarii intenti, quòd similiter in Conclusione capitis repetitur, scilicet timorem pœnæ à Deo immissum non esse malum, neq; etiam pœnitentiam, quam ex illo concipimus.

Instabis: Ergo *Tridentinum* etiam loquitur de attritione conceptâ ex timore pœnæ temporalis. Dicit enim: *Hoc enim timore &c.* talis namq; erat timor Ninivitarum, de excidio scilicet civitatis à Jona prædicto per verba: *Ninive subvertetur*. Resp. inprimis timorem Ninivitarum non fuisse merè temporalem; sed ex parte & ex fine spiritualem: nam Jonæ prædicatio erat juxta *Tridentinum plena terroribus*; non uno, sed pluribus, utique terrore subversionis tamquam inchoativæ secuturæ gehennæ. Deinde dicitur quidem, quòd pœnitentiam egerint, & misericordiam impetraverint, non tamen dicitur, quòd impetrarint remissionem, sed misericordiam, id est, liberationem à tali pœna subversionis. Nam utiq; omnes illam impetrarunt, utì omnes ad unum usque pœnitentiam egerunt; & tamen vix est credibile, quòd omnes omnino fuerint justificati. His adde, timorem Ninivitarum fuisse timorem pœnæ temporalis, quatenus à Deo irato infligendæ, ex quo oriebatur, ut ad misericordiam Dei odiendo peccatum confugerent. Hic autem actus pro motivo habet Deum quà bonum nobis, qui eatenus est motivum amoris concupiscentiæ, seu spei; quæ generaliter concupiscit Deum sibi (etsi primariò in beatitudine) in omnibus, etiam naturalibus, saltem quatenus avertunt à fine ultimo (prout avertisset subversio Ninive; utì avertit illa Sodomæ) dummodo per fidem & condignè in Deum tendamus. Supernaturalitas enim actûs potiùs ex parte principii & modi tendendi, quàm terminativi objecti est spectanda: cùm alioquin in idem objectum etiam sub eodem motivo tendere possimus actu naturali & supernaturali.

44. *Objectio altera ex Tridentino sess. 6. c. 6.*

Dices II. *Tridentinum sess. 6. cap. 6.* agens de dispositione prærequisitâ ad susceptionem Baptismi, videtur requirere pœnitentiam procedentem ex dilectione Dei, dum ait: *In spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumq; tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Ergo similis pœnitentia prærequiritur in hoc Sacramento, quod similiter est Sacramentum mortuorum, nec imperfectiorem pœnitentiam, quàm Baptismus admittit. Resp. Verba ista *Tridentini* præ se ferre quidem aliquam difficultatem, necessariò tamen esse concilianda cùm doctrina præmissa, & adeò apertè ab ipso *Tridentino sess. 14. cap. 4.* traditâ. Itaq; dici potest Concilium quidem loqui de perfecta dilectione Dei, seu ly *propterea* non afficere seu determinare præcisè ultimum quod præcessit, sed indefinitè respicere, vel hoc, vel aliquod aliud ex præcedentibus; quasi velit Concilium oportere agi pœnitentiam, quæ excitetur sive ex timore, sive ex spe, sive ex dilectione. Deinde posset Concilium intelligi de dilectione ut abstrahente à perfecta & imperfecta; nam prævio timore & fiduciâ divinæ propitiationis, nata est sequi dilectio seu affectus complacentiæ, quâ placeat nobis Deus tamquam fons omnis justitiæ, sive sit complacentia de Deo tamquam bono nobis, sive tamquam bono in se. Denique Respondent aliqui loqui Concilium determinatè de dilectione imperfectâ. Et dum objicitur, quòd pœnitentia inde orta non necessariò debeat præcedere Baptismum, cùm possit procedere ex dilectione perfectâ, possent isti respondere hunc esse verborum Tridentini sensum, ut subintelligatur ly *saltē*, q. d. quam saltem ante Baptismum agi oportet; etsi à fortiori sufficiat pœnitentia perfectior. Et hi consequenter cogerentur admittere *Tridentinum* ibi non explicasse dispositionem adæquatam ad justificationem extra Sacramentum; ad quam utique requiritur dilectio seu contritio perfecta. Vide dicta *disp. 5. de Dispos. requis. ad justificat. q. 4. n. 47. & seqq.*

Responsio multiplex.

45. *Quo sensu peccator fiat ex attritio contritus.*

Ex dictis colligi potest, quo sensu peccator ex attrito possit fieri contritus. Neque enim hoc intelligendum est, quasi actus attritionis possit fieri actus contritionis propriè dictæ: cùm enim hi actus sint planè diversi, non potest unus mutari in alterum. Unde dum *Scotus 4. dist. 14. q. 2. n. 15.* docet, actum attritionis invariatum fieri contritionem, non loquitur de attritione & contritione, prout modò loquimur: sed actum

Primus sensus refertur ac rejicitur.

actum quatenus præcedit infusionem gratiæ, vocat attritionem; quatenus autem formatur gratiâ seu habitu charitatis, vocat contritionem.

Secundus similiter.

Neque etiam intelligendum est, quasi peccator attritus infallibiliter vi absolutionis eliciat contritionem; hæc enim absque ullo fundamento dicitur, & militat contra apertam experientiam; nec sufficit intento *Concilii Tridentini*, ascribentis attritioni vim disponendi ad gratiam cum, seu in ipso Sacramento: nec ullatenus locum habere posset in moribundo attrito sensibus destituto.

46. *Sensus legitimus statuitur.*

Itaque peccator ex attrito fit contritus per Sacramentum, quia hoc facit, ut attritio habeat vim contritionis, scilicet delendi cum Sacramento peccatum; atque ita fit contritus quoad effectum, qui est remissio peccatorum. Item fit contritus attendendo nominis Etymologiam, quatenus sic per attritionem conteruntur peccata. Denique fit contritus habitualiter, quia recipit habitum contritionis, qui est charitas.

47. *Attritio debet esse formalis.*

Dico II. Attritio, ut cum Sacramento sufficiat, debet esse formalis seu explicita, efficax, integra de omnibus peccatis mortalibus non remissis, & supernaturalis. Prima pars patet ex Conciliis, quæ pro materia hujus Sacramenti assignant contritionem & dolorem: quod potest, adeoque debet propriè intelligi, scilicet de dolore formali; & ab omnibus Doctoribus & fidelibus ita est intellectum.

Efficax.

Secunda pars est etiam communis Doctorum. Et patet ex Conciliis, quæ pro materia statuunt efficacem peccati detestationem, cum proposito non peccandi de cetero. Et specialiter de contritione imperfectâ *Tridentinum* docet eam debere excludere voluntatem peccandi; quam utique non excludit displicentia inefficax, sed compatitur. Immo propositum non peccandi de cetero aliâ de causâ non videtur adjici, quàm ut efficacia doloris indicetur. Quàmvis pro securitate, ad expressum etiam propositum, debeat pœnitens adlaborare.

48. *Integra de omnibus mortalibus.*

Tertia pars est similiter communis Doctorum. Et patet ex dictis *quæst. præc.* nullum enim peccatum remittitur sine pœnitentia, nec unum mortale sine altero. Unde etsi aliqua ob justam causam, vel ex oblivione non exprimerentur in confessione, deberet equidem internus dolor etiam ad illa, saltem implicitè, sese extendere.

Et supernaturalis,

Quarta denique pars est etiam communis Doctorum. Et videtur indubitata: nam actus naturalis non est sufficiens dispositio ad gratiam, ut contra *Pelagianos* in materia de Gratia docetur, & post *Milevitanum* & *Arausicanum* tradit *Tridentinum sess. 6. can. 3.* Idem Concilium agens de contritione imperfecta *sess. 14. c. 4.* docet eam esse donum Dei & impulsum Spiritus sancti. Nec repugnat *Scotus* (quem Varii referunt in contrarium) *suprà n. 14.* ut clarè ostendit *Sebastes* ibidem: solùm enim excludit *Scotus* auxilium habituale, & sub communi influentia comprehendit etiam influxum auxilii actualis; sine quo non posse concipi pœnitentiam fructuosam docet *dist. 20. q. un. n. 3.* Et *1. d. 44. n. 4.* Et multis aliis locis adeò apertè Catholicam doctrinam tradit, ut nullus sanæ mentis de hoc dubitare possit.

Inter species autem attritionis, illæ accuriùs adhibentur, quas expressit *Tridentinum suprà*; videlicet illam quæ concipitur ex consideratione turpitudinis peccati, vel quæ ex metu gehennæ & pœnarum, semper tamen cum spe veniæ. Per turpitudinem autem sive fœditatem peccati intelligitur saltem illa, quam peccatum habet ex eo, quòd avertat hominem à suo ultimo fine, sive quæ aliquo modo opponitur virtuti spei. Plerique Doctores insuper intelligunt quamvis aliam peccati turpitudinem, quæ desumitur ex oppositione aliqua contra Deum; ut quia est contra legem Dei, contra ejus reverentiam, contra ipsius jus, vel contra gratitudinem ipsi debitam &c. Immo Plurimi intelligunt etiam illam peccati turpitudinem, quam habet ex oppositione ad virtutes morales infusas Deum non respicientes, ut est justitia, temperantia. Quod tamen negant Alii, signanter *Sotista*, hujusmodi virtutes morales infusas non admittentes: qui saltem negare non possunt, quin oppositum sit probabilissimum.

Attritio conceptâ ex gehennæ & pœnarum metu debet etiam pertinere ad spem Theologicam, quâ sicut Deum tamquam nobis bonum concupiscimus, maximè in beatitudine & vitâ futurâ, sic ejus indignationem, præsertim ad æternam vitam spectantem, detestamur. Idem est, si peccator moveatur ad detestationem peccati, quatenus meretur pœnam damni, seu separationem à desiderabili facie Dei. Præterea quatenus per peccatum incurritur amissio gratiæ, meritorum &c. Idem cum proportione est de metu pœnarum purgatorii, quæ incurruntur per peccata venialia. Immo idem Plures (quibus favet *Tridentinum* expensum *n. 43.*) censent de pœnis hujus vitæ temporalibus, consideratis tamen quatenus infliguntur à Deo vindice. Quod docet *Suarez, Lugo*; & iis relatis *Arriaga d. 11. n. 3.* & probabilissimum esse asserit *Thomas Tamburinus l. 1. de Pœnit. c. 1. §. 4.*

Dices: Qui peccatum odit propter pœnam non plùs odit peccatum, quàm pœnam; immo in casu, quo alterutrum esset subeundum, & daretur optio, talis potiùs eligeret peccatum: quod est inordinatum.

Respo-

Resp. Conc. Assumptum pro I. parte, & negando pro II. in isto enim casu (qui est planè metaphysicus) vi attritionis non eligeret quidem infernum; tamen posset & deberet etiam abstinere ab electione peccati. Quare vel cessaret ab eligendo alterutro, vel deberet recurrere ad altius motivum, scilicet charitatis Dei, & propter illud pati potiùs infernum, quàm peccare. Equidem sufficit de facto in omni casu dabili necessariò conjungi peccatum mortale, & meritum pœnæ infernalis, ut ex vi metus ejusdem homo detestetur omne prorsus peccatum mortale, nec possit cum efficaci ejusmodi timore affectus ullius peccati mortalis consistere: cùm repugnet ex metu pœnæ absolutè peccatum fugere, & simul per peccatum, ejusdem pœnæ meritorium, incurrere periculum illius.

Dico III. Contritio, vel saltem attritio præcedenti Conclusione descripta, non solùm requiritur ad Sacramenti effectum, sed etiam ad valorem. Ita plurimi Doctores contrarios, qui quidem censent illam requiri, ut Sacramentum suscipiatur cum fructu; adeòque peccare mortaliter, & consequenter invalidè confiteri, qui voluntariè adhiberet attritionē illis conditionibus non vestitam: confessionem tamen fore validam & sacramentalem, adeòque non repetendā, quando pœnitens bonâ fide procedens, à parte rei solùm haberet attritionem naturalem, ut Nonnulli volunt; vel inefficacem, ut alii, & noviſſimè *Averſa*: vel non extendentem se ad omnia peccata commissa, v.g. non ad oblita, utpote quia elicitur ex motivo particulari; ut *Lugo* & plures alii. Etsi enim dolor, qui simul est sufficiens ad gratiam dispositio, possit & debeat simul esse pars materialis hujus Sacramenti; non apparet tamen, cur nequeat aliquis dolor, qui non sufficit ad gratiam, sufficere, ut sit pars Sacramenti, utpote satis constituens confessionem in ratione accusationis dolorosæ. Non debet autem mirum videri, quòd *Tridentinum sess.* 14. *c.* 4. talis doloris non meminerit, eò quòd ad institutum illius non pertineret de alio dolore tractare, quàm qui ex obligatione est adhibendus, ut Sacramentum recipiatur cum fructu.

Probatur nihilominùs Conclusio ex ipso *Tridentino sess.* 14. ubi cùm *c.* 3. docuisset actus pœnitentis esse quasi materiam, & partes Pœnitentiæ, *c.* 4. subdit: *Contritio, quæ primum locum inter dictos actus pœnitentis habet* (adeòque est ad valorem necessaria) *animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* Ubi Concilium loqui de contritione disponente ad gratiam, patet apertè ex contextu. Deinde contritionem ibi descriptam paulò pòst dividit in perfectam & imperfectam, & utramque docet disponere ad gratiam. Immo *c.* 3. dixerat contritionem eatenus esse partem, quatenus requiritur ad remissionem peccati. Quæ cuilibet non prævento efficaciter ingerunt, *Tridentinum* non alium dolorem agnoscere pro Sacramento (cujus naturam plenissimè describit) quàm qui disponat ad justificationem: ad illam autem requiritur dolor supernaturalis, efficax & integer; qualem præcedenti Conclusione descripsimus. Vide etiam dicenda *quæst. seq.* Et hæc quidem de dolore ad confessionem peccatorum mortalium requisito dicta sunt. Restat nunc dicendum, qualis requiratur ad confessionem peccatorum venialium.

54. *Dolor formalis supernaturalis & efficax requiritur pariter ad Confessionem venialium.*

Dico IV. Etsi liberum sit peccata venialia clavibus non subjicere; si tamen subjiciantur, requiritur similiter dolor supernaturalis, formalis & efficax, ac extendens se ad aliqua saltem venialia, quæ pœnitens confitetur: adeò ut accedens absque sufficienti dolore de aliquo saltem peccato veniali, (si sola venialia confiteatur) peccet mortaliter; utpote defraudans Sacramentum suo effectu, immo valore. Probatur conclusio: quia dolor naturalis non disponit ad gratiam. De formali quoque dolore loquitur apertè *Tridentinum* describens partes hujus Sacramenti; quod proinde indubiè exigit formalem dolorem quoad mortalia, adeòque etiam quoad venialia. Denique inefficax dolor non excludit voluntatem peccandi. Alioquin posset absolvi à veniali præterito (de quo inefficaciter quis dolet) etsi simul proponeret aut committeret novum simile. *Florentinum* etiam & *Tridentinum* pro parte Sacramenti assignant contritionem; & quidem *Tridentinum* talem, quæ disponat ad gratiam. Estque hæc communis sententia Theologorum.

Nec dissentit Suarez,

Nec dissentit *Suarez*, qui *disp.* 20. *sect.* 6. ex professo probat in Confessione venialium requiri attrionem formalem, & *disp.* 11. *sect.* 3. *n.* 14. asserit requiri attritionem supernaturalem. Dum autem *disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 9 (ex quo loco ordinariè refertur in oppositum: quod proinde tamquam probabile, & veluti *Suarium* sequentes, tradunt *Thomas Tamburinus l.* 1. *de Pœnit. c.* 3. §. 1. *Præpositus q.* 2. *de Contritione dub.* 7. *n.* 73. & quidam alii) ait: *Vt ergo homo suscipiens Sacramentum non ponat obicem huic effectui*, scilicet remissioni venialium, *satis est* (*opinor*) *quòd accedat sine actuali complacentia peccati venialis, & cum voluntate ac desiderio recipiendi Sacramentum ac effectum ejus*; loquitur manifestè de remissione venialium, quatenus est effectus Sacramenti in communi, seu abstrahendo à Sacramento pœnitentiæ. Unde *n.* 11. subdit: *Jam verò descendendum est ad particularia. Et de Baptismo sine dubio est probabilius &c.* Admittit tamen *n.* 12. quòd præter venialia confessa cum dolore qui est pars Sacramenti, remittantur etiam alia de quibus homo non est

Malè citatus in oppositum; eximde à Nonnullis asserotum.

attritus, maximè si sint oblita & non voluntariè omissa, ratione videlicet efficaciæ Sacramentorum explicatæ *n.* 9. citato.

Dixi in conclusione, *extendentem se ad aliqua saltem venialia*: qui enim plura confitetur, & solùm de aliquibus dolet, non peccat mortaliter, ut contra Nonnullos docet *Suarez* & plerique alii; eò quòd Sacramentum non reddatur irritum, nec frustretur effectu.

55. *Allegantur fundamenta alterius sententiæ.*

Dices cum nostro *Delgaddillo*, viro docto & sanctioris vitæ (quem viventem suspexi) & aliis existimantibus sufficere displicentiam, & quidem (uti censet *Delgaddillo*) virtualem contentam in desiderio Sacramenti ejusque effectûs, citra actualem peccati complacentiam: *Tridentinum sess.* 14. loquitur de Confessione mortalium, præscribens modum reconciliandi peccatores post Baptismum lapsos, uti sonat contextus: de venialium autem Confessione solùm incidenter agit *c.* 5. nil de horum dolore determinans. Eorum porrò remissio non prærequirit in justo similem dolorem; quandoquidem hæc sine eo, cum sola displicentia etiam virtuali, obtineatur quoque in aliis Sacramentis, juxta communem sententiam. Quid ni ergò similiter in hoc Sacramento? quod quantũ ad venialia aut alias remissa sortitur rationem Sacramenti vivorum seu augentis gratiam. Immò cum attritio deleat in justo venialia sine Sacramento, si ea quoque requireretur in Sacramento Pœnitentiæ, numquam virtute clavium possent remitti illa, quæ cum requisito ad substantiã Sacramenti remissivi dolore exprimerentur; adeoque non est talis dolor requirendus, pro ut simili ratione exploditur doctrina requirens contritionem de mortalibus justificativam sine Sacramento. Immò (inquit *Delgadillo*) non occurrit, unde asseratur esse veniale peccatum accedere sine præmisso dolore, etiam quando est totalis materia absolutionis, quia nimirum sufficit displicentia virtualis.

Dissolvuntur.

Resp. Christum, etsi aliter potuisset, assignasse defacto (quantum ex hactenus determinatis colligere licet) pro materia Sacramenti Pœnitentiæ dolorẽ juxta *Trid sess.* 14. *c.* 3. quem describit *c.* 4 veluti efficacem & cum proposito non peccandi de cetero: agens quidem principaliter de mortalibus, idem tamẽ de venialibus intendens; veluti quibus aliam non adscribit materiam, dum de utili eorum Confessione posteà tractat. Quamvis fatear inde nõ convinci oppositã doctrinã falsitatis. Cetera Sacramenta habent quidem vim remittendi venialia, uti præmittitur; at supposito eorum valore, atque adeò partibus, quarum una hîc est dolor descriptus. Quo in præsenti semel supposito, etiam remittuntur alia, de quibus est displicentia seu dolor non tantus, tum ex generali ratione Sacramenti, tum ex speciali Pœnitentiæ, non exigente ad hunc effectum æqualem dolorem, ac ad sui constitutionem, adeò ut juxta *Matthæum de Moya Tract. 3. de Sacram. disp. 5. q. 5.* remittantur omnia, quorum complacentiam non habet, etiam non confessa. Quod tamen saltem quoad non expressa in Confessione, pendet à Dei beneplacito nobis incerto. Ceterum existimat remissionem venialium, quorum dolor serius in justo adest, non esse effectum Sacramenti, utpote jam factam. Quamvis maneat eorum confessio valde utilis, tum ob augmentum gratiæ, ac remissionem pœnæ temporalis, tum ut cetera non remissa, & cum displicentia expressa, remittantur in Sacramento, tum quia quò devotior & humilior fuerit eorum confessio, eò plura et oblitis aut sponte omissis remittuntur ex generali ratione Sacramenti. Fatetur tamen oppositam sententiam satis piam, & aptam contra scrupulos: cùm juxta illam dolor ad valorem requisitus includatur in ipsâ voluntate Sacramenti, absente peccati venialis complacentiâ, ac nulli periculo irritandi, saltem culpabili, exponatur. Immò suppositâ sententia *Thomistarum* (quæ sequenti quæstione rejicietur) de Sacramento valido & informi cum displicentia sive dolore inefficaci de mortalibus, censet cum *Delgaddillo* convinci, ipsum in justo cum simili displicentia circa venialia seu materiam liberam, fore fructuosum, utpote verum Sacramentum, & sine obice. Communem nihilominus opinionem simpliciter reputat veriorem. Quam pariter in praxi censet conservandam.

Petes: quomodo possit elici efficax propositum vitandi de cetero venialia: cum sine illis vivere sit moraliter impossibile? Resp. in primis posse aliqua vitari, illa scilicet, quæ quis in confessione exprimit: voluntem, quæ quis in confessione exprimit: deoq; de illis posse elici dolorem efficacem, & propositum à similibus abstinendi. Deinde fieri potest, ut illa impossibilitas moralis pœnitenti non proponatur. Et quàmvis proponeretur, adhuc potest elicere propositum generale adhibendi diligentiam ad vitandum singula, seu quodlibet sigillatim, & cautè vivendi, quantùm sibi ex divina gratia concedetur; quod certè propositum sufficit, ac voluntatem peccandi excludit. Denique non est impossibile vitare omnia venialia, nisi quia spectatâ fragilitate humanâ non poterit homo perseverare in proposito efficaci omnia vitandi: quo non obstante potest elicere propositum illa non admittendi: nam ad hoc non est necesse, ut homo sibi persuadeat, quòd in tali proposito semper sit perseveraturus: alioquin multi non haberent propositũ de cetero non peccandi mortaliter, dum vix possunt sibi talem propositi perseverantiam persuadere.

Pro fine quæstionis nota, in rigore sufficere, quòd doleat pœnitens se latenus non dolere de peccatis, juxta communem sententiam: dolor enim de ipsis peccatis est necessa-

necessarius; qualis non est dolor de doloris absentia. Ita tamen loquendi formula in timoratis conscientiis est veri doloris signũ, indicans affectum seu desiderium amplioris, intensioriſque doloris, sive desiderium habendi sensum majorem doloris.

QUÆSTIO IV.

An defectu doloris possit Sacramentum Pœnitentiæ esse validum & informe?

SENSUS dubii est: an Sacramentum pœnitentiæ possit defectu doloris esse validum quoad essentialia & partes suas, & tamen non conferre gratiam; uti Baptismus potest esse validus, & tamen propter indispositionem suscipientis non conferre gratiam.

Affirmant valde multi Doctores, tum antiquiores, tum recentiores, quàmvis non eodem modo ac fundamento. Nonnulli, quia censent pro parte materiali sufficere dolorem naturalem. Alii, quia putant sufficere dolorem inefficacem. Alii (ut *Lugo* & Vasii Recentiores) his fundamentis rejectis, quia credunt certo casu sufficere dolorem non universalem, quando videlicet pœnitens inculpabiliter non habet dolorem alicujus vel aliquorum mortalium, sive quia illorum non meminit, sive quia putat se de illis doluisse, sive quia non credit esse mortalia, sive quia illa tacens ex justa causa, inculpabiliter existimat se non teneri hic & nunc dolere de peccatis, nisi quæ confitetur. Et juxta hanc opinionem taliter confessus, agrato postmodum errore non tenetur eadem peccata iterum confiteri. Immo valde probabiliter præcedens confessionis Sacramentum juxta hos Doctores validum sublato obice reviviscit sive confert suum effectum. Hæc opinio est favorabilis Confessariis & pœnitentibus, eximitq; ipsos à variis scrupulis de insufficientia doloris in præteritis confessionibus.

Nihilominus Resp. Negativè cum *Vasquez*, *Præposito* & plurimis aliis. Et sequitur apertè ex quæstione præcedenti, ubi diximus, quòd ad valorem Sacramenti non sufficiat dolor naturalis, aut inefficax, aut particularis, sed ille solus, qui simul disponit ad effectum. Confirmatur: quia cùm dolor sit pars hujus Sacramenti in remissionem peccatorum institituti, congruebat ad hoc assumi illum, qui simul ad remissionem peccatorum disponeret. Deinde non videtur Christus instituisse partem hujus Sacramenti, quæ scienter numquam potest absque sacrilegio, immo ne quidem validè adhiberi. Denique in aliis Sacramentis non plus requiritur in memore, quàm in immemore ad valorem; adeoque si dolor naturalis, inefficax, aut particularis ad valorem sufficiat tamquam pars in ignorante, videtur etiam debere sufficere in cognoscente qualitatem doloris.

Nec obstat I. quòd cetera Sacramenta possint esse valida & informia: nam in illis dispositio ad gratiam non est pars materialis seu quasi materialis, adeòque nec requisita ad essentiam sive dolorem. 60. *Occurritur objectionibus.*

Non obstat II. quòd in sententia *Scotistarum* dolor non sit pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ; quod proinde esse potest validum & informe defectu doloris. Nam dolor equidem juxta illos (qui sola voce differunt à ceteris) est conditio seu quasi materia essentialiter prærequisita, sicut ipsa peccata, ita ut sententia absolutionis aliàs legitimè ferri nequeat.

Hinc sequitur, invalidam esse confessionem, si quis efficaciter doleret de furto v. g. ob specialem illius turpitudinem, & non de fornicatione, etsi foret invincibiliter illius oblitus: dolor enim debet excludere voluntatem peccandi, ut colligitur ex *Trid. sess. 14. c. 4.* quam non excludit hujusmodi particularis dolor. Immo idem est, etsi quis de fornicatione (cujus postea oblivisciturr) similem particularem dolorem elicuisset: cum absolutè etiam sic non excludatur, sed compatibilis sit voluntas peccandi. Accedit, quòd dolor v. g. de furto ob specialem & moralem eius turpitudinem sit in substantia naturalis, juxta doctrinam *Scotistarum* præsettim. 61. *Cur dolor ob motivum particulare non possit facere hoc Sacramentum validum & informe.*

Atque ita cessant, quæ nonnulli Recentiores allegant, ut ostendant posse dari casum, quo dolor aliquis requiratur ad effectum, qui non sit pars Sacramenti Pœnitentiæ, scilicet dolor particularis afficiens peccatum oblitum. Immo (inquiunt) in aliquo casu ne quidem posset esse pars, si videlicet dolor specialis versetur circa peccatum commissum ante Baptismum susceptum bonâ fide cum obice negativo. Hæc, inquam, cessant: cùm dolor hujusmodi particularis ad effectum non requiratur aut sufficiat. Quòd si verò quis instet elici saltem debere hoc posteriori casu dolorem universalem etiam de peccato isto ante Baptismum commisso, id non facit contra ea quæ diximus: quia cum iste sit idem indivisibilis actus, verum manet, quòd nullus dolor sit pars, quin idem sit sufficiens ad effectum dispositio; esto non sit pars eatenus, quatenus ad culpam Baptismo anteriorem extenditur. 62. *Instantia quorumdam Recentiorũ dissolvitur.*

Petes: quid censendum sit de absolutione data illi, qui perfectè attritus confessionem fecit, & ante absolutionem de novo peccat? Resp. illam indubiè non valere juxta omnes: quia de hoc ipso peccato non habetur dolor, nec fit confessio; adeoque deest, tum debita contritio, tum confessionis integritas ad valorem requisita.

DISPUTATIO TERTIA.

De Confessione, quæ est secúnda pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

An & qualis Confessio sit jure divino necessaria?

1. *Omnium & singulorum mortalium Cõfessionem jure divino esse præceptam contra quosdam adstruit fidei declarata in Tridentino.*

VERITAS Catholica tradit, confessionem omnium & singulorum peccatorum mortalium post Baptismum commissorum esse jure divino necessariam ad remissionem eorumdem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ. Est de fide ex *Trid. sess.* 14. *c.* 5. & 6. 7. & 8. Loquitur porrò Concilium de peccatis etiam internis & occultis. Est autem contra Hæreticos recentiores, quorum aliqui dixerunt talẽ confessionem fuisse primò inventam & invectam ab *Innocentio III. in Concilio Lateranensi* & refertur c. *Omnis utriusque sexus*. Similiter *Petrus Oxomensis* Doctor Salmanticẽsis, censuit confessionem peccatorum in specie tantùm esse ex statuto universalis Ecclesiæ; ut patet ex propositione secunda, damnatâ à Sixto IV. Insuper *Glossa in principio dist.* 5. *de Pœnitentia*, censuit quoque esse introductum à quadam vniversalis Ecclesiæ traditione.

2. *Fundata in verbis Christi Ioan.* 20.

Probatur veritas Catholica cum *Tridentino* & Theologis communiter ex verbis Christi *Joan* 20. quibus hoc Sacramentum instituit: per illa enim Sacerdotes tamquam judices ordinavit, qui pœnitentibus ritè dispositis sententiam absolutionis & remissionis darent, aut indignis & indispositis sententiam retentionis. Sed certè judicium exerceri & sententia proferri non potest, nisi probè cognitâ & discussâ causâ, de qua agitur: condigna etiam satisfactio, nisi cognitis peccatis, imponi non potest: ergo ex ipsa institutione hujus Sacramenti & de jure divino necessaria est explicita confessio peccatorum.

3. *Ac perpetuo sensu Ecclesiæ, quem exhibent Concilia & Patrum scripta.*

Hoc ipsum ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ semper intellexit universa Ecclesia, ut ait *Trid. supra c.* 5. Idem antiquissimorum Conciliorum & Patrum testimoniis fusè confirmat *Bellarm. l.* 3. *de pœnitentia c.* 5. *usque ad* 11. ex quibus clarè convincitur, non solùm confessionis usum esse antiquissimum (ut etiam fatetur *Calvinus l.* 3. *instit. c.* 4. §. 7.) sed etiam ipsam esse necessariam ad remissionem peccatorum. Quam necessitatem etsi fortasse non clarè doceant manare ex jure divino, id tamen satis colligitur, dum non invenitur, quinam, aut quando post Christum hanc confessionem instituerint. Nec est ullo modo credibile, quòd umquam homines, præsertim reges & principes, tam sæculares, quàm Ecclesiastici, adeò unanimiter permisissent sibi eam legem imponi, quam sæpè apprehendunt ut sibi difficillimam, nisi supposuissent à Deo constitutam. Unde patet, quàm inanis sit Hæreticorum calumnia, qui dicere non verentur necessitatem confitendi initium habuisse à Patribus in *Concilio Lateranensi* sub *Innocentio III.* congregatis; in quo tantùm corrigitur perversa quorumdam consuetudo, qui ad multos annos confessionem & communionem differebant, præcipiturque annua utrisque Sacramenti perceptio, etiam dudum antea præcepta.

Quorum sensus exponitur.

Sufficiat hîc adferre testimonium *Leonis Magni Ep.* 91. *ad Theodorum Foro julii* Episcopum, ubi ait: *Multiplex misericordia Dei in lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ; ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum, homo Christus Jesus, hanc Ecclesiæ Præpositis tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Quòd autem S. Leo confessionem quam sacerdotibus faciendam asserit ex jure divino intelligat illam quæ secretò fieri solet, patet ex *Epist.* 80. *ad Episc. Campaniæ*, ubi ait: *Cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secretâ.* Et paulò infrà: *Sufficit illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam sacerdoti.*

His accedunt plura eaque præclara miracula, quibus Catholicam de confessione doctrinam Deus firmavit. Tria egregia refert *S. Bonaventura in vitâ S. Francisci*, partim *cap.* 11. partim inter miracula, quæ post mortem Sancti contigerunt. Alia adhuc refert *Bellarminus l.* 3. *de Pœnit. c.* 12.

Postremò accedit multiplex utilitas confessionis. In ea enim plurimùm elucet misericordia Dei, qui confessionem non extorquet more judicum sæculi, ut confessum damnet; sed potiùs instar Medici, ut vulnera patefacta statim sanet; non tamẽ sine rubore & humiliatione pœnitentis, convenienti divinæ justitiæ. Per eam quoq; Pastores optimè agnoscunt vultum, & morbos ovium, optimeque eis medentur. Immo redundat hæc utilitas in bonum etiam politicæ reipublicæ. Multa enim, quæ per judices in exterio-

terno foro emendari numquam potuissent, nullo negotio per Sacerdotes in foro conscientiæ emendantur; dum restituuntur ablata, dimittuntur injuriæ, conciliantur paces, dissolvuntur contractus injusti, dissociantur malè icta fœdera, aliaq; id genus plurima privatim perficiuntur, ex quibus scandala publica removentur, & pax ac tranquillitas reipublicæ redditur. Demum utilitas maxima ipsorum pœnitentium provenit ex vi & efficacia hujus Sacramenti, quæ est *reconciliatio cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax ac serenitas cum vehementi spiritûs consolatione consequi solet*, inquit *Trid. sess.* 14. c. 3. Ipsaq; experientia comprobat, quanta inde quies conscientiæ generetur, quàm salubria ibi reperiantur consilia, instructiones, & remedia contra futura. Rubor verò seu verecundia lenitur fructu confessionis ac strictissimo sigillo, ceditque partim in satisfactionem, partim in cautelam & frænum quoddam peccatorum; nec non redimit levis ista confusio ingentem illam confusionem, quam alioquin in die judicii coram omni creaturâ peccator pateretur. Quin immò (ut notat *Palavicinus l.* 12. *Historiæ Trid. c.* 14. *n.* 12) utilitatem Confessionis fassi sunt ipsi Hæretici, cum operam dederunt, ut per humanam legem reponetent, postquam illam per divinæ legis contemptum abrogaverant. Sed frustra id moliti: ut enim soli Deo ad eam excogitandam adfuit sapientia, itidem eidem uni adfuit potentia, quâ efficeret, ut eam homines & communiter acciperent, & faciliter tolerarent.

Objicitur I. *Ambrosius l.* 10. *in Lucam super c.* 22. de pœnitentia Petri ait: *Non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit, lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego: sed quod defendi non potest, ablui potest: lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri.* Resp. *Ambrosium* loqui de confessione oris etiam coram Deo: quia Petrus nihil dixisse legitur, sed tantùm flevisse, qui est efficacissimus modus impetrandi, quando agitur cum Deo. Deinde (ut rectè *Lensæus l. de Satisfactione contra Aretium c.* 28.) nil dixit Petrus, quasi volens causam suam dicere, & justificare se coram Deo, dando satisfactionem sui operis. Qui uterque sensus, præsertim posterior, satis colligitur ex contextu, & ex *tomo* 5. *serm.* 48. ubi planè similia habet *Ambrosius*, & inter alia ait: *Rectè planè Petrus tacuit, & flevit; quia quod desideri solet, non solet excusari &c. Lacrymæ causam non dicunt, & misericordiâ consequuntur &c.* Non autem docet *Ambrosius* sufficere lacrymas absque proposito faciendæ confessionis (quæ, dum Petrus flendo est justificatus, necdum erat institutum) cujus necessitatem tradit *l.* 2. *de Pœnitentiâ c.* 6. dicens: *Si vis justificari, fatere delictum tuum: solvit enim criminis nexus verecunda confessio peccatorum.*

7. Objicitur II. *Nectarius* Patriarcha Constantinopolitanus propter scandalum ex nobilis matronæ peccato ortum abrogavit confessionem; ut refert *Socrates lib.* 5. *Hist. c.* 19. *Sozomenus l.* 7. *Hist. c.* 16. *Nicephorus l.* 12. *c.* 28. *Objicitur factum Nectarii.*

Baronius ad annum 56. censet Historiam esse confictam à *Socrate* & *Sozomeno* (quos *Novatianis* nimiùm faviisse constat) & ab his *Nicephorum* multò recentiorem esse deceptum. Et quod ad *Sozomenum* attinet, testis est *Gregorius l.* 6. *Ep.* 195. quòd Sozomeni *Historiam Sedes Apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur.* Difficulter tamen credi potest, *Socratem* confinxisse rem, quam narrat tam quam maximè publicam, suoque tempore factam, & à se ore ipsius *Eudemonis*, qui id *Nectario* suaserat, acceptam. *Duplex responsio discutitur.*

Addit idem *Baronius sup. Nectarium* rerum Ecclesiasticarum imperitum, utpote recenter baptizatū ante ordinationem Episcopalem, hac in re (si verè contigerit) erraisse, seductum à *Novatianis*, quorum consuetudine utebatur. Verùm nec hoc subsistere videtur: cùm factum *Nectarii* secutæ sint Orientales Ecclesiæ, defendaturque à *Chrysostomo*, nec legatur à Pontificibus reprehensum.

Neque factum istud concernebat usum confessionis sacramentalis; utpote qui deinceps apud Orientales mansit, ut ex *Chrysostomo* & aliis allegandis *n.* 11. patebit. Atque inde etiam confirmatur, quòd *Nectarius* solùm intenderit obviare scandalo; hoc autem non ex confessione secreta, sed ipsius feminæ (de qua infrà) publica confessione ortum erat. Quâ occasione sustulit officium Presbyteri Pœnitentiarii; qui solus audiebat confessiones publicè lapsorum, non autem omnium ceterorum, qui etiam aliis Presbyteris (uti semper antea) confitebantur, quibusque unus pœnitentiarius in populo numeroso, qualis in Ecclesia Constantinopolitana, non sufficisset. Neque etiam id referūt præfati Historici. Quin immo *Sozomenus suprà* patenter adstruit, confessionem esse necessariam; & tamen non reprehendit hoc titulo factum *Nectarii*: sed ob hoc, quòd deinceps alter alterius peccata arguere non valeret; prout antea fieri poterat: quod patet ad confessionem publicam esse referendum. 8. *Factum Nectarii non tangebat usum confessionis privatæ & sacramentalis.*

Factum proinde *Nectarii* est tale. Cùm post ortam hæresim *Novati* negantis reconciliationem lapsis, Episcopi ad Canonē confessionis fecissent hanc appendicem, ut publicè lapsi confiteri deberent sacramentaliter Pœnitentiario in quavis Ecclesia designando, à quo absoluti publicam pœnitentiā agerent, etiam propalatis (ubi id res postularet seu suaderet) per ipsum pœnitentem ad humiliationem & vindictam coram plebe, suis publicis delictis: contigit mulierem nobilem, quæ ad agendam pœnitentiam in confessione secreta à Pœnitentiario imposita in Ecclesia diutiùs morabatur, incidisse in peccatum cum Diacono Ecclesiæ: eamque, cùm publicè quædam peccata coram 9. *Genuina ejus explicatio.*

plebe non sacramentaliter confiteretur, longiùs progressam, etiam hoc peccatum secretum expressisse. Quod quia grave scandalum & contra sacerdotes tumultum generabat, statuit *Nectarius*, ut deinceps id non fieret, sed appendice præfati Canonis & officio Pœnitentiarii sublato, quisque, ut priùs, confiteri posset etiam aliis Presbyteris, & peractâ pœnitentiâ ab iis pro arbitrio & culpæ exigentiâ impositâ, accedere ad Communionem. Ex quo nil factum apparet contrà confessionem sacramentalem. Vide hac de re alios, præsertim *Bellarminum l. 3. de Pœnit. c. 14.* ubi etiam mendacia *Calvini* de eadem re aperit.

10. Unde *Chrysostomus Nectarii* successor hanc confessionem publicam à suo prædecessore abrogatam adeò fuit insectatus; ut quàmvis hanc solam oppugnet, appareat tamen simpliciter oppugnare confessionem sacramentalem. Promiscuè allegari solet à *Calvino* & aliis ex *homil. 2. in psalm. 50: Peccata tua dicito, ut deleas illa. Si confunderis alicui dicere, quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico, ut confitearis conservo tuo, ut exprobret: dicito Deo, qui curat ea.* Verùm loquitur de Confessione publica, seu tali, quæ sit coniuncta periculo, *ut exprobret* conservus. Unde *homil. 5. de incomprehensibili Dei Natura* contra *Anomeos*, inquit: *Non te in theatrum conservorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo.* Similia habet *homil. 4. de Lazaro*, *homil. 8. de pœnitentia* & alibi. Porrò pœnitentia ista publica, non ad absolutionem Sacramentalem, sed ad confusionem & erubescentiam publicam (quæ serviebat ad luendam partem pœnæ pro peccatis debitæ) ordinabatur: ad quem finem sive ad satisfaciendum pro pœnis, non est necesse confiteri hominibus, sed lacrymari & confiteri coram Deo. Confessionis nihilominus Sacramentalis necessitatem docet *Hom. 33. in Joannem*, dicens: *In peccatis, quæ commisimus, confitendis, neminem vereamur; Deum duntaxat, ut decet, formidemus.* Et *lib. 2. de Sacerdotio: Multâ* (inquit) *quidem arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultrò sibi persuadeant, Sacerdotum curationi submittere sese oportere* Et *homil. 10. super Matth.* inquit: *Tempus siquidem confessionis incumbit iis quidem qui Baptisma consecuti sunt. Aliis quidem, ut post patentia criminum vulnera, pœnitentiâ interveniente curentur, & ad sacra mysteria redire mereantur* (à quibus nimirum per Episcopum arcebantur, donec debitâ confessione & satisfactione seu pœnitentiâ publicâ prævia sinerentur ad sacra mysteria seu Eucharistiam redire) *Aliis verò, ut eam, quàm post lavacrum cæleste conceperunt, maculam diluentes; ad dominicam mensam, mundâ jam conscientiâ securâq; veniant*; qui scilicet publica crimina non habebant, ob quæ à Communione arcerentur, quibus proinde sufficiebat emundatio conscientiæ per confessionem & absolutionem sacerdotalem. Hunc locum sic allegavit *Waldensis To. 2. c. 136.* scribens contra *Wicleffitas*; qui floruit circa tempora Martini V. Etsi in variis editionibus posterioribus locus iste cœperit corrumpi, ut notat *Hesselius in Explicat. Sacramentorum c. 27.* Videri etiam potest *Euchologium Græcorum* in ordine Missæ *S. Chrysostomi*, ubi circa initium præscribitur sacerdoti celebraturo ante omnia confessio.

Chrysostomus successor Nectarii confessionis necessitatem docet.

Post tempora proinde *Nectarii* mansisse in Ecclesia Græca usum confessionis privatæ non solùm liquet ex *Chrysostomo*, sed etiam ex *Concilio Quinisexto* seu *Trullano can. 102.* & ex apertissimo testimonio *Nicephori Callisti Xanthopylacis* (qui floruit juxta quosdam sæculo 7. juxta alios circa annum 830.) *Epist. ad Theodosium Monachum Tom. 7. Biblioth. Patrum Edit. Colon.* Et *Nicolai Cabasilæ in Explicat. Liturgiæ c. 29.* ac *Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani*, qui in Censura confessionis Augustanæ reprehendit *Lutheranos*, quòd dicerent non esse necessarium omnia peccata per singulas species in confessione enumerari; ut refert *Bellarm. l. 3. de Pœnit. c. 5.* Quare nec Græci in *Florentino* (in quo sunt Ecclesiæ uniti) fuerunt de hac re à Latinis notati. Sed & novissimè *Jacobus Goar in Notis super Ordinem Missæ S. Chrysostomi n. 3.* id ipsum confirmat, allegans renovatos de hoc Canones in *Actis Synodalibus Germani Amathuntis Episcopi.* Quàmvis alioquin Græci multas laudabiles consuetudines aut necessarias omiserint, ex quo per Schisma ab Ecclesia recesserunt. Vide *Scotum d. 17. q. 1. n. 10.*

Quod verò c. *Quidam Deo 90 de Pœnit. d. 1.* ex *Pœnitentiali Theodori* Archiepiscopi Cantuariensis dicitur: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam verò Sacerdotibus confitenda esse pertendent, ut tota sese Sancta Ecclesia. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam Ecclesiam fit.* Hoc (inquam) corruptè citatur: cùm illud, *ut Græci*, non habeatur in *Concilio Cabilonensi c. 33.* unde *Theodorus* capitulum istud accepisse videtur. Sed & in ipso Capitulari *Theodori*, unde canon ille decumptus est (inquit *Bellarminus suprà*) non habentur hæ duæ voces: quæ proinde ex nota marginali cujusdam imperiti in textum irrepsisse videntur. Quàmvis alioquin error quorundam fortè Græcorum non posset obesse dogmati Catholico, etiam ipsius Ecclesiæ Græcæ. Notat insuper *Hesselius suprà* in originali Opusculo *Theodori* non liberi voculam *sese*. Adde hunc ipsum *Theodorum* esse Græcum, Tarsensem scilicet, missum in Angliam à *Vitaliano* Papa; ipsumque confessionem Sacerdoti faciendam tamquam Ecclesiæ doctrinam adstruere.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Qualiter Integrè sit facienda quoad speciem & numerum.

CONSTAT ex *Trid. sess. 14. c. 5. & can. 7.* Confessionem sacramentalem jure divino debere esse integram de omnibus peccatis mortalibus post Baptismum cõmissis. Certum tamen est hanc integritatem non debere esse materialem, quasi nimirum omnia omnino peccata à parte rei commissa debeant reipsâ exprimi: sic enim difficillimum foret hujus Sacramenti remedium, & maximo periculo carendi effectu expositum: cùm facilè & frequenter contingat aliqua peccata non reduci in memoriam, etiã post diligens examen, immo interdum numquam postea occurrant. Aliqua etiam interdum non nisi cum gravi incommodo confessioni extrinseco exprimi possunt, immo illicitè aliquando exprimerentur. Denique interdum adest physica impotentia exprimendi sigillatim peccata, utì sæpè contingit in moribundis.

Requiritur itaque & sufficit integritas formalis, quæ consistit in eo, quòd omnia ejusmodi peccata, cum circumstantiis necessariò exprimendis in confessione dicantur, quorum pœnitens post diligens examen recordatur; nisi ab aliquorum expressione justa causa excuset, de qua postea. Ita omnes Doctores, & frequenter inculcat *Tridentinum suprà*. Idem consonum erat humanæ fragilitati; ut proinde *Tridentinum sup. c. cit.* rectè dicat: *Impium esse, Confessionem, quæ hâc ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare.* Et rationem subdit: *Constat enim, nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut postquam quisque diligentiùs se excussérit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se adversus & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.*

Unde si pœnitens aliquorum peccatorum obliviscatur, de quibus tamen saltem implicitè doleat, simul accipit remissionem eorum per absolutionem, saltem indirectè, ut loquuntur: cùm unum peccatum mortale Deus non remittat sine altero. Ita omnes Doctores. Et colligitur ex *Tridentino suprà*, ubì subdit: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur.* Quod etiam indicaverat in verbis præcedentibus. Nihilominus, juxta certam omnium Doctorum sententiam peccata oblita non remittuntur, nisi cum onere ea confitendi in prima confessione, quâ memoriæ occurrerint: cùm sit obligatio juris divini, omnia & singula peccata, quæ & quando memoriæ occurrerint, in confessione exprimendi, & directam ab iis absolutionem obtinendi. Idemque habet indubitata praxis. Præterea aliàs idem esset de peccatis ex justa causa suppressis: adeoque moribundi, naufragi, inituri conflictum &c. non obligarentur millia fortè mortalia confiteri transactâ necessitate. Item nec is, qui in necessitate confessus esset non habenti potestatem in reservata, teneretur hæc postea legitimo judici confiteri. Quæ sunt indubitanter falsa. Unde meritò *Alexander VII.* sequentem articulum ad minus tamquam scandalosum condemnavit: *Peccata in Confessione omissa seu oblita, ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Obligatio itaque est circa omnia aliquando confitenda, etsi velut suspendatur, quando vel non occurrunt memoriæ, vel adest justa causa tacendi. Quod adeò verum est, ut quàmvis pœnitenti per certam revelationem constaret, mortalia antecedenter esse per contritionem perfectam à Deo remissa, equidem oporteat illa in prima confessione exprimere: cùm non fuerint remissa sine voto faciendæ de illis confessionis, ut docet *Trident. sup. c. 4.*

16. *Integritas præmissa non requiritur in confessione venialium.*

Hæc tamen integritas solùm requiritur circa peccata mortalia: sicut enim juxta *Trid. sup. c. 5.* non tenemur venialia confiteri absolutè, ita nec integrè. Unde voluntariè aliqua omittens non peccat, esto Confessarius cogitet plura non latere. Utì per se loquendo etiam non peccat, qui lapsus in mortalia confitetur eadem integrè uni, postea venialia Confessario ordinario: hoc enim pendet à libertate pœnitentis; etsi sit minùs congruum. Nec per hoc committit propriè hypocrisim aut decipit positivè Confessarium ordinarium, sed decipi permittit, consulens suæ verecundiæ & bonæ apud illum existimationi. Melius tamen est, sincerè totam conscientiam ordinario Confessario aperire: & peccarent, qui hâc viâ declinarent scienter opportunum remedium reliquendi occasiones aut consuetudinem peccandi. Confessarii è contra non debent conscientias ordinariorum pœnitentium coarctare, ne ad alium accedant: cùm id sit contra libertatem confessionis, quæ etiam hâc occasione interdum præ verecundia sacrilegè instituitur.

Corollaria practica.

Integritas requiritur etiam ad valorem cõfessionis mortalium.

Requiritur autem integritas in confessione mortalium, non solùm ex præcepto divino, sed etiam ad valorem Sacramenti, adeò ut qui scienter in confessione unicum mortale reticet, faciat confessionem sacrilegam & irritam. *Tridentinum* namque hanc integritatem probat ex ipsa Sacramenti institutione, pro quo Christus instituit confessionem mortalium explicitam & quidem integram, tamquam partem; adeoque qui talem non adhibet, deficit in parte ex institutione Christi ad Sacramentum requisitâ. Deinde confessio debet esse vera accusatio

ad veniam ordinata; qualis certè non est novi sacrilegii commissio, quæ in ejusmodi dimidiata confessione reperitur. Ita pro certo supponunt omnes Doctores. Et quidem indubitatum est, omnia peccata esse integrè exponenda eidem Sacerdoti: nam alioquin confessio uni facta, esset dimidiata, & non integra: qualem tamen requiri docet *Tridentinum*. Deinde taliter confitens scienter aliqua peccata retinet; de quo tamen *Tridentinum suprà* dicit, Quòd *nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponat*. Unde etiam omnes confessiones subsequentes sunt sacrilegæ & irritæ, atque adeò repetendæ, simul se accusando de sacrilegiis in toties confitendo, ac Eucharistiam recipiendo (si interea receperit) commissis. Quàmvis fieri posset, ut aliquæ confessiones intermediæ valerent, atque adeò non essent repetendæ, quas videlicet pœnitens cum vero dolore instituisset, invincibiliter non recordatus prioris defectûs, utì interdum fit.

Sic ut eidem sacerdoti omnia primo tempore occurrentia sint exponenda.

Corollarium practicum.

17. Petes, an Sacramentum Pœnitentiæ possit defectu integritatis dari validum & informe? Nonnulli (& referuntur *Scotus, Cajetanus, Canus, Victoria, Henriquez, Nugnus, Ledesma, Diana* apud *Aversa q. 14. sect. 6.*) putarunt confitentem sine sufficienti, cum aliquali tamen conscientiæ discussione, adeoque mortaliter in hoc peccantem, validè confiteri, quasi perfecta integritas cum prævia diligenti discussione requiratur quidem ex præcepto, non tamen ad valorem. Sed planè *Tridentinum* loquens de integritate, agit de illa, quæ prævium habet diligentem discussionem: ac æqualiter utramque requirit. Et certè commissio peccati tanti non est de aliis vera accusatio. Nec juvat, quod aliqui dicũt, sufficere, si de hac ipsa negligentia pœnitens se accuset: quid enim juvat se accusare de defectu adhuc manente, & cum tali à Sacerdote sacrilegam petere absolutionem. Ita *Aversa* & Doctores magìs communiter, etiam ipse *Cajetanus in Summa*. Quàmvis frequenter possit contingere, ut reverà deficiens in debita diligentia, bonâ fide credat esse sufficientem, aut defectũ ipsum non advertat, saltem in ipso actu confessionis; esto fortè peccasset in antecedenti præparatione: tunc enim, si non desit dolor, erit integra formaliter & valida confessio. Prout etiam valida est, si negligentia tantùm sit levis vel venialiter culpabilis.

An hoc Sacramentum defectu integritatis possit interdum esse validum & informe.

Resp. Negativè.

18. Porrò ad integritatem confessionis moraliter est necessaria diligens discussio conscientiæ, ut per se patet, & supponit *Tridentinum suprà*. Sufficit autem diligentia mediocris, quanta prudenti arbitrio videbitur, & in rebus gravibus à personis cordatis solet adhiberi: etiamsi præsumeretur, quòd per diligentiam plùs quàm mediocrem adhuc alia peccata in memoriam revocarentur. Unde etiam non tenetur pœnitens confessionem anticipare, aut peccata in charta describere, etsi alioquin timeat, quod plura peccata obliviscetur: quia hæc diligentia est extraordinaria, quæ non cadit sub obligationem. Sufficit igitur, ut dum pœnitentes volunt aut debent confiteri, præmittant moralem diligentiam in indagandis peccatis, majorem vel minorem pro ratione temporis lapsi ab ultima confessione, multitudinis peccatorum, & capacitatis ipsorum pœnitentium, prout in singulis prudentia ipsa dictaverit.

Diligens examẽ qualiter præmittendum.

Prætextu tamen defectûs diligentiæ non sunt facilè remittendi simplices & rudes, sed potiùs à Confessariis adjuvandi, dummodò aliquam saltem diligentiam, juxta suam capacitatem, præmiserint: nam sæpè ab illis non potest plus expectari; & quàmvis remittantur, æquè imparati redibunt: quos ordinariè Confessarius mediocri labore meliùs juvabit, quàm ipsi se ipsos longo examine. Ac etiamsi detegantur indigere confessione generali, aut multorum annorum, ob præcedentes confessiones irritas, meliùs plerumque possunt à Confessario statim examinari & audiri, quàm si suæ industriæ relinquantur, ut experientia docet. Quæ etiam docet pœnitentes jam divinâ gratiâ excitatos, si dimittantur hoc prætextu, postmodum sæpè non reverti, non sine gravi animarum damno.

Integritas non requirit

Ulteriùs constat ex *Trident. sup. c. 5.* debere peccata mortalia integrè exprimi non in genere dumtaxat, dicendo v.g. Peccavi mortaliter, Commisi peccatum carnis; sed potiùs in specie, dicendo v. g. Fornicatus sum. Alioquin enim Sacerdotes non possent debitè hoc judicium exercere, nec æquitatem in pœnis injungendis servare. Idemque est de circumstantiis, quæ speciem peccati mutant; juxta *Trid. suprà*, & *can. 7.* nam (ut ait Concilium) *sine illis peccata ipsa neque integrè à pœnitentibus exponuntur, nec judicibus innotescunt*. Et planè æqualiter confert ad judicium species peccati, & malitia specialis orta ex circumstantia; quæ quidem malitia formaliter loquendo est etiam quædam peccati species, etsi combinata in uno actu. Unde si adstrictus voto fornicetur v.g. debet hoc exprimere. Quàmvis (ut notant Doctores) de circumstantiis, quæ jam Confessario sunt notæ, non debeat fieri distincta mentio: nam v. g. expositâ fornicatione ab eo, quem novi Sacerdotem, satis exponitur circumstantia sacrilegii. Si tamen pœnitens non recordetur speciei peccati, scit tamen in genere se peccasse mortaliter, debet fateri peccatum in genere remoto vel propinquo, prout recordatur, & posteaquam in speciali meminit, debet fateri in specie.

Prædicta autem intelliguntur de speciebus & circumstantiis specificis verè differentibus in genere moris: nam physica differentia, utì est impertinens ad mo-

res;

res; sic etiam ad confessionem : v. g. utrùm occideris hominem laqueo vel ense, utrùm commiseris divinationem superstitiosam per ignem vel per aquam, utrùm inuleris damnum in agris vel in aliis bonis fortunæ. Unde improbabiliter *Cajetanus*, *Cano* (quos tamen conatur *Sotus* excusare) & *Navarrus* contra *Tridentinum* existimarunt sufficere, quòd explicentur species communiter notæ, non autem subtiliores & minutissimæ, quasi hæ non varient judicium Confessarii: nam *Tridentinum* loquitur generaliter de omnibus circumstantiis mutantibus speciem peccati. Quæ omnes proinde variant jure meritò judicium Confessarii, quantumvis aliquæ non forent communiter notæ mediocriter doctis. Faciliùs tolerari possent, si loquerentur de illis, de quibus est controversia inter Doctores, adeoque de quibus non satis constat, an verè mutent speciem peccati. Est etiam hac in re frequenter attendenda conscientia pœnitentium, qui formaliter peccant prout apprehendunt; circumstantias autem minùs notas sæpè non apprehendunt, adeoque excusantur à malitia formali ex eis oriunda. Unde autem peccata desumant suam malitiā specificam, seu quomodo inter se distinguantur specie, sive ratione objecti, sive circumstantiarum, petendum est ex dictis *Parte 2. Tract. 2. disp. 3. de Bonit. & Malit. q. 8. & 9. & disp. 5. de Peccato in Communi q. 6.*

Ultra species & circumstantias speciem mutantes, exprimendus est integrè, quantùm moraliter fieri potest, numerus peccatorum, quoties scilicet in tali specie, cùm tali circumstantia, quis peccaverit; ut est certum apud omnes Doctores, & habetur ex *Tridentino suprà* docente esse explicanda omnia & singula. Quare ordinatè confitens vel Sacerdos confitentem ordinatè interrogans, primò debet esse solicitus de specie cujuslibet peccati, deinde de circumstantiis singulas species mutantibus, tandemque de numero peccatorum commissorum ex singulis speciebus cum tali vel tali circumstantia. Et quidem dum scitur numerus determinatus, indubiè debet ille præcisè exprimi. Ut proinde corrigendus sit multorum abusus, qui etiam tunc cum quadam indeterminatione seu dubitatione confitentur numerum addito *plus minus*.

Sed quia frequenter præcisa numeri notitia est moraliter impossibilis, sufficit tunc exprimere numerum, qui creditur magis verosimilis, dicendo v. g. decies fornicatus sum, plùs minùsve : fit enim quod est moraliter possibile, quodque satis est ad judicium humano modo ferendum. Nec est permittendum, quod aliqui dicunt, ut se in tuto constituant, malle excedere, quàm deficere: cùm confessio debeat esse fidelis & verax. Quòd si postea certò occurrat pœnitenti se in numero excessisse, ad nihil tenetur: nam nihilominus confessus est omnia & singula sua peccata in numero majori (quem bonâ fide exprimendo non peccavit) inclusa. Si autem certò cognoscat se in numero defeciisse, distinguunt Doctores passim. Nam si defecerit notabiliter, tenetur postea defectum supplere, exprimendo vices non satis expressas. Si autem non defecerit notabiliter, docent satis communiter, eum ad nil teneri; ut si is qui confessus est se decies plùs minùs fuisse fornicatum, reperiat se undecies aut duodecies id feciisse. Nam moraliter loquendo in numero incerto continetur aliquid plus vel minus, prout ille numerus fuerit magnus vel parvus. Saltem ordinariè pœnitens, qui taliter expresit, prout scivit, potest esse securus: cùm non sit natum contingere, ut postmodum accipiat certam notitiam numeri magis determinati, qui hunc certò deprehendere non potuit ante confessionem instituto diligenti examine; sed potiùs numerus paulò fortasse major, qui incidit, censeatur velut dubius comprehendi sub numero ut suprà expresso. Alioquin si certò deprehenderetur, foret difficultas pendens ab hoc, an peccatum expressum ut dubium, debeat habitâ certitudine exprimi ut certum; de quo *quæst. 4.*

Quid faciendum, si postea error deprehendatur.

24. *Qualiter agendum cum rudibus rarò confitentibus,*

Quòd si nec modo posteriùs explicato quidquam certi haberi potest de numero (ut frequenter contingit in rudibus rarò confitentibus) debet confessarius illum colligere meliori modo quo potest ex lapsu temporis ab ultima confessione, ordinariâ conditione vivendi & frequentiâ ordinariâ in singulis diebus aut hebdomadibus. Qui etiam generaliter attendere debet, ut circa similes præsertim homines, aut graves alioquin peccatores magìs sit solicitus de seria confitentium pœnitentiâ ac emendatione vitæ, quam de materiali integritate; quæ frequentissimè in talibus est impossibilis, & consequenter non necessaria ad valorem ac fructum Sacramenti.

Circa quas maximè debet esse solicitudo de seria pœnitentia,

25. *Qualiter procedēdum cum meretricibus vel longo tempore in continuo velut peccato manentibus.*

Denique si nec hoc modo frequentiam peccati exprimere quis possit, ut contingere posset in meretricibus per longum tempus seu per annum vel annos ad cujuslibet libidinem prostitutis (Idem de usurariis & similibus) communior dicendi modus est, ut pœnitens confiteatur animi præparationem ad peccatum, & tempus, quo in eo vitæ instituto vixit: nam tali casu, nullo potiori modo potest numerum confiteri. Teneretur tamen, quantùm potest, confiteri numerum peccatorum, quæ in tali genere sunt extraordinaria, v. g. cum personis Deo dicatis. Item quoties peccaverit peccato contra naturam. Sæpè etiam necessarium est, ut explicetur circumstantia loci; quæ plurimùm subinde facit ad cognoscendam frequentiam peccatorum, saltem externorum. Quomodò autem peccata

casa inter se numero distinguantur, petendum est ex *Tract. de Act. hum. & pecc. disp. 5. quæst. 7.*

26. *An instituens confessionem generalem debeat confiteri integrè, etiam aliàs bene confessa.*

Petes, an qui confitetur generaliter, debeat integrè confiteri peccata præterita, aliquando legitimè absoluta? Resp. negativè cum communi sententia contra *Victoria* & *Ledesma*, qui oppositum affirmarunt, absque ullo apparenti fundamento. Neque enim per hoc decipitur Confessarius in materia hujus judicii: cùm pro illa pœnitens solùm det peccata quæ exprimit, non teneatur autem omnia exprimere, cùm semel ea fuerit legitimè confessus. Agnoscit tamen *Lugo* mendacium veniale (etsi non circa materiam Sacramenti) in eo, qui diceret se velle instituere confessionem generalem totius vitæ. Verùm nec hoc agnoscit *Dicastillo disp. 9. dub. 2. § 7. n. 163.* eò quòd illa verba non sint intelligenda in tam exacta verificatione, sed (nisi plus addatur) intelligi tantùm debeant, quòd velit instituere confessionem de præteritis, quantùm placuerit; aut si non sit tutus in conscientia, quantùm se debere putaverit.

27. *Peccata vetera cum novis tunc involvi possunt, sed non expedit.*

Dum autem fit confessio generalis, non est consultum peccata antiqua cum novis necdum confessis involvere: quàmvis si fiat, confessio adhuc valeat, juxta Doctores communiter: cùm peccatum, sive confessum, sive non confessum, sit in se idem & invariatum. Hoc tamen non caret difficultate. Ob quam nihilominus *Turrianus* immeritò sententiam communem taxavit ut improbabilem. Quod verò objicit, peccatum semel confessum & punitum aliud judicium & pœnæ taxationem exigere, quàm non confessum: sicut hoc non urget pœnitentem, quin extra casum confessionis generalis possit simpliciter confiteri peccatum aliquod, tacendo quòd aliàs sit idem confessus; dum tamen ob mutatum interea statum non accesserit circumstantia, quæ mutaret speciem, v.g. pollutionem ante votum commissam faceret, si denuò committeretur, sacrilegam (tunc enim cavenda esset deceptio Confessarii, etiam in præsenti cavenda, ne scilicet peccata nova ratione mutati statûs specialem malitiam habentia involvantur antiquis istâ malitiâ destitutis) sic neque urget pœnitentem, ut peccatis novis pleraque aliàs confessa jungens, hæc ab illis secernat. Non omnia porrò, quæ prudenter movere possent Confessarium ad augendam vel minuendam pœnitentiam, debent exprimi, v.g. doloris qualitas, peccati intensio, indulgentiarum occasio, præviæ satisfactiones &c. quando nihilominus citra falsitatis admixtionem explicatur species & numerus peccatorum.

28. *An venialia v.g mendacia cum do-*

Pro fine observa, quòd utì venialia non sunt necessariò confitenda quoad substantiam, ita nec quoad numerum. Putat tamen *Lugo d. 9. num. 56. & d. 14. num. 142.* in tantùm virtute confessionis venialia remitti v.g. mendacia, in quantùm Confessarius confuso modo percipit eorum numerum, & aliter non omnia, sed v.g. duo vel tria, aut graviora intra eamdem speciem remitti. Sed hæc doctrina caret fundamento, nec consonat communi praxi & existimationi, quæ potiùs suadet sufficere, quòd venialia exprimantur indefinitè, ut omnia remittantur. Et ratio est: quia Sacramentum non postulat comparatione venialium distinctâ notitiam multitudinis, sicut comparatione mortalium; adeoque potest vis Sacramenti se extendere ad totam, etsi tantùm confusè & indefinitè propositam. Sicut vis consecrationis extendit se ad totum hostiarum cumulum, etsi ignoretur, quot sint. Et sicut si Christus tantùm ordinasset confessionem generalem & indefinitam mortalium, omnia sic expressa absolverentur, non cognito specialiter numero. Quare fideles & Confessarii non sunt de numero exprimendo quoad venialia soliciti. Quod autem *Lugo* dicit, dum ita exprimuntur, solùm remitti quatenus Confessarius confuse modo percipit numerum; v.g. duo vel tria, aut graviora intra eamdem speciem, aliunde quoque non subsistit: nam non est major ratio, cur unum, quàm aliud absolveretur, quando nullum determinatur; sicuti idcirco vi indeterminatæ intentionis consecrandi nil consecratur.

QUÆSTIO III.

An Circumstantiæ notabiliter aggravantes sint confitendæ?

PRÆTER circumstantias, quæ speciem peccati mutant, sive operi peccaminoso superaddunt malitiam specie mortali distinctam, sunt aliæ aggravantes intra eamdem speciem. Et quidem aliquæ ita aggravant, ut de veniali faciant mortale, v.g. parva quantitas accedens alteri parvæ quantitati priùs ablatæ, facit furtum esse mortale. Has autem circumstantias esse exprimendas tam certum est, quàm quod exprimenda sint omnia mortalia. Et hæ Nonnulli vocant aggravantes in infinitum. Quædam è contrà ita allevjant sive diminuunt intra eamdem speciem, ut ex mortali faciant veniale aut nullum peccatum; quas vocant dimjnuentes in infinitum. Et tunc tale opus non debet exprimi in confessione; aut si exprimatur (ut frequenter faciunt rudes, aut securitatis gratiâ etiam docti) debet quoque explicari illa circumstantia, ne Confessarius decipiatur in re gravi, judicans esse mortale quod non est: v.g. si opus alioquin mortaliter peccaminosum sit factum sine sufficienti libertate vel advertentia, aut ex justâ causâ excu-

sante ab obligatione legis &c. Quod etiam est observandum, quando opus alioquin habens diversas specie malitias ex circumstantiis, hîc & nunc aliquâ illarum caret.

Præterea aliæ circumstantiæ augent vel minuunt malitiam intra eamdem speciem, manendo tamen semper intra gradum peccati mortalis. Et quidem si augmentum non sit notabile, certum est non debere explicari in confessione; tum ex omnium praxi: tum quia id parum facit ad judicium. Idemque est, si diminutiò non sit notabilis: immo juxta Doctores communiter contra *Sotum* & *Fabrum* id generaliter verum est de quibuscumque minuentibus intra gradum peccati mortalis: tum quia ex nulla auctoritate constat id esse præceptum: tum quia sic habet praxis communis: tum quia illarum explicatio potiùs videtur tendere ad sui excusationem, cùm tamen confessio sit sui accusatio. Non est tamen saltem reprehendendum, quòd hujusmodi circumstantiæ exprimantur pro meliori notitia statûs pœnitentis generanda in Confessario: dummodò id fiat salvâ veritate, neque mentiatur iniquitas sibi.

Itaque de circumstantiis notabiliter aggravantibus peccatum mortale intra eamdem speciem manet potissima controversia. In qua *Alensis*, *Major*, *Soto*, *Suarez*, & plurimi alii, tam antiqui, quàm recentiores, censent, eas esse necessariò explicandas: eò quòd peccata sic sint exprimenda, ut sacerdos de eorum gravitate rectè valeat judicare. Quod patet, tum ex natura judicii, tum ex *Tridentino sess.* 14. *c.* 5. docente peccata sic esse explicanda, ut sacerdotes de eorum gravitate rectè censere possint, & pœnam proportionatam pro illis imponere. Ad hoc autem requiritur, ut exprimantur circumstantiæ notabiliter aggravantes: nam furtum v. g. mille aureorum est sine comparatione majus, mereturque majorem pœnam, tum apud Deum, tum apud homines, quàm furtum ûnius aurei. Secundò incestus cum matre incomparabiliter excedit incestum cum consanguinea remotiori. Tertiò abscissio brachiorum, tibiarum &c. pari modo excedit simplicem vulnerationem præcisè pertingentem ad peccatum mortale. Quartò intensissimum odium continuatum sine interruptione per integram septimanam, supra modum excedit odium remissum durans brevi tempore. Igitur nisi hic excessus, qui tamen solùm aggravat intra eamdem speciem, explicetur, Confessarius non rectè judicabit, aut proportionatam pœnam imponet.

Juxta hanc sententiam in confessione est explicanda quantitas furti & damni illati in honore, famâ &c. Secundò, in incestu, gradus consanguinitatis & affinitatis. Tertiò numerus personarum, quas quis uno actu occidit, percussit, infamavit, aut injuriâ affecit, vel afficere desideravit. Quartò, intensio vel duratio, quæ ordinarium peccandi modum non parum excedit. Ut si ultra ordinarium modum notabiliter diu cogitationi malæ quis inhæserit, vel affectus peccati fuerit extraordinariè magnus, idque prodatur per signa externa, v. g. si quis inimicum occisum adhuc multoties confoderet. De intensione tamen, quæ interiùs omnino manet in corde, non debet pœnitens esse solicitus: cùm tunc nequeat humano modo discerni, & moraliter vix accidat, quòd sit extraordinaria, quin hoc ex aliquibus effectibus cognoscatur.

Nihilominus secunda opinio negans has circumstantias esse exprimendas est etiam probabilissima, & in praxi satìs recepta, quam tenet *D. Thomas*, *D. Bonaventura*, *Vasquez*, *Bonacina* & plurimi alii, tum antiqui, tum recentiores. *Scotus autem dist.* 17. *q. un. n.* 20. nihil definit, solùm asserens, & rectè, *non esse ita certùm, quòd oporteat illas confiteri, tamen tutum & utile esse, hoc fieri.* Probatur posterior opinio: nam obligatio adeò onerosa non est Fidelibus imponenda, nisi de ea satìs clarè constet ex aliqua auctoritate: prout non constat. *Tridentinum* enim obligationem Fidelium perfectissimè declarans, constanter solùm expressit, debere in confessione aperiri speciem, numerum, & circumstantias mutantes speciem. Et certè si *Tridentinum* censuisset ex institutione huius Sacramenti æqualiter posse colligi circumstantias aggravantes esse exprimendas, sicut id collegit de mutantibus speciem, mirum est, quòd istam collectionem non fecisset: contra eum autem, qui jus clarè dicere potuit, & non dixit, interpretatio est facienda. Et quàmvis ad imponendam proportionatam pœnitentiam possit deservire explicatio circumstantiarum aggravantium, non ideo sequitur esse explicandas: cùm non requiratur omnimoda & exacta proportio in hoc judicio, sed solùm talis, qualem Christus requisivit, quem non constat aliam exegisse, quàm proportionem ad speciem & numerum. Et planè hoc modo obligationem seu legem indubie rationabiliter potuit Christus ordinasse seu temperasse, ne onus grave confessionis gravius redderet, aliisve de causis sibi notis. Aliunde quoque constat plura alia conducere posse ad exactam proportionem pœnæ, quæ tamen non sunt explicanda; ut quòd quis peccatum adhuc sit confessus, quòd per vehementem contritionem sit antecedenter deletum quoad culpam & fortè quoad totam pœnam &c.

33. *Opinio negans esse confitendas est aquè ac magis probabilis.* *Probatur.*

Accedit quòd *Tridentinum* suprà, cùm expressisset exprimendam esse speciem, numerum & circumstantias mutantes speciem, dein subjunxisset confessionem quæ hâc ratione fieri præcipitur, impossibilem non esse, neque carnificinam conscientiarum,

34. *Quorumdam probatio ex verbis Tridentini desumpta discutitur.*

rum, addat: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut quisque ea peccata confiteatur* (scilicet modo & ratione priùs specificatâ) *quibus se Dominum mortaliter offendisse meminerit.* Quæ verba primâ fronte videntur apertissimè stabilire hanc doctrinam. Ipsa nihilominus satis commodè ab aliis explicari possunt, quòd cùm *Tridentinum* ibi loquatur de re aliqua tamquam manifestâ in Ecclesia (in qua tamen non constat, neque tunc constabat circumstantias aggravantes exprimi non deberi) solùm velit per ly *nihil aliud* excludere necessitatem confitendi omnia reipsâ commissa, & significare, quòd sufficiat exprimi omnia quæ occurrunt memoriæ, reliqua autem censeri inclusa in eadem confessione: adeòque (quod *Tridentinum* probare intendebat) confessionem, quæ hâc ratione fieri præcipitur, non esse impossibilem aut carnificinam.

Confirmatur denique: quia circumstantiæ alleviantes non sunt exprimendæ, & tamen etiam possunt variare judicium sicut aggravantes, v.g. si peccatum sit commissum ex gravissima tentatione vel metu, ignorantiâ &c. Quàmvis autem alii conentur disparitatem assignare, vix tamen assignant solidam.

35. *Corollaria practica.* Juxta hanc opinionem non est explicanda duratio, aut intensio actûs: nisi quòd aliquando sit explicanda per accidens duratio, quando inde debet conjici numerus peccatorum. Deinde juxta plures Doctores non est explicanda quantitas furti aut nocumenti illati. Sed hoc negant alii, eò quòd furtum notabile sit saltem virtualiter seu æquivalenter peccatum multiplex. Estque conforme praxi, & *Catechismo Romano Tit. de Pœnit. Sacr. num.* 41. Mirum quoque videri posset, quod fur centum millium aureorum satisfaciat confitendo se commisisse furtum mortale. In quo tamen Alii inhærentes generali & communiori doctrinæ de non necessariò confitendis merè aggravantibus, ne onus confessionis ultra necessitatem & tenorem præcepti ampliùs aggravetur, non reperiunt inconvenientiam, sicut nec in hoc, quòd habens odium intensum ad millenos gradus satisfaciat confitendo simpliciter se habuisse odium mortale.

Tertiò non est explicandus gradus consanguinitatis aut affinitatis, si tantùm sit circumstantia aggravans, ut docet *Diana* & alii. Si autem sit circumstantia mutans speciem (ut de gradibus jure naturæ dirimentibus, aut inter ascendentes & descendentes plures Doctores docent) constat esse exprimendam. Prout etiam exprimendus est numerus personarum, quando quis uno actu vult plures occidere vel damnificare; eò quòd tunc unicus ille actus contrahat plures numero malitias. Ita *Vasquez* & alii. Supposito tamen quòd solùm esset circumstantia aggravans (quod docet *Suarez*, & probabile putat *Vasquez*) consequenter non esset numerus personarum juxta hanc opinionem exprimendus.

Notandum verò, etsi juxta posteriorem opinionem circumstantiæ merè aggravantes non debeant exprimi, tamen etiam non possint negari. Unde qui habuit odium proximi valdè intensum non posset in confessione dicere, Odii remissè proximum. Similiter posito quòd non esset exprimenda in furto quantitas notabiliter aggravans, furatus centum non posset solùm dicere, Sum furatus decem. Neuter enim confitetur integrè peccatum seu substantiam individuam peccati, cùm odium intensum & furtum centum ne confusè quidem significetur per odium remissum vel furtum decem. Qui autem simpliciter exprimit odium vel furtum grave, explicat individuum peccatum odii vel furti quod commisit, saltem confusè, quatenus odium intensum, & furtum centum continetur sub latitudine odii & furti gravis.

Petes I. an pœnitens teneatur fateri circumstantias aggravantes, quando saltem de iis interrogatur à Confessario? Affirmat *Lugo disp. 16. num.* 123. Sed quàmvis omnino id pœnitenti consulendum sit, tamen consequenter loquendo non apparet pœnitens ad hoc per se obligatus. Nullum enim apparet fundamentum hujus obligationis. Neque est dicendum quòd pœnitens obligetur ad plura dicenda rogatus, quàm sponte, quando alioquin satis scit, quæ & qualiter confiteri debeat. Nec ulla Auctoritas id docet. Sanè *Tridentinum* non aliam agnoscit obligationem, quàm deferendi, declarandi, recensendi peccata, etiam spontè. Unde si *Tridentinum* probet aliquid, probat etiam spontè esse deferendas circumstantias aggravantes, utì mutantes speciem. Quocirca pœnitens sufficienter instructus Confessario interroganti circumstantiam aggravantem respondere posset, explicui totum quod debeo.

Nec refert, quod pœnitens rogatus debeat fateri consuetudinem peccandi, etsi non debeat fateri spontè. Nam per se loquendo non debet illam fateri, nisi quando illam deberet spontè exprimere. Unde si pœnitens sciat se esse dispositum ad occasionem proximam, & alioquin sufficienter expresserit numerum, non debet fateri consuetudinem, etsi rogatus. Per accidens tamen & practicè loquendo est saltem plerumque inexcusabile, eò quod inde debeat sacerdos dignoscere dispositionem pœnitentis, qualitatem occasionis peccandi, frequentiam seu numerum peccatorum commissorum &c.

Petes II. An Circumstantia aggravans tunc saltem sit confitenda, quando ratione illius

illius est peccato annexa reservatio aut censura? Asserit *Aversa q. 10. sect. 8.* & alii, existimantes de cetero circumstantias aggravantes non esse per se materiam necessariam confessionis. Quod planè ex hoc non sequeretur: cùm reservatio vel censura interdum apponatur peccato etiam ratione circumstantiæ non notabiliter aggravantis, v.g. effectûs reipsâ subsecuti. Prout etiam interdum reservatur furtum vel damnum illatum bonis certæ personæ, aut in certa regione: etsi alioquin ex hoc capite non oriatur notabilis aggravatio peccati.

Nihilominus consequenter loquendo Resp. Neg. Nam si quantitas furtum aggravans non sit exprimenda, etsi furtum centum aureorum esset reservatum, sufficeret confiteri habenti potestatem in reservata, Commisi furtum mortale. Similiter reus incestûs reservati sufficienter confiteretur dicendo, Commisi incestum. Confiteretur namque habenti potestatem, quidquid jure divino debet: non enim debet dicere, Peccatum est reservatum; cùm tali non sit reservatum. Nec aliquid confessioni deceret, etsi habens potestatem ignoraret peccatum cum circumstantia reservata expressum esse reservatum. Adde, etsi oporteret dicere, Commisi furtum reservatum, incestum reservatum &c. non tamen necesse foret exprimere latitudinem totam reservationis, v.g. furatus 200. sed sufficienter diceret, Commisi furtum reservatum. Similiter incestuosus, etsi commisisset incestum in secundo gradu, satisfaceret dicendo, Commisi incestum reservatum. Idque etiam, dum confitetur non habenti potestatem, ei injungendo ut petat facultatem. Alias huic non posset confiteri. Quòd si sacerdos non esset contentus, est, quia sequeretur aliam sententiam. Equidem per se debet potiùs sequi opinionem pœnitentis.

Idem est, si sit reservatio cum censura. Si enim sciat certò confessarium solere præmittere absolutionem à censuris, satisfaceret confitendo, habenti potestatem, simpliciter peccatum tamquam grave, petendo saltem absolutionem ab omni censura. Quòd si etiam necesse foret exprimere censuram reservatam, necdum deberet exprimere totam latitudinem reservationis; ut statim ostensum est.

QUÆSTIO IV.

An Peccata dubia sint confitenda?

LOQUIMUR de dubio propriè dicto, quando scilicet quis hæret suspensus, non determinans assensum in alterutram partem. Quando enim probabiliter saltem uni parti adhæret, etsi cum formidine de oppositio, non dicitur propriè dubius. Quare qui potest probabiliter seu prudenter pro se resolvere, quòd non commiserit actum mortaliter peccaminosum, vel quàmvis sciat se actum commisisse, probabiliter sive prudenter tamen judicat, quòd ob defectum deliberationis vel consensus &c. non peccaverit in eo mortaliter, non tenetur confiteri, etsi consultum sit: cùm possit æquo judicium prudens. Ita notant Doctores satis communiter.

tum grave, vel in eo se non graviter peccasse, consuliò, sed non necessariò confitetur.

Idem est, quando quis certus de mortali commisso, prudenter resolvit, etsi cum formidine, quòd fuerit illud confessus; nam ut censeatur aliquis legi satisfeciisse, sufficit judicium probabile de ejus adimpletione; & contrarium esset nimis grave. Ita notant iidem Doctores. 40.

Idem est, si certus de facto mortali probabiliter resolvit se confessum esse.

Secùs est juxta omnes, si sit propriè dictum dubium, an peccatum mortale certò commissum quis sit confessus: nam tunc lex confitendi est in possessione. Deinde quando constat de lege, requiritur saltem, ut prudenter quis credat se satisfeciisse.

Secùs est, si de hoc tantùm dubitet.

Per accidens tamen potest quis ab hoc excusari ratione scrupulorum, præsertim si id faciat ex prudentis Confessarii judicio, ut notat *Præpositus q. 5. dub. 3.* Unde scrupulosis circa præteritas confessiones suadendum est, ut de præteritis nihil confiteantur, nisi certi sint, quòd in illis graviter peccaverint, & similiter quòd non sint confessi: quia non tenentur cum tanto suo damno & periculo inhærendi perpetuò scrupulis procurare omnimodam integritatem confessionis; præsertim cùm in illis rarò sit periculum defectûs. Immo præstat ob gravissimam difficultatem ac periculum notabilis damni proprii aliqua interdum omitti à nimiùm scrupuloso; quàm perfectâ integritate, quæ si moraliter impossibilis est, servatâ, incommoda tam notabilia eorumve periculum incurrere, non secùs, ac si confessio foret conscientiæ carnificina. Quod judicio prudentis Confessarii est committendum. 41.

Notabile pro scrupulosis.

Addit *Præpositus supra* quòd quando quis solet bonâ fide & præmisso examine in confessionibus procedere, si post diuturnum tempus de aliquo mortali solùm dubitet, num illud fuerit confessus, possit præsumere quòd sic, adeòque non teneatur illud in confessione explicare: nam moraliter est impossibile post diuturnum tempus positivè recordari omnium quæ quis confessus est; & proinde esset onus intolerabile, si in tali circumstantia teneretur homo confiteri, præsertim quando dubium est negativum, in quo homo pro neutra parte habet rationes. Ita *Præpositus.* Quando autem pœnitens confitetur peccatum de cujus confessione dubitat, optimè quidem faciet, addendo, se de hoc ipso dubitare; non est tamen necessarium, ut docet *Sanchez, Coninck* & alii passim. 42.

Alia regula utilis pro quietanda conscientia circa confessionem præteritorum.

43. Restat itaque quæstio potissima, an quando quis propriè dubitat, seu suspensus hæret, utrùm commiserit peccatum mortale, sive dubitet de substantia facti v. g. an commiserit homicidium, sive dubitet de sola qualitate, v. g. dum sciens se habuisse delectationem veneream, dubitat an deliberatè consenserit, teneatur in confessione tale peccatum dubium explicare. Et quidem pauci Recentiores partem negativam sustinent, aut speculativè saltem probabilem censent. Et specialiter *Præpositus supra*, cum *Lessio* & quibusdam aliis à se (ut ait) consultis illam censet probabilem speculativè, quando est dubium de substantia facti; secùs censet, quando est dubium de sola qualitate. Hoc ipsum quod *Præpositus*, docet assertivè & absolutè *Coninck disp. 7. dub. 8. n. 69.* explicans auctores communis sententiæ asserentes peccata dubia esse confitenda, quòd loquantur, non de eo, qui dubitat, an omnino aliquid fecerit quod est peccatum; sed an qui sciens se commisisse quod est peccatum, saltem materiale, dubitat, an v. g. deliberatè consenserit. Idem frequenter hìc Lovanii fuit in Thesibus publicis à viris Doctissimis defensum. Et sine hæsitatione id asserit noster *Marchant Tom. 1. Tract. 4. Tit. 6. q. 5.* Et rursum *Tract. 5. Tit. 4. q. 5.* ob hoc, quòd sicut humanum judicium, sic sacramentale præsupponere debeat materiam judicii, sive substantiam facti: tunc autem de qualitate sit judicis examinare & arbitrari. Verùm ad judicium humanum etiam deferuntur crimina probabilia, seu de quorum qualitate est hinc inde probabile judicium: & tamen non deferuntur hæc necessariò ad tribunal sacramentale.

Peccata de quibus dubitatur an sint cõmissa, juxta Nonnullos non sunt confitenda; secùs (inquiunt) si solùm dubitetur de qualitate.

Expenditur hujus dicti probatio.

44. Rationem verò allegat *Præpositus supra*, quòd Christus videatur præcepisse subjici omnia peccata, de quibus non posset formare pœnitens probabile judicium, quòd solùm essent venialia: cùm enim non sit cujusque nosse qualitatem peccati, fuit congruum, ut quando saltem est dubium, peccata judicibus deferatur. Probat verò principale intentum: quia qui non habet probabile judicium quòd peccaverit, potest censeri retinere suam libertatem, ratione cujus non sit obligatus confiteri: cùm in dubio sit melior conditio possidentis. Sed hoc militat contra ipsum, qui fatetur debere explicari peccatum, de cujus qualitate dubitatur: nam etiam talis potest censeri suam libertatem à mortali retinere: cùm talis verè sit dubius de eo, an peccaverit mortaliter, seu an interiùs deliberatè v. g. consenserit: adeoque non esset obligatus, ob conditionem potiorem possidentis libertatem, confiteri tale peccatum.

Expenditur altera probatio.

45. Unde *Caramuel in Theol. morali l. 3. c. 1. d. 4.* per totam (quam rursum inseruit suæ *Theologiæ fundamentali* seu veriùs suo Dubitantio) fusissimè conatur probare, peccata dubia non esse confitenda, sive dubitetur de substantia, sive de qualitate. Immo ipsum asserit, etsi solùm sit dubium de mortalis certi confessione seu absolutione. Quod postremum saltem est omnino improbabile, & hactenus (quod sciam) à nullo altero Scriptore Classico in dubium vocatum: eò quòd præceptum confessionis stet certò in possessione, adeoque in tali dubio non sit judicandum in favorem libertatis. Aliàs pariter dubius de impletione voti, de lectione horarum, de solutione debiti &c. judicandus erit immunis.

Caramuel generaliter negat dubia

Quod autem ad primum attinet, fatendum in primis est, ei favere commune axioma: *In dubio melior est conditio possidentis.* Item ex *Tridentino* nihil solidi posse adduci contra istam sententiam: solùm enim docet *sess. 14. c. 5.* illa tantùm peccata esse confitenda, quorum post diligens examen memoriam vel conscientiam habemus. Propriè autem non dicimur habere memoriam eorum, de quibus ita dubitamus; immo de his dicere solemus, quòd non possimus recordari, sed dubitemus. Conscientia quoque, id est cordis scientia, vulgò quidem, sed impropriè tribuitur conscientiæ dubiæ. Declarat quidem *Tridentinum supra* contra *Lutherum* oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia in confessione recenseri *etiamsi occultissima illa sint.* Sed per hæc non intelligit dubia, at interna, sine mora, se explicando, addens: *& tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur.* Quo sensu etiam *Lutherum* damnaverat *Leo X.* Quamvis torticosus ille coluber involutè aliquando loqueretur & scriberet, ut omni posit anguilla faciliùs elabi, ut notat *Rossensis*; ideoque cum error iste *ei exprobraretur, Glossam confinxit ejusmodi, quòd manifesta peccata nunc vocaret, quæ non essent occulta, sed quæ certò constent esse peccata, & de quibus dubium non sit*, ut inquit *Eckius Hom. 43. de Confess.* addens: *Errorem hunc eousque perduxit, ut sui jam Sectatores nec manifesta confiteantur peccata, neque occulta.*

Infirma quoque est probatio, qua utitur Cardinalis *Lugo disp. 16. sect. 2. num. 67.* quod nimirum obligemur ad judices in hoc tribunali visibili deferre omnia, sicut ad judicem cælestem in tribunali invisibili: ad hunc autem deferre oportet peccata dubia. Quod si respondeas, ad justicem divinum oportere etiam deferri peccata probabiliter mortalia, non tamen ad Sacerdotes in tribunali visibili; contrà instat *Lugo*, id solum esse necessarium in articulo mortis, in quo ob periculum damni irreparabilis deberet etiam quis de peccatis probabiliter mortalibus conteri: cum tamen aliàs requiratur & sufficiat prudens judicium de statu gratiæ; cujusmodi judicium

dicium talis habet, non autem is, qui merè dubitat. Nihilominus hæc probatio est infirma: nam solùm oportet deferre ad Sacerdotes tamquam ad judices ea, quæ summus Judex sive Christus ordinavit; non constat autem ex *Tridentino* illos esse quoad omnia & omni modo constitutos judices vicarios. Nam ad judicem summum etiam oportet deferre peccata singula physicè numero distincta, & circumstantias aggravantes. Inde tamen non sequitur esse recensenda in confessione. Deinde saltem in quovis periculo mortis debebat olim peccator conteri de peccatis probabiliter mortalibus, eaque deferre ad judicem invisibilem, & tamen in nova lege ne in tali quidem periculo successit obligatio ea confitendi, ut ipse *Lugo* non diffitetur.

Unicum proinde quod contra præfatam sententiam urgeri posset, est sensus & praxis Doctorum communissima, atque adeò sensus & consuetudo fidelium. Et certè Christus potuisset confessionem peccati dubii præcipere: quòd autem de facto præceperit, colligitur ex præfato consensu & usu. Unde per consequens habens hujusmodi dubium non foret in possessione libertatis confitendi, sed per illud ipsum dubium eâ spoliatur; eò quòd aliunde constet Christum præcepisse confessionem peccati dubii.

Sed contrà opponet quispiam, ex sensu & praxi communi allegatâ non videri certò deduci institutionem Christi velut per quamdam viam traditionis: eò quòd in primis fortè sensus Doctorum & fidelium non sit aut fuerit semper adeò communis, prout prætenditur. Nam inter Scholasticos antiquos pauciores sunt, qui de hac quæstione agunt. *Alensis* verò & *D. Thomas*, qui obiter eam attingunt, & dubia confitenda dicunt, non se fundant in auctoritate aut traditione, sed in nuda ratione, eâque infirmâ (quâ etiam utuntur *Summistæ*, qui indè eam hauserunt, ut *Tabiena*, *Sylvester* & alii, quorum unus sequitur alium plerumque instar ovium gregis) quòd sic dubitans non confitendo exponat se discrimini; quasi nempe debeat agere quod tutius est: hoc autem plurimas habet instantias in dubio de lege, de voto, de re an sit aliena, suppositâ possessione &c. Fideles quoque non omnes idem censent: quin immo scio interdum fuisse, qui putarent contrarium hoc titulo, quòd non poterant recordari se fecisse, sed tantùm dubitarent. Pii præterea plerumque practicant, quod securius est. Et sanè fideles idem apprehendunt de peccatis probabiliter vel probabilioris mortalibus. Nec tamen ob hoc censentur illa debere in confessione exprimi. Fit insuper interdum, quòd aliqua non satis examinata, communiter apprehendantur obligatoria, ideoque practicentur tamquam talia (in quorum sanè praxi non poterat esse error aut abusus) quæ tamen post diligentiorem discussionem apparent non satis fundata, adeoque usus contrarius obtinere incipiat. Minùs denique congruere videtur rationi judicii, ut pœnâ aliquâ plectatur reus, cujus peccatum facto examine manet dubium. Quæ omnia ulteriori indagini Lectoris relinquens, communem sententiam pro praxi amplector & consulo: eò magis, quòd etsi opposita Doctrina non sit hactenus per Decreta Ecclesiæ in *Lutherо* reprobata, *Lutheri* tamen sit, & ab *Eckio supra. & l. 3. de Pœnit. c. 11. Rossensi contra art. Lutheri, Bellarmino l. 3. de Pœnit. c. 1.* graviter improbetur.

49. *Dubia sunt sub dubio confitenda.*

Adverte, peccata dubia esse confitenda sub dubio: nam oportet peccata explicare, prout sunt in conscientia. Idem est cum proportione, quando pœnitens est certus de mortali commisso, dubitat tamen de specie aut de certa circumstantia speciem mutante: debet enim explicare sicut novit, dicendo v. g. habui desiderium inhonestum circa personam alterius sexûs, & dubito, utrùm fuerit circa conjugatam. Habitâ tamen postea certitudine, convenit ipsum explicare ut certum, quòd expresserat ut dubium. Immo juxta plerosque ad hoc obligatur, sicut per se loquendo obligabatur facere in principio, solùmque excusabatur per accidens ratione ignorantiæ: quâ proinde cessante, redire seu adesse videtur prima obligatio, utì in peccatis oblitis.

Et cessante dubio convenit ea exprimi ut certa. Immo juxta receptam doctrinam oportet.

50. *Quæ tamē non leves patitur difficultates.*

Hoc tamen, suppositâ præsertim obligatione confitendi peccata dubia, patitur non modicam difficultatem. Nam juxta doctrinam valdè communiter receptam confessus se decies plùs minùs v. g. pejerasse, non tenetur ampliùs confiteri, etsi postea recordetur certò se id fecisse undecies aut duodecies; & tamen expresserat solùm sub dubio has duas vices, immo & ipsam decimam vicem, non aliter quàm si de unico v. g. perjurio tamquam de dubio se accusasset. Deinde talis verè est confessus peccata ista quoad speciem, numerum & circumstantias, prout tunc erant in memoria, estque ab iisdem directè absolutus. Certitudo autem non est circumstantia se tenens ex parte objecti & peccati, sed ex parte cognitionis, quæ proinde etsi dubia non impedit, quò minùs totum peccatum sit integrè in confessione manifestatum, secùs quàm dum non manifestatur circumstantia moraliter diversificans peccatum. Quàmvis etiam, si ab initio pœnitens fuisset certus de peccato, non rectè illud expressisset tāquam dubium; utpote cum mendacio pernicioso decipiens Confessarium in materia gravi hujus tribunalis. Confirmatur ex eo, quòd dubius de voto aut censurâ, si petat & obtineat absolutionem ad cautelam seu sub condi-

conditione, non debeat posteâ habitâ certitudine iterum petere absolutionem.

51. *Quas variis Recentiores censent hoc non esse necessarium.*

Ob hæc & similia varii viri docti consulti à *Lugo* (ut ipse refert *d.* 16. *sect.* 2. *num.* 92.) & inter hos *Nicolaus Richardius* Magister sacri Palatii probabile judicarunt, peccatum confessum ut dubium, non debere habitâ certitudine exprimi ut certum: quàmvis ipse *Lugo* nolit in hoc puncto aliquid definire, sed securiorem partem consulere. Post ipsum tamen *Thomas Tamburinus l.* 2. *de Confess c.* 1. §. 4. *n.* 24. hoc ipsum tanquam probabilissimum asserit, & absolutè tradit *Arriaga d.* 31. *sect.* 6. nec planè apparet, quomodò id non rectè sequatur ex altera adeò receptâ sententiâ. Quare vel utrumque est asserendum, vel sanè utrumque negandum. Quod postremum incunctanter facit *Dicastillo disp.* 9. *dub.* 2. §. 4. existimans peccatum dubiè comprehensum sub particulis, *plus, minùs*, debere habitâ certitudine exprimi ut certum, utì alia confessa sub dubio. Qualiter nihilominus modus iste explicandi numerum practicè serviat quieti animarum, dictum est *quæst.* 2. *num.* 23.

52. *Circa dubiorum confessionem qui procedendum cum scrupulosis.*

Advertendum præterea quoad confessionem peccatorum dubiorum non esse rigorosè procedendum cum scrupulosis, qui etiam in manifestè licitis dubitant, an peccaverint: sed his suadendum est, ut omnia dubia contemnant, prout Doctores communiter notant. Vide dicta in simili *n.* 41. ubi de scrupulosis dubitantibus circa præteritas confessiones actum est.

QUÆSTIO V.

Quibus Casibus licita sit Confessio non integra materialiter?

53. *Ab integritate materiali excusat notabile incommodum extrinsecum,*

Certò constat apud omnes Christum ita requisiviſse integram omniũ mortalium confessionem, ut tamen ipsa frequenter possit esse valida & salutaris, etsi aliqua non exprimantur, non solùm quando diligenter cogitanti non occurrunt, sed etiam quando, etsi occurrant, tamen adest justa causa (qualis est notabile incommodum confessioni extrinsecum) hîc & nunc non exprimendi, remanente equidem obligatione postmodùm omissa confitendi. Hoc enim congruebat suavi Dei providentiæ, nostræque imbecillitati, ac ipsius remedii commoditati. Deinde excusatur pœnitens, quando peccatum obliviscitur; consequenter etiam quando aliunde confiteri non potest. Quinimmo excusat oblivio, quatenus est quædam impotentia. Ad oblivionem autem revocatur probabilis credulitas de confessione factâ, vel quòd non sit mortale; aut etiam error invincibilis, quo creditur esse justam causam non confitendi hîc & nunc, aut nescitur talem integritatem requiri ad valorem. Immo in casu quo damnum animæ, sigillum, vel simile quid obstat, cui ipse pœnitens præjudicare nequeat, non solùm potest, sed etiam tenetur non integrè confiteri. Secus est, quando pœnitens potest juri suo cedere; uti potest per se in damnis propriis temporalibus.

Non minùs quàm oblivio, ignorantia &c.

Notant tamen Doctores, non posse plus reticeri, quàm sit necesse. Unde si notabile incommodum tantùm subsit in expressione certi peccati, debent exprimi reliqua; si solùm locum habeat in peccato externo, debet exprimi internum, & sic de ceteris. Quando etiam potest confessio sine isto incommodo integrè fieri apud alium Confessarium, non potest apud priorem dimidiari. Quare debet quoque confessio tantisper differri, ut integrè apud alterum fiat, si commodè differri possit. Non censetur autem id commodum, quando præceptum annuæ confessionis instat, aut necessitas communicandi vel celebrandi, aut quando sine nota non potest differri, aut denique quando ipsa dilatio esset nimia, quod prudenti judicio definiri debet. Ut proinde loco regulæ hîc sit prudens judicium; prout cum ceteris tradit *Suarez* determinans tamen per modum exempli dilationem per diem aut biduum non esse nimiã. At vero *Lugo d.* 16 *sect.* 7. *n.* 416. censet dilationem ultra biduum saltem esse nimiam in obstricto peccato mortali non cõfesso, & ne qvidem indirectè absoluto; secùs in eo qui novit se habere peccatum in cõfessione oblitum & indirectè absolutum: nimiam quoque esse dilationẽ in Sacerdote assueto quotidiè celebrare, cui certè (inquit) grave esset per triduũ à Sacrificio abstinere.

Primus casus, quo licet mutilare confessionem, est, quando subest impotentia physica, sive ex parte pœnitentis, qui non potest omnia exprimere, v. g. ob instantem mortem, defectum usûs rationis, defectum loquelæ &c. sive ex parte Confessarii, si non adsit nisi surdus, idiomatis ignarus, nec possit aliis signis plura percipere: sive ex parte aliorum v. g. si plures sint in naufragio, incendio, aliove exitio imminenti, in quo non possunt singuli integrè confiteri: sive quovis alio modo occurrat talis impotentia. Quando tamen pœnitens non potest cõfiteri omnia, debet incipere à mortalibus, & quidem juxta Nonnullos, (quod tamen non videtur necessarium) à gravioribus.

Secundus, quando est impotentia moralis seu nimia difficultas. Ut si non possit cõfiteri, nisi coram aliis vel alio, aut non nisi per interpretem: aut si prudenter sibi timeat ex alicujus peccati confessione grave damnum, sive corporale, sive spirituale, v. g. grave odium & persecutionem Confessarii, subtractionem sustentationis, revelationem peccati à Confessario faciendam, aut sollicitationem vel pertractionem ab illo ad peccatum; vel si examini peccatorum

rum diutiùs inhærendo timeat se iterum consensurum in peccatum. Ob quam causam potest pœnitens non solùm illa obiter examinare, sed & Confessarius interrogare: qui in peccatis carnis eorumque circumstantiis indagandis debet valde cautè procedere, tùm ne pœnitentem doceat quod non novit, tum ne illi sit occasio novi consensûs. Unde præstat sacerdotẽ minùs perfectè peccatum pœnitẽtis intelligere, quàm illi vel sibimet aliquod scandali periculum creare; ut rectè monet *Conink disp. 7. dub. 7. num. 56.*

Simili modo excussatur pœnitens, si ob gravitatem morbi, indispositionem capitis &c. non ferat longum examen, nec sine magna difficultate possit omnia explicare, etsi à Confessario adjutus.

Tertius casus est, si ipsi Confessario immineat aliquod notabile periculum, v. g. cõtagionis, nec possit pœnitentem eminus audire; tunc enim paucis peccatis in specie auditis potest pœnitentem de omnibus generaliter se accusantem absolvere. Idem est, si damnum notabile immineat alicui tertio, quod sit confessioni extrinsecum. Item si Confessarius non possit propriũ suum peccatum exprimere, nisi detegendo peccatum in confessione cognitum cum auctore, non solùm potest, sed etiam debet illud tacere, ratione sigilli; quod longè graviùs obligat, quàm confessionis integritas. Ita *Scotus d. 21. q 2 n. 21.* & alii communiter.

Quartus casus non improbabiliter docetur à *Navarro, Præposito,* & aliis, quòd dum pœnitens non potest explicare suum peccatum, aut aliquam circumstantiam, quin inurat infamiam complici, possit subticere peccatum, sive ejus circumstantiam, prout fuerit necessarium ad servandam famam complicis: eò quòd lex de non infamando proximo sit naturalis, cui non videtur Christus derogasse per institutionem & mandatum confessionis præsertim cùm eam liceat multis aliis casibus mutilare. Nec fundata est quorumdã exceptio, dicentium in mortis articulo, eoque solo confitendum esse peccatum cum detectione complicis: nam quòd extra illũ articulũ id fieri non deberet seu posset, id foret ob infamationẽ proximi; quæ sanè etiam in mortis articulo non licet.

Nihilominus oppositum communius & in praxi receptius videtur: Et post *S. Bernardum* ad calcem *Formulæ honestæ Vitæ, in ejusdem materiæ Notabili Documento*, docet *d. Tho dist. 16. q. 3. a 2. quæstiunculâ 5. ad 5. D. Bonaventura d 21. p. 2. a. 1. q 3.* Probatur: quia possum peccatum proximi revelare personæ secretæ etiam ad capiendum consilium utile, aut similem causam notabilis momenti: ergo etiam possum illud aperire Confessario ob commodum integræ confessionis, quod est magni momenti: & consequenter teneor; cùm nihil sit quod excusset, nisi pretensa ab aliis obligatio complicem non infamandi. Deinde sicut infamia pœnitentis ipsum non excusat, sic nec infamia complicis: cùm utraque velut per se ac æquè intrinsecè sequatur ex integritate confessionis; quam proinde Christus præcipiendo censetur voluisse etiam observari in dicto casu. Aliud est de incommodis confessioni magìs extrinsecis, & ex ea per accidens tantùm sequentibus. Cavendum tamen, tùm pœnitenti, tum Confessario, ut peccatum complicis non aliter aperiatur, quàm quatenus ad integritatem confessionis, vel ad consilium, quo pœnitens debet juvari, est necessarium. Quod autem de complice dictum est, ob eamdem rationem dici debet de non complice, quando ad integritatem confessionis est necessarium explicare defectum illius, ut si v. g. quis percusserit publicè existimatum laicum, quem percutiens secretò novit esse religiosum apostatam. Ita *Richardus, Sotus* & alii plures.

Qua cautela adhibenda.

60. Dices: si Sacerdos vel uni diceret peccatum complicis, possem tacere: ergo etsi sciret solus sacerdos. Resp. Neg. Cons. Nam etiam si Sacerdos vel uni diceret proprium pœnitentis peccatum, non deberet hic tali confiteri peccatum istud; & tamen debet, etsi sciat ipse Sacerdos. Disparitas generalis est, quòd incommodum prius sit extrinsecum confessioni, sive non oriatur præcisè ex integra peccati expressione, sed per accidens ex malitia Confessarii: at posterius oritur intrinsecè & per se ex ipsa expressione integri peccati; supposito quòd complex sit pœnitenti notus: sicut supposito quòd pœnitens sit Confessario notus, sequitur idem contra pœnitentem; qui tamen dum nequit ignotum accedere, non excusatur ab integritate.

Cur minùs excusat notitia complicis apud Sacerdotem, quàm apud tertium.

61. Quintus casus est, quando habens casus reservatos occurrente necessitate confitetur ei qui non potest directè à reservatis absolvere. Putãt quidem plurimi Doctores tali casu confitenda etiam esse reservata, à quibus pœnitens est indirectè absolvendus. Estque saluberrimum consilium, & per accidẽs subinde ex conditione pœnitentis necessarium, aperire statum suum etiam de reservatis, si exinde foret absolutione indignus, aut in re necessaria instruendus. Nihilominus per se loquendo posse confiteri sola non reservata, est valde probabile, & cùm *Alensi* docent varii Recentiores: tum quia inferior Confessarius quoad casus reservatos non est legitimus judex: tũ quia confessio eorum non foret sacramentalis, utì nec absolutio; alioquin ab eis pœnitens absolveretur directè. Nec obligatur per se loquẽdo pœnitens suum integrum statum aperire, sed quoad illa solùm, à quibus potest absolvi: de aliis autem obligationibus ex peccatis reservatis resultantibus potest sufficienter

Confitens in necessitate non habenti potestatem in reservata, hac consultò simul exprimit,

Sed per se loquendo non tenetur.

cienter esse instructus, & satisfacere paratus.

62. *Magnus pœnitentium concursus non excusat confessarium à negligëda integritate.*

Pro fine notandum est contra Nonnullos, magnum concursum prementium se pro confessione, non esse justam causam dimidiandi confessionem; nec esse liberum Confessario confitentes ita urgere ad expediendum, ut non sinat eos detegere integrè suam conscientiam, vel ut omittat juvare interrogationibus necessariis. Ratio est; quia integritas confessionis est de præcepto Christi, ut exprimit *Tridentinum*; à quo præcepto concursus pœnitentium non excusat, nisi sit conjunctus cum gravi necessitate. Concursus itaque pœnitentium præcisè spectatus ad hoc dumtaxat sufficit, ut Confessarius consultò tunc sit potissimùm solicitus de mortalibus, aut gravioribus venialibus.

QUÆSTIO VI.

An & Qualiter moribundus possit absolvi qui nullum peccatum in particulari potuit confiteri?

63. *Moribundus, qui solùm nutu alióve signo Confessario pœnitentiam seu desiderium confitendi ostendit, certò est absolvendus.*

DIco I. Ut moribundus possit, adeoque debeat absolvi, sufficit cõfessio, quàmvis generalissimo modo fiat, quando plus haberi nequit. Unde si adveniente Confessario non possit ampliùs loqui, vel aliquod peccatum in particulari exprimere, sed tantùm exprimit aliquod in genere, vel solùm ostendit signa pœnitentiæ de peccatis in communi, sive desiderium confitendi, est absolvendus. Ita communiter Doctores hoc tempore contra *Navarrum*, *Soturn*, *Canum* & quosdam alios. Nec apparet, quomodo negari possit, postquam *Paulus* V. hanc doctrinam expressit in *Rituali Romano* à se approbato *Tit. de Sacram. Pœn.* ubi dicitur. *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægro deficiat, nutibus & signis conetur sacerdos, quoad ejus fieri potest, peccata pœnitentis cognoscere; quibus utcumque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Idem à fortiori constat ex aliis auctoritatibus *seq. Conclus.* allegandis.

Juxta Rituale Romanum.

64. *Probatur ratione Theologicâ & simul occurritur objectionibus.*

Ratio Conclusionis est: quia pœnitens per talem confessionem præbet veram materiam, scilicet dolorosam sui ipsius accusationem de peccatis: ex qua sacerdoti innotescit status pœnitentis, quòd scilicet peccaverit, & de peccatis doleat, ac se accuset: neque amplius hîc & nunc haberi potest, adeoque nec debet, quàmvis indubiè extra necessitatem deberent peccata mortalia, & quidem omnia exprimi in speciali, juxta *Trid. sess.* 14. *c.* 5. Quod tamen ad hanc necessitatem non est extendendum, in qua etiam juxta alios certum est sufficere, quòd exprimatur vel unicum mortale, immò etiam unicum veniale determinatum, si aliùd haberi non possit; & tamen inde non innotescit perfectè Confessario status pœnitentis. Neque est necesse, ut ex confessione innotescat judici aliquod peccatum, quod antea non noverat: cùm nil referret, etsi antecedenter omnia in particulari sciisset. Sufficit itaque, ut peccatum in genere vel in specie innotescat Confessario judicialiter, scilicet per accusationem: sufficit (inquam) ut judex cognoscat pœnitentem dolere, & accusare se de peccatis, esto antecedenter notis.

Si autem quæratur, super quid tunc cadat absolutio? Responderi potest, directè cadere super peccatum in communi, indirectè super rationes particulares singulorum peccatorum. Ita passim Doctores. Nisi quis malit dicere cùm *Poncio disp.* 46. *n.* 93. absolutionem cadere directè super omnia peccata in particulari, de quibus pœnitens dolet, & generatim se accusat; etsi, si ad mentem redeat, sit adhuc obligatus ex indubitato præcepto Christi mortalia in particulari integrè confiteri.

Adverte, signa veræ pœnitentiæ in moribundis, quando aliud non constat, præsumi esse edita in ordine ad claves sive absolutionem sacramentalem, ut monet *Leyman* & alii; etiamsi infirmus fortè non sciat sacerdotem sibi esse præsentem. Quando autem dubium est, an signa doloris oriantur ex angustia morbi, an ex vera interiori pœnitentia, danda est equidem absolutio, saltem sub conditione: sicut quotiescumque in tali periculo contingit esse dubium circa sufficientiam materiæ vel capacitatem subjecti.

Petes: An qui non habet materiam necessariam, sufficienter etiam extra necessitatem confiteatur accusando se de omnibus peccatis in genere, aut de venialibus in communi? Resp. videri omnino quòd sic: quia peccata venialia in sua specie non sunt materia necessaria confessionis: alioquin autem talis confessio est dolorosa de peccatis accusatio, ut ex dictis in Conclusione patet. Quòd enim extra necessitatem hoc non valeat in habentibus peccata mortalia, est, quia debent illa exprimi quoad speciem & numerum, quantùm fieri potest. Non est tamen hoc facilè practicandum, tum quia obstat usus communis, tum quia diversi censent id non licere, etsi ego non videam ullum solidum fundamentum. Potest proinde generalis clausula, quâ pœnitentes sub finem confessionis se accusant de omnibus peccatis, ad hoc servire, ut si fortè serius dolor se non extendat ad levia & quotidiana, quæ pœnitens jugiter ac velut ex quadam consuetudine confitetur, nihilominus valida sit absolutio, si adsit dolor aliquis de peccatis se extendens saltem ad

ad gravia aliquando commissa, in quibus etiam verificatur ista clausula.

Dico II. Potest, adeòque debet absolvi moribundus, si coram aliis signa pœnitentiæ dederit, sive desiderium confitendi ostenderit in absentia Confessarii, etsi eo advenientè nullum ampliùs signum possit exhibere. Hanc Conclusionem non solùm negant ii, qui præcedentem, sed insuper plures alii, quorum nonnulli eò temeritatis sunt progressi, ut illam non censuerint probabilem. Nihilominus eam tenent præcipui Doctores, tam numero, quàm auctoritate, etiam post decretum Clementis VIII. de quo infrà; immo juxta *Poncium sup. n.* 96. temerè jam contrarium docetur ob auctoritatem *Ritualis Romani*: quâ salvâ (uti salva esse debet) planè ignoro, quomodo contrarium sustineri queat.

Probatur Conclusio ex dicto *Rituali Pauli V.* in quo casus Conclusionis videtur in terminis expressus; dum in eo dicitur: *Etiamsi confitendi desiderium per alios ostenderit, absolvendus est.* Quod clariùs adhuc expressum erat in Ritualibus Romanis antiquis, unde novum fuit desumptum. Absurda autem est responsio (quam clarissimè explodit ipse contextus) quorumdam dicentium irrepsisse errorem, & ponendum fuisse: *Absolvendus non est.* Alii errorem in Revisores Ritualis referebant. Nec dicere verebantur nonnulli *Paulum V.* tamquam hominem privatum errasse contra decretum *Clementis VIII.* Sed ex Bullâ Rituali præfixâ clarè patet *Paulum V.* auctoritate Pontificiâ illud Rituale toti Ecclesiæ observandum proponere, velut in quo contineantur recepti & approbati Ecclesiæ Catholicæ ritus, ad cujus proinde præscriptum tamquam ad publicam & obsignatam normam sua ministeria Sacerdotes peragerent, unoque ac fideli ductu inoffenso pede ambularent cum consensu; ut loquitur Pontifex: sicut antea *Pius V.* Breviarium, & *Clemens VIII.* Pontificale Romanum simili auctoritate ediderant. Unde Congregatio sanctæ Inquisitionis coram Pontifice anno 1621. die 2. Decembris decrevit, Rituale esse observandum uti jacet, nec in aliquo adversari Decreto *Clementis*.

Huc accedunt decreta Conciliorum vel Pontificum: quæ alii frustra conantur eludere, ut fusè expendit *Vasquez*, & alii Recentiores. Sufficit ipsa verborum claritas, & sensus obvius, ac *Rituali Romano* per omnia consonus. *Araujicanum I. c.* 11. ait: *Subitò obmutescens, prout statutum est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Simili modo loquitur *Carthaginense III. can.* 34. & *Carthaginense IV. can.* 63. (aliàs 76.) & refertur *cap. Is qui* 26. *q.* 6. ait: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit ..... dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Leo Papa Epist.* 91. *ad Theodorum* postquam egisset de necessitate confessionis & absolutionis ad recuperandam gratiam, & periculo illorum qui usq; ad ultimum vitæ confessionem differunt, subdit nihilominus etiam talibus tunc non esse negandum hoc remedium, *si amisso vocis officio per judicium integri sensus quærere comprobentur.* Deinde subjungit: *Quòd si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulò antè poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebant, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.* Nec dissimilia habet *Eusebius Papa* apud *Burchardum in suo decreto l.* 18. *c.* 11.

70. *Ex quibus patet esse obligationem tali casu impendendi absolutionem.*

Ex quibus satis patet absolutionem tali casu non solùm posse, sed etiam debere impendi: tum quia hoc præscribunt citatæ auctoritates: tum quia succurrendum est proximo in necessitate, etiamsi remedium non foret omnino certum, quando certius haberi non potest. Et quàmvis aliqui censeant absolutionem esset dandam sub conditione: hoc tamen Plures negant, & meritò: eò quòd auctoritates loquantur absolutè. Nisi tamen esset speciale dubium de interna dispositione pœnitentis. Quod etiam in similibus casibus, quibus de illa dubitatur, est observandum, ut tunc detur absolutio sub conditione.

Quæ danda sub conditione.

Sufficit desiderii seu pœnitentiæ testis unicus etiam mediatus.

Non requiritur autem certus numerus aut qualitas testium, sed sufficit unicus, quiscumque sit, etiam mediatus, cui credi possit: non enim agitur de præjudicio tertii, sed solùm de spirituali salute infirmi. Dum tamen adesset specialis ratio dubitandi de veritate testimonii, posset dari absolutio sub conditione.

71. *Immo etsi nullus testis adsit, absolvendus est ager sub conditione juxta Aversa, Mayrchant & Joannem Poncium.*

Immo *Aversa q.* 10. *sect.* 18. idem censet faciendum, etsi nullus testis adsit, si dubitari possit, an fortè infirmus aliquod signum dederit nemine videnti vel audiente. Pro quo erit locus dubitandi juxta ipsum, quandocumque non constat oppositum. Conformiter noster *Marchant To.* 1. *Tract.* 4. *tit.* 4. *q.* 3. *dub.* 7. etsi conclusionem tertiam subjungendam neget, censet tamen pœnitentem ita obmutescentem & operatione sensuum orbatum, ut nullum appareat signum pœnitentiæ aut desideratæ confessionis, sub conditione absolvendum esse. Etsi namque in tali peccatore sic oppresso nullum mihi signum appareat, quod materiam confessionis faciat mihi sensibiliter præsentem in ordine ad absolutionem, nec mihi proinde certò constet peccatorem sic obmutescentem de peccatis aut salute cogitare; immo nec appareat eum ratione uti; potest tamen fieri, ut non tantùm intus de peccatis doleat, confiterique desideret, sed etiam

aliqua signa edat per se sensibilia, etsi mihi incognita, inquit *Marchant suprà*, quem vide.

His accedit *Joannes Poncius d. 46. n. 95.* ubi non solùm de justis, sed etiam de illis qui antè scelerate vixerunt (quales etiam solent in periculo vitæ dolere & petere confessionem) ait, se non videre, cur non possit dari utriusque absolutio sub conditione: cùm in hoc nihil mali sit, & non sit evidens, nec certum de fide, quòd non possit prodesse. Accusatio verò talis pœnitentis juxta ipsum potest sensibiliter cognosci seu conjici ex eo, quòd soleant pœnitentes cujusvis conditionis in periculo mortis petere confessionem, cùm possunt id facere: est autem verisimilius, inquit, quòd talis pœnitens idem faciat internè, aut fecerit antè.

72. *Objicitur Decretum Clementis VIII. quo damnatur confessio facta absenti. Responsio Suarez non subsistit.*

Dices: *Clemens VIII.* damnavit confessionem factam absenti, & absolutionem datam ab absente, idque in quovis casu: confessio autem in casu Conclusionis videtur facta absenti. Ad hoc decretum diversimode diversi Doctores respondent. Itaque.

Respondet I. *Suarez* & quidam alii, Pontificem damnare utrumque copulatim, non divisivè: quòd scilicet non liceat confiteri absenti, & simul ab absente absolvi. Verùm inde sequeretur salvo decreto Pontificis absolutionem posse dari absenti, modò confessio fuerit facta in præsentia. Unde hanc interpretationem improbavit ipse *Clemens VIII.* Et postea *Paulus V.* estque jussu Pontificis Sectio, in qua dicta interpretatio continebatur, expuncta. Nihilominus *Moya Tract. 3. de Sacram. Pœnit. disp. 6. q. 2. n. 11.* inhærens interpretationi *Suarez*, varios pro ea congerit etiam Recentiores; sed eam sic modificando, ut in re non, aut vix differat à nostra, quam quinto loco subjungemus. Dicit itaque Pontificem non damnasse propositionem in sensu divisivo, utramque ejus partem determinatè attingente, sed in copulativo propter absolutionem absentis. Expunctionem autem factam alio planè motivo: quo per lapsum temporis cessante, Expositio prima *Suarez* invaluerit, ac in novis editionibus sit restituta. Volebat nimirum Pontifex (omissis aliis motivis, quæ refert) reprimere temeritatem quorumdam, inde satagentium à censura eximere opinionem quorumdam asserentium, in necessitate posse dari absolutionem absenti, qui in præsentia fuerat confessus, utique contra mentem Pontificis absolutè damnantis omni casu absolutionem absenti dandam; quam pro omni casu improbat ipse *Suarez*. Quo satis innotescente, eadem expositio cum plausu recepta fuit, & in communem utilitatem ejus operibus restituta. Ita *Moya*.

73. *Responsio*

Respondet II. *Vasquez* cum aliis confessionem in casu Conclusionis fieri præsenti sacerdoti per circumstantes velut infirmi interpretes, in cujus præsentia testificantur illius desiderium. Sed neque hæc responsio videtur satisfacere: quia omnino dicendum apparet moribundum, qui nemine sciente peccata sua scripto indicasset sacerdoti absenti, posse ab eo superveniente absolvi. Deinde posset mittere aliquem, qui significet Pastori infirmum velle confiteri, & cum Pastore non redeat: quo omen casu est absolvendus; quidquid isti Auctores velint. Non enim videtur referre, quòd cùm infirmus jam sit nullatenus sui compos, testis de illis petitione deponat in ejusdem præsentia, vel solùm sacerdoti in via reperto. Auctoritates etiam citatæ simpliciter docent standum esse testimonio aliorum, ut sint nimirum qui fidem præbeant; ad quod non pertinet, ut id fiat in præsentia ægroti: prout clarius apparet in Baptismo, de quo Veteres Auctoritates uniformiter loquuntur, immo de quo & pœnitentia eamdem asserunt esse rationem. Vocatur autem à *Leone Papa* testimonium circumstantium, sive quia id est ordinarium, sive quia circumstabant, quando infirmus signum dabat. Accedit, quòd communi judicio testes illi non existiment se, aut ab aliis existimentur interpretes moribundi quoad præsentem confessionem, sed solùm testes voluntatis præteritæ, ut etiam colligitur ex *Leone Papa*, & *Arausicano*. Unde ante decretum *Clementis* censebatur in tali casu à Doctoribus communiter confessio fieri absenti. Ipseque *Clemens* declaravit Cardinali *Bellarmino* nec non *Petro Lombardo* Archiepiscopo Armachano se non intendisse suo decreto hunc casum comprehendere: quæ declaratio fuisset utique impertinens, si Pontifex putasset confessionem talem non fieri absenti.

Respondet III. *Dicastillo d. 9. dub. 9. n. 807. & seqq.* & rursum *n. 839. & seqq.* valere quidè confitendi desiderium nunciatum Sacerdoti absenti, etsi testimonium non detur præsentia infirmi, tamen confessionem verè tunc non fieri absenti juxta intentū *Clementis*, agentis de Confessione ordinario modo, & quidē non ordinatâ ad Cōfessarium ut adsit: hic autem est casus confessioni extraordinariæ, & quidem ordinatæ ad Sacerdotem, ut sit præsens (hunc enim sibi præsentem infirmus desiderat) ipsaq; confessio præterita adhunc moraliter perseverat in pœnitente, dum Sacerdos jam præsens est, in quo proinde etiam tunc manet notitia, quam infirmus præsens eidem absenti, sed desiderato præsenti per alium dederat: sicq; tunc incipit esse notitia de pœnitentia ægroti præsentis. Sed hæc responsio videtur longè quæsita, nec à *Clemente VIII.* intenta: cujus sanè tempore erat apprehensio & sensus communis talem confessionē maximè fieri absenti,

absenti, nec Pontifex respondet eam non repugnare suo decreto hoc prætextu quòd fiat præsenti, sed se non intendisse hunc casum eâ parte decreti, quæ de Confessione agit, comprehendere. Deinde juxta hanc explicationem nulla confessio fieret absenti, nisi quæ fieret simul ex intentione obtinendi absolutionem ab absente: aliàs enim pœnitens censebitur in eadem voluntate permanere, notitiaque Sacerdoti absenti data perseverare, dum jam pœnitenti adest. Præterea si Pontifex solùm damnat confessionem, quæ (ut loquitur *Dicastillo n.* 807.) ex voluntate confitentis fit absenti tamquam absenti, non erit contra decretum Pontificis, etiam extra necessitatem confiteri absenti desiderato præsenti, à quo præsenti postea absolvatur.

Respondet IV. *Lugo* & *Poncius, sup. n.* 96. Pontificem agere de Confessione strictè dictâ, qualis est peccatorum in speciali; non autem de confessione latè dictâ, qualis est petitio Confessarii. Sed non subsistit: nam posset pœnitens circumstantibus explicare sua peccata in speciali per eosdem explicanda Sacerdoti adventuro, nec tamen ideo minùs, immo potiùs potuit absolvi. Quod verò Auctoritates asserunt sufficere, quòd infirmis ostenderit confitendi desiderium, intelligitur dictum ampliativè, q.d. etiamsi illud tantùm ostenderit, est absolvendus. Estque ipsum tunc confessio seu accusatio propriè dicta, sed tacita seu implicita. Dicitur autem desiderium seu petitio confessionis, tum quia hoc modo solet vocari, & in *Rituali Romano*, & ab ipsis infirmis absente Confessario: tum quia est desiderium confitendi peccata in specie, cujusmodi confessio per se est necessaria. Et hâc ratione Archiepiscopus Armachanus in Epistola scripta ad P. *Coninck* appellat confessionem in voto. Quàmvis alioquin sit vera judicialis & sacramentalis confessio: quæ utique semper est necessaria. De cetero explicatio Armachani (qui non refert illam fuisse à Pontifice probatam) nos non stringit.

Quintò igitur Respondeo, etsi confessio ista fiat absenti, Pontificem tamen noluisse comprehendere suo decreto hunc casum, prout expressè ipsemet declaravit Cardinali Bellarmino, ac etiam Archiepiscopo Armachano, ut constat ex *Præposito q.* 4. *dub.* 3. & 5. *Coninck* & aliis. Itaque *Clemens* suo decreto prorsus voluit damnare simpliciter & pro omni casu, etiam extremæ necessitatis, confessionem & absolutionem inter absentes copulatim; similiter etiam absolutionem solam dandam ab absente, prout intellexerunt Doctores communiter: nam hoc erat præcipuum intentum Pontificis, & in absolutione præcipuè attenditur vis & valor Sacramenti, & concurrunt ad hoc motiva specialia. Confessionem autem in absentia damnare non voluit etiam seorsim, nisi extra casum necessitatis, ut ipsemet declaravit, & satis colligitur ex aliis Ecclesiæ decretis, quibus alioquin *Clemens* contrariaretur. Sive interim Confessio absenti facta per litteras aut per internuntium, extra hunc extremæ necessitatis casum, sit invalida ex natura rei seu ex institutione Christi, hocque declaret Pontifex per decretum citatum, sive tantùm illicita (prout vult *Præpositus* & multi alii) propter hoc ipsum Decretum talem confessionem prohibens, ac universalis Ecclesiæ usum, Canonibus consonantem.

77. *Moribundus qui Catholicè vixit, absolvendus est, etsi aliud signum pœnitentiæ dare nequiverit.*

Dico III. Absolvendus est moribundus, qui nec petiit confessionem, nec specialia signa doloris præsente aut absente confessario dare potuit, si vitam catholicè peregerit, præsertim per Missæ & Sacramentorum frequentationem. Est contra plerosq; Doctores, quorum aliqui censent Conclusionem esse improbabilem, inter quos graviter in eam invectus est *Joannes Malderus* Episcopus Antuerpiensis, signanter *Tract. de Sigillo confess. c.* 15. Qui tamen postea perpensis Conclusionis fundamentis verè probabilem censuit, ut in publica Disputatione, quam habui Antuerpiæ in nostro Conventu, anno 1652. 5. Februarii testatus est immediatus illius Successor Illustrissimus Dominus *Gaspar Nemius*, postea Archiepiscopus Cameracensis, ante Episcopatum Doctor Duacensis, declarans similiter coram toto auditorio esse verè probabilem, & in praxi securam. Eamdem tenuit *Jacobus Janssenius*, teste *Lessio q.* 9. *Suppl. n.* 20. Et apertissimè *Joannes Hesselius in explicat. Sacram. Pœnit. c.* 55. Eamdem docuerunt P. *Sasing.* & multi alii Theologi doctissimi in Belgio, & sæpiùs defenderunt publicè in hac Academia Patres Societatis, signanter Doctissimus Pr. *Ludovicus de Schildere in Synopsi de Sacram. c.* 5. §. 59. Eamdem Opinionem docuerunt *Homobonus*, *Molfesius*, *Caramuel*, & plures alii non infimæ notæ, & longè plures hîc & alibi practicant: & aliis citatis probabilem censet *Diana* P. 3. *Tract.* 3. *de Absol. moribundi, resol.* 8. Immo practicata dicitur ab ipso *Clemente VIII.* ut refert *Diana sup.* Eamdem approbavit & observari præcepit *Alexander Ludovisius* Archiepiscopus Bononiensis (qui postea fuit summus Pontifex, dictus *Gregorius XV.*) in *Memoriali Confessariorum* edito Bononiæ *cap.* 1. *de forma Sacram. Pœnit.* Et probat auctoritate *Sacerdotalis Romani*, in quo ex S. Antonino idem præscribitur his verbis: *Infirmus, qui agnitit loquelam vel usum rationis, si bene vivebat, quàmvis non petierit Sacramenta, debet præsupponi contritus, & Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia & peccato.* Conformiter in *statutis synodalibus Ecclesiæ Lemovicensis* impressis 1620. *c.* 21. agendo de hypothesi nostra, sic decernitur: *Poterit quoque idem applicari remedium ei, qui judicio omnium-*

Probabilitas constat ex auctoritate gravissimorum Præsulum & Doctorum.

Item ex Sacerdotali Romano.

que

unque sensuum usu statim captus est, non petitâ pœnitentiâ, nulloque signo contritionis edito, cum violentia morbi judicatur de repente & ex improviso præventus & oppressus & christiane vixit, ferrique potest judicium ex actionibus vitæ & moribus eum libenter Pœnitentiæ Sacramentum petiturum forè, si tempus & morbi violentia permisissent: licet in hoc casu nihil de absolutionis effectu promittere possimus. Sed animarum salvandarum causâ nullum remedium omittere debemus, quod Dei potestati nostræ commissi, Deum orantes, ut immensâ bonitate & misericordiâ, quod deest agentium dispositioni, suppleat, cetera inscrutabilibus Dei judiciis commendantes. Ita refert *Morinus de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ l. 10. c. 10.* ubi eamdem sententiam propugnat, uti & *Bosco de Sacram. Pœnit. sect. 9. Concluſ. 6.* Eamdem sententiam fusè propugnat *Moya supra quæst. 4.* texens syllabum plurimorum Auctorum, inter quos noster *Delgaddillo, Pellizarius, Alcatius de Velasco &c.*

78. *Accedit apertum satis testimonium S. Augustini.*

Accedit satis clara auctoritas *S. Augustini lib. 1. de Adulterinis coniugiis c. ult.* ubi, cùm docuisset catechumenum in adulterio viventem & subitò oppressum infirmitate, in qua nequeat significare internum dolorem aut desiderium Baptismi, equidem esse baptizandum; subdit: *Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccuparit: nec enim ipsos ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet Mater Ecclesia.* Ubi *Augustinum* satis clarè nostram docere Conclusionem non diffitetur *Dicastillo disp. 2. de Sacramen. in gen. dub. 14. n. 320.* & fusiùs hîc *d. 9. dub. 9. n. 852. & seq.* etsi ob communem sensum Ecclesiæ putet *n. 854.* oppositam sententiam esse præferendam. Sed hallucinatur in hoc, quòd communi sensu Ecclesiæ suam firmari opinionem putet. Non rectè quoque verba *Augustini* restringuntur seu detorquentur ad pœnitentem publicum, qui celebatur in numero petentium reconciliationem; ut eum explicant *Marchant & Hazeur.* Nam *Augustini* verba id non significant. Quin potiùs agit de vivente in adulterio, qui intrà se pœnitens fortè jaceat; adeoque sit ad summum in generali ordine pœnitentium, in quo sunt omnes, qui quotidie veraciter dicunt, *Dimitte nobis debita nostra.*

79. *Corollarium notabile pro praxi.*

Ex quibus patet, spectatâ solâ auctoritate extrinsecâ, omnino non posse negari, quin Conclusio sit verè probabilis, adeoque in necessitate ex obligatione charitatis practicanda; cùm tunc sit proximo succurrendum per remedium etiam tantum probabile, immo etiam per merè dubium. quòd potest prodesse & non obesse. Quoad praxim etiam ferè coincidunt *Aversa, Marchant & Poncius* relati *n. 71.* etsi alioquin Conclusionem nostram sub terminis à nobis positis non admittant.

80. *Suadetur*

Probatur insuper Conclusio: quia in necessitate desiderium confessionis seu petitio confessarii sufficienter habet rationem confessionis, dummodo per signum aliquod innotescat: sicut autem tale signum esse potest testimonium aliorum, ita etiam sufficere videtur testimonium de vita catholicè acta, per quam sicut indicat se velle vitam christiano more concludere, adeoque desiderare se in fine confessionem & absolutionem à peccatis; sicut censetur petere extremam Unctionem, quæ tamen est Sacramentum minùs necessarium: ergo moribundus sensibus destitutus, de cujus voluntate aliud signum haberi nequit, est absolvendus, videlicet sub conditione, si sit capax, non minùs, quàm debeat inungi. Unde etiâ in tali casu non deest confessio, scilicet ipsa vita catholicè acta, quæ est tacita petitio absolutionis dandæ pro tali articulo. Ut interim omittam Nonnullos existimare confessionem non adeò necessariò requiri ad valorem hujus Sacramenti (veluti cujus tantum sit pars integralis, aut prævièrequisita) quin in tali necessitate possit sine ea absolutio, adeoque Sacramentum subsistere. Ad quam extremitatem tamen non est opus recurrere. Confirmatur Conclusio ex solutione objectionum. Itaque

Dices I. De Extrema Unctione est alia ratio: nam ad illam solum requiritur quædam intentio suscipiendi Sacramentum, sed præterea requiritur in hoc Sacramento confessio tamquàm pars. Resp. ipsam intentionem suscipiendi hoc Sacramentum exterius expressam per vitam Christianam simul esse in tali articulo confessionem, uti foret expressa petitio absolutionis, sive Sacramenti hujus: in necessitate autem sufficit etiam tacita petitio; ut etiam alii fatentur, ignanter *Lugo*, & ex illo *Dicastillo disp. 9. n. 768.* Et quia expressum & interpretativum seu tacitum æquiparantur in moralibus. *Obj. Prim.* *Resp.*

Dices II. Infirmus vitam Christianam non direxit tamquam signum petitionis seu desiderii absolutionis. Resp. Neg. Assumum dirigatur ab eo tamquam signum tacitum seu interpretativum petitionis extremæ Unctionis. Idque sufficit: nam parùm refert, an factis, an verbis significetur: an expressè, an tacitè. Immo multi etiam expressè petierunt in vita, sive tali modo sibi succurri, sive succurri omni modo possibili. Et quidem id sufficeret pro collatione Baptismi: *Quæ autem baptismatis, eadem & reconciliationis est causa &c.* ait *Augustinus supra.* Conformiter loquitur Carthaginense III. non aliud ad hoc, quàm ad Baptismi Sacramentum exigens. *Obj. Secunda.* *Resp.*

Dices III. *Rituale Romanum* prohibet absolvi, qui nulla signa doloris dant. Resp. Rituale loquitur de finis in peccato obstinatis, qui expressâ signa dare possunt. Patet ex textu. *Obj. Tertia.* *Resp.*

Instabis, requirit saltem, agens postea de infirmis, signum doloris (utique distinctum *Instan.*

ctum à vita christianè transacta) de quo testentur, qui adstabant: quod & requirunt aliæ auctoritates *conclus. præc.* allegatæ. Resp. 1. Neg. Ass. nam solùm dicunt tunc dandam absolutionem, & quidem absolutè, non negant, quòd non possit dari saltem sub conditione, in casu nostro: exprimunt enim tantùm id quod est certum. Sicut *Rituale Romanum Tit. de Sacram. Pœnit.* tradens in periculo mortis quemlibet Sacerdotem posse à quibuscumque censuris & peccatis absolvere, *si approbatus desit confessarius*, tradit hoc quod certum est, abstrahens ab eo quod est controversum, an scilicet etiam sine hac conditione possit id quilibet Sacerdos.

Nihilominus auctoritates dant satis intelligi, quod nos in præsenti dicimus: si enim sufficiat ostendisse per se vel per alios confitendi desiderium, utique perinde est, per quale signum: at vita orthodoxa est hujusmodi signum, sive ostendit sufficienter hujusmodi desiderium: adeoque conformiter ad easdem auctoritates talis est absolvendus. Confirmatur: quia simile signum est sufficiens pro Baptismo, ergo similiter pro hoc Sacramento, de quo pariformiter est loquendum, & loquuntur prædictæ auctoritates. *Carthaginense III.* namque & *Arausicanum* subitò obmutescentes quoad Baptismum & quoad Pœnitentiam expressè æquiparant.

Dices IV. Ad quid danda est absolutio, cùm possit ei dari Unctio certò valida & probabiliùs conferens attrito primam gratiam in tali casu? Resp. in primis, quia hoc non est certum, & ut, si unum non prosit, infirmus juvetur per aliud. Secundò, quia esto Unctio haberet hanc vim, tamen est Sacramentorum vivorum, & consequenter suscipi debet à constituto in statu gratiæ, per Sacramentum scilicet mortuorum: adeoque debet, si fieri potest, peccator in istum statum restitui priùs per hoc Sacramentum. Tertiò, quia etsi esset justus, tamen sicut adhuc desiderare censetur in tali casu Unctionem, sic & absolutionem; adeoque probabiliter validè dari potest, & per consequens debet.

Dices V. Non potest cum fundamento aliquid sciri de dispositione ejusmodi infirmi: ergo nequit ei impendi absolutio. Resp. Neg. Antec. sufficiens enim fundamentum est vita catholicè acta: solent namq; Catholici quotidie dicere Orationem Dominicã, & petere veniam à Deo, similesque actus elicere, præsertim circa finem vitæ, nec sciri potest, an adeò subitò oppressus sit, ut non potuerit elicere actum doloris de peccatis, quæ solent statim incidere periclitanti; nec etiam sciri potest, an desit interior usus rationis: in quo experientia docet nos sæpè falli, ut patet exemplo notabili, quod de se ipso narrat *Marchant suprà*. Sanè etiam in ordine ad Extremam Unctionem præsumi debet dispositio in suscipiente; & tamen hanc in hujusmodi infirmo præsumit Ecclesia: quid ni ergo similiter in ordine ad absolutionem? in ordine ad quam proinde præsumit illam ipse quoque *Augustinus suprà* agens de adulteris: quòd scilicet fortè intra se pœnitentes jaceant. Dato autem, quòd dispositio verè non subesset, irreverentiam, quæ Sacramento fieret, abstergit ipsa necessitas, atque etiam conditio absolutioni apposita saltem per mentem.

Dices VI. Conclusio præmissa repugnat veteri usui Ecclesiæ. Resp. repugnare ad summum usui negativo, quia scilicet hoc olim non ita fuit practicatum: est autem frequens circa hujusmodi variatio, ut quod in Ecclesia olim non fuerat discussum, postea discutiatur & usurpetur; veluti cũ fundamento erutum ex aliis doctrinis Ecclesiasticis. Quàmvis falsum videatur generaliter loquendo, nusquam in Ecclesia fuisse id practicatum: cùm non solùm præsenti, sed etiam superiori sæculo fuerint assertores nostræ conclusionis; immo eam satis apertè tradat *Augustinus*. Cujus proinde verbis *suprà c.* 26. concludo. *Non solùm incredibile est, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum* (supple ex *c.* 28. aut reconciliari seu absolvi Catholicum) *velle: verùm etiam si voluntas ejus incerta est, multò satius est nolenti dare, quàm volenti negare: ubi velit, an nolit, sic non appareat, ut tamen credibilius sit, eum si posset, velle se potiùs fuisse dicturum, ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire.* 85. *Objectio sexta. Resp.*

QUÆSTIO VII.

An Confessio debeat fieri Ore, secretò & veraciter?

DICO I. Ex usu Ecclesiæ Confessio est faciendа ore; quàm proinde *Florentinum in Decreto de Armenis* appellat, *Oris Confessionem*. Et quidem juxta Doctores communiter usus iste graviter obligat: de quo tamen non immeritò dubitat *Lugo*, & solùm venialiter obligare indicat *Villalobos*, ut refert *Aversa q.* 10. *sect.* 4. §. *Tertiò loquendo*: eò quòd fortè usus iste sit introductus aut frequentatus, non tam animo se graviter obligandi, quàm quia is est communis significandi modus & magis facilis. 86. *Confessio faciendа ore ex usu Ecclesiæ. An graviter obligante, dubium est.*

Nec obstat, quòd *Augustinus l. de vera & falsa pœnit. c.* 10. & refertur c. *Quem pœnitet d.* 1. *de pœnit.* omnino reprobet confessionem per scriptum. Nam Auctor operis (quem constat non esse *Augustinum*) solùm vult non esse faciendam absenti per scriptum, vel aliquem nuntium. Verba sunt: *Præcipit enim dominus mundatis, ut ostenderent Ora Sacerdotibus, docens corporali præsentiâ confitenda*

confitenda esse peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda. Dixit, Ora monstrues, & omnes, non unus pro omnibus &c.

87. *Saltem excusat causa rationabilis.*

Excusat saltem causa rationabilis confitentem scripto vel nutibus Sacerdoti præsenti; ut si v. g. pœnitens sit mutus, vel ob morbum non valens amplius loqui. Item si adsit notabilis in loquela difficultas, aut in quorumdam peccatorum expressione singularis pudor. Immo confiteretur absque ulla culpa, qui post peccata in charta descripta & porrecta sacerdoti, ac absolecta, proprio ore diceret: Accuso me de his omnibus, quæ in charta legisti; aut Confessario hoc interroganti responderet, quòd sic. Sicut etiam qui scit peccata sua sacerdoti esse aliunde nota; aut confessus ei erat invalidè, satis confiteretur dicendo: Accuso me de iis peccatis quæ nosti, aut quæ in alia irrita confessione tibi exposui. Existimat tamen *Lugo* non esse permittendum, ut quis confiteatur anticipatè, dicendo: Accuso me de his, quæ in charta leges. Sed nullam solidam, & in praxi considerabilem in hoc differentiam videt *Poncius disp.* 45. *n.* 48. Neque ego similiter: eò quòd talis accusatio satis maneat moraliter etiam post lecta peccata: quidquid arguat *Bosco hic sect.* 7. *Concluſ.* 3.

88. *An qui nequit ore, teneatur scripto confiteri.*

Sed quæritur, an quis teneatur confiteri scripto, quando non potest voce. Negat *Richardus, Sotus, Cajetanus, Navarrus* & quidam alii. Et specialiter nonnulli id volunt, si sermo sit de obligatione præcepti Ecclesiastici confessionis: secùs autem dicendum esse, quando obligat præceptum divinum; puta, in articulo mortis. Verùm cum Doctoribus communiùs dicendum videtur, pœnitentem, qui non potest confiteri ore, debere id facere, sive nutibus, sive etiam scripto: cùm in hoc non appareat incommodum alicujus momenti, sive ex parte secreti, sive aliunde, cui non possit facilè occurri. Quàmvis juxta supradicta non obligetur quis peccata scribere, ne excidant memoriâ; cùm integritas confessionis non obliget ad hujusmodi anticipatam & extraordinariam diligentiam.

89. *Confessio auricularis sic est à Christo instituta, ut publica non sit vetita nec præcepta, immo neque præceptibilis ab Ecclesia.*

Dico II. Confessio sacramentalis est secreta ex institutione Christi, non quia publicam ipse vetuit, sed quia non nisi secretam seu auricularem præcepit. Unde confessio publica nec est præcepta, nec prohibita, adeoque dum subest rationabilis causa v. g. major humiliatio pœnitentis, aliorumque ædificatio &c. est laudanda; quando autem subest aliquod inconveniens, dissuadenda. Alioquin per utramque confessionem æqualiter potest innotescere judici status pœnitentis. Ita communiter Doctores, & satis colligitur ex *Trid sess.* 14. *c.* 5. ubi etiam insinuatur confesionem publicam non posse ab Ecclesia præcipi.

Scotus non

Nec obstat *Scotus d.* 17. *n.* 31. ibi enim non vult *Scotus* confessionem secretam esse de necessitate Sacramenti (ut ei malè imponit *Suarez, Vasquez* & alii) sed neminem ex institutione Christi obligari ad confessionem secretam, ut etiam advertit *Coninck disp.* 6. *dub.* 2. Infert enim *Scotus* suprà, *quòd pluribus Sacerdotibus simul non est confitendum necessariò*, seu ex vi præcepti. *Quod* (inquit) *si fiat, non est sacramentalis Confessio*, qualis nempe est in præcepto. Qui sensus patet: nam mox subdit: *Maximè autem videtur, quòd non sit confitendum per interpretem, quando timetur ipsum non esse secretarium idoneum.* Ubi apertè supponit id fieri posse, præsertim si interpres sit idoneus secretarius.

Hinc quæritur, an pœnitens, qui aliter non potest, obligetur confiteri per interpretem? Resp. Neg. cum *Scoto sup.* & aliis communiter. Non aliam enim confessionem præcipit Ecclesia, quàm in qua pœnitens *solus peccata proprio sacerdoti confitetur*, ut dicitur *cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & remiss.* Neque etiam alteriùs quàm secretæ confessionis, quæ fit apud solum sacerdotem, divinum præceptum agnoscit *Trid. supra*; ubi etiam docet, id quod Christus præcepit, voluisse Ecclesiam in *Concilio Lateranensi* singulis annis impleri; sed Ecclesia non præcipit confessionem per interpretem, ergo neque Christus. Ratio est, quòd onus hoc sit grave, confessioni extrinsecum: adeoque à confessione excusat. Sicut non teneretur confiteri peccatum, etiam in articulo mortis, quando sciret illud à sacerdote etiam uni tantùm revelandum.

Peccator tamen, qui de perfecta contritione non esset satis securus, obligaretur confiteri in articulo mortis per interpretem, non quidem ex præcepto divino positivo confessionis (ut voluit *Lugo*) sed ex præcepto propriæ charitatis, ex qua similiter esset ad idem obligatus, etiamsi Christus confessionem non præcepisset, sed tantùm consuluisset. Quàmvis autem consultum esset tunc confiteri peccata integrè, simpliciter tamen sufficeret confiteri unum mortale, aut etiam veniale. Vix equidem est natum fieri, ut quis, etsi idiomatis ignarus, non posset absque interprete prescriptum vel nutus explicare sacerdoti aliquod saltem peccatum in particulari: cùm etiam id facere possint muti. Deinde quando id fieri non posset, sufficeret exprimere in genere desiderium absolutionis & statum peccatoris in communi: quod utique posset facere per nutus, & sine incommodo etiam per interpretem.

Dico III. Confessio debet esse vera, adeò ut mortaliter peccet, qui in ea negat aliquod mortale, quod hîc & nunc tenetur confiteri. Idem est de eo, qui confitetur aliquod mortale, quod non fecit, nisi excusetur simplicitate vel ignorantiâ. Secùs est,

est, si confiteatur veniale quod non fecit; excepto casu, quo illud est tota materia confessionis. Ita communiter Doctores.

Prima pars patet: quia voluntariè tacens in confessione mortale quod tenetur confiteri, peccat mortaliter; ergo multò magis, qui negat se illud fecisse. Si autem neget veniale à se commissum, aut mortale legitimè confessum, vel non confessum quidem, sed à quo confitendo hîc & nunc excusatur, tantùm committit mendacium veniale; cùm non pervertat notabiliter judicium Confessarii, scilicet in materia hîc & nunc necessaria. Immo si neget cum æquivocatione rationabiliter adhibita, ne quidem erit culpa venialis, utì nec mendacium. Idem est de tempore ex quo quis est confessus, similibusve circumstantiis, dummodo absque occultatione alicujus peccati mortalis, vel conditionis & statûs pœnitentiæ ad judicium debitum necessariò confitendi hoc fiat. Et hinc majori ratione excusatur à mortali, qui mentitur in confessione circa rem ad illam non pertinentem.

Secunda pars probatur: quia confitens mortale quod non fecit, decipit judicem in re gravi & necessaria, ejusque judicium pervertit. E contrà verò, quia peccatum veniale non est materia necessaria, nec mutat notabiliter judicium Confessarii, idcirco non peccat graviter, qui confitetur veniale quod non fecit: nisi illud foret tota materia confessionis: tunc enim defectu materiæ Sacramentum esset irritum; quod est grave. Et hinc patet etiam tertia pars Conclusionis; quæ negatur à *Cajetano* & paucis aliis. Pro quibus

Dices: qui cum hostiis triticeis non consecratis proponeret Sacerdoti unam non triticeam, super quam utì ceteras proferat Sacerdos formam cum intentione consecrandi, peccat mortaliter: ergo similiter qui præbet pro materia absolutionis aliquod veniale, quod non est vera materia, sive quia non est commissum, sive quia non adest de illo dolor. Resp. I. Neg. Cons. quia consecrare etiam partialem materiam non consecrabilè semper est grave omnium judicio; non sic absolvere partialiter à materia levi non subsistente, ut similiter judicant Doctores communiter. Disparitas verò à priori assignari potest, quòd singulæ hostiæ sint singula Sacramenta, & tantum sit Sacramentum in parte minima, quantum in magna. Quare idem esset, si unicâ formâ absolverentur duo, quorum unus est indispositus: nam ibi etiam est duplex Sacramentum. Deinde disparitas est, quòd in Eucharistia omnis materia sit gravis æqualiter; in confessione non, in qua veniale communi sensu æstimatur materia levis, & leviter faciens ad judicium, adeoque & defectus in illa. In confessione enim gravitas desumitur ex gravitate materiæ judicandæ, cùm sit instar judicii; cujus equidem substantia sacramentalis ob alterius materiæ appositionem censetur subsistere.

Respondeti potest II. qui sic confitetur aliquod veniale, tantùm petit absolutionem suæ personæ ab iis, à quibus hîc & nunc absolubilis est; idque solùm intendit ipse sacerdos in communi sua intentione, adeoque tunc ex intentione saltem tacita absolutio non cadit super veniale falsum v. g. nisi quatenus est absolubile; sicut super dubia cadere censetur. Si autem simili modo præbeatur materia non consecrabilis simul cum consecrabili, non committeretur sacrilegium ex parte consecrantis, qui solùm intenderet consecrare materiam verè consecrabilem. Sicut etsi vino mixtum sit lac, mel, aliave substantia, consecrans non facit sacrilegium, quia tantùm fertur intentio ipsius super contentum in calice, quod est verè consecrabile. Quare ex hac parte nec erit sacrilegium ex parte apponentis: nisi quatenus vel intenderet ut sacerdos determinatè etiam intenderet istam materiam consecrare, vel quatenus exponeret sacerdotem isti periculo; vel quatenus subesset periculum, quòd sacerdos hostiam non triticeam proponeret adorandam, sumeret ad complendum sacrificium, aut eam communicanti distribueret, vel quatenus non consecratum facit misceri consecrato, vel quatenus ritum Ecclesiæ infringit. 95. *Resp. 2.*

Petes: an confitens mortale quod non fecit, tamquam aliàs confessum, unâ cum veris peccatis, peccet mortaliter? Resp. receptam sententiam docere quòd sic: eò quòd talis mentiatur circa materiam ex genere suo necessariam, etsi illam non præbeat ut talem in confessione præsenti. Non caret tamen hæc responsio difficultate, eò quòd generatim materia quatenus non necessaria videatur posse censeri levis, atque ideo etiam levis ei sit imponenda pœnitentia, adeoque videatur posse censeri perversio judicij in materia levi. Quare etiam non peccat graviter confitens sine dolore mortale aliàs confessum, dummodo adsit dolor de aliis, quæ simul exprimuntur: & tamen non minùs tunc subjicit illud mortale verè aliàs commissum judicio, quàm dum confitetur tamquam aliàs confessum, quod verè non commisit: cur ergo potiùs graviter peccet confitens mortale sic fictum, quam sine dolore? Propterea non auderet *Arriaga d. 31. n. 62. in fine* ita certò tale mendacium dicere esse mortale. Et ita absolutè sentire videtur *Tannerus disp. 6. q. 7. dub. 2. n. 21.* 96. *An confitens mortale falsum, sed tamquam adhuc confessum, mortaliter peccet?*

QUÆSTIO VIII.

De Præcepto Confessionis tam divino quàm Ecclesiastico.

97. *Ius divinum Confessionis omnes post Baptismum lapsos obligat ad confitendum mortalia, quæ exinde committunt.*

DICO I. Præceptum divinum obligat baptizatos in mortale lapsos, ut in vita sua confiteantur omnia & singula mortalia; cui satisfieri videtur, si id fiat semel & simul in articulo seu periculo mortis. Prima pars patet ex *Trid. sess. 14. c. 5.* Secunda pars est *D. Thomæ, Scoti, Durandi, Gabrielis, Coninck, Lugo, Dicastillo* & plurimorum aliorum contra varios existimantes præceptum divinum confessionis obligare etiam per se extra illum articulum; scilicet ut à peccatore in mortale lapso confessio non nimis diu differatur. Probatur: quia non potest amplius colligi ex verbis Legis divinæ, quàm quod in conclusione dictum est. Solùm namque tenor præcepti divini exigit, ut peccator omnia mortalia confiteatur semel in vita; quod facit etiam is, qui in unicâ confessione ad vitæ finem dilatâ omnia simul confiteretur.

Sufficit, per se, quòd ita fieret simul & semel in periculo mortis.

98. *Non obstat nata, tunc intercedere multorum oblivio.*

Nec obstat I. quòd tunc non poterit peccator confiteri omnia, eò quòd plerorumque in juventute commissorum non recordabitur. Nam sufficit, ut confiteatur omnia, quæ tunc diligenti examine prævio memoriæ occurrunt: utì confiteri solent, qui tunc (quod est frequens) faciunt generalem totius vitæ confessionem. Christus namque plus non requisivit. Neque enim obligatur quis intra annum citiùs confiteri, eò quòd si usque ad finem expectet, plurium erit oblitus; ut fatentur Doctores communiter.

Aut incapacitas subeundi gravem & condignam pœnam.

Non obstat II. quòd non poterit tunc Sacerdos pœnitentè obligare ad congruam pœnitentiam. Nam sufficit, quòd obliget ad posibilem pro statu præsenti, addendo saltem conditionatè implendam, si convalescat. Aliàs gravis peccator prævidens se infirmandum, teneretur idcirco confessionem prævenire, etsi annus ab ultima confessione, aut medius necdum esset elapsus. Sacerdos habet potestatem infligendi pœnas, sed auditâ confessione. Confessio est instituta quoque in cautelam futurorum peccatorum; sed id verum est, etiam in nostra sententia, immo etsi confessio numquâ obligaret, sed tantùm esset utilis. Aliàs ob periculum oblivionis intra annum plurium peccatorum non debet quis prævenire, ut pro obliviscendis alioquin imponatur satisfactio, adhibeantur remedia & cautelæ &c.

99. *Sapius & citius, v. g. annuè confitens implet nihilo-*

Non obstat III. quòd *Trid. sess. 14. cap. 5.* doceat Ecclesiam solùm præcipere, ut præceptum Christi semel in anno impleatur. Nam id non intelligitur, quasi aliàs præceptum Christi per se sæpiùs obliget: sed cùm debeat quisque ex præcepto Christi semel in vita confiteri omnia mortalia, ordinat Ecclesia, ut quoad pro tempore commissa, id fiat singulis annis. Unde etsi Ecclesia id non ordinasset, equidem is quiv. g. peccaret, singulis annis mortaliter, confitendo singulis annis pro tunc commissa impleret præceptum Christi. Sicut & implet, qui decies in anno peccans, toties ex libertate confitetur, etsi differre alioquin potuisset. Sic si parens in testamento committat filio, ut in vita mille aureos distribuat pauperibus, obligatur hic aliquando in vita, & potest usque ad finem differre; at equidem, si citiùs velit dare, dando implet præceptum patris, sive det totum simul, sive per partes.

Unde si quis annuè non confiteatur, non infringit præceptum Christi, sed Ecclesiæ, quæ id præcipit fieri. Tamen confitendo implet præceptum Christi: quia equidem debet aliquando confiteri peccata commissa, tempore scilicet indeterminato: tunc autem (quod generale aliis præceptis indeterminatis quoad tempus) si ex mea libertate tempus determinem, aut à superiore alio determinatum servem, impleo quoad ista peccata legem Christi de confitendo. Sicut si (quod liberum est) superior regularis mihi præciperet, ut matutinum legam vesperi ante mediam noctem, ego differendo pecco quidem contra præceptum Superioris, non tamen contra præceptum Ecclesiæ, si legam post mediam noctem: & tamen si juxta præceptum Superioris anticipem, etiam impleo præceptum Ecclesiæ; utì etiam implerem, si absque determinatione superioris id facerem.

Per accidens tamen quis obligatur jure divino juxta doctrinam communiorem confiteri peccatum sumpturus Eucharistiam; non quidem ex vi præcepti confessionis, sed communionis, quod obligat ad non communicandum commisso mortali sine prævia confessione. Similiter si absque confessione pateretur quis propinquum periculum re lapsûs; cui non posit aliis remediis subvenire, obligaretur confiteri, quatenus obligatur vitare novum peccatum. Hoc tamé moraliter non contingit: etsi enim confessio sit ad hoc promptissimum & omnino consulendum remedium; simpliciter tamen alia non desunt, præsertim interna pœnitentia ac renovatio firmi propositi.

DICO II. Præceptum Ecclesiæ obligat quemlibet Christianum obstrictum peccato mortali, ut semel in anno confiteatur. Patet ex *cap. Omnis utriusque sexûs, de Pœnit. & remiss.* ubì statuitur, ut *omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno fideliter confiteatur.* Ex quo patet confessionem ibi non tantùm suaderi, aut indirectè præcipi, quatenus debet præmitti communioni ibidem

dem præceptæ; sed etiam præcipi directè & per se. Idque etiam apertè docet *Tridentinum sup. in fine, & can.* 8. Comprehenduntur autem hâc lege etiam pueri qui peccarunt mortaliter, etsi necdum teneantur communicare, ut patet ex verbis textûs, & exemplis aliarum legum, ac communi sensu Doctorum: quàmvis Plerique censeant eos non concernere pœnam seu censuram transgressoribus imponendam. Item, si qui aliàs à communione excusentur, non ob id à confessione sunt excusati.

Dixi *obstrictum peccato mortali*: sicut enim venialia non obligamur confiteri præcepto Christi juxta *Trid. suprà*, sic nec præcepto Ecclesiastico; cùm per hoc solùm determinetur, ut præceptum Christi impleatur semel in anno, juxta *Tridentinum ibid.* Et sanè cùm in *Concilio Lateranensi* præcipiatur, ut quilibet confiteatur semel in anno omnia sua peccata, liquet Concilium loqui solùm de mortalibus: cùm certum sit, quòd nemo teneatur confiteri omnia sua venialia. Ita *Scotus d.* 17. *n.* 25. & alii communiter contra paucos Antiquiores. Unde qui venialia tantùm confessus est, teneretur isto anno adhuc confiteri, si contingeret ipsum incidere in mortale; ut ex mox dictis satis clarè constat. Putant tamen Nonnulli Ecclesiam hujusmodi Confessionem in Paschate factam acceptare in solutionem, eò quòd Confessarii aut fideles non soleant de ulteriori Confessione esse soliciti, positâ Confessione in Paschate factâ. Quod equidem in rigore falsum est. Et computando annum cum Nonnullis, ut determinetur in Paschate, mirum non foret fideles non esse de ulteriori Cõfessione isto anno facienda solicitos. Aliter autem computando, referendum id foret in negligentiam, aut ignorantiam, sive inadvertentiam.

Sed dubitatur, quomodo annus sit computandus. Omissis variis dicendi modis, duo sunt verosimiliores. Primus est *Suarez* & aliorum plurimorũ, qui dicunt computandum à Paschate in Pascha, intelligẽdo per Pascha omnes illos dies, in quibus potest impleri præceptũ paschalis cõmunionis. Et consonat usus ac praxis Fidelium, item *Sixtus IV. Extrav.* 2. *De treuga & pace*, ac *Tridentinum cap.* 5. *in fine*. Sed quia hæc omnia non satis convincunt, secundus dicendi modus est *Vasquez*, *Præpositi* & aliorum plurium, qui putant esse computandũ à prima Januarii, cùm isto die communiter annus censeatur incipere.

Quia verò in *can. Omnis utriusque sexûs* confessio simpliciter præcipitur facienda semel in anno, communio autem determinatur ad tempus Paschæ, hinc colligunt Doctores communiter, indifferẽs esse quâcumq; parte anni fiat confessio (nisi aliud per accidens sit necessarium ratione cõmunionis) adeòq; illum, qui inculpatè oblitus est aliqua mortalia, vel post confessionem isto anno factam incidit in mortale, non teneri vi hujus præcepti iterum confiteri: nam semel confitendo fecit quod lex jubet. Ecclesia namq; non præcipit confiteri singulis annis omnia mortalia, quæ intrà annum fuerint commissa, sive unâ, sive pluribus confessionibus, sed semel in anno confitendi omnia mortalia, quorum recordatur, dum confitetur; sive quæ antecedunt confessionem isto anno instituendam. Et hoc modo intelligendum est *cap. Omnis utriusque sexûs*, & intelligitur à Doctoribus passim; inter quos *Lugo disp.* 15. *n.* 164. dicit esse rem certam. Aliàs sanè qui vigesies foret isto anno confessus, & sub finem Decembris rursum peccaret mortaliter, teneretur iterũ ante initiũ novi anni confiteri: quod planè insundatum est. Atq. etiam dato, quòd annus quoad hoc præceptũ expiret in Paschate, ut Varii volunt, adhuc non deberet talis denuò confiteri in Paschate, nisi per accidens vi præcepti communionis (quidquid velit *Aversa q.* 15. *sect.* 5. §. *Quartò* & quidem alii) eò quòd talis pœnitens isto anno verè semel impleverit præceptum divinum Confessionis, confitendo isto anno omnia commissa, non quidem toto anno, sed pro tempore quo instituit cõfessionem: quod solùm sonat præceptũ Ecclesiæ. Confirmatur: quia si Christus præcepisset, ut singuli habentes mortalia semel in anno confiterentur, non tenerentur fideles peccata oblita, vel in quæ rursum incidunt, eodem anno iterum confiteri; Ecclesia autem solùm præcipit, ut præceptum Christi de confessione semel in anno à singulis impleretur.

Nec est ob nova aut oblita mortalia iterum eo anno instituenda.

Idem dicendum est de eo, qui in confessione mortalium aliqua ex justa causa suppressit; idque etiamsi sint reservata (quidquid reclamet *Lugo* & alii ipsum secuti) si videlicet habens reservata ob urgentem causam confiteatur alia mortalia non habenti in reservata potestatem: quia etiam talis præceptum divinum confessionis semel in anno implet; quod juxta *Trid. suprà* Ecclesia tantùm præcipit. Nec obstat, quòd talis non videatur confessus fuisse omnia peccata proprio Sacerdoti: omnia enim confessus est, quæ hîc & nunc confiteri debuisset, quantumvis ipse Christus confessionem hîc & nunc præcepisset. Unde sufficit, quòd Sacerdos sit proprius respectu omnium, quæ hîc & nunc debent exprimi, ut impleatur præceptum juris divini determinativum.

105. *Idem est, si quædam fuerint justâ de causâ suppressa; etsi reservata.*

Petes I. An qui suâ culpâ vel ob legitimũ impedimentum non est confessus anno præterito, teneatur anno sequenti datâ opportunitate statim confiteri? Resp. in primis eũ, qui prævidet se non habiturum opportunitatem confitendi reliquo tempore anni præsentis, in quo non est confessus, teneri prævenire juxta Doctores communiter: sicut prævidens se post prandium impediendum, tenetur horas legere manè; & impediendus postremis diebus Paschæ, tenetur communicare aliquo ex prioribus diebus. Si autem

106. *Peccator prævidens impedimentum debet prævenire confitendo.*

Qui ob im-

pedimentum vel ex negligentia hoc anno confessus non fuit, consultissimò mox supplet.

toto anno confiteri non potuerit vel neglexerit, equidem obligari ad statim confitendum, censent plerique Doctores; sed consulendum in praxi: quàmvis oppositum existimem valde probabile cum *Antonino*, *Sylvestro*, *Tabiena*, *Marchant* & aliis Recentioribus: nam præceptum Confessionis videtur determinari ad annum, sicut præceptum legendi horas ad diem; adeòq; videtur expirare cum anno, uti illud expirat cum die: præsertim cùm statim anno sequenti succedat novum præceptum annuum confitendi, sicut sequenti die succedit novum legendi horas. Nec oppositum potest satis ostendi: quod tamen est necessarium, ut imponatur gravis obligatio.

Valde probabiliter tamen præceptum expirat cum anno.

107. *Posito, quòd non expiraret, an unicâ Confessione satisfieret etiam obligationi anni sequentis.*

Suppositâ autem Sententiâ cõmuniori de obligatione statim confitendi anno sequẽti, adhuc dubitatur, utrùm tunc unicâ Confessione satisfiat etiã obligationi anni præsẽtis. Negant plures Doctores. E quibus *Coninck* existimat tunc saltem satisfieri, quãdo Confessio differtur post medietatem secundi anni. Sed hæc exceptio est parum fundata. Quare *Præpositus* & alii dicunt satisfieri utrique obligationi, quando in ista Confessione simul exprimitur aliquod peccatum præsentis anni; quale est etiam ipsa omissio culpabilis Confessionis in anno præterito: hæc enim cùm compleatur in termino istiùs anni, spectat necessariò ad Confessionem anni præsentis. Immo *Lugo* & alii existimãt satisfieri, etiamsi nullum peccatum præsentis anni simul exprimatur: quia equidẽ talis verè hoc anno confitetur mortalia, quorum tunc conscientiam habet. Sic enim indubiè quilibet alius satisfaceret, qui hoc anno non feciſſet mortalia, tamen confiteretur mortalia commissa post Confessionem factam anno præcedenti. Confirmatur: quia cõfessus tantùm ante sex annos, non debet ideo sexies hoc anno confiteri: sicut è contrà, qui sexies non jejunavit, quando deberet ex voto non affixo tempori ut cum illo expiret, debet sexies compensare. Itaq; natura hujus præcepti est, ut etsi cum anno non expiraret, tamen videatur coalescere in unum quodammodò cum præcepto anni sequentis, adeòq; tantùm maneat quoad hoc, ut non possit ampliùs differri, sive quoad istum modum; quoad substantiam autem succedat præceptum anni sequentis, quod ligat ad confitendum omnes, qui habent isto anno peccata, esto isto anno non commissa. Ratio diversitatis inter votum de jejunando, & præceptum confitendi, est, quòd votum istud cadat super diversas materias; præceptum autem confitendi anni præcedentis & præsentis coincidant in eamdem materiam: nam præceptum hujus anni afficit, non tam illos qui hoc anno peccarunt, quàm qui hoc anno sunt infecti peccato mortali necdum confesso, perinde quando commissio: dum autem duplex præceptum coincidit in eamdem materiam, unico actu utrique satisfit.

Solidior Opinio simpliciter affirmat.

Petes II. Utrùm per Confessionem informem satisfiat præcepto Confessionis? Resp. Neg. quia Ecclesia præcipit suscipi verum Sacramentum Pœnitentiæ, quale non datur validum & informe. Præcipit enim, ut quod Christus per legem positivam seu Evangelicam jussit fieri aliquando, fiat annuè, sive *ut* Evangelicum *præceptum Confessionis saltem semel in anno impleretur*, juxta *Tridentinum sess. 14. c. 5.* Istud autem præceptum non impleretur, nisi per confessionem validam & fructuosam.

Si tamen Sacramentũ Pœnitentiæ validum & informe daretur (quod nõ est improbabile) sufficeret Confessio informis & valida ad impletionem præcepti, uti sufficit Baptismus informis & Communio sacrilega: Ecclesia enim solùm præcipit suscipi verum Sacramentum, & semel in anno impleri præceptum Christi de confitendo; quod tunc fieret: adeò ut si Christus ipse præceptum hoc tulisset, per talem Confessionem impleretur. Quare etiam non deberet sic confessus iterum confiteri, sed tantùm supplere defectum dispositionis, eo cognito, sive in sequenti Confessione, sive extra-sacramentaliter. Nihilominus talis fuisset materialiter trangressus præceptum naturale & negativum, quod obligat pro semper & ad semper, adeòq; non indigebat determinatione temporis per Ecclesiam adhibendâ, videlicet quo vetatur, ne quis indignè seu absque dispositione ad gratiam suscipiat Sacramentum.

Non est equidem admittendum, quod Nonnulli docent, Fideles præcisè vi præcepti Ecclesiæ non adstringi ad interiorem dispositionem, aut ad confitendum peccata merè interna, adeòque in hoc defectuosos non incurrere pœnas. Constat enim ex *Tridentino sup.* Ecclesiam præcipere, ut quod jure divino est necessarium, semel fiat in anno: atqui jure divino est necessaria confessio integra, etiam de merè internis peccatis, & cum debita dispositione; ergo talis etiam præcipitur ab Ecclesia. Unde *Alexander VII.* meritò damnavit hanc propositionem ad minus tamquam scandalosam: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Confirmatur; quia alioquin habens solùm peccata mortalia merè interna, non teneretur præcepto annuæ confessionis, eodem scilicet prætextu, quòd Ecclesia non habeat jurisdictionem in actus internos: illud autem etsi consequenter defendat *Dicastillo disp. 7. dub. 5.* post *Margaritam Confessorum V. Confessio*, tamen pluſquam falsum appellatur à pluribus, & pluſquam temerarium à *Suarez disp. 36. sect. 2. num. 2.* & saltem verbis *Tridentini supra* intellectis ut sonant, atque etiam generalitati verborum c. *Omnis utriusque sexûs* omnino repugnare videtur.

Nec

Nec obstat, quòd Ecclesia non possit præcipere actus mere internos. Nam hoc admisso (quòd Nonnulli negãt) non præcipit hîc Ecclesia directè actus merè internos, sed susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, quòd est symbolum externum, exigens confessionem externam etiam internorum peccatorum, uti & dolorem internum; quem proinde Ecclesia compræcipit determinando jus divinum, quatenus id necessariũ est ad constitutionẽ actũs externi in esse Sacramenti. Quemadmodum potest præcipere verum contractum, veram orationem, veram missæ celebrationẽ &c. Unde in hoc deficiens posset puniri ab Ecclesia, non quidem per judicem, quamdiu defectus latet, (idem esset de peccato externo, quod non posset probari) sed per ipsam legẽ, seu per sententiam à lege latam, si lex aliquam ferret; prout non fert, sed ferendam præcipit c. *Omnis utriusque sexus*. Vide Dicta *disp.* 3. *de Legibus q.* 8.

judicio Confessarii differri confessio, uti communio paschalis.

Petes III. an sicut potest judicio Confessarii pœnitens differre communionem paschalem, sic & confessionem perficiendam postea per absolutionẽ? Videtur enim quòd non: quia in c. *Omnis utriusque sexus* tantùm sit sermo de communione. Resp. quæstionem esse de subjecto non supponente: non enim requiritur judiciũ Confessarii ad hoc; cùm annus à Januario inceptus necdum expiret quoad præceptum confessionis. Et sanè hoc est signum, quòd illud ipsum Papa seu Conciliũ supposuerit: aliàs enim æquè idem de cõfessione dixisset, quod de cõmunione; præsertim cùm ratio differẽdi cõmunionem potissimùm ex confessione ipsa sumatur. Equidem dici potest, quod etsi à Paschate annus inciperet in sequenti Paschate inclusivè terminandus, adhuc posset judicio Confessarii differri absolutio: nec oportuerit id specialiter exprimi; utpote quod satis videbatur contentum in facultate ista circa communionem, ad quam ordinatur confessio, & cujus dilatio potissimùm desumitur ex defectu circa confessionem.

DISPUTATIO QUARTA.

De Satisfactione, quæ est tertia pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ, & Indulgentiis.

GENERALITER satisfacere dicitur, quicumque in aliquo genere facit, quod & quantum debet. Sed strictè loquendo, dicitur is tantùm satisfacere, qui alteri præstat quantum est satis animo irato ad ulciscendã injuriã. Et sic satisfactio in ordine ad Deum offensum, est quædã compensatio, qua homo pro peccatis commissis aliquid Deo persolvit. Cùm autem duo sint in peccato, videlicet culpa habens adjunctũ reatum pœnæ æternæ, quando est mortalis, & reatus pœnæ tẽporalis, quæ sæpè manet remissâ culpâ: hinc duplex est satisfactio, una, quâ satisfacimus Deo pro culpa, quæ coincidit cum contritione & aliis dispositionibus ad justificationem requisitis; alia, quâ satisfacimus pro pœna restante. Quod fit dupliciter: aliquãdo enim ab homine suâ sponte aut certè extra Sacramentum Pœnitentiæ assumitur aliquid, quod Deo pro pœna ex peccato relicta exhibet aut persolvit: aliquando in Sacramento Pœnitentiæ à Confessario injungitur pœnitentibus. Et de satisfactione posterioris generis quæ est pars integralis pœnitentiæ, potissimum hîc est sermo. De priori vero, quæ est ex opere operantis actum est in *Tract. de Gratia disp. de Merito q.* 7.

QUÆSTIO I.

An & qualis Satisfactio sit à Confessario in Sacramento Pœnitentiæ imponenda?

DICO I. Cõfessarius regulariter & per se loquendo debet imponere pœnitenti satisfactionem. Ita cõmuniter Doctores. Et patet apertè ex *Tridentino sess.* 14. *c.* 8. ubi tractans de Satisfactione sacramẽtali ait: *Claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent*; Quod etiam definit *can.* 15. Ratio est, quòd hoc tribunal sit vindicativum, in quo sacerdos loco Dei absolvit; adeoq; sicut Deus remissâ culpâ relinquere solet pœnam temporalem satisfactione delendam, sic illam imponere debet sacerdos. Deinde satisfactio est pars integralis hujus Sacramenti; cujus integritatem debet sacerdos curare. Dixi, *regulariter*: nam incapaci, v. g. moribundo extra usum rationis constituto, nulla imponi debet. Idem est, si constaret pœnitentem non indigere satisfactione, neque etiam remedio contra peccatum futurum: quod rarò constare potest.

2. *In Sacramento Pœnitentiæ est regulariter imponenda satisfactio.*

Quæ de causa.

Enimverò etsi in hoc de criminibus judicio congruè ad divinam justitiam, & ejusdem Sacramenti à Baptismo distinctionem, locum habeat quædam punitio & vindicta, ea tamen mitis est; & maximũ quod agitur atque

Est nihilominus tribunal gratiæ, non iræ vel pœnarum.

atque intēditur, est remissio delictorū; adeòque meritò censetur tribunal gratiæ. Nec etiam *propterea*, id est, ob satisfactionē, *existimarunt*, Patres scilicet, *Sacramentum Pœnitentiæ esse forum iræ vel pœnarum*, ut optimè *Trid. suprà*.

3. *Imponenda regulariter satisfactio per modum præcepti.*

Videtur autem omnino dicendum cum *Coninck disp. 10. dub. 8.* pœnitentiam regulariter esse injungendam per modum præcepti, non autem solùm, per modum consilii, ut etiam colligitur ex priùs relatis verbis *Tridentini sup.* & canonibus, ac usu ipsâque naturâ judicii, in quo rei plecti solent pœnâ præceptivè impositâ. Sic etiam in toto ponitur pars Sacramenti integralis. Nec major alleviatio pœnitentis est, quàm quòd pœnitentia ejus arbitrio relinquatur: cùm tamen prægravibus culpis leves pœnitentias non debeat Sacerdos imponere, sed congruè castigare. Potest tamē juxta Doctores communius simul & saltem ex parte imponi satisfactio sub consilio. Quod interdū expediret scrupulosis, fragilibus, piis, equidē sufficientia facturis; quibus ita de fructu sacramentali sine speciali vinculo provideretur.

potest tamen ex parte simul imponi per modum consilii.

4. *Debet esse proportionata peccatis, & qualiter.*

Dico II. Confessarius debet injungere pœnitentias proportionatas peccātis, tam quoad illorum castigationem, quàm quoad medelam: quantitas verò relinquitur arbitrio Confessariorum, consideratâ qualitate peccati pœnitentis, indulgentiis promerendis, & aliis circumstantiis. Est communis. Patet ex *Tridentinō sup.* dicente: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſsima quædam opera pro graviſsimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Deinde subjungit: *Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non si tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.* Debent igitur Confessarii, quantum fieri potest, pro majori crimine majorem satisfactionem imponere; quæ potissimùm simul sit contra peccata futura conveniens medicina. Relinquitur autem quantitas de cetero Confessarii arbitrio juxta illud *Tridentini*: *Quantum Spiritus & prudentia suggesserit.* Idemque satis colligitur ex *cap. Deus qui, de Pœnit. & remiss.* Ratio est, quòd hoc Sacramentum sit institutum in bonum & utilitatem pœnitentis, sicut medicina in bonum corporaliter infirmi: adeòque sicut in hoc curando non solùm morbus, sed etiam cōditio ægroti attenditur; sic in pœnitente non tantùm peccata secundùm se debent attendi, sed etiam qualitas personæ, v. g. an pœnitentiam implebit, an non retrahetur à confessione, an non fiet pusillanimis &c.

5. *Monitio Rituale Romani.*

Quare (inquit *Rituale Romanum tit. de Sacram. Pœnit.* alloquens ministrum) *curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat: veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Rarius autem vel seriùs confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utiliſsimum fuerit consulere, ut sapè, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, & si expediat, communicent.*

Alioquin juxta Doctores præstat sæpè prudenter dissimulare, minores pœnitentias injūgendo, quàm nimiâ austeritate homines à Sacramento deterrere, juxta illud quod dicitur *cap. Alligant 26. q. 7.* ex Auctore Operis imperfecti: *Etsi erramus modicam pœnitētiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam factionem reddere, quàm propter crudelitatem?* Quare infert *Coninck sup. n. 73.* sacerdotem numquā debere talem injungere pœnitentiam, quam omnino credit pœnitentem ex aliqua imbecillitate non impleturum.

Nota I. quòd licèt ad satisfaciendum utiliſsima sint jejunium, oratio & Eleēmosyna, quia peculiariter sunt pœnalia; nihilominus quævis alia bona opera possunt injungi, sive interna, sive externa, sive libera, sive etiam præcepta. Nam hæc omnia opera sunt alioquin satisfactoria. Opera quoq; interna satis fiunt sensibilia per impositionem & acceptationem, ut sint pars Sacramenti: ipseq; minister fungitur vice Christi in hoc velut divino foro, adeòq; potest præcipere interna. Opera verò præcepta si imponantur, nascitur inde saltem specialis implendi obligatio. Nec ratio præcepti impedit, quò minùs opus sit satisfactorium ex opere operantis: adeòque si imponatur à Sacerdote, fiet sacramentaliter satisfactorii. Quia tamen impositio operum liberorum magis punitiva est, meliusque cavet futura peccata, regulariter est adhibenda, saltem simul cum impositione operum præceptorū.

Quando itaque Confessarius non insinuat se injungere rem præceptam, intelligitur pœnitentia de re aliàs indebita. Unde si injungatur jejunium, auditio missæ &c. & Confessarius aliud non declaret, pœnitens non satisfaciet jejunando aut audiendo Missam, ad quod alioquin ex præcepto aut voto erat obligatus: hæc namq; censetur mens confessarii; cùm regulariter & congruentius soleant injungi opera aliàs indebita. Nisi fortè obligatio alia per accidens & præter intentionem superveniat, vel sit insolita & extraordinaria, v. g. si pœnitentia fuit de eroganda eleēmosyna, & occurrat pauper extremè indigens: tunc enim eādem eleēmosynā implebitur obligatio naturalis & sacramētalis. Simili modo si confessarius injunxit auditionem Missæ quotidianam per unum mensem, non censetur voluisse obligare, ut occurrente festo pœnitens audiat duas. Sic etiam etsi posset imponi vitatio occasionis proximæ, restitutio debita ex justitia &c. quando tamen hoc non satis explicat Confessarius, censetur

censetur tantùm pœnitenti declarare obligationem intrinsecam, ac exigere propositum faciendi, quod de per se debet facere.

Quia verò de quibusdam operibus in particulari Nonnulli dubitarunt, aut dixerunt, ea non posse imponi, notanter de confessione, communione, ac denique oratione pro aliis, etiam defunctis: probatur oppositum in primis de confessione ex ipsa praxi, & quia confessio est optimum opus, maximèque idoneum ad curandas pravas consuetudines & impediendam reincidentiam. Cavendum solum, ne injungatur eum injusto gravamine pœnitentis repetitio criminum non necessaria.

Quantùm ad communionem, patet: tum quia illam potest præcipere Ecclesia; ergo & judex in Sacramento: tum quia rectè imponitur, & imponi solet lucratio indulgentiæ, quæ communionem frequenter supponit ac prærequirit. Immo esto non posset Ecclesia, posset equidem Confessarius imponere non sacrilegam: plus enim hic potest circa interna; cùm etiam merè internum opus possit præscribere. Addo interdum etiam imponi posse abstinentiam à communione. Primò, si ipsa communio foret malè sumenda. Secundò, si expediat reverentiæ Sacramenti, mortificationi pœnitentis &c. subinde abstinere. Tunc enim abstinentia rectè consulitur; quidni ergo à judice præcipiatur? Præcipit quoque Ecclesia abstinentiam à secunda communione, & juxta Nonnullos in die veneris sancto ab omni, possètque ex causa idem præcipere aliis diebus aut certis personis: quidni ergo similiter possit Confessarius?

Denique quoad orationem pro vivis aut defunctis probatur, primò ex usitata praxi. Secundò, quia etsi eis applicetur vis impetratoria, posset vis satisfactoria applicari ipsi oranti. Tertiò, quia etsi defunctis aut aliis applicaretur etiam satisfactio ex opere operantis, posset & necessariò deberet (quidquid intenderet minister aut pœnitens) satisfactio quà sacramentalis, sive ex opere operato, prodesse soli pœnitenti, qui fructum seu effectum sacramentalem (ut inductione patet) non potest aliis communicare. Confirmatur: quia dum imponuntur Litaniæ cum precibus adjunctis, imponuntur orationes contentæ, quæ pro variis vivorum & defunctorum necessitatibus ex parte funduntur. Unde meritò *Catechismus Romanus de Sacram. Pœnit.* § 63 commendat Sacerdotibus, ut hujusmodi orationes pro defunctis pœnitentibus injungant.

Nota II. quòd dum Confessarius in impositione pœnitentiæ determinat certum tempus debeat in eo impleri, ut [illegible]et. Nec tamen eo elapso expiret [illegible], nisi ex circumstantiis colligat Confessarium noluisse ultra determinatum tempus obligare: quia regulariter non tamen attendit rationem temporis, quàm operis in se. Si autem nullum tempus fuerit determinatum, implenda est primâ opportunitate, sic ut non diu differatur: immo dilatio valdè notabilis pœnitentiæ gravis posset esse immortalis, juxta Doctores communiter; ut patet à simili in [illegible]o: quàmvis hoc non tam facilè contingat, secluso culpabili oblivionis periculo aut erroneâ existimatione pœnitentis. Quod verò *Diana P. 2. Tr. 15. Resol. 53.* pro dilatione notabili præfigit tempus unius anni, nimium id arbitratur *Reversa quæst. 13. sect. 6.* relinquens id definiendum arbitrio prudenti, pro varietate rerum sive pœnitentiarum, personarum & occasionum.

Aliàs implenda est primâ opportunitate.

An vel quæ dilatio gravis.

Nota III. ex *Rituali Romano* peccatis occultis quantumvis gravibus non esse injungendam pœnitentiam publicam, utpote infamativam pœnitentis. Secùs est de peccatis publicis: ut contra *Navarrum* docent communiter Doctores. Immo hocaliquando est necessarium, quando scilicet scandalum datum non posset aliter reparari.

Occulta occulta est imponenda: publicis publica imponi potest, & interdum debet.

12. Nota IV. Usitatè quidem & consultiùs satisfactionem imponi ante absolutionem; posse tamen etiam immediatè post imponi: quia adhuc durat idem judicium. Ita communiter Doctores. Porrò congruentiùs præcedit, ut ex ipsa pœnitentiæ humili acceptatione crescat dispositio pœnitentis ad effectum principalem. Addunt Nonnulli, ne fortè postea pœnitentiam acceptare recuset. De quo tamen rariùs est timendum circa ritè dispositos. Addi etiam passim solet, quòd cùm satisfactio sit pars integralis quasi materialis, debeat præcedere formam. Verùm constat eam, etsi prius imponatur, equidem semper in executione formam sequi. A qua etiam satìs determinatur, etsi postea imponatur: tum ipsâ impositione, quæ est sententia secundaria; tum absolutione, quæ facit, ut sit sacramentalis. Non potest tamen ipsa impleri ante absolutionem; ut constat ex usu, idcirco etiam observando, quod satisfactio deleat residuum pœnæ restantis post culpam remissam, cujus remissio fit per absolutionem, & præcedere debet remissionem pœnæ. Potest tamen interdum Confessarius dilaturus absolutionem, interea ad probandam pœnitentis dispositionem, aliquid ab eo exigere: præsertim ut impleat priorum confessionum pœnitentias à se neglectas. Videri etiam posset Sacramentalis, quæ ante absolutionem impleretur, si verum & probandum sit, quod ex *Palatio* refert *Lugo de Pœnit. disp. 4. n. 170.* Græcus non solitus absolvere ante expletam pœnitentiam. Quamquam *Scotus d. 16. q. 1. n. 7.* dicat, quod *satisfactio debet sequi Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc, ut habeat efficaciam.... Ista enim sententia Sacerdotis sic absolvit, quod tamen ligat*, ad satisfactionem scilicet pro restanti pœna temporali.

Rectiùs, non necessariò imponitur ante absolutionem.

QUÆSTIO II.

Qualiter Satisfactio à Confessario imposita sit acceptanda & implenda à pœnitente?

13. *Tenetur pœnitens pœnitentiam congruam acceptare.*

DICO I. Obligatur Pœnitens ad acceptandam pœnitentiam congruam & discretam. Ita plerique Theologi, & Recentiores ferè omnes, contra *Gabrielem* & alios. Probatur I. quia Christus *Joan. 20.* dedit Sacerdotibus judiciariam potestatem ligandi: quam potestatem etiam referri ad injungendam pœnitentiam, & eatenus in Sacerdotibus residere, docet *Tridentinum sess. 14. cap. 8. & can. 15.* Ergo tenetur pœnitens illam acceptare: nam potestati præcipiendi & ligandi correspondet obligatio acceptandi & implendi.

Probatur II. ex communi usu & sensu non tantùm Confessariorum, sed etiam pœnitentium, qui non dubitant, quin à Confessariis possint adstringi ad suscipiendam & exequendam pœnitentiam. Confessariis bene visam, quando non existimant se habere legitimam excusationem. Huc accedit natura judicii: nam qui judicio alicujus subditur, debet parere sententiæ in eo latæ. Accedit etiam, quòd juxta *Tridentinum sup. cap. 5.* pœnitens debeat integrè confiteri, etiam in ordine ad hoc, ut Confessarius ei imponat congruam pœnam; ergo similiter pœnitens debet illam suscipere. Denique cùm satisfactio tamquam pars integralis debeat à Sacerdote imponi, consequenter debet eatenus à pœnitente acceptari.

14. *Occurritur tacitè objectionibus.*

Verum quidem est posse pœnitentem etiam satisfacere per alia bona opera, nec per se obligari ad satisfaciendum in hac vita pro pœna alioquin debita in purgatorio: ex susceptione tamen hujus Sacramenti obligatur suscipere & exequi pœnam in eo injunctam: cùm is qui judicio subjicitur teneatur sese sententiæ judicis conformare. Est quidem hoc judicium voluntarium peccatori, ut accedat ad unum aut alium Sacerdotem, sed necessarium est, ut accedat ad aliquem, & ita ad si[illegible]n erit ei liberum, si nolit acceptare [illegible]tiam ab uno injunctam, quærere alium; sed tamen ab aliquo pœnitentiam acceptare tenebitur, ut absolvatur.

15. *Conclusioni non contrariatur Scotus: cujus mens declaratur.*

Nec adversatur *Scotus d. 19. num. 27.* & alibi, etsi ordinariè in contrarium citetur: non enim docet sacerdotem non posse pœnitentem adstringere ad acceptandam pœnitentiam, aut obligari ex justitia ad pœnitentem tali casu absolvendum, sed charitati esse conformius, ut absolvat pœnitentem, qui ex nimia animi fragilitate & difficultatis apprehensione nollet ullam pœnitentiam peccato condignam acceptare. De qua expressè loquitur supra, & in *Reportatis Edit. Colon. ibidem n. 14.* Prout fusiùs expendit *Bosco de Sacram. Pœnit. sect. 13. Concl. 9.* ad quem studendo brevitati Lectorem remitto. Et allegat *disp. 15. q. 1. n. 14.* illud *Isaiæ 42.* (quod de Christo recitatur *Matth. 12.*) *arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Idque *Scotus* rectè docet: cùm etiam juxta alios sit in arbitrio Sacerdotis, attentâ fragilitate pœnitentis, aliisque circumstantiis, injungere levissimam pœnitentiam pro gravioribus peccatis. Non suadet tamen, expressè saltem, in simili casu imponi aliquam, licèt levissimam pœnitentiam: sive quia consuetudo ista tunc fortè non omnino obtinuerat, sive quia levissima pœnitentia respectu gravium peccatorum est moraliter nulla.

DICO II. Satisfactionem legitimè impositam & acceptatam tenetur pœnitens implere sub mortali, si materia sit gravis. [illegible] omnes Theologi, exceptò ferè *Cajetano*. Patet à fortiori ex dictis *Concl. præc.* Confirmatur: quia legitimo præcepto, quale hîc est, debet parere subditus sub gravi obligatione, si materia sit gravis. Quod addo: quia sicut in aliis præceptis, sic etiam in hoc excusat materiæ levitas à mortali; ut si v.g. pœnitens omittat tres aut quatuor orationes Dominicas, sive pœnitentia sit totalis, sive partialis.

16. *Dicitur.*

Petes, An pœnitentia gravis imposita pro culpis levibus vel aliàs confessis etiam obliget sub mortali? Resp. probabiliter quòd sic: quia etiam tunc verum subest præceptum, & adest materia sufficiens. Oppositum tamen est etiam valde probabile, & fortè probabilius; quod docet *Suarez* cum pluribus aliis: nam gravitas præcepti seu obligationis non est præcisè attendenda ex ipsa materia pœnitentiæ secundùm se, sed simul ex radice obligationis seu præcepti, ultra quam non censetur potestas judicis se extendere; quæ radix seu causa cùm sit levis, scilicet culpa venialis aut non necessariò confitenda, & propterea numquam sit gravis obligatio acceptandi, sic nec esse videtur gravis obligatio adimplendi. Quare pœnitentia alioquin gravis censetur in talibus circumstantiis levis materia præcepti, quia scilicet imponitur & spectatur tamquam pœna materiæ, quæ in hoc tribunali est levis. Et indubiè sic potuisset potestas judicis in hoc tribunali à Christo fuisse restricta, idque valde congruè; adeoque sic factum esse censeri potiùs debet, quàm aliter (quò usque non constat de contrario) quod faceret ad oneris augmentum in hoc foro, potiùs facilitando, quantùm fieri potest, quàm aggravando. Estque à fortiori id verum, quando Confessarius materiam hujusmodi intenderet solùm imponere sub levi obligatione: cùm instar legislatoris possit materiam alioquin gravem leviter præce-

præcipere: quidquid Nonnulli id in dubium vocare aut negare voluerint.

Dico III. Pœnitens obligatur pœnitentiam à Confessario injunctam implere per se ipsum. Est communis doctrina, quam approbavit *Alexander VII.* reprobando ad minus tamquam scandalosum: *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.* Unde inter *pœnitentis actus* recenset *Tridentinum in Decreto de Armenis, satisfactionem pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis.* Et *Tridentinum sess. 14. c. 3.* enumerat satisfactionem inter *ipsius pœnitentis actus.* Et consonat ratio seu scopus ipsius satisfactionis seu pœnitentiæ, apud *Trid. sup. c. 8.* quæ ipsi proinde confitenti injungitur. Itaque probatur: nam obligatio ista est personalis, quatenus pœnitens tamquam reus ita castigetur pro peccatis admissis. Excipe, quando Confessarius aliud exprimit, aut quando pœnitentia consistit in operibus, quæ per alium tamquam merum instrumentum eâdem bonitate fieri possunt, v. g. datio eleëmosynæ; nisi & hanc Confessarius vellet ob justam causam immediatè erogari ab ipso pœnitente. Adhuc tamen manet dubium, ac inter Doctores utrimque controversum, an dum *auctoritate Sacerdotis* (quam expressè prærequirit *S. Bonav. d. 20. p. 2. a. 1. q. 1. in Corp.* quamvis interdum in contrarium citetur) pœnitentia v. g. jejunium, auditio missæ &c. etiam per alium fieri possit, hæc ipsa habeat alium effectum, quàm ex opere operantis, instar cæterarum satisfactionum, quæ fiunt pro aliis, adeoque effectus Sacramentalis solum respondeat molestiæ sive operæ, qua procurari debet substitutus; ut varii censent: an vero etiam ipsum opus substituti in se habeat effectum Sacramentalem respectu confitentis; prout alii censent. De quo non extat revelatio aperta voluntatis Christi, à qua res ista pendet: quamvis priori sententiæ favere videatur Doctrina Conciliorum, requirentium satisfactionem quasi propriè *actum pœnitentis* ipsius.

Dico IV. Pœnitens excusatur à pœnitentia, si sit illi facta impossibilis ratione paupertatis, infirmitatis &c. Secundò si ob gravitatem sit injusta. Tertiò si non possit eam implere sine infamia. Quartò si sciat confessionem non fuisse validam. Quintò si pœnitentiæ sit oblitus, sive culpabiliter, sive inculpabiliter. Neque tunc debet repeti prior confessio, ut Quidam sine fundamento dixerunt; sed peccatum dumtaxat oblivionis, si fuerit ipsa culpabilis, est in proxima confessione aperiendum; ut communiter alii Doctores tradunt. Unde oblivione supposita pœnitens sit liber ab obligatione implendi, uti ab obligatione aliorum præceptorum, quæ ob ignorantiam aut aliam causam non potest servare. Nullo verò jure præscripta est obligatio ob hoc iterum confitendi peccata semel ritè confessa & absoluta, aut aliquid faciendi loco pœnitentiæ oblitæ. Sed ad summum erit obligatio, ut si oblivio accedat tempore, quo Sacerdos fortasse recordetur pœnitentiæ quam injunxit, teneatur pœnitens ad eum redire, & interrogare. Quòd si nec Sacerdos recordetur, non oportet, ut alia imponatur: immo nec imponi potest, quæ sit propriè sacramentalis, si ampliùs non duret moraliter prius judicium. Hoc tamen moraliter adhuc durante (in quo tempore determinando mirè variant Auctores) si Sacerdos imponat novam pœnitentiam, deberet illam pœnitens implere. Immo dubitari posset, an non teneretur tali casu, ad perficiendum Sacramentum, novam petere; uti teneretur petere primam, si Sacerdos esset oblitus aliquam imponere.

QUÆSTIO III.

De Effectu Satisfactionis Sacramentalis.

Dico I. Satisfactio sacramentalis tollit aliquid pœnæ ex opere operato. Ita passim Doctores. Probatur: quia sicut Sacramentum integrum, ita quælibet ejus pars debet habere vim efficiendi ex opere operato id, ad quod directè est instituta: atqui satisfactio sacramentalis est instituta ad delendas pœnas, ut constat ex *Tridentino sess. 14. c. 3.* & communi sensu Fidelium: ergo &c. Confirmatur: quia cetera Sacramenta & Sacramentorum partes habent suos proprios effectus ex opere operato, & specialiter ipsa absolutio in præsenti Sacramento sic habet pro effectu remissionem peccati quoad reatum culpæ: ergo similiter satisfactio habet suum proprium effectum (qui est juxta *Tridentinum suprà*, plena & perfecta etiam quoad reatum pœnæ remissio peccati) ex opere operato. 20. *Satisfactio sacramentalis delet pœnam temporalem ex opere operato.*

Delet autem pœnam cum porportione à Deo taxata, nobisque ignota; eo equidem majorem, quo ipsa est in ratione satisfactorii operis (in quo specialiter consideratur pœnalitas) major, & ferventiùs, ac meliori dispositione adimpletur: quemadmodum formæ seu causæ naturales, ipsaque Sacramenta operantur alios suos effectus cum proportione ad dispositionem illius, cui effectus est applicandus, vel qui illum in se operatur. 21. *Iuxta quamlibet proportionem id fiat.*

Quia verò satisfactio Sacramentalis etiam est instituta ad faciliùs cavenda in posterùm peccata, existimat *Suarez* per eam opportuno tempore conferri gratias prævenientes, quibus pœnitens juvetur ad peccata vitanda. Quod esto sit probabile, quando saltem pœnitentia non solùm est sa- 22. *Incertum, an conferat gratias prævenientes.*

satisfactoria, sed etiam medicinalis seu in cautelam futurorum peccatorum: tamen incertum est, & negatur à *Lugo* & aliis. Immo varii Doctores volunt per eam etiam conferri gratiam habitualem ex opere operato. Sed hoc non habet sufficiens fundamentum: cùm satisfactio eam non significet, nec ad conferendam illam legatur instituta, prout instituta est, ut imponatur in vindictam præteritorum peccatorum, & ad præcavendum futura. Deinde gratia habitualis jam fuit causata per absolutionem, in qua Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter completur: ergo novam gratiam non causat satisfactio subsequens, eatenus solùm integrans hoc Sacramentum, quatenus pertinet ad completam peccati remissionem, scilicet quoad residuum pœnæ temporalis post culpã in absolutione remissam restãs. Ita communiùs Doctores: quorum opinionem *Turrianus* ineptè appellat temerariam.

23. *Implens pœnitentiam in malo statu satisfacit obligationi.*

Dico II. Satisfactione impletâ in mortali satisfit obligationi, & probabiliter deletur pœna. Prima pars est communis. Ratio est: quia per talem satisfactionem ponitur substantia actûs præcepti; quod sufficit, ut in aliis præceptis & legibus patet. Posset quidem Confessarius obligare ad implendam pœnitentiam in bono statu, non censetur tamen id facere, ut satis constat ex sensu communi, & ex eo quòd sæpè imponantur pœnitentiæ menstruæ vel diuturniores interea certò relapsuris.

24. *An obtineat effectum remissionis pœnæ.*

Secunda pars est satis controversa. Plures illam simpliciter negant. Plures alii distinguunt, existimantes satisfactionem in malo statu impletam, non quidem delere pœnam pro tunc, sed postea oblato obice seu recuperato statu gratiæ. Sed illam simpliciter intellectam modestè asserit *Scotus* tamquam probabilem, quem præter suos sequitur *Joannes Medina*, *Vasquez*, *Navarrus*, *Kellisonus*, *Diana* & alii plures apud *Aversa q.* 14. *sect.* 8. Probatur: quia non satis apparet, cur status peccati censeatur obex in ordine ad remissionem pœnæ restantis pro peccatis remissis, illam saltem quæ fit ex opere operato: nam ibi non ita attenditur dignitas ipsius operantis, quàm dignitas operis, quatenus facti juxta institutionem Christi, cui ipse satisfactionem suam condignam applicavit. Sicut ideo juxta ipsum *Suarez*, *Lugo* & alios non obstat effectui Satisfactionis, quod ipsa sit opus naturale, aut etiam aliquâ circumstantiâ vitiatum. Maximè quia etsi homo operans de facto non sit in statu gratiæ, in illo tamen fuit, quando peccata per Sacramentum fuerunt remissa quoad culpam. Nec ex ullo capite probatur, cur talis ob reincidentiam in statum peccati sit incapax remissionis pœnæ temporalis, saltem faciendæ ex merito seu satisfactione condignâ Christi vi Sacramenti.

Opinio affirmativa Scoti & plurium aliorum suadetur.

25. Confirmatur: quia alioquin Ecclesia deberet curare, ut pœnitentes solverent suas pœnitentias in statu gratiæ: nec deberet permittere Confessariis, quòd imponant pœnitentias diuturniores; cùm subsit evidens periculum, quòd saltem ex toto non implebuntur in gratia. Deinde sic facilè patet, quòd implentes pœnitentiam in malo statu ne quidem venialiter peccent: hoc autem difficile est in altera opinione: juxta quam tales privarent partem Sacramenti suâ speciali significatione & proprii effectûs operatione. Nec excusat hujus effectûs reviviscentia: sicut reviviscentia Baptismi non excusat, quò minùs peccet suscipiens Baptismum cum obice. Adde, non subesse fundamentum istius reviviscentiæ: quam proinde non admittunt plures alterius opinionis fautores: sed si verè non prosit satisfactio dum impletur, non prodest umquam postea instar operis mortui.

Nec dici potest constitutum in malo statu esse incapacem remissionis pœnarum temporalium: nam etiam existens in statu damnationis mediante satispassione accipit remissionem pœnarum temporalium restantium post peccata remissa, ut habet vetior doctrina tradita *Disp. 7. de Pecc. mort. & ven. q.* 2. Deinde saltem peccator non est incapax remissionis ejusmodi in hac vita, quando non intervenit nova gratia, quæ sit facienda peccatori, sed gratia jam facta est ei dum justus erat; prout contingit in satisfactione sacramentali, quæ fuit à Sacerdote præfixa peccatori in Sacramento justificato, in eamdem commutatâ purgatorii pœnâ; postea verò hic solùm solvit seu implet, quod ita præfixum est. Ex quo etiam colligi potest differentia inter effectum Satisfactionis sacramentalis & effectũ satisfactorium Sacrificii Missæ: nam in hoc deberet à Deo fieri de novo gratia homini jam existenti in malo statu, qui (ut Alii urgent) est eâ indignus, acceptando videlicet satisfactionem in favorem illius. Ob quod etiam communiter existimatur Deus nõ acceptare indulgentiam tali concessã (quamvis tamen neutrum horũ certò constet) at in pœnitentia sacramentali acceptatio est facta in ipsa impositione pœnitentiæ, juncta absolutioni; pro tunc autem pœnitens erat justus.

Non obstat etiam, quòd satisfactiones solorum justorum sint expiatoriæ pœnarum temporalium, ut colligitur ex *Tridentino sess.* 14. *c.* 8. Nam præterquam quòd hoc negent Nonnulli, præsertim *Scotistæ*, & ex his aliqui specialiter contendant satisfacere posse peccatorem saltem de congruo, sicut de congruo meteri; prout etiam de facto peccatori remittitur pœna æterna ob contritionem, & juxta modum ejusdem pars simul aliqua pœnæ temporalis aut interdum tota velut ob meritum congruum: dico *Tridentinum* eatenus solùm loqui de satisfactionibus condignis ex opere operantis. Ita-

Itaque tunc non attenditur honestas, supernaturalitas, status gratiæ, quatenus est ex parte operantis; sed sola dignitas & vis operis ut facti secundùm institutionem Christi: sicut actio ministri conficientis & conferentis Sacramentum habet effectum gratiæ ex opere operato in suscipiente, etsi ipsa sit vitiata per malam intentionem. Idem esset de sumptione Eucharistiæ factâ à justo ob vanam gloriam, si (quod Nonnulli dixerunt) ipsa sumptio alioquin sit etiam causa gratiæ.

QUÆSTIO IV.

Qualiter possit Pœnitentia semel injuncta mutari?

SUPPONO neminem propriâ auctoritate posse mutare pœnitentiam, etsi in meliorem: hoc enim spectat ad officium Judicis, non Rei. Aliud est in voto, quod uti quisque sibi imponit quatenus est Deo gratum, ita etiam in aliud Deo gratius mutare potest. Ita communiter Doctores; licet pauci doceant posse sic mutari in evidenter meliorem: quod quidem non improbabile existimat *Diana*, alii tamen improbabile censent. Confirmatur: quia ad satisfactionem obligatur pœnitens ex præcepto Confessarii: subditus autem nequit propriâ auctoritate mutare præceptum superioris in aliam materiam etiam meliorem. Quemadmodum similiter dum Pontifex pro indulgentiis lucrandis præscribit certa opera, non possunt ea fideles auctoritate propriâ mutare in meliora. Nihilominus si pœnitens antecedenter ad impletionem pœnitentiæ per privatas satisfactiones extinxisset totum debitum pœnæ temporalis restantis ex peccatis confessis, idque ei satis constaret (quod non est natum fieri) eo ipso tolleret indirectè obligationem pœnæ sacramentalis, ablato obligationis fundamento, quod est pœna temporalis restans, prout etiam de indulgentiis mox dicetur.

Supponunt etiam Doctores communiter pœnitentiam quatenus imponitur in vindictam posse commutari ab eo, qui potest concedere indulgentias, idque indirectè; quatenus per eas subtrahitur materia satisfactionis, videlicet debitum pœnæ, & consequenter obligatio satisfaciendi. Quod etiam supponere videtur *Innocentius III. cap. Cum ex eo, de pœnit. & remiss.* Unde iidem Doctores censent, promerentem indulgentias, quæ videantur non minores debito pœnæ, non peccare omittendo pœnitentias injunctas in meram vindictam. Quàmvis addant non esse consultum, eò quòd homo sit incertus, quantum pœnæ persolvendum habeat, quantumque indulgentiarum promereatur.

Res tamen hæc habet aliquam difficultatem, ob quam nonnulli Recentiores post *Alexandrum Alensem* & alios Antiquos docent remanere obligationem implendi pœnitentiam sacramentalem, etsi non remaneat tanta pœna luenda; idque ex præcepto judicis & integritate Sacramenti. Quemadmodum est obligatio subeundi sententiam Confessarii de peccatis quoad culpam per contritionem jam remissis. Nihilominus responderi potest, satis constare de obligatione confessionis, non autem de obligatione satisfactionis vindicativæ, fundamento sublato, seu pœnâ jam deletâ, sed potiùs constare oppositum ex sensu communi. Unde etiam non debuisset Confessarius pœnam vindicativam ab initio imponere, quando sciviſſet totam pœnam in foro Dei esse deletam. Concurrit enim satisfactio tamquam pars, quatenus ad plenam atque integram peccati, etiam quoad pœnam, remissionem requiritur, ut colligitur ex *Tridentino sess. 14. c. 3.* plena autem atque integra peccati remissio tunc supponitur. Immo *Arriaga d. 24. sect. 5.* rejicit *Suarium* quatenus hic præfatam doctrinam limitat ad pœnitentiam quà vindicativam, seu quà non medicinalem: eò quòd *Bonifacius VIII.* aliàs non reprehendisset Confessarios, qui anno Jubilæi imponebant alias pœnitentias, nec *Innocentius III. c. Cum ex eo,* dixisset Indulgentiis enervari satisfactiones sacramentales, si semper maneret sufficiens ratio eas imponendi & implendi per modum medicinæ. Et planè dum olim de injunctis pœnitentiis solebat fieri relaxatio totalis vel partialis, existimabant fideles, se simpliciter esse liberatos ab impletione pœnitentiarum sic relaxatarum, sine consideratione hujusmodi distinctionis sive limitationis. Vide *Arriaga* suprà: qui ultro tamen fatetur non tolli obligationem velut juris naturalis adhibendi medicinam, quatenus foret vitationi peccatorum necessaria, etiam independenter à mandato Confessarii.

30. *Objicitur contra difficultas.*

Solutio.

An sit faciendo hic distinctio inter pœnitentiam quà vindicativam & quà medicinalem.

DICO I. potest quilibet Confessarius pœnitentiam ab alio, etiam Episcopo, aut altero superiore injunctam commutare. Ita communiter Doctores contra *Sotum* & quosdam alios; qui tamen fatentur id fieri posse, quando acceditur idem Confessarius, conformiter ad naturam judicii; dum non constat judici, postquam semel functus est officio, ademptam esse potestatem se denuo in judicium intromittendi. Quod in præsenti non constat, quin potiùs ex sensu & praxi communi oppositum. Verùm pariter praxis & sensus communis Doctorum & Confessariorum docet id, quod habet nostra Conclusio. Quæ probatur: quia etsi adeatur alius Confessarius, idem tamen est tribunal, idemque judicium ejusdem potestatis: unde sicut judex qui in alterius mu-

31. *Quilibet Confessarius potest commutare pœnitentiam, etiam ab altero, etsi Superiore injunctam.*

nus

nus succedit, potest mutare taxatas à priore judice pœnas; ita non est ratio, cur in hoc tribunali idem fieri nequeat, saltem dum subest legitima causa. Nec quoad potestatem absolvendi & ligandi in hoc foro unus est altero superior vel inferior; sed hæc potestas immediatè exercetur vice Christi, sub quo quilibet sacerdos est supremus judex, etsi inferior debeat à superiore recipere jurisdictionem sive materiæ applicationem.

32. *Communior sententia excipit pœnitentiam impositam pro reservatis.*

Excipiunt tamen Doctores communius (contra *Vasquez* & quosdam alios non improbabiliter oppositum docentes) casum, quo pœnitens habet peccata reservata, à quibus directè fuerat absolutus: nam quando Sacerdos non potuit primò causam cognoscere, non videtur circa illam quidquam posse immutare; cùm reservatio fieri videatur non tantùm propter absolutionem, sed peccatum sit etiam propter pœnitentiæ impositionem reservatum. Quare reservatione per confessionem etiam invalidam ablatâ, manet obligatio pœnitentiæ impositæ (non tamquam sacramentalis, sed tamquam reservationi respondentis) quam potest quidem inferior sacramentalem facere, & consonum est; non tamen tollere.

33. *Differentia inter commutationem illius & voti reservati.*

Neque obstat exemplum de commutatione voti reservati, quòd non censeatur ampliùs reservatum id, in quod commutatur. Nam commutatio voti tribuit alteri facultatem faciendi, aut votum quod reservatum est, aut aliud quod noscitur non esse ex reservatis, non imposito illi præcepto fundato in simili altiori potestate. At pœnitentia instar præcepti imponitur simul ex altiori ista potestate, reservationi peccati respondente: ideoque res præcepta reservata manet, quemadmodum reservata erat absolutio peccati, etiam in ordine ad præceptum pœnæ reservati. Ad hoc tamen fortè responderet quis reservationem quidem fieri partim ob impositionem pœnæ, tamen etiam ob alios fines, quibus factum est satis, nempe ob comparitionem coram superiore, efficaciores instructiones, timorem peccandi &c. Quare ob unicam illam rationem non videtur manere peccati reservatio, adeò odiosa: quin potiùs videtur dicendum planè tolli reservationem per absolutionem. Quæ responsio difficulter improbari posse videtur. Et juxta hanc consequenter posset Sacerdos simplex ex justa causa commutare pœnitentiam mortalibus reservatis semel directè absolutis impositam.

Opposita sententia non potest efficaciter improbari.

34. *Commutatio locum habet etiam in pœnitentia medicinali.*

Adverte autem Conclusionem intelligi non tantùm de pœnitentia vindicativa (ut Quidam voluerunt) sed etiam de medicinali seu præservativa: cùm sit par ratio, nec in praxi Confessarii inter unam & alteram faciant aliquam differentiam. Quando tamen medicina imposita esset unicum medium præcavendi peccata, deberet etiam sponte ab ipso pœnitente abhiberi, nec posset rectè à Confessario tolli; sed an validè, sic ut pœnitens non teneretur quantùm est ex præcepto Confessarii, dubium est.

Commutatione autem factâ valde probabiliter liberum est pœnitenti eligere alteram; cùm fiat in ejus favorem, quo non tenetur uti; sicut de voti cōmutatione dici solet.

Dices, per posteriorem sententiam revocatur prior, imponiturque novum præceptum, ergo non pendet deinceps electio ab arbitrio pœnitentis. Responderi potest, esse revocationem per novum præceptum tacitè conditionatum, nisi malit pœnitens tenere prius. Alioquin si Sacerdos aliud intenderet, deberet pœnitens determinatè secundam implere. Estque aliqua disparitas in commutatione voti: nam illa fit sine impositione præcepti, sed datur facultas assumendi voto aliam rem.

Dico II. Non potest quis mutare pœnitentiam alterius, nisi intra confessionem, & habitâ saltem confusâ peccatorum notitiâ. Prima pars est communis Doctorum. Ratio est: quòd impositio novæ pœnitentiæ sit actus clavium; adeoque debet fieri intra confessionem, sicut impositio prioris. Deinde non est judex nisi in confessione.

Excipe casum, quo acceditur idem Confessarius intra tempus, quo adhuc ipsius judicium moraliter censetur durare. Ad quod requiri solet propinquitas temporis. In cujus tamen determinatione variant Doctores: nam alii requirunt, ut fiat statim seu continuò: aliqui determinant tempus mediæ horæ, aliqui tempus unius aut alterius diei, aliqui tempus tridui, aut etiam octidui. Denique *Lugo* non aliud tempus determinat, nisi intra quod Confessarius recordetur confessionis vel status pœnitentis. Quod confirmat exemplo ipsius pœnitentiæ sacramentalis, quæ post longum tempus impleta sufficienter unitur reliquis partibus. Et quidem sufficienter uniretur, etsi implenda demum foret intra septennium. Ex quo tamen non sequitur sententiam sed judicium Confessarii durare moraliter per septennium. Aliud est de satisfactione: ipsa enim manet post finitam sententiam judicis implenda cum suo tractu temporis vi obligationis à reo susceptæ in posterum præstandi mandatum.

An autem necessarium sit, ut pœnitens aperiat Confessario se priùs talem vel talem pœnitentiam accepisse; & similiter ut eamdem intendat Confessarius commutare: an verò sufficiat pœnitentem simpliciter eadem peccata denuò confiteri, eorumque pœnitentiam quasi tunc primò accipere, non ita constat. Postremum sufficere nonnulli censent. Sed plures contradicunt: eò quòd sic procedendo videatur à secundo Cōfessario simpliciter imponi novum præceptum priori relicto; adeoque pœnitens videa-

rideatur obligatus ad utramque pœnā proportionatè ad gravitatem illius & materiæ confessionis, necessariæ scilicet vel liberæ.

Secunda pars Conclusionis est communior Doctorum. Probatur: quia impositio pœnitentiæ est actus judicialis; debetque fieri cum proportione ad multitudinem & gravitatem peccatorum; ergo non potest fieri, nisi præhabitâ illorum cognitione.

Contrarium tamen docet *Navarrus c.* 26. *n.* 22. & plures alii, quorum opinionem *Diana P.* 2. *Tract.* 1. *Miscell. Resol.* 53. probabilissimam existimat. Quæ ad hoc juvare potest, ut non exigatur iterata confessio tam distincta & exacta, quàm fuerit ab initio necessaria ad obtinendam absolutionem. Deinde ex hac parte jam satisfactum erat integritati confessionis, quæ principaliter requiritur in ordine ad absolutionem. Quare sufficiet præbere alteri Confessario talem notitiam, quâ prudenter possit dirigi in permutanda pœnitentia, vel sufficiet dicere specialiter illa peccata, quorum intuitu talis pœnitentia inter plures partes fuisset imposita. Immo interdum sufficiet uno verbo dicere: Similem huic confessionem aliàs feci, & similia peccata dixi, de quibus nunc denuò me accuso. Adde, Sacerdotem duæ actu absolvit, vel primo pœnitentiam imponit, frequenter non recordari distinctè peccatorum in speciali, sed potiùs statûs pœnitentis in confuso. Interdum etiam fieri posset, quòd pœnitens sit oblitus peccatorum singillatim, & tamen justa appareat ratio commutandi. Immo tam aperta posset esse causa commutationis, ex solo statu pœnitentis, etiam independenter à qualitate peccatorum, ut prudenter fieri posset gratiosa remissio, accedente fortè impotentiâ aliam pœnitentiam faciendi.

QUÆSTIO V.

An in Ecclesia sit potestas conferendi Indulgentias?

OB affinitatem cum satisfactione sacramentali, quam etiam suo modo supplere potest, agi hîc eâdem operâ solet de satisfactione, quæ applicatur per Indulgentias. Quarum nomine intelligitur remissio pœnæ temporalis debitæ ob peccata quoad culpam remissa, quæ quidem non fiat virtute Sacramenti vel martyrii, sed per satisfactionem Christi Domini & justorum nobis applicatam ab habente potestatem.

Primi qui Indulgentias impugnarunt sunt *Waldenses*, seu *Pauperes de Lugduno*: quos more suo secutus est *Wicleff art.* 42. damnato in *Concilio Constantiensi sess.* 8. *Wicleffum* secuti sunt *Hussitæ*, ut intelligi potest ex *l.* 1. *Cochlæi de Historia Hussitarum*. Hos imitatus *Lutherus* ab impugnatione indulgentiarum hæresim suam auspicatus est: cui adhæserunt *Melanchton, Illyricus, Heshusius*. Etiam indulgentias impugnavit *Calvinus*, & copiosissimè *Kemnitius*. Ita refert *Bellarminus l.* 1. *de Indulgentiis c.* 1.

Verùm esse in Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias definivit *Trid sess.* 25. *in Decreto de Indulgentiis*, & *Concilium Constantiense sess.* 8. Eamdem veritatem apertè supponit *Concilium Lateranense* sub *Innocentio III. c.* 62. & refertur *c. Cùm ex eo, de Pœnit. & remiss.* ubi emendantur in hac re abusus, & potestas Episcoporum in taxa Indulgentiarum determinandâ restringitur. Similis emendatio legitur in *Concilio Lugdunensi* sub Innocentio IV. & refertur *c.* 1. *de Pœnit. & remiss. in* 6. Eamdem veritatem supponit *Concilium Viennense* concedens (ut refertur *Clem. unic. de Reliq. & Venerat. Sanctorum*) Indulgentias iis, qui divinis officiis intersunt in festo & per Octavam Corporis Christi. Quæ Conciliorum generalium, atque adeò Ecclesiæ Catholicæ, quæ errare nequit, doctrina, abundè sufficit: quantumvis Sectarii Concilia legitima, à quibus damnantur, contemnant, secuti exempla veterum Hæreticorum, qui similiter Concilia generalia (quorum tamen in Ecclesia est saluberrima auctoritas juxta *Augustinum Epist.* 118) nihili faciebant, utì *Ariani* Nicænum, *Nestoriani* Ephesinum, *Eutychiani* Calcedonense; & sic de ceteris.

40. *Sed eas concedendi potestatem in Ecclesia esse, docent varia Concilia generalia,*

Quorum auctoritas sufficientissima est ad probandum.

Neque præfata Concilia Indulgentias noviter induxerunt, sed de eis tamquam re antiquâ & usitatâ, in qua dudum abusus irrepserant, agunt. Nam (ut ex probatis auctoritatibus refert *Bellarminus lib.* 1. *de Indulgentiis cap.* 3.) earum potestatem etiam usurpasse legitur *Innocentius III.* ante celebrationem *Concilii Lateranensis*, concedens indulgentias plenarias pro auxilio terræ sanctæ; & ante illum *Eugenius III.* dans per litteras generales indulgentiam proficiscentibus ad bellum sacrum: & ante hunc *Paschalis II.* in *Concilio Lateranensi* anno 1116. concedens indulgentias quadraginta dierum iis, qui ad Concilium venerant: & ante illum *Vrbanus II.* in *Concilio Claramontano* dans indulgētias proficiscentibus ad bellum sacrum: & ante Urbanum *Gregorius VII.* frequenter in suis Epistolis concedens indulgentias: & ante 800. annos *Sergius II.* & antea adhuc *Leo III.* (qui sedere cœpit anno 795.) teste S. Ludgero in Epistola, quam refert *Surius Tom.* 2. *die* 5. *Martii* post vitam *S. Swiberti c.* 9. Indulgentias quoque in diebus stationum principaliter esse concessas à *Gregorio Magno* testis est *Guilielmus Altisiodorensis*, & post eum *D. Thomas* 4. *d.* 20. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. Vide *Bellarminum suprà*, & *l.* 2. *c.* 20. Et *Suarez d.* 49. *sect.* 2.

41. *Accedit usus antiquus Pontificum.*

Ac ne indulgentiarum vestigia in Statutis antiquissimorum Conciliorum & scrip-

42. *Indulgen-*

tiarum vestigium reperitur in antiquissimis Conciliis.

tis veterum Patrum deesse conquerantur Hæretici (è quibus *Kemnitius* impudenter mentitur eas cœpisse circa annum 1200. nec antea ullum de eis Auctorem scripsisse: cùm tamen idem primos earum, utique jam dudum usitatarum, impugnatores faciat *Waldenses*, qui apparuerunt circa annum 1170. & *Alexandrum III.* qui cœpit sedere anno 1159. fateatur scripsisse de indulgentiis, quæ fiebant in dedicationibus Ecclesiarum, aut dabantur conferentibus aliquid ad ædificationem pontium, ut refert *Bellarm. l. 2. c. 20.*) *Concilium Nicænum can. 12.* aliàs 11. circa lapsos pœnitentes, si seriò pœniteant, statuit: *Postmodum verò* (seu post aliquam pœnitentiam peractam) *licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare*: negligentiores autem jubet Concilium explere omnino tempus definitæ pœnitentiæ; his itaque nihil, prioribus aliquid indulgendum censet. Consona statuerat antea *Concilium Ancyranum can. 4.*

43. *Nec non in scriptis S. Cypriani.*

His accedit *Cyprianus Martyr Epist. 46.* aliàs *lib. 3. Ep. 11.* qui Urbano & Sidonio in hæresim lapsis ignovit, & confessis ac contritis sine ulla pœna indulsit. Vide etiam eumdem *Epist. 52.* aliàs *l. 4. Epist. 2.* ubi de Trophimo agit. Unde constat non solùm agere ipsum de indulgentia, quæ detur de pœnitentiis injunctis (quarum formulæ frequentes olim erant) sed etiam antequam injunctæ essent. Et planè ex eadem causa remitti poterant antequam injungerentur, ex qua remitti poterant jam injunctæ. Quia verò lapsi abbreviationem pœnitentiæ impositæ sive imponendæ impetrare conabantur per Confessores in carceribus constitutos, jamque martyrizandos, atque ita ad Dominum tendentes, qui se per epistolam ad Episcopum ejus rei gratiâ scriptam interponebant, monet eosdem Martyres & Confessores *Cyprianus Epist. 11.* aliàs *l. 3. Ep. 5.* ne cum enervatione Ecclesiasticæ disciplinæ nimis essent in hoc faciles, nec nisi dignos ad ejusmodi indulgentiam (quo nomine *Cyprianus* frequenter utitur) seu gratiam accipiendam Episcopis cum litteris præsentarent. Vide *Argumentum Epistolæ*, & *Pamelium in notis ejusdem*, & *in notis Epist. 21. & 23.* Quare *Tridentinum sess. 25. in Decr. de Indulg.* verissimè dixit, quòd Ecclesia *hujusmodi potestate divinitus sibi traditâ, antiquissimis etiam temporibus usa fuerit.*

44. *Varii adducunt locum Apostoli 2. Cor. 2.*

Quin immo putant multi Interpretes & Theologi Apostolum 2. *ad Cor. 2.* dedisse incestuoso jam pœnitenti indulgentias, dum ait: *Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Rogaverant enim Corinthii Apostolum, ut incestuoso excommunicato & jam seriam pœnitentiam agenti, condonaret quod supererat pœnitentiæ; cùm esset periculum ne fortè nimiâ tristitiâ absorberetur: quibus Apostolus annuit, ut ipsi nomine suo indulgeret. Id autem dicit se fecisse in persona Christi sive auctoritate à Christo accepta, idque propter ipsos sive communem ipsorum utilitatem, ne ob Prælati severitatem detur locus insidijs satanæ. Ita explicat *Bellarm. l. 1. de Indulgentiis c. 3.* & alii.

Eadem veritas confirmata fuit pluribus & maximis miraculis, quæ *S. Bernardus* (ut illa narratur *l. 3. vitæ c. 4.* & ipse modestè indicat *l. 2. de Consideratione in princip.*) patravit, prædicans variis in locis indulgentias ab *Eugenio III.* concessas Cruce signatis in ordine ad bellum sacrum contra Turcas. Quibus accedit portentosa indulgentia S. Mariæ Angelorum seu Portiunculæ à Christo concessa S. Francisco sub ratihabitione sive confirmatione Pontificis Romani; quæ & ipsa specialiter pluribus miraculis confirmata fuit, & concursu mirabili populorum usque hodie stabilitur: de qua etiam testimonium perhibent probatissimæ historiæ, ac *S. Bernardinus To. 1. Homil. in Dom. 1. Quadrag.* & *S. Antoninus 3. P. Summæ Histor. Tit. 24. c. 14. §. 3.* Immo de canonificam mentionem faciunt diversi Romani Pontifices, ut *Alexander IV.* Bullâ. *Quia longum*, *Benedictus XII.* & alii.

Denique quàmvis verba Scripturæ per se sumpta non possint evincere hanc veritatem, eam tamen sufficientissimè suadent illa Christi *Matth. 16. Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Et *c. 18. Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Hæc enim (ut sensus & usus Ecclesiæ, cujus est judicare de vera interpretatione Scripturarum, ostendit) respiciunt quævis vincula, quibus anima constricta tenetur, quæque aditum cæli occludunt aut impediunt; adeòque viscula non tantùm peccatorum, sed etiam pœnarum temporalium post peccata remissa restantium.

Unde desumit ratio Theologica: quia cùm constet ex Scriptura datam esse Ecclesiæ potestatem in ipsas culpas, quidni in pœnas consequentes? præterea sumitur ratio Theologica ex eo, quòd in Ecclesia sit thesaurus constans ex meritis seu satisfactionibus Christi & Sanctorum; qui ne otiosus & frustraneus, potest per Ecclesiam dispensari, adeoque ex ipso possunt indulgentiæ concedi.

Ejusmodi porrò thesaurum tradunt Theologi communiter: & expressè *Clemens VI. Extrav. Vnigenitus de Pœnit. & remiss.* dicens Christum *thesaurum, quem sui sanguinis effusione acquisivit, non in sudario repositum, sed per B. Petrum cæli clavigerum ejusq; successores committi Fidelibus salubriter dispensandum.* Unde inter articulos *Lutheri* à *Leone X.* damnatos decimus erat iste: *Thesaurus, unde Papa dat indulgentias, non est Christi & Sanctorum.* Confirmatur ex infinitate meritorum & satisfactionum Christi, quæ indubiè sunt datæ Ecclesiæ, & numquam possunt exhaurirì, quantum-

quantumcumque pro illis sit datum præmium. Similiter etsi operibus bonis. B. Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum sit satisfactum per redditionem præmii, quatenus erant meritoria; non tamen est satisfactum, quatenus erant satisfactoria; cùm B. Virgo & alii Sancti non indiguerint satisfactione, aut plures saltem non tantâ, quantam promerebantur. Igitur excessus hujusmodi satisfactionum remanet in divina acceptatione, dispensandus per ministros Ecclesiæ, sicut bona civium decedentium sine heredibus aut legatariis devolvuntur jure Gentium ad rempublicam per ministros illius distribuenda. Unde *Clemens VI. suprà*, ait: *Ad cujus quidem thesauri cumulum B. Dei Genetricis & omnium electorum à primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur.* Quamquam merita electorum hîc non sint necessaria: cùm etsi forent sola Christi merita, abundè sufficerent; à quibus etiam satisfactiones superfluæ Sanctorum omnem vim trahunt; ut proinde frivolè oblatrent Hæretici, nos injuriam per hoc facere meritis Christi, quæ potiùs exaltamus. Juvant etiam ad hoc non solùm satisfactiones superfluæ, sed etiam generalitèr propriè dicta omnium merita & preces per modum impetrationis, quatenus objectivè movent Deum, ut satisfactiones Christi nobis applicentur, nosque ad indulgentias percipiendas per veram contritionem & pœnitentiam disponamur. Et sic præstant ad cumulum etiam merita illorum Sanctorum, qui superfluas satisfactiones non habent.

Ipsi sanè Hæretici thesaurum meritorum Christi agnoscunt, quem sibi per fidem specialem applicari putant ad remissionem pœnarum omnium etiam temporalium simul cum culpa: quæ ergo injuria Christo, quod eum thesaurum admittant Catholici sibi applicandum quoad pœnas temporales per Pastores Ecclesiæ?

Fundamentum Hæreticorum recentiorum consistit in negatione purgatorii & suffragiorum pro altero; quòd alibi refutatur. Aliud fundamentum est, quòd solius sit Dei seu Christi peccata eorumque pœnas remittere. Sed contrà: Est etiam Sacerdotum tamquam Christi Vicariorum remittere culpas, & per injunctas pœnitentias insuper pœnas restantes; quidni ergo sit penes Ecclesiam remittere pœnitentias injunctas vel injungendas, per indulgentiam nomine & in persona Christi tamquam principalis remittentis.

Neque inde sequitur, Sanctos esse nostros redemptores, utpote quorum passionibus expiantur nostra delicta quoad pœnas temporales. Non, inquam, id potiùs sequitur, quàm quòd simus ipsi redemptores nostri, quatenus per proprias satisfactiones (quæ tamen ex ipso Christo vim habent) redimimus pœnas temporales post culpam remissam restantes; quas tamen certum est ita à nobis posse redimi ex *Trid. sess.* 14. *c.* 8. & *can.* 13. & 14. Absolutè autem & simpliciter ob hoc non rectè dicitur homo justus redemptor sui vel alterius, sed solus Christus, qui nos ex captivitate peccati & diaboli per suum sanguinem tamquam pretium liberavit. Quamquàm secundùm quid & cum addito posset quis eatenus dici redemptor, utì redimit; sicut & salvator, quatenus salvum facit. Unde sine ratione *Michael Bajus* negavit satisfactiones nostras esse dignum pretium redemptionis pœnarum temporalium, ne alioquin essemus saltem ex parte redemptores, ut habet in *art.* 56. à tribus Pontificibus censurato. Prout etiam meritò censuratus est articulus 57: *Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta: sed per communicationem Charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

51. *Passio Christi applicatur etiam in Sacramentis: Sanctorum verò tantùm extra Sacramenta in indulgentiis.*

Notanda verò est differentia inter passiones Christi & Sanctorum, quòd solius Christi passiones possint applicari intra Sacramenta, ad remissionem tum culpæ & pœnæ æternæ; tum etiam pœnæ temporalis, sive totalis, ut in Baptismo, sive saltem pro parte, ut in Sacramento Pœnitentiæ. Quia verò remissioni pœnæ in Sacramentis semper jungitur remissio culpæ, quæ remittitur per passionem solius Christi, & quia ipsa Sacramenta sunt instrumenta solius passionis Christi, patet thesaurum Ecclesiæ, quà constantem passionibus Sanctorum, non posse dispensari in Sacramentis, sed solum extrà per indulgentias: quod ipsum tamen etiam à fortiori non est negandum posse fieri de illo quà constante passionibus Christi.

52. *Indulgentiæ quàm sint utiles populo Christiano.*

Denique de utilitate Indulgentiarum non est quòd dubitetur: cùm tollant pœnas temporales quæ retardant ingressum cæli; nec impediant exercitium bonorum operum, immo per eas provocentur fideles ad Communionem aliaque pia opera præscripta. Utilius quidem est & tutius, per actiones proprias satisfacere, quàm indulgentias quærere: utilissimum tamen est, & istud facere, & hoc non omittere: ut ita suscipientes Indulgentiam non cessent à pœnitentiæ fructibus producendis, qui meritorii & medicinales esse solent. Unde *Tridentinum sess.* 25. *in Decreto de Indulgentiis* meritò docet, *Indulgentiarum usum Christiano populo maximè salutarem esse.*

QUÆSTIO VI.

An Indulgentiæ dentur per modum Suffragii, an verò Absolutionis?

53. *Indulgentiæ conceduntur defunctis per modum suffragii.*

DICO I. Indulgentiæ conceduntur defunctis tantùm per modum suffragii, sive solutionis pro pœna, quatenus Pontifex iis suffragatur, offerens Deo ex thesauro Ecclesiæ pro eorum debita pœna æquivalens. Ita communiter Doctores contra paucos. Probatur I. ex formulis quibus Pontifices communiter utuntur, in quibus dicunt se concedere defunctis indulgentias per modum suffragii. Et confirmatur ex *Leone X. in Epist. ad Cajetanum* (quam ipse refert 3. P. *q.* 48. *art.* 5.) dicente, *Romanum Pontificem thesaurum meritorum Jesu Christi & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse*; utique per modum absolutionis respectu vivorum, per modum suffragii respectu defunctorum.

Probatur II. quia absolutio est actus jurisdictionis, adeoque tantùm potest in subditum exerceri: defuncti autem non sunt subditi Papæ, aut aliis Ecclesiæ Prælatis, qui tantùm præsunt Ecclesiæ militanti, sive ovili Christi in terris constituto. Unde dum in certis casibus à Canonibus denotatis ligasse legitur Ecclesia mortuos & solvisse, ut dicitur cap. *Anobis* 28. *de Sententia excommunicationis* (ubi etiam Pontifex præmiserat, ut cuidam, præviis pœnitentiæ signis in excommunicatione defuncto, absolutionis beneficium impendatur) intelligi debet de absolutione & ligatione indirectâ, quatenus videlicet permittitur vel prohibetur vivis communicatio cum mortuis in oblatione sacrificii, suffragiis &c.

Et quamquàm indulgentiæ requirant inconsecrate jurisdictionem, in thesaurum fidelium qui distribuitur; non tamen necessariò ex jure divino requiritur jurisdictio in personas, quibus distribuitur: nam etiam bona communia possunt distribui non subditis ab habente in illa potestatem.

54. *Quod quâ ratione fiat, amplius declaratur.*

Conferuntur porrò defunctis indulgentiæ per modum suffragii satisfactorii, id que juxta *Lugo d.* 27. *sect.* 5. per hoc quòd Pontifex operibus vivorum tantum applicet de satisfactionibus Christi & Sanctorum, quantum requiritur, ut sint condigna satisfactio pro pœna, quæ defunctis est remittenda. Sed sine ratione recedit à tritis Scholasticorum explicationibus, & quidem claris ac obviis: etiam gratis concessâ possibilitate elevandi opera ad condignam satisfactionem per Pontificem: penes quem non esse hanc potestatem, arguit *Arriaga d.* 28. *sect.* 3. Et sanè difficilis est explicatu, si præter verba aliud importet, modus iste loquendi, quàm quod reliqui concedunt. Proindè receptus satis videtur modus explicandi (pro quo referri solet *D. Thomas* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiunculâ* 2. & antiqui Theologi) quòd scilicet Indulgentia concedatur defunctis secundariò ac velut mediatè, quatenus Pontifex donat vivis de thesauro Ecclesiæ satisfactiones sub conditione certorum operum, cum potestate, aut etiam sub conditione eas applicandi defunctis instar propriarum satisfactionum seu suffragiorum. Estque ista explicatio satis facilis, & consona formulis loquendi Pontificum. Sic enim *Sixtus V.* in Bulla de Archiconfraternitate Chordigerorum, quæ incipit *Divinæ Charitatis altitudo*, concedit Chordigeris, *ut Indulgentias & peccatorum remissiones* ibidem *præfatas per modum suffragii pro fidelibus, qui in gratia Dei decesserint, consequi & impartiri valeant.* Et ita quidem potest omnino Pontifex procedere, securiusque procedit in largitione similium Indulgentiarum. Non video tamen efficax fundamentum, cur præterea sicut fideles, sic non valeat Pontifex ipse ex thesauro Ecclesiæ applicare immediatè indulgentias defunctis per modum suffragii, sic ut opera fidelium vivorum sint quædam conditiones requisitæ, aut etiam justitiam causæ (quæ requiritur) supplentes, sine quibus alioquin Pontifex non intendat eas concedere; utì neque vivi eas obtinent pro se ipsis, nisi opera præscripta exequantur. Unde Indulgentias posse concedi etiam immediatè defunctis docet *Suarez d.* 53. *sect.* 3. & *Coninck d.* 12. *n.* 44. addens communiter ipsum Pontificem de facto applicare Indulgentias iis defunctis, pro quibus illas vivi intendunt lucrari, ita per se dispensando Ecclesiæ thesaurum. Neque hunc concedendi modum negat *D. Thomas* suprà, ut consideranti textum apparebit.

DICO II. Indulgentia etiam conceditur vivis per modum solutionis; cum Deus nullum peccatum impunitum relinquat, pœnâ propriâ, aut saltem satisfactione seu pœnâ alienâ; immo concedi illis posse per modum puræ solutionis, quandoquidem de facto sic concedatur defunctis, nec sit specialis repugnantia quoad vivos, quantum est ex jure divino aut naturali; ut rectè *Præpositus q.* 14. *dub.* 3. *n.* 24. *Bellarminus l.* 1. *de Indulgentiis c.* 5. & alii. Nihilominus si de facto confertur simul vivis per modum absolutionis. Ita communius Doctores contra *Durandum*, & alios. Et colligitur satis clarè ex verbis *Leonis X. præc. Const.* relatis. Deinde c. *Quod autem, de Pœnit. & remiss.* idem satis apertè supponit Alexander III. dicens, indulgentias tantùm prodesse subditis concedentium, eò quòd à suo non judice ligari nullus valeat vel absolvi. Atque ibidem &c. *Noster eod. tit.* In-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dulgentiæ vocantur *Remissiones*, quod sonat authenticam condonationem sive absolutionem, & non puram solutionem. Idem sonant formulæ, quibus Pontifices conferunt indulgentias; v. g. *Concedimus veniam peccatorum*; ut loquitur *Bonifacius VIII. Extr. Antiquorum, de Pœnit. & remiss.* Immo *Martinus V.* in fine *Concilii Constantinensis* expresse utitur nomine *Absolutionis*.

Probatur II. quia dependenter à Christi satisfactione datur absolutio sacramentalis à peccatis, & consequenter à reatu pœnæ æternæ: similiter pœnæ corporales ac spirituales per absolutionem remittuntur, ergo eodem modo potest ab Ecclesia tamquam à judice concedi absolutio à pœnis purgatorii per indulgentiam, in qua Christi ac Sanctorum satisfactio applicatur. Neque absolutio est incompatibilis cum solutione: nam Pontifex pro pœna solvit, quatenus ex thesauro Ecclesiæ confert sufficientem satisfactionem; quam nomine Dei, cujus vices gerit, acceptans, ab eadem pœna liberat seu absolvit.

Dices: Ergo Papa non poterit sibi ipsi dare indulgentias. Resp. Neg. Seq. tum quia potest sibi illas dare saltem per modū puræ solutionis: tum quia potest in hac negotio se alteri subjicere, & per illum indulgentias sibi dare, etiam per modum absolutionis: tum denique, quia etsi jurisdictio cum potestate ligandi non sit ad se ipsum; cur tamen nequeat in ipso esse potestas se ipsum liberandi nomine alieno, nempe Dei?

QUÆSTIO VII.

Quisnam possit concedere Indulgentias?

DICO I. Summus Pontifex ex jure divino primariò & cum plena potestate potest concedere indulgentias, ut patet ex praxi Ecclesiæ. Ratio est: quia potestas dispensandi bona communia est primariò penes Principem: cùmque hæc potestas ei non communicetur ab hominibus, patet esse concessam à Christo, ut etiam tradit *Clemens VI. Extrav. Vnigenitus* relatâ *q.* 5. Deinde *Trid. sess. 25. in Decreto de Indulg.* docet hanc potestatem esse *divinitùs traditam* Ecclesiæ; utique primò & principaliter exercendam per Caput ejusdem.

DICO II. Potestas concedendi indulgentias, sed restricta, residet penes Archiepiscopos pro tota sua provincia, etiamsi actu non visitent; ut satis colligitur ex praxi ac indefinita locutione *Honorii III. cap. Nostro, de Pœnit. & remiss.* & penes Episcopos pro suis diœcesibus; ut patet c. *Cum eo, eod. tit.* Ubi etiam refertur ordinatio *Concilii Lateranensis cap.* 62. decernentis, ut Episcopi tantùm possint concedere indulgentias unius anni in Dedicatione Basilicæ, sive ab uno solo, sive à pluribus Episcopis dedicetur, & in anniversario Dedicationis tantùm quadraginta dierum. Ibidem decernitur, ut numerus iste quadraginta dierum in aliis casibus non excedatur: quòd non tantùm de illicito, sed etiam de invalido intelligi, declarat *Bonifacius VIII. c. Indulgentiæ, de Pœnit. eodem* ⁊. *in* 6. Et quàmvis aliqui apud *Valentia disp.* 7. *q.* 20. *pu.* 3. §. *Innocentius tamen*, existiment prædictam limitationem de publica tantùm confessione esse intelligendam, adeoque Episcopos posse majores privatim concedere in foro pœnitentiali: non sunt tamen audiendi, eò quòd *Concilium Lateranense* & *Bonifacius VIII.* generaliter sine ulla distinctione loquantur.

Sed restricta valida.

59. Cùm autem Episcopi habeant hanc potestatem annexam suo officio, adeoque velut jure ordinario, possunt consequenter eamdem alteri delegare. An autem illam habeant jure d[illegible], dubitatur. Sed verius est, quòd no[illegible] ut rectè ostendit *Suarez disp.* 55. *sect.* 2. utì nec jure divino habent potestatem legislativam ac jurisdictionem in foro externo: de qua tamen eadem, si non potior, esset ratio.

Iure tamen ordinario ac delegabili,

Eoq; verius humano.

60. DICO III. Alii inferiores Prælati jure ordinario non possunt concedere indulgentias; cùm eis nullibi in jure id concedatur. Immo c. *Accedentibus, de Excessibus Prælatorum* Abbatibus hoc expresse inhibetur. Unde nec Capitulum Sede vacante, nec Generales aut Provinciales Religionum habent hanc potestatem, etsi in ceteris polleant jurisdictione Episcopali; eo quod concessio Indulgentiarum sit dignitati Episcopali specialiter annexa, etsi alioquin sit quoque actus jurisdictionis.

Inferioribus Prælatis jure Ordinario non convenit hæc potestas v. g. Generalibus, Abbatibus, Capitulo sede vacante &c.

61. DICO IV. Possunt tamen Prælati concedere Indulgentias ex delegatione, utì & alii, quibus id fuerit commissum; etsi non sint sacerdotes: cùm concessio indulgentiarum non sit actus Ordinis, sed jurisdictionis, nihil habens speciale, ob quod nequeat delegari. Unde etiam Pontifices eo ipso; quod sunt electi, Indulgentias concedunt, & Episcopus confirmatus etiam ante consecrationem concedere posset: sic etiam ex delegatione seu commissione Papæ Indulgentias concedere solent Cardinales non presbyteri, ut refert *Lugo disp.* 27. *de Pœnit. sect.* 1. *num.* 2. Sic etiam *Leo X.* Provincialibus nostris & *Gregorius XIII.* Visitatoribus Societatis Jesu dedit facultatem concedendi Religiosis plenariam Indulgentiam, peractâ visitatione Conventûs. Idemque est de Monialibus S Claræ, & Tertiariis in Congregatione viventibus. Et *Alexander IV.* concessit, ut Fratres Minores, in quibuscumque Ecclesiis vel locis prædicaverint, possint suis auditoribus dare indulgentias quadraginta dierum: immo multò majores ex concessione variorum

Potest tamē hic, aut aliis, etiam non Sacerdotibus delegari,

Vti & Papa ac Episcopi nondum ordinati eas dare possunt.

Nonnulla privilegia quoad hoc concessa recensentur.

Pontificum eos concedere posse, refert *Collector privilegiorum V. Indulgentiæ quoad laicos* 5. & ex eo *Hieronymus Rodriguez Resol.* 77 *num.* 57. Neque hujusmodi indulgentiæ sunt revocatæ per *Paulum V.* qui revocavit Indulgentias ante illud tempus Regularibus concessas. Nam loquitur de concessis specialiter iisdem Regularibus & immediate per ipsos Pontifices: non autem de privilegio seu facultate concedendi indulgentias, aut de indulgentiis indifferenter concernentibus etiam ceteros Christi Fideles: inter indulgentias porrò, quæ concernunt audientes conciones Franciscanorum, quædam dantur per Pontificem, quædam committuntur dandæ per ipsos prædicantes. Et quidem congruit, ut expressè dentur nomine suæ Sanctitatis; immo id necessarium est, juxta quosdam, subintellige, dum tenor Bullæ seu concessionis id exigit.

QUÆSTIO VIII.

Quem effectum habeant Indulgentiæ?

62. *Indulgentiæ habent vim tollendi pœnas purgatorii.*

DICO I. Indulgentiæ habent efficaciam tollendi pœnas purgatorii; immo prout de facto conceduntur eas tollunt. Conclusio est certa inter Catholicos. Prima pars patet, ex eo, quòd *Sixtus IV.* damnaverit hanc propositionem *Petri Oxomensis*: *Papa non potest indulgere alicui vivo pœnam purgatorii.* Deinde indulgentiæ conceduntur defunctis, in quibus tamen nihil operari possunt, quàm liberationem à pœnis purgatorii: ergo & idem possunt in vivis. Tertiò si per indulgentiam non possent tolli pœnæ purgatorii, sed tantùm pœnitentiæ injunctæ in foro sacramentali, ad quid necessarius est thesaurus satisfactionum Christi & Sanctorum? Denique sic indulgentia Fidelibus obesset potiùs quàm prodesset, dum per eam liberati à parva pœnitentia, quæ ex opere operato magnas deleret pœnas, eas reservarent luendas gravissimè in purgatorio. Confirmatur à fortiori ex mox dicendis.

63. *Atque eas de facto tollunt.*

Secunda pars probatur: tum quia iste est sensus Ecclesiæ & Fidelium; immo & ipsorum Pontificum, qui in concessione Indulgentiarum alioquin frustrà ad thesaurum Ecclesiæ recurrerent. Ideoque *Bonifacius VIII.* (teste *Glossâ* in Extrav. *Antiquorum, de Pœnit. & remiss.*) in anno Jubilæi pœnitentias sacramentales, saltem ab ipsa lucratione distinctas imponi nolebat, eò quòd nimirum per hoc tota pœna purgatorii deleretur. Idemque manifestum est in Indulgentiis, quas de facto Pontifices concedunt defunctis; ergo similiter censendum est de iis, quas concedunt vivis. Denique si tantùm pœnitentias tollerent, parum forent utiles hoc tempore, quo parvæ plerumque injunguntur: immo potiùs obessent, quàm prodessent. Ut interim non taceam, haud satis apparere, qualiter possint pœnitentiæ sacramentales directè relaxari per Prælatos Ecclesiæ; cùm in tribunali sacramentali sacerdos non habeat superiorem, sed quilibet sit in ordine isto supremus.

DICO II. Per Indulgentias absolutè concessas non tantùm tollitur pœna purgatorii correspondens pœnitentiæ sacramentali, sed etiam alia. Est communior Doctorum contra *Cajetanum* & alios quosdam. Probatur, quia, ut etiam admittit *Cajetanus*, potest Pontifex alias quoque pœnas tollere; cùm & sit par ratio de omnibus, nec alibi inveniatur potestas pontificia in hoc restricta: atqui non est ratio cur restringeret suam intentionem; quin potiùs contrarium indicat, eò ipso quòd absolutè indulgentias concedit; ergo &c. Confirmatur: quia sæpè conceduntur indulgentiæ multorum millium annorum, & tamen nulli tot annorum pœnitentia injungitur. Deinde cùm parvæ pœnitentiæ imponantur, & plerumque expleantur antequam lucremur indulgentias, inutiles forent omnes majores indulgentiæ.

Nec obstat, quòd c. *Cùm ex eo de Pœnit. & remiss.* videatur limitari potestas Indulgentium ad concedendum illas tantùm de injunctis pœnitentiis. Nam textus ille solùm loquitur de Episcopis, adeoque ad summum potestas eorum in hoc limitatur; & quidem solùm quoad diem anniversarii dedicationis Ecclesiæ. Immo nec ipsorum potestas ibi restringitur ad relaxandas pœnas præcisè correspondentes pœnitentiis injunctis, sed solùm ad certum tempus sive magnitudinem indulgentiarum ibidem determinatam. Addunt Plures, quòd etiamsi in formula concedantur Indulgentiæ de injunctis pœnitentiis, id tamen addatur non tam ad restringendum, quàm ad explicandum sive ampliandum, q. d. etiam de injunctis pœnitentiis: eò quòd hoc sit amplius, quàm relaxare alias pœnas; adeoque etiam intelligi debeat de pœnitentiis meritò injungendis juxta Canones, sive de aliis pœnis. Postremum tamen Varii etiam Recentiores negant: eò quòd verba Pontificum debeant intelligi in hac materia, ut jacent; nisi aliundè gravis ratio cogat addere aliquid non contentum in textu, qui simpliciter sonat, ut remissio sit de injunctis pœnitentiis. An verò & qualiter Indulgentia tollat obligationem implendi pœnitentiam sacramentalem, saltem in quantùm est satisfactoria, vide dicta *quæst.* 4. *num.* 29. *& seqq.*

64. *Animæ defunctis fallibiliter applicatæ.*

Sed difficultas est, an Indulgentiæ pro defunctis habeant certum & infallibilem effectum: an verò tantùm prosint secundùm liberalem & congruam Dei acceptantis voluntatem, qui frequenter quidem & passim, non tamen semper vel in toto acceptet.

ceptet: sicut judex supremus non tenetur acceptare commutationem pœnæ sibi debitæ, nisi ad id se promissione aliquâ obligarit; prout videtur non constare in præsenti, cùm verba *Matth.* 16. & alibi videantur respicere vivos solvendos super terram. Quare hunc effectum non esse in defunctis infallibilem, utì nec juxta Plures effectum privatorum suffragiorum iis applicatorum, docet, *Caietanus*, F[illegible] *Soto*, *Cano*, *Corduba* aliique graves auctores. Contraria tamen opinio est *Dominici Soto*, *Navarri*, *Suarez* & Recentiorum velut communiter. Quàm satis probabilem censet *Dicastillo Tract.* 9. *d.* 2. *dub.* 18. etsi priorem etiam censeat probabilem. Similiter *Bellarminus l.* 1. *de Indulg. c.* 14. *neutram*, inquit, *reprobare audeo*, addens sententiam *Caietani* videri valde rationabilem, alteram verò admodum piam. Sed *Arriaga disp.* 28. *sect.* 1. asserit posteriorem sententiam esse omnino certam, adducens unicum fundamentum (quod & Reliqui allegant) desumptum ex Bulla *Leonis X.* ad *Caietanum*, in qua æqualiter & absolutè tum vivis tum defunctis promitti videtur liberatio à pœnis, dum dicitur, *Omnes tam vivos quàm defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, à tanta temporali pœna secundùm divinam justitiam pro peccatis suis actualibus debitam liberari, quanta concessæ & acquisitæ Indulgentiæ æquivalet. Et ita* (subdit Pontifex) *ab omnibus teneri & prædicari debere, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ &c. auctoritate Apostolicâ decernimus.* Ex quibus verbis etiam colligitur Pontificem ibi non tantùm loqui quasi ex opinione sua privata. Nihilominus ipse *Caietanus* & tot ejus Sequaces inde non existimarunt præjudicatum esse clarè suæ opinioni, neque alii inde certò concluserunt oppositam. Immo Pontifex ibi nil quòd erat incertum determinat, sed (ut contextus indicat) Cardinalem & Legatum suum de sententia & doctrina explorata Ecclesiæ informat, de vi scilicet indulgentiarum sive efficaciâ; cui locus est, etsi non infallibiliter & semper effectum illæ obtineant. Unde ita loqui potuisset etiam de suffragiis, quæ pro aliis offeruntur, & tamen eatenus juxta Plures non habent effectum infallibilem. Quæ expositio Confirmatur ex eò, quòd *Leo X.* ita loquatur ob contrarium dogma *Lutheri*, cujus articulus, inter alios damnatos ab eodem *Leone X.* in Bulla adversùs eumdem *Lutherum*, sic habet: *Indulgentiæ his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.* Ex quo videtur concidere quidquid *Arriaga* allegat in oppositum, ut ejus dicta inspicienti patebit. Sufficit igitur, quòd modus iste loquendi faveat sententiæ jam magis receptæ, tametsi incertæ hactenus.

QUÆSTIO IX.

Quomodo Indulgentia dividatur?

INDULGENTIA I. Dividitur in eam quæ confertur vivis & per modum absolutionis, & in eam quæ defunctis & per modum suffragii. Aliquando etiam conceditur tam pro vivis quàm pro defunctis, ad arbitrium illius qui eas promeretur; ut fit in Bulla *Sixti V.* pro Confraternitate Chordigerorum. Doctores tamen notant indulgentiam simpliciter concessam solùm prodesse vivis, nec posse applicari defunctis, nisi id exprimatur. Quemadmodum nec possumus Indulgentias vivis simpliciter cōcessas applicare aliis vivis, nisi specialis ad hoc fiat nobis potestas. 67. *Indulgentia alia est concessa pro vivis, alia pro defunctis, Hù nequit applicari, nisi expressè concedatur.*

Secundò dividitur in Totalem & Partialem. Per illam, si causa sit proportionata remittitur tota pœna ex peccatis condonatis relicta: per hanc verò aliqua pars pœnæ juxta formam concessionis, quæ varia est: aliquando indeterminata; ut quando lucranti remittitur quarta vel tertia, vel media pars pœnarum debitarum; tunc enim plus vel minus remittitur, prout quis plures vel pauciores habuerit pœnas solvendas. Aliquando verò, & communiùs, est determinata, v. g. quadraginta, centum, mille dierum aut annorum. Quod juxta *Bellarminum, Corduba, Suarez disp.* 50. *sect.* 5. *n.* 12. & alios communiter sic intelligitur, ut per indulgentiam v. g. unius anni tantum pœnæ persolvendæ in purgatorio remittatur, quantum remitteretur per pœnitentiam unius anni exhibitam secundùm rigorem antiquorum Canonum: per indulgentiam unius quadragenæ aut carenæ tantum remittatur, quantum remitteretur, si more antiquo talis pœnitentia ageretur, spectando præcisè pœnitentiam in se voluntariè susceptam, præscindendo ab intensione & fervore voluntatis. Quia non videtur posse intelligi tempus, quo extenderentur pœnæ purgatorii; cùm illæ ad mille vel duo millia annorum non extendat[illegible], quales tamen indulgentiæ subinde conceduntur; cùmque pœnæ purgatorii non solùm intensione, sed & acerbitate mensurentur. 68. *Alia item totalis, alia partialis, Quomodo explicandæ sint formulæ quibus dantur indulgentia centum vel mille dierū aut annorum.*

Quod autem *Soto* 4. *d.* 21. *q.* 2. *art.* 1. de indulgentiis centum aut mille annorum dicit, hujusmodi portenta numquam Papam concedere cogitasse, satis præfidenter dictum videtur, contra varias concessiones, quæ in fide dignorum scriptis referuntur. Et ego ipse vidi nonnullas authenticas Bullas Pontificias debitè legalizatas, in quibus millium annorum indulgentiæ exprimebantur: prout signanter in *Bulla*, *Dum præcelsa*, quæ est 20. inter Bullas *Leonis X.* apud *Rodriguez*, exprimuntur quindecim millia annorum de vera indulgentia. Posse 69. *Soto infundatè contrà tot annorum indulgentias velut confictas insurgit.*

verò aliquos reos fieri pœnitentiæ agendæ secundùm canones per spatium aliquot millium annorum, declarat *Bellarminus l. 1. de Indulgentiis c. 9.* Nam si peccatis lethalibus singulis deberetur secundùm Canones pœnitentia trium vel septem annorum: quis enumeret annos pœnitentiæ, qui secundùm canones præscribi deberent iis, qui consuetudinem habent peierandi, vel blasphemandi ad singula prope momenta, & frequentissimè homicidia, furta, sacrilegia, adulteria perpetrant, ac denique ut legimus. *Job. c. 15.* bibunt quasi aquam iniquitatem?

70. *Quid nomine Quadragenæ & Carenæ significetur.*

Notandum ex *Bellarmino suprà*, Indulgentiam quadragenæ significare remissionem pœnitentiæ, quæ quadraginta continuatis diebus in jejunio aliisque laboriosis operibus facienda fuisset. Quæ quadragena quando imperabatur acrior, ita ut v.g. solo pane & aquâ contenti esse deberent, qui eam peragebant, Carena dici solebat, quòd videlicet carentiam omnium ferè ciborum contineret. Ejusmodi carenam præmitti solitam ante septennem pœnitentiam, testatur *Concilium Triburiense can. 53. & Burchardus l. 19.*

71. *An vel quæ sit differentia inter Indulgentiam plenam, pleniorem & plenissimam.*

Tertiò dividi solet in Plenam, Pleniorem & Plenissimam: quæ tamen membra non videntur inter se distingui, sed Pontifices utuntur his formulis, ut ostendant absolutè se dare maximas quas possunt. Similiter indulgentiæ concessæ per modum Jubilæi; immo nec ipsum Jubilæum plenissimum à prædictis distinguitur, nisi in quibusdam accidentalibus; ut quòd in hoc concedi soleat major potestas absolvendi à casibus reservatis, dispensandi in votis aut illa commutandi. De quo infrà in quæstione particulari de Jubilæo.

QUÆSTIO X.

Qualiter ad Cõcessionem Indulgentiarum requiratur causa?

72. *Ad licitè, immo validè concedendum indulgentias requiritur causa.*

DICO I. Ad licitè, immo etiam ad validè concedendum indulgentias requiritur causa. Ita communiter Theologi, & colligitur ex locutionibus Pontificum: qui semper dicunt indulgentias ex causa pia & justa posse concedi. Ita loquitur *Clemens VI. Extrav. Vnigenitus. Martinus V.* in Bulla, quæ habetur post *Concilium Constantiense. Leo X. in Epist. ad Caietanum.* Deinde probatur: quia Papa est dispensator thesauri, & non Dominus: dispensator autem non potest sine causa disponere de rebus Domini; aliàs enim non dispensator, sed dissipator esset. Probatur III. quia alioquin Papa validè posset uno verbo liberare quotidie omnes animas purgatorii; quod est incredibile. Deniq; non potest sine causa relaxare obligationẽ voti, ergo nec reatum pœnæ, cujus obligatio similiter est juris divini. Quare nisi discretè & ex rationabili causa ista relaxatio fieret, Deus eam non acceptaret.

DICO II. Causa ad concedendum indulgentias debet esse æqualis & proportionata, ut contra plures præsertim antiquiores & *Valentia*, tenet sententia jam communis. Quæ probatur ex jam dictis, tum quia concessio indulgentiarum, quâ parte causa deficit, careret justâ & rationabili causâ; quam requirunt Pontificum locutiones. Similiter dispensator ad validè operandum indiget etiam causâ proportionatâ. Invalida etiam est dispensatio in voto aut lege superioris, ubi deficit causa proportionata. Denique tam dissonum est rationi dare indulgentiam magnam ex levi causa, quàm parvam ex nulla causa; ergo si hæc non valeat, nec illa valebit.

Valida tamen erit indulgentia sic collata pro parte, pro qua, causa juxta communem sententiam sufficit: nam Pontifex vult ponere remissionem pœnæ in quantum potest. Deinde *utile non debet per inutile vitiari*, ut habet *Regula Juris in 6.*

Causa porrò, ob quam indulgentiæ concedi solent, non debet esse temporalis, nisi quatenus in causam pietatis redundat, sed debet esse pia & spiritualis, ut insinuat *Martinus V.* suprà citatus. Ejusmodi est utilitas Ecclesiæ, promotio cultûs Dei vel Sanctorum, extirpatio vitiorum, constructio templi, propugnatio aut propagatio fidei, & similes. Solet etiam plerumque certum opus præscribi lucraturis indulgentias; quàquàm non sit semper necessarium; cùm præcedentia merita ac incitamentum ad imitandum, subinde sufficiant ad concedendas alicui indulgentias nullo opere requisito.

Prout autem concessio indulgentiæ & opus præscriptum ad præfatos fines ponendos multum vel parum conducunt, censetur indulgentia habere magnam vel parvam causam. Debet tamen utilitas spectari non præcisè ex operibus singulorum (quæ etsi aliquam efficaciam habere debeant ad finem intentum, sæpè tamen parvam habent seorsim spectata) sed quatenus sunt conjuncta operibus totius communitatis aut aliorum fidelium. Quamvis ceteris paribus plus videatur lucrari, cujus opus ratione majoris devotionis plùs conducit ad finem promovendum, quàm opus alterius, etsi idem sit quoad substantiam. Quod insinuat *Bonifacius VIII. Extrav. Antiquorum*, dicens: *Vnusquisque tamen plus meretur, & indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit.*

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

Qualis Dispositio requiratur in lucraturo Indulgentias?

RESP. ex communiori Sententia requiri primò ut sit baptizatus: eò quòd thesauri Ecclesiastici dispensatio fieri non possit, nisi in solos filios Ecclesiæ, quales sunt soli baptizati. Plures tamen existimant non improbabiliter, posse indulgentias catechumenis tam vivis quàm defunctis applicari per modum suffragii (uti possunt eis applicari satisfactiones propriæ) etsi non per modum absolutionis, eò quòd non subsint Ecclesiæ, sicut nec subsunt baptizati defuncti. Vide dicta *de Sacrificio Missæ q. 5.*

Secundò requiritur à Doctoribus communiùs status gratiæ pro illo instanti, quo ponitur ultima conditio ad indulgentiam requisita, ive quo remissio pœnæ esset conferenda: eò quod non videatur tantum beneficium conferendum perseveranti in inimicitia Dei. Hinc est commune proverbium, quòd necessaria sit ad indulgentias *in Concedente auctoritas, in causa pietas, in suscipiente charitas.* Sufficit tamen, ut sit in gratia ipse, qui indulgentiæ fit particeps. Unde qui pro defunctis lucratur indulgentiam, non debet esse in gratia, sed satis est, quòd ipsi defuncti sint justi. Ratio est; quia ipsi, qui lucrantur indulgentiam pro defunctis, solùm præstant opera requisita; quæ non necessariò fiunt in statu gratiæ, ut dicetur *n. seq.* Ita passim Doctores. Immo sicut *Scotus d. 15. q. 1. n. 16.* cum aliis pluribus docet satisfactionem sacramentalem in mortali impletam solvere pœnam, sic Nonnulli consequenter conjiciunt peccatorem extra gratiam posse promereri indulgentiam pœnarum restantium ex peccatis remissis. Nihilominùs hoc repugnat communi Sententiæ sive sensui Doctorum.

Dixi, requiri statum gratiæ pro instanti quo ponitur ultima conditio: quia minimè requiritur (etsi Aliqui id putent) totum opus requisitum fieri in statu gratiæ, ut patet ex praxi Fidelium, qui sæpissimè, præsertim in Jubilæis, præcipua opera requisita præmittunt confessioni, adeòque plurima opera conficiuntur in mortali. Deinde opus requisitum conducit ad finem indulgentiæ, etsi expleatur in mortali; ergo non est necesse quòd expleatur in gratia. Quia tamen in mortali expletum est minùs efficax, consultissimum est omnia explere in gratia, ut ita certiùs sufficiant ad lucrandum & pleniùs lucrandum indulgentias.

79. Tertiò requiritur, ut integrè fiat opus præscriptum; adeò ut ne medietatem quidem indulgentiæ lucraretur, qui tantùm dimidium operis præscripti adimpleret, nisi in Bulla id exprimatur: nam indulgentiæ sunt intelligendæ ut sonant: sonant autem, quòd concedantur facientibus integrè opus præscriptum; nec sonant, quòd concedantur divisibiliter juxta operis divisibilitatem. *tegrè fiat opus præscriptum.*

Unde quando datur indulgentia iis qui præmissa confessione sacramentali communicaverint, debet necessariò præmitti confessio ab iis qui sunt in peccato mortali necdum confessio, ut omnes fatentur: immo etiam juxta Plurimos etsi concedatur contritis & confessis. Putat tamen *Suarez d. 52. sect. 3. n. 13.* & alii tunc sufficere contritionem, eò quòd juxta subjectam materiam verba illa videantur posse intelligi distributivè, non copulatim, velut si diceretur, Civibus & peregrinis; adeòque videatur Pontifex velle concedere, dum vel contriti vel confessi fuerint. *Quando requiratur confessio in obstrictis mortali non confesso.*

80. Sed dubitari posset, an confessio in formula indulgentiarum requisita debeat etiam præmitti ab iis, qui habent sola venialia? Et quidem posse Pontificem eam requirere, utì requirit alia opera supererogationis, non videtur dubitandum. Immo *Sanchez* & quidam alii existimant Pontificem censeri id de facto requirere. Verùm etsi consultissimum & securissimum sit confessionem etiam à talibus adhiberi, existimo tamen cum plerisq; aliis Doctoribus, id non esse necessarium, nisi Pontifex expressiùs suam mentem declaret: eò quòd Confessio peccatorum simpliciter intelligatur in Canonibus & præceptis Ecclesiasticis de confessione peccatorum mortalium; adeòque de eadem loquantur formulæ indulgentiarum: præsertim cùm confessio tantùm videatur exigi tamquam certius medium obtinendi justificationem, vel tamquam necessaria ad Communionem, quæ frequenter præscribitur. *An exigatur in habentibus sola venialia.*

Quartò requiritur, ut lucraturus indulgentias habeat debitum aliquod pœnarum ex culpis remissis restantium: quia nec pœnæ possunt remitti ei, qui nullis est obnoxius, nec solent remitti ante culpam. *Debet in obtinente indulgentias supponi debitum pœnarum.*

81. Petes I. An ad obtinendum indulgentias sit necessarium illas scire, & expressè intendere lucrari? Affirmant plures: sed meliùs negat *Portel V. Indulgentia n. 7. in Addit.* eò quòd hoc ex natura rei non videatur necessarium, neque etiam aliundè posit necessitas illius ostendi. Et confirmatur: quia etiam ex propriis operibus satisfactionem obtinemus, etsi vim satisfactivam illorum ignoremus, aut de satisfactione illorum non cogitemus. Similiter potest alter mihi ignoranti applicare fructum suffragii: cur ergo similiter applicare nequeat indulgentiam? *An sit necessaria indulgentiarum notitia.*

82. Petes II. An eodem opere possit quis lucrari diversas indulgentias diversis viis concessas; *An possit*

quis eodem opere lucrari diversas indulgentias.

cessas : v.g. si quis habeat duo medallia aut duo grana benedicta diversis benedictionibus, & singulis sit annexa indulgentia unius anni obtinenda à recitantibus Orationem Dominicam, an hanc semel recitando lucretur duos annos indulgentiæ ? Resp. verius esse quòd non, ut docet *Suarez*, *Præpositus* & alii communiùs, saltem quando singulæ concessiones possunt operari totum effectum quem promittunt : nam oratio directè præscribitur tamquam causa partialis indulgentiæ, & consequenter diversa pro diversis indulgentiis : præsertim quia natum est fieri, ut una oratio reddat causam uni indulgentiæ proportionatam, improportionatam tamen indulgentiæ duplici, nisi ipsa oratio duplicetur. Aliud tamen est, quando plures indulgentiæ v. g. Stationum urbis Romæ conceduntur per modum unius visitantibus certam Ecclesiam : tunc enim patet unicâ visitatione omnes illas indulgentias posse obtineri. Similiter aliud est, quando unicus actus foret æquè utilis ad finem diversarum indulgentiarum. Denique quando conceditur indulgentia iis, qui post confessionem & communionem Ecclesiam visitaverint, sufficit unica confessio & communio ad lucrandum plures indulgentias diversis Ecclesiis, aut diversis viis concessas : tum quia actus illi, præsertim communio, non sunt ita repetibiles : tum quia non videntur exigi directè, sed præsuppositivè ad majorem dispositionem subjecti ad finem intentum. Unde idem esset, quamquàm secunda indulgentia sequenti die, aut intrà debitam distantiam occurreret.

83. *An possit eamdem sæpiùs lucrari, sæpiùs repetito opere præscripto.*

Petes III. An sæpiùs repetito opere injuncto, sæpiùs obtineri possit eadem indulgentia ? Resp. Aff. quando concessa est perpetua indulgentia visitantibus certam Ecclesiam, aut recitantibus certam Orationem, & actio humano modo repetitur, v. g. quando est moraliter nova visitatio. Si verò indulgentia concedatur pro tali die, Aliqui affirmant, Aliqui negant repetito opere posse iterum obtineri. Quod postremum omnino verius videtur quando conceditur indulgentia tantùm pro una die. Idemq; apparet quando conceditur pro pluribus diebus ad commoditatem populi. Si verò id fieret ad augendam devotionem vel concursum per totam Octavam v. g. & celebritatem in tali Ecclesia, apparet singulis saltem diebus posse de novo illas indulgentias obtineri. Prout ex ipso tenore concessionis constat de iis qui interfunt Officiis divinis in festo & per Octavam V. Sacramenti. Unde qui primâ die lucratus est indulgentias concessas ratione precum quadraginta horarum, non potest sequenti die easdem lucrari ; & qui primâ septimanâ lucratus est Jubilæum, non potest sequenti hebdomadâ repetendo opera requisita idem secundò lucrari. Quod etiam respondisse *Clementem VIII.* de Jubilæo anni sancti, atque etiam Congregationem Cardinalium Quidam referunt : Etsi contrarium nihilominus teneant Plurimi.

Petes IV. An quando ob concursum non potest quis ingredi Ecclesiam, obtineatur indulgentia eam visitantibus concessa, ab illo qui constitutus extra portam Ecclesiæ oraret ? Negant Varii. Sed melius respondetur Aff. eò quòd talis moraliter visitet Ecclesiam, & in ea oret.

Petes V. qualis oratio sit necessaria quando conceditur indulgentia iis, qui oraverint in tali Ecclesia ? Resp. sufficere etiam orationem mentalem, quando aliud non exprimitur : tutius tamen miscetur etiam Oratio vocalis, v. g. Litaniæ, Orationes Dominicæ &c.

QUÆSTIO XII.

De Cessatione Indulgentiarum.

CERTUM est Indulgentias tacitè vel expressè concessas pro certo tempore simul cum eo expirare : quia non possunt durare ultra intentionem concedentis. Similiter patet eas non durare ultra earum revocationem : quia sicut in fieri, ita etiam in conservari dependent à voluntate concedentium. Potest autem eas revocare, qui concessit : similiter ejusdem in dignitate successor & superior. Est tamen juxta Doctores communiter necessarium earum revocationem sufficienter promulgari, simili modo quo promulgari debet revocatio privilegiorum. Immo *Suarez disp. 57. sect. 2. n. 9. Bonacina* & *Præpositus* probabile putant, si ignorans indulgentiam esse revocatam, putatur gratiis in ea concessis, id validè facere ; v. g. si confiteatur casum reservatum, validè absolvi, nec teneri postea casum confiteri ; & consequenter lucraturum indulgentiam, si faciat opus præscriptum. Hoc tamen pendet à voluntate Pontificis : quæ sanè non satis apparet esse talis, ut recte advertit *Suarez* : cùm etiam leges irritantes post sufficientem promulgationem habeant suum effectum in ignorantibus, & tamen majora inde sequi possint incommoda, quàm ex invaliditate indulgentiarum solarum. Et planè incredibile videtur casu ignorantem revocationem indulgentiarum etiam publicè in loco factam, postea adhuc eas lucrari, visitando v. g. Ecclesiam itatis diebus.

An autem posset Pontifex validè revocare indulgentias per solum actum interiorem, disputatur. Sed non video solidam rationem id negandi : cùm valor indulgentiæ pendeat essentialiter, etiam in conservari, à perseverante voluntate concedentis. Modus tamen ita derogandi non congruit, ut patet ; adeòque non præsumitur.

Præ-

Præterea ad validam revocationem non requiritur causa : etsi requiri soleat ad licitam. Sed cùm sit merum ac gratuitum beneficium pendens jugitur à voluntate concedentis, non aliud apparet per se loquendo inconveniens in revocatione facta sine causâ, quàm species quædam imprudentiæ seu levitatis in revocatione beneficii, quod decet esse mansurum.

Quia verò plurimæ indulgentiæ olim fuerant concessæ diversis Ordinibus ac Religiosis, de quibus latè *Compendium privilegiorum Minorum V. Indulgentia quo ad Fratres, & Rodriguez To. 2. qq. reg. q. 88. & seq.* idcirco *Paulus V.* in *Bulla Romanus Pontifex* datâ anno 1606. die 23. Maii (quæ refertur in *Bullario Romano*, & apud *Bassæum V. Indulgentia II. num. 12.*) revocavit omnes & singulas indulgentias concessas per prædecessores suos summos Pontifices, quibuslibet Regularibus ac Monialibus cujusvis Ordinis, illasque annullavit; ac decrevit, quòd loco illarum ibi revocatarum, omnes & singuli Religiosi gauderent concessis in Bulla citata.

In hac tamen revocatione solùm comprehenduntur indulgentiæ olim concessæ directè ipsis Religiosis, quibus idcirco novas concedit Pontifex in eadem Bullæ. Non autem comprehenduntur concessæ, intuitu quidem Religionis, tamen indifferenter pro Christi Fidelibus; v. g. concessæ visitantibus Ecclesias in festis Sanctorum Ordinis, Confratribus Confraternitatum Chordæ, Corrigiæ, Scapularis &c. ut docet praxis & recta explicandi ratio, ac ipsemet *Paulus V.* postmodum declaravit; prout testatum reliquit noster Commissarius Generalis Curiæ Romanæ in litteris datis anno 1611. die 27. Septembris ad R. P. *Joannem Neyen* Ordinis nostri Commissarium Generalem Germano-Belgicum. Unde Religiosi possunt similes indulgentias lucrari, uti alii Christi Fideles.

Non comprehendi insuper indulgentias Regularibus concessas pro defunctis, fertur idem *Paulus V.* declarasse Card. Bandino; ut ex *Peregrino* refert *Bassæus suprà*. Plures autem olim erant tales, aut certè concessæ cum facultate applicandi defuncti ad libitum. Aliqui præterea idem existimant de concessis pro articulo mortis, veluti speciali notâ dignis, quas proinde non suspendi etiam in anno Jubilæi fertur declarasse *Vrbanus VIII.* anno 1625. apud *Bassæum suprà*.

Denique controvertitur an *Paulus V. Bullâ Injuncti nobis*, confirmans privilegia Ordinis Minorum, & signanter omnia indulta spiritualia, censeatur denuò concessisse seu innovasse antiquas Indulgentias ab ipso jam revocatas? Hoc enim Nonnulli contendunt. Immo ipsum Pontificem postea vivæ vocis oraculo declarasse, se per indulta spiritualia nihil aliud intellige-re, quàm indulgentias, testatur *P. Guilielmus Spoelberch in Manuali Resol. mater. concionat. FF. Min. V. Indulgentia. num. 4.* Contrarium tamen meritò tenet *Portel V. Indulgentia. num. 13.* Immò non apparet ratio dubitandi, etiam admissâ declaratione præfatâ Pontificis: cùm in Bulla citata (cujus exemplar Romæ impressum Anno 1607. & syngraphâ *Archangeli à Messana* tunc Generalis Ministri, ejusque sigillo munitum legi) ex certa scientia confirmentur solùm Indulta & Privilegia, *quatenus sint in usu, & non sint revocata, seu sub aliquibus revocationibus comprehensa.* Nisi fortè sit alia alteriusque tenoris Bulla istius Pontificis; quæ me latet. Unde *Alexander VII. anno 1666. die 18. Martii* meritò reprobavit ad minus ut scandalosam, districtèque inhibuit doctrinam hâc propositione expressam : *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodiè sunt revalidatæ.*

Concessa sine limitatione temporis non expirant morte concedentis.

Certum insuper est, indulgentias, quæ conceduntur in perpetuum, vel etiam indefinitè absque ulla temporis limitatione, per se loquendo perpetuò durare, nec tolli morte concedentis: quia talis forma sonat perpetuitatem, & indulgentia est gratia Principis, quæ proinde non expirat morte concedentis.

88. *An cessent cessante causâ.*

Petes, An cessante causâ, ob quam indulgentia fuit concessa, ipsa cesset? Resp. Neg. cum *Suarez sup. num. 14.* & aliis: quia pro causa temporali potest concedi perpetua indulgentia, si illa, etsi temporalis, tantæ indulgentiæ erat proportionata. Sicut unius anni indulgentia conceditur ob dedicationem Ecclesiæ, quæ uno die finitur. Quia tamen semper relinquitur aliquis respectus moralis ad causam, dici potest, hanc semper debere saltem moraliter adesse. Alioquin quando causa temporalis non sufficeret ad concessionem perpetuæ indulgentiæ, in rigore dicendum videtur, eam non valituram diutiùs, quàm proportio seu sufficientia causæ permittat.

89. *Qualiter cessent peremante vel mutatâ re seu loco.*

Cessat prætereà indulgentia, si pereat res vel locus, cui indulgentia est concessa, v. g. destruatur templum. Quòd si Ecclesia paulatim destruatur & reædificetur, non cessat indulgentia per reparationem & reædificationem : adhuc enim censetur idem locus perseverare, & prior Ecclesia moraliter numquam desiisse. Quòd si simul destruatur, & in locum destructæ ibidem ædificetur alia, adhuc verosimiliter indulgentia, quæ tempore destructionis erat suspensa, vires suas iterum resumet: quia moraliter censetur eadem Ecclesia, soletque privilegia prioris retinere: quàmvis Nonnullis indulgentia hoc casu videatur dubia. Similiter si Ecclesia, sive auctoritate Superioris, sive de facto destructa, in alium locum sub eodem titulo, & patrono transferatur ædificanda, communis sententia docet

cet

cet, teste *Layman. Tr. 7. cap. 3. num. 5.* & *Ludovico Bonon. Tract. de Indulg. n. 79.*) omnia privilegia, atque adeò indulgentias transferri. Quod verissimum credit *Castro Palao Tract. 24. de Indulg. disp. un. pu. 11. n. 3.* prout & bene notavit *Suarez disp. 52. de Indulg. sect. 1. n. 9.* & *l. 8. de Legibus c. 5. in fine*, quando non ratione situs & loci; sed ratione oppidi, Religionis vel Patroni, tali Ecclesiæ privilegia concessa sunt. Unde si Regulares de uno loco transferantur in alium legitimâ auctoritate, omnes indulgentias Ecclesiis ejusdem Religionis concessas similiter transferri indubitatum est, & locum seu Ecclesiam præcedentem, etsi adhuc in esse suo maneat, sed non tamquam Ecclesia istius religionis, præfatis indulgentiis manere orbatam.

An cesset indulgentia per renunciationem.

Postremus modus cessationis Indulgentiarum statui posset renuntiatio illius cui est concessa. Nihilominus etsi possit quis non velle lucrari indulgentiam, potentiam tamen eam lucrandi non potest rejicere: quia ea provenit à liberali alterius voluntate, quâ durante semper manet in potestate ejus, cui confertur indulgentia, mutare suam voluntatem, & illam lucrari.

QUÆSTIO XIII.

De quibusdam concernentibus Indulgentiam Iubilæi.

90. *Iubilæi nomine quid significetur.*

IUBILÆUS dicitur à voce Hebraica *Jobel* (inde aliqui Jobelæum appellandum contendunt: sed nos *Hieronymum* & vulgatum loquendi modum sequimur) & significabat apud Hebræos annum remissionis, qui erat quinquagesimus *Levit. 25.* & *27.* & *Num. ult.* Illo enim cessabant labores agriculturæ, poterantque omnes commodè sustentari ex frugibus anni superioris divinâ largitate triplò pluribus, restituebantur agri & domus venditæ pristinis dominis, servi libertate pristinâ donabantur. Hinc annus celebris, quo Romæ visitantibus limina Apostolorum Petri & Pauli, aliasve Ecclesias determinari solitas conceduntur maximæ remissiones & gratiæ, vocatur Jubilæus à *Xisto IV. Extrav. Quemadmodum, de Pœnit. & remiss.* Et quidem *Bonifacius VII.* Extrav. *Antiquorum eod. tit.* centesimo quoque anno istam remissionem concesserat. *Clemens VI.* verò Extrav. *Vnigenitus eod. tit.* exemplo Jubilæi Hebræorum ad annum quinquagesimum reduxit. Tandem *Paulus II.* & *Xistus IV.* ad singulos 25. annos eam reduxerunt. Quarum reductionum congruentiæ videri possunt in Extravagantibus citatis.

Annus Iubilæi olim erat centesimus, dein quinquagesimus, tandem vigesimus quintus.

91. *Qui favores in Iubilæo conceditur, præter Indulgentiam plenissimam, est facultas absolvendi à casibus reservatis, commutandi vota, componendi super malè ablatis incertis, illicitovè contractu acquisitis, ut probat praxis & usus Romanæ Ecclesiæ, inquit Castro Palao Tract. 24. d. un. pu. 12. n. 5.* Opera autem præstanda exprimi solent in Bullis Indictionis Jubilæi; quarum tenor ad amussim est servandus. Incipitque annus Jubilæi à primis Vesperis Nativitatis Domini, & durat usque ad primas Vesperas anni sequentis inclusivè.

Suspenduntur quoque eo durante omnes indulgentiæ plenariæ concessæ vivis extra Urbem Romanam constitutis, & facultates earumdem occasione datæ; iisdem de cetero in suo robore permansuris. Sub quibus tamen non comprehendi indulgentiam plenariam & Jubilæum Compostellanum ex Brevi Apostolico *Xisti V.* tradit *Castro Palao Tr. 24. d. un. pu. 12. n. 8.* Id ipsum de Indulgentiis à Christo concessis Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum sive Portiunculæ propè Assisium declarauit *Vrbanus VIII.* anno Jubilæi 1625.

Similiter satis constat indulgentias etiam plenarias pro defunctis concessas non suspendi in anno Jubilæi: nam in illis cessat finis suspensionis, qui est, ut omnes Romam conveniant; præsertim cùm Jubilæum tantùm possit obtineri pro vivis. Deinde hæ indulgentiæ sunt speciali notâ dignæ. Unde Romæ anno 1625. declaratum fuit, altaria privilegiata isto anno retinere suum vigorem. Et in Brevibus istorum altarium, quæ dantur ad septennium continuò subsequens, non fit exceptio anni Jubilæi intercurrentis; prout fit in Brevibus Indulgentiarum septennalium, quæ conceduntur pro aliquo festo, vel in Oratione 40. horarum. Idem proinde est de medalliis, crucibus &c. quibus annexa fuerit Indulgentia pro defunctis. Quare etiam indulgentiæ concessæ Confraternitati Chordæ, valent isto anno per modum suffragii pro defunctis, quibus ex tenore Bullæ possunt applicari.

Insuper non revocantur indulgentiæ Episcopales: cùm Bullæ solùm loquantur de indulgentiis per Romanos Pontifices concessis. Immo idem censent plurimi Doctores, etiam qui Romæ scripserunt, de cæteris indulgentiis non plenariis; nam *Gregorius XIII.* & alii ante ipsum Pontifices expressè loquuntur de solis plenariis. In quibus etiam sufficienter salvatur finis suspensionis, nempe ut Fideles conveniant Romam: cùm alioquin non plenarias possit concedere Episcopus toties quoties libet. Et consequenter Bullæ *Vrbani VIII.* & *Innocentii X.* in quibus omissum est IV *plenarias*, possunt de his solis commodè intelligi, præsertim cùm dicant se insistere exemplo seu vestigiis multorum suorum Prædecessorum, & tamen inter *Gregorium XIII.* & *Vrbanum VIII.* unicum Jubilæum anni 1600. intercel-

interceſſerit. Itaq; etſi hoc potiſſimùm pendeat ex mente Pontificis, quouſque tamen clariùs manifeſtaverit mentem, ſi fuerit diverſa, teneri poteſt, quòd præmiſſum eſt.

Denique ex præſumptione benignæ voluntatis Pontificis in favorem extremæ neceſſitatis, non ſuſpenſæ cenſentur indulgentiæ plenariæ conceſſæ pro articulo mortis: quæ etiam ſpeciali notâ videntur dignæ, adeóque ſpecialiùs exprimendæ. Eſtque idem declaratum ab *Vrbano VIII.* anno 1625. & publicatum ab Illuſtriſſimo Coccino Vicegerente Pœnitentiariæ, ut ex *Alphonſo Leone* refert *Elgius Baſſæus V. Indulgentia* 11. *num.* 12. circa finem. Cujuſmodi indulgentiæ ſunt conceſſæ plurimis, tum Religioſis, tum inſcriptis alicui Confraternitati.

Ad facultates quod attinet, non ſuſpenduntur eo anno facultates abſolvendi à caſibus Epiſcopalibus; ut ex tenore Bullarum eſt evidens. Immo idem eſt de facultatibus abſolvendi à reſervatis Papæ, quando non ſunt conceſſæ occaſione indulgentiarum, ſeu causâ illas conſequendi, ſed ob alios fines, v. g. quæ ſunt conceſſæ Regularibus in ipſorũ privilegiis. Idemque à fortiori eſt de poteſtate ſuper papales caſus occultos conceſſa Epiſcopis in *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de Reform.* Id enim apertè expreſſum eſt in Bulla *Gregorii XIII.* Et licet hujuſmodi clauſula reſtrictiva fuerit in ſequẽti Jubilæo à *Clemente VIII.* omiſſa in prima Bulla, idem tamen interrogatus dicitur reſpondiſſe, eamdẽ fuiſſe intentionem ſuam. Et ad tollendum dubiũ edita fuit iterum eadem Bulla, additâ clauſulâ *Indulgentiarum causâ.* Quàmvis eãdem omiſerit etiam *Vrbanus VIII.* anno 1625. declarat tamen ſe inſiſtere exemplo prædeceſſorum ſuorum: & poſtea idem met interrogatus reſpondit hoc ipſum, quod *Clemens VIII.* hanc ſolùm ſcilicet fuiſſe ſuam intentionem. Ita refert Cardinalis *Lugo d.* 20. *ſect.* 8. *n.* 145. addens de hoc non fuiſſe ampliùs dubitatum.

97. Poſt annum Jubilæi, item poſt coronationem Pontificis, & præcipuè cùm Eccleſia gravi perſecutione vel difficultate urgetur, ſolet Pontifex fidelibus ubique locorum conſtitutis, qui Eccleſiam vel Eccleſias ab Ordinario deſignandas viſitaverint, ibique preces pro exaltatione fidei, & hæreſum extirpatione, principumque Chriſtianorum pace & concordia devotè fuderint, ſacramque Euchariſtiam primo vel ſecundo Dominico, vel alio die ex duabus hebdomadis ſuſceperint, eleëmoſynamque pro cujuſque devotione tribuerint, jejunaverintque feriâ quartâ, ſexta & ſabbato unius ex duabus hebdomadis, concedere indulgentiam plenariam, ſicuti in anno ſancto Jubilæi Romani. Quòd ſi aliquis ob infirmitatem, alianive cauſam non potuerit prædicta exequi, conceditur facultas Confeſſori, omnia & ſingula in opus pium, prout ſibi viſum fuerit, commutandi. Deinde prædicto Confeſſori ab Ordinario approbato, delegatur poteſtas abſolvendi ab omnibus cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine in foro conſcientiæ, & à quibuſcumque criminibus, quantumvis gravibus, etiam contentis in Bulla Cœnæ. Nulla tamen datur facultas diſpenſandi ſuper irregularitate, etiam occultâ, defectu aut inhabilitate quomodolibet contracta. Denique datur facultas commutandi quælibet vota, excepto voto caſtitatis & Religionis.

98. Circa hujuſmodi Jubilæum obſervandũ eſt in primis juxta veriorem opinionem (etſi Plurimi contrarium ſentiant) non niſi ſemel poſſe obtineri, ut *q.* 11. *n.* 83. dictum eſt, & planè ingerit formula ipſa diſjunctiva, quâ ſolet concedi: Indulgentiæ porrò intelligendæ ſunt, ut ſonant. Non nocet tamen iteratò præſtare opera bona præſcripta, animo lucrandi denuò, vel ſi in præcedenti vice defectus fuerit, lucrandi primò Jubilæum; ut valeat, quantùm valere poteſt. Quàmvis alioquin probabilitas ſententiæ, ſi ei non ſubſit veritas, non ſuppleat valorem indulgentiæ; ut Doctores notant.

Hoc Iubilæum poteſt unicâ dumtaxat vice obtineri.

Facit tamen probabilitas valere iteratam abſolutionem à reſervatis ratione probabilis juriſdictionis: quàmvis reverà juxta ſolidiorem opinionem hujuſmodi abſolutioni non ſit locus, poſt jubilæum ſemel lucratum, in ordine ad quod lucrandum facultas iſta abſolvendi conceditur.

Probabilitas ſententiæ contrariæ ad quid juvet.

99. Jejunia porrò præſcribi ſolita ſufficiunt, etſi obſervata occurrentibus in iiſdem feriis jejunis obligantibus ex lege Eccleſiæ aut voto ſeu Regula; ut certum eſt, & docet praxis Eccleſiæ, permittuntque verba Bullæ. Eleëmoſyna quoque (quæ poteſt fieri ante vel poſt communionem, etſi hæc ſumatur die Dominico) non neceſſarò debet eſſe propotionata facultatibus, ſed fideles erogare poſſunt, *quantum pro ſuo quiſque arbitrio judicaverit*, ut loquitur *Innocentius X. Conſtit.* 1. *Immenſa in Bull. Rom.* De cetero diligenter conſiderandus eſt tenor Bullarum, qui non ſemper eſt idem, ut ſecuriori modo indulgentia obtineatur. Unde quàmvis Plures cenſeant opera præſcripta poſſe præſtari partim in prima, partim in ſecunda hebdomada, exceptis ſaltem jejuniis: oppoſitum tamen in praxi eſt conſulendum ob contrariam opinionem, cui favere videtur tenor Bullarum. Ob quem etiam Nonnulli dixerunt confeſſionem non poſſe fieri Dominicâ die, quâ communio, ſed die præcedenti. Quàmvis non videam, quid in hoc myſterii lateat: & aliàs melius plerumque ſit confeſſionem fieri ipſa die communionis. Verba etiam Bullarum non multùm urgent. Quod autem circumfertur de *Clementis VIII.* declaratione contraria, non eſt authenticum, teſte *Arriaga d.* 29. *n.* 17. ubi etiam dicit ita ferè omnes

Iejunia præſcripta poſſunt ſervari occurrente aliâ die præcepto jejunandi.

Eleëmoſyna quantitas eſt arbitraria.

Cautela obſervanda in praxi.

An confeſſio poſſit fieri ipſo die communionis.

nes Auctores nunc sentire. Estque id ipsum teste *Lugo disp. 27. n. 107.* in praxi Romæ, utique nota Pontifici.

100. *Possunt opera impleri diversis in locis.*

Notandum præterea posse opera impleri diversis in locis. Sic v.g. qui Ecclesias visitavit in loco domicilii, in quo jubilæum est publicatum, potest alibi perficere cetera opera, quæ ubi fiant perinde est; etsi *Bassæus V. Iubilæus n. 4. V. Tertium* securius esse dicat, ut cetera perficiantur in loco saltem, in quo jubilæum similiter est publicatum. Alioquin quod diximus certum existimat *Cassò Palao Tract. 24. disp. un. pu. 10. §. 3. n. 21.* Et planè jubilæi favor non localis, sed personalis est. Pro hujusmodi tamen attendi posset favor in Bulla concessus itinerantibus.

101. *An qui hactenus neglexit Iubilæum, possit illud lucrari ultimo die, commutatis à Confessario operibus præscriptis.*

Notandum III. dubitari de eo, qui sponte & scienter opera præscripta non implevit, & adveniente ultimâ die optaret jubilæum lucrari, an Confessarius possit opera ista cõmutare, sicque pœnitens jubilæum lucrari? Quàmvis enim malitia fuerit prævia, jam tamen pœnitens revera est impotens, uti infirmus; estq; impedimentum ex suppositione necessarium. Quare id affirmant *Filiucius* & alii citati à *Diana P. 5. Tr. 12. Resol. 26.* item *Lugo disp. 20. n. 139.* Sed de hoc ego valde dubito: cùm videri possit Bulla loqui de iis, qui fuerunt legitimè impediti: quod ita asserit *Arriaga disp. 29. n. 15.* ut oppositum vix probabile putet. Aliud esset de eo, qui jubilæo ferè transacto ex mera ignorantia & bonâ fide opera omisisset: is enim posset confiteri & die Dominicâ communicare, cetera autem opera (pro quibus talis fuerit legitimè impeditus (possent per Confessarium prorogari in sequentem septimanam. Similiter si quis opera implesset exceptâ communione, & die Dominicâ in advertenter aliquid cibi vel potûs sumpsisset, posset Communio commutari in aliud opus pium, vel differri in proximum tempus seu diem: nisi Bullæ confessionem & communionem excipiant à facultate transferendi seu differendi ex causa opera præscripta; prout excipi juxta recentes Bullas notat *Arriaga disp. 29. n. 4.* Quod ego tamen videre non potui ex inspectione earumdem, signanter *Constit. Immensa*, quæ est prima *Innocentii X.*

Quid censendum de

Notandum denique completo jubilæo posse pœnitentem absolvi à reservatis obligatis, modò saltem eo animo sit cõfessus tempore jubilæi. Similiter is, qui animo jubilæum lucrandi confessus erat reservata, etsi postea ipsum non lucretur mutata intentione, manet tamen absolutus sine reincidentia. Peccat tamen rez sic absolutus, & mutato animo cetera non perficientem, graviter peccare. Sed sine fundamento: cùm nec appareat lex naturæ, neq; etiam positiva, quæ talem animi mutationem graviter inhibeat, seu fic absolutum graviter obliget ad cetera perficienda. De his plura videri possunt apud Casuistas, præsertim recentiores.

DISPUTATIO QUINTA.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

An solus Sacerdos habens Iurisdictionem sit validus Minister?

1. *Solus Sacerdos est validus minister Sacramenti Pœnitentiæ.*

DICO I. Solus Sacerdos est minister validus hujus Sacramenti. Est de fide ex *Florentino in Decreto*, & *Tridentino sess. 14. c. 6. & can. 10.* Patet etiam ex *Matth. 16. Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. Joan. 20. Quorum remiseritis peccata &c.* Quæ verba non ad omnes homines, sed ad solos Apostolos, eorumque in sacerdotio successores esse directa, patet ex *Tridentino sup.* & communi Sanctorum expositione, ac Ecclesiæ traditione. Vide *Ambrosium l. 1. de Pœnit. c. 2.* & alios apud *Suarez hic disp. 24. sect. 1.* Congruentia est, quòd in nulla Republica bene ordinata potestas judiciaria sit omnibus communis, sed conveniat aliquibus tantùm ad hoc specialiter deputatis; adeòque etiam in Ecclesia (quæ est Christi Respublica optimè ordinata) hæc potestas judiciaria non omnibus, sed solis sacerdotibus debuit convenire. Et planè congruebat, ut Christus eundem ministrum institueret, qui haberet potestatem super corpus Christi verum in Eucharistia, & super mysticum in Ecclesia ad remittenda fidelium peccata.

Dices: C. *Fures, de Furtis* ex *Concilio Triburiensi* dicitur: *Fures & latrones si comprehensi aut vulnerati presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.* Et *Cyprianus Epist. 13.* aliàs *l. 3. Epist. 17.* ait: *Si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam impositâ veniant ad Dominum cum pace.* Ergo non solus sacerdos validè absolvit. Resp. Neg. Conf. Ad cap. *Fures* dico illud solùm velle, quòd furibus in flagranti delicto vulneratis non sit neganda communio, si ostendant signa pœnitentiæ: fit autem mentio diaconi, nõ quòd is possit sacramentaliter absolvere, sed quia in tali casu absente sacerdote potest dare commu-

communionē. Addē ly *vel diacono* in ipso textu Concilii non reperiri, ut videre est apud *Binium To. 3. Concil. Parte 2.* Ad *Cyprianum* dico, quòd nō loquatur de cōfessione sacramentali, sed ceremoniali olim fieri solitâ à publicè pœnitentibus in ordine ad reconciliationem in foro Ecclesiæ per absolutionē ab excommunicatione, aut à satisfactionibus publicè subeundis: quæ reconciliatio in defectu sacerdotis committebatur diacono. Vide *Pamelium in Notis ibidem.* Qui tamen sine ratione in dubium vocat, num absente Episcopo a presbyteris olim permissa fuerit pœnitentium reconciliatio, si de Sacramentali intelligat: sicut aliquando concessam legimus presbyteris administrationem Sacramenti confirmationis, alioquin soli Episcopis competentem. Solis namq; Sacerdotibus data est clavium potestas, nec in Concilijs insinuatur alicujus alterius extraordinarii minister. Ut proinde ad Confessionem non Sacramentalem sint referenda Latinorum vetera exempla de Confessione apud diaconos institutā, quæ congerit *Morinus lib. 8. c. 23.* existimans Patres istos credidisse gratiā eorum ministerio citra clavium potestatem misericorditer in tali necessitate conferri; præsertim si considerentur posteriores, qui hanc praxim etiam ad laicos extenderūt. De quibus antiqui Scholastici, quos allegat idem *Morinus c. 24.* & inter hos *D. Thomam 4. d. 17. q. 3. a. 3. quæstiuncula 2.* quasi censeant defectum Sacerdotis, tunc à summo Sacerdote supplerī, ceteris quæ ad rationem Sacramenti pertinent quodammodo adhibitis, ita ut confessio Laico ex desiderio Sacerdotis facta, Sacramentalis quodammodo sit, quamvis non perfectum Sacramentum. Videri potest *D. Thomas ad 1. & 2.* Verum etsi Deus possit misericorditer defectum Sacerdotis supplere, constat tamen inter Theologos, si factum sive revelata spectemus, id non aliter ab eo fieri, quam inspirando talibus contritionem perfectam, quæ cum voto Sacramenti justificat: cum alioquin remissio peccatorum mortalium post Baptismum, extra martyrium, & contritionē perfectam, non nisi virtute Sacerdotalis absolutionis & clavium, sive veri Sacramenti Pœnitentiæ concedatur. Nec aliud censendi sunt Patres credidisse, quos *Morinus* allegat.

Et hinc patet nullo casu hominem obligari ad faciendam confessionem laico: etsi oppositum videatur sensisse *Magister d. 17. a. 3.* Nam præceptum tam divinum quàm humanum solùm præcipit confessionem sacramentalem, sive in ordine ad absolutionem, quam nullus laicus umquam dare potest. Nec obstat illud *Augustini l. de vera & falsa pœnit. c. 10. Tanta vis Confessionis, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo.* Nam in primis Auctor libri non est *Augustinus*; cùm *c. 17. Augustinum* citet, & ab ipso dissentiat. Deinde non loquitur de Sacramentali confessione, sed de quadā alia, quæ ad sui humiliationem vel consiliū petendum laico fieri potest: neque etiam loquitur de necessitate præcepti, sed tantùm dat consilium.

Similiter de Confessione non sacramentali cum *Scoto* & pluribus aliis Doctoribus intelligi potest illud *Jacobi 5. Confitemini alterutrum peccata vestra.* Vel si sermo sit de confessione sacramentali, ut putat *Vasquez* & alii, explicari debet cum proportione accommoda. *Explicatur locus Iac. 5.*

Quia verò potestas solvendi in Scriptura nomine clavium exprimitur, sciendū hîc est, nomen istud esse à corporalibus ad spiritualia translatū. In corporalibus autem clavis est instrumentum ad removendum certū obstaculum. Quoniam igitur in spiritualibus invenimus obstaculum ad ingrediendum regnum cæleste, Christus dedit certis Ecclesiæ ministris virtutē seu potestatem hoc obstaculum removendi, eamque appellavit clavē. Quia insuper clavis naturalis non solùm est ad aperiendum seu solvendum, sed etiam ad claudendum ac retinendū: hinc clavis spiritualis est etiam ad claudendum seu ligandū. 4. *Quid significetur nomine clavium.*

Et quidem omnibus Sacerdotibus in Ordinatione datur ejusmodi clavis seu potestas spiritualis (quæ à charactere est inseparabilis, vel juxta varios indistincta, non quatenus ipsa præcisè respicit corpus & sanguinem Christi in Eucharistia, sed quatenus extenditur ad corpus Christi mysticū sive fideles) partim aperiendi cælum solvendo peccata, & simul liberando à reatu pœnæ æternæ, atque etiam à parte pœnæ temporalis; & hâc ratione simul occludendi infernum homini à peccatis liberato: partim ligandi ipsum per impositionem satisfactionis sacramentalis. Hâc porrò ratione potestatem retinendi sive ligandi peccata explicat *Ambrosius l. 1. de pœnit. c. 2.* & Doctores Scholastici, immo expresè ipsū *Tridentinum sess. 14. c. 8.* docens hâc ratione *claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum esse concessas.* Idem tradit *can. 15.* Quamvis hoc ipsum tendat ulteriùs ad perfectam solutionem, quatenus peccatores condignam pœnitentiam, quâ sunt ligati explentes, perfectè solvunt à peccatis etiam quoad pœnas temporales restantes. 5. *Potestas clavium ad solvendum & ligandū qualiter detur in ordinatione cuivis Sacerdoti, juxta Tridentinum.*

Ob quod Nonnulli dixerunt, id non esse propriè ligare peccata, sed potiùs remedium dare quo solvantur & remittantur: at quòd verè & propriè ligare peccata, sit excommunicare, seu ab Ecclesia separare. Ita *Hesselius in Explic. Sacram. c. 39.* ubi proinde sibi objiciens, quòd Christus semper conjunxerit, peccata remittere & retinere, solvere & ligare; respondet, Christum hæc verba non dixisse, nisi Petro & aliis Apostolis: quos ut Sacerdotes, ita etiam totius orbis judices & rectores fecit. Nobis autem cùm in Sacerdotes ab Episcopis ordinamur, non dicitur: *Quorum retinueritis, retenta sunt*; sed prius tantùm: *Accipite Spiritum sanctum, quorum* 6. *Nonnulli dixerunt potestatem ligandi propriè nō convenire omni Sacerdoti, sed iis qui possunt excommunicare.* *Verba* Quorum ret.

nueritis, retẽta sunt, *conveniunt indubitatè omni Sacerdoti: quidquid* Heſſelius *dicat.*

rum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Ita ille. Verùm apertiſsimè dicitur utrumque in Ordinatione Sacerdotum, ut ex *Pontificali Romano* patet. Verba etiam Chriſti, tum quoad ſolutionem, tum quoad retentionem, concernere non tantùm Apoſtolos, ſed inſuper ceteros Sacerdotes, eſt manifeſtum, partim ex hoc ipſo ritu Ordinationis, partim ex *Tridentino ſup. & can.* 10. Quàmvis per quamdam excellentiam competant iſta verba Apoſtolis, & præcipuè Apoſtolorum principi in ordine ad quævis vincula etiam in foro externo & judiciali ſolvenda & retinenda.

7. *Quo ſenſu poteſtas excommunicandi &c. cenſeri poſſit nomine clavis.*

An autem ceteræ hæ poteſtates, v. g. ferendi leges aut cenſuras, præſertim excommunicationem, diſpenſandi &c. etiam intelligantur nomine clavium, ſpectat ad modum loquendi. Et quidem poteſtas ipſa excommunicandi potiùs virga ſeu gladius, quàm clavis Eccleſiæ ſolet appellari. Poteſt tamen juxta *Victoria in Relat. de Clavibus n.* 3. ipſa etiam vocari clavis regni cælorum, partim quatenus illud ſumitur pro Eccleſia militante, partim indirectè & ſecundariò quatenus ſumitur pro Eccleſia triumphante. Nam quatenus excommunicatio excludit à Sacramentis, quibus regnum cælorum aperitur, poteſt dici, quòd claudit regnum cælorum. Quatenus verò abſolutio ab excommunicatione, admittit ad Sacramenta, ex conſequenti regnum cælorum aperit. Et hoc ſenſu etiam alii Scholaſtici, ſignanter *Scotus d.* 19. *q.* 1. *n.* 15. admittunt ibi nomen clavium, ſed alterius rationis & fori, quæ etiam non Sacerdotibus competere poſſunt.

8. *Alia clavis ſcientiæ, alia poteſtatis.*

Nunc quod attinet ad ſpecialem facultatem Sacerdotum remittendi peccata, adhuc duæ claves aſſignari ſolent, una dicitur clavis ſcientiæ, & altera clavis potentiæ ſeu poteſtatis & auctoritatis. Ubi clavis ſcientiæ non debet intelligi peritia Confeſſarii: quæ ſanè poteſt & ſolet eſſe etiam in non Sacerdote, & non includitur formaliter in poteſtate collata à Chriſto, neque confertur Sacerdoti in ſua ordinatione, ſed eſt conditio requiſita ad ritè miniſtrandum Sacramentum. Intelligitur ergo poteſtas cognoſcendi, & examinandi cauſam: quia Sacerdos in hoc ſacramentali foro juridicè & legitimè interrogat, teneturque reus fideliter reſpondere & fateri quæ ad cauſam pertinent. Clavis potentiæ ſeu poteſtatis eſt poteſtas ferendi ſententiam ſeu pronuntiandi abſolutionem. Et utraque ſuo modo eſt ad ſolvendum atque ligandum. Danturque hæ claves Sacerdotibus in ipſa ordinatione. Quamvis enim in foro judiciali interdum ſeparentur, dum v. g. committit Dominus Papa aliquibus ut cauſam diſcutiant, & diſcuſſam ſive inquiſitam ante prolationem ſententiæ ad ipſum remittant; Sacerdotibus tamen in Ordinatione ſufficiens eſt tributa poteſtas arbitrandi adeoque utraque clavis. De quibus optimè differit *S. Bonavent. 4. d.* 18. *p.* 1. *a.* 3. *q.* 1. & 2. Juriſdictio autem fori interni (quæ quàm neceſſaria ſit, ut hæ claves exeant in actum, qualiterque diſtinguatur à poteſtate Ordinis mox dicetur) annumeratur frequenter etiam inter claves: quod tamen ad quæſtionem arbitrariam de nomine ſpectat.

Dico II. Ut Sacerdos validè abſolvat debet habere juriſdictionem ordinariam vel delegatam. Eſt certum ex *Florentino in Decreto de Armenis* dicente: *Miniſter hujus Sacramenti eſt ſacerdos habens auctoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris.* Et *Tridentino ſup. c.* 7. dicente: *Quoniam natura & ratio judicis illud poſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.* Ubi etiam aſſignatur ratio Concluſionis, videlicet quòd actus judicialis (qualis eſt ſacramentalis abſolutio) eſſentialiter requirat in ferente ſententiam juriſdictionem ſuper eum in quem profertur. Denique ob hoc *Trid. ſup. can.* 11. definit caſuum reſervationem obſtare quo minùs Sacerdos à reſervatis verè abſolvat.

Hinc patet falſiſſimam eſſe & erroneam opinionem *Armachani*, qui cenſuit juriſdictionem non eſſe ſeparabilem à poteſtate Ordinis, adeòque quemlibet Sacerdotem validè abſolvere quemcumque pœnitentem; etſi ex prohibitione Eccleſiæ id faceret illicitè, citra peculiarem deputationem ſeu licentiam. In quam ſententiam etiam inclinat *Almainus*, & ſatis probabilem cenſuit *Durandus d* 19. *q.* 2. ubi tamen præeligit communem & veram doctrinam.

Nec obſtat I. quòd Sacerdos in ſua Ordinatione accipiat poteſtatem remittendi peccata, ut patet ex forma: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* adeòque ultra Sacerdotium non requiri videatur alia juriſdictio: nam in Ordinatione accipit tantum poteſtatem velut inchoatam, remittendi peccata, poſtea complendam per juriſdictionem. Unde in Ordinatione ſolùm habet poteſtatem Ordinis, non poteſtatem juriſdictionis.

Has porrò duas poteſtates eſſe diſtinctas cenſent Doctores plerique; contra *Vaſquez* & alios exiſtimantes ipſam poteſtatem Ordinis eſſe poteſtatem juriſdictionis, quæ tamen nequeat exire in actum, niſi prius ab Eccleſia applicetur materia, ſeu ſubjiciatur perſonæ, in quas ſacerdos poſſit in hoc Sacramento jus dicere. Sed hoc dici non poteſt: tum quia de his poteſtatibus tãquam de diſtinctis loqui ſolemus. Tum quia *Florentinum & Tridentinum ſup.* ſatis apertè ſupponunt ſacerdo-

tes

tes vi Ordinationis suæ non habere potestatem jurisdictionis, sed eam accipere ab Ecclesia; & signanter dividunt potestatem jurisdictionis in ordinariam & delegatam, apertè supponentes (quod etiam certum est) hanc posse delegari utiq; ab Ecclesia; cùm tamen potestas Ordinis delegari non possit. Tum quia non solùm potest inveniri potestas Ordinis sine potestate jurisdictionis v.g. in simplice Sacerdote, sed etiam è contrà, ut in Parocho, Episcopo, aut etiam Papa necdum ordinato. Tum quia dum Ecclesia subjicit fideles Sacerdoti, illisque tribuit subjectionem erga illum, eo ipso utique dat Sacerdoti superioritatem; & hæc ipsa est potestas jurisdictionis à potestate Ordinis distincta.

Est quidem potestas Ordinis quædam judiciaria, non tamen est illa jurisdictio, quæ importat superioritatem erga subditos, sed solùm est potestas conferendi tale Sacramentum, sicut & potestas consecrandi & conferendi alia Sacramenta; etsi in his jurisdictio solùm requiratur ad licitum usum, in Pœnitentia autem insuper ad valorem, ob specialem ejusdem conditionem, eò quòd scilicet sit actus judicialis, secùs quàm cetera Sacramenta. Quàmvis alioquin si Christus non ita instituisset hoc Sacramentum, ut conferretur judicialiter, potuisset validè conferri non subditis, & sine ulla jurisdictione, uti cetera Sacramenta.

Ex quibus etiam satis refutata manet doctrina *Navarri in cap. Placuit de Pœnit. d. 6.* qui convenit cum *Vasquez* in hoc, quòd potestas Ordinis non distinguatur à potestate jurisdictionis, quòdq; nequeat exire in actum, nisi sit materia circa quam, scilicet subditus; hanc tamen putat satis esse applicatam, quando Ecclesia illam non subtrahit, sicut de facto plerisque subtrahit, ut proinde Ecclesia non tam det jurisdictionem, aut materiam positivè & primò applicet, quàm hanc de se applicatam, & dein per decreta Ecclesiæ subtractam velut restituat, ac impedimentum jurisdictioni in Ordinatione acceptæ injectum tollat. Potiùs namque per Ecclesiam, & materia applicatur, atque etiam primitùs applicari debuit, & jurisdictio ipsa donatur, uti datur jurisdictio quoad alia Sacramenta. Quod ex prædictis satis constat.

Neque hinc procul abest, quòd novissimè docuit *Franciscus Amicus disp. 15. sect. 1.* nempe cuilibet Sacerdoti vi suæ Ordinationis jure divino competere completam potestatem in quæcumque peccata & in quemcumque Christianum, qui se ei sponte in hoc judicio submiserit, sub conditione tamen, nisi Ecclesia prohibuerit; ac proinde ejus prohibitione accedente, qualis jam supponitur, Sacerdotem nihil facere, nisi ex auctoritate Ecclesiæ ordinariam vel delegatam potestatem habuerit. At Ecclesia sic verè non daret jurisdictionem seu potestatem, sed eam haberet Sacerdos ex se, Ecclesiæ autem solùm foret jurisdictionis exercitium impedire, ipsâ tamen jurisdictione seu potestate plenariâ, etsi impeditâ, apud Sacerdotem remanente. Quod non satis fundatum est, nec bene cohæret cum communi modo loquendi & sentiendi Theologorum, ad validam absolutionem exigentium, ut Sacerdos ex auctoritate Ecclesiæ acceperit jurisdictionem ordinariam vel delegatam. Deinde *Florentinum* & *Tridentinum* apertè supponunt, posse interdum in aliquibus Sacerdotibus reperiri solùm jurisdictionem delegatam; quod non rectè convenit cum eo, quòd omnes accepissent à Christo jurisdictionem & completam potestatem vi suæ Ordinationis; quæ utique non solet censeri nomine delegatæ jurisdictionis. Denique eadem Concilia apertè supponunt fieri posse, sive etiam fieri, quòd quidam Sacerdotes auctoritate seu jurisdictione careant: eam igitur, & quidem completam, atque adeò generalem non habent omnes vi Ordinationis.

Non obstat II. Conclusioni principali c. *Placuit, de Pœnit. 6.* ubi Urbanus II. ait: *Placuit, ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam suscipere sine ejus consensu, cui priùs se commisit, nisi pro ingnorantia illius, cui pœnitens priùs confessus est.* Ubi supponi videtur potuisse quemlibet Sacerdotem absolvere quosvis ante illud tempus, quo hic Pontifex subtraxit materiam per præfatam prohibitionem. Verùm jurisdictiones dudum antea fuisse limitatas & restrictas secundùm distinctiones diœcesum & parochiarum satis colligitur ex *Callisto Papa Ep. 2. ad Episcopos Galliæ* & refertur *c. Nullus alterius 9. q. 2.* Quamvis *Navarrus in c. Placuit, de Pœnit. dist. 1. n. 1. & seqq.* censuerit usque ad tempora *Vrbani II.* curasse hujusmodi libertatem, qui eam supra interdixerit. Immo ab initio quoque Sacerdotes generaliter non poterant (si tamen umquam potuerint prout in comperto est potuisse in Ecclesia primitiva, Cardinali *Palavicino l. 12. Hist. Trid. c. 11. n. 2.*) quoslibet absolvere, nisi ex tacita vel expressa Ecclesiæ concessione. Præterea c. *Placuit* potest explicari, ut non sit ad rem, quòd scilicet agatur de pœnitentia solemni & decernatur, ut quando quis commissus esset uni Sacerdoti, agat pœnitentiam ejus judicio impositam, nec possit se alteri sine prioris licentia committere in eadem causa, nisi quando hic ex ignorantia graviorem longè pœnitentiam publicam accepisset. Vide *Suarez disput. 27. sect. 2. Luga d. 19. sect. 1.* 16.

Explicatur c. Placuit de Pœnit. d. 6.

Petes I. An quilibet Sacerdos simplex, citra aliam deputationem, possit absolvere à venialibus, & à mortalibus aliàs confessis seu directè semel absolutis; & unde ei competat hæc jurisdictio? Resp. ad primum 17.

A venialibus & aliàs cõfessis mortalibus absolvit simp.

plex Sacerdos.

must. Affirmativè. Estque satis certum ex usu & omnium Theologorum sensu: quidquid Nonnulli sine ratione cœperint hoc in dubium revocare, immo negare. Resp. ad secundum, jurisdictionem hanc provenire ex consuetudine & tacito saltem Ecclesiæ consensu, juxta Doctores communiter, contra Nonnullos existimantes jurisdictionem super materiam liberam Confessionis competere Sacerdotibus jure divino. Ratio est: quia non est fundamentum hujusmodi exceptionem statuendi. Et aliquin potestas absolvendi in Ordinatione concessa tantùm est potestas Ordinis, & æquè respicit mortalia ac venialia, ut constat ex forma Ordinationis & verbis Christi *Joan.* 20. ubi est sermo de peccatis omnibus, etiam mortalibus; in quæ tamen non accipit Sacerdos vi Ordinis præcisè expeditam potestatem. Quare etiam posset Ecclesia jurisdictionem in venialia vel aliàs confessa subtrahere; & de facto subtrahit excommunicatis non toleratis.

Ex concessione Ecclesiæ.

Quæ jurisdictionem in illa subtrahit excommunicatis vitandis.

18. *Possunt simplices Sacerdotes indirectè absolvere à mortalibus oblitis,*

Hanc potestatem simplicium Sacerdotum etiam extendi indirectè ad mortalia oblita, adeoque pœnitentem, qui non est sibi conscius ullius mortalis aliàs non confessi, si hujusmodi Sacerdotibus confiteatur materiam liberam, validè absolvi, & consequenter mortalia ignorata seu oblita indirectè etiam remitti, adeò firmiter asserit *Suarez d.* 31 *sect.* 3. *n.* 10. ut oppositum vocet falsum & improbabile.

Nec obstat, quòd in mortalia non habeant jurisdictionem: nam ad indirectè absolvendum non requiritur jurisdictio; sufficit enim illam haberi super materiam directæ absolutionis. Quod patet: si enim quis oblitus se habere reservata confiteatur communi Confessario ordinaria non reservata, communi judicio validè absolvitur ab his, adeoque indirectè à reservatis; & tamen in reservata non habet iste Confessarius magis jurisdictionem, quàm simplex Sacerdos in mortalia.

19. *Aut justa de causa suppressis.*

Quare consequenter loquendo idem esset dicendum de mortalibus justè suppressis, aut quæ probabiliter judicantur non esse talia: idem enim de his videtur esse, quod de oblitis. Nec quidquam obstat, nisi jurisdictio, quæ (uti diximus) ad indirectam absolutionem non requiritur. Sicut in necessitate sufficienti ad dimidiandam Confessionem potest habens reservata confiteri non reservata communi Confessario, qui tamen non habet jurisdictionem in reservata suppressa.

20. *Jurisdictio confertur ab Ecclesia etiam pro articulo mortis.*

Petes II. An etiam in articulo mortis conferatur jurisdictio ab Ecclesia? Resp. Affirmativè: quia non constat, quòd detur à Christo vi Ordinationis, in qua non fit mentio, nisi de potestate Ordinis.

A quo conferatur ju-

Petes III. à quo jurisdictionem accipiat Confessarius absolvens ipsum Pontificem? Aliqui respondent, eligi quidem à Pontifice Sacerdotem qui eum Sacramentaliter audiat & absolvat, sed jurisdictionem tribui illi à Deo, sicut tribuitur ipsi Pontifici ab Ecclesia electo. Verum non est ratio faciendi hanc exceptionem: facilè enim dicitur Pontificem subdendo se Sacerdoti, cui voluerit, tribuere eidem jurisdictionem super se: quod in hoc foro potest facere eo ipso, quòd sit hujus Sacramenti capax. De cetero verò in verbis Christi & formâ Ordinationis, quatenus respicit quoslibet Sacerdotes, solùm continetur potestas Ordinis.

Petes IV. An ratione potestatis jurisdictionis per Ecclesiam seu Pontificem concessæ posset Confessarius verè dicere, quòd auctoritate Pontificis absolvat à peccatis? Resp. etsi ista locutio quodam sensu posset admitti, ab ea tamen simpliciter positâ abstinendum esse, tum quia est insolita, tum quia sonat ipsam potestatem remittendi peccata (quæ à solo Deo in Ordinatione confertur) promanare à Pontifice.

QUÆSTIO II.

Penes quos sit Iurisdictio ordinaria vel delegata?

NOTA Jurisdictionem ordinariam esse, quæ alicui competit ex officio vel munere suo: delegatam verò, quæ solùm habetur ex commissione alterius habentis ordinariam. *Tridentinum* porrò *sess.* 14. *c.* 7. eam quam vocamus delegatam, vocat subdelegatam, eò quòd subordinetur potestati ordinariæ: etsi specialiter subdelegata dici soleat, quam communicat delegatus habens potestatem subdelegandi.

DICO I. Solus Pontifex habet jurisdictionem ordinariam in totam Ecclesiam, idque jure divino, eo ipso quo est electus. Secundò illam habent Episcopi in suam diœcesim, juxta Aliquos jure divino, juxta Alios communiùs jure Ecclesiastico; idque statim atque sunt confirmati, etiam ante consecrationem. Tertiò eamdem habent parochi in suos parochianos. His junguntur Legati à latere, & Nuntii Apostolici respectu populorum suæ legationis, Pœnitentiarii Papæ & Episcoporum, Vicarii Episcoporum, Decanus capituli respectu illius. Item Generales & Provinciales Religionum, ac etiam Superiores locales respectivè in suos subditos: denique Vicarius perpetuus Parochi. Conclusio est apud omnes in Confesso.

Nota I. jurisdictionem Episcoporum & aliorum non tam restringi loco quàm personis: hoc enim judicium non requirit strepitum aut aliam externam solemnitatem; ideoque non debet regulari ad modum judi-

judicii contentiosi, quod facilè turbaret pacem communem, si superior extra suũ territorium posset illud in suos subditos exercere. Unde potest Episcopus vel parochus absolvere suum subditum, aut ei dare potestatem eligendi Confessarium approbatum ubicumque fuerit. Similiter sequitur neminem fortiri forum ratione delicti; adeoque peccantem in aliena parochia nõ minùs idcirco debere confiteri proprio parocho.

Nota II. Episcopum & parochum acquirere jurisdictionem ordinariam, non tantùm in eos qui in ipsorum diœcesi & parochia habent domicilium, id est, habitant animo ibi perpetuò manendi, sed etiam in eos, qui pro majori parte anni ibi habitant etsi non animo manendi, ut faciunt studiosi in universitatibus, milites in præsidiis &c. Ita *Suarez d. 25. sect. 2. n. 6.* & fusè probat *Sanchez l. 3. de Matrimonio d. 23. n. 12.* Unde tales in hoc subjiciuntur tam Pastori domicilii, quàm habitationis; licut is qui in duabus parochiis habet domicilium, potest utrique parocho confiteri.

Nota III. vagos, qui videlicet nullibi habent fixam sedem in hoc foro subjici Parocho in cujus parochia reperiuntur; ut docent plurimi Doctores, estque rationi consentaneum, ne alioquin tales careant omni Pastore, excepto Pontifice. Probabile tamen est, quod docet *Sanchez supra disp. 25. n. 5.* & alii, vagos se confiteri cuilibet parocho; nec cu dum esse de loco hospitii ad breve tempus, cùm per talem habitationem non acquiratur parochia, cùmque juxta *Sanchez disp. citatâ* possit quilibet pastor assistere illorum matrimonio.

Nota IV. peregrinantes posse confiteri Parocho, in cujus parochia actu sunt, juxta praxim receptam & Doctores passim. Immo teste *Cajetano V. Absolutio*, id declaravit vivæ vocis oraculo *Eugenius IV.* tum quoad Sacramentum pœnitentiæ, tum quoad communionem, etiam Paschalem; non censetur tamen Parochus ille respectu illorum de jure Ordinarius: quia hoc ei solùm competit, sive per relatam concessionem Pontificis, sive ex consuetudine, & tacito consensu proprii parochi, juxta *Suarez supra n. 9.*

Nota V. quemlibet, qui habet jurisdictionem ordinariam, posse alterum delegare, juxta modum suæ jurisdictionis. Delegatus proinde juxta modum suæ delegationis, potest absolvere subditum delegantis, etiam extra ejus territorium. Delegatus tamen regulariter non potest delegare suam jurisdictionem, etiam ad unicum actum, nisi Ordinarius expressè id concedat, aut nisi in locum ordinarii substituatur per modum officii, v. g. cùm in locum Parochi defuncti absentis subrogatur ab Episcopo alius deservitor seu curam animarum gerens, aut etiam ab ipso Parocho absente substituitur alius loco sui ad paucos dies. Qui tamen non potest delegare totam suam facultatem sive delegationem, sed ad aliquem actum particularem, & iterum ad alium, & ita sigillatim; ut habet regula Juristarum de delegato ad universitatem causarum. Aliud est de coadjutore assumpto à Parocho præsente & assistente, quando expressè non concedit: quia habet se tantùm sicut simplex Confessarius, addità simili facultate delegatâ ad ministranda alia Sacramenta.

Declaratur exemplis.

28. DICO II. Omnes illi habent jurisdictionem delegatam, quibus sive expressè, sive tacitè est concessa ab habente ordinariam. Expressè quidem, ut si verbis aut alio signo explicitè Ordinarius suam voluntatem declaret. Tacitè autem, ut si Ordinarius sciat alium Sacerdotem, quem novit aliundè non habere jurisdictionem, audire Confessiones suorum subditorum & non contradicit cùm facilè posset & deberet: tunc enim cùm habet Regula Juris: *Qui tacet, consentire videtur.* Hic tamen modus non est facilè practicandus: facillimè enim potest aliquid subesse, ob quod deficiat consensus legitimus.

Delegatam habent potestatem, quibus ab Ordinario ea cõceditur expressè vel tacitè.

29. Adverte ad validè absolvendum, nullo modo sufficere ratihabitionem de futuro: quia absolutio necessariò præsupponit in absolvente jurisdictionem; quæ tamen non præsupponitur, ubì tantùm sequitur ratihabitio. Nec obstat *Regula 10. Juris in 6. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.* Nam intelligitur solùm de iis quæ possunt dependere à consensu futuro. Similiter non sufficit præsumptio, quâ quis præsumit non fore ingratum Parocho seu Ordinario, quòd ipsius subditum absolvat, eumque daturum fuisse licentiam, si adfuisset: quia ista præsumptio non dat etiam de facto jurisdictionem, quæ tamen de facto adesse debet, ut valeat actus essentialiter jurisdictionem præcipiens quam principium. Proinde necesse aliquo signo externo patefiat inter præsens Parochi seu Ordinarii consensus.

Non sufficit ratihabitio de futuro,

Vel nec sufficit præsumptio, quòd Ordinarius foret contentus, si adesset.

30. Adverte etiam juxta Doctores communiter validè absolvere eum qui habet titulum coloratum cum errore communi vulgi: etsi enim verè talis careat jurisdictione habituali (ut sic dicam) Ecclesia tamen jurisdictionem censetur pro singulis actibus dare: eò quòd ipsa ob gravissima, quæ aliàs sequerentur, inconvenientia titulum coloratum tectum errore communi suppleat, arg. *L. Barbarius ff. de Officio Prætoris*, quam legem ad materiam canonicam etiam omnes trahunt, estque ipsa ob eamdem, immo fortè potiorem rationem ad forum conscientiæ (etsi Quidam dubitare voluerint) trahenda, juxta Doctores communiter.

Sufficit titulus coloratus cum errore communi vulgi.

Idemque eodem argumento meritò censendum est cum Doctoribus ferè communiter,

Idem est de jurisdictione probabili.

nitor, quando juxta aliquam probabilem Doctorum sententiam putatur quis habere sufficientem jurisdictionem : tunc enim Pontifex censetur tacitè concedere jurisdictionem in singulis casibus, si fortè opinio verè non subsisteret ; idque ad vitanda majora incommoda. Sanè cùm praxis communis id habeat, & Doctores plerique doceant, ac scripto evulgent, sciente Ecclesiâ seu Pontifice, approbantibusque illius Censoribus, deberet Ecclesia, nisi connive-ret, id non tolerare.

31. *Quamdiu duret jurisdictio delegata,*

Petes, quamdiu duret Jurisdictio delegata? Resp. concessa ad certum tempus expirat eo ipso per lapsum temporis. Nisi fortè confessio jam cœpta audiri, queat post illud tempus finiri, ut docet *Sanchez*, *Lugo*, *Arriaga* & alii passim. Si autem delegatio facta sit absolutè, durat, donec debitè revocetur. Adeò ut ne quidem expiret morte concedentis, vel ejusdem amotione ab officio. Quod quidem de delegatione pontificiâ est certum ex praxi & Jure *c. Si super gratia, de Off. deleg. in 6.* & *c. Si cui nulla, de Præbend. in 6.* De aliorum autem Prælatorum delegatione idem habet contra Nonnullos communis quasi Doctorum sententia, etiam in praxi recepta, quantumvis delegans sit Parochus (etsi de hoc dubitet *Suarez d. 26. sect. 3. n. 12.*) atque etiamsi res sit integra, seu necdum cœpta confessio, juxta regulam generalem in Jure fundatam, quòd mera gratia non expiret morte concedentis. Talis porrò delegatio censetur, etsi fiat *usque ad revocationem*, vel *usque ad beneplacitum Sedis*, vel *donec aliter disposuero*: secùs est juxta Doctores passim contra Nonnullos, si dicat v.g. Episcopus, *Usque ad beneplacitum nostrum.* Quod tamen in ordine ad Regulares durare etiam post mortem Episcopi, affirmat *Bossius*, *Bordonus*, & alii: eò quòd *Extrav. Inter cunctas de Privil.* dicatur : *Datam verò Licentiam per Diœcesanorum mortem nolumus terminari.* Illud verò specialiter notandum, non posse Superiorem sibi met concedere facultatem post amotionem ab officio duraturam: Ordinarius enim non potest delegare sibi, sed alteri.

Specialiter an vel quâdo expiret morte concedentis.

QUÆSTIO III.

Qualiter requiratur Approbatio Episcopi?

32. *Approbatio quid sit.*

Approbatio non est aliud, quàm authenticum testimonium seu judicium, quo declaratur aliquis idoneus, cui munus audiendi Confessiones concedatur. Unde non est favor, sed actus justitiæ. In quo differt à jurisdictione, tam ordinaria, quam delegata. Nam approbatio est testimonium, quod dat Episcopus de alicujus Sacerdotis capacitate ; qui proinde obtinere possit ab Episcopo vel Parocho jurisdictionem. Deinde hæc potest non concedi, utpote favor, pro arbitrio : secus quam approbatio, si Sacerdos sit omnino dignus, & capax. Et hæc quidem jure naturæ non est necessaria, nec fuit jure antiquo, ut cum communi sententia docet *Suarez disp. 28. sect. 3.*

Sed de ea statuit *Trid. sess. 23. c. 15. de Ref. form.* in hæc verba : *Quamvis presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat : privilegiis & consuetudine quâcumque etiam immemorabili, non obstantibus.*

Ubi notandum, judicium de idoneitate intelligi practicum & externum, in forma scilicet authentica verbo aut scripto datum; quidquid sit de interno ac speculativo approbantis judicio. Sicut esset verus Licentiatus, etsi admittentes judicarent interiùs esse inidoneum. Et sicut verè in judicio posset judicari innocens, contranitente internâ existimatione judicis. Unde similiter in *Tridentino* intelligitur illud, *Idoneus judicetur*, quod apparet synonimum cum eo quod subditur, *Et approbationem obtineat.* Nisi quis malit sic intelligere : Non solùm idoneus judicetur interiùs, si tamen judicatur, sed maximè exteriùs approbationem obtineat. De qua sola etiam tunc Fideles, & ii qui approbantur, solliciti; ipsaque verè datur & accipitur, esto dans peccet, si per humanos respectus permittat se superari ad dandum reniten.te interiori judicio. Idem videtur communis Doctorum sensus contra *Bonacina q. 7. de pœnit. pu. 4. §. 1. n. 29.*

Hinc patet I. vi *Tridentini* nullam requiri approbationem, ut quis, sive Religiosus, sive sæcularis, audiat Confessiones Religiosorum, sive virorum, sive fœminarum, modò habeat jurisdictionem ordinariam vel delegatam : nam *Tridentinum* loquitur tantùm de Confessione sæcularium. Si-men Ecclesia postmodum aliud ordinaverit, servandum est, ubi id saltem satis innotuerit & usu receptum fuerit.

Patet II. Obtinentes beneficium parochiale (cujus nomine Doctores communiter intelligunt omne illud, cui est annexa cura animarum) non indigere speciali approbatione, sed ex mente Concilii sufficienter approbatos censeri per collationem talis beneficii, quamdiu saltem illud obtinent. Quod addo : quia postquam illud amiserunt, indigent novâ approbatione Episcopi juxta Doctores communiter contra paucos. Nonnulli etiam censent nomine beneficii parochialis comprehendi Prælaturam regularem : sed alii passim contra-dicunt: g

dicunt: quàmvis enim illa sit officium cum cura animarum, non censetur tamen beneficium Ecclesiasticum, ut patet in officio Guardiani, cui nullum jus ad emolumentum temporale est annexum.

Patet III. in ceteris ad audiendum Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, hanc approbationem esse necessariam: etiamsi fuerint Doctores vel Licentiati Theologiæ aut juris Canonici, juxta Doctores communiter; etsi pauci contradixerint. Patet ex generalitate verborum *Tridentini*. Non est tamen decorum, personas adeò patenter qualificatas instar discipulorum per examina rigorosa tentari, ab iis præsertim, quos potiùs ipsi velut discipulos interdum instruerent. Unde *Tridentinum* notanter sub disjunctione dixit: *Per examen, si videatur necessarium, aut aliàs idoneus judicetur.* Ob quod *Pius V.* etiam prohibuerat Lectores Mendicantium & in Theologia graduatos examinari, Bullâ *Etsi Mendicantium Ordines*; quæ tamen est quoad hoc reducta ad terminos *Tridentini*.

Porrò hæc approbatio est ita necessaria, ut sine illa absolutio foret irrita; prout respondit Congregatio Cardinalium, & colligitur ex verbis Concilii, quæ Doctores communiter ita intellexerunt. Per eam tamen nulla conceditur jurisdictio, sed tantùm judicatur persona idonea, ut declaravit Congregatio Cardinalium teste *Coninck d. 8. n. 49.* Est igitur conditio requisita, ut jurisdictio obtineatur, aut in actum exire possit. Quàmvis plerumque soleant Episcopi in formula approbationis adjungere jurisdictionem, etiam dum approbant Regulares privilegiatos; qui tamen jurisdictione ab Episcopis dandâ non indigent, utpote suam accipientes à Pontifice vi concessionum seu privilegiorum specialium.

Sed gravis difficultas est; cujus Episcopi approbatio requiratur. Circa quam valde diversæ & adversæ sunt Doctorum Sententiæ. Primò *Henriquez l. 3. de Pœnit. c. 6. n. 7.* & *in Gloss. lit. A.* citans multos alios præclaros Theologos & Jurisperitos, ac inter ceteros *Franciscum Blanco* Archiepiscopum Compostellanum, & *Guerrera* Archiepiscopum Granatensem, qui interfuerunt Concilio *Tridentino*, censet sufficere approbationem cujuscumque Episcopi; sive scilicet sit Episcopus Confessarii, sive Episcopus loci in quo fit confessio, sive denique ipsius pœnitentis. Idem docent plures alii, & novissimè *Dicastillo disp. 10. dub. 9.* Juxta hanc sententiam approbatus simpliciter ab uno Episcopo est sufficienter approbatus, ut ubivis locorum audiat confessiones, si ibi habeat vel acquirat jurisdictionem.

Probatur: quia talis approbatio sufficit ad salvandum verba *Tridentini*; quæ videntur strictè interpretanda. Quòd autem videatur Concilium requirere approbationem ab Episcopis, non est ita intelligendum, quasi singuli sacerdotes debeant approbari à pluribus Episcopis; sed quia multi sunt Episcopi qui approbent, etsi sufficiat unus. Sicut de extrema-Unctione *Jacobi 5.* dicitur: *Inducat presbyteros Ecclesiæ*; & tamen unicus sufficit. Confirmatur: quia approbatio tantùm est authenticum testimonium idoneitatis alicujus, sicut doctoratus v. g. est testimonium sufficiens doctrinæ, quod in una Universitate datum, ubique valet; adeoque similiter valere debet illud datum ab uno Episcopo.

38. *Qualiter responderi pro his posset ad Declarationes Cardinalium.*

Nec obstant varia responsa Cardinalium; signanter hoc: *Approbatus ab alio, quàm à Valentino Episcopo, in diœcesi Valentinâ non censetur approbatus ab Ordinario.* Nam (ut omittantur responsiones aliæ, quas adfert *Dicastillo sup.*) non constat authenticè de istis responsis. Et *Vrbanus VIII.* die 11. Augusti anno 1632. decrevit nullam fidem in judicio vel extrà adhibendam hujusmodi declarationibus, etiam impressis, nisi in authentica forma solito sigillo & subscriptione Præfecti ac Secretarii Congregationis fuerint munitæ. Et quidem ut habeant vim legum, debet insuper accedere mandatum Papæ, ac debita promulgatio: nihil autem horum in objectis declarationibus subest.

39. *Item ad Bullam Vrbani VIII.*

Non obstat etiam Bulla *Vrbani VIII.* quæ incipit *Cùm sicut*, data 12. Septembris anno 1628. in qua requiritur approbatio ab Episcopis diœcesanis, & examen factum ab Ordinario, revocatis omnibus privilegiis in contrarium. Ob hoc *Lugo* censet hanc opinionem non esse ampliùs probabilem. Sed (ut omittatur, quòd Bulla hæc nondum sit publicata in his locis) post eam tot nobiles Scriptores sciente Ecclesiâ hanc sententiam publicis scriptis mandarunt. Deinde Pontifex solùm intendit providere ne decretum *Tridentini* evertatur (ut patet ex contextu Bullæ) huic autem locus est, quando exigitur approbatio ab aliquo Episcopo, cùm (ut hi Doctores existimant) verba *Tridentini* ampliùs non requirant. Unde in hoc ipso fundant ipsi suam opinionem, & non in aliquibus specialibus indultis; contra quæ dumtaxat agit *Vrbanus*, ea omnia & singula revocans in Bulla præfata. Et ita quidem hi respondent.

40. *Apertè tamen huic sententiæ obstat novissima decisio S. Congregationis confirmata per Innocentium X.*

Verùm hujusmodi Responsio nullatenus quadrat novissimæ Decisioni Cardinalium datæ in judicio contradictorio, & confirmatæ per Breve Apostolicum *Innocentii X.* quâ decidit, *Regulares in una Diœcesi ab Episcopo approbatos nequaquam posse in alia Diœcesi confessiones audire sine approbatione Episcopi diœcesani.* Ac ne quis effugiat dicendo auctoritati isti derogatum satis fuisse per hoc, quod jussu S. Congregationis sit Tomus IV. Bullarii magni Cherubinorum expurgandus signanter per expunctionem Brevis præfati,

acce-

accedit aliud Breve *Alexandri VII.* ad Episcopum Andegavensem in quo doctrina oppositа declaratur falsa, & saluti animarum pernitiosa. Unde etiamsi verba *Tridentini* alium sensum paterentur, apparet tamen alia mens Pontificum, qui velle possunt, ut ipsa tali sensu accipiantur & observentur. Ut proinde nulla restare videatur tergiversatio; nisi fortè recurratur ad defectum promulgationis, quæ à pluribus Doctoribus requiritur ad hoc ut interpretatio authentica sensûs dubii seu controversi obliget ad legem in sensu determinato observandam.

41. *Plurimi alii exigunt approbationem Episcopi ipsius Confessarii.*

Secundò itaque *Suarez* & plurimi alii censent requiri approbationem proprii Episcopi ipsius Confessarii. Et favent quædam responsa Cardinalium. Favet etiam *Tridentinum*, & Bulla *Urbani VIII.* nam ille Episcopus simpliciter censetur diœcesanus & Ordinarius. Approbatio etiam velut actus quidam jurisdictionis, aut ei affinis, maximè convenit Superiori ipsius approbandi. Quòd autem *Tridentinum* requirat approbationem fieri ab Episcopis, juxta hanc sententiam intelligitur cum proportione accommoda, ut scilicet quilibet debeat approbari à suo. Unde juxta Varios talis esset eligibilis in Confessarium ab illis, qui, ratione Jubilæi, Bullæ Cruciatæ, aut alterius privilegii possunt eligere Confessarium approbatum ab Ordinario, etsi morentur in alia diœcesi. Similiter non requireretur nova approbatio, quamdiu approbatus censetur esse diœcesis approbantis, sic ut alibi, ubi est per modum transitûs, possit audire confessiones, suppositâ jurisdictione, ut si v.g. assumatur seu rogetur ibidem à Parocho loci. Ita *Suarez d.* 28 *sect.* 7. *n.* 11. Immo Vari id extendunt ad casum quo Confessarius domicilio mutato transit ad aliam diœcesim, suppositâ semper vel obtentâ ibidem jurisdictione; eò quòd talis sit verè approbatus sive judicatus minister idoneus Sacramenti ab Ordinario, qui scilicet erat tempore approbationis. Nihilominus Plerique alii hoc non admittunt. Pro quibus apertè facit novissima decisio Curiæ Romanæ relata *n. præced.* Et hi ferè incidunt in opinionem eorum, qui requirunt approbationem Ordinarii ipsorum pœnitentium, seu confiteri volentium. Quæ sententia (inquit ipse *Suarez sup. sect.* 6. *n.* 6.) est sine dubio valde consentanea rationi, ac debitæ gubernationi; addens illam ideo ei semper ac simpliciter placuisse. Illud nihilominus satis indubitatum est, quod etiam mutato domicilio maneat approbatio alterius diœcesani eatenus, ut si contingat Confessarium eò reverti, non indigeat ibi novâ approbatione: quin immo etiam alibi degens possit excipere Confessiones subditorum alterius diœcesis eo venientium, suppositâ jurisdictione, juxta Doctores.

Tertiò *Bonacina* & Nonnulli alii censent approbationem debere dari ab Episcopo loci, in quo fit confessio. Sed hoc videtur parum probabile: cùm locus per se loquendo parum faciat ad confessionem; deinde non videtur dubium, quin approbatus Antverpiæ proficiscens Mechliniam cum circa Antverpienses, possit ibidem confessiones illius excipere; etsi non sit approbatus ab Episcopo Mechlinienſi.

Quartò plurimi alii Doctores valde probabiliter censent requiri approbationem Episcopi pœnitentium. Idque non carere congruentiâ. Favent etiam responsa quædam Cardinalium. In eamdem sententiam similiter ferè recidunt, qui exigentes approbationem Episcopi Confessarii, simul docent illam debere renovari in nova diœcesi. Et juxta hanc sententiam approbatus v.g. Antverpiæ solùm potest audire confessiones subditorum Episcopi Antverpiensis, & ex consuetudine vel tacitâ concessione subditos aliorum Episcoporum in diœcesi Antverpiensi actu existentes, subditos autem Episcopi Antverpiensis posset audire ubivis. Similiter qui Antuerpiæ habitans relicto proprio Episcopo peteret approbari ab alio v. g. Gandavensi, non posset audire confessiones, nisi subditorum Episcopi Gandavensis, vel in diœcesi ejusdem: estque hæc sententia maximè consona praxi, & novissimæ decisioni allegatæ *n.* 40. Nec obstat quædam declaratio Cardinalium, in qua dicitur, *Episcopum non posse sibi eligere sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit admissus seu approbatus ad audiendas confessiones.* Nam de ea authentice non constat. Et planè durum est dicere, quòd Episcopus non posset approbare confessarium sibi non subditum pro confessione propria, qui (ut praxis & ratio docet) potest illum approbare pro confessione suorum subditorum. Nisi fortè quis velit ibi pro Episcopis ipsis statui speciale jus (quod non credo fieri in meris Declarationibus) vel solùm declarari, eos comprehendi decreto *Tridentini*, quàmvis alioquin non prohibeantur approbare quemlibet pro seipsis (quod facient hoc ipso, quòd aliquem eligunt; qui etiam eatenus agnoscit ipsos tamquam Ordinarios) nisi renuntiaverint Episcopatui, & subditis careant.

Itaque in praxi tenendum, ut quilibet curet approbationem obtinere ab Ordinario domicilii, & dum in alia diœcesi versatur, eam similiter à Diœcesano obtineat, si ibi confessiones subditorum illius excipere velit; præsertim quando Episcopi id exigunt. Quidquid enim sit de primæva mente *Tridentini* aut verbis illius (quæ facilè paterentur alium sensum) hodie videmus Ecclesiæ sensum & praxim eò planè vergere.

Petes: An Pastor aliundè non impeditus, quamdiu retinet pastoratum, possit audire

dire confessiones etiam in aliis diœcesibus, si à Pastoribus locorum rogetur sive delegetur? Resp. Aff. Ita *Henriquez*, *Vasquez*, *Suarez*, *Lugo*, *Diana*, *Arriaga* & alii Doctores passim contra Nonnullos. Ratio est: nam in tali beneficiato nulla requiritur approbatio præter beneficium parochiale; quo proinde obtento censetur idoneus absque ulteriore approbatione ad aliquam diœcesim. Hâc ratione Pastores vicini, etsi diversarum diœcesum ex mutuâ delegatione jurisdictionis invicem juvant in audiendis confessionibus, ubi ad aliquem cum est magnus concursus. Unde etiam Parochus potest eligi à quovis quolibet in loco constituto tempore Jubilæi in Confessarium, seu à quocumque alio habente potestatem eligendi Confessarium approbatum.

Petes II. An sufficiat approbatio petita, sed negata? Resp. non sufficere pro Sacerdotibus sæcularibus, quantumvis injustè approbatio denegetur: quia *Tridentinum* requirit approbationem esse obtentam tamquam conditionem sine qua Sacerdos non censeatur idoneus ad confessiones excipiendas.

Idem de Regularibus tradunt Doctores communiter ob generalem determinationem *Tridentini*, in quo revocantur omnia privilegia contraria. Sed hoc non obstante Varii etiam Recentiores asserunt contrarium ob *Clem. Dudum, de Sepulturis*, ubi FF. Prædicatores & Minores juxta formam ibi præscriptam præsentati & ab Episcopis rejecti habentur ab ipsa Sede Apostolica pro approbatis: hæc autem *Clementina* in generali Concilio facta & Corpori Juris inserta non videtur sufficienter revocata per generalem clausulam derogantem privilegiis. Cui accedit similis ferè concessio facta Regularibus in *Concilio Lateranensi* sub *Leone X. sess. 11.* Bullâ quæ incipit: *Dum intra mentis arcanum*. Pro hac opinione *Aversa q. 16. sect. 6.* refert *Navarrum*, *Rodriguez*, *Miranda*, *Henriquez*, *Layman*, *Peirinum*, *Lezana*, *Bossium*, *Gamachæum*, *Cælestinum*, *Portel*, *Joannem de Cruce*. Eamdem probabilissimam appellat *Diana P. 4. Tr. 4. Resol. 200.*

Verumtamen esto hoc, accedente præsertim tot gravissimorum Theologorum auctoritate videri posset non improbabile, saltem respectu Fratrum Prædicatorum & Minorum, quos *Clementina* de jure concernit, ceteros autem solùm excommunicatione privilegiorum; non est tamen facilè practicandum, tum quia est valde odiosum Episcopis: tum quia oppositum est conformius praxi: tum quia non est facilè præsumendum de injustitia negatæ approbationis: tum quia alioquin videri posset frustranea Regularium specificatio. Tum denique quia in *Clem. Dudum* non videtur fieri sermo de approbatione, qualem ordinavit postea *Tridentinum*, sed de præsentatione Fratrum in ordine ad obtinendam à Diœcesano jurisdictionem. Vide Cardinalem *de Lugo* & alios. Et novissimè *Alexander VII.* inter 41. propositiones ab eo reprobatas statuit hanc ordine 13. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato sed ab eo injustè reprobato.*

47. *An possit dari approbatio limitata Regularibus.*

Petes III. An possit dari Regularibus approbatio cum limitatione? Aliqui negant. Sed videtur dicendum posse fieri ex justa causa: non enim eadem doctrina sufficit ad omnium ubique confessiones excipiendas: nam minor requiritur pro rusticis & pueris, quàm pro mercatoribus, advocatis & aliis. Unde quia *Tridentinum* committit Episcopis judicium approbationis aut reprobationis, censetur etiam commisisse potestatem approbandi cum limitatione, quando saltem adest justa causa. Sine ea tamen non potest Episcopus approbationem restringere. Unde Congregatio Cardinalium Anno 1587. die 2. Julii declaravit in hunc modum: *Regulares, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis eorumque examinatoribus reperti & probati fuerint, generaliter quoque & indistinctè absque aliqua limitatione temporis certorumve locorum aut generis personarum admittantur in Diœcesi propria. De ceteris verò, qui non adeò idonei reperientur si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquit ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere.*

48. *An semel data possit revocari vel suspendi.*

Petes IV. An approbatio semel data possit ab Episcopo revocari vel suspendi? Resp. non posse licitè absque rationabili causa: quia alioquin fieret ministris dignis & idoneis injuria. Immo revocationem sine justa causa factam esse invalidam, docent plures Doctores, etiam loquentes de sæcularibus. Quod saltem loquendo de Regularibus admitti potest: quia approbatio in iis non habet se per modum gratiæ, quæ revocari potest, sed per modum justæ sententiæ, quæ velut transivit in rem judicatam & ampliùs revocari non potest, durantibus rebus in eodem statu, & non apparente novâ causâ in contrarium: quemadmodum judex postquam sententiam pronuntiavit, non potest sine justa causa jus alteri collatum auferre. Unde sacra Congregatio anno 1615. die 20 Novembris decrevit, Ordinariis Confessarios regulares, aliàs ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere post hac minimè licere, nisi ex nova causa, eâque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non servatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum. Insuper Ordinarios Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus Regularibus Confessariis, eâdem sacrâ Congregatione inconsultâ, nullo pacto adimere posse. Immo *Pius V. Bullâ, Etsi Mendicantium Ordines*, statuerat, Mendicantes ne quidem posse de novo vocari ad examen. Idem tamen

Pon-

Pontifex Bullâ, *Romani Pontificis*, permittit hoc Episcopo successori pro maiori conscientiæ suæ quiete. Quo non obstante *Rodriguez To. 1. q. 59. a. 4. & 6.* conatur ostendere Prædicatores & Minores non posse de novo examinari etiam ab Episcopo successore. Idemque docet *Bruno Chassaing Tr. 5. c. 2. Propos. 2.* allegans declarationem Cardinalium, quam etiam refert *Barbosa in Remiss. ad cap. 15. sess. 23.*

QUÆSTIO IV.

De ceteris Requisitis in Confessario, & observandis in ministerio, defectibusque supplendis.

49. In Confes. sario ultra potestatem requiritur probitas,

IN Confessario seu ministro Sacramenti pœnitentiæ ultra potestatem Ordinis & jurisdictionis ac approbationem requiritur etiam probitas, seu status gratiæ (ut in *Tract. de Sacram. in gen.* dictum est) & carentia impedimenti canonici (quale est censura vel irregularitas) ut patet ex dictis in materia de Censuris.

Et competens scientia ac discretio:

Insuper requiritur scientia atque prudentia huic ministerio conveniens; quia ad rectè exercendum suum officium debet quisque esse competenter idoneus & instructus, ne se exponat errandi periculo. Et eò magis in præsenti ministerio, in quo juxta *Rituale Romanum Tit. de Sacram. Pœnitent.* Confessarius judicis pariter & medici animarum personam sustinet, ac divinæ justitiæ simul & misericordiæ minister à Deo constitutus est, ut tamquam arbiter inter Deum & homines honori divino & animarum saluti consulat. *Vt ergo* (inquit *Rituale Romanum*) *rectè judicare queat discernens inter lepram & lepram, & tamquam peritus medicus animarum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare sciat, quantam potest maximam ad id scientiam atque prudentiam, tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis Auctoribus, præsertim è Catechismo Romano & prudenti consilio peritorum, studeat sibi comparare.* Quod totidem verbis repetit *Pastorale Mechlinienſe* editum à *Jacobo Boonen* Archiepiscopo, omisso quod dictum est de Catechismo Romano; cujus loco *Synodus II. Mechlinienſis Tit. de Sacram. Pœnit. c. 5.* substituit quatuor Catechismorum libros, quos commendat, nimirum *Directorium Joannis Polanci, Manuale Navarri* sive ejus *Compendium, Summam Toleti*, & *Enchiridion Binsfeldii* & similes. Unde cordatus quilibet facilè deprehendat probatos jam pridem dirigendæ praxis formandæque conscientiæ modos, quos Critici nostri reprobant, improbabiles aliquando sibi conscientias in seminandis periculosis doctrinis efformantes.

Vnde hauriendа.

Eâ carens minister graviter peccaret se ingerendo huic ministerio.

Hinc etiam patet, quòd graviter peccaret, qui sine requisita scientia hoc officium assumeret & exerceret.

Tenetur autem Confessarius scire, non solùm quæ sunt de substantia hujus Sacramenti, sed etiam quæ de præcepto. Puta quæ sit absolutionis forma, qualis esse debeat dispositio pœnitentis, quæ sint de integritate confessionis, quæ sint peccata vel non, quæ mortalia aut venialia, quæ circumstantiæ mutent, aut non mutent speciem, sive quæ sint necessariò aperiendæ, quæ sint peccata reservata, quibus sint annexæ censuræ, à quibus possit aut non possit absolvere, quænam debeat pœnitens adimplere, in quibus casibus debeat restituere, & ipse Confessarius eum obligare ad restituendum, vel ad aliquid aliud providendum, & quæcumque demum ad complementum hujus ministerii spectant.

Non tamen tenebitur Confessarius exactè omnia scire, quæ ad moralem doctrinam pertinent, sed quæ communiter occurrunt & solent esse nota. Nec tenetur de promptè omnia discernere aut memoriâ retinere: sed satis erit, si in rebus difficilioribus, aut abstrusioribus sciat dubitare, ut spatium ad consulendos libros vel doctiores viros accipiat. Et hanc quidem diligentiam pro rerum exigentia facere debet. Non tenetur quoque Confessarius simplicium personarum scire ea, quæ ad superiores personas spectant: sed plus tenentur scire Confessarii in civitatibus expositi, ad quos accedere solent Curiales, Mercatores & similes (qui afferre solent casus difficiliores) quàm Confessarii in pagis & villis, aut collegiis, ad quos non nisi simplices rustici, aut pueri, aut pii homines accedunt. Vtì ex alia parte, non oportet esse per se satis instructum Confessarium audientem viros peritos & doctos, qui possint & velint tunc supplere instruendo ipsum Confessarium de necessariis rebus.

Hinc fit, non posse pœnitentem confiteri Sacerdoti insufficienti; adeò ut graviter peccaret ex industria quærens vel sciens accedens talem confessarium, & consequenter invalidè confiteretur, quando per se pœnitens non est aptus supplere defectum. Si tamen bonâ fide processerit, confessio erit valida, & ad summum ea erunt supplenda, quæ defuerint integritati confessionis. Similiter resultat in Prælatis obligatio non admittendi ad confessiones audiendas, nisi Sacerdotes sufficienter instructos. Ex necessitate tamen excusari poterit, tum Confessarius, tum pœnitens, tum Prælatus, quando non potest haberi copia Sacerdotis magis idonei: ut interdum contingit in locis, in quibus viget acerbior infidelium aut Hæreticorum persecutio.

Ad obligationem ministrandi hoc Sacramentum quod attinet, constat quemlibet

bet Sacerdotem teneri audire & absolvere volentem debitè confiteri in extrema necessitate seu mortis articulo; adeoque in defectu saltem Ordinarii etiam alium simplicem Sacerdotem. Pastores autem tenentur specialiter audire confessiones suorum in casu, quo hi tenentur ex præcepto Ecclesiæ, voto, aut simili capite; immo & aliàs, quando rationabiliter subditi postulant, & Parochus non legitimè impeditur: enim non solùm necessaria, sed etiam opportuna ac utilia subsidia teneantur ovibus suis ministrare: sive per se, sive per alios delegatos à se aut Episcopo vel Papa, & audire paratos. Aliàs per se loquendo non tenentur Confessarii approbati & delegati audire confessiones, quando ex obedientia aut charitate non adstringuntur: facultas enim præcisè spectata nullâ specie verisimilitudinis infert obligationem. Excusat etiam Parochum justa causa, v.g. impedimentum, horæ, vel pœnitentis importunitas indiscreta, nimis frequens petitio, attentâ conditione stipendii & petentium. Qua in re non alia est regula quærenda, quàm dictamen prudentiæ, pro occurrentia rerum & personarum. In articulo denique mortis communiter non excusat Parochos præsertim vitæ periculum ob pestem similemve causam: eò magis, quòd tempore pestis respectu tot infirmorum ad mortem properantium sit moraliter certa necessitas: etsi alioquin fortè aliqui sint, qui vel ob statum gratiæ confessione non indigeant, vel sine illa per contritionem, satis dubiam ac difficilem, forent salvandi.

In ipso confessionis procinctu Confessarius (ut monet *Rituale Rom. de Ordine ministrandi Sacram. Pœnit.*) inquirat de ipsius pœnitentis statu (si aliter certus non fuerit), & quampridem sit confessus, & an impositam pœnitentiam impleverit, num rite atque integrè aliàs confessus fuerit, num conscientiam suam, ut debet, priùs diligenter discusserit. Quòd tamen commendandum videtur prudentiæ Confessarii (ut Doctores passim notant) quia frequenter non est necessarium vel utile id antea inquirere, sed quatenus ea scire utile aut necessarium fuerit, deprehendi aut inquiri potest in ipso Confessionis progressu, ut etiam praxis docet.

In progressu itaque Confessionis tenetur Confessarius attendere & pensare ea, quæ pœnitens confitetur, *adjuvante* (inquit *Rituale Romanum*) *quotiescumque opus fuerit, Sacerdote.* Quàmvis enim per se sit munus ipsius pœnitentis se integrè accusare, judicis verò audire; in supplementum tamen ignorantiæ seu defectûs ipsius pœnitentis est etiam judicis interrogare, & examinare in hoc foro: utì etiam in humanis judiciis usuvenit. Quare c. *Omnis utriusque sexûs* dicitur: *Sacerdos sit discretus & cautus &c. diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati.* Et *Rituale Romanum sup.* ait: *Si pœnitens numerum, & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.* Ratio est: quia Sacerdos tamquam judex & Dei minister debet prospicere perfectioni & integritati hujus judicii etiam materiali, quantùm commodè potest. Ideoque dum advertit pœnitentem aliquid omittere, debet eum interrogare, non solùm quando hic omittit aliquid culpabiliter (quo casu absolutio esset illicita, immo invalida, utpote danda indispositò) sed etiam quando inculpabiliter, adeò ut peccatum omissum deberet Confessarius pœnitenti in memoriam revocare, etsi alioquin tali casu confessio foret formaliter integra, ut docent Doctores communiter, & probabilius videtur *Vasquio q 93. a. 3. dub. 7. n. 2.* (qui non videt ex ratione, quæ allegatur, id posse convinci) & *Arriaga d. 43. sect. 3.* contra *Joannem Medina cod. de Confess. q. de Confessione dimidiata iteranda* apud *Vasquez suprà.* Maximè autem id locum habet, quando pœnitens non satìs se examinavit, sperans & cupiens adjuvari interrogationibus Confessarii, ut sanè frequenter accidit in confessionibus simplicium & rusticorum, qui non sunt facilè remittendi (utì aliàs adhuc diximus) sed potiùs movendi ad contritionem, & examinandi circa statum & modum ordinarium vivendi, occasiones & incentiva peccatorum; præsertim quia præsumi potest, quòd postea reeuntes vix aliquid explicatiùs confitebuntur. Non obligatur tamen Confessarius interrogare pœnitentem, quem ex modo procedendi advertit doctum & conscientiam bene examinasse.

Iuvandus, ubi opus, interrogationibus Confessarii.

Quando id faciendum sit, declaratur in ordine ad praxim.

Quòd si Confessarius aliundè sciat pœnitentem commisisse aliquod peccatum, & hic de eo nil fateatur, debet ille tunc à fortiori inquirere veritatem, etiam, dum sine alio incommodo fieri potest, insinuando suam de hoc notitiam. Quando tamen scit ex aliorum confessione, debet adeò cautè procedere, ut pœnitens de eorum confessione nil possit conjicere. Idque singulariter observandum est, dum mox inituri matrimonium, qui antea carnaliter invicem tractarunt, eidem Confessario confitentur unus post alterum. Quo & similibus casibus consultum est, Confessarium regulariter statuere apud se, interrogare utrumque de simili materia, independenter à confessione alterius. Porrò si pœnitens neget se ejusmodi peccatum commisisse, debetur ei fides, nisi certò constet Confessario, eum vere commisisse, & confessum non esse, & non subesse in præsenti rationem tacendi: debet enim, per se loquendo, credere pœnitenti tam pro se, quàm contrà se; qui in hoc foro est accusator

56. *Quid agendum, quando Confessarius aliundè novit peccatū quod pœnitens tacet.*

tor & testis: admonendo tamen eum, & juvando ad superandum pudorem aut timorem. Specialiter autem ob notitiam ex confessione complicis haustam non est alteri peccatum diffitenti neganda absolutio: cùm non magis isti, quàm huic debeat Confessarius adhibere fidem, sitque periculum frangendi sigillum. Quod notandum in casu, quo (quod frequens satis) advertatur differentia inter confessionem sponsi & sponsæ, qui se carnaliter cognoverunt.

57. *An vel quando pœnitens inter peccatorum enarrationē interpellandus.*

Observandum etiam est (quod monet *Rituale Romanum sup.*) ut Sacerdos confitentem non reprehendat, nisi finitâ confessione; neque interpellet, nisi opus fuerit aliquid meliùs intelligere; quod per se loquendo commodiùs, & contra periculum oblivionis securiùs videtur, præsertim in longioribus confessionibus, quàm (quod Nonnulli consulunt, & interdum rectè fieret, quando pœnitens egrè fert quamlibet interpellationem, aut per eam obliviscatur aliorum) auditis omnibus peccatis, reverti ad examen singulorum.

Cautela in interrogationibus & modo interrogandi necessariò observanda.

Observandum præterea est Confessario, ne interroget extravagantia, sed quæ ex confessione pœnitentis aut aliundè novit ipsius statui convenire. Potissimùm autem in materia carnis curandum est, ut examen fiat prudenter & honestè, nec nimium aut nimis cito descendatur ad particulares modos & circumstantias, ne pœnitens scandalizetur, nec ipsi aut Confessario detur materia tentationis aut consensûs in illam, aut ne ei suggeratur peccatum vel modus peccandi antea incognitus: nam præstat pœnitentem, modò bonâ fide pròcedat, non ita perfectè confiteri, quàm aliquod ex dictis incommodis accidere. Vide *Rituale Romanum Tit. de Sacram. Pœnit.* & *D. Bonav. in Confessionali c.2. partic. 1.*

58. *Debet insuper Confessarius advertere, an pœnitens sit rité dispositus.*

Obligatur insuper Confessarius advertere, an pœnitens sit legitimè dispositus per contritionem sive attritionem & propositum non peccandi de cetero: nam alioquin Sacramentum esset invalidum, & cederet in præjudicium pœnitentis indispositi: utrumque autem Confessarius debet vitare, prius tamquam minister Sacramenti, posterius tamquam medicus pœnitentis. Dispositionem autem Confessarius vel per se deprehendet ex signis aut verbis ejusdem pœnitentis, vel prudenter præsumet ex conditione & statu ejusdem, vel debebit ipsemet suâ interrogatione & admonitione ab eo exigere. Quod præsertim faciendum est cum simplicibus & rudibus, qui non sunt per se satis idonei & soliciti, nisi adjuti stimulo Confessarii, ad se aptè disponendos. Unde videat diligenter Sacerdos, ne absolvat eos, qui nulla dant signa doloris, qui odia deponere, qui scandalum datum tollere, vel proximam peccandi occasionem (qualis censetur ea, in qua talis persona semper aut pænè semper labitur) deserere nolunt; utpote absolutionis incapaces, juxta *Rituale Romanum suprà.* Non requiritur tamen ad verum emendationis propositum, ut Sacerdos de pœnitente præsumat, vel pœnitens sibi ipsi persuadeat, quòd ampliùs non peccaturus mortaliter; sed sufficit, ut dolore id verè proponat, & ad idem sit paratus adhibere remedia opportuna. Immo (ut *Rituale Romanum* suprà dicit) *Rarius vel serius confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sæpè, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, & si expediat, communicent.* Tantum abest ut fragilitas recidentium Confessioni Sacramentali, atque adeo absolutioni obstet. Neque justum est, ut durus sit minister, ubi bonus est Dominus, qui in se peccantibus indulget, quemadmodum fratri in nos peccanti cupit ignosci. Petro autem quærenti *Matth. 18. Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies?* respondit: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagesies septies*; hoc est, totiès quoties. Itaque & tu Sacerdos fac Similiter. Fac, inquam, alteri, quod tibi vis fieri. Et cave, ne sis de numero illorum, de quibus ex *Auctore Operis imperfecti* dicitur c. *Alligant 26. quæst. 7. Tales sunt nunc etiam Sacerdotes, qui omnem justitiam populo mandent, & ipsi nec mediè servant: videlicet, non ut faciendo sint justi, sed ut dicendo appareant justi &c. Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam Benignus.* Vide quæ de occasione proxima diximus *Parte 2. d. 7. de peccato mort. & ven. q. 8.*

Qualiter quoad hoc in praxi sit procedendum.

Petes I. quid sit agendum Confessario, si advertat pœnitentem ignorare Christianæ fidei rudimenta? Resp. sufficere ad hoc, ut in præsenti eum absolvat, quòd paucis ei proponat credenda necessitate medii, quorum fidem, proponente ea Confessario, pœnitens eliciat, cum dolore de negligentia, & cum proposito addiscendi necessaria scitu tum necessitate medii, tum necessitate præcepti. Quàmvis si tempus suppetat, rectè facturus sit Confessarius, eum brevibus ac potissimis inculcando. Potest quoque Confessarius supponere quoad bene morigeratos vel confiteri solitos, eis non deesse scientiam necessariorum scitu.

Quibus neganda absolutio.

Petes II. quid sit faciendum Confessario, si advertat pœnitentem ex ignorantia inculpata sæpiùs facere aliquod materiale peccatum, v. g. prædia injusta bonâ fide possidere, in matrimonio irrito perseverare &c. Dico *inculpata*: si enim sit graviter culpabilis, patet pœnitentem esse monendum, & nisi abstineat ab hujusmodi actibus, esse incapacem absolutionis. Resp. Con-

Confessarium teneri eum monere, si spe-
retur fructus, & sfori timeantur graviora
incommoda: nam Confessarius tamquam
spiritualis medicus debet præcavere non
tantùm formale peccatum pœnitentis, sed
etiam materiale, ipsumque è tenebris hu-
jusmodi ignorantiæ educere. Secùs est, si
non speretur fructus: nam equidem non
obstante peccato materiali, pœnitens est
dignus ad susceptionem Sacramenti. Fra-
terna etiam correctio non obligat, nisi
quando probabiliter profutura speratur.
Immo tali casu monere non posset: quia
foret occasio, ut is qui antea tantùm mate-
rialiter peccabat, postea peccet formaliter.
Si etiam gravia timeantur incommoda, v.
g. graves perturbationes in Republica ex
dissolutione matrimonii, scandala, inimici-
tiæ familiarum, & similia, non debet Con-
fessarius aperire defectum sibi notum.
Quòd si Confessarius ignoret vel dubitet,
an sua admonitio profutura sit vel obfutu-
ra, debet prudenter attendere, quid sit ma-
gis verosimile, aut quâ parte majus vel mi-
nus malum immineat, illudque sine scrupu-
lo eligere, quod ei videbitur secundùm
Deum præponderare.

Ex dictis sequitur conjugem, qui in
præfato errore constitutus comparti debi-
tum negat, non posse absolvi, si non propo-
nat deinceps debitum reddere; utpote ad
quod, suppositis supponendis, hîc & nunc se-
cundùm Deum obligatur. Quòd si etiam
conjux talis peteret à Confessario, an sit o-
bligatus ad id præstandum, seu ad debitum
reddendum, deberet Confessarius asserere,
quòd sic. Neque est recurrendum ad hoc,
ut Confessarius quidem deberet in hoc
casu dicere, conjugem conjugi debere red-
dere debitum; non tamen posse in speciali
dicere, Tu obligaris ad id agendum: cùm
enim verè ad id sit obligatus, suppositâ ig-
norantiâ; quidni ea obligatio eidem inge-
ratur?

Petes III. An si pœnitens citra dubium
practicum ex curiositate vel levi scrupulo
inquirat veritatem rei, circa quam invinci-
biliter errat, debeat veritas ipsa à Confessa-
rio aperiri, si alioquin seclusâ petitione id
nullatenus consultum foret? Resp. in pri-
mis Confessarium non posse veritatem ne-
gare sive fallum docere: cùm nullo prætex-
tu ei liceat pœnitentem positivè decipere.
Quod juxta *Aversa q.* 16. *sect.* 12. §. *Secundò*
specialiter ℣. *Item si*, contingeret, quando
dissimulatio & taciturnitas Confessarii ha-
beretur à pœnitente, tamquam approba-
tio partis, in qua errat. Secùs esset, si
Confessarius crederet taciturnitatem suam
nihil operaturam, & aliundè manifestatio
veritatis foret periculosa, & interim pœ-
nitens maneret in bona fide seu ignorantia
invincibili; quod tamen in praxi vix con-
tingere posse, asserit. Nihilominus videtur
Confessarius tali casu facilè posse divertere
propositum, vel dare responsum nec affe-
rens, nec negans. Causa denique posset esse
tàm urgens, ut dissimulatio fortasse videri
posset potiùs deceptionis permissio, quàm
positiva deceptio.

Petes IV. An Confessarius teneatur se-
qui opinionem pœnitentis suæ contrariam,
absolvendo eum, etsi is nolit se conformare
opinioni Confessarii? Resp. affirm. quan-
do opinio pœnitentis est etiam reputatio-
ne ipsius Confessarii probabilis, in qua pœ-
nitens tutâ conscientiâ possit persistere. Ita
Soto, *Navarrus*, *Suarez* & plerique alii: tene-
tur enim Confessarius per se loquendo ab-
solvere pœnitentem rite confessum & dis-
positum, ac pro absolutione instantem.
Quod etiam habet locum in delegato: qui
etsi ab initio liberè possit recusare audire
confessionem pœnitentis, eâ tamen auditâ
manet obligatus ad absolvendum, sicut pro-
prius Pastor. Posset tamen delegatus mo-
nere pœnitentem, ne redeat, nisi paratum
se asserat sequi opinionem Confessarii,
cum onere dimissionis sine absolutione.
Admittit etiam *Suarez* & alii, posse Con-
fessarium à mortali excusari, qui ductus bo-
no zelo suæ opinionis subtraheret absolu-
tionem remittendo pœnitentem ad alios
Confessarios, quando id huic non foret
adeò onerosum. Indubiè autem Confessa-
rio licitum est id rogare à pœnitente, alle-
gatâ anxietate propriæ conscientiæ. Contra
quam, si practicè dicet non posse absolu-
tionem dari, nullatenus potest, quamdiu
illa manet, procedere.

62. *An debeat Confessa-rius sequi opinionem pœnitentis.*

Circa suppletionem defectuum à Con-
fessario in ministerio commissorum scien-
dum est, quòd si oblitus sit pœnitentem
absolvere, aut absolvit invalidè, teneatur, si
commodè potest, inducere pœnitentem ad
illam confessionem iterandam: quia per se
loquendo debent illa peccata iterum clavi-
bus subjici, utpote necdum legitimè abso-
luta. Posset autem hoc fieri, tractando cum
pœnitente de ejusdem licentia extra con-
fessionem, eique indicando defectum ab-
solutionis, vel curando ut pœnitens iterum
sibi confiteatur peccata ab ultima confes-
sione commissa; & tunc rogando pœni-
tentem, an se etiam accuset de peccatis aliàs
confessis, petatque absolvi ab illis, habetur
iterata confessio.

63. *Ad quid teneatur, qui oblitus fuit absol-vere vel in-validè ab-solvit à peccatis.*

Dixi, *si commodè potest*: quia si nihil hô-
rum fieri possit absque notabili incom-
modo, ad nihil obligatur: nam per sequentes
confessiones pœnitens consequetur gra-
tiam, & prædictorum peccatorum indire-
ctam absolutionem.

Quòd si Sacerdos omiserit absolvere à
censura, potest absenti absolutionem ab ea
impendere, si, aut quando habebit legiti-
mam auctoritatem. Si omiserit pœnitentem
admonere de facienda restitutione, moneat

64. *Vel qui o-misit absol-vere à cen-sura.*

postea obtentâ licentiâ pœnitentis, si commodè potest: si non possit absque magno gravamine, ad nihil tenetur. Quod si ex culpa lata dicat pœnitenti, non esse faciendam restitutionem, dum reverà facienda est, tenetur Confessarius in defectum pœnitentis ad restitutionem, ut satis patet; nisi causam damni per contrariam instructionem amoveat.

Aut admonere de restitutione,

Vel ex culpa lata dixit non esse faciendam.

65. Postremò potuit contingere defectus circa materialem integritatem dumtaxat, si videlicet Confessarius non satis examinaverit pœnitentem alioquin bonâ fide confitentem, ita ut constet non esse satis expressas species, circumstantias, aut numerum peccatorum. Quo casu varii Doctores significant probabiliter Confessarium, si commodè possit, teneri resarcire materialem confessionis integritatem divinitùs præceptam. *Suarez* tamen, *Lugo*, *Diana* & alii passim negant Confessarium ad hoc per se teneri, secluso periculo alterius damni. Et quidem indubiè faciliùs hîc locum habet excusatio, eò quòd pœnitens obtinuerit gratiam, sitque ab omnibus saltem indirectè absolutus mediante confessione formaliter integrâ. Unde non obligarem Confessarium, ut idcirco conveniret pœnitentem, quem ex inadvertentia aut etiam negligentia omisit interrogare: eò quòd illud per se videatur durum & odiosum. Secùs videri potest, si pœnitens sponte ad eumdem Confessarium redeat: tunc enim facili negotio de aliàs prætermissis, sicut de iis quæ in præsenti confessione prætermitterentur, Confessarius posset interrogare, adeoque hanc etiam commoditatem expectare.

Quid agendum, dum defectus ex parte ipsius contingit circa materialem integritatem.

66. Pro fine quæri posset, an ex ministerio hujus Sacramenti oriatur inter Confessarium & pœnitentem quædam conjunctio ac velut cognatio quædam spiritualis, inducens in peccato carnali circumstantiam necessariò confitendam? Affirmat *D. Thomas*, *Paludanus*, *Soto*, *Sanchez*, *Coninck* & plures alii, quos citat & sequitur *Aversa* q. 16. *sect.* 14. & consonare videtur communis modus loquendi fidelium, quo Confessarii appellantur spirituales patres, ac pœnitentes filii. Consonant etiam quidam canones ut *can. Omnes* 30. *q.* 1. ubi *Symmachus* Papa ait: *Omnes quos in pœnitentia accipimus, ita filii nostri sunt; ut in baptismate susceptos.* Ideoque gravissimè puniendum decernit fornicantem cum muliere sibi confessa. Idem gravissimè prohibetur, & punitur id faciens c. *fin. ibidem*. Et c. *Si quis Sacerdos* asserit *Cœlestinus* Papa id esse grave adulterium. Quod autem c. *fin. de Cognat. spirit. in* 6. dicitur, *Ex datione verò aliorum Sacramentorum cognatio spiritualis, nequaquam oritur*; intellige juxta id quod statim subditur, *quæ matrimonium impediat vel dissolvat.* Cum quo stat conjunctio spiritualis causans novam speciem malitiæ (quam aliqui de genere incestûs, alii de genere sacrilegii; alii de utroque vocant) ex antiquioribus canonibus deducta.

An ex ministerio hujus Sacramenti oriatur specialis conjunctio inter Confessarium & pœnitentem.

Nihilominus de hac re non satis constat. Ea enim conjunctio (quæ utique solùm foret juris Ecclesiastici) à Plurimis negatur, & (ut refert *Basilius Pontius l.* 7. *de Matr. c.* 38.) in Editione Romana *Emanuelis Sa* juxta Codicem expurgatorium Romanum, ea propositio, quæ olim asserebat explicandam esse eam circumstantiam in confessione, expuncta est; & loco illius contrarii propositio excusa. Ut proinde, etsi forsan antiqua juris dispositio in rigore sic habeat, sit tamen abolita per contrariam consuetudinem (si non per *c. Finale de Cognat. spir. in* 6.) ut habet *Pontius suprà*: quia in confessionibus quis est, qui eam circumstantiam fateatur? ut idem inquit.

Adverte etiam in rigore validam esse confessionem; quam instituit peccatrix apud confessarium complicem, si non desit vera contritio: esse tamen valde suspectam, saltem dum intercedit inter illos malâ peccandi consuetudo: tunc enim præsumptio est violèta de defectu veri doloris ac propositi. Ut proinde ob periculum sacrilegii & novi consensûs censeat *Poncius suprà* illicitè id fieri, nisi extra casum extremæ aut gravissimæ necessitatis. Et in quibusdam diœcesibus subtrahitur Confessariis expressè jurisdictio super complicem peccati.

QUÆSTIO V.

Quinam possint sibi eligere Confessarium?

DICO I. Summus Pontifex jure divino potest sibi eligere Confessarium: cum enim sit omnium superior, non subditur alicui, à quo sibi Confessarius determinetur. Deinde potest omnibus aliis assignare Confessarium ad libitum suum, adeoque & sibi ipsi; cùm non debeat in hoc esse pejoris conditionis, quàm alii.

DICO II. Jure communi possunt sibi eligere Confessarium Episcopi & alii Superiores, nec non minores alii Prælati exempti. Patet ex *cap. fin. de Pœnit. & remiss.* Tales sunt Abbates exempti, Generales & Provinciales Ordinum, Priores, Guardiani &c. Non tamen Abbatissæ: quia nequeunt intelligi nomine Prælati. Unde nisi aliundè habeant facultatem, non possunt ex hoc capite eligere Confessarium: neque etiam de jure vel officio possunt Monialibus facultatem eligendi Confessarium concedere: quia nullam habent in hoc foro jurisdictionem. Quod si aliquæ id faciant, scientibus iis qui habent potestatem ordinariam, censentur hi tacitè dare jurisdictionem Confessario designato.

DICO III. Possunt similiter sibi eligere

gere Confessarium, quibus id permittatur per speciale privilegium. Ut patet. Tale communiter habent reges & principes, & illi quibus datur Bulla Cruciatæ.

DICO IV. Ex consuetudine possunt sibi, immò & suis domesticis Cardinales deligere Confessarium. Item Pastores pro se ipsis: immo & simplices Sacerdotes sæculares, teste *Suarez disp. 27. sect. 3. n. 4. Vasquez, Valentia* & aliis passim. Dummodo tamen eligant aliquem legitimè ab Episcopo approbatum. Alioquin inter Propositiones ab *Alexandro VII.* reprobatas ordine est 16. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

Nec obstat *cap. Si Episcopus, de Pœnit. & remiss. in 6.* ubi dicitur: *Nullâ potest consuetudine introduci, quòd aliquis præter sui superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat.* Nam sensus est, quòd consuetudo hoc non possit vi suâ citra superioris licentiam; quo non obstante, potest esse, & in præsenti est signum taciti consensûs Superiorum, dum hoc promiscuè vident, & non contradicunt.

Observandum hîc, quòd etsi in Bullis Cruciatæ & Jubilæi, & similibus concedatur potestas eligendi Confessarium omnibus Christi fidelibus: non possint tamen Religiosi privilegiati vi talium Bullarum eligere Confessarium extra ordinem sine licentia suorum Prælatorum: nam sic declararunt varii Pontifices. Clarissima sunt verba *Clementis VIII. Bullâ 9. in Bullario Rodriguez & Vrbani VIII. in Bulla data anno 1630.* cujus verba recitat *Lugo disp. 20. sect. 9.* ubi fusè & solidè de hac re tractat, eximiamus contrarium non esse amplius probabile quoad Bullam Cruciatæ. De Bullis autem Jubilæi expressam mentionem facit *Gregorius XIII.* in declaratione facta Societati Jesu, ut videre est in *Compendio Societatis V. Absolutio* §. 11. Unde hoc verum est, etiam de concessionibus Jubilæi, quæ tantùm dantur ad unicum actum, quando Pontifex in Bulla (cujus tenor consulendus est) contrarium non satis exprimit. Quod maximè locum habet in Ordinibus istis, qui in similibus generalibus indultis semper repugnant, ne Religiosus aliquis aut Monialis extra Ordinem confiteatur, ob inquietudines inde magistrâ experientiâ solitas suscitari. Alioquin tenor concessionum est sequendus.

Cruciatæ &c. locum habeant in Religiosis ad effectum eligendi Confessarium.

DISPUTATIO SEXTA.

De Reservatione Casuum.

QUÆSTIO I.

Quis possit reservare Casus?

SUPPONO tamquam indubitatum in Ecclesiæ esse potestatem reservandi casus. Ita definit *Tridentinum sess. 14. c. 7. & can. 11.* supponiturque c. *Si Episcopus de Pœnit. & remiss. in 6.* & alibi.

DICO I. Spectatâ rei naturâ, potest quilibet habens potestatem ordinariam sibi reservare casus: quàmvis ex consuetudine id non soleant parochi, ne reservatio nimium multiplicetur: neque etiam id possint, quibus illa potestas per alium superiorem est adempta. Ratio Conclusionis est, quòd sicut Ordinarii non tenentur delegare suam potestatem, nisi velint, sic non teneantur dare integram, sed possint, si velint, dare restrictam.

Hinc Pontifex reservat sibi casus respectu totius Ecclesiæ: Episcopi enim ab illo accipiunt jurisdictionem, aut saltem materiam, in quam possint jurisdictionem exercere, adeòque possunt illam accipere cum restrictione; juxta rationabilem voluntatem Pontificis. Similiter Episcopus potest reservare casus respectu suæ Diœcesis: nam quàmvis Pastores habeant jurisdictionem à jure, tamen cum subordinatione ad Superiores ordinarios; ut certa praxis docet, & confirmat ratio: nam judex ordinarius solet subordinari ei, qui in eodem foro est quodammodo superior, ut hic quantum est ex natura rei possit inferioris potestatem restringere. Quia verò Mendicantes non subordinantur Episcopis, sed sunt immediati delegati Pontificis, censet *Vasquez disp. 91. a. 3. dub. 1. n. 11.* & *Præpositus q. 9. dub. 1.* Episcopos sua auctoritate non posse jurisdictionem illorum limitare absque speciali concessione Pontificis, qui eos indubiè potest quoad hoc Episcopis subjicere, & subjiceret eo ipso quòd neget eis jurisdictionem in casus ab Ordinario reservandos.

Duæ diæcesis.

DICO II. Quàmvis ex natura rei Generales & Provinciales Ordinum per se possint æquè ac Episcopi reservare casus: tamen *Clemens VIII* per specialem Bullam editam anno 1593. (quæ refertur à *Bassæo V. Casus reservatus n. 40.* & in *Bullario Romano* inter Constit. *Vrbani VIII.*) eorum potestatem restrinxit ad undecim casus in Bulla expressos, quos, omnes vel aliquos, reservare possint, si velint: si autem velint plures adjungere, id necessariò fieri debeat de Capituli Generalis consensu pro toto Ordine,

3. *Potestas Generalium & Provin. cialium sine Capitulo est restricta ad undecim casus.*

dine, vel Provincialis pro Provincia.

4. *Qui retentur.*

Casus porrò expressi in decreto *Clementis VIII.* sunt sequentes I. Veneficia, Incantationes, Sortilegia. II. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventûs fiat egressio. III. Nocturna ac furtiva è Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. IV. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. V. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. VI. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ. VII. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, aut ab inferioribus ad Superiores. VIII. Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo. IX. Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum fetum, etiam effectu non secuto. X. Falsificatio manûs aut sigilli Officialium Monasterii aut Conventûs. XI. Furtum de rebus Monasterii seu Conventûs in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

5. *Illis Capitulum generale Ordinis Minorum superaddidit duos.*

Hi omnes casus sunt reservati specialiter in Constitutionibus Generalibus Ordinis Nationi huic Germano-Belgicæ accommodatis. Quibus adduntur ibidem pollutio voluntariè procurata (de qua dubitari alioquin potuisset, & à variis dubitatur, an contineatur decreto sub lapsu voluntario carnis opere consummato) & inobedientia contumax; qualis esse declaratur, quando quis trinâ monitione præmissâ, factis congruis intervallis, per diem naturalem inobediens perseverat. Ita expressum in *Constitutionibus generalibus* impressis Leodii anno 1635. *cap.* 6. §. 22. At in Constitutionibus Segoviæ recognitis (quæ vigent in Hispaniis & alibi) casus reservati sunt quatuordecim sequentes. I. Inobedientia contumax. II. Proprietaria rerum detentio. III. Lapsus carnis. IV. Tactus impudici & enormes. V. Sollicitatio ex certa scientia ad peccatum carnis. VI. Furtum rei notabilis seu frequenter iteratum. VII. Injectio manûs violentæ. VIII. Falsum testimonium in judicio factum. IX. Compositio vel projectio aut publicatio libelli. Famosi. X. Falsificatio sigilli aut litterarum quorumcumque Prælatorum nostri Ordinis, vel alterius personæ notabilis. XI. Apertio litterarum Prælatorum vel malitiosa earum retentio. XII. Falsum crimen in infamiam cujuscumque. XIII. Depositio falsi & scienter facta in judicio contra religiosum aliquem præsertim prælatum, & inductio ad id faciendum. XIV. Revocatio eorum, quæ in judicio deposita sunt, & procuratio ut revocentur. De cetero consulendæ sunt Constitutiones particulares Provinciarum.

Quid circa alia peccata.

Permittit tamen Pontifex: *Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis à Confessariis imponendas, quæ subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint.* Quàmvis nullatenus possint eorum, quantumvis enormium, absolutionem sibi reservare. Immo Pontifex ibidem prohibet, ne Superiores Regularium *Confessiones subditorum audiant, nisi quando aliquod peccatum reservatum admiserint, aut ipsimet sponte aut proprio motu id ab ipsis petierint.*

Superiores non possunt reservare.

Nota I. Ecclesiam non solere reservare peccata merè interna juxta Doctores communiter. Unde qui incidit in hæresim merè internam, potest absolvi abeo, qui posset illum absolvere à mortalibus.

Non ita Ecclesia servare solet.

Nota II. quòd Reservatio papalis non solùm cadat in censuram, sed etiam in peccatum; ut observat *Suarez disp.* 29. *sect.* 2. & tenent Doctores communiter contra quosdam. Aliàs posset à quovis casu papali absolvere simplex Confessarius tunc, quando implicatio censuræ non officit valori Sacramenti absolutionis; v.g. si pœnitens sit oblitus censuræ, aut non sciat illam impedire receptionem Sacramenti, adeoque bonâ fide procedat, saltem ipse; aut sit necessitas suffriens ad suscipienda Sacramenta, non obstante censurâ v.g. occultâ, nec adsit, qui in censura habet potestatem. Itaque directè quidem & per se censura, directè tamen etiam peccatum reservatur: etsi concomitanter, & quasi dependenter ab ipsa censura; ut tradunt Doctores communiter, & observatur in praxi. Et quidem de facto nulla reperitur reservatio papalis, nisi sit annexa excommunicationi. Unica verò reservatio papalis cum sola suspensione, contenta in Bulla *Sixti V.* contra malè promotos, est sublata à *Clemente VIII.* qui præfatam constitutionem reduxit ad terminos juris communis in Bulla *Romanum Pontificem.*

Reservatio papalis non solùm in censuram cadit.

Quid Sixti V. Clemens VIII. ab ipso.

Ex quo oritur, ut sublatâ censurâ cessaret reservatio, possitque absolvi ab habente jurisdictionem in mortalia. Deinde quando peccata Papæ reservata ita committuntur, ut ratione ignorantiæ committens non incurrat censuram, non sunt reservata; ut consequenter docet *Sanchez l.* 2. *Summæ c.* 8. *n.* 5. *Coninck disp.* 8. *dub.* 11. & alii communiter. Quia verò probabilis est sententia *Navarri, Sanchez l.* 9. *de Matrim. disp.* 32. *n.* 13. & plurium aliorum, excommunicationem non incurri ab ignorantibus illam (quod Multi docent de quibuscumque censuris) consequens foret, pauciores in his partibus habere juxta hanc sententiam casus Papæ reservatos: cùm plerique, maximè rudiores, ibi nihil omnino aut parum sciant, quibus peccatis censuræ sint annexæ.

Ignorantia excusat à censura.

Nota III. quoties est morale dubium de reservatione casûs, talem casum non censeri reservatum, sive dubium sit facti, sive juris; & sive sit negativum, propter conjecturas, quæ non sufficiunt ad ferendum determinatum judicium, sive sit positivum,

Dubium de casu reservato.

con-

consurgens ex opinionibus probabilibus contrariis. Reservatio enim est valde odiosa & strictè interpretanda, adeòque intelligi debet de casibus certis & indubitatis. Ita cum communi sententia *Suarez to. 2. de Relig. l. 6. c. 26. n. 6.* Unde si percussio gravis sit reservata, & dubitetur, an hæc sit gravis, non censetur reservata. Vide *Sanchez l. 1. Summæ c. 10. n. 74.*

Dub. IV. Reservationem non solere afficere, nisi mortalia in suo genere consummata, quando aliud clarè non exprimitur: decreta enim reservationis sunt odiosa, adeòque dum simpliciter loquuntur, sunt prælato modo restringenda.

Petes I. An Ecclesia posset reservare peccata merè intera? Resp. Affirm. cum Doctoribus communiter contra Nonnullos. Ratio est: quia potest ab Ecclesia dari in illa jurisdictio, ergo & negari; quod est, illa reservare. Sic de facto peccata mortalia omnia, adeoq; etiam interna, sunt reservata simplici Sacerdoti. Quare non est positiva Ecclesiæ circa actus merè internos dispositio, sed potiùs dispositionis subtractio. Deinde est dispositio exequenda in foro sacramentali; sub quod cadunt etiam merè interni actus: ad quorum confessionem sicut potest etiam Ecclesia obligare, sic quoque absolutionem eorumdem reservare.

Petes II. An possent ab Ecclesia reservari quædam venialia? Resp. Affirm. non quidem hoc sensu, ut sit necessarium ea confiteri, sed ut si confitenda sint, non possint absolvi, nisi à tali vel tali. Jurisdictio namque etiam in venialia provenit ab Ecclesia, quæ illam tollit à degradatis, & excommunicatis non toleratis, adeòque absolutè tollere posset etiam ab aliis simplicibus Sacerdotibus. Idem est de peccatis dubiis; præsertim suppositâ obligatione ea confitendi ex jure divino, quam supponit communis Theologorum sententia.

Petes III. An scienter delinquentes incurrant reservationem, si hanc ignorant? Resp. Affirm. Estq; satis clarum & notum in praxi. Neque solent de hoc inquirere Confessarii; qui abstinent eo ipso, quòd audiunt delictum reservatum, ab absolutione. Excipienda quoque non est reservatio facta in odium talis peccati (quidquid putet *Sanchez l. 9. de Matr. d. 32. n. 18.*) & pœnam delinquentis: nam omnis reservatio est talis: etsi non sit de illo pœnarum genere, de quibus disputatur, an ut incurrantur, requiratur notitia illarum, aut certè specialis legis prohibentis: utì neque de illo genere est impedimentum criminis dirimens matrimonium. Nihilominus dum reservatio est dependens ab incursione censuræ, etsi incurratur, dum censura quidem noscitur, sed ignoratur, quòd sit reservata; tamen non incurritur juxta prædicta, dum est ignorantia excusans ab ipsa censuræ substantia. Utì nec incurritur reservatio sine censura, quando requiritur, ut scienter delictum committatur; vel additur, *qui audeat, qui præsumpserit &c.* si delinquens peccet quidem mortaliter, tamen laboret ignorantiâ vincibili.

E contrà, si quis ex erronea conscientia putet se committere peccatum, v. g. blasphemiæ, quod sit reservatum, & tamen opus externum, v. g. verba non sint blasphemiæ, non esse propterea verè reservatum: non enim id pendet ab existimatione falsa peccantis, sed ab intentione Superioris per legem expressa. Denique si quis gravi metu adigatur ad committendum aliquod peccatum reservatum, metus facit cessare reservationem tali casu, utì & obligationem aliarum legum Ecclesiasticarum. Quemadmodum etiam talis metus excusat à censura tali peccato annexa. Ita notat *Aversa q. 17. sect. 1. ex Jacobo de Graffiis* & aliis.

11. *Non est peccatum reservatum, si peccans falsò putet opus quod facit esse istius generis, quod verè reservatum sit. An gravis metus excusat à reservatione, uti à censura.*

Petes IV. An reservationes casuum facta per Prælatos seu Capitula Religionum comprehendantur Novitii? Resp. Neg. cum Doctoribus communiter contra Nonnullos: reservationes enim, utì ceteræ leges & obligationes Religionum, censentur loqui de professis. Et hoc modo intelligi commodè possunt, adeòque debent, præsertim cùm versemur in odiosis. Confirmatur: quia Novitii sunt quidem Religiosi quoad favores, non tamen quoad odia.

12. *Reservatio casuum in Religione non comprehendit Novitios.*

Alioquin absolutè possent etiam pro iis reservari peccata, quatenus volunt subire favorem jurisdictionis provenientis à Superioribus Religionis: nam cùm Superiores dent Confessariis Fratrum jurisdictionem in illos, possunt illam restringere vel dilatare. Immo si alicui sæculari Sacerdoti deleget Prælatus Regularis jurisdictionem in suos subditos ac Novitios, posset huic limitare jurisdictionem. Si tamen Novitius tunc vellet confiteri non mero Confessario Fratrum, sed qui simul est Confessarius sæcularium, præsertim habens ab Episcopo jurisdictionem, non posset Superior respectu talis Confessarii reservare peccata Novitii. Potest is namque instar sæcularium personarum confiteri cuivis Confessario per Ordinarium approbato, etsi non deputato per Superiorem regularem, ut notat *Rodriguez, Portel* & alii passim: quàmvis ex altera parte etiam possit confiteri Sacerdotibus à Prælato regulari deputatis, etsi de cetero non sint ab Episcopo approbati.

An vel quatenus absolutè posset reservatio pro suis fieri per Prælatos regulares.

Petes V. An reservatio particularium Prælatorum afficiat etiam peregrinos? Resp. inprimis, si casus sit reservatus tam in loco domicilii, quàm in loco peregrinationis, talem peregrinum verè reservatione ligari: in quo (inquit *Aversa q. 17. sect. 3.*) facilè

13. *An reservatio particularium Prælatorum afficiat peregrinos.*

cilè conveniunt omnes. Nam neque Prælatus proprius, neque Prælatus loci in quo peregrinus est, dare censetur communi Confessario absolvendi potestatem. Si verò casus erat reservatus in loco undè quis decedit, non autem in loco ad quem accedit, existimat *Antoninus*, *Paludanus*, *Suarez*, *Bonacina*, *Villalobos*, *Lugo* & plerique alii posse talem in hoc loco absolvi à communi Confessario: eò quòd sive jure communi, sive consuetudine & declaratione *Eugenii IV.* peregrini sortiantur fo[rum] Sacramenti Pœnitentiæ quasi subditi proprii, hi autem possint à communi Confessario absolvi. Quòd si etiam jurisdictio in tali casu penderet à concessione tacitæ proprii Prælati, adhuc censetur velle, ut subditi confiteantur alibi, sicut incolæ. Estque incommodum ac insolitum, in hunc finem interrogare de patria, & investigare casus ibi reservatos. Si denique casus non erat reservatus in loco proprio, & pœnitens veniat aliò, ubi est reservatus, docet *Suarez*, *Villalobos*, *Lugo*, & alii plerique contra *Fagundez* non posse eum ibi absolvi à communi Confessario: eò quòd sit in hoc foro reputandus quasi incola; ac æquum sit, eum ibi ligari reservatione loci, ubi eximitur à reservatione diœcesis propriæ: neque censeatur Confessario communi concedi in talem casum jurisdictio. Res tamen hæc non caret difficultate, præsertim si Confessarius propriæ diœcesis aut proprius Parochus talem pœnitentem alibi audiat, ubi est reservatio: cùm jurisdictio illius, quam alioquin habet in tale peccatum, possit extrà territorium exerceri. Quare hujusmodi Confessarios excipit *Dicastillo disp. 11. dub. 16.*

QUÆSTIO II.

Quis possit directè absolvere à casibus reservatis?

14. *Qui possint à reservatis absolvere.*

DICO I. A casibus reservatis potest absolvere ipse reservans, ejusque in officio superior, & successor: quia nemo potest sibi aut successori aut etiam superiori absolvendi adimere potestatem. Deinde ab iis potest absolvere quicumque cui hæc potestas legitimè delegatur, ut patet. Inter quos hæc est differentia, quòd Ordinarius possit tollere reservationem etiam sine Sacramentali confessione; non autem delegatus: quia Ordinarius potest tollere concedendo sive permittendo aliis plenam potestatem, delegatus autem solùm sacramentaliter absolvendo; nisi fortè peccatum esset reservatum ratione censuræ, à qua delegatus posset absolvere extra Sacramentum.

15. *Quæ fa-*

Nota *Tridentinum sess. 24. c. 6. de Reform.* concedere Episcopis facultatem absolvendi suos subditos ab omnibus casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis per se vel Vicarium ad id specialiter deputandum, præterquam hæresi, à qua solùm per se possint absolvere.

Quam facultatem Plerique putant esse revocatam per Bullam Cœnæ quoad casus in ea contentos: eò quòd in fine ejusdem tempore *Pii V.* habeatur hæc clausula, quòd à casibus ejusdem Bullæ nulla persona, etiam Episcopali dignitate prædita, absolvere possit, prætextu cujuscumque facultatis, etiam per cujusvis Concilii decreta in genere vel in specie concessa. Pro quo etiam referuntur duo responsa Cardinalium. Ita *Suarez*, *Toletus*, *Sylvius*, *Sanchez*, *Diana* & alii passim.

Nihilominus fatetur *Suarez*, *Bassæus* & alii oppositum non esse improbabile: quod docet *Rodriguez*, *Bannes*, *Henriquez*, *Sa*, *Portel*, *Crousers* apud *Bassæum V. Casus reservatus num.* 32. partim quia non fit expressa mentio *Tridentini*, partim quia similiter non fit expressa mentio casuum occultorum: quod tamen videbatur esse necessarium, cùm lex generalis non deroget speciali, præsertim noviter firmatæ in generali atque adeò solempni Concilio, nisi specialiter exprimatur. Verùm inter articulos ab *Alexandro VII.* reprobatos ad minus tamquam scândalosos, tertius in ordine est: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo fit; anno 1629. 18. Julij in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa & tolerata est.* Quod quidem facti erat, & relatum à Nonnullis, signanter *Bassæo V. Hæresis n.* 18. signum tamen est S. Sedem ipsi sententiæ non adeò propitiam. Contra quam etiam facit, quòd derogetur in *Bulla Cœnæ* concessis per *cujusvis Concilii decreta*; sitq; sermo universalis absq; insinuata vel leviter aliqua occultorum exceptione. Porro sententia hæc quantum ad Belgium (ubi *Bulla Cœnæ* non solet publicari, & hæresis simpliciter inter casus Episcopo reservatos, recensetur, ut patet ex *Synodo & Pastorali Mechlinienſi*) à Nonnullis specialiter docetur, signanter à *Marchant To. 1. Tract. 2. tit. 4. quæst. 8. concl. 1.* ob praxim timoratorum, & quia Episcopi ibidem sunt loco Inquisitorum. Qui etiam norunt specialem Sedis Apostolicæ facultatem sibi olim delegatam; & in quibus illa adhuc terminis maneat. Hâc porrò sententiâ (cujus judicium sit penes S. Sedem) suppositâ, possent Episcopi in casu speciali committere facultatem super hæresim occultam; uti plures fatentur.

DICO II. *Semper in Ecclesia Dei constitutum fuit, ut nulla esset reservatio in articulo mortis* (sub quo juxta Doctores communiter intelligitur etiam probabile mortis periculum,

lum, idque conformiter ad ipsum Jus cap. *Eos qui, de Sententia Excommunic. in 6.*) *atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuscumque peccatis & censuris absolvere possunt.* Ita *Trid. sess. 14. can. 7.* Quòd si contingat taliter absolutos convalescere, aut periculum evadere, non tenentur illa peccata denuò confiteri, quia ab eis sunt legitimè & directè absoluti. Si tamen absoluti fuerint à censuris ab eo, qui aliàs non poterat eos absolvere, tenebuntur se postea sistere ei, qui ipsos alioquin absolvere poterat, juxta cap. *Eos qui, cit.* Quod tamen explicat *Marchant To. 1. Tract. 2. Tit. 4. quæst. 7.* de censuris deductis ad forum contentiosum, appellans oppositam sententiam, quæ est communis, improbabilem: in quo excedit.

Conclusionem limitant Doctores communiùs, quòd tunc solùm possit quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, absolvere quemcumque in mortis articulo, quando non adest approbatus habens potestatem ordinariam vel delegatam super ipsum ipsiusque casus: eò quòd tunc pœnitens non censeatur esse in necessitate, ratione cujus jura faciunt hanc gratiam. Oppositum nihilominus non est improbabile, & docet *Navarrus, Sà, Vega, Rodriguez* & plures alii, & probabile censet *Lugo, Diana* & alii: eò quòd generaliter *Tridentinum* dicat, quòd *nulla sit reservatio in articulo mortis*; ergo contradictorium (quod alii tenent) est falsum, scilicet, Aliqua est reservatio in articulo mortis. Nec ratio *Tridentini* est solùm defectus Confessarii aliàs habentis jurisdictionem, sed (ut *Trident.* loquitur) *hâc ipsâ occasione* reservationis, si tunc esset, *aliquis pereat.* Quod adhuc non rarò subesse posset ob difficultatem aut speciales rationes, quæ mente & corpore infirmos possent deterrere à confessione instituenda apud Ordinarium vel habentem aliàs jurisdictionem. Jura etiam, quæ alii allegant, non urgent, nec loquuntur de præsenti casu. Ex quorum proinde explicatione ejusdem opinionis probabilitas magis eluceseet.

Dices I. *Tridentinum suprà* non condit jus novum, sed tantùm confirmat antiquam consuetudinem, ac declarat: non fuit autem semper in Ecclesia Dei usus, qualem nos statuimus, sed solùm quando abest proprius aut alius potestatem habens Sacerdos. Resp. fuisse talem usum, præsertim antiquiùs, quem fortè quibusdam minùs pro tunc apertum Concilium apertiùs declarat. Nam quis dubitare queat, quin olim, dum non essent Religiosi Mendicantes delegati (qui etiam modò non sunt in pagis plerumque) sed Parochi, & qui à Parochis assumebantur ad libitum; quin, inquam, tunc licuerit infirmo confiteri Pastori alterius Parochiæ, etiam independenter à consensu proprii, immo dissentiente proprio? Porrò idem erat de quovis alio Sacerdote: nam quilibet etiam sine approbatione, erat capax, ut à parocho ei delegaretur jurisdictio. Quinimmo etiam hodie, cur non posset confiteri quis alieno Pastori, vel aliqua monialis Sacerdoti socio Confessarii, præsertim dum præter ordinarium nullus alius delegatus adest? Neque urgeas pastorem esse approbatum: nam approbatio non requiritur in tali articulo, ut patet dum proprius Sacerdos abest. Nec de illa, sed de jurisdictione agitur, quam alius Pastor per se non habet: dicimus autem ipsum eam habere pro tunc, adeoque & ceteros, scilicet vi *Tridentini*. Ulteriùs, quis pro tali articulo Parochus vel alius recurrit pro absolutione secreta & sacramentali ad Episcopum vel alium, etsi infirmus habeat casus reservatos, & quamquam Episcopus v. g. sit in civitate? Ergo sensus communis est, quòd in tali articulo etiam inferioribus detur generaliter jurisdictio in quævis, & per consequens etiam simplici Sacerdoti.

Dices II. c. *Presbyter 26. q. 6.* ex *Carthaginensi III.* dicitur: *Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo ultima necessitas cogat.* Resp. esse sermonem de solemni reconciliatione publicè pœnitentium, ut clarè patet ex contextu Concilii. 20. *Explicantur quidam Canones.*

Instabis c. *Presbyteri 26. quæst. 6.* dicitur: *Presbyteri de occultis peccatis justione Episcopi pœnitentes reconcilient*; utique sacramentaliter, ut patet ex seqq. *Et (sicut suprà præmisimus) infirmantes absolvant & communicent.* Resp. cum *Glossa* ibidem id intelligi de licentia generaliter loquendo, eâ scilicet ratione, quâ cap. *Cunctis 16. quæst. 1.* Presbyteris aliisque Clericis præcipitur, ut nihil agant sine sui Episcopi licentia; quæ, immo jussio, præsumitur in tali casu.

Dices III. *Extrav. Inter cunctas §. Incendiarios* dicitur: *Quòd si forsan antequam ab eo qui potestatem habet absolvi possint, mors talium confiteri volentium verosimiliter timeatur &c. beneficium absolutionis impendant*, puta fratres; *sed subeant*, infirmi scilicet, *juramentum, quòd liberati se suis Episcopis excommunicatoribus præsentabunt.* Resp. statui, ut propter absentiam Episcopi non denegetur absolutio à censura, supponens eam congruè petendam à præsente Episcopo, utpote quam ceteri non nisi cum reincidentia, si convaluerit æger, dare possent. Deinde ibi agitur in ordine ad forum externum, quando est necessarium parere mandatis excommunicantis. In hoc enim foro non potest liberari à censura, ejusque effectu æger, nisi in absentia excommunicantis; & tunc quidem cum reincidentia. Similiter respondetur ad cap. *Eos qui, de sent. Excommunic. in 6.* ubi 21. *Explicatur Extravagans Inter cunctas.*

ubi putat *Lugo* oppositum apertissimè concludi. Confirmatur: quia agitur ibi de casibus, quibus necesse est accedere Episcopum v. g. si sit in civitate, & petere licentiam ab Ordinario, si commodè fieri possit; utì id necesse est in aliis impedimentis occurrentibus (de quibus & de articulo mortis loquitur *c. cit.* æqualiter & sub disjunctione) & tamen pro mera absolutione sacramentali in articulo mortis id nec alii fatentur necessarium.

QUÆSTIO III.

An ob Reservationem liceat Superiori absolutionem, vel pœnitenti confessionem dimidiare.

22. *Non licet Superiori dimidiare absolutionem audiendo sola reservata,*

DICO I. Non licet Superiori auditis solùm reservatis absolvere sacramentaliter pœnitentem, remittendo eum ad alios pro absolutione à reliquis peccatis. Ita communiter Doctores, præsertim hoc tempore, contra Varios, qui in oppositum citantur. Inter quos aliqui non faciunt mentionem causæ legitimæ, quasi supponerent eam semper ex parte Superioris adesse. *Cajetanus* autem requirit causam rationabilem, addens, illam esse continuam Superiorum occupationem. Sed probatur Conclusio: quia integritas confessionis præcipitur jure divino, ubi non occurrit notabilis necessitas confessioni extrinseca; quæ regulariter hîc non occurrit. Nam si non vacet superiori omnia peccata audire, potest suam potestatem alteri prudenti delegare. Si id non expediat (quod rarum est) sed potiùs, ut ipsemet casus reservatos audiat, potest illis auditis reservationem tollere sine absolutione sacramentali, & pœnitentem remittere ad alios, qui integram confessionem audiant, & pœnam à Superiore impositam in Sacramento confirmente. Quòd si tamen pœnitens id ægrè faceret, nec posset confessionem congruè differre, donec Superiori vacet integram audire, & omnino expediret ipsummet habere notitiam reservatorum, admitti posset dimidiatio confessionis & absolutionis. Sed hoc valdè rarum est. Tunc autem non teneretur pœnitens peccata sic confessa & absoluta iterùm confiteri; utì non tenetur, si aliquorum fuisset oblitus. Similiter si absque justa causa, tamen bonâ fide pœnitens sic fuisset dimidiatè confessus, & absolutus, teneretur postea sola non reservata confiteri: quia à reservatis fuisset directè absolutus & validè ob bonam suam fidem; quâ alioquin deficiente, non valuisset absolutio ob indispositionem pœnitentis.

Præterquam in casu raro.

Quòd autem *Cajetanus* pro se alleget consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, de ea non apparet memoria, nequidem in scriptis aliorum. Immo *Sylvester* coævus *Cajetano*, ac Pœnitentiarius in sancto Petro, nec non Magister sacri Palatii, testatur de oppositâ consuetudine. Si qui verò Pœnitentiarii extra casum justæ necessitatis plus fecerint, quàm quòd absolverint à censuris, intellectoque peccato dederint licentiam confitendi aliis, non foret probandum.

DICO II. Seclusâ necessitate non potest pœnitens, qui habet reservata, confiteri non habenti potestatem in illa, nec potest talis Confessarius absolvere à solis non reservatis remittendo pœnitentem ad alium pro absolutione à reservatis. Est communis contra Nonnullos. Ratio est: quia dimidiatio confessionis vel absolutionis non licet extra necessitatem.

Nihilominus urgente necessitate, si fuerit tam notabilis, ut sufficiat ad non integrè confitendum, vel ad communicandum sine confessione, habens reservata licitè confitetur communi Confessario, si non possit adire alium, & licitè absolvitur, directè quidem à non reservatis, indirectè autem à reservatis, adeoque cum onere confitendi reservata habenti directam potestatem. Ita *Suarez*, *Coninck* & plurimi alii. Ratio est, quòd talis Confessarius, etsi non habeat potestatem in reservata, tamen habeat in alia, & hæc sine illis validè, ac in casu tali licitè possint absolvi. Sicut dum in necessitate dimidiatur confessio, absolvitur licitè & directè quod confessum est, indirectè quod erat suppressum.

Nec refert, quòd *Trid. sess. 14. cap. 7.* post quam docuisset nullam esse reservationem in articulo mortis, subjungat: *Extra quem articulum Sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.* Unde sequi videtur, quòd inferiores non possint absolvere tales personas extra periculum mortis. Ita *Prepositus q. 9. dub. 7.* & alii. In hac sententia, si habens casum reservatum nequeat adire superiorem vel habentem facultatem; & adsit sufficiens necessitas communicandi vel celebrandi, posset id facere absque prævia confessione eò quòd censeatur deesse copia Confessarii.

Sed respondeo, *Tridentinum* solùm velle Confessarios inferiores non esse legitimos judices peccatorum reservatorum, adeoque illos nihil posse quoad directam à reservatis absolutionem. Cum quo bene consistit, quòd sint legitimi judices quoad cetera peccata, possintque pœnitentem ab his directè, à reservatis autem indirectè absolvere, positâ sufficienti necessitate dimidiandi confessionem. An verò tunc sint de necessitate exprimenda etiam reservata, disputatur. Nos partem affirmativam

tivam uti securiorem consulimus, partem negativam autem scindiorem per se & in rigore loquendo putamus. Vide dicta *disp. 3. quæst. 5.*

Advertendum tamen nos hîc non tangere usum sive Constitutiones quarumdam Religionum, quibus permittitur, ut casibus reservatis impliciti, si forìs existant, aut ubì defuerit copia Confessarii habentis potestatem, confiteri possint aliis, etiam reservata, & ab eis absolvi, cùm onere tamen sistendi se & exponendi eadem habentibus potestatem super illa. Inde enim colligitur reservationem in illis Religionibus fieri citra rigorem, qui alioquin de jure communi inesset. Quod omnino pendet ab intentione reservantium.

QUÆSTIO IV.

An Reservatio cesset, confesso invalidè aut oblito casu reservato?

DICO I. Dum quis confitetur casum reservatum, probabiliter cessat reservatio, etiamsi confessio sit invalida: idque sive sit invalida defectu contritionis, sive quia malitiosè in cõfessione prætermittitur aliquod mortale, saltem quando confessio instituitur apud superiorem, juxta Doctores satis communiter: immo etiam juxta plurimorum sententiam, quando instituitur apud delegatum: quia tali casu peccatum est propositum, & inferior comparuit coram eo, coram quo comparere debebat, tum ad instructionem, tum ad subeundam pœnam, tum ad alios reservationis fines, qui non requirunt, ut culpa reipsa remittatur. Unde tali casu poterit pœnitens postea confiteri communi Confessario. Teneretur tamen adimplere pœnitentiam ratione casûs reservati sibi impositam, sive tamquam non sacramentalem (quod sufficere rectè putat *Suarez*) sive tamquam sacramentalem, imponendam in sequenti confessione, de quo Confessarius sequens est monendus à pœnitente juxta *Vasquez* & alios: quod tamen non videtur necessarium, etsi non sit inconsultum. Similiter tenetur in sequenti confessione exprimere sacrilegium in priori confessione commissum, ut patet. Si etiam inter mortalia, quæ malitiosè tacet, sit aliquis casus reservatus, patet illum tali confessione invalidâ nullatenus fieri non reservatum.

Excipit ab hac responsione *Suarez* cum aliis, quando quis absolvitur à reservatis ratione Jubilæi: tum quia in Bulla Jubilæi signanter conceditur facultas absolvendi verè pœnitentes: tum quia confessio saltem valida requiritur tamquam conditio, sub qua conceditur facultas absolvendi ac Jubilæum promerendi.

Immo de tota Conclusione est dubium, dum defectus est pœnitenti culpabilis.

Immo non immeritò dubitari potest de tota Conclusione; cujus proinde oppositum longè probabilius censet *Arriaga disput. 41. sect. 2.* eò quòd tota hæc res pendeat à voluntate Superioris, qui posset nolle reservationem tollere; & verò sanctiùs id nollet, quàm quòd sacrilegè accedenti beneficium speciale auferendo reservationem præstaret. Vide ipsum. Qui tamen excipit casum, quo confessio foret invalida ob defectum inculpabilem pœnitentis: eò quòd probabiliter præsumi possit Superiorem tali casu velle reservationem tollere à reservatis sic confessis.

28. *Confessione communi modo instituta apud præditum facultate in reservata non tollitur reservatio ab oblitis.*

DICO II. Quando pœnitens confitetur habenti potestatem super reservata, sed obliviscitur reservati, si confessio communi tantùm modo instituatur apud delegatum vel etiam apud ipsum reservantem, multi valdè probabiliter existimant non cessare reservationem in proposito casu, nec posse pœnitentem postea absolvi à communi Confessario: eò quòd circa confessionem ita institutam censeatur quilibet Confessarius se habere communi modo tamquam intendens absolvere & relaxare, quæ sibi proponuntur, nec subesse videatur fundamentum sufficiens colligendi ulteriorem intentionem: adeoque si casus reservati nullo modo proponantur, non censetur eos velle absolvere, aut reservationem tollere. Ita *Suarez*, *Præpositus* & alii. Confirmatur à simili: quia per confessionem factam habenti in mortalia non reservata potestatem non eximuntur hujusmodi peccata oblita ab obligatione confitendi postea habenti istam potestatem, sed manent reservata habenti potestatem in sola venialia; ergo &c.

29. *Limitatio Conclusionis.*

Admittunt tamen hi Auctores cessare reservationem, si Confessarius aliquo signo declaret se pœnitentem ab omnibus relaxare. Idem est, si pœnitens ad cautelam petat absolutionem à reservatis, si quibus fortè teneatur, vel saltem accedat cum intentione talem absolutionem consequendi, idque declaret Confessario, & tunc procedat bonâ fide exprimens, quæ memoriæ occurrunt. Nam tali casu censetur Confessarius velle tollere reservationem, gerendo se juxta intentionem pœnitentis. Quod etsi clarius sit in ipso reservante; cùm is possit reservationem tollere pro libitu: tamen verosimiliter etiam locum habet in quolibet delegato, tum propter plurimos Doctores qui hoc docent; tum quòd ipse reservans in tali circumstantia non censeatur plus exigere.

30. *Multorum Recentiorum doctrina non longè generalior adfertur.*

Quinimmo sine istis restrictionibus per confessionem factam habenti potestatem, etsi delegatam, in reservata, ordinariè tolli simpliciter reservationem casuum oblitorum docent plurimi Recentiores. Idemque

que consequenter dicendum foret de suppressis ex justa causa. Probatur: quia reservatio tollitur, quando pœnitens expressè petit, & minister intendit operari juxta communem suam potestatem; ut etiam alii fatentur: pœnitens autem censetur saltem tacitè id petere, & consequenter minister ordinariè intendere. Deinde minister habens facultatem, eo ipso quòd absolvit primò à censuris cum formula consueta, *Quantum possum & indiges*, absolvit pœnitentem à casibus ratione censuræ reservatis, quoad reservationem: ergo etiam intendit absolvere ab aliis reservatis, quantum potest & pœnitens indiget: immo etiamsi ex inadvertentia prætermittat absolutionem à censuris, censebitur tamen ab his velle tollere reservationem. Unde qui bonâ fide confitetur in Jubilæo, & obliviscitur alicujus reservati, vel illud ex justa causa supprimit, potest illud postea communi Confessario deferre, ut etiam ipse *Suarez* admittit.

31. *Quæ magis discutitur.*

Nihilominus de hac doctrina meritò dubitatur. Etsi enim quoad praxim sententia altera sit tutissima juxta *Arriaga disp. 41. sect. 1. num. 4.* putat tamen is à parte rei totum dependere à voluntate Superioris audientis confessionem; de qua divinationi locus esse videtur: cùm multi nullatenus de hoc cogitent, & rogati fortassis aliud responderent. Immò putat majorem partem Superiorum talem voluntatem non habere. Neque aliundè in forma absolutionis sacramentalis includitur sublatio reservationis ab oblitis. Similiter si innodatus duplici excommunicatione petat simpliciter absolvi ab una, oblitus alterius; & Superior conformiter ab unica absolvat, manet altera excommunicatio. Unde idem videtur, si pluribus reservatis implicatus confiteatur unum, oblitus ceterorum. Nisi pœnitens ampliùs se petere innuat, & Superior sciens saltem tacitè annuat. Quemadmodum etiam dum petit indefinitè licentiam, ut possit absolvi à reservatis, præsumitur aperta mens Superioris, quòd eam det quoad omnia pro tunc commissa; adeoque etiam quoad oblita. In casu vero Jubilæi idcirco *Suarez d. 31. sect. 4. num. 20.* facit exceptionem, quòd facultatem concedens tunc velit in favorem pœnitentis, eâ quantum in se est utentis tempore præfixo, auferre reservationem quantum potest; seu facere respectu talium omnia peccata non reservata. An verò vel qualiter censeatur communi modo confitens absolutus à censuris reservatis, si formulam consuetam adhibeat Confessarius habens potestatem, discutit *Suarez suprà num. 19.*

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Potestate Regularium in hoc foro.

QUÆSTIO I.

Quorum Confessiones, quando & ubi possint Regulares audire?

1. *Mendicantes omnium fidelium, respectu quorum sunt approbati, confessiones audire possunt,*

DICO I. Fratres Minores & alii eorum privilegia participantes à suis Superioribus deputati Confessores, & ab Episcopis approbati, possunt audire confessiones omnium utriusque sexûs fidelium, non solùm ad eorum Ecclesias recurrentium, sed etiam aliarum quarumcumque provinciarum, civitatum & diœcesum per totum orbem. Ita expressè *Paulus IV. Bullâ 3.* in Bullario *Rodriguez*. Similia privilegia aliis Ordinibus alii Pontifices concesserunt, & signanter *Paulus III.* Societati Jesu *Bullâ 7.*

2. *Etiam religiosorum,*

Petes, An sub Christi Fidelibus intelligantur etiam personæ religiosæ? Resp. Affirm. ut patet ex proprietate verborum. Immo *Julius II. in Confirmatione Ordinis Minimorum* (ut refert *Rodriguez To. 1. quæst. 61. art. 3.*) expressè concedit Patribus Minimis facultatem audiendi confessiones ubilibet, *quarumcumque personarum, tam Religiosorum, quam Ecclesiasticorum & sæcularium.* Hoc tamen limitandum est, nisi Religiosi per speciale statutum prohibeantur extra Ordinem confiteri invitis Prælatis, aut sine illorum licentia; talium enim confessiones audire non possunt Regulares alterius Ordinis, ex variis privilegiis & declarationibus factis, tum Ordini nostro, tum diversis aliis, quibus gaudent reliqui Religiosi, saltem plerique.

An autem hæc licentia debeat esse expressa, dubitari posset. Videtur autem sufficere præsumpta, quando religiosus peregrinans aut existens extra suum Conventum & carens Confessario Ordinis debet celebrare aut communicare, vel aliàs diu manere absque confessione: nisi alicubi per Superiores seu Religionem aliquid ampliùs exigatur. Ita *Suarez Tomo 4. de Religione Tract. 8. lib. 2. cap. 17. Rodriguez quæst. 62. art. 5.* Ratio est, quòd ista licentia sit tunc valdè rationabilis, immo moraliter necessitate debita, adeoque censeri possit implicitè concessa in facultate morandi extra Conventum.

Notandum tamen in facultate confitendi extra Ordinem non contineri ea, quæ

sus reservatos; nisi, hoc exprimatur: *Cum in generali concessione illa non veniant, quæ non esses quis verosimiliter in specie concessurus*; ut dicitur cap. *Si Episcopus, de Pœnit. & remiss. in 6.* ubi ex hac ratione deciditur: *Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem, ille quem is elegerit in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullo modo debet penitùs potestatem.* Unde occurrente necessitate celebrandi, deberet talis Religiosus quoad casus reservatos se gerere tamquam carens copiâ Confessarii. Immo *Corduba in cap. 7. Regulæ S. Francisci quæst. 3. punct. 1.* putat Superiores, saltem in Ordine Franciscano, non posse dare licentiam fratribus, ut extra Ordinem absolvantur à reservatis. Sed rationes ipsius parum probant: ideoque dicendum est superiores hoc posse concedere: prout etiam concedere interdum solent. Ita docet *Portel V. Confessor erga fratres num. 12.* Et fusiùs probat *Hieronymus Rodriguez Reg. 32. num. 23. & 24.*

Dico II. Regulares indubiè possunt confessiones prædictorum excipere omni tempore, etiam id articulo mortis, & tempore paschali. Patet primò ex inhabitata per totam Ecclesiam praxi. Secundò, quia nullum tempus, vel confessio excipitur in privilegiis; in quibus tamen solet excipi communio paschalis & per modum viatici. Unde *Paulus IV. Bullâ cit.* expressè loquitur etiam de confessionibus infirmorum. Et Congregatio Cardinalium sic declaravit de articulo mortis, præcipiens graviter puniri Ordinarios, qui hoc prohibent. Similiter *Clemens VIII. Bullâ, editâ anno 1592. 22. Octobris* ob controversiam Duaci exortam, & *Innocentius X. Bullâ, Exponi nobis anno 1645. die 7. Februarii* ob controversiam exortam inter Archiepiscopum Burdigalensem & Regulares, declararunt posse fideles peccata sua Regularibus licitè confiteri quovis tempore, etiam paschali: dummodo tamen communionem paschalem sumant in propria parochia.

Dices I. cap. *Omnis utriusque sexûs* præcipitur, ut omnes fideles saltem semel in anno confiteantur peccata sua proprio Sacerdoti, aut alteri de ejus licentia; proprius autem Sacerdos est solus parochus. Resp. proprium Sacerdotem etiam esse Episcopum, Papam & quemlibet alium habentem ordinariam jurisdictionem. Alioquin in Paschate confitens Episcopo aut Papæ non censeretur esse confessus proprio Sacerdoti ad mentem c. *Omnis utriusque sexûs*: quod absurdum videtur. Regulares autem habent licentiam generalem excipiendi confessiones à supremo proprio Sacerdote, adeoque non indigent licentiâ Parochi; ut expressè declarat *Alexander IV. Bullâ 24.* apud *Rodriguez*. Adde, Pontificem, qui est supra jus commune, potuisse dare privilegium audiendi confessiones, etiamsi foret contra cap. *Omnis utriusque sexûs.*

7. Dices II. *Martinus V.* Extrav. *Ad uberes* (quam citat *Adrianus* ut refert *Sotus d. 18. q. 4. art. 3. §. In contrarium*) decrevit: *Quòd ii, qui fratribus confitebuntur, suis parochialibus Sacerdotibus semel saltem in anno confiteri, prout generale Concilium statuit, nihilominus teneantur.* Et *Sixtus IV. Extrav. Vices illius, De treuga & pace*, præcipit, *Quòd Mendicantes desistant prædicare, quòd parochiani non sint obligati saltem in Paschate confiteri proprio Sacerdoti, quia de jure tenetur parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti.* Resp. (quidquid sit de tempore istorum Pontificum) clarè constare ex concessionibus generalibus antè & posteà potissimùm factis, fideles posse semper Fratribus confiteri: non tenentur autem semel confessa, vi c. *Omnis utriusque sexûs* adhuc semel confiteri proprio Parocho; ut declarat *Benedictus XI.* Extrav. *Inter cunctas, de Privil.* Et contra *Joannem de Poliaco* definit *Joan. XXII.* Extrav. *Vas electionis, de Hæreticis*, declarans hoc esse erroneum, & à Catholicis mentibus respuendum. Non obstare autem constitutionem Canonis citati sano sensu intellecti, ait *Benedictus XI. supra*, eò quòd intelligendus sit ad summum de illis, qui peccata sua aliis potestatem habentibus confiteri neglexerunt. Deinde de Extravagante *Martini V.* non constat authenticè, aut certè ipsa numquam fuit usu recepta. *Sixtus IV.* verò solùm decernit id, quod præcipitur c. *Omnis utriusque sexûs*; adeòque non præjudicat privilegiis, ut ipsemet declarat, subjungens: *Per hoc tamen ipsi Fratres non censeantur exclusi, quò minùs secundùm Juris communis & privilegiorum eisdem concessorum dispositionem confessiones audire valeant.* Noluit itaque Pontifex ad servandam pacem, quam ibi componit, publicè prædicari, saltem adeò crudè, illud quod præmissum est, eò quòd in istis terminis id minùs rectè sonaret; etsi alioquin à parte rei non inhibeat Fratribus in Paschate confessiones parochianorum audire juxta privilegiorum suorum tenorem.

Respondetur ad Extravagantes Martini V. & Sixti IV.

8. Dico III. Possunt Regulares audire confessiones fidelium ubilibet, etiam in domibus privatis. Ita expressè *Paulus IV. Bullâ 3.* & *Julius II. in Confirmatione Ordinis Minimorum.* Idem patet ex usu. Ratio est, quòd hæc potestas non sit localis, sed personalis. Notat tamen *Portel V. Confessor Regularis num. 8.* ut licitè id fiat in Ecclesiis parochialibus, requiri licentiam. Sed indubiè sufficit probabiliter præsumpta. Immo nec hanc requiri ex tenore privilegiorum deducit *Chassaing Tract. 5. c. 2. propos. 5. in fin.* De quo quidquid sit, saltem meritò addit, non esse consultum id fieri contradicente Parocho.

Possunt iidem Confessarii excipere confessiones ubilibet, etiam in domibus privatis.

QUÆSTIO II.

A Quibus casibus possint Confessarii Regularium absolvere?

9. *Absolvere possunt ab omnibus casibus etiam Papæ reservatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ.*

PAulus III. Bullâ, *cùm inter cunctas* 7. in Bullario *Rodriguez* concedit presbyteris Societatis Jesu, & consequenter aliorum Ordinum in privilegiis cum illa communicantium (subintelligendum hodie, juxta formam *Tridentini* ab Ordinariis locorum approbatis) *quorumcumque utriusque sexûs Christi fidelium ad eos undecumque accedentium confessiones audiendi, & confessionibus diligenter auditis, ipsos & eorum singulos, ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi) absolvendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungendi, plenam & liberam facultatem.* Similem concessionem Congregationi Oratorii fecit *Sixtus V.* Bullâ, *Decet Romanum Pontificem*, expeditâ anno 1586. Non. Septemb. quam refert *Quaranta V. Confessor*, teste *Bassæo V. Casus reservatus.*

10. *Quæ modificatio facta sit pro Italia extra Vrbem.*

Fuerunt quidem prædictæ concessiones revocatæ per Decretum S. Congregationis anno 1601. die 9. Januarii; sed solùm pro Confessariis existentibus in Italia extra urbem Romæ, ut ex tenore decreti est manifestum. Pro quibus tamen illud ipsum Decretum anno sequenti die 26. Novembris fuit mitigatum jussu *Clementis VIII.* restitutâ facultate super casus papales, exceptis casibus contentis in Bulla Cœnæ: item violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constitutionis *Gregorii XIV.* quæ incipit: *Cùm aliàs nonnulli.* Violationis clausuræ monialium ad malum finem. Provocantium & pugnantium in duello juxta decretum sacri Concilii Tridentini & constitutionem *Gregorii XIII.* incipientem: *Ad tollendum.* Injicientium violentas manus in clericos juxta Canonem: *Si quis suadente* 17. q. 4. ac Juris dispositionem. Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Adempti denique manent in hoc decreto casus, quos Ordinarii locorum sibi reservarunt, vel in posterum reservabunt. Et hæc quidem pro Italia sola.

11. *Potuerunt ante Tridentinum absolvere etiam à casibus, quos Ordinarii sibi reservarunt.*

Præterea ex concessione Pontificum facta ante *Concilium Tridentinum* poterant Regulares Mendicantes absolvere à casibus Episcopo, sive à jure, sive ab homine reservatis. Nam *Eugenius IV. Bullâ* 11. *in Bullario Rodriguez* dedit Monachis Congregationis S. Justinæ facultatem absolvendi pœnitentes *ab omnibus & singulis casibus, præterquam Sedi Apostolicæ dumtaxat reservatis, nec non à quibuscumque sententiis Ecclesiasticis, censuris & pœnis, quas à jure vel ab homine latas incurrisse quomodolibet censebuntur.* Et *Sixtus IV.* Minoribus dedit facultatem *confessiones audiendi, & ab omnibus casibus Ordinario tam à jure quàm ab homine reservatis toties quoties opus fuerit absolvendi &c. sicut potest Diœcesanus.* Quod ipsis concessum esse etiam respectu sæcularium, patet ex generalitate verborum, & ex *Julio II.* in Confirmatione Ordinis Minimorum, apud *Rodriguez To. 1. q. 61. art. 3.* His accedit prælegata concessio *Pauli III.* in qua datur facultas absolvendi ab omnibus criminibus, quantumcumque gravibus & enormibus & eximuntur à potestate Regularium soli casus Bullæ Cœnæ, concessis omnibus ceteris, etiam Papæ reservatis. Ubi particula, *etiam*, non videtur limitans vel diminuens, sed potiùs augens. Ideoque in Jubilæis sub tali clausula censentur concessi etiam casus Episcopales. Atque ita hactenus intellexit usus. Immo, ipse *Gregorius XIII.* censuit hanc facultatem ibi esse concessam; ideoque anno 1583. die 10. Maij declaravit, non esse suæ intentionis derogare facultati concessæ Jesuitis (& consequenter aliis per communicationem) per declarationem quamdam Cardinalium, qui censuerant Regulares non posse absolvere à casibus Ordinario reservatis vi Maris magni aut aliorum privilegiorum; eamdemque facultatem, quatenus opus erat, de novo vivâ voce renovavit, ut refertur in *Compendio Societatis V. Absolutio.*

Sed prædictæ facultati plurimùm obstat Declaratio Cardinalium (quam probavit & servari mandavit *Vrbanus VIII.*) qui 1628. die 17. Novembris declararunt Regulares in vim Privilegiorum (subintellige, concessorum ante *Tridentinum*, ut patet ex s. Cap. contextu) aut confirmationum ejusmodi, non posse quemquam absolvere à casibus Ordinario loci reservatis. Quod proinde Decretum servandum est, ubi saltem authenticè publicatum vel receptum fuerit. Quamvis *Thomas Tamburinus l. 3. c. 7. num. 17. & seqq.* eo non obstante contendat facultatem præfatam adhuc competere Regularibus; nec malè, si (quod contendit) verum foret, eam fuisse de novo post *Tridentinum* concessam. Quamvis similiter multis doceat *Quintanadvenas* apud *Diana p. 9. Tract. 6. resol. 51.* idem Decretum non habere vim, præsertim ex defectu promulgationis & usûs. Ejusdem etiam Decreti vim evertere conatur *Bruno Chassaing de Privil. Regul. Tract. 5. c. 3. propos. 2.* Sed nolo (inquit *Diana suprà*) suscitare tragedias inter Regulares & Episcopos: ideo non discedo à negativa sententia. Immo Propositio inter damnatas ab *Alexandro VII.* ordine 12. est: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ aliâ Epis-*

Episcoporum facultate. Quare videant Confessarii Regularium, ne indebitis absolutionibus obstint suæ & proximorum saluti, nec hujusmodi casibus sese ingerant citra specialem facultatem (in qua concedenda Ordinarii debent esse faciles, utì certum est) nisi solidè constet, vel decretum præfatum in eorum diœcesi necdum obtinere vigorem (prout in variis diœcesibus per plurimos annos non viguit, immo omnino latuit) vel post *Tridentinum* de novo concessam fuisse à Sede Apostolica facultatem: quæ sunt facti, inquirenda à singulis quorum interest. Solùm observa mirum fortasse cuipiam videri posse, quòd in præfato Decreto supponatur, privilegia absolvendi à casibus Ordinario reservatis, sublata atque extincta fuisse à *Concilio Tridentino*: quod quidem (ut fatear hebetudinem meam) ex textu Concilii deprehendere nequivi: prout neque *Suarez To. 4. de Relig. l. 9. c. 3. num. 15.* qui ait, id sibi non esse probabile, eò quòd in Concilio nihil agatur de privilegiis vel derogatione eorum, sed declaretur jus divinum & commune tam quoad potestatem reservandi, quàm quoad effectum, qui sequitur positâ reservatione. Verùm sufficere nobis debet, quod authenticus Concilii Interpres sic intelligat.

Casus porrò reservati Ordinario in Diœcesi Mechlinienſi recensentur in *Pastorali Mechlinienſi* Tit. *de Sacram. Pœnit.* & sunt sequentes. I. Raptus virginum. II. Homicidium. III. Incendium ex deliberata voluntate procuratum. IV. Simonia. V. Sodomia. VI. Hæresis. VII. Apostasia. VIII. Incestus cum consanguineis aut Sanctimonialibus. IX. Injectio manuum violenta deliberato proposito cum læsione, in parentes facta. X. Sortilegium. XI. Adulterium notorium; & omnia delicta, quæ excommunicationem Ordinario reservatam annexam habent. Antverpiensis, Brugensis, Gandensis, Ruræmondensis & Iprensis, reservatio eadem est cum Mechlinienſi: eò quòd Pastorali ad usum totius illius Provinciæ impresso, inserta sit; Episcopus tamen Iprensis addidit casum Sacrilegii, ut constat ex statutis Synodalibus illius Diœcesis. In instructionibus modernis, quæ Confessariis ab Archiepiscopo dantur, additur, quod extra mortis articulum absolvere non valeant complicem in eodem secum peccato mortali externo quocumque contra castitatem, licèt aliàs habeant potestatem absolvendi à reservatis; nec ad hoc sint approbati.

QUÆSTIO III.

De Potestate Regularium in suos subditos.

DICO I. Regulares Prælati, Generales & Provinciales, possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus, à quibus possunt Episcopi de jure suos. Ratio est, quòd ipsi habeant potestatem quasi Episcopalem, ut loquuntur omnes Auctores (teste *Suarez To. 4. de Relig. Tr. 8. l. 2. c. 2. num. 9.*) in *Clem. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis*; & sumitur ex c. *Abbates de Privilegiis in 6.* ibi: *In quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent.* Jurisdictio namque in Regulares, quæ erat penes Episcopos, dum essent etiam ipsorum Prælati seu Superiores, translata est in Prælatos Regulares per exemptionem à jurisdictione Episcoporum, ne alioquin per exemptionem in favorem Regularium factam, essent ipsi eorumque Superiores effecti pejoris conditionis. 14. *Generales & Provinciales possunt circa subditos, quod de jure Episcopi circa suos;*

Hinc juxta *Sanchez, Henriquez, Rodriguez* & alios, ut refert & sequitur *Bassæus V. Abbas* §. 1. possunt absolvere suos subditos vi juris communis ab omnibus casibus papalibus occultis, utpote comprehensis sub jurisdictione Episcopali amplè accepta, ex concessione facta Episcopis in *Trident. sess. 24. c. 6. de Reform. Suarez* verò *d.* 41. *de Censuris sect. 2. num. 7.* ob quamdam Declarationem Cardinalium docet in hoc Decreto *Tridentini* non comprehendi Prælatos inferiores habentes jurisdictionem ordinariam & quasi Episcopalem, sed tantùm Episcopos privativè quoad omnes alios. Et hac tamen declaratione Cardinalium authenticè non constare, ait *Sanchez* apud *Bassæum suprà.* 15. *An iis competat potestas concessa in casus occultos Episcopis in Tridentino sess. 24. c. 6. de Reform. controversitur.*

Quidquid autem de hoc sit, extat expressa concessio & declaratio facta Ordini Prædicatorum à *Pio V.* Bullâ, *Romani Pontificis*, 13. in Bullario *Rodriguez*, in qua dicitur: *Ne Prior Conventualis & superiores Prælati dicti Ordinis in hac parte deterioris conditionis, quàm clerici aut sæculares existant, eisdem Priori Conventuali & superioribus Prælatis, ut ipsi per se ipsos idem omnino possint in fratres & moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in clericos & laicos sibi subditos, tam quoad absolvendi & dispensandi hujusmodi* (loquitur de facultate concessa Episcopis in *Tridentino* suprà) *quàm alias quascumque facultates, eisdem auctoritate & tenore etiam perpetuò concedimus & indulgemus ac etiam declaramus.* *Hanc facultatem & alias quâ formâ Pius V. extenderit ad Prælatos Regulares, etiam locales.*

DICO II. *Clemens IV.* concessit Generali & Provincialibus Ministris & eorum Vicariis Fratrum Minorum, ut possint absol- 16. *Quæ facultas sit con-*

cessa Generalibus & Provincialibus per privilegia.

absolvere suos subditos, etiam hospites ab omnibus peccatis commissis ante vel post ingressum Religionis, & à quibuscumque censuris à jure vel à judice generaliter promulgatis; nisi adeò graves & enormes sint, quòd sint ad Sedem Apostolicam meritò destinandi: ac ipsi simile beneficium possint obtinere à suis propriis Confessoribus, nempe juxta formam concessionis super absolutione & dispensatione Fratrum, ut addit *Sixtus IV.* in *Mari magno Minorum*, & *Mari magno Prædicatorum*, ubi prædictum privilegium confirmat, declarans quinam sint meritò ad Sedem Apostolicam destinandi; videlicet, Hæretici relapsi, Schismatici, falsificantes litteras Apostolicas, aut deferentes prohibita ad Infideles. *Suarez* tamen *de Religione suprà c.21. num. 2.* docet exceptiones illas esse subtatas & signanter *Gregorium XIII.* dedisse facultatem absolvendi etiam relapsos in hæresim.

17. *Qualiter hæc sit extensa ad Prælatos locales.*

Nota I. prædictam potestatem videri etiam extensam ad Prælatos locales, ut habet *Hieronymus Rodriguez Resol. 3. num. 1.* & patet ex concessione *Gregorii XI.* quæ refertur in *Mari magno Prædicatorum num. 41.* Restrictio autem facta à *Sixto IV.* in *Bulla aurea* (quæ est 20. apud *Rodriguez*) est sublata per eumdem, partim *Bullâ sequenti*, in qua eadem potestas conceditur Prioribus Conventualibus fratrum Prædicatorum Lumbardiæ & Hispaniæ, quam antea habuerant (quæ concessio per alia privilegia extenditur ad totum Ordinem, & consequenter communicatur Prælatis localibus aliorum Ordinum) partim *Bullâ 22.* in qua Prioribus Conventualibus relinquit Potestatem eis concessam per prædecessores, scilicet *Greg. XI.* Deinde restrictio eadem est sublata per amplissimas Privilegiorum confirmationes ex certa scientia factas.

Est hæc facultas per Prælatos delegabilis.

Nota II. prædictos Superiores posse ejusmodi absolutiones & dispensationes exercere, etiam per suos delegatos, juxta *Rodriguez*: nam potestas illa censetur quasi ordinaria, utpote perpetuo annexa officio seu dignitati; quam esse ordinariam docent Plurimi, quos citat & sequitur *Sanchez l. 2. de Matr. d. 40. num. 14. & 15. Portel V. Prælatus in addit. nu. 2.* Atque idem habet praxis.

18. *An quoad casus Bullæ Cœnæ cessent*

Sed dubium est an hujusmodi privilegia sint revocata quoad casus Bullæ cœnæ per annuam ejusdem Bullæ publicationem? Affirmant plurimi. Verosimilis passim habetur sententia negativa, quam docet *Rodriguez*, *Suarez*, *Diana p. 1. Tract. 5. Resol. 6.* plures citans. Tum quia non videtur præsumenda in Pontificibus ea inconstantia, ut quod hodie concesserunt, mox ipsi vel alii per solitam Bullam revocent: ob quod videntur varii, signanter *Sixtus V.* & *Clementis VIII.* inseruisse Bullæ hanc Clausulam: *Nisi in eis etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur.* Tum quia consonant variorum Pontificum concessiones sive declarationes apud *Bassæum V. Abbas n. 8. §. 5.* signanter *Gregorii XIII.* ut refertur in *Compendio Societatis V. Bulla Cœnæ.* Verùm attendenda sunt verba Bullæ utentis clausulis multum derogatoriis; optandaque foret apertior S. Sedis decisio. Vide *disp. 6. q. 2. num. 16.* unaque recolatur memoriâ, quod *Alexander VII.* reprobaverit doctrinam hujus articuli, qui est ordine quartus: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Quòd à fortiori ad ceteros Regularium confessarios extenditur. Apertè enim repugnat Generali *Bullæ Cœnæ* dispositioni & specialissimis derogationibus in ea contentis.

Immo ut rectè notat *Rodriguez*, *Suarez* & alii, hæc privilegia se extendunt etiam ad casus à Pontifice reservandos post ipsorum privilegiorum concessionem, nisi satis specialiter illis derogetur. Probatur: tum quia sensus privilegiorum non est, dari facultatem absolvendi à peccatis pro tunc reservatis, quando datur privilegium, sed quando fit confessio & danda est absolutio: tum quia Papa concedit ista privilegia ut perpetua & generalia ad omnes casus reservatos: tum quia sunt favorabilia in solius concedentis præjudicium cedentia, adeoque latè interpretanda. Confirmatur: quia si oppido concedatur exemptio, crescente oppido totum censetur exemptum. Et si Papa præsentationem beneficiorum alicujus provinciæ det regi, extenditur jus etiam ad illa, quæ postea eriguntur c. *Quia circa, de Privileg.* Et hinc colligitur idem esse dicendum de facultatibus competentibus Confessariis Regularium quoad absolvendum sæculares à casibus Papæ reservatis. Ideoque possunt hi absolvere pugnantes in duello; etsi reservatio hujus casûs sit posterior: nisi quòd existentes intrà Italiam extra urbem ex speciali Decreto *Clementis VIII.* nequeant ab hoc casu absolvere.

DISPU-

DISPUTATIO OCTAVA.

De Sigillo Confessionis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Sigillum Confessionis, & quo jure obliget?

SIGILLUM per metaphoram significat obligationem occultandi secretum sibi ab aliquo commissum: ac velut per antonomasiam attribuitur singulari obligationi exactissimè servandi secretum de rebus in Confessione expositis. Quæ obligatio est maxima, ut apud omnes Doctores & fidei Christianæ professores est notissimum, adeò ut ex gravissima quacumque causa, sive privata, sive publica, secretum Confessionis pandi nequeat, sivè directè, sive indirectè; sive verbis, sive factis aut aliis signis.

Obligatio hujus secreti sacramentalis est præcepta jure Ecclesiastico, ut patet ex perpetua praxi & observatione totius Ecclesiæ, quæ hoc saltem convincit. Item ex c. *Sacerdos, dist. 6. de Pœnitentia, & c. Omnis utriusque sexûs, de Pœnit. & Remiss.* ubi dicitur: *Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem ... quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad perpetuò agendum pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.* Quæ pœna est ferendæ sententiæ, & solùm concernit illos, qui frangunt sigillum per revelationem alicujus peccati, non autem qui alio modo illud lædunt, neque etiam illos, qui non sunt Confessarii, etsi alioquin sigillo teneâtur: cùm verba dirigantur ad Sacerdotes seu Ministros. De quibus etiam specialiter loquitur *Rituale Romanum Tit. de Sacr. Pœnit.* requirens ex parte ministri *sigillum secretæ confessionis, sub exacto perpetuoque silentio.*

Certum nihilominus est, hujus secreti obligationem habere altiorem originem, quàm ex præcepto præcisè Ecclesiastico: cùm ipsa sit illo prior, nec possit Ecclesia hanc obligationem tollere, aut aliquâ ratione imminuere, aut in ea dispensare.

Unde est præterea obligatio juris naturæ non violandi secretum Confessionis: nam jus naturæ generatim obligat ad servandum secretum, cujus revelatione proximus infamaretur, vel quod expressè aut tacitè servare promisimus: quod utrumque in præsenti locum habet. Ita *Scotus dist. 21. quæst. 2. num. 10.*

Verùm etiam ex hoc capite non sufficienter desumitur tam gravis & rigorosa in quocumque casu hujus secreti obligatio: nam quantum est ex hac parte, posset absque gravi peccato violari, quando materia est levis: immo absque omni peccato, quando necessarium foret ad conservationem v.g. Reipublicæ, & generaliter quando præponderaret aliquod majus bonum vel majus debitum: quemadmodum etsi secretum naturale & jus proximi ad suam famam obliget, tamen ad vitandum majus malum communitatis vel tertii innocentis potest, immò quandoque debet violari.

Hinc firmior adhuc obligatio fundatur in ipsa institutione Sacramenti; quâ suppositâ, ratio dictat illicitum esse Sacerdoti aliquid facere, quo Confessio fieret odiosa, aut homines ab ea saltem integrè facienda meritò arcerentur; vel addere onus Confessioni, quod Christus non apposuit: hoc autem fieret, si Sacerdos posset aliquid revelare. Deinde pœnitens excusatur à confitendo peccato, quod Confessarius sine ipsius licentia revelaret; ergo ex obligatione confitendi pro quovis casu sequitur in Confessario obligatio tacendi peccatum: quo enim casu posset non tacere, atque adeò non taceret, non teneretur pœnitens illud confiteri: ut patet ex institutione Sacramenti, & modo, quo à Christo facta est. Denique si in aliquo tandem casu possent audita in confessione pandi, etsi hic fortè ad pœnitentem talem vel talem non spectaret, timor tamen, quòd cùm indeterminatè interdum id liceat, aliquando ad ipsum quoque pœnitentem spectaret, meritò eumdem à confessione revocaret.

4. *Accedit deinde obligatio fundata in ipsa institutione Sacramenti.*

Nihilominus hæc omnia non convincunt, debuisse Confessionem sic institui, ut nullo casu Christus eam revelari permitteret, illo præsertim quo ipse pœnitens ex se obligaretur pandere vel Confessario licentiam dare. Vide *Arriaga disp. 45. sect. 1.*

Quare supposito quòd cetera non sufficerent ad arctissimam hujus secreti obligationem in quocumque casu, etiam quoad peccata venialia seu aliàs confessa mortalia, quæ non sunt sub obligatione exprimenda: certa adhuc esse debet ista obligatio, ex præcepto saltem positivo Christi omnibus Confessariis injuncto; de quo ex ipsa praxi perpetua & existimatione Ecclesiæ sufficienter constare debet, posito quòd in aliis ista obligatio non satis fundetur. Quæ quidem obligatio est maximum lenimentum ipsius oneris confitendi. In qua similiter elucet mirabiliter divina pro-

Ipsamq; positiva lex Christi.

providentia, ut in tanto Sacerdotum à fide diversis temporibus apostatantium numero vix aut ne vix ullus reperiatur, à quo ratione revelatarum confessionum quisquam fidelium præjudicium aliquod notabile passus esse sciatur.

5. *Frangens sigillū graviter peccat contra religionem, etsi peccatum sit leve: nisi excuset indeliberatio.*

Itaque frangens sigillum committit gravissimum sacrilegium contra religionem, nisi excuset indeliberatio; idque juxta Doctores communiter, quantumvis peccatum revelatam sit leve: nam semper grave est revelare Confessionem: sive necessarium semper & maximi momenti est, quòd secretum sit totum negotium Confessionis; cui proinde sit grave semper præjudicium, etiam in levi peccato revelando: etsi improbabiliter unus aut alter putarit dari hîc levitatem materiæ, aut non esse mortale, quando leve peccatum dicitur absque eo, quòd significetur esse dictum in Confessione. Admittit tamen *Lugo disp. 23. num. 71.* & refert nec improbat *Aversa quæst. 18. sect. 1. §. Quarto* posse generari suspicionem adeò levem, ut moraliter censeatur nulla, adeoque tantùm venialis revelatio: aut etiam posse dari veniale ex parte periculi, quod leve sit ingerendi levem similiter suspicionem de rebus in Confessione auditis.

An excuset levitas cognitionis seu suspicionis,

Qualiter præterea peccet contra famam & secretum naturale.

Insuper committit peccatum detractionis obligans ad restitutionem famæ proximi, ac injustitiæ contra pactum secreti, grave, vel leve, prout res revelata cedit in grave vel leve detrimentum famæ aut revelationis secreti.

6. *Confessarius crimen aliundè sibi notum salvo sigillo manifestare potest.*

Adverte tamen Confessarium, qui aliundè crimen novit, posse absque fractione sigilli illud aperire, modò non manifestet ullam circumstantiam ex sola Confessione cognitam, neque firmiùs aut aliter asserat, quàm faceret, si Confessionem non audivisset. Quare non potest etiam dicere, talem pœnitentem, v. g. publicam meretricem aut homicidam, ob publicum delictum suspensum, sibi esse confessum ista peccata; etsi alioquin omnibus forent nota: quia sic præberet novam notitiam confessionalem. Aliàs quoque ob imprudentiam aut ignorantiam ea quæ verè dubia, vel non formalia peccata, vel non publica sunt, præsumerentur esse certa, formalia ac publica, & ut talia dicerentur, non sine gravi Confessionis odio.

7. *An peccet contra secretum naturale frangens sigillum in casu, quo cessante sigillo non esset obligatio secreti.*

Petes, quid si casus sit, quòd vi naturalis secreti non obligaretur Confessarius pœnitenti, eò quòd redundet in grave damnum publicum aut innocentis; sed tantùm ratione Sacramenti: peccabitne Confessarius revelans contra justitiam ratione pacti inclusi in secreto? *Vasquez q. 93. art. 4. dub. 1.* existimat, quòd talis peccaret contra solam religionem, eò quòd pœnitens non sit dignus, ut ei servetur secretum naturale ut tale. Sed oppositum apparet verius: quia ratione pacti impliciti obligatur ad non revelandum secretum, quando non fuerit necesse, undecumque id oriatur? in casu autem non est necessitas revelandi, immo nec facultas, ratione Sacramenti; adeoque & pactum generale secreti vim retinet, & dignus manet pœnitens, ut alter stet sibi promissis, manentibus rationabilibus pacti conditionibus.

QUÆSTIO II.

Ex qua Confessione oriatur Sigillum?

RESPONDEO ex omni & sola Confessione sacramentali. Ita omnes Doctores. Estque manifestum: cùm ex tali Confessione resultet tamquam proprietas, vel ei propter specialem rationem ejusdem sit à Christo annexum: adeoque omni & soli convenire debet.

Censetur autem, quantùm ad præsens attinet, Confessio sacramentalis, non tantùm illa, quæ est completa per legitimam absolutionem, sed generaliter omnis, quam pœnitens primo se accusandi facit ei, quem bonâ fide credit esse Sacerdotem, in ordine ad absolutionem percipiendam, etsi illam ob indispositionem aut alias causas non percipiat. Ita communiter Doctores.

Dixi: *Ei quem bonâ fide credit esse Sacerdotem*: quia etsi revera non esset Sacerdos seu Confessarius, Confessio censeretur sacramentalis, induceretque sigillum; cùm à pœnitente dirigatur ad Sacerdotium, cui Christus annexuit potestatem absolvendi, errorque tantùm consistat in facto circa materialem qualitatem Ministri. Secùs est contra Nonnullos, si quis scienter confiteatur Laico, quàmvis putet, aliquando v. g. in absentia Sacerdotis, esse Laico confitendum: quia tunc est error juris, & versatur circa formalem conditionem Ministri, scilicet Sacerdotium; quæ proinde à confitente non intenta, non potest Confessionem illius facere sacramentalem.

Dixi etiam: *Animo se accusandi, & in ordine ad absolutionem*: quia si fiat ad alium finem, v. g. ridendi Sacramentum Pœnitentiæ, pelliciendi Confessarium ad peccatum, petendi dumtaxat consilium &c. non censetur Confessio sacramentalis, nec inducit sigillum: nam revelatio non potest generare odium Sacramento, quod non intenditur. Ita communiter Doctores. Unde teste *Bassæo V. Confessio VII. n. 6.* ita declaratum fuit Romæ in casu cujusdam Cardinalis, qui ad alium accesserat prætextu Confessionis, volens eum in conceptæ contra Pontificem conspirationis crimen pertrahere. Similiter quàmvis petens consilium velit Sacerdotem obligare sub sigillo

Con-

Confessionis, verè non obligat: quia sigillum non imponitur pro libitu hominum, sed ex institutione Christi consequitur Confessionem sacramentalem. In hoc tamen casu frequenter contingit Confessarium ad tacendum obligari, non tantùm ex secreto naturali pro capacitate materiæ, sed etiam ratione scandali; cùm rudiores plerumque putent simili intentione dicta à Confessario cadere sub sigillum.

Dixi denique, *etiamsi illam non percipiat*: quia sigillum non est appositum absolutioni, sed Confessioni. Deinde Confessio esset summè odiosa & onerosa: cùm pœnitentes, præsertim graviores, meritò timerent, ne quando ratione indispositionis suæ, aut malitiæ Confessarii, vel ob aliam causam absolutio sibi negetur, & consequenter peccata absque fractione sigilli valeant propalari. Unde etsi quis confiteatur ferè desperans de absolutione accipienda, ob indispositionem quam in se sentit, si tamen intendat absolvi casu quo per industriam Confessarii disponatur, Confessio illius est Sacramentalis, & cadit sub sigillum. Quòd si Confessarius dubitet, an Confessio sit Sacramentalis, an non, tenetur ad sigillum, eò quòd præsumendum sit in favorem Confessionis & pœnitentis, ne Confessio fiat odiosa. Quare hîc locum non habet libertas loquendi, in cujus possessione videtur esse Confessarius: contra illam enim prævalet ex voluntate Christi periculum certum avocandi Fideles à Sacramento Pœnitentiæ.

QUÆSTIO III.

Quænam cadunt sub Sigillum Confessionis?

Dico I. Cadunt sub sigillum peccata mortalia, etiam in genere tantùm expressa; item venialia, saltem in specie aut etiam certo seu determinato genere expressa; insuper eorum circumstantiæ, quatenus reipsâ sunt, aut saltem existimantur necessariæ ad explicationem peccati. Ita communiter Doctores. Ratio est, quòd illa sint directa materia Confessionis, vel talia, sine quibus, spectatâ conditione pœnitentis, non potest directa materia explicari, quæ proinde si non caderent sub sigillum, fieret Confessio summè odiosa.

Conclusio intelligitur de peccatis etiam publicis: quando enim affirmarentur ex scientia confessionali, daretur nova & certior notitia, fierentque magis publica, & nati essent sequi abusus Confessioni odiosi.

Dixi in Conclusione, *mortalia etiam in genere*: quia est injuriosum Confessioni & pœnitenti dicere, etiam tantùm in genere, de Petro v.g. Peccavit mortaliter.

Dixi insuper, *venialia saltem in specie*: quia non est contra sigillum dicere in genere: Talis mihi fecit confessionem suorum peccatorum, confessus est peccatum veniale; quia hoc non facit Confessionem odiosam, sed in ea necessariò vel saltem ad minimum invenitur. Idem censent Doctores communiter, etsi dicatur, Petrus est mihi confessus venialia: quia neque hoc Confessionem facit odiosam. Secus est, si diceretur, illum habuisse multa aut gravia venialia. Idem est de pœnitentia imposita adeò levi, ut solùm indicet Confessionem aliquorum venialium ut sic: secùs est de pœnitentia aliquantùm gravi, quæ proinde denotare posset mortalia aut multa vel grandiuscula venialia subfuisse. Similiter non frangitur sigillum dicendo: Talis mihi fecit confessionem generalem totius vitæ, nisi præberetur occasio suspicandi pœnitentem habuisse casus reservatos, aut debuisse repetere Confessiones irritas, vel aliud simile.

13. *Quid de venialibus in genere expressis,*

Item de pœnitentia levi imposita,

An liceat dicere, Petrus instituit apud me confessionem generalem.

Addunt etiam communiter Doctores, non esse illicitum dicere, Petrus sola venialia confitetur. Quia tamen ex hoc & similibus modis loquendi per accidens natum est fieri præjudicium aliis pœnitentibus (dum enim de uno dicitur, quòd tantùm venialia confiteatur, & de aliis tacetur, ingeritur de his contraria suspicio) hinc vel non nisi cum maxima cautela est similibus loquendi modis utendum, vel potiùs ab iis est omninò abstinendum.

14. *Cautela pro praxi.*

Dico II. Dispositio pœnitentis cadit sub sigillum, ut si pœnitens careat dolore, proposito emendationis &c. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia cùm dispositio pœnitentis tamquam circumstantia culpæ deferatur ad idem tribunal, debet cum illa cadere sub sigillum, quatenus nata est tribunal illud reddere odiosum, si carentia dispositionis reveletur.

15. *Dispositio pœnitentis cadit sub sigillum.*

Hinc violat sigillum, qui simpliciter dicit se non absolvisse Petrum: nam etsi ob varias causas potuerit absolutio suspendi, tamen ex tali modo loquendi ingeritur audientibus, Petrum vel esse impœnitentem, vel habere casum reservatum vel subesse aliquid aliud grave. Unde si Confessarius rogetur, an Petrum absolverit, quem reipsâ non absolvit, corripiat petentem ob impertinentiam petitionis, dicatque se esse functum suo munere, vel transmittat rogantem ad ipsum pœnitentem, vel interrogationem aliâ interrogatione aut amphibologiâ prudenter eludat. Non violaret tamen sigillum, qui diceret se non absolvisse Petrum, quia nullam dederat materiam, aut quia subitò evocatus postea rediens Petrum non reperit. Quòd si urgeatur dare schedulam pœnitenti, quem non absolvit,

16. *Corollaria practica.*

det illam factâ mentione Confessionis sacramentalis solius. Idque expedit etiam tunc facere, quando absolutio est secuta. Alioquin sine mendacio non potest ei, quem non absolvit, dare testimonium absolutionis. Nil porrò melius, quam in quavis occasione usurpare constanter similes loquendi formulas, ne diversus loquendi modus gignat de aliquibus siniſtram suspicionem.

17. *Defectus naturales, qui explicantur in ordine ad confessionem seu notitia peccatorum, cadunt sub sigillum.*

Dico III. Defectus naturales, qui dicuntur à pœnitente in ordine ad confessionem ac explicationem suorum peccatorum & communicandum statum suæ conscientiæ, cadunt sub sigillum: nam hoc totum requiritur ad cautelam pœnitentium & libertatē ac securitatem Confessionis, quæ alioquin fieret valde odiosa: cùm pœnitentes subinde mallent sua peccata revelari, quàm similes naturales defectus. Cōfirmatur: quia si pœnitens timeret tales defectus esse revelandos, licitè taceret ea peccata & circumstantias, in quibus confitendis deberet tales defectus exponere: ergo Confessarius vi sigilli sacramentalis debet ea silere. Unde si pœnitens confiteatur: Defectu natalium sum irregularis, & sic sacros Ordines suscepi: Deficit mihi doctrina debita, & sic officium Medici, Advocati &c. exercui: Sum scrupulosus, idque indico, ut de peccatis & statu conscientiæ rectiùs judices &c. His & similibus casibus obligatur Confessarius sub sigillo tacere similes defectus naturales, juxta receptam Doctorum sententiam. Quamvis *Vasquez q. 93 art. 4. dub. 3.* existimet illos non cadere sub sigillum, quando inde nullo modo potest deveniri in notitiam peccati, v.g. si inhabilis ad sacros Ordines defectu natalium, illos non suscēperit, sed tamen confiteatur se habuisse animum illos suscipiendi non obstante hoc defectu. Secùs si Ordines jam suscēperit, eò quòd tunc revelando defectum natalium revelaretur hoc ipso peccatum in Ordinum suscēptione commissum. Hæc tamen distinctio non est admittenda, & ex prædictis satìs refutata manet.

Declaratur exemplis.

Vasquez tamen contradicit, quando inde nequit venire in notitiam peccati.

18. *Quid censendum de defectibus, qui deprehenduntur ex ipso confessionis exercitio.*

Aliud est juxta *Navarrum c. 8. Manualis num. 12.* (quem sequuntur alii communiter, teste *Diana p. 5. Tract. 11. resol. 50.*) de defectibus naturalibus, quos pœnitens non cōfitetur, quique ad confessionem non deserviunt, sed qui deprehenduntur ex ipso exercitio Confessionis, v.g. quòd pœnitens sit prolixus in loquendo, molestus, duri ingenii in capiendis iis, quæ illi dicuntur, suis minutiis & nugis frangat caput Confessarii: hæc enim deprehenduntur, non ex accusatione pœnitentis, vel tamquam pertinentia ad materiam Confessionis, sed ex ipsa rei evidentia, sicut deprehenditur, quòd pœnitens sit juvenis vel senex, promptus vel impeditus in loquela &c. Cavendum saltem summopere; ne cum pœnitentium offensione aut scandalo aliorum hujusmodi pœnitentium defectus in fabulam aut derisionem adducantur, non sine irreverentia ipsius Sacramenti? Immo *Thomas Tamburinus l. 5. c. 3 n. 18.* contendit omnino id repugnare sigillo, utpote sub quod cadat quidquid pœnitenti odiosam seu onerosam facit confessionem; prout facit revelatio hujusmodi defectuum quando non sunt passim noti. Qualiter è contra noti sunt esse blæsum, calvum &c. quos proinde fatetur sic Auctor *n. 19.* non cadere sub sigillum. Quod etiam fatetur ibidem de blasphemiis vel contumeliis in Confessarium sub confessione prolatis, eò quòd ista non sit vera Confessio.

Similiter vi sigilli non tenetur Confessarius tacere, quòd pœnitens sit Prætor, nobilis aut similibus qualitatibus præditus, etsi pœnitens eas explicaverit occasione Confessionis suorum peccatorum; quando id nullam potest gignere suspicionem peccati. Non tenetur etiam Confessarius occultare bona & virtutes pœnitentis, nisi ratione secreti naturalis, juxta qualitatem materiæ & intentionem pœnitentis, durante vitâ ipsius, si id velit ipse: nam illorum relatio Confessionem reddit odiosam, nec solent in Confessione explicari animo se accusandi. Ita *Malderus Tract. de Sigillo c. 15. Bonacina* & alii. Similiter non tenetur vi sigilli tacere, quæ ex aliqua occasione incidente narrantur tamquam impertinentia ad Confessionem.

Dico IV. Peccatum complicis, quod pœnitens, sive justè, sive injustè, revelat in Confessione ad explicationem sui status, cadit etiam sub sigillum; ut docent unanimiter Doctores: nam hoc spectat etiam ad libertatem & securitatem Confessionis, quæ aliàs fieret odiosa. Idem est de peccatis aliorum, quæ pœnitens instar querelæ aut occasionis sui peccati manifestat in ordine ad suum peccatum explicandum, v.g. si adultera narret se malè à viro exceptam, ideoque in adulterium lapsam esse, peccatum viri etiam sub sigillo continetur. Vide *Malderum c. 16.*

Ubi notandum, valde reprehendendos esse, qui se accusando aliis detrahant, sicq; confessionale faciunt officinam detractionum, & multò magis Confessarios, qui talia tolerant; dicam, ne fovent.

Paulò alter in præsenti Conclusione *Aversa sup. §. Septimo* sub finem procedit dicendo, quòd si pœnitens occasione alicujus facti alieni, quod proinde in Cōfessione narrat, commiserit & confiteatur aliquod peccatum, v.g. invidiam de opibus aut officio collato Joanni, judicium temerarium de furto in civitate commisso, non cadant per hoc talia facta seu objecta sub sigillum, sive pœnitens narret illa tamquam publica, vel supponens esse Confessario nota,

nota sive absolutè & simpliciter, etsi tamquam aliàs ignota narrentur. Et consentit ex parte *Thomas Tamburinus l.5.c.3.n.14.* quoad ea quæ narrantur tamquam publica, quasi hæc sola non censeantur à pœnitente committi sigillo.

Nota I. non tantùm violari sigillum, quando directè & explicitè notificatur persona, quæ fecit peccatum in Confessione auditum, sed etiam indirectè seu implicitè, etsi tantùm ingeratur suspicio. Ita Doctores communiter: & satis indicatur. c. *Omnis, utriusque sexûs.* Ratio est, quòd pœnitenti fit æquè onerosum, sivè implicitè, sive explicitè peccatum suum reveletur; quòdque suspicio sit quædam imperfecta cognitio, quæ suo modo etiam infamat peccatorem, etsi minùs, quàm perfecta cognitio. Hinc cavere debet Confessarius, ne suspiriis, aufterioribus gestibus, aut simili modo ingerat aliis suspicionem alicujus gravioris peccati. Similiter si paucos habeat pœnitentes, cavere debet, nè multùm loquatur de auditis in Confessione: immo ne quidem etsi habeat plures, si sit coram multis in eodem oppido: facilè enim alicui ingeritur occasio ex iis, quæ aliquando audivit, aut fortè auditurus est, cognoscendi aliquem in particulari, vel saltem de illo suspicandi. Cavere etiam debet, ne nimiùm laudet aliquem pœnitentem ex Confessione: facilè enim datur suspicio cogitandi alios quos non laudat, non esse laude dignos.

Nota II. Etsi facilè possit subesse scandalum, non tamen frangi sigillum Confessionis, si Confessarius dicat, in tali civitate esse multos improbos, gravia crimina committi; quia nulli pœnitenti fit injuria, cùm (ut suppono) de nullo in particulari vel suspicio quidem ingeratur. Ita *Navarrus, Henriquez, Bonacina* & alii contra *Vasquez*. Major difficultas est, si loquatur de aliquo loco non valde amplo, aut dicat de aliquo monasterio gravia scelera in eo committi: quia hoc modo infamatur talis communitas, atque in singulos istius communitatis, adeoque in ipsum pœnitentem aliquid infamiæ aut suspicionis redundat. Immo eatenus videri potest esse contra Sigillum, ut Varii tenent cum *Diana P.5. Tr.11. Res.35.* Neque etiam licentia pœnitentium sufficeret ad excusandum à detractione, quâ læderetur familia ipsa, cujus juri cedere ipsi nequeunt. Verumtamen ibi prudenter attendendum esset, an Communitas censeatur per hoc notabiliter læsi. Alii verò censent id non repugnare sigillo. Sed loquuntur in casu, quo nulla penitùs suspicio gigni potest de ulla particulari persona; ut *Aversa q.18. sect. 4. §. Sextò* Plures citans, & addens non videri communiter Confessarios reputare se per hoc frangere sigillum. Saltem improbandi omnino sunt hujusmodi abusivi modi loquendi.

QUÆSTIO IV.

Quinam obligentur servare sigillum Confessionis.

RESPONDEO obligari omnes, qui immediatè vel mediatè aliquid norunt ex confessione. Est apud omnes certum. 24. *Obligati Sigillo,*

Hinc obligatur primò Sacerdos Confessionem excipiens, immò & laicus se pro Sacerdote gerens, ut ex antè dictis patet. *Primò Confessarius.*

Secundò obligatur interpres, juxta Doctores communiter contra *Cajetanum* & *Dominicum Sotum* apud *Suarez d. 33. sect. 4.* qui tamen admittunt interpretem obligari secreto, quod nullo casu violari possit. Probatur: quia Secretum esse ex se tale, ut nullo casu sit violabile, est quædam proprietas sigilli Sacramentalis. Deinde interpres censetur quid unum cum Confessario, ejusque minister & velut instrumentum, adeoque manifestatio ei facta censetur pertinere ad Confessarium. Præterea Sacramentum aliàs fieret odiosum: cùm Confessio subitò fieri nequeat sine interprete. Et quamquèm regulariter ipsa tunc non obliget; fideles tamen habent jus ad illam, & per consequens ut sine periculo revelationis eam facere possint: quemadmodum Confessio venialium, etsi non obliget, inducit tamen sigillum. Unde ratio obligandi Confessarium etiam locum habet in interprete; quem proinde pariter à Christo esse adstrictum sigillo, meritò existimatur. *Secundò Interpres.*

Tertiò, qui alterius Confessionem dolosè audivit, nō tantùm mortaliter peccat propter injuriam tum proximo tum Sacramento illatam, sed etiam obligatur sigillo juxta Doctores communiter; immo etiam sigillo obligatur, etsi casu vel sine culpa ob angustiam loci vel imprudentiam pœnitentis aut Confessarii peccata audiverit. Ita communiter Doctores. Nam talis notitiam cōparavit ex sola narratione confessionali ad Confessarium dumtaxat directa. Idem est de eo, qui vultum aut gestus Confessarii observat, ut inde gravitatem peccatorum & statum pœnitentis conjiciat. Secùs est de illo, qui præter Confessarium spontè à pœnitente adhibetur pro majori sui confusione: tunc enim confessio virtualiter est duplex; sacramentalis, quatenus dirigitur ad Confessarium, non sacramentalis autem & per modum humiliationis, quatenus dirigitur ad alterum. Ita *Coninck dub.3. n.46.* Si verò pœnitens confiteatur coram aliis ex necessitate, v.g. in naufragio, in parvo cubiculo, intendens quantum est de se soli sacerdoti manifestare, omnes audientes ligantur sigillo, utì interpres & casu transiens. Similiter qui legit chartam continentem alterius peccata descripta in ordine ad faciendam Confessionem, 25. *Tertiò aliùs Confessionem dolosè, aut etiam casu inculpabili audiens.* *Non is quē pœnitens spontè ad id assumit prò sui confusione;* *Secùs, si id fiat ex necessitate v.g. tempore naufragii.*

Quid de legente chartam, in qua sunt scripta peccata.

sionem, etsi graviter peccet propter injuriam proximo illatam, tamen juxta Doctores communiùs non tenetur sigillo confessionis, sed secreto naturali: cùm scriptio illa non sit pars confessionis, sed præparatio ad illam: quare scripturam legens non magìs obligatur sigillo, quàm si furtivè audiret alterum clarâ voce sua peccata examinantem, aut ad juvandam memoriam recitantem.

26. *Quartò obligatur is, cui confessarius sacrilegè revelat,*

Quartò obligatur sigillo is, cui Confessarius sacrilegè Confessionem revelat: non minùs quàm is, qui casu aut malitiosè audit peccata confitentis. Et planè id necessarium est ad securitatem Confessionis & cautelam pœnitentium. Ita communiter Doctores. Idemque est de quibuscumque

Et ad quos cumque ea notitia pervenerit.

ad quos notitia eadem, quantumvis mediatè devenerit, quam primùm norunt provenire ex Confessione nam tota hæc notitia in quemcumque pervenerit, est sigillata; nec posset ex ea judex moveri.

27. *Varii sciùs censent ac eo cui revelatus sit de licentia pœnitentis.*

Probabile tamen est illos, quibus de pœnitentis consensu sive licentia (supposito quòd ea sufficiat; de quo *quæst. seq.*) facta est revelatio, eo ipso non teneri sigillo. Ita *Vasquez* & alii: cùm enim talis revelatio non sit necessaria ad finem Sacramenti sive absolutionem etiam directam, non videtur sigillum, quod Sacramento in favorem ejusdem est annexum, extendi pro libitu pœnitentis ad alios, quibus Confessio ex pœnitentis libertate revelatur. Deinde Confessarius non videtur tunc moraliter agere in sua persona, sed velut instrumentum pœnitentis, adeoque sicut dum pœnitens extra Confessionem alicui tertio peccata sua refert, hic non obligatur sigillo, sic nec videtur obligari, dum pœnitens ea refert mediante Confessario. Vide *Coninck dub.* 3.

Corollariũ.

Hinc Varii consequenter censent, Doctorem seu Consiliarium, qui de licentia pœnitentis super ipsius Confessione consulitur, Superiorem, à quo de pœnitentis consensu licentia absolvendi à casibus reservatis petitur, non teneri sigillo Confessionis; sed tantùm arctissimo secreto naturali; quod juxta *Coninck* nullo etiam casu violari possit.

28. *Opposita sententia infertur & declaratur:*

Dixi *probabile esse*: ut innuerem id non esse certum, cùm Varii putent esse pœnes arbitrium pœnitentis concedere licentiam cum transfusione sigilli. Quod saltem probabilissimum est, quando hæc licentia est necessaria vel opportuna ad perficiendam Confessionem. Quo casu deberet juxta *Aversa q.* 18. *sect* 7. Confessarius alteri insinuare, se loqui de pœnitentis licentia ex scientia Confessionali, ut alter sciat se obligari sigillo. Aliàs existimat sigillum quod in favorem & levamen Sacramenti institutum est, non posse ad alienos fines, etsi honestos, pro libitu pœnitentis transfundi. Quemadmodum idcirco etsi obligentur sigillo, qui ex necessitate, puta in naufragio, Confessionem pœnitentis audiunt, non tamen ii, quos sponte tamquam auscultatores suæ Confessionis apud Sacerdotem institutæ assumit. Immo indiscriminatim Plurimi censent teneri sigillo consiliarium de licentia pœnitentis consultum, & superiorem, à quo petitur licentia absolvendi à reservatis: eò quòd hi sint velut ministri Sacramenti, supplentes clavem scientiæ vel potestatis. Quod quidem certum est, dum persona notificatur intrà specialem licentiam: probabilissimum verò, quando (quod rarum est) sine notificatione personæ non potest rectè peti consilium vel potestas: securissimum denique, & maximè favorabile Sacramento, generatim intellectum. Sanè Christus potuisset sic voluisse; & congruè ad securitatem & simplicitatem pœnitentium. Certum quoque est, esse obligationem arctissimi secreti naturalis; immo quod nullo casu revelari queat: hoc ipsum autem est proprietas quædam sigilli.

Quintò denique satis constat ipsum pœnitentem non obligari sigillo, quod in favorem illius inductum est, ad tacendum dicta Confessarii. Quàmvis indubiè obligari possit secreto naturali quoad ea, quæ sibi tali lege specialiter commissa & acceptata forent: quod non est frequens. Obligatur etiam celare ea, quæ honori seu existimationi Confessarii obesse possunt, juxta regulas communes justitiæ & charitatis.

QUÆSTIO V.

Qualiter liceat usus notitiæ Confessionis extra illam?

DICO I. Non licet extra Confessionem agere cum pœnitente absque ipsius licentia de auditis in Confessione, juxta Doctores communiter, qui etiam consentiunt id esse grave peccatum: nam hoc esset odiosum Sacramento & pœnitenti, si Confessarius ipso invito posset ei refricare memoriam peccatorum, eumque semper novo pudore afficere. Quare Confessarius nè quidem severum vultum pœnitenti Confessionis causâ licet ostendere: id enim esset tacitè exprobrare peccatum.

Sed dissentiunt Doctores in nomine, an dicenda sit violatio sigilli. Et quidem si mendo illud strictè pro obligatione non revelandi aliquid ei, cui erat ignotum, non est violatio sigilli. Prout non est violatio secreti naturalis, si quis de eo loquatur cum persona ipsa, quæ secretum commisit. Quare nec incurritur pœna ordinaria revelantibus Confessionem imposita. Si autem latiùs sumatur, pro obligatione etiam non

agendi

agendi de rebus in Confessione auditis cum onere seu rubore pœnitentis, est violatio sigilli. Et hic modus dicendi fundatur in hoc, quòd ista obligatio verè oriatur ex secreto Confessionis, quòd ita debeat manere sigillatum, ut de eo extra confessionem loqui etiam cum pœnitente non liceat; secus quàm obliget secretum naturale.

Dixi *absque ipsius licentia*: nam si pœnitens verbis vel etiam factis det licentiam, v.g. si ipsemet Confessario loqui incipiat de narratis in confessione, potest indubiè de illis loqui Confessarius: hoc enim nullo modo pœnitenti aut Sacramento est odiosum. Aliàs communis Sententia tradit, non sufficere licentiam præsumptam, sed requiri verbo aut factis expressam, ob favorem pœnitentis & Sacramenti. Quæ quidem licentia à piis, causâ rationabili cognitâ aut creditâ, facile obtinetur.

Dixi etiam *extra confessionem*: quia praxis Doctorum & timoratorum satis declarat, posse ex causa rationabili in foro Pœnitentiæ mentionem fieri eorum, quæ in prioribus Confessionibus sunt dicta, monendo pœnitentem, differendo subinde absolutionem &c. Et certè nisi liceret Confessario in subsequentibus Confessionibus uti scientiâ ex prioribus acquisitâ; ad quid suadetur fidelibus, ut pro majori fructu spirituali unum servent Confessarium? Ita *Malderus* & alii passim contra *Fagundes* & *Diana*.

Adverte ex *Præposito q.11. dub. 5. Tannero* & aliis contra *Fagundes* & *Diana* Confessarium posse monere pœnitentem in eadem Confessione etiam post absolutionem: etsi enim per punctum absolutionis finitum sit Sacramentum quoad essentialia, potest tamen adhuc durare sacramentale judicium & officium Confessarii: ad quod spectat instruere, punire, curare; quod totum non debet facere ante absolutionem, sed etiam potest statim post, utì tunc posset imponere pœnitentiam vel priùs impositam moderari.

DICO II. Probabile est, non licere etiam de licentia pœnitentis, audita in Confessione aliis revelare. Ita *Scotus dist. 21. q. 2. n. 18. Alensis, Durandus* & plures alii, præsertim antiquiores, & novissimè *Marchant Tom. 1. Trident. Tract. 4. q. 6. appendice 2.* Ratio est, quòd sigillum sit introductum, non tantùm in favorem pœnitentis, sed etiam Sacramenti: pœnitens autem etsi possit renunciare juri suo, non tamen juri Sacramenti; quod fieret odiosum, etsi revelatio fieret de licentia pœnitentis. Sicut etsi Clericus posset renunciare privilegio in sui favorem specialem concesso, non tamen concesso in favorem statûs clericalis cum ejusdem præjudicio.

Juxta hanc sententiam non potest Confessarius quidquam dicere de auditis in confessione, nisi acceperit eorumdem notitiam non confessionalem. Ad quod non requiritur, ut omnia sigillatim extra confessionem repetantur; sed sufficit, ut pœnitens dicat: Ea quæ in confessione dixi, extra confessionem sint dicta, aut quid simile. Sicut enim Confessario scienti peccata pœnitentis potest ingeri cognitio sacramentalis dicendo, Confiteor peccata tibi nota, vel quæ antea retuli: ita etiam scienti peccata intrà Confessionem, potest ingeri unico verbo scientia non confessionalis, sive hoc fiat ante, sive post datam absolutionem.

non Confessionalis.

Quæ potest dari sub brevissimo compendio.

Nihilominus probabilissimum est, & tenent plerique, præsertim Recentiores, sufficere solam expressam licentiam pœnitentis: tum quia sic docent graves Doctores & passim recentiores: tum quia per revelationem factam de licentia pœnitentis non videtur ita fieri præjudicium Sacramento: dici enim posset, huic non fieri præjudicium, nisi fiat pœnitenti, adeoque hoc cedente juri suo, cessare præjudicium alioquin inferendum Sacramento.

35. *Oppositum tamen fere communiter docetur.*

Hâc autem sententiâ suppositâ, quæritur ulteriùs, an licentia pœnitentis sufficiat ad revelandum peccatum complicis? Nam *Vasquez* censet requiri etiam licentiam complicis, eò quòd sigillum quoque sit in illius favorem. Sed meliùs *Suarez, Malderus, Præpositus* & alii censent sufficere licentiam pœnitentis, ut in bonum ipsius liceat uti scientiâ ex confessione acquisitâ, v.g. ut ipse pœnitens juvetur contra insectationem complicis: nam peccatum complicis sub sigillum cadit solùm secundariò, quatenus id redundat in favorem pœnitentis, adeoque dum favor pœnitentis requirit peccatum complicis aperiri, nihil vetat, quin id liceat de consensu pœnitentis, cui ipsique Confessioni sic providetur, odiumque rationabile Confessionis cavetur. Confirmatur: tum quia ipse pœnitens sigillum induxit confitendo; ergo etiam solvit: tum quia solvit ipse sigillum circa peccata propria, quæ tamen principaliter sub illud cadunt: ergo faciliùs circa aliena, quæ solùm reductivè & indirectè eò spectant.

36. *Quo supposito, sufficit licentia pœnitentis etiam ad revelandum peccatum complicis.*

Ex quo sequi videtur ejusdem pœnitentis licentiam sufficere ad monendum complicem, cùm illa sola solvat ligamen sigilli: quamquàm plurimi id negent. Ideoque ad vitandum periculum irreverentiæ in Sacramentum, & incommodis obviandum, tutius est & consultius, ut si monendus sit complex, negotium aperiatur extra confessionem. Utì idem consultius est circa ipsum pœnitentem, ne scilicet etiam de licentia ipsius reveletur peccatum ipsius, nisi habitâ scientiâ non confessionali.

37. *Immo insuper ad monendum complicem.*

Quod suadendum pro praxi.

Petes, An sicut obligatio sigilli solvitur circa peccatum complicis solâ licentiâ pœnitentis, sic similiter solvatur solâ licen-

38. *Non sufficit tamen licentia solius complicis.*

lâ licentiâ ipsius complicis? Resp. Neg. quantum ad sigillum Sacramenti attinet; quod in ordine ad complicem obligat primariò in favorem ipsius pœnitentis. Alioquin hujus licentia non facit, quin si Confessarius propalet, peccet contra justitiam peccato detractionis secundùm regulas justitiæ: & licentia complicis faceret non esse tale peccatum; etsi tunc adhuc peccaretur contra Religionem.

39. *Circa licentiam petendam, quæ servanda.*

Cavendum verò, ne licentia revelandi confessionem sit dubia vel extorta, sed ut sit satis explicita & clara ac spontanea: aliàs enim Confessarius licentiam extorquens, aut extortâ vel dubiâ utens, non esset immunis à gravi culpa. Immo non convenit, Confessario dari aut ab ipso acceptari similes licentias, nisi ex causâ pia & rationabili. Sufficit autem juxta omnes ad valorem licentiæ, ut oretenus concedatur: & Sacerdoti de concessione sibi facta testimonium perhibenti creditur, incumbitque onus pœnitenti probandi contrarium, saltem quando revelatio sigilli in bonum pœnitentis vel alterius cessit. Aliundè autem regulariter non expedit licentiam in scriptis postulare, eò quòd onerosum id esset pœnitenti, & periculo majoris publicationis expositum. Præterea magnâ cautelâ opus est Confessario, dum pœnitentem obligat (utì interdum obligare potest & debet) ad revelandum v.g. complices machinantes in perniciem reipublicæ, revocandum falsum testimonium; vel aliquid aliud agendum, cui annexa est peccati sui vel Confessionis ejusdem detectio; ne illum gravet, nisi in casu, quo verè ad hoc erat obligatus. Et convenit magis, ut Confessarius simpliciter insinuet pœnitenti, quòd revelanda revelet ei cui debet, quàm ut affectet vel se affectare insinuet licentiam manifestandi sibi committi. Quòd si verò pœnitens nolit per se sive per alium manifestare, non poterit ob hoc Confessarius sine licentia id facere, sed hic debet illum velut indispositum sine absolutione remittere. Alioquin intolerabilis est abusus eorum, qui studiosè hujusmodi licentias affectant & urgent, etiam citra necessitatem aut justam causam, moxque sine discretione Episcopis seu Prælatis denuntiant, unde hi in exteriori regimine interdum miserè falluntur, ac alii etiam innocentes opprimuntur, dum nimis facilè creditur dictis mulieris alicujus venumdatæ ut faciat malum, etiam mediâ Confessione.

Non debet dari scripto.

Cautela servanda in casu, quo pœnitens obligatur revelare aliquid confessionis.

40. *Licitus est usus notitiæ Confessionalis citra revelationem aut pœnitentis gravamen.*

Dico III. Potest Confessarius uti confessionali scientiâ ad sui directionem, ubì non est periculum divulgationis, nec pœnitenti obvenit aliquis pudor aut damnum: idque sive ipse pœnitens advertat hunc usum notitiæ confessionalis, sive non: quia tunc usus illius scientiæ est honestus; nec pœnitenti, nec confessioni odiosus, sæpèque valde utilis, & nullibi prohibitus.

Hinc Confessarius potest orare pro pœnitente; potest abstinere à factis ex quibus noverit alium sumere ansam odii vel indignationis; potest consulere doctiores, ut in simili casu possit aliis consulere. Potest occasione auditorum in Confessione cautiones fieri in evadendo damno tam corporali quàm spirituali, atque etiam alios in similibus instruere. Item potest ob confidentiam ei à pœnitente ostensam in confitendis gravissimis peccatis, & cum magnis pœnitentiæ signis, peculiari affectu & beneficiis illum prosequi, quantumvis pœnitens intelligat id ex Confessionis notitia provenire. Insuper si sacerdos in Confessione cognovit sibi parari à pœnitente insidias, & ideo domo non exeat, etsi pœnitens advertat id oriri ex scientia suæ confessionis, nullum inde pudorem vel incommodum patitur, nec ob id rationabiliter retraherentur homines à confessione, inquit *Sanchez l. 3. de Matrim. disp. 16. n. 4.* Similiter potest abstinere à Confessione ei incepsa facienda ei, quem ex Confessione sibi factâ novit non esse sacerdotem, quàmvis antè ei consuevisset confiteri. Item si Superior ex Confessione noverit nocturnum aliquorum egressum per certum locum, posset juxta *Cominck disp. 9. dub. 4. n. 68.* id impedire, ibi quæsito colore aliquid ædificando, aut struem lignorum erigendo, si absque ulla aliorum suspicione id facere possit. Et juxta *Thomam Tamburinum l. 5. c. 7. n. 15.* vocatus à pœnitente, qui pluries noluit tollere occasionem v.g. proximam peccati, potest declinare, si alii id non advertant, nec quidquam sinistri conjicere queant, eò quòd ob hoc non retraherentur fideles à Confessione, immo magis ad eam cum debita dispositione faciendam excitarentur. Hoc tamen difficultatem habet. Faciliùs admitti posset, quando Confessarius sic occultè subtrahit se, ut nec pœnitens advertat; quomodo multi sine ullo scrupulo se solent nemine advertente subtrahere, quando videnti venientes ad Confessionem aliquos ex his, quos sciunt habere intricatas conscientias & graviora peccata, seu non adeò bene dispositos; præsertim quando id faciunt ad vitandas perplexitates propriæ conscientiæ, nec desunt alii Confessarii. De quo vide *Arriaga disp. 46. n. 3. & seqq.*

Sed difficultas est, quando alii socii peccatorum, seu quibus peccata pœnitentis aliundè erant nota, inde adverterent seu conjicerent prædicta procedere ex notitia confessionali v.g. si sacerdos sciat ex confessione unius complicis vinum missæ esse veneno infectum, vel eum, si domo exeat, esse occidendum, an possit à celebratione abstinere, & domi se cohibere, si complices suspicentur conspirationem ex confessione unius ex ipsis ad aures Sacerdotis perve-

perveniſſe. Id enim negat *Suarez*, *Averſa* & alii. Sed licèo aſſerit *Scotus diſt.* 21. *q.* 2. *n.* 20. *Coninck*, *Thomas Tamburinus* & plurimi alii: eò quòd per hujuſmodi actiones Confeſſarius non revelet aliis peccatum, ſed ſolùm denotet Petrum v. g. complicem ſibi eſſe confeſſum; quod non videtur violatio ſigilli: cum nil fiat, unde aliàs ignari veniant in notitiam peccatorum; utì venirent, ſi Confeſſarius diceret, Petrus confeſſus eſt mihi talia peccata. Idemque conjicerent complices ex hoc ipſo, quòd Petrus coram illis confiteretur, & à Sacerdote abſolveretur vel quòd hic diceret Petrum cum magno dolore confeſſum &c. Proinde aliud eſt juxta *Tamburinum l.* 5. *c.* 6. *n.* 4. facto ipſo pateſacere peccatum, aliud eſt ſimulato aliquo prætextu facere, ſeu omittere aliquid, ex quo alii aliundè peccatum ſcientes ſumant occaſionem ſuſpicandi peccatum eſſe confeſſum. Prius eſt omnino illicitum, poſterius licitum eſt aliquando, immo non raro debitum; cùm non ſit ulla detectio nec verbo nec facto exhibita. Ita *Tamburinus*.

Altera difficultas eſt de actionibus ipſi pœnitenti ingratis, ſeu gravamen aliquod ei adferentibus, an Confeſſarius vi notitiæ confeſſionalis poſſit eas exercere, ſi vel nullus id poſſit advertere, vel certè ſolus pœnitens. Et inprimis certum eſt non licere ex confeſſione exercere actiones ſpectantes ad juſtitiam vindicativam, v.g. aliquem punire in corpore, privare officio vel beneficio ad quod habet jus acquiſitum: quia tales actiones, præterquam quod redderent Sacramentum ſummè odioſum, requirunt probationem in foro externo. Immo ſi aliquis judex contra ſubditum interrogaſſet teſtes, proceſſum inſtituiſſet, vel quid ſimile aggreſſus eſſet, atque appareret hos actus initium habuiſſe à notitia quantumvis tenui habita in confeſſione, omnes ejuſmodi actus, utpote invalidi, reſcindi ab eodem, & à quocumque alio judice, qui id reſciret, omnino deberent.

Solùm igitur dubium eſt de actionibus ſpectantibus ad juſtitiam diſtributivam, miſericordiam, aliamve virtutem: v. g. an poſſit quis ex confeſſione negare ſuffragium ad aliquod officium vel beneficium: amovere ab officio eum, quem ad nutum poteſt amovere, negare licentiam exeundi ex domo, negare Sacramentum Euchariſtiæ, aſſiſtentiam Matrimonii &c. quando inde non ſequitur etiam indirecta revelatio Confeſſionis.

Dico IV. Etſi probabile ſit has actiones quantum eſt ex natura rei licitè exerceri ex ſcientia confeſſionali: probabiliſſimum nihilominus eſt Chriſtum in inſtitutione confeſſionis eas generaliter inhibuiſſe. Prima pars patet: tum quia pro ea militat auctoritas tot tantorumque virorum, nimirum *Alenſis*, *D. Thomæ*, *D. Bonaventuræ*, *Scoti*, *D. Antonini* & aliorum graviſsimorum Auctorum, quos ultra triginta refert *Sanchez*, *l.* 3. *d.* 16. Tum quia per dictas actiones nulla fit revelatio ut ſupponitur; & gravamen pœnitentis videri poteſt minoris momenti, quàm bonum ex uſu talis ſcientiæ conſequens, adeoque non videatur Chriſtus tales actiones prohibuiſſe. Tum ob alias rationes, quas refert *Sanchez ſuprà n.* 2. & *Caſtro Palao de Sacram. Pœnit. diſp. un. pu.* 19. §. 3. *n.* 19. Idque facilius apparet, quando gravamen pœnitentis eſt tale, ut ipſemet teneatur ſubire, v.g. ſi ſit officio indignus ſeu ad illud incapax, ſimiliter indignus Sacramento &c. Immo Plures cenſent tali caſu ſuperiorem teneri ad utendum ſcientiâ confeſſionali. Quod tamen plures alii negant, eò quòd uſus notitiæ confeſſionalis, adeò alienæ ab humano commercio, tam difficilis & periculoſus ſit, ut non debeat Confeſſarius ad illum obligari.

45. *Quod valde difficile in caſu, quo pœnitens ex ſe gravamen ſuſtinere non deberet.*

Difficilius autem eſt, an hic uſus liceat quando gravamen eſt tale, ut pœnitens non teneretur illud ſubire: tunc enim videri poteſt eſſe illicitus, eò quòd Confeſſio inde pleriſque redderetur valde odioſa: quæ etiam ob hoc ipſum poſſet dimidiari, v.g. ſi pœnitens ſit quidem officio dignus, Confeſſarius tamen ei non det ſuffragium, eò quòd ex Confeſſione advertat pœnitentem ſibi non eſſe amicum vel intuliſſe damnum &c. Neque in hoc diſſentit *Scotus* & fortè plures alii Auctores referri ſoliti pro prima parte Concluſionis. Immo hâc ratione, ac ne Superiores in uſu ſcientiæ excederent quandoque terminos debitos, putat *Joannes Poncius diſp.* 46. *q.* 13. editum fuiſſe Decretum *Clementis VIII.* concernens tamen ſolos Regulares, eoſque non omnes, hujuſmodi tenoris: *Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarii, qui poſtea ad ſuperioris gradum fuerint promoti, caveant diligentiſsimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Ex quibus verbis infert *Præpoſitus* non licere præfatis Superioribus ex notitia confeſſionali clauſuram meliùs cuſtodire, vel oſtium claudere. Sed hoc negat *Coninck* & alii, eò quòd tales actiones non videantur ſpectare ad exteriorem gubernationem, perſonarum ſcilicet particularium, de qua loquitur Pontifex.

Decretum Clementis VIII. quoad Regularium Superiores.

46. *Opinio probabiliſſima negat prædictas actiones licere.*

Secunda Pars, quam docent Recentiores paſſim cum *Sanchez ſup. n.* 4. & *Caſtro Palao ſup. n.* 20. probatur: tum quia actiones illæ avertunt pœnitentes à Confeſſione: tum quia Superior ſic agendo cenſetur peccatum confeſſum tacitè objicere pœnitenti, præbendo fundamentum ſuſpicandi eas fieri ob Confeſſionem. Quare meritò cenſetur Chriſtus ſic ſtatuiſſe, ut ſicut humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento longiſsimè diſtat, ita nullatenus ab

eo pendere debet. Estque hæc opinio favorabilior Sacramento & pœnitentibus, & omnino in praxi suadenda, præsertim in casu quo gravamen est tale, ut pœnitens illud ex se non teneatur subire. Maximè autem hæc opinio est practicanda à Superioribus Regularium in exteriori regimine ob Decretum *Clementis VIII.* Ex quo tamen immeritò Nonnulli tentarunt deducere usum istum scientiæ Confessionalis esse illicitum ex Jure divino aut naturali. Potuit enim Pontifex ob periculum abusuum prohibuisse usum aliàs licitum; ut rectè deducit *Arriaga* & alii passim.

DISPUTATIO NONA.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

QUÆSTIO I.

An Extrema Unctio sit Sacramentum?

1. Extremam Unctionem non esse Sacramentum contendunt Hæretici.

RITUM Unctionis infirmorum è numero Sacramentorum auferre conati sunt *Waldenses, Albigenses, Wiclef,* & post illos *Lutherus* & ceteri Hæretici recentiores: inter quos *Calvinus, Kemnitius* & alii non solùm Sacramentum esse negant, sed etiam more suo irridٍent hunc ritum, ut refert *Bellarm. lib. de Extrema Unctione c. 1.*

Veritas Catholica docet esse propriè Sacramentum.

Verùm Ecclesia Catholica constanter affirmat extremam Unctionem esse verè & propriè dictum Sacramentum novæ Legis. Ita enim tradit *Concilium Florentinum in Instructione Armenorum*, & *Tridentinum sess. 14. c. 1. de extrema Unctione* & *can. 1.* & omnes Theologi.

2. Patet ex Iacobi 5.

Probatur I. ex *Jacobi 5. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ubi clarissimè exprimitur materia, tum remota, tum propinqua; item forma, subjectum, minister & effectus Sacramenti.

Varia Hæreticorum effugia innata.

Hujus loci adeò clari efficaciam variè conati sunt eludere Hæretici, sive negando Epistolam esse canonicam, ut negavit *Lutherus*; cùm tamen pro canonica illam agnoscat tota antiquitas: sive impudenter dicendo, quòd etsi esset Jacobi Apostoli, ei non licuerit Sacramentum instituere; utì ineptè respondet idem *Lutherus*, quasi verò Apostolus errasset, qui utique Sacramentum non instituisset sine privilegio singulari. Immo verè non instituit, sed illius jam instituti usum fidelibus commendavit. Unde *Tridentinum suprà* docet esse à Christo Domino nostro institutum, & (ut addit *c. 1.*) *per Jacobum Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum.* Non quòd reliqui Apostoli cum ceteris fidei mysteriis illud quoque non tradiderint & promulgaverint, sed quia specialiùs S. Jacobus ipsum promulgavit, litteris consignando cap. 5. Epistolæ.

Communis autem evasio ejusdem *Lutheri* & reliquorum est, quòd Apostolus loquatur de curatione corporum per donum miraculorum. Sed refutatur primò, quòd Apostolus agat de re frequentandâ apud quosvis fideles infirmos; inter quos tamen non est tam frequens curatio per miraculum. Quinimmo miracula in signum data sunt, non fidelibus, sed infidelibus 1. *ad Cor.* 14. ut proinde non sit credibile Jacobum monuisse fideles ut ordinariè recurrerent ad miracula. Secundò non diceret *Inducat presbyteros*, sed potiùs, Inducat eos qui habent gratiam curationum; quam nec omnes, nec soli presbyteri habent. Tertiò per donum miraculorum non solent remitti peccata, sicut promittitur huic Unctioni. Adde donum curationum non ita fuisse adstrictum certæ materiæ, sed illo præditos varia ex divina inspiratione materiam adhibuisse, aut etiam aliquando nullam.

Neque dici potest Jacobum loqui tantùm tunc viventibus: quia tam antecedentia quàm consequentia etiam ad nos pertinent; nec ullum est indicium, ex quo colligatur, ista verba Apostoli restringi ad tunc viventes. Quod autem Hæretici allegant, Apostolum docere, ut infirmus inducat Presbyteros, id est, ætate seniores, & quidem plures; nullius est momenti. Nam per Presbyteros ibi intelliguntur Sacerdotes, prout intellexit semper antiquitas, & declarat *Tridentinum sup. c. 3. & can. 4.* Prout etiam in novo Testamento nomen Presbyteri seu senioris ferè ubique accipitur pro ministro Ecclesiastico, Sacerdote scilicet vel Episcopo, qui est Sacerdos summus. Quod autem de pluralitate presbyterorum adducitur, agendo de Ministro hujus Sacramenti dissolvetur.

Probatur II. Veritas Catholica ex Patribus. *Augustinus serm. 215. de temp.* ait, *Quotiès Veritas aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & Sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat, & inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros &c.* Ubi *Augustinus* expressè respicit ad verba Jacobi, eaque

eáque intelligit de cerimoniâ suo tempore usitatâ, quam conjungit Eucharistiæ. Idem clarissimè tradit *Innocentius I. Ep. 1. ad Decentium Eugubinum Episcopum c. 8.* ubi præmisso testimonio Jac. 5. subdit: *Quod non est dubium, de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua suorum necessitate inungendo*; aliàs, *ad ungendum*. Deinde adjungit Unctionem, tum ab Episcopis, tum à Presbyteris adhiberi posse. Et postea inquit: *Nam pœnitentibus illud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Alia testimonia Patrum & antiquissimorum Conciliorum insuper adfert *Bellarm. lib. de Extrema Unctione c. 4.* & alii.

Eamdem veritatem Nonnulli probant ex *Marci 6.* ubi Apostoli leguntur unxisse oleo multos ægros. Tamen illa Unctio non fuit sacramentalis, sed figura quædam hujus Sacramenti, ut apertè innuit *Tridentinum sup. c.* 1. dicens, illud esse *apud Marcum quidem insinuatum*. Quod insuper probatur ex eo, quòd hæc unctio videatur passim fuisse collata ægris, etiam non baptizatis, ad quos Apostoli præcipuè mittebantur. Deinde conferebatur etiam infirmis de vita non periclitantibus, v. g. cæcis, surdis &c. Tertiò administrabatur ab Apostolis, qui tunc necdum erant ordinati Presbyteri. Denique per illam tantùm conferebatur sanitas corporalis: quæ omnia in Unctionem sacramentalem non quadr...

Congruentia sumitur ex divina providentia & clementia Redemptoris nostri: quâ etiam utitur *Trident. sess. 14. in proœmio de extremâ Unctione*. Nam cùm Redemptor noster servis suis quovis tempore voluerit de salutaribus remediis adversùs omnia omnium hostium tela esse prospectum, ideoque adjutoria Sacramentorum aliorum instituerit, quibus juvaremur in ingressu Ecclesiæ & progressu; non est credendum, defuisse ejus providentiam in egressu, quin similiter extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio muniverit: præsertim cùm tunc homo maximè indigeat auxilio, quando ob vim morbi difficiliùs potest (experientiâ teste) mentem ad Deum attollere; & resistere dæmoni in ultimo certamine fortiùs impugnanti. *Nam* (inquit *Tridentinum suprà*) *etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ nervos intendat, ad perdendos nos penitùs, & à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perspicit.*

Quando autem Christus hoc Sacramentum instituerit, non ità constat. Omnino satis videtur non fuisse institutum ante Resurrectionem: etsi fortè modus benedictionis servandæ circa oleum, uti circa chrisma, sit à Christo in ultima Cœna traditus. Cùm enim Extrema Unctio sit appendix quasi Pœnitentiæ, ejusque consummativum, juxta *Tridentinum suprà* (quod proinde doctrinam illius per modum appendicis subjunxit doctrinæ de Pœnitentia) instituti non debuit, nisi instituto Sacramento Pœnitentiæ ejusque ministris, quod contigit post Resurrectionem *Ioan. 20.* quando Apostoli sunt instituti completè Sacerdotes, datâ nimirum eis potestate etiam super corpus Christi mysticum. Ad quam potestatem quoque spectat ministerium hujus Sacramenti, uti Pœnitentiæ. Ut proinde Sacerdos tantùm incompletè ordinatus, acceptâ scilicet potestate consecrandi corpus Christi verum, uti non posset absolvere, sic nec infirmos sacramentaliter inungere. 8. *Quo tempore Christus hoc Sacramentum instituerit.*

Posset autem Sacramentum extremæ Unctionis rectè describi, quòd sit *Sacramentum novæ Legis constans Unctione sacri olei & deprecatione Sacerdotis adhibitâ infirmo periclitanti, ordinatum ad salutem animæ, atque etiam, ubi expedit, ipsius corporis.* Quæ descriptio ex dicendis post hæc in præsenti disputatione amplius patebit. 9. *Descriptio hujus Sacramenti.*

QUÆSTIO II.

Quæ sit materia hujus Sacramenti?

MATERIAM remotam extremæ Unctionis esse oleum olivæ, expressè tradit *Florentinum in Instructione Armenorum.* Idemque satis colligitur ex *Iacobi 5.* & *Tridentino suprà c. 1.* ubi pro materia assignatur oleum; quod simpliciter positum secundùm usum Ecclesiasticum stat pro oleo olivæ. Quod unicum quoq; est verum oleum absolutè & simpliciter loquendo, conformiter ad derivationem nominis, quæ sumitur ab olea, quæ est olivarum planta. Ut proinde liquores ex aliis rebus expressi solum cum addito nominentur oleum, puta nucum, amygdalarum &c. Quare sicut nomine aquæ in Baptismo intelligitur naturalis, quæ simpliciter dicitur aqua, ita hîc nomine olei intelligitur oleum olivarum. Et hic semper fuit sensus & usus totius Ecclesiæ. 10. *Materia remota est oleum olivæ.* *Quod simpliciter censetur nomine olei.*

Quocirca extranea & aliena sunt, quæcumque oleo miscerentur, non minùs balsamum, quàm quivis alius succus aut liquor. Ideoque nihil aliùd oleo misceri debet, ut etiam ex ipso exercitio Ecclesiæ satis patet. Nec tamen obstaret statim valori quævis, etiam minima additio alterius materiæ, *Ei ni. miscendum, ne quidè Balsamum: Non quævis tam ē mixtio officeret valori.*

teriæ, modò remaneat verum oleum simpliciter, etsi v. g. balsamum. Sicut enim manet aqua Baptismi, etsi chrisma ei admisceatur: sic etiam potest oleum sic mixtum retinere speciem & usum olei.

11. *An Chrisma Confirmationis sit apta hujus Sacramenti materia, aut olim adhibita.*

Unde putat *Suarez d. 40. sect. 2.* materiam Confirmationis esse aptam etiam pro hoc Sacramento, & fortè aliquando ab Ecclesia usurpatam; cùm etiam antiqui subinde materiam illius vocent Chrisma ab Episcopo confectum. Sed hæc est conjectura infundata: cùm chrismatis nomine olim vocaretur etiam quævis unctio, & specialiter usu Ecclesiæ Unctio sacra. Immo etiamnum sic vocatur in benedictione hujus Sacramenti. Nec est vestigium in Historiis vel Ritualibus sive Euchologiis de ista materiæ mutatione. Dicitur autem confectum, id est, consecratum, per simplicem scilicet Episcopi benedictionem, quâ oleum fit materia apta Sacramenti. Sanè Concilia (in quibus se fundat *Suarez*) loquuntur de materia necessaria; & tamen constat chrisma Confirmationis non esse materiam necessariam. Immo ob defectum benedictionis requisitæ (de qua statim) potiùs apparet sacrum Chrisma (idem est de oleo Catechumenorum) non esse aptam materiam: etsi enim sit benedictum in ordine ad effectum Confirmationis; non tamen in ordine ad finem & effectum hujus Sacramenti. Unde in *Synodo Mediolanensi V.* præscribitur: *Parochus, si per errorem aliud oleum, quàm quod infirmorum est, ad ægrotum ungendum umquam adhibuerit, etiamsi Chrismatis aut Catechumenorum sit, ut erratum emendet, Olei sacri, quod proprium infirmorum est, unctionem eidem adhibeat; tunc que Sacramenti formam iteret.* Quàmvis de cetero forma benedictionis relicta sit determinationi Ecclesiæ, sic ut nimirum Christus solùm voluerit super oleum invocari nomen Domini accommodè ad finem & effectum hujus Sacramenti. Facilè tamen admiserim Chrisma sufficere posse ad valorem, tum Confirmationis, tum extremæ Unctionis, si foret benedictum duplici benedictione proportionatâ.

12. *Benedictio de necessitate Sacramenti requiritur,*

Non sufficere autem oleum usuale, sed de necessitate Sacramenti requiri, ut sit specialiter ad hunc effectum hoc est, ad esse aptam materiam Sacramenti benedictum, sicut in Sacramento Confirmationis; docent pro indubitato quicumque de hac re scripserunt; nisi quòd oppositum probabile censeant *Victoria, Serarius & Ledesma*; ac saltem ex dispensatione Pontificis, *Paludanus* apud *Aversa de extrema Vnct. sect. 2.* Sed auctoritates præsertim *Florentini & Tridentini* requirunt oleum benedictum, quo denotant substantiam Sacramenti, uti in Confirmatione. Neque loquuntur tamquã ex se præcipiendo, sed tamquam docendo, quod ex ipsa institutione necessarium est, Quod etiam perpetua ac numquam ullo casu intermissa praxis Ecclesiæ satis ostendit. Absque sufficienti tamen fundamento id Aliqui conantur deducere ex verbis *Jacobi 5. Vngentes eum oleo in nomine Domini*, scilicet benedicto. Nam potiùs indicatur intentio & forma ungentium, quòd scilicet hi ungant in nomine Domini; quàm benedictio ipsius unguenti, quasi hoc ob benedictionem dicatur oleum in nomine Domini.

Immo essentialiter requiri benedictionem Episcopalem, docent communiùs Doctores: eò quòd *Florentinum* dicat: *Materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum.* Et *Tridentinum: Intellexit Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.* Cùm enim Concilia strictè & dogmaticè loquantur, non videntur requirere aliquid ad materiam, quod ei non est essentiale; saltem nisi oppositum aliundè constet.

Nihilominus benedictionem Episcopalem, non sic esse de essentia, quin potestas hoc oleum benedicendi possit extraordinariè committi, saltem à Pontifice Parochis seu simplicibus Sacerdotibus, docent varii Recentiores doctissimi. Quàmvis enim *Tridentinum* & *Florentinum* eodem planè stylo loquendi utantur hîc, quo utitur *Florentinum*, dum agit de benedictione Chrismatis; quam non posse committi simplici Sacerdoti contra Nonnullos docuimus *disp. de Confirmatione q. 2. n. 26.* non esse tamen parem hîc necessitatem Episcopalis benedictionis, aliundè sufficienter colligi videtur. Nam Chrismatis quidem benedictionem semper fuisse Episcopis propriam, numquã aliis commissam, etiam quibus commissa fuit ministerium Sacramenti, ne quidem apud Græcos, constat; nec est unde colligatur cum apparentia, illud benedicere posse Sacerdotem ex commissione. At in præsenti agitur de Sacramento, cujus minister etiam ordinarius est Sacerdos; adeoque non mirum, quòd sit extraordinarius ipsius benedictionis olei: maximè cùm constet id jugiter fuisse practicatum apud Græcos etiam ante schisma, ut ex eorumdem Euchologiis etiam antiquis constat. Nec fuit hic mos umquam versus in dubium, aut de super mota difficultas, ne quidem in *Concilio Florentino.* Deinde eumdem morem videtur approbasse *Clemens VIII.* in Instructione super Ritibus Græcorum directa ad Episcopos Latinos dicens: *Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta, præter Chrisma, ab Episcopis diœcesanis accipere; cùm ejusmodi olea ab eis in ipsa olearum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur ac benedicantur.* Similiter *Neophytus Rhodinus* in sua Synopsi vernacula jussu sacræ Congregationis de propaganda fide approbata, ejusque impensis Romæ edita (ut refert *Jacobus Goar* Dominicanus *in Notis Euchologii ad Officium Olei seu extremæ Vnctionis num. 19.*) ait:

ait: *Materia Sacramenti extremæ Vnctionis est oleum olivæ, à Pontifice, vel à Sacerdotibus, qui præsentes fuerint, juxta Ecclesiæ morem benedictum.* Pro quo

Nota oleum quidem annuè benedici solemniter per Episcopos in Cœna Domini, etiam apud Græcos: at totum ipso tempore insumi Unctioni ceremoniali adstantium: qui communicaturi omnes se in expiationem peccatorum ungendos offerunt, Episcopo primò Unctionem de manu Oeconomi accipiente. Hinc facultas istud denuò consecrandi ex antiquo more videtur remissa Parochis quibuscumque, qui non asservant istud in vase separato, sed occurrente necessitate recens à se benedictum adhibent; illudque benedicunt concurrentibus sex aliis Sacerdotibus. Ita refert *Jacobus Goar* in moribus orientalis Ecclesiæ versatissimus *suprà n. 22. & seqq.*

Porrò ex ipso usu & praxi Ecclesiæ Latinæ sacrum oleum, uti chrisma, quotannis est renovandum. Idemque expressit *Rituale Romanum Tit. de Sacramento extremæ Vnctionis* dicens: *Singulis annis feriâ quintâ in Cœna Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est.* Quàmvis de obligatione dubitent *Henriquez* & *Ledesma* apud *Aversa sect. 2. in fine*; eò quòd non sit expressum in jure canonico tale præceptum de Oleo infirmorum, sicut de Chrismate. Idemque *Henriquez l. 12. c. 29. n. 3.* refert Salmanticenses Juristas & Theologos docuisse, non esse mortale, etiam extra casum necessitatis, veteri oleo ungere. Saltem in casu, quo Sacerdos necdum habens copiam novi, ungeret infirmum oleo veteri, non peccaret: cùm Ecclesia non censeatur velle tam strictè hanc accidentalem, nec tanti momenti, ceremoniam (quam *Arriaga d. 53. n. 15.* dicit fortasse ab Ecclesia ideo præcisè requisitam, ne oleum illud antiquitatè corrumperetur, & redderetur aliquo modo infirmis adversum suo odore) servari cum tanto gravamine infirmi. Immo Sacerdos obligaretur eo casu uti oleo veteri, ne sineret infirmum absque subsidio hujus Sacramenti decedere. In necessitate quoque sufficit, si oleo benedicto misceatur non benedictum, juxta id quod *Rituale Romanum suprà* ait: *Si forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico Oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso, reparari potest.* Quare Parochus sic faciens non peccaret, quando non posset facilè quærere copiam Olei benedicti pro toto anno.

Materia proxima hujus Sacramenti est Unctio: ipsa enim determinat materiam remotam seu oleum. Idem satis patet ex *Jacobi 5. Vngentes eum oleo.* Et indicatur à *Tridentino c. 1.* ubi etiam congruentia adjungitur: *nam Vnctio aptissimè Spiritûs sancti gratiam* (quæ spiritualis animæ unctio dicitur) *repræsentat.* Deinde sicut corporalis unctio adhibetur ad sanandos morbos, sedandos dolores, cusandas vulnera, & confovenda membra: sic aptissimè hæc sacra Unctio significat similes effectus in anima, dum sanat morbos & vulnera peccatorum, lætificat conscientiam, & confortat infirmum ad luctam imminentem: nec minùs aptè corporalem hominis sanitatem, quam interdum confert, significare potest. *Ejus congruentia.*

Sufficit autem vel unica olei gutta ad verè inungendam seu liniendam partem corporis, ut ex ipso usu patet; qui alius est in Baptismo: quàmvis ad hunc quoque seu ad veram ablutionem sufficere guttam aquæ, sit probabile. Fortè tamen (inquit *Suarez disp. 40. sect. 2. n. 4.*) non sufficeret unicam olei guttam stillare, sed oporteret partem sensus perfundere. Quod etsi quoad primum sit apparens, cùm id non videatur sufficere ad veram unctionem; non tamen quoad secundum, si verba spectemus: alioquin sanè ampulla olei facilè brevi evacuaretur. *Quæ olei quantitas Vnctioni sufficiat.*

Non est etiam de essentia, quòd unctio fiat in modum crucis; cùm ex nullo capite hoc constet. Immo juxta plerosque Doctores omissio crucis non est mortalis; eò quòd consuetudo illam adhibendi non censeatur tam graviter obligare. Unde etiam licitè omitteretur, quando esset periculum in mora. 18. *Non est de essentia, nec graviter præceptum, quòd fiat in modum crucis.*

Non est similiter de necessitate Sacramenti, quòd minister tangat immediatè membrum ægroti. Patet: quia per virgulam hoc Sacramentum tempore contagionis sæpiùs confertur. Et *Pastorale Mechliniense Tit. de Sacram. extremæ Vnct.* ait: *Sacerdos peracturus unctiones, pollicem vel virgulam intingat in oleum sacrum.* Servandæ tamen sunt consuetudines probatæ locorum. *An possit adhiberi mediante virgulâ,*

Sed gravis difficultas est, quotuplex unctio sit de necessitate. Pro qua

Nota *Florentinum* suprà loqui hoc modo: *Infirmus inungendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* 19. *Quæ membra sint inungenda juxta Florentinum.*

Has tamen unctiones non esse omnes de necessitate Sacramenti, satis constat: nam servatis saltem unctionibus quinque sensuum, aliæ variantur in variis Ecclesiis. Et juxta *Rituale Romanum: Renum unctio in mulieribus, honestatis gratiâ, semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commodè moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.* Juxta *Pastorale* quoque *Mechliniense* semper omittitur unctio renum seu lumborum, & substituitur generaliter unctio pectoris. *Non omnes hæ unctiones sunt de essentia.* *Quid de Vnctione renum præscribat Rit. Romanum; quid Pastorale Mechliniense.*

Quinque verò corporis partes præcipuè ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit; nempe oculi, aures, 20. *Organa quinque*

sensuum de necessitate præcepti sunt inungenda.

aures, nares, os & manus; ut inquit *Rituale Romanum*. Quare unctiones quinque sensuum cum quinque partialibus formis correspondentibus esse de necessitate præcepti, certum est ex universali & constanti Ecclesiæ ritu, & quia alioquin Sacramentum exponeretur periculo invaliditatis. Congruentia est, quòd sicut omnis cognitio, sic omne peccatum (quod semper aliqualem cognitionem præsupponit) ab aliquo sensu originem habeat: adeoque ad significandam perfectam animæ curationem, quæ fit per hoc Sacramentum, congruebat inungi quinque organa quinque sensuum velut radices peccatorum. Debet porrò id fieri modo hominibus accommodato, videlicet non in ipsa pupilla oculi, non in lingua, non in tympano auditûs, non in caruunculis, in quibus residet odoratus; sed sufficit id fieri in palpebris, labiis, auribus, naribus. Cùm autem organum alicujus sensûs est duplex, debet utrumque inungi ex ritu Ecclesiæ, non tamen de necessitate Sacramenti, ut satis constat. Monetque *Rituale Romanum*, ut *dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria sunt, Sacerdos ungit, caveat, ne altero ipsorum inungendo, Sacramenti formam priùs absolvat, quàm ambo hujusmodi paria membra perunxerit.* Similiter ex consuetudine servandus est ordo inter partes, ut priùs inungantur oculi, postea aures &c. Quæ tamen obligatio non est tam gravis, quin in necessitate liceat, & ordinem invertere, & unum tantùm organum inungere. Quòd si organum alicujus sensûs deficiat, inungendus est organi locus. *Si quis autem sit aliquo membro*, v.g. manibus vel pedibus *mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eâdem verborum formâ*, juxta *Rituale Romanum*.

Modo hominibus accommodato.

Qualiter agendum, ubi organum est duplex.

Quis ordo inter partes servandus.

Quid agendum, si organum aut membrum inungendum deficiat.

21. *Unctiones quinque sensuum cum formis correspondentibus esse de essentia, Plurimi affirmant.*

An verò unctiones quinque sensuum cum quinque partialibus formis sint etiam de necessitate Sacramenti, disputatur. Plurimi affirmant, eò quòd omnes Ecclesiæ singulas semper constantissimè adhibuerint; quod in aliis unctionibus non ita contigisse cernitur. Deinde cùm aliquis saltem sensus sit inungendus, nec sit potior ratio de uno, quàm de altero, dicendum videtur necessariò inungi omnes. Immo *Suarez d. 42. sect. 3. n. 3.* referens alios Theologos communiter id indicare, putat ad valorem requiri, ut unctio correspondens sensui tactûs fiat in manibus. Verumtamen usus necessariò servandus sic quidem habet. Congruentiaque est, quòd communi & humano usu tactus reputetur in manibus. Unde *Psal. 113.* dicitur: *Manus habent & non palpabunt.* Non video tamen; cur id requireretur ad valorem: cùm tactus sit etiam in pedibus, aliisque corporis partibus; quæ proinde possent sufficienter, quantum ad valorem, inungi cum relatione ad ipsum sensum tactûs. Insuper omnino dicendum est, ad valorem Sacramenti saltem sufficere unctiones quinque sensuum, etsi non adhibeantur quinque formæ, sed solùm unica omnes unctiones exprimens, v.g. *Per istas sanctas unctiones &c.* cùm non appareat probabilis ratio dubitandi (etsi Quidam dubitent) ob quam aliquid deesset ad substantiam Sacramenti: quemadmodum potest quis plures aspergendo vel immergendo baptizare, dicens: *Ego vos baptizo &c.*

Immo tactûs organum esse inungendum in manibus.

Quod postremum nõ apparet verum.

Similiter sufficeret

Immo sufficere unctionem in una parte corporis dicendo: *Quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum delinquisti &c.* est valde probabile: nam sic docent plures Doctores, etsi plurimi contradicant. Idemque probavit Facultas Theologica Lovaniensis anno 1588. simul approbante *Octavio Frangipani Episcopo Tricaricensi* Nuntio Apostolico. Unde in *Pastorali Mechlinienſi*, itemque *Passavienſi* id ipsum decretum fuit, nempe in morbis contagiosis sufficere inungi organum ad unctionem magis expositum, ac detectum; etsi in posteriori editione *Pastoralis Mechlinienſis* hoc sit omissum. Ratio est: quia nec Scriptura nec Concilia plus requirunt, quàm unctionem, sicut pro Baptismo lotionem; ergo sicut sufficit una lotio, sic & una unctio. *Florentinum* quidem plures unctiones postulat: sed patet non omnes requiri ad valorem. Græci etiam non inungunt oculos vel aures, sed frontem, os seu mentum & genas, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte; postremò pedes; teste *Arcudio lib. de Extr. Vnct. c. 7.* Et quamquàm omnes sensus quodammodò inungendi sint, id sufficienter fit, dum inungitur corpus in aliqua parte, accedente præsertim formâ omnes sensus exprimente. Quàmvis fortè non sit etiam essentialiter requisita hujusmodi forma: cùm nec in Ambrosiana, nec in Venetâ, neque etiam in forma Græcorum exprimantur sensus inungendi; ut *quæst. seq.* patebit. Hinc quàmvis extra necessitatem prima opinio sit servanda in praxi; in necessitate tamen possunt tutò inungi quinque sensus, etiam in capite cum una forma singulas unctiones exprimente. Quòd si nec hoc Sacerdos bene facere possit, licebit ei postremam sententiam practicare.

QUÆSTIO III.

Quæ sit forma hujus Sacramenti?

HUjus Sacramenti forma, quâ sancta Romana Ecclesia utitur, solemnis illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas Unctiones adhibet, cùm ait: *Per istam sanctam Vnctionem, & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, sive per auditum &c. deliquisti.* Ita ad verbum habet

Forma.

habet *Rituale Romanum Tit. de Sacramento extremæ Unctionis*. Et coincidit forma tradita à *Florentino in Instructione Armenorum*, & insinuata à *Tridentino sess. 14. de extrema Unctione c. 1.* Estque repetenda ad singulos sensus, & alia membra inungenda cum proportione, ut tradit *Rituale Romanum*, & apertè indicat *Florentinum* suprà. Loco, *Dominus* dicitur in aliquibus Ecclesiis, *Deus*, & *Rituale Romanum* addit, *sanctam*; etsi hoc omittant *Florentinum* & *Tridentinum*. Alicubi etiam additur, *In nomine Patris &c.* Quod tamen constat non esse necessarium; nisi fortè ex speciali consuetudine alicujus Ecclesiæ habente vim præcepti. Juxta omnes autem sub gravi obligatione pronuntiandum est: *Per suam piissimam misericordiam*: quàmvis mihi non videatur ullatenus esse essentiale; cùm sufficienter includi videatur in verbo *Indulgeat*.

Apud Græcos alia est forma hujus Sacramenti, quàmvis similiter deprecatoria, videlicet: *Pater sancte, animarum & corporum Medice, qui Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem misisti: sana quoque servum tuum N. à detinente illum corporis infirmitate; & vivifica illum per Christi tui gratiam.* Quam esse formam Sacramenti tradit etiam *Petrus Arcudius* & *Jacobus Goar in Notis ad Officium olei n. 29.* & relatus ab eo *Neophytus Rhodinus* in sua Synopsi, de qua *quæst. præc.* Neque ex traditione aliam usurpant Græci; nec in toto officio aliquid reperitur, cui commodiùs ratio formæ adscribatur. Ipsa denique continet orationem etiam ad effectus hujus Sacramenti, jungiturque adhibitioni materiæ. Ad id autem quod objici posset, non exprimi in ea unctionem, respondet *Arcudius* (ut refert *Aversa hic sect. 3.*) vel talem expressionem non esse simpliciter necessariam, vel saltem implicitè indicari invocando Deum tamquam medicum, videlicet ut per unctionem instar medicinæ conferat sanitatem; vel per antecedentia quædam verba suppleri, quibus dicitur: *Unctione tui olei, & sacerdotum tactu tuos famulos sanctifica, à morbis libera, sordesque animi purga.*

Difficultas est, an forma necessariò debeat esse deprecatoria? Varii docent posse esse indicativam. Sed contrarium est verius, & docent plerique Doctores. Colligiturque ex *Jacobi 5. Orent super eum .... & oratio fidei salvabit infirmum.* Deinde forma præscripta à *Florentino* & *Tridentino*, & hactenus usurpata ab Ecclesia Romana, est deprecativa. Neque suppetit fundamentum asserendi, sufficere aliam formam, quæ habeat sensum non deprecativum; maximè cùm Christus in nullo alio Sacramento instituerit formas adeò quoad sensum diversas.

Nec obstat, quòd tempore *Ambrosii* Ecclesia Mediolanensis usa fuerit hâc formâ: *Unguo te oleo sanctificato in nomine Patris &c. ut forma Ambrosiano militis uncti præparatus ad certamen, aereas posis superare potestates.* Simili formâ usa fuit Ecclesia Veneta, quæ simul cum Rituali dicitur approbata à *Leone X.* Cum Ambrosiana quoque coincidit ferè ad verbum altera *Haliigarii*, quæ habetur in antiquo Codice *Haliigarii* teste *Serrario* apud *Commentarium Scoti n. 24. ad dist. 23.* Respondetur enim utramque formam posse, atque adeò debere explicari, ut quoad sensum sit deprecatoria; ac proinde æquivaleat formæ usitatæ. Idque satis colligitur ex posterioribus utriusque formæ verbis, videlicet, *ut more militis uncti posis &c. ut hac Unctione protectus &c.* Ac si diceretur: Per hanc Unctionem superes potestatem diabolicam, & evadas pœnas inferni. Simile foret, si minister diceret: *Unguo te, ut indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti &c.* Alioquin si (quod Nonnulli contendunt) hæ formæ non possent explicari in sensu deprecatorio, sufficeret hæc ipsa auctoritas ad opinandum, quòd Christus formam hujus Sacramenti non determinasset præcisè ad deprecatoriam. Quod maximè confirmatur ex eo, quòd *Sacramentarium Gregorianum* editum per *Hugonem Menardum* contineat similes formas indicativas cum subjuncta optatione, quæ formam quamdam deprecationis præ se fert. Utì & alii Codices antiqui formas consimilis tenoris habent, apud *Menardum* in Notis. Prout etiam Sacerdotale seu Pontificale vetustum M. S. quòd vidi Lovanii in Bibliotheca Patrum Societatis Jesu.

Objicitur forma Ambrosiana & Veneta, quæ videtur indicativa.

Respondetur eam involvere deprecationem, & quoad sensum coincidere,

Aut saltem potius dicendum foret deprecatoriam non esse de essentia.

QUÆSTIO IV.

Quis sit minister hujus Sacramenti?

DIco 1. Solus Sacerdos est validus minister hujus Sacramenti, juxta communem sensum Doctorum & Ecclesiæ. Et satis patet ex *Tridentino c. 3. & can. 4.* ubi decluditur solos Sacerdotes esse proprios ministros hujus Sacramenti. Patet quoque ex *Jacobi 5. Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Quo nomine in novo Testamento ex usu Patrum, Conciliorum ac Ecclesiæ intelliguntur Sacerdotes, juxta illud, 1. *ad Timoth. 4. Noli negligere gratiam quæ in te est.... cum impositione manuum presbyterii.* Congruentia est, quòd Unctio subnectatur Pœnitentiæ ad plenam remissionem peccatorum: quare convenientissimè Christus statuit, ut is tantùm valeret orare, *Indulgeat tibi Deus &c.* qui dicere, *Absolvo te.* Ideoque continetur potestas conferendi hoc Sacramentum in Sacerdotio, quâ parte completur per potestatem remittendi peccata. 27.

Solus sacerdos est validus minister Extremæ Unctionis, uti Pœnitentiæ.

Dices: *Innocentius I. Ep. ad Decentium c. 8.* de Sacramento Olei dicit: *Quo ab Episcopo confecto omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum*

Explicatur testimonium Innocentii I

rum necessitate inungendo. Resp. Pontificem loqui de usu passivo, & velle, quòd omnes possint inungi, scilicet per Presbyteros. Unde postea declarat ministrum hujus Sacramenti esse Episcopum vel Sacerdotem.

28. *Quis licitè Unctionem administret.*

Dico II. Quilibet Sacerdos validè administrat hoc Sacramentum; cùm jurisdictio non sit de substantia hujus ministerii, vel principium illius, uti absolutionis sacramentalis: solus tamen Pastor, aut habens ab eo licentiam expressam vel tacitam, aut rationabiliter præsumptam, licitè illud administrat: quandoquidem ministerium hoc spectet ad officium Pastoris, & ut licitè fiat, jurisdictionem requirat, sicut alia Sacramenta.

29. *Explicatur Excommunicatio lata contra Religiosos præsumentes illam ministrare Clericis aut Laicis sine debita licentia.*

Nota I. Religiosos præsumentes hoc Sacramentum ministrare Clericis aut Laicis sine legitima licentia incurrere excommunicationem Papæ reservatam, *Clementinâ* 1. *de Privilegiis* §. 1. Loquitur autem textus de solis Religiosis, ut passim Doctores: etsi *Sotus* & *Valentia* excommunicationem extendant sine fundamento ad Sacerdotes sæculares. Loquitur etiam de infirmis subditis Parocho: ideoque Religiosus ministrans Religioso sine debita licentia, etsi peccet, non tamen incurrit censuram (etsi contradicat *Silvester*) Constitutio siquidem in favorem Parochorum prodiit. Prædictam verò excommunicationem incurrunt Regulares, etiam Prælati, etsi Parochus foret Religiosus ipsis subditus; ut ex *Bordono* notat *Aversa hic sect.* 10.

30. *Si Pastor non queat, aut nolit ministrare, vel alteri licentiam dare, fas erit alteri, etiam Religioso, ministrare.*

Nihilominus si Pastor non valeat, aut non velit ministrare, neque etiam alteri licentiam dare, potest quilibet Sacerdos, etiam Religiosus administrare hoc Sacramentum sine periculo peccati vel censuræ; tunc enim censetur habere licentiam ab Ecclesia, quæ non vult malitiæ Pastoris patrocinari, aut filios suos remedio tam utili, etsi absolutè fortassis non necessario, in tanta necessitate destitui. Ad quod etiam facit privilegium sive declaratio *Xisti IV.* qui Minoribus concessit, ut Eucharistiam & Extremam Unctionem tali casu valeant ministrare iis, quorum confessiones audierint.

Privilegia Regularium hac in materia.

Ex multis insuper Sedis Apostolicæ privilegiis possunt quævis Ecclesiastica Sacramenta ministrare familiaribus seu servitoribus intrà sepia Monasterii existentibus sive commorantibus. Quod contradicere *Portel* & aliis (quibus favet usus) etiam ad commorantes extra sepia extendit *Bruno Chassaing. p. 2. Tract. 8. c. 3. propos. 1.* ob privilegium generalius *Martini V.* quod allegat. Præterea allegat idem ex *Rodriguez To. 3. q. 79. ar. 1.* concessionem ministrandi extremam Unctionem quibusvis, qui intrà sepia Monasteriorum infirmati fuerint. Sed esse vivæ vocis oraculum constat ex *Compendio Privileg. V. Vnctio extrema.* Refert etiam aliâ concessionem *Pii IV.* confirmatam à *Pio V.* factam Theatinis, & insertam eorum *Compendio Privileg. V. Communicare* §. 3. & *Compendio Privileg. Fulienſ.* quâ conceditur facultas ministrandi extremam Unctionem quibusvis hospitibus, etiam sæcularibus, & extraneis, quos in locis eorum seu habitationibus contigerit infirmari. Quam facultatem competere Regularibus etiam tradit *Suarez To. 4. de Relig. Tr. 10. l. 9. c. 4.*

Nota II. Etsi Sacramentum hoc ordinariè non sit necessitatis, Pastorem tamen teneri per se vel per alium illud suis subditis expressè vel interpretativè petentibus administrare; ut apud omnes satis constat: quia non tantùm necessaria, sed etiam utilia, & præsertim tam utilia, ac communia remedia salutis obligatur suis ovibus ministrare; & ad hoc recipit stipendium. Usu etiam patet ministerium hujus Sacramenti esse inter communia obsequia, quæ fidelibus à Pastore debentur. Et omnes judicarent Pastorem in hoc defectuosum non satisfacere muneri suo. Immo Varii putant, quòd ad hoc obligetur cum aperto vitæ periculo. *Suarez* tamen, & passim alii censent ordinariè non obligari: eò quòd non sit Sacramentum necessitatis, & moribundus censeatur jam justificatus per Confessionem præmitti solitam. Secùs esset, si quis putaretur habere mortalia, de quibus tantùm esset attritus, cui v.g. non potuisset ministrari Sacramentum Pœnitentiæ aut Eucharistiæ: cùm enim tunc probabilissimè per Sacramentum salvaretur, alioquin damnandus, videtur Pastor obligari ad illud tunc ministrandum cum aperto mortis corporalis discrimine. Deinde si parochus nihilominus discrimen vitæ subire debeat, audiendo confessionem, & absque novo periculo gravi possit eâdem operâ ministrare extremam Unctionem, existimo omnino ipsum ad hoc teneri: nil enim excusare potest, nisi subeundum periculum; quod equidem subeundum supponitur. Alioquin non ita constat de obligatione gravi; quæ proinde difficulter imponeretur, quando ægro de reliquis necessariis jam foret provisum, & specialiter deberet subiri vitæ discrimen ad ministrandum hoc Sacramentum.

Dico III. Seclusâ necessitate debet hoc Sacramentum conferri per unum Sacerdotem. Patet ex praxi totius Ecclesiæ, quæ videtur graviter obligare. Multò minùs requiritur concursus plurium Sacerdotum; ut praxis similiter Ecclesiæ manifestè declarat. Nulla etiam pars aut conditio hujus Sacramenti exigit plures ministros potiùs, quàm Baptismus, Pœnitentia &c. Ex nullo denique jure vel auctoritate hujusmodi necessitas probari potest. Quod enim *Jacobi* 5. dicitur: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*; intellige, q. d. Inducat aliquem ex Presbyteris Ecclesiæ, ut proinde numerus pluralis, figurâ consuetâ, sit positus pro singulari.

gulari. Vel certè exprimuntur plures, non necessariò inducendi à quolibet infirmo, sed unus ad hoc, alter ab alio &c. Quàmvis congruum sit adesse plures, qui preces conjungant. Unde *S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanensi IV. Tit. Quæ pertinent ad extremam Unctionem* salubriter statuit: *Illud extremæ Unctionis Sacramentum ministraturus, quot commodè poterit, Presbyteros & Clericos, adhibere curabit, superpelliceo indutos, qui ipsum & ministrantem & precantem, pietatis, orationisque studio in eo ministerio adjuvent.*

Apud Græcos quoque officium extremæ Unctionis perficitur à Sacerdote concurrentibus sex aliis Sacerdotibus, olim quidem ut assistentibus ad multiplicandas preces cum unico inungente, nunc autem uno post alterum, cum interpositione quarumdam ceremoniarum repetente totum Sacramentum. Quem quidem morem tentatis variis excusationibus esse abusum, qui cum aliis quibusdam nævis in ritus Græcorum irrepsit, suspiciatur *Arcudius lib. 5. cap. 6.* contra initerabilitatem hujus Sacramenti in eadem infirmitate. Quantumvis *Jacobus Goar* hunc morem fortiter ab abusu vindicet *nu. 37.* allegans varia parum concludentia. Neque ego video solidum fundamentum excusandi, suppositâ prædictâ initerabilitate; nisi quis fortasse dicat Unctiones succedentium Sacerdotum cum precibus adjunctis ex eorumdem intentione solùm esse ceremoniales.

Dixi in Conclusione *seclusâ necessitate*: quia si minister deficiat, antequam perficerit omnes unctiones, potest alius succedere, qui unctiones omissas suppleat, juxta Doctores communiter. Ratio est, quòd singulæ unctiones cum suis proportionatis formulis sint quasi partes integrales unius Sacramenti, habeantque suam proportionatam significationem ab aliis independentem; adeoque nulla sit ratio, cur non possint poni à diversis ministris: sicut in artefactis possunt partes integrales poni à diversis artificibus. Unde etiam licitum censeri solet, ut ob angustiam temporis infirmo properante ad mortem plures sacerdotes diversa simul organa inungant: cùm non appareat ratio, cur non æquè simul, ac successivè id factum sit validum, adeoque in necessitate licitum. Ita plurimi Doctores. Res tamen hæc non est certa: utpote non satis constans ex doctrinâ revelata. Quemadmodum etiam à Variis negatur aut in dubium revocatur doctrina alioquin valdè recepta, quæ tradit non conferri per singulas Unctiones & formas partiales distinctam gratiam sanctificantem, sed totam indivisim conferri, mox positis Unctionibus & formis ad essentiam seu substantiam Sacramenti necessariis; gratias verò actuales, ac sanitatem dispensari tempore opportuno. Nonnulli etenim existimant è contrà per singulas partiales materias & formas divisim conferri partialem effectum gratiæ, aut etiam remissionem venialium & pœnarum incursarum ob peccata respectivè per hunc illumve sensum commissa. Quibus quidem favet distinctio distinctaque istarum partium significatio; quæ etiam per distinctos ministros possunt adhiberi. Verùm eo non obstante conficiunt unicum Sacramentum: in quo præter morem & citra aliam necessitatem non apparet facienda dispertitio orationum & effectuum partialium in singulis partibus ejusdem Sacramenti.

QUÆSTIO V.

Quibus hoc Sacramentum sit conferendum?

SUPPONO I. non posse conferri non baptizatis, nec etiam mortuis. Unde dum inter uctiones infirmus moritur, debent restantes omitti: quando autem de morte dubitatur procedendum est sub conditione, *Si vivis, per istam sanctam unctionem &c.* Ita *Rituale Romanum*, & omnes Theologi. 35. *Mortuis cõferri nequit.*

Suppono II. Quamquam deceat extremæ Unctioni velut ultimæ medicinæ præmitti confessionem & communionẽ, quando fieri potest (ut declarat praxis Ecclesiæ, & *Rituale Romanum*) tamen hoc non esse absolutè necessarium: cùm ad effectum sufficiat status gratiæ, qui potest obtineri per contritionem, & videamus dari extremam Unctionem illis, quibus confessio & communio est impossibilis. Ideoque *Rituale Romanum* addit: *Si tempus & infirmi conditio permittat.* Alioquin communionem olim dari solitam fuisse etiam post extremam Unctionem, ex variis antiquis, tum Constitutionibus, tum Historiis, probat *Hugo Menardus* in Notis ad librum Sacramentorũ S. Gregorii *pag. 334. & 335.* In quo ipso libro post Ministerium Unctionis additur: *Deinde communicent eum corpore & sanguine Domini.* *Decet ei præmitti confessionem & communionem.* *An olim communio præmitti solita.*

DICO I. Nullus est capax hujus Sacramenti ante usum rationis, ut sunt infantes & perpetuò amentes. Ita communiter Theologi. Unde talibus Ecclesia (ut ex Ritualibus patet) non permittit hoc Sacramentum ministrari; quod alioquin non rectè prohiberet. Ratio est: quia hoc Sacramentum est *consummativum Pœnitentiæ*, ut ait *Trid. sess. 14. in Proœmio Doctrinæ de extrema Unctione*; prædicti autem non sunt capaces Pœnitentiæ, adeoque nec hujus Sacramenti. Deinde sunt incapaces primarii & infallibilis effectûs, scilicet remissionis peccatorum, & excitationis fiduciæ in Deum, seu confortationis in ultima lucta. 36. *Illius incapaces sunt infantes, & perpetuò amentes,*

Dixi *perpetuò amentes*: quia si aliquando ratione usi sint, capaces etiam sunt in amentia: etsi enim non possint pro tunc recipere 37. *Secùs, si aliquando usi sint ratione.*

per robur contra insultus diabolicos, hoc per accidens est, & saltem possunt recipere alios effectus, scilicet remissionem peccatorum, & absterſionem reliquiarum eorumdem. Idemque declarat praxis Ecclesiæ, & *Rituale Romanum* dicens: *Infirmis autem, qui dum sanâ mente & integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, acta non sentiant, nihilominus præbeatur. Sed si infirmus, dum phrænesi aut amentiâ laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino*: quod ipsum ligando, similive ratione tolli potest.

38. *Aut si pueri sint capaces confessionis ac peccati mortalis.*

Secùs est de pueris (inquit *Pastorale Mechliniense Tit. de Sacram. extrem. Vnct.*) *periculosè ægrotantibus, qui peccati mortalis, ac confessionis capaces sunt, licèt sint solùm octo aut novem annorum, & quàmvis numquam communicaverint; ita tamen, ut si eos mori contingat, non sint eorum parentes urgendi ad exequias more adultorum.* Ratio est: quia capaces absolutionis & Pœnitentiæ, cujus unctio est consummativum, sunt etiam capaces ipsius unctionis. Deinde tales sunt capaces principalium effectuum hujus Sacramenti. Estque hoc bene notandum pro praxi: in qua interdum contingere natus est hâc in re defectus.

39. *An requiratur, ut infirmus peccaverit actualiter, disputatur.*

An autem requiratur, quòd suscipiens aliquando peccaverit actualiter, incertum est; eò quòd etiam in perfectè innocentibus possit hoc Sacramentum deservire ad confortandum, ne saltem in illa ultima lucta peccent. Ita *Suarez* & plures alii Doctores. Juxta quos proinde B. Virgo fuit capax hujus Sacramenti, & fortè illud suscepit.

Opinio affirmativa suadetur.

Contrarium tamen non est minùs probabile, & docet *Aversa* cum *Vasquez* & plurimis aliis, ac supponit *Scotus d. 23. n. 3.* Ratio est: quia *Tridentinum* hoc Sacramentum vocat *consummativum Pœnitentiæ*; cujus sive eliciendæ, sive suscipiendæ, perfectè innocentes non sunt capaces, adeoque nec extremæ Unctionis. Deinde absolutè docet hoc Sacramentum absterger reliquias peccatorum. Et *Jacobi* 5. de eodem dicitur: *Alleviabit eum Dominus*; intellige potissimùm à pressura peccatorum actualium. Et additur: *Si in peccatis sit*, id est, si aliqua adhuc remanserint, *remittentur ei*. Unde effectus & finis principalis hujus Sacramenti videtur peccata actualia in suscipiente supponere: ideoque præcipuè etiam parvuli dicebantur non esse illius capaces; ut aptè notavit *S. Bonavent. d. 23. a. 2. q. 2.* non rectè à *Suarez* citatus in contrarium. Idem denique non parum suadet ipsa forma Sacramenti, quâ primariò & unicè postulatur à Deo indulgentia peccatorum. Et sanè incongruum apparet, ut etiam innocentissimæ Deiparæ applicata fuisset hæc forma: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum &c.* Unde effectus partialis ac minùs principalis non videtur reddere hujusmodi personas Unctionis capaces.

Dico II. Ut aliquis sit capax hujus Sacramenti, debet esse infirmus. Patet ex *Jacobi* 5. *Infirmatur quis in vobis &c.* Nec sufficit infirmitas qualiscumque, sed debet esse gravis: sic ut *nemini, qui gravi morbo affectus non est, Sacramentum Vnctionis dare liceat*; ut habet *Pastorale Mechlinienſe*. Immo debet esse tam gravis, ut prudenter timeatur ex eâ secutura mors. Patet ex *Florentino* dicente: *Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet.* Et *Tridentinum sup. c. 3.* declarat *hanc unctionem esse infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* Nihilominus etiam debet hoc Sacramentum præberi *iis, qui præ Dsenio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate*, ut præscribit *Rituale Romanum*. Quod tamen inferiùs cavet, ut *non ministretur prælium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia periucla subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis.* Quod idem præscribit *Pastorale Mechlinienſe*, & tradit *Doctor Seraphicus d. 23. a. 2. q. 2. Doctor subtilis eâd. dist. q. un n. 3.* Et tamen si forent hujus Sacramenti capaces, non deberet iis adeò generaliter negari.

Nihilominus non est necessarium expectare extremum periculum, sed sufficit, quòd infirmus judicio medicorum & peritorum censeatur periclitari de vita, ut colligitur ex Conciliis citatis. Immo curandum est, ut extremus articulus præveniatur: prout etiam monet *Catechismus Romanus Tit. de extrem. Vnct. Sacram. §. 9.* quando nimirum infirmo adhuc integra mens & ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam ipse etiam infirmus suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possit, dum sacro linitur oleo, virtuteque Sacramenti contra diabolicos insultus, non tantùm in extremo articulo, sed etiam antea ingruentes, valeat adjuvari. Deinde cùm sanitas corporalis sit secundarius illius effectus, convenit adhiberi, quando adhuc viget spes aliqua vitæ; non enim expectandum est, ut sanitas corporalis per conspicuum miraculum restituatur. Quare meritò redarguendus est abusus multorum, sive Parochorum, sive Medicorum, sive aliorum habentium curam infirmorum, qui illud tempus ægroti ungendi studiosè observant, cùm jam omni sanitatis spe amissâ, vitâ & sensibus carere incipit. Ex quo nascitur alius abusus intolerabilis, ut hoc saluberrimum Sacramentum, quod ad sanitatem restituendam secundariò est institutum à plurimis passim habeatur pro signo sanitatis desperatæ, & mortis infallibiliter secuturæ. Qui abusus deberet instructione etiam publicâ Con-

Concionatorum extirpari. Hinc peste laborantibus, aut iis qui venenum mortiferum biberunt, vel lethaliter vulnerati sunt, potest hoc Sacramentum statim ministrari: immo ordinariè expedit, etsi adhuc vegeti videantur.

Ex opposito quidam Recentiores Græci, notanter *Simeon Thessalonicensis*, affirmarunt sanos quoque esse hujus Sacramenti capaces, idque de facto à plerisque istius nationis observari, testatur *Petrus Arcudius lib. de Extrem. Vncl. c. 4.* Immo in *Euchologio Græcorum* ipse Titulus habet: *Officium olei peragendum in Ecclesia vel in domo*, quasi nempe pro sanis in Ecclesia, pro infirmis in domo sit peragendum. Sed *Iacobus Goar in Notis ad Officium Olei n. 3.* id ita explicat, quòd graviter & desperatè infirmi ungantur domi: cùm apud Græcos ægri plerique è plebe aliorum manibus & ope studeant se deferri ad Ecclesiam, ibique nonnumquam plurium dierum spatio in Catechumenæis jaceant, & sacrâ tantùm unctione sibi remedium exposcant. Quòd autem adstantes completo Sacramento interdum petant inungi, etsi sani, vel tantùm leviter infirmi, idque ex devotione ob spiritualem benedictionem vel etiam lenimentum doloris obtinendum, testatur idem id fieri per unctionem merè ceremonialem, etiam mente Græcæ Ecclesiæ (quidquid *Arcudius* secùs senserit) & intentione ipsorum presbyterorum, etsi unctioni adhibentium similem orationem.

Eodem modo excusat alium ritum (quem *Arcudius* arguit) quo totus orationum & unctionum apparatus suscipitur à gravi peccatore sano vi pœnitentiæ impositæ, quòd scilicet etiam ex mente adhibentium sit tantùm quid cèremoniale, valens ex opere operantis ad spirituales infirmitates peccatoris curandas. Quamquam (ut addit) S. Romanæ Ecclesiæ morem gerendo, sint potiùs Græci ab hac consuetudine deterrendi, ob periculum erroris, abusûs, aut illegitimæ intentionis. Saltem sanis non posse adhiberi ipsum unctionis Sacramentum, notissimum est ex Ritualibus & praxi Ecclesiæ ex Conciliis, ipsoque Iacobo Apostolo. Unde etiam *Innocentius IV. Epist. ad Episcop. Tusculanum* in Cypro Legatum (quæ est apud *Bzovium ad annum 1253.*) præscribit Græcis in isto regno constitutis: *Nullis per Sacerdotes vel Confessores pro satisfactione pœnitentiæ, unctio aliqua, solummodo injungatur. Infirmis juxta verbum Iacobi Apostoli unctio exhibeatur extrema.*

Quæri nihilominus posset, an si morbus quidem sit, sed non ita gravis, Sacramentum hoc haberet aliquem effectum. Respondet *Wiggers q. 32. Suppl. n. 3.* Si ægrotatio sit valdè levis, verisimile est nihil effici, quia Apostolus & citata Concilia de gravi infirmitate loquuntur; si autem sit gravis, quàmvis non ita periculosa, probabile est Sacramentum hoc fore validum; peccaret tamen, qui sciens sic vel conferret, vel susciperet: dicit enim *Concilium Florentinum* non debere dari, nisi infirmo, de cujus morte timeatur. Hactenus *Wiggers* & consonat *Coninck d. 19. num. 25.* Qui allegat *Tridentinum sup. cap. 3.* declarans *unctionem esse infirmis adhibendam, illis verò præsertim qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur.* Ubi apparet simpliciter tantùm requiri infirmitatem, specificari tamen valdè periculosam, quasi huic principaliùs correspondeat sacra unctio.

Nihilhominus in contrarium stat communis *Scoti suprà* & aliorum (ut refert *Diana Parte 9. Tract. 6. Resol. 45.*) Doctorum sensus. Quem confirmat constans praxis Ecclesiæ universaliter prohibentis ministrari hoc Sacramentum ulli non periculosè infirmo; quod sanè non faceret, privando alios infirmos maximâ utilitate Sacramenti, si forent illius capaces. Fauet etiam *Iacobi 5. Inducat*, id est, advocet seu accersat, *Presbyteros Ecclesiæ.* Quod denotat gravem corporis afflictionem, seu infirmitatem, quâ æger detineatur. Similiter vox Græca correspondens verbo latino; *Infirmatur*, denotat graviorem morbum: prout etiam periculum ægrotantis, quasi deficientis & morbo succumbentis, significat textus Græcus, ubi noster habet: *Oratio fidei salvabit infirmum. Tridentinum* verò declarans & statuens unctionem adhibendam esse infirmis, loquitur de infirmis periculosè: non enim ordinat (quod alioquin contextus consequenter indicaret) ut etiam aliis infirmis adhibeatur. Addit tamen *Præsertim*, sive præcipuè esse adhibendam, quando periculum est extremum, seu iis *qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur* (ubi supponit etiam alios debere periculosè infirmari) si videlicet necdum sit adhibita. Quod etiam satis intelligitur ex subjecta materia, & ex *Florentino*, quod *Tridentina Synodus* imitatur.

44. *Concluditur quòd non.*

Neque ob hoc fiet, Sacramentum sæpè conferri invalidè, si videlicet periculum subesse putatum verè non subsit: quia cùm Salvator ministrationem hujus Sacramenti hominibus reliquerit, existimandum omnino est, id eâ lege factum, ut quoties prudenter judicaverint subesse mortis periculum, ministrari queat. Quod significat modus loquendi *Florentini: De cujus morte timetur.* Imo tunc est certum periculum, ut notat *Aversa quæst. de Sacram. extr. Vncl. sect. 8.* id est, talis status, ex quo prudenter timetur mors; sed solùm dubia est ipsa mors.

QUÆSTIO VI.

Quos Effectus habeat hoc Sacramentum?

45. *Effectus remunis censentur*

RESP. ultra gratiam habitualem (quæ est effectus omnibus Sacramentis com-

censentur ipsis Tridentini verbis.

munis) hoc Sacramentum specialiter *Delicta si quæ sint adhuc expianda, & peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatus & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Ita verbotenus *Tridentinum sup. c. 2.*

46. Qualiter remittat Unctio mortalia aut venialia.

Ex quibus verbis hujus Sacramenti effectus speciales habentur. Primus est remissio peccati (qui etiam indicatur *Jacobi 5. Si in peccatis sit, remittentur ei*) mortalis per accidens propter bonam fidem, quâ peccator attritus illud suscipit; venialis autem per se, quamquàm probabiliùs prærequiratur, etiam in justis, aliquis pius motus. Quòd verò per accidens deleat hoc Sacramentum mortalia in bonâ fide attrito, fatentur etiam plures, qui hoc de aliis Sacramentis vivorum negant, ob generalem locutionem *Jacobi* Apostoli suprà, & *Tridentini* suprà dicentis etiam *delicta abstergi*. Nullatenus tamen admitti potest, quòd hoc Sacramentum sufficiat ad delendum mortalia, quæ non potest infirmus confiteri, etsi sciat se tantùm attritum. Obstat enim communis sensus, & ratio Sacramenti vivorum, quod non potest scienter suscipi à peccatore. Deinde talis deberet etiam postea confiteri peccata sic remissa; quod signum est, Unctionem numquam esse per se medium justificandi. Nec aliud indicat *Jacobus* Apostolus, & consequeneer nec *Tridentinum*; quod utique non recessit à constanti & communi Theologorum sensu.

47. Remittit pœnas temporales. Excitat fiduciam.

Secundus effectus est deletio pœnarum non quidem omnium semper, sed pluriumvel pauciorum pro dispositione suscipientis. Tertius excitatio fiduciæ in divinam misericordiam: anima enim tunc memor peccatorum, propter instans judicium, & debilitatem corporis, quæ in animam redundat, facilè desperaret. Quartus, robur contra insultus diabolicos, tunc propter finem certaminis acriores. Quintus, recuperatio sanitatis corporalis, si ita saluti animæ expedierit.

Dat robur contra infestationes dæmonis.

48. Restituit sanitatem, sed fallibiliter,

Hic ultimus effectus est fallibilis, ut patet: cùm sanitas corporalis virtute hujus Sacramenti non restituatur, nisi quando saluti animæ expedierit. An autem tunc semper sit infallibilis, adhuc non constat? Affirmat autem *Suarez* & alii. Sic enim videtur posse intelligi illud *Florentini, Si expedit*; supple, animæ saluti: adeoque hâc conditione positâ semper sanitatem conferri. Quod autem *Tridentinum* dicit *sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequi*, videtur debere intelligi, non quòd interdum tantùm infirmus consequatur sanitatem, etiamsi expedierit animæ saluti; sed quia hoc ipsum interdum solùm expedit, declarat Concilium, infirmum consequi sanitatem interdum, quando scilicet sic expedit; etsi tunc non solùm interdum, sed semper id fiat. Verùm *Florentinum* posset quoque intelligi generatim, scilicet si expediat secundùm ordinem divinæ providentiæ; cujusmodi conditio subintelligitur etiam in reliquis, quæ oramus & fallibiliter impetramus. *Tridentinum* autem facilè & obviè intelligi posset, quòd ubi saluti animæ expedierit, consequatur infirmus sanitatem, tamen ne quidem tunc semper, sed interdum, quando scilicet consonat ordini tum naturalis, tum præcipuè supernaturalis providentiæ Dei, præsertim circa infirmum. Idque videtur firmari experientiâ: cùm pauci admodum sanentur; & tamen non sit ita credibile, quòd nullius alterius inuncti saluti profuisset restitutio sanitatis corporalis, quin potiùs plurimi sancti & electi, ipsaque Deipara (posito quòd fuerit inuncta) multa adhuc opera meritoria fecissent, si post unctionem diutiùs supervixissent.

QUÆSTIO VII.

An hoc Sacramentum sit iterabile, & an ejus suscipiendi sit aliqua obligatio?

DICO I. Hoc Sacramentum potest iterari. Ita expressè *Tridentinum sup. c. 3.* Ratio est: tum quia non imprimit characterem: tum quia confertur instar medicinæ; medicina autem potest iterari. Item docet perpetua praxis Ecclesiæ.

Porrò hoc Sacramentum iterari potest, quoties sublato priori periculo mortis reinciditur in novum, licet recuperat eadem infirmitas, ut patet ex *Tridentino suprà*: quia hoc Sacramentum non respicit infirmitatem, sed infirmitatis statum. Gratiæ quoque actuales, quæ illius intuitu dantur, non videntur deberi, nisi quamdiu durat mortis periculum; adeoque si ipsum de novo redeat, infirmus est denuò ad luctamen animandus. Quia verò Sacramentum sufficienter operatur suum effectum, quam diu durat idem periculum, non potest in eodem statu infirmitatis sive in periculo mortis moraliter uno iterari, ut Omnes pro indubitato tenent, & expressè tradit *Rituale Romanum* & *Pastorale Mechliniense*. Idemque supponit *Trid. sup. c. 3.* dum iterationem hujus Sacramenti concedit sub conditione novi morbi & periculi. Quare supponunt communiter Doctores ipsum invalidè iterari in mortis periculo moraliter eodem (etsi omnino incertum id existimet *Arriaga d. 55. num. 48.* addens tamen debere dici, quòd omnino non valeat, si ex usu Ecclesiæ discurrere velimus) nam alioquin non esset ul-

la ra-

la rationabilis causa, ob quam Ecclesia id tum strictè omni casu prohiberet, nec umquam practicaret. Quod apertum satis est signum invaliditatis. Sacramenta enim iterabilia non prohiberet iterari in tanta ægri necessitate, accedente ejus saltem tacito desiderio, & maximâ utilitate.

Unde quòd Græci hodie plures sacerdotes adhibent, qui successivè singuli, infimum cum formæ prolatione inungunt, vel est reprehendum inter abusus, vel unctiones posteriorum sacerdotum censendæ sunt solùm ceremoniales: quàmvis *Jacobus Goar in Notis ad Offic. Olei num.* 37. contendat abusum non esse, singulasque unctiones esse sacramentales. Et allegat in confirmationem *Sacramentarium S. Gregorii* (quod ex quodam M.S. Codice S. Eligii nuper edidit *Hugo Menardus*) in quo præscribitur iteratio extremæ Unctionis circa eumdem infirmum per plures dies successivè facienda. Verùm hactenus mihi non constat, repetitas ejusmodi unctiones, fuisse aliter quàm per modum ceremoniæ seu cujusdam sacramentalis, non autem Sacramenti, adhibitas ad partes laborantes seu morbidas, si æger nondum convaleseeret; etsi repetita fuerit communio Eucharistiæ diebus singulis cum istis unctionibus.

Hinc donec Ecclesia aliud declaret, standum potiùs videtur communi sensui Doctorum adeò in doctrina & usu ipsius Ecclesiæ fundata, quàm obscuris quibusdam scriptis, nuper editis per *Menardum*, quibus quantum auctoritatis tribui debeat, hactenus non ita apparet: maximè si vetustus auctor *Amalarius l. 2. de Offic. Eccles. c. 12.* (quem refert *Menardus in Notis pag.* 285.) de his scripserit: *Est libellus quidam apud nos de sacris Ordinibus, nescio cujus auctoritatis &c.* Mirum etiam (ut alia taceam) ibi Subdiaconatum statui inter minores Ordines; à quibus tamen eum distinguit ipse *Gregorius lib. 4. Epist.* 88. ut refert idem *Menardus pag.* 28. Alioquin si constaret authenticè librum istum verè esse Sacramentarium S. Gregorii, non parum ponderis adferret opinioni, quæ assereret iterationem esse validam. Prout sanè non incongruè potuisset Christus instituere, ob peccata præsertim venialia, quæ durante morbo denuò obrepunt, & augmentum auxiliorum divinorum in extrema lucta, aut etiam efficaciùs impetrandam sanitatem, operatione sacramentali sæpiùs repetita.

Advertendum autem non esse necessarium, quòd infirmus plenè recuperet sanitatem, & postea incidat in similem, vel alium morbum, & simile periculum, sed satis est, si manente infirmitate, evadat periculum mortis, & post aliquod tempus, iterum incidat in periculum mortis. Immo etsi antiquum periculum, non tamen ita urgens, cum ipsa ægritudine perseveret (ut frequenter contingit in asthmaticis, hydropicis, phthisicis, in quibus radice morbi permanente, morbi status sæpè notabiliter variatur, ut nunc in periculo urgenti constitutì, & lecto affixi, postmodum plateas & Ecclesiam frequentent) si postea contingat novum periculum urgere, validè iteratur Sacramentum, toties quoties id contigerit, ut post *D. Thomam, Albertum & Paludanum* tradit *Sylvester*, *Victoria*, *Henriquez*, *Suarez*, *Diana* & alii Recentiores communiter.

52. *Quid si periculo pristino accedat novum disparatum.*

Quòd si etiam contingat uni periculo accedere novum, non tamquam accessorium prioris morbi, sed tamquam planè disparatum, v. g. si infectus ob phthisim inficiatur peste, aut vulneretur lethaliter, aut incidat in lethargum sive apoplexiam, adhuc censet *Dicastillo d. 1. dub. 10. n. 166.* infirmum posse denuò inungi: eò quòd novum periculum disponat ad novum agonem: prior autem unctio solùm deserviat priori periculo secundùm quod ex priori morbo oriri poterat, & consequenter agoni quatenus inde orituro: dum igitur accedit disparatum periculum mortem per se accelerans, sicut agon iste non oritur ex priori periculo, sed ex secundo, sic apparet esse indigentia secundi Sacramenti munientis; quantumvis prior ægritudo nondum abierit, quod est per accidens. Confirmatur: quia durante secundo periculo fieri posset, ut evanesceret periculum morbi prioris; adeòque Unctio ministrata hujus intuitu non ampliùs serviret, & consequenter denuò ministranda foret: ergo similiter, etiamsi prius periculum adhuc perseveret.

53. *Non est gravis obligatio suscipiendi hoc Sacramentum.*

Dico II. Per se loquendo non peccat mortaliter, qui hoc Sacramentum, etiam datâ opportunitate, non suscipit. Ita communiter Doctores, contra *Petrum Soto*, *Vigers* & paucos alios. Ratio est, quòd nec præceptum divinum, nec humanum hactenus hujus rei extet. Immo Ecclesia prohibet hoc Sacramentum conferri tempore interdicti, cap. *Quod in te, de Pœnit. & Remiss.* quo tamen tempore Pœnitentiam & Viaticum permittit ministrari, quia videlicet eorum susceptio est in præcepto. Docet quidem *Tridentinum sup.* Unctionem habere *mandatum Dei*; sed intellige, institutentis & volentis, ut sit in Ecclesia, ac ministretur à Pastoribus; ut patet ex textu. Consuetudo autem non est introducta animo obligatorio, ut communiter Doctores & Practici testantur; sed animo promovendi salutem in tanta indigentia.

54. *Secluso scandalo & contemptu.*

Dixi in Conclusione, *Per se loquendo*: quia ratione scandali posset omittens mortaliter peccare, præsertim in his regionibus, in quibus non solet omitti. Similiter ratione contemptûs, ut docet *Tridentinum sup. in fine cap.* dicens: *Nec verò tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere & ipsius*

Quem esse mortalem expressit Tridentinũ non satis ponderatum à Suario.

Spiritûs sancti injuria esse posset. Quæ verba si attendisset *Suarez disp. 44. sect. 1.* non dixisset, Concilium non determinasse contemptum hujus Sacramenti esse peccatum mortale, sed simpliciter docuisse ipsum non contemni sine peccato: cùm doceat expressè ipsum contemni non posse *absque ingenti scelere*, quod utique est peccatum mortale.

Dixi etiam in Conclusione, *Mortaliter*: quia negligens in extremo periculo medium tam utile ad salutem, quando facile possit obtineri, à peccato veniali contra charitatem propriam vix potest excusari.

DISPUTATIO DECIMA.

De Sacramento Ordinis.

1. Ordo multipliciter sumitur.

ORDO interdum sumitur, ut sit idem quod respectus prioris & posterioris. Secundò atque etiam propriè significat certum inter homines statum seu gradum in Republica. Quo sensu dicitur quis esse Ordinis senatorii, Ordinis equestris &c. Simili etiam sensu in Ecclesia vocatur Ordo clericalis, atque etiam Status religiosi appellantur Ordines. Magis autem ad præsens propositum, idque usitatè sumitur Ordo pro gradu permanente, sive pro spirituali potestate, quæ ministris Ecclesiæ traditur, ad conficienda vel ministranda Sacramenta, ac præsertim Eucharistiæ Sacramentum & Sacrificium, vel saltem ea quæ proximè vel remotè ad eadem Sacramenta referuntur. Denique sumitur pro certo ritu externo & transeunte, quo dicti ministri consecrantur, eisque potestas præfata confertur: qui ritus etiam frequenter & propriè dicitur Ordinatio, & habet Ordinem præcedenti modo acceptum pro effectu. Estque hæc ultima acceptio maximè ad sensum præsentis loci. Unde sit

Vsitatè sumitur pro spirituali Potestate per Ordinationem collatâ.

Vsitatè etiã, & maximè ad propositum pro ipsa Ordinatione.

QUÆSTIO I.

An in Ecclesia sit verum Ordinis sive Ordinationis Sacramentum?

2. Qui negaverint dari Sacramentum Ordinationis,

NEGAT *Lutherus lib. de Captivitate Babylonica c. de Ordine*, *Kemnitius* & quidam alii Hæretici recentiores. Non est tamen ausus negare *Calvinus*, qui etsi plerisque locis duo tantùm Sacramenta admittat, Baptismum videlicet & Cœnam, veluti omnibus communia; alibi tamen agnoscit etiam Ordinationem pro vero Sacramento. Quod etiam faciunt præcipui ex *Lutheranis*, teste *Bellar. lib. de Sacramẽto Ordinis c. 1.*

Ipsum in Ecclesia dari est de fide.

Notissimum autem fidei dogma habet, in Ecclesia dari verum & propriè dictum Ordinis Sacramentum. Probatur I. ex Scriptura *Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis Christus Apostolos constituit Sacerdotes, dando eis potestatem in suum corpus verum. Deinde post

Probatur ex Evangelio.

resurrectionem contulit eisdem potestatem in corpus suum mysticum, quando dedit illis potestatem remittendi peccata, dicens *Joan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Ubi per Spiritum sanctum indicatur gratia per istam Ordinationem collata.

Insuper Apostolus 1. *ad Timoth. 4.* ait: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam* (id est, ipsam formam Ordinationis, ut multi intelligunt, vel potius inditum divinum, de adolescente Timotheo in Episcopum ordinando, cujus fit mentio *cap. 1.* ubi dicitur: *Secundum præcedentes in te prophetias*; ut explicat noster *Sasbouth*, *Estius* & alii) *cum impositione manuum presbyterii*, id est, cœtûs seu collegii Presbyterorum. Quo nomine ibi more Scripturæ etiam comprehenduntur Episcopi. Et 2. *ad Timoth. 1.* ait: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ubi apparet symbolum sensibile manuum scilicet impositio, & effectus Sacramento proprius per illud collatus, nempe gratia. Frustrà autem hæc verba ad sensum alienum detorquere conati sunt Hæretici: cùm ipsa de se satis clara sint, & in sensu Catholicò semper ea intellexerit Ecclesia, & in praxi retinuerit.

Allegant etiam aliqui, signanter *Aversa q. 1. sect. 1.* illud *Act. 10. Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis* (scilicet Paulo & Barnabæ ceteri Apostoli) *manus, dimiserunt illos.* Ubi (inquit *Aversa*) Apostoli ordinaverunt Paulum & Barnabam, scilicet in Episcopos. Quod necessariò dicendum videtur, ut rectè alioquin Sacramentum Ordinis colligatur ex Scriptura agente de impositione manuum, ac ne aliàs præcipuus locus ex Epistola ad Timotheum Catholicis in præsenti eripiatur. Aliis nihilominùs apparet Paulum & Barnabam ibi non fuisse ordinatos, sed solùm dimissos in opus, ad quod à Spiritu sancto erant segregati, cum impositione manuum, veluti quâdam benedictione. Nec videtur credibile Paulum ante id tempus necdum fuisse Episcopum. Neque ob hoc eripiuntur Catholicis alia loca à nobis præmissa; utpote in quibus expressa sit mentio gratiæ

tiæ datæ per impositionem manuum: quod hic non fit.

Probatur II. ex Patribus, Pontificibus & Conciliis. *Ambrosius de Dignitate sacerdotali, c. 5.* ait: *Homo imponit manus, Deus largitur gratiam. Augustinus lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13.* comparans Ordinationem cum Baptismo ait: *Utrumque Sacramentum est, & quâdam consecratione utrumque homini datur; illud cùm baptizatur, illud cùm ordinatur: ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterari.* Et infrà: *Si utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat* (& tamen dubitant, immò negant nuper nati Sectarii) *cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.* Auctoritates *Dionysii, Cypriani, Chrysostomi, Innocentii I. Leonis I. Gregorii magni* & aliorum vide apud *Bellarminum c. 3.* Idem patet ex *Concilio Chalcedonensi can. 2. Florentino in Decreto de Armenis. Trid. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere* & *sess. 23. can. 3.* Unde *c. 3.* meritò dixit: *Cùm Scripturæ testimonio, Apostolicâ traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis.*

Accedit denique ratio Theologica: quia exstat in Ecclesia exercitium sacrarum functionum, ad quas conveniebat à Christo relictam esse in Ecclesia potestatem, eamque non esse omnibus sine discrimine communem, sed personis sensibili & modo hominibus accommodato designandis specialem: qui ritus sensibilis est Ordo, de quo agimus, à tempore Apostolorum usque nunc per Pontifices usitatus: quem denique non convenichat à Christo gratiæ Auctore relinqui sine proportionatis gratiæ donis ad functiones tam sacras dignè obeundas necessariis.

Sanè ipsa Lex vetus, non quosvis, sed certos designari mandabat ministros, mediis certis ritibus: quantò magis id Legis novæ incumbebat Auctori, qui non ad sanguinem hircorum, sed pretiosum sanguinem Agni immaculati offerendum eos designabat. Unde etiam amplior sanctificatio, scilicet interna, ministris per ritus illos conferenda erat: Novum enim testamentum *in melioribus repromissionibus sancitum est*, ut dicitur *ad Hebr. 8.*

QUÆSTIO II.

Quot sint Ordines, & quæ officia singulorum?

DICO I. Communiter recensentur septem Ordines, scilicet Sacerdotii, Diaconatûs, Subdiaconatûs, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, Ostiarii. Hos enumerat *Tridentinum sess. 23. c. 2.* & *Carthaginense IV.* Eosdem tamquam rem antiquam enumerat *Cornelius Papa* circa annum 255. *Epistolâ ad Fabium Antiochenum* apud *Eusebium l. 6. c. 33.* & *Cajus Papa* circa annum 284. *in Epistola ad Felicem.* Ex quibus patet usum horum Ordinum esse in Ecclesia antiquissimum: adeò ut *Trid. suprà* dicat etiam Subdiaconatûs & quatuor minorum Ordinum nomina atque propria ministeria *ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse.* Vide *Baronium ad annum Christi 44.*

8. *Episcopatus est verus Ordo aliqualiter à simplici Sacerdotio distinctus.*

DICO II. Episcopatus est verus Ordo à Christo institutus, & à simplici Sacerdotio aliqualiter distinctus. Est communis & satis certa Doctorum sententia. Probatur ex *Anacleto Papa IV. post S. Petrum Ep. 3. cap. 1. Damaso Papa Ep. 4. Leone I.* & refertur, c. *Omnium Sacerdotum dist. 32. Gelasio Papa*, & refertur c. *Diaconos dist. 93.* qui Episcopatum appellant Ordinem, & à simplici Sacerdotio distinguunt. Similiter in *Carthaginensi IV.* describitur specialis ritus consecrandi Episcopos, sicut describitur ritus ordinandi Presbyteros, Diaconos &c. Accedit auctoritas *Tridentini*, quod allegabitur *n. seq.* Accedit præterea, quòd juxta dicenda *q. seq.* Episcopatus sit Sacramentum, utique Ordinis (non enim alterius generis seu speciei) ergo ipse est Ordo.

9. *In numero septenario sub nomine Sacerdotii comprehenditur.*

Nec obstat, quòd communiter tantùm septem Ordines soleant recenseri: nam nunc sub Sacerdotio comprehenditur Episcopatus: quia (ut ait *Anacletus suprà*) *Sacerdotum Ordo bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari.* Et *c. 2. Amplius quam isti duo ordines Sacerdotum* (simplicium videlicet & Episcoporum) *nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* Alioquin si nomine Sacerdotii intelligereter solum simplex Sacerdotium, verà quidem essent octo Ordines, juncto Episcopatu: etsi hic non soleat separatim numerari, eò quòd non sit ita à ceteris distinctus, uti ceteri inter se: cùm juxta dicenda *num. 25.* essentialiter præquirat Sacerdotium. Aliàs ipsum *Tridentinum* non obscurè Episcopatum inter Ordines agnoscit: nam suprà *cap 3.* ad probandum quòd Ordinatio sit Sacramentum, adducit locum Apostoli 2. *ad Timoth. 1.* qui juxta communem expositionem agit de Ordinatione Episcopali. Et *cap. seq.* dicit *nullius secularis potestatis auctoritatem ita requiri in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum & ceterorum Ordinum, ut sine ea irrita sit Ordinatio.*

Ipsum Tridentinum agnoscit Episcopatum esse Ordinem.

Ratio Theologica est: quia Episcopatus est gradus eminens in Ecclesia Dei, continens potestatem ad conficienda Sacramenta Confirmationis & Ordinis, quorum alii Sacerdotes non sunt ministri ordinarii, etiam validè. Et si per respectum ad Eucharistiam quis contendat Ordinem

Probatur idem ratione Theologicâ.

esse definiendum, sanè Episcopatus specialem ad illam respectum dicit, quatenus constituit legitimos Eucharistiæ ministros.

10. *Episcopatum esse à Christo institutum specialiter probatur,*

Porrò Episcopatum esse à Christo institutum, constat ex *Anacleto suprà*; & colligitur ex *Tridentino suprà* dicente ad ordinem hierarchicum Ecclesiæ præcipuè pertinere Episcopos, qui in locum Apostolorum successerunt. Et *can.* 7. definit eos *habere potestatem confirmandi & ordinandi*, nec *eam illis esse cum Presbyteris communem*; indubie ex Christi institutione. Ad quam etiam constat esse referendam rationem Sacramenti: quam Episcopatus sortitur juxta dicenda *quæst. seq.* Allegatur quoque & maximè urgetur *Canon* 6. de quo *n. seq.* Neque in *Tridentino* fuit vocatum in dubium, quin potestas (quam vocant Ordinis) in Episcopis proveniret proximè ex institutione Christi, sed aliud, de quo infrà.

Et quidem tamquam gradum Superiorem simplici Sacerdotio.

Ex quibus locis similiter manifestum est, Episcopos esse simplicibus Sacerdotibus superiores. Idem contra Hæreticos recentiores declarat *c.* 4. & definit *can.* 7. Quod etiam patet ex perpetua traditione Patrum & Ecclesiæ: nā ab initio extiterunt Episcopi Presbyteris superiores, ut perspicuum est ex tota Ecclesiastica historia: idque originem habuisse ex institutione Christi, testantur & supponunt antiquissimi Patres, *Anacletus suprà*, *Dionysius c.* 5. *Eccles. hierarch.* & alii. Unde juxta *Tridentinum sup. c.* 4. *Anacletum suprà*, *Augustinum*, *Leonem* & alios, Episcopi succedunt in locum Apostolorum, Presbyteri verò in locum 72. Discipulorum; qui erant utique inferiores respectu Apostolorum. Denique Episcopi sunt in Ecclesia, quod in Synagoga Moyses, Aaron & principes Sacerdotum, Presbyteri verò obtinent locum Sacerdotum communium, juxta *Hieronymum in Epist. ad Evagrium*, *Concilium Hispalense II. can.* 7. *Leonem Epist.* 88. ergo sunt superiores respectu Presbyterorum, sicut Aaron & principes Sacerdotum respectu aliorum.

11. *Quantum ad potestatē Ordinis.*

Ex his etiam satis manifestè patet Episcopum Presbyteris absolutè superiorem seu eminentiorem esse jure divino, & signanter ex verbis *Tridentini suprà can.* 7. ubi simul explicat, quâ ratione sit superior, quia videlicet ipse solus potest ordinare Presbyteros, utique ex institutione Christi, qui etiam ministrum Sacramentorum determinavit. Unde semper irritum & inane fuit habitum, quidquid non Episcopi circa Ordinationem Presbyterorum attentassent. Similiter circa Confirmationem nil potest simplex Sacerdos, nisi ex commissione, saltem Pontificis.

Acris in Tridentino controversia inter Patres elucidantur.

In *Tridentino* quidem longa admodum & molesta fuit inter Patres dissensio de Episcopis, an eorum institutio, ac superioritas respectu simplicium Sacerdotum esset juris divini ac immediate à Christo. Nec dubitabatur, aut jure poterat ab aliquo dubitari, quin in Deum ipsum ac Christi institutionem seu mandatum foret referendum, quòd in Ecclesia instituerentur Episcopi, quodque legitimè instituti & ordinati habeant eminentiorem quamdam præ ceteris potestatem Ordinis tamquam ministri Ordinationis, etiam Sacerdotalis, nec non velut Ordinarii ministri Cōfirmationis: quæ potestas manifestè ad Christum tamquam auctorem potestatis, humano arbitrio non subjectæ, est proximè referenda. Verùm cōtendebant multi Patres âcriter, ut simpliciter definiretur *Episcopos Presbyteris esse majores jure divino*, prout habebatur in digestâ dudum sub *Julio III.* (de qua tamen non fuerant dictæ conciliariter Patrum sententiæ) formulâ. Prout & in formula, quam postea digessit Cardinalis Guisius seu à Lotharingia apud *Palavicinum l.* 19. *c.* 6. *n.* 4. proponebatur *Anathema, si quis dixerit Episcopos non fuisse à Christo institutos in Ecclesia, aut ex sacra ordinatione Presbyteris majores non esse.* Verùm aliis contranitentibus hujusmodi indiscriminatim de Episcoporum potestate pronuntiata ipeciem præ se ferre, quòd tota eorum potestas, etiam jurisdictionis, foret ex institutione Christi ac jure divino, prout multi Episcopi contendebant; tandem Hyduntinus Antistes adhibere studuit temperamentum quantum satis esset ad id quod certum erat definiendum, ponens, gradum Episcoporum in Ecclesiastica Hierarchia non esse pro arbitraria Pontificis voluntate, ac proinde *in can.* 6 loco *ex institutione Christi* ponendum *ordinatione divinâ*, sublato eo quod incertum erat, an hujusmodi ordinatio deducta fuisset in opus à Deo proximè, an per ipsius Vicarium; ut refert. *Palavicinus l.* 21. *c.* 11. *n.* 1. atque ita tandem (ut refert *n.* 4.) concluſum fuit (nonnullis Hispanis opponentibus, id posse intelligi de communi providentia Dei) ut superioritas Episcoporum suprà presbyteros absque juris divini mentione statueretur, & *Canon* 6. sic formatus maneret: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis & Presbyteris & Ministris, Anathema sit.* & *can.* 8. damnantur Hæretici asserentes, *Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos & veros Episcopos.*

12. *An superioritas Episcoporum quoad jurisdictionem sit juris divini, non solùm in Concilio Tridentino acriter controversum fuit, sed modò adhuc controversum est: nam in eo multi Patres præsertim Hispani ita senserūt post Franciscum à Victoria, diversi tamen in modo explicandi, ut ex eorum discursibus apud Palavicinum variis locis constat. Immo quibusdam videbatur litigium ad mera vocabula reductum, quatenus jurisdictionem alii à Christo,*

sto, alii à Pontifice proximè derivantes, in eo conveniebant, quòd usus & materia dependebat à Pontifice. Et hoc modo quoque jurisdictionem ipsam *Vasquez* & alii censent esse juris divini, & ab Ecclesia tantùm applicari materiam, v. g. diœcesim. Sed plerique alii existimant esse juris humani. Quod si bene explicetur, omnino verum existimo: nam etsi jure divino & ex voluntate Christi sint in Ecclesia Episcopi, qui eam tamquam ordinarii Pastores sub summo Pontifice regant; ideoque *Tridentinum supra cap.* 4. declaret eos esse *positos, sicut Apostolus ait, à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei*, & consequenter obligetur Papa eos vocare in partem solicitudinis: Christus tamen immediatè non dat illis jurisdictionem, sed summo Pontifici id commisit, nam (ut ait *Leo Papa serm.* 3. *de sua Assumptione*) *si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, numquam, nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.* Hinc Pontifex concedit jurisdictionem tam, & illis Episcopis, sicut videtur ipsi ad utilitatem Ecclesiæ conveniens: concessam quoque restringit vel ampliat, etiam materiâ v. g. diœcesi applicatâ: eamque Episcopi non habent præcisè per Ordinationem seu Consecrationem, sed etiam antè, eo ipso quòd sunt confirmati: quemadmodum etiam alii non Episcopi frequenter similem jurisdictionem à Pontifice obtinent, v. g. Prælati Religionum. Quæ & alia satis manifestè indicant, Episcopos immediatè accipere jurisdictionem à Pontifice; qui tamen circa potestatem Ordinis, eò quòd sit juris divini, non potest aliquam inducere mutationem. Neque idcirco jurisdictio Episcoporum censeri potest delegata, quin potiùs ordinaria: qualis censetur & illa, quæ datur à supremo Principe judicibus jure ordinario constitutis.

Inter utramque porrò opinionem subtiliores seu religiosiores juxta *Palavicinum l.* 19. *c.* 6. non modicum observabant discrimen: eò quòd juxta celebrem *Panormitani* & *Dens* doctrinam ex altera opinione sequeretur, non posse à Pontifice sine causa auferri materiam semel destinatam. Et quamquam id licitè non ageret pro sua mera voluntate: cùm tamen de causæ sufficientia exurgere possent diversa pro affectu judicia sive opiniones, natæ forent frequenter sequi graves perturbationes, si quando vellet Pontifex v. g. Sacerdotium aliquod in aliena diœcesi reservare, aut Ordinarii collationem antevertere, aut subdito cuipiam immunitatem à Præsulis potestate indulgere, aut Episcopum ex una in alteram sedem transferre: etenim foret semper de irrita jussione litigare, attento colore insufficientis rationis. Satius ergò erat Pontificem subditorum judiciis hac in parte non subjici, sive alligari. Ideoque tanta in multis Patribus Concilii erat ad singulas voces animadversio, ne definiretur institutio Episcoporum immediatè à Christo, nisi ad sinistram interpretationem evitandam adhiberetur limitatio: *Quantum spectat ad Ordinis potestatem.* Ita *Palavicinus.*

13. Contra prædicta objiciuntur quædam loca Patrum, præsertim *Hieronymi*, qui in *c.* 1. *ad Titum* ait: *Idem est Presbyter, qui Episcopus: & antequam diaboli instinctu studia in Religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli..... communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur: postquam verò unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris.* Ergo Episcoporum dignitas & distinctio à Sacerdotibus est inventum humanum. Resp. Neg. seq. Ad *Hieronymum* respondent Nonnulli ipsum fuisse istius sententiæ seu potiùs erroris. Sed dico, ipsum ad summum velle, quòd Episcopus quoad jurisdictionem sit superior Presbyteris ex Ecclesiæ ordinatione: quam tamen non improbat *Hieronymus* (sicut olim improbabat *Aërius*, & nunc recentiores Hæretici) sed abusum illius, ex arrogantia quorumdam Episcoporum provenientem in despectum Presbyterorum, quos Episcopi priùs in regimine velut suos Consiliarios magis familiariter adhibebant, sicut decebat modestiam christianam. Quod itaque ait: *Idem est Presbyter, qui Episcopus*; intellige, exceptâ ordinatione, in qua Episcopum esse jure divino superiorem, clarè docet ipse *Hieronymus Ep. ad Evagrium* dicens: *Quid facit Episcopus, exceptâ Ordinatione, quod Presbyter non faciat?* id est, facere nequeat, si ei committatur. Immo & priorem eminentiam quodammodò fundari in jure divino, saltem mediatè (uti diximus) ibidem insinuat *Hieronymus*, dum ait, ita se nunc habere Episcopum, Presbyteros & Diaconos, sicut in Synagoga Pontifex, ejus filii Sacerdotes, & Levitæ; eminentia autem istius Pontificis etiam in jurisdictione fundabatur in jure divino.

Explicantur quædam loca Hieronymi.

Qui alibi clarè docuit de Ecclesiæ doctrinam sanam.

14. Objicitur II. Scriptura videtur confundere variis locis nomen Episcopi & Presbyteri, *ad Philip.* 1. 1. *ad Timoth.* 3. & alibis. Resp. apud Apostolum non distingui nomina, uti nunc, sed utraque passim tribui, tum simplicibus Sacerdotibus, tum Episcopis, cùm utrisque conveniat nomina ethymologia. Semper tamen inter istos gradus fuit in re distinctio, ut ex perpetua traditione evidenter constat: ideoque etiam nomina statim fuere discreta, ut simplices Sacerdotes tantùm Presbyteri, soli autem supremi vocarentur Episcopi, uti ex actis & ordinationibus antiquissimorum Pontificum à tempore Apostolorum constat. Putat verò *Epiphanius Hæresi* 75. quibusdam in locis tempore Apostolo-

Qualiter Scriptura interdum confundat nomina Episcopi & Presbyteri.

stolorum nullos omnino simplices Presbyteros fuisse, sed in ea Sacerdotum raritate eos simul fuisse Episcopos; ideoque Apostolum 1. *Timoth.* 3. solùm præscripsisse merè necessaria, ordinari scilicet Episcopum cum aliquot Diaconis, descriptâque qualitate Episcoporum mox ibi transiisse ad Diaconos, nil dicendo de officio Sacerdotum. Quod tamen *Chrysostomus in hunc locum*, factum putat ideo, quòd Sacerdotibus eadem pænè competant, quæ Episcopis. Unde etiam Episcopos & simplices Presbyteros aliquando communicasse in eodem nomine testatur idem *Chrysostomus in c. 1. ep. ad Philipp.* tractans illud, quod Apostolus scribat Episcopis Philippensibus: cùm tamen in unica civitate unus tantùm fuerit Episcopus, hoc nomine accepto in usitata postmodum significatione.

15. *Prima Tonsura non est Ordo,*

Dico III. Prima Tonsura non est verus Ordo. Ita communissimè Theologi. Probatur: quia etsi fuerit ab initio Ecclesiæ, tamen non recensetur inter Ordines ab antiquis Patribus, nec à *Tridentino sess.* 23. *c.* 2. ubi tamen ex instituto omnes Ordines enumerat: quinimmo illam tamquam quid prævium ad omnes Ordines distinctè recenset, ibidem dicens: *Cùm autem divina res sit, tam sancti Sacerdotii ministerium; consentaneum fuit, quò dignius, & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures, & diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui jam clericali Tonsurâ insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Et *c.* 6. *de Reform.* inquit: *Nullus primâ Tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus &c.* & *c.* 10. prohibet Abbatibus exemptis cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit Tonsuram vel minores Ordines conferre. Similiter in *Pontificali Romano* non vocatur Ordinatio ad primam Tonsuram, utì ad alios Ordines. Est igitur solùm dispositio quædam Ecclesiastica ad Ordines, per quâ non confertur specialis potestas ad aliquod peculiare circa altare aut Sacerdotum ministerium (utì fit in aliis Ordinibus) sed tonsuratus solùm fit capax beneficii & immunitatis Ecclesiasticæ, & ut in obsequium seu ministerium aliquod consecrari possit. Subinde tamen in jure Canonico (ut *c. Cùm contingat de Ætat. & Qual. & Ord. præsiciend.*) vocatur Ordo clericalis, latè sumendo Ordinem, ut sit idem quod status clericalis.

Sed dispositio quædam Ecclesiastica ad Ordines,

Etsi interdum in jure largè appelletur Ordo.

16. *Psalmodia non est Ordo, saltem distinctus à Lectoratu.*

Dico IV. Psalmodia seu officium Cantoris non est Ordo, saltem distinctus à Lectoratu; adeoque præter Ordines suprà assignatos non dantur alii. Ita communiter Theologi. Probatur: quia non recensetur à *Tridentino* inter Ordines. Et in *Pontificali Romano* collatio officii Cantoris non vocatur ordinatio; prout appellatur collatio aliorum officiorum ab Episcopatu usque ad officium Ostiarii inclusivè. Quare etiam non confertur, speciali aliquâ ordinatione, ut patet ex *Carthaginensi IV.* ubi dicitur de Psalmista: *Potest absque scientia Episcopi, solâ jussione Presbyteri, officium suscipere cantandi.* Cùm tamen veri Ordines solùs Episcopi auctoritate solerent conferri. Neque etiam est permanens officium, sed ad tempus secundùm Episcopi aut etiam Presbyteri arbitrium. Deinde nullâ est ratio Psalmodiam superaddendi tamquam Ordinem distinctum Lectoratui.

De reliquis non est aliqua dubitatio, an sint Ordines Ecclesiastici. Nam ii primis summus Pontificatus sive Papatus, etsi à Christo institutus, indubiè non est, neque ab ullo dicitur Ordo, sed dignitas cum summa potestate jurisdictionis, quæ prævia electione confertur personæ electæ sine alio sensibili ritu, aut materiæ & formæ applicatione. Unde Episcopatus est Ordo supremus. Ipseque Romanus Episcopus reliquos Episcopos appellat venerabiles Fratres. Et *S. Cyprianus* Romanum Episcopum vocat charissimum Fratrem, *Epist* 52. aliàs *lib.* 4. *Epist.* 2. & *Epist.* 72. aliàs *lib.* 2. *Epist.* 1.

Quod autem spectat gradum Cardinalatûs, certum quoque est, eum non esse Ordinem, nec per modum Ordinis conferri, neque aliquod Ordinum exercitium ei respondere. Quàmvis Nonnulli existimarint esse saltem dignitatem institutam à Christo. Quod quidem sive intellectum quoad modernam sublimitatem (quæ in Cardinalibus nec Episcopis olim erat minor dignitate Episcopali, & ad hanc ipsam gradus) sive quoad jus eligendi Papam (quod olim non fuit penes Cardinales) plenè falsum est. Imitatione tamen quâdam antiquæ Legis (quæ nunc exolevit) *Numer.* 11. de septuaginta senioribus, qui assisterent Moysi, *Xistus IV.* septuagenarium Cardinalium numerum (qui non semper idem fuit) constituit: ad similitudinem etiam quamdam Christi, qui designavit discipulos septuaginta duos, non quidem ut sibi assisterent, sed ut tamquam præcones præirent in omnem civitatem & locum, quò erat ipse venturus. Nec aliud voluit *Eugenius IV. Epist. ad Archiepiscopum Cantuariensem* (quam recitat *Bzovius ad annum* 1439. *num.* 143.) & *Innocentius III.* cujus verba *Eugenius* allegat, dum dicunt hanc dignitatem ex veteri testamento (scilicet *Deut.* 17.) jussu Dei traxisse originem. Immediatè quippe præmiserat: *Etsi hujus dignitatis nomen, quod modo in usu est, ab initio primitivæ Ecclesiæ non ita expressum fuit; officium tamen ipsum à B. Petro ejusque successoribus institutum evidenter invenies.* Beatus autem Silvester hos coadjutores suos nuncupavit Cardinales, ut idem *Eugenius* subjungit, addens cœtum Cardinalium coram Papa assistentium repræsentare cœtum Apostolorum Christo

Christo in terris conversanti assistentium, reliquos verò Episcopos ubique diffusos repræsentare Apostolos ad prædicandum per orbem missos.

Itaque ab exordio Ecclesiæ Romani Pontifices aliquos primarios viros de clero sibi in adjutores & assistentes delegerunt, quorum operâ & consiliò in regimine Ecclesiæ uterentur. Quod ipsum est officium eorum, qui postea nuncupati sunt Cardinales: quique hâc ratione censeri possunt tempore B. Petri extitisse, ut asserit *Eugenius Papa supra*. Immò hoc provenire ex institutione à Christo data B. Petro, & inde communicata ejus successoribus, putat *Aversa q. 1. sect. 8.* Quod quidem indubiè fieri potuit; non constat tamen à Christo factum esse. Aliunde autem satis dictabat ratio naturalis, præsertim illuminata per fidem, Pontificem debere pro exigentia rerum tractandarum, quæ plurimæ eæque gravissimæ jugiter occurrunt, adhibere debitum consilium. Quàmvis non foret omnino necessarium, assumere stabiliter eosdem, aut certum genus personarum in hac vel illa dignitate constitutarum vel constituendarum. Quare recepta Theologorum doctrina gradûs Cardinalitii institutionem simpliciter refert in ipsos summos Pontifices: à quibus proinde absolutè loquendo extingui posset, ut Varii notant, etsi non sit credibile id umquam futurum. Nec aliquid momenti in oppositum habent verba *Xisti V.* Bullâ, *Postquam vetus ille*, 50. in *Bullario Cherubinorum*, quæ visa sunt *Bosco d. 10. de Sacram. Ord. Sect. 2. concl. 9. in fine*, plus aliquid significare: *Præcipua illius* (Ecclesiæ) *membra à Spiritu sancto constituta, qui in hac ipsa Ecclesiastica Hierarchia, divinâ dispositione instar illius cælestis..... ordinatâ, ad altissimum gradum electi &c.* Ubi Pontifex de Cardinalibus loquitur consimili modo, quo *Tridentinum sess. 23. can. 6.* dicit *Ecclesiasticam Hierarchiam divinâ ordinatione institutam constare ex Episcopis, Presbyteris & Ministris*; unde tamen Theologi communiter colligunt Episcopatum esse institutum à Deo seu Christo. Ita fere *Bosco*. Verùm & hæc collectio quàm valida sit, colligi potest ex dictis *supra n. 11.* Deinde ex subjecta materia satis liquebat verba *Sixti V.* nil determinare de re adeo saltem incerta; itaque optimè verificari in sensu generaliori, quo etiam jejunium quadragesimale ac similia ab Apostolis aut Ecclesiâ instituta solent dici divinâ dispositione, ac à Spiritu sancto sive ejus instinctu ac directione instituta. Ideoq; *Eugenius IV. supra* rectè dixerat: *Officium ipsum à B. Petro ejusque Successoribus institutum evidenter invenies.*

20. Quid dicendum de dignitate

Quod denique ad Archiepiscopos seu Metropolitanos, Primates vel Patriarchas attinet, constat, quòd eorum superioritas, sive eminentia præ aliis Episcopis, sit juris humani: cum ex nullo jure divino possit ostendi; sed potiùs Episcopi omnes sint æqualiter sub jurisdictione pontificia descripti. Solùm igitur ad ordinatius Ecclesiæ regimen præfata distinctio cum quadam subordinatione per ipsam Ecclesiæ auctoritatem est introducta. *Archiepiscopali, Patriarchali &c.*

21. *Officia minorum Ordinum recensentur.*

Dico V. Officium Ostiarii est templum aperire & claudere, ac custodire, ad fideles admittendos, repellendos verò infideles & excommunicatos. In *Pontificali Romano* additur: *Percutere cymbalum & campanam, librum aperire ei qui prædicat.* Officium Lectoris est legere in Ecclesia in nocturnis officiis, quæ ex utroque Testamento sunt legenda, etiam Evangelium, quod Episcopus est expositurus. Addit *Pontificale*: *Benedicere panem & omnes fructus novos.* Quo modò autem hoc olim fiebat, minùs constat. Officium Exorcistæ est abigere dæmones, & dicere populo, ut qui non communicat, det locum (scilicet communicanti, ut possit ad altare accedere) & aquam in ministerio (scilicet Baptismi) fundere. Officium Acolythi est ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare. Ex quibus patet officia inferiorum Ordinum subservire remotè Sacrificio. Ostiarius enim repellit indignos, & admittit dignos: Lector præparat animum legendo: Exorcista tollit impedimenta, quibus ex parte dæmonis posset quis arceri à tanto Sacrificio, & monet, ut communicaturis alii dent locum.

22. *Officium Subdiaconi,*

Officium Subdiaconi est vinum & aquam ad altaris ministerium præparare, ministrare Diacono, eique porrigere calicem & patenam, in quibus ille præparat materiam offerendam: item in missa solemni Epistolam canere, Populi oblationes suscipere & super altare ponere, pallas & corporalia abluere. Colligitur ex *Pontificali Romano*. Officium Diaconi paucis complectitur idem *Pontificale* dicens: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare & prædicare.* Quare ipsius est Episcopo & Sacerdoti in missæ sacrificio assistere, Evangelium in Missa solemni canere; item absente vel committente Sacerdote, prædicare, baptizare & Eucharistiam ministrare. Officium Sacerdotis est Eucharistiam conficere & administrare, conferre Baptismum, Pœnitentiam & extremam Unctionem, prædicare, benedicere aquam, fructus, vestes &c. *Pontificale* habet: *Oportet Sacerdotem offerre, benedicere, præesse, prædicare & baptizare.* Officium Episcopi est conficere & conferre omnia Sacramenta, prædicare, benedicere chrisma, oleum infirmorum & catechumenorum, consecrare templa, altaria & calices. *Pontificale* habet: *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare & confirmare.* De his omnibus vide *Vasquez disp. 236. c. 2. & seqq.* *Officium Diaconi,* *Officium Presbyteri,* *Officium Episcopi.*

Quatuor priores Ordines dicuntur minores *Cur in ma-*

jores & sacri appellẽtur, alii quatuor minores & non sacri.

nores & non sacri: alii verò dicuntur majores & sacri; majores quidem, quia eorum ministeria proximiùs ad Eucharistiam pertinent, suntque ceteris digniores: sacri verò, quia hominem Deo consecrant, & obligationem continentiæ annexam habent.

QUÆSTIO III.

Quinam Ordines sint verum Sacramentum?

23. *Sacerdotiũ est verum Sacramentum.*

DICO I. Sacerdotium est verum Sacramentum. Conclusio apud Catholicos semper fuit indubitata: nam fide constat Ordinem esse Sacramentum; si autem de ullo Ordine id asseri debeat; omnino de Sacerdotali est asserendum. Unde dum Concilia indefinitè id definiunt, de hoc potissimùm Ordine loqui censenda sunt; de quo nec est, nec umquam fuit inter Catholicos controversia, est autem potissimùm contra Hæreticos. Idem satis clarè exprimit *Tridentinum suprà can.* 4.

24. *Similiter Ordo Episcopalis.*

DICO II. Episcopatus est verum Sacramentum. Ita communiter Doctores hoc tempore. Probatur I. ex Apostolo 2. *ad Timoth.* 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam &c.* ubi juxta communem interpretationem agitur de ordinatione Timothei in Episcopum: illum autem locum adducit *Trident. suprà c.* 3. dum probat Ordinem esse Sacramentum. De eâdem Timothei in Episcopum Ordinatione agitur juxta communem expositionem in altero loco *quæst.* 1. adducto ex 1. *ad Timoth.* 4.

Probatur II. quia ordinatio Episcopalis imprimit characterem (quod est proprium Sacramento) non enim potest iterari, nec ullo casu potestas amitti vel impediri, ne validè exeat in actus sibi proprios.

Probatur III. quia æquè requiritur gratia, utì & sanctitas, ad actus Episcopatui proprios dignè exercendos, scilicet ad ordinandum & confirmandum, quàm ut alii exerceant suos actus Ordini proprios; ergo credendum est, Christum sic instituisse, ut etiam Episcopus gratiam recipiat in sua Ordinatione: & consequenter ipsa est Sacramentum. Confirmatur ex eo, quòd in Ordinatione Episcopali consecrans dicat: *Accipe Spiritum sanctum*, id est, gratiam Spiritûs sancti.

25. *Qui cur potiùs essentialiter præsupponat Sacerdotiũ, quàm ceteros Ordines supponant inferiores.*

Nec obstat, quòd nullus possit consecrari validè in Episcopum, nisi sit Sacerdos, possit autem in ceteris Ordo superior validè conferri non habenti inferiorem: id enim oritur ex eo, quòd Episcopus essentialiter sit Sacerdos; sicut potestati ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ, necessariò supponitur, aut connectitur potestas sacerdotalis conficiendi seu consecrandi corpus Christi verum. Et hinc Episcopi meritò vocantur summi Sacerdotes. Congruè autem Christus hoc ordinavit, ne in hierarchia Ecclesiastica Sacerdotibus ob eorum dignitatem supereminneret aliquis, nisi etiam esset Sacerdos. Itaque simplex Sacerdos habet potestatem in corpus Christi verum & consequenter in mysticum quoad aliqua Sacramenta ministranda: cui Episcopalis Ordo solùm superaddit potestatem completam quoad reliqua, scilicet Ordinem & Confirmationem, quorum est minister ordinarius. Quare non minùs Episcopatus essentialiter supponit Sacerdotium, quàm potestas absolvendi & inungendi. Ità Doctores communiter.

DICO III. Diaconatus est verum Sacramentum. Ita communissimè Theologi, & hoc tempore omnes, contra *Durandum*, & paucos alios, quorum sententiam Varii graviter censurant. Probatur: quia *Act.* 6. leguntur septem Diaconi ab Apostolis ordinati per manûs impositionem, per quam juxta Scripturam & Patres confertur gratia. Deinde in ordinatione Diaconi dicitur: *Accipe Spiritum sanctum*, id est gratiam Spiritûs sancti. Unde *Trident. sess.* 23. *can.* 4. dicit anathema asserenti, *per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proindè frustrà Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum.* Accedit, quòd actus ad quos Diaconus ordinatur, etiam requirant gratiam, ut dignè peragantur. Ideoque ea *quæ maximè in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent* Sacræ litteræ ut ait *Trid. sess.* 23. *cap.* 2. Quod patet 1. *ad Timoth.* 3. ubi inter ceteras conditiones præscribitur, ut sint *habentes mysterium fidei in conscientia pura. & ..... probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes &c.* Similiter ex indelebilitate ac irreiterabilitate illius colligitur, quòd imprimat characterem, qui est effectus Sacramento proprius. Denique confertur apud Græcos, uti Sacerdotium, per verba: *Divina gratia &c. Quæ Sacramento virtutem conferunt*; ut loquitur Catechismus Græcus infrà *n.* 51. allegandus.

Septem primi Diaconi non solùm Eucharistiam, ut testatur *Justinus Martyr ac proinde Apologia* 2. *in fine.* Et S. Laurentius unus è successoribus istorum septem Diaconorum in altari S. Xisto Pontifici ministrabat, Sanguinem Dominicum dispensabat, & ministrabant mensis.

Dices: Antiquitùs Diaconi tantùm ministrabant mensis & in temporalibus, immo ad hoc præcisè septem primi Diaconi *Act.* 6. videntur constituti, occasione murmuris Græcorum adversùs Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum: atqui ad hoc non erat opus Sacramento, ergo &c. Resp. Neg. majorem: nam etiam antiquitùs distribuebatur

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& oblationes, quæ fiebant ad altare, & communia pauperum bona simul administrabat; ut in vita ejus scribit *S. Ambrosius* & alii. Insuper legebant Evangelium, ut de S. Stephano testatur *Augustinus* dicens: *Diaconus erat, Evangelia legebat, quæ legis vel audis & tu.* Immo vacabant prædicationi, ut de S. Stephano & S. Philippo testantur Acta Apostolorum. Unde quàmvis occasione istius murmuris essent deputati simul ad ministerium mensarum, sicut magistri mēsæ sancti Spiritus, non tamen ad illud solum nec principaliter; cum ad hoc nequidem indiguissent ordinatione. Sed Apostoli opportunum judicarunt septem illos viros insignire & consecrare Ordine Diaconatûs per manûs impositionem, qui exinde majori cum auctoritate & decore præessent isti operi.

Dico IV. Subdiaconatus similiter est Sacramentum, juxta communem sententiam, contra Nonnullos. Idem est de quatuor Ordinibus minoribus, ut docet *D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus* & plurimi antiqui, ac plerique Recentiores. Colligitur in primis ex eorum antiquitate; cùm fuerint ab initio Ecclesiæ & temporibus Apostolorum, juxta *Tridentinum suprà c. 2. & de Reform. c. 17.* adeoque valde verosimile est a Christo fuisse institutos tamquam veros Ordines & Sacramenta; accedente præsertim communi doctrinâ (quæ in materia Sacramentorum non leve momentum habet) aliisque indiciis subjungendis. Colligitur etiam ex eo, quòd conferantur per traditionem materiæ, & prolationem formæ, ut alia Sacramenta: quòd adhibeatur magna cautela, ne aliquid eorum, quæ censentur de substantia, omittatur: quòd videatur existimatio Ecclesiæ, se non posse illos delere nec iterare, etiamsi quis fuerit degradatus; nec feminis posse illos conferre: quæ denotant hanc rem esse ex institutione Christi, qui proinde eos instituerit tamquam Sacramenta conferentia gratiam, utì imprimentia characterem.

Colligitur etiam ex *Florentino in Decreto Eugenii*, ubì dicitur: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per &c.* atque illâ generali doctrinâ sic exemplificata in materia Presbyteratûs, Diaconatûs atque etiā Subdiaconatûs additur: *Et similiter de aliis per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem.* Ubì ea quæ de Ordinis Sacramento erant dicta, eodem verborum tenore ad omnes Ordines apertè videntur extendi. Alioquin sanè distinctiùs oportuisset Concilium loqui de Ordinibus non Sacramentis, si quæ talia dari existimasset; ne Theologi verba passim sic intelligentibus, nedum Armenis (quos instruere volebat) daret errandi ansam. Similiter *Tridentinum suprà*, postquàm *can. 2.* definiisset, *præter Sacerdotium esse in Ecclesia alios Ordines & majores & minores*, statim *can. seq.* illimitatè & absolutè subjungit, *Ordinem sive sacram Ordinationem esse vere & propriè Sacramentum.* Ubì sacra Ordinatio distinguitur contra laicam sive politicam, non autem restringitur ad eam, quâ quis initiatur ad Ordines sacros sive majores. Præterea cùm *Tridentinum c. 2.* tradidisset & specificasset *diversos ministrorum Ordines, can. 6.* definit *Hierarchiam divinâ ordinatione institutam constare ex Episcopis, Presbyteris & Ministris*; utique specificatis *c. 2.* ubi recensentur non solùm Diaconi (quibus alioquin juxta Etymologiam nomen ministri convenit) sed & diversi alii inferiores ministrorum Ordines. Denique post absolutam de Ordinibus Ecclesiasticis doctrinam, & specialiter *c. 4.* præmissâ mentione Ordinationis Episcoporum, Sacerdotum & ceterorum Ordinum, concludit: *Hæc sunt, quæ generatim sacræ Synodo visum est Christi fideles de Sacramento Ordinis docere.* Quæ adferuntur, ut pateat quantùm faveat communiori doctrinæ modus loquendi Conciliorum. Quamvis non existimem etiam in *Tridentino* fuisse reprobatam opinionem contrariam gravium Theologorum, cùm scopus Concilii fuerit damnare Hæreticos, non dirimere controversias scolasticas, absque singulari præsertim seu plurima indagine atque urgentissimâ causâ.

30. *Neque inde sequitur augendum esse numerum septenarium Sacramentorum.*

Nec sequitur ex præmissis, numerum septenarium Sacramentorum esse augendum: nam in ordinaria & generali Sacramentorum divisione & numero censetur Ordo unicum membrum, etsi varias complectens species; præsertim accedente eo, quòd ceteri Ordines referantur ad Sacerdotium velut suum complementum, & hoc illos eminenter contineat. Alioquin hæc objectio non militat specialiter contra præsentem Conclusionem: nam pariter militaret contra Diaconatum; uti etiam contra Episcopatum: cùm tamen hi Ordines sint Sacramentum.

QUÆSTIO IV.

Quæ sit Materia & Forma singulorum Ordinum?

31. *Iuxta communiorem sententiam Materia Episcopûs est impositio manuum: Forma, Accipe Spiritum Sanctum.*

Dico I. Juxta communiorem Doctorum Sententiam materia Ordinationis Episcopalis est impositio manuum super caput ordinandi; forma verò, *Accipe Spiritum sanctum.* Probari potest: quia per impositionem manuum videtur Timotheus ordinatus in Episcopum, ut colligitur ex 1. *ad Timoth. 4.* Similiter Patres consecrationem Episcopalem nominant per manûs impositionem. In eadem quoque tam Græci quàm Latini conveniunt. Insuper

super cum ea simul proferuntur absolutè hæc verba: *Accipe Spiritum sanctum*, quasi tunc conferatur specialis quædam abundantia gratiæ & potestatis in Episcopo plenitudo. Non posse etiam simul constitui in aliqua actione, suaderi solet ex eo quòd sola impositio manuum sit satis proportionata & sufficiens. Et specialiter, impositioni libri Evangeliorum inter scapulas consecrandi (qui applicatur à Consecrante adjuvantibus Episcopis, dein sustentatur ab aliquo Sacellano) nulla verba respondere instar formæ. Similiter unctio chrismatis in capite ordinandi, cum verbis proportionatis, *Vngatur & consecretur &c.* vel unctio chrismatica manuum cum verbis, *Vngantur manus istæ &c.* (prout habetur in *Pontificali*) tantùm est ceremonia Ecclesiastica, cujus non fit mentio apud *Dionysium Areopagitam*, vel in *Carthaginensi IV.* ubi ritus ordinandi describitur. Deinde totum hoc fit ab unico Episcopo: cùm tamen ad essentialem Ordinationem Episcopi necessariò saltem ex præcepto concurrant duo vel tres alii Episcopi, qui simul manus imponunt, & proferunt formam, *Accipe Spiritum sanctum*. His accedit, quòd huic formulæ verborum quadret id quod *Tridentinum sess. 23. can. 5.* dicit anathema asserenti *per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustrà Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum*. Unde colligi videtur verba hæc esse operatoria gratiæ in Ordinationibus iis, in quibus adhibentur.

32. *Non constat tamen sufficienter illam esse materiam & formam saltem totalem.*

Nihilominus præmissa non satis efficaciter ostendunt istam esse materiam & formam saltem totalem consecrationis Episcopalis; præsertim si penes Ecclesiam sit specifica determinatio signorum, quæ (quidquid olim aut alibi fuerit practicatum) potuisset nunc alia signa determinasse sive postulasse: cujus quidem menti Consecrans se accommodare censetur. Et specialiter notari meretur, quòd post præfatam materiam & formam subsequatur imploratio gratiæ S. Spiritûs per hymnum usitatum, qui in ceterorum Ordinum majorum collatione præmittitur ipsi essentiæ Ordinationis. Insuper, quòd adhuc postmodum consecrandus in Pontificali vocetur Electus. Id quod similiter observavit *Arriaga d. 56. sect. 7.* existimans proinde præallegatam materiam & formam esse solum partialem, simul tamen impositionem libri esse partialem materiam, demum unctionem capitis & manuum esse ultimatam partialem materiam cum sua partiali forma quæ tunc ab Episcopo profertur. Sed contrà facit, quòd mox prolatâ formâ respondente unctioni manuum, adhuc nominetur Electus; sed dictâ subsequenti ibidem oratione, in qua dicitur: *Quidquid benedixeris benedicatur &c.* deinceps semper appelletur Consecratus. Hæc tamen verba videntur adhuc posse satis affi-

Ratio dubitandi sumitur ex Pontificali.

Vnctio capitis & præ-

cere Unctionem manuum. Ut proinde sententia ista sic intellecta non parum videatur fundata: nisi quòd minùs solidum sit fundamentum pro impositione libri, qui etsi non à Sacellano applicetur (à quo solùm post applicationem continuò sustinetur) sed à consecrante, adjuvantibus duobus assistentibus, tamen sine ulla verborum forma; sed in fine solùm Consecrator adjuvantibus assistentibus Episcopis accipiens Librum Evangeliorum de Scapulis jam consecrati, ipsumque ei tradens, ait *Accipe Evangelium & prædica &c.* Quare cùm non satis constet, quâ in actione præcisè consistat essentia consecrationis Episcopalis, studiosè curandum est, ut quælibet earum, de quibus posset esse dubitatio quoad hoc, exactissimè adhibeatur. Ad quòd alioquin sufficere quoque deberet Ecclesiæ ritus.

Quod verò *Arriaga suprà* ad probandum suum intentum adducit factum *Innocentii III.* qui (ut habetur c. *Cum venisset, de sacra Vnctione*) jussit Episcopum Bracarensem, in consecratione non unctum, per Episcopum Albanensem duobus aliis assistentibus in capite & manibus sacro chrismate delinire: hoc (inquam) parum probat: nam adhuc erat ratio illam supplendi, etsi foret ceremonia tantùm Ecclesiastica, præsertim tam gravis momenti; prout suppleri solent ceremoniæ Baptismi. Immo hinc videtur posse potiùs argui, quòd Unctio sit mera ejusmodi ceremonia: nam certè non apparet, qualiter ipsa, post tantum temporis intervallum à diverso Episcopo ungente Romæ adhibita, potuisset cum actionibus Bracaræ in Lusitania peractis uniri ad complendum unicum Sacramentum sive consecrationem Episcopalem: quæ proinde supponitur sine Unctione fuisse valida; aliàs enim tota Episcopalis consecratio fuisset supplenda sive iteranda. Quo tamen non obstante cogitari posset, eam requiri quidem tamquam partem ab Ecclesia Romana, etsi in Provincia Bracarensi non foret nunc usitata aut omnino necessaria, Episcopis idem intendentibus per alia signa conferre Episcopalem potestatem.

Qui nihilominus communiorem sententiam sequi mallet, ad *Pontificale Romanum* respondere posset, ipsum similiter in Ordinatione Subdiaconi uti voce *Ordinandus* usque ad traditionem libri Epistolarum; quæ tamen juxta Doctores plerosque ipsumque *Arriaga sect. 4.* non est partialis materia. *Pontificale* autem utitur voce *Consecratus*, eò quòd saltem post Unctionem (in qua more consecrationis Regum elucet species quædam consecrationis, immo quæ vocatur consecratio capitis & manuum) plenè & certò sit completa ipsa consecratio, etiam velut accidentaliter, sic ut subsequens traditio Baculi pastoralis, Annuli, Libri Evangeliorum

geliorum non tam pertineat ad consecrationem ipsam, quàm stat in signum potestatis jam plenissimè acceptæ. Aut certè voluit *Pontificale* præscindere à determinatione Opinionum controversarum, vocans tunc demum Consecratum, quando omnium opinione certò consecratus est.

Dico II. Ordinatio sacerdotalis constat duplici materiâ & formâ. Prima est porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostia, sub hac vel simili forma: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis.* Secunda est impositio manuum super caput ordinandi cum hac forma: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retineris, retenta sunt.* Ita *Scotus dist. 24. n. 9. Bellarminus, Vasquez* & alii communiùs.

Prima pars clarè patet ex *Florentino* dicente: *Presbyteratus traditur per calicis cum vino & patenæ cum pane porrectionem.* Et infrà: *Forma Sacerdotis est, Accipe potestatem offerendi &c.* Deinde per hæc signa sensibilia perfectissimè significatur conferri ordinando potestatem consecrandi & sacrificandi, ut clariùs significari non posset: ergo in illis velut materiâ & formâ confertur Sacramentum Ordinis. Tertiò, hic modus est prorsus similis illi, quo Christus Apostolos ordinavit Sacerdotes, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Confirmatur: quia mox post prædicta in *Pontificali Romano* appellantur sæpiùs Presbyteri, Sacerdotes, noviter ordinati, & præscribitur, ut cum Episcopo verba consecrationis eodem momento dicenda proferant; nève Presbyteri ante communionem dicant confessionem, nec detur eis absolutio, eò quòd concelebrent Pontifici seu Episcopo: ergo censet Ecclesia ipsos tunc habere potestatem consecrandi.

Secunda pars (quam negat *Scotus, Valentia* & quidam alii) probatur ex *Tridentino*, quod non tantùm *sess. 23. can. 4.* declarat Episcopos non frustrà dicere in sacra Ordinatione, *Accipe spiritum sanctum*; sed etiam *sess. 14. c. 1.* docet expressè per eadem verba *Apostolis & eorum legitimis successoribus potestatem remittendi & retinendi peccata fuisse communicatam*: hæc autem potestas est una ex præcipuis Sacerdoti propriis: adeoque ad rationem Sacramenti spectat illud, per quod potestas ista confertur. Et ibidem *c. 3. de Extrema Unctione* docet, *Proprios hujus Sacramenti ministros esse Episcopos aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos per impositionem manuum Presbyterii.* Ubi sanè dubio alludit ad modum loquendi Apostoli Pauli; & ad hanc partem Ordinis sacerdotalis. Confirmatur: quia illa verba propriè significant tunc conferri ordinando potestatem remittendi peccata: ergo hæc potestas præcisè tunc confertur, & consequenter ista verba spectant ad rationem Sacramenti.

Nec obstat I. quòd *Florentinum* assignans materias & formas Sacramentorum, memorinerit tantùm prioris partis: quia nominando traditionem instrumentorum non excluſit impositionem manuum: sicut *Tridentinum* hanc nominando (quam etiam nominat *Carthaginense IV.*) non excluſit traditionem instrumentorum. Neque intendit *Florentinum* assignare adæquatam materiam Sacerdotii, sed tantùm tradere exemplum doctrinæ generalis à se præmissæ, nempe materiam cujusque Ordinationis esse illud, cujus traditione confertur Ordo; supponens aliam materiam, quæ ex *Tridentino* & antiquitate est satis nota; & fortasse (inquit *Bellarminus*) in hoc ultimo non errabant Armeni, quos ibi Concilium instruit. 37. *Non obstat quòd Florentinum non memi-nerit posterioris materiæ aut formæ.*

Non obstat II. quòd ante hanc manus impositionem *Pontificale Romanum* loquatur de Sacerdotibus tamquam jam ordinatis: nam intelligi potest hoc de Ordinatione Sacerdotis quà talis, seu quoad partem principalem, scilicet in ordine ad sacrificandum; etsi adhuc complenda per potestatem absolvendi: quæ etiam ipsis Apostolis fuit separatim post resurrectionem tradita *Joann. 20.* eâdem planè verborum formâ; quos tamen Christus jam in ultima cœna juxta *Trid. sess. 23. c. 1.* ordinaverat Sacerdotes, datâ scilicet potestate super corpus Christi verum, posteà complendâ per potestatem super corpus Christi mysticum. Cujus rei indicium apparet etiam in hoc, quòd Episcopus ordinans peracto hoc ritu statim explicet casulam, quam quilibet ordinandus priùs habebat in se ipsa complicatam super humeros, & eâ unumquemque induat. 38. *Non obstat etiam, quòd ante istam manûs impositionem & formam electi vocentur Sacerdotes & Ordinati.*

Non obstat III. quòd in Pontificalibus quibusdam non præscribatur ista manuum impositio cum verbis prædictis, ut refert *Angelus à V. Ordo t. n. 5.* Quod etiam non fit in antiquo *Ordine Romano Tom. 8. Bibl. Patrum.* Prout etiam verba ista (ut ipse vidi) non habentur in insigni & antiquo M. S. Pontificali seu Bibliothecæ Collegii Lovaniensis Societatis Jesu. Non obstat, inquam: nam standum potiùs est Pontificali Romano, quod probavit Ecclesia Romana omnium aliarum magistra. Sanè in *Sacramentario Gregorii* edito per *Hugonem Menardum*, & quibusdam Manuscriptis ab eo relatis omittitur ipsa traditio calicis cum vino & patenæ cum hostia, & forma correspondens. Deinde in præfato Codice M. S. post unctionem manuum cum verbis correspondentibus dicuntur tertiò jam Ordinati, priusquam eis sit applicatus calix & patena cum forma, *Accipe potestatem offerendi &c.* & tamen constat ex *Florentino* hanc traditionem cum verbis esse materiam & formam. Facilè autem potuit in similibus Scriptis esse per errorem aliquid omissum; aut 39. *Non obstat præterea, quòd hæc materia & forma in quibusdam Sacerdotalibus omittatur.*

aut certè Ecclesia potuit olim determinasse aliam materiam & formam, postea verò determinasse eam quam assignavimus conformiter ad dicenda *nn.* 1. & 52.

40. *Non obstat denique, quòd manus impositio dicatur ritus ab Apostolis introductus,* c. Presbyter de Sacram. non iterand.

Non obstat IV. quòd c. *Presbyter, de Sacramentis non iterandis*, impositio manûs adhiberi solita dicatur *ritus ab Apostolis introductus*. Hoc enim dicitur, vel quia ab illis primò est usurpatus & in Ecclesiam introductus, estò non primò institutus: vel certè quia ex commissione Christi factâ Ecclesiæ, est ab illis determinatus. Nisi quis malit Pontificem loqui de prima manûs impositione, quæ fit sine verbis, primò ab Episcopo, deinde consequenter à Sacerdotibus adstantibus: videturque solùm esse ceremonia Ecclesiastica. Sed contrà facit, quòd in fine capitis dicitur: *Suspensio autem manuum debet fieri, cùm Oratio super caput effunditur ordinandi*. Oratio utique sensibilis, id est, ipsa forma. Deinde pariter ibi sermo est de Ordinatione Diaconi, in qua manûs impositio unica adhibetur, pertinetque ad substantiam Sacramenti, ut volunt plurimi, de quo infrà. Denique jubet Pontifex omissam suppleri, idque statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos: quod suadet illam non esse merè ceremonialem.

41. *Ordinatus Sacerdos ad consecrandum tantum, invalidè absolveret & ungeret.*

Ex his sequitur I. completam Ordinationem Sacerdotis constare duabus partialibus; quarum utraque confert distinctam potestatem: & ordinatum priori tantùm ordinatione posse quidem validè consecrare, non tamen validè absolvere. Idemque est, de collatione extremæ Unctionis, quæ est consummativa Pœnitentiæ; adeoque ministrum habet Sacerdotem, quâ parte præditus est potestate super corpus Christi mysticum.

42. *An validè foret ordinatio Sacerdotis cũ patena & calice vacuo.*

Sequitur II. non fore validam consecrationem, si porrigatur calix vacuus & patena sine pane triticeo: deficeret enim materia Sacramenti à *Florentino* requisita. Et quidem calix & patena non adhibentur quasi ipsa sint pars Sacramenti, sed quia sunt continens, sine quo materia non solet, nec potest commodè applicari. Unde si porrigeretur vinum sine calice, vel panis sine patena, valeret Ordinatio. Similiter non valeret, si deesset, vel solum vinum, vel sola hostia, juxta Doctores communiùs: nam utrumq; pro materia assignatur ab Ecclesia Latina, in qua collatio potestatis ad sacrificandum fit per illam materiam, adeoque ad illam alligari videtur intentio conferentis.

Vel si desit in alterutro materia Consecrationis.

43. *An saltem tali casu deberet iterari sub conditione Ordinatio.*

Quare si hoc ex errore contingeret, deberet Ordinatio iterari sub conditione, ob dubium de valore. Quidquid noster *Marchant in Resol. de Sacram. Ordinis Casu* 1. oppositum adeò indubitatum putet, in contingentia facti, quo defuerat vinum in calice, censuerit Ordinationem ne sub conditione quidem repetendam esse. Sanè communis quasi Doctorum oppinio opposita saltem præbet ansam dubitandi: quam non plenè excutiunt fundamenta, quæ ipse adfert. In præsenti porrò negotio procurandæ est plena certitudo de valore, ob incommoda irreparabilia & maxima, quæ ex invalida Ordinatione sunt oriunda. Quàmvis fatear intendente Ministro, & simul saltem volente Ecclesiâ, non apparere mihi efficax fundamentum, cur hujusmodi Ordinatio valere non posset, si deesset sive vinum, sive hostia; immo quàmvis & calix & patena foret vacua: ordinante enim Ecclesiâ & volente ministro, posset per traditionem hujusmodi instrumentorum, quæ sunt ordinarium continens materiæ consecrandæ, accedente formâ, satis tradi & denotari potestas consecrandi.

Dico III. Materia Diaconatûs partialis est porrectio libri Evangeliorum, cum hac vel simili forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium* &c. altera autem materia partialis est impositio manuum cum hac formâ: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, ad resistendum diabolo & tentationibus ejus*. Prima pars est communis, & patet ex *Florentino supra*, ubi expressè ista materia cum forma assignatur. Secunda pars est *Bellarm. l. de Ord. c.* 9. *Coninck* & plurium aliorum contra multos. Probatur: quia Diaconatus ab initio Ecclesiæ sic fuit collatus, ut etiam alii fatentur; & significanter *Act.* 6. primi Diaconi sic leguntur ordinati. Similiter *Carthaginense IV.* quod pro aliis etiam minoribus Ordinibus assignat propriam materiam, meminit solius manûs impositionis. Idemque innuit *Concilium Ancyranum* & *Dionysius c.* 5. *Ecclesiasticæ hierarchiæ*. Huc etiam facit *Tridentinum sess. can.* 4. dicens anathema ei, qui dixerit, *per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, & proinde frustrà Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum*; hoc autem Episcopi etiam dicunt in ordinatione Diaconi. Et quàmvis *Florentinum* solius porrectionis libri Evangeliorum meminerit, tamen impositionem manuum ex usu Ecclesiæ perspectam non excusit; prout dictum est *Conclus. præc.* emendo de materia & forma Sacerdotii.

Contra primam Conclusionis partem objicitur, quòd tempore Apostolorum Diaconi sint ordinati sine traditione Evangeliorum, utpote quæ nunc nondum erant conscripta, cùm Matthæus inter Evangelistas primus illud scripserit anno octavo post Christi ascensionem, teste *Baronio ad annum* 41. Ergo traditio Evangeliorum non est de essentia hujus Sacramenti. Resp. in primis potuisse ab initio in chartis fuisse descripta aliqua facti mysteria, quæ utique habuissent eamdem vim & nomen Evangelii, & ad Ordinationem sufficiebant. Deinde Apostoli potuerunt Diaconatum per solam manûs impositionem conferre, saltem pro isto tempore: idque ex permissione Christi, ut Varii docent, vel potiùs quia

penes

penes illos Christus reliquerat specificam determinationem materiæ: ut latiùs dicetur.

Dico IV. Materia Subdiaconatûs est traditio calicis vacui cum patena vacua. Patet ex *Florentino* & *Carthaginensi IV.* Forma videntur esse verba, quæ habentur in *Pontificali*: *Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut sta vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Nec obstat, quòd aliqui putent Subdiaconos olim non licuisse tangere sacra vasa, ex *Concilio Laodiceno can.* 21. Hoc namque falsum est, ut ostendit *Vasquez d.* 238. *n.* 61. solùm enim fuit illis prohibitum ea tangere, quando actu continebant corpus aut sanguinem, ut ex antiquitate satis constat.

Varii recentiores etiam addunt traditionem libri Epistolarum, saltem velut partem integrantem minùs principaliter, cum hac forma: *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi &c.* tum quia utrumque in *Pontificali* ex æquo ponitur, & ante traditionem libri Epistolarum necdum dicuntur ordinati, sed ordinandi: tum à simili ex dictis de Diaconatu; cùm & hic actus pertineat ad officium Subdiaconi, sicut legere Evangelium ad officium Diaconi. Et quàmvis non semper hæc materia fuisset adhibita, potuit tamen postmodum Ecclesia eam præscripsisse tamquam necessariam. Qui quidem modus dicendi difficulter improbatur: quàmvis neque efficaciter ejus probationes convincant, & sit contra communem sententiam.

Dico V. Materia Acolythi est traditio ceroferarii, & urceoli vacui, vel saltem alterutrius: materia Exorcistæ est traditio libri exorcismorum: Lectionarii, traditio libri lectionum: Ostiarii, traditio clavium Ecclesiæ. Forma Ordinationis prædictorum, sunt verba, quæ profert Episcopus in applicatione prædictorum instrumentorum. Patet Conclusio ex *Carthaginensi IV.* & *Pontificali Romano*; & colligitur ex *Florentino in Decreto*, ubi expressâ materiâ majorum Ordinum subdit: *Et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.* Et assignatâ formâ Sacerdotii subdit: *Et sic de aliorum Ordinum formis.*

Petes: An requiritur contactus physicus instrumentorum, quibus apud Latinos Ordines conferuntur? Resp. indubiè requiri ex præcepto: tum ob ritum Ecclesiæ, tùm ne Sacramentum exponatur periculo invaliditatis. Ad valorem tamen probabiliùs sufficit contactus moralis, ut plures docent, contra multos alios requirentes contactum physicum. Probatur: quia contactus physicus nec requiritur ex speciali Christi institutione, quæ nullibi habetur: nec ex ratione hujus Sacramenti; quod cùm consistat in traditione cujusdam potestatis sive deputatione ad certa ministeria Ecclesiastica, potiùs tantùm exigit contactum moralem, sicut hic sufficit in traditione aliarum rerum, & institutione aliorum officiorum, tam civilium, quàm Ecclesiasticorum. Verum quidem est in Nonnullis Sacramentis, v.g. Baptismo, Confirmatione &c. materiam debere subjecto physicè applicari: hoc tamen oritur ex speciali significatione formæ, quæ hoc exigit: ad verificationem autem formæ Ordinationis, *Accipe potestatem* &c. non requiritur, nisi moralis materiæ applicatio. Esto denique, quod (ut quidam arbitrantur) potuisset ex mente Christi determinare contactum physicum, etiam tamquam omnino necessarium; non constat saltem sufficienter de facto.

50. *Nota pro praxi.*

Quòd si ordinandus in Sacerdotem physicè tangat calicem, multò certius est, ad valorem non requiri contactum physicum patenæ superpositæ: immo moraliter omnino certum videtur ad valorem non requiri, ut physicè tangat hostiam patenæ suppositam; quia etiam censetur hæc tangi physicè, etsi solùm mediatè, dum physicè tangitur calix. Quemadmodum indubitatum est, non debere immediatè tangi vinum in calice contentum. Quare etiam in *Pontificali* solùm præscribitur, ut ordinandus tangat simul cuppam calicis & patenam, non factâ hostiæ mentione. Ut proinde ne sub conditione quidem repeti tali casu Ordinationem quisquam prudens suadere possit. Vide *Præpositum dub.* 10. *n.* 92. *& seqq.*

51. *Contra hactenus dicta movetur difficultas ex diverso ritu Græcorum; quem tamen legitimum esse, declaratur.*

Sed circa hactenus à nobis dicta exurgit non levis difficultas desumpta ex ritu Græcorum: nam in tota Ecclesia Græca conferuntur Ordines absque omni instrumentorum traditione, solis verbis ab Episcopo prolatis, simul cum impositione manûs dexteræ: verba quoque à nostris differunt, nec expressè significant ministerium & opus cujusque Ordinis: nam Diaconatus confertur per manûs impositionem, dicente Episcopo: *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt adimplet, promovet, piissimum N. Subdiaconum in Diaconum; oremus pro eo, ut veniat super eum gratia SS. Spiritûs.* Simili ritu & formâ verborum confertur Presbyteratus. De valore autem istius ritûs non videtur absque temeritate posse dubitari: quia non tantùm viget apud Græcos Schismaticos (quos tamen revertentes ad Catholicam Ecclesiam, ipsa suscipit in suis Ordinibus) sed etiam apud Græcos Catholicos, & illos ipsos, qui Romæ degunt, ibique more suo ordinantur, consentiente Pontifice: qui etiam mandavit quæri Episcopum græcum, qui Romæ ritu Græco ordinet Græcos, alioquin Latinis Episcopis subditos: ut patet ex *Instructione Clementis VIII.* editâ anno 1593. die 31. Augusti. Idem confirmatur ex vetustissimis Græcorũ Ritualibus, quorũ præscrip-

tio nequidem in *Concilio Florentino* est in dubium vocata: in quo tamen de unione Græcorum cum Latinis tractatum fuit. Quinimmo Cardinalis *Bessarion* Græcus ritu Græco ordinatus eidem interfuit, aliique similiter ordinati Cardinalitiâ & Patriarchali dignitate floruerunt, hodieque ipse Pontifex Græcos, Græco ritu ordinatos, instituit Episcopos & Archiepiscopos, ac ad Græcos Catholicos mittit, ut ibi Pontificalia munia obeant. Denique in Catechismo vulgari Græco S. Congregationis de propaganda fide jussu & expensis Romæ excuso de Sacramento Ordinis dicitur (ut refert *Jacobus Goar in Notis ad Ordinationem Presbyteri n.* 11.) *Materia hujus Sacramenti est impositio manûs super caput eorum qui ordinantur: forma, id est, verba, quæ Sacramento virtutem conferunt, sunt hæc: Divina gratia &c.*

Propterea fatendum materiam & formam Ordinum relictam esse quodammodo determinationi Ecclesiæ.

Propter hæc omnino fatendum est, Ordines non esse à Christo quoad materiam & formam in specie infima determinatos, sed potiùs Christum solùm determinasse, ut conferrentur per aliqua signa sensibilia, & verba, quæ sufficienter significarent collationem potestatis, relinquendo Ecclesiæ magis specificam, ac velut materialem signorum & verborum determinationem. Ita sentiunt *Bellarminus* & reliqui Recentiores, qui hanc difficultatem moverunt. Et planè convincitur ex differentia ritûs Latini & Græci, supposito utriusque valore, qui utique necessariò supponi debet, juxta præmissa.

§ 2.

Morinus arguit verba Divina gratia &c., *non esse formam,*

Verùm opponet quispiam cum *Morino Exercitat. 2. c. 3.* verbo *Divina gratia &c.* non esse etiam apud Græcos formam ordinationis; quippe quæ præviè ad illam proferuntur, quasi publicando Electum ad ordinationem. Ideoque etiam proferuntur, dum promovetur Diaconissa, Oeconomus, Abbas, vel dum Episcopus transfertur ad alium Episcopatum. Immo manûs impositio tum demum adhibetur, cùm paucis interpositis Ordinans certam orationem subsequentem super Electum effundit; prout etiam videre est in *Euchologio Tit. Ritus in Ordinatione Episcopi servandus* apud *Jacobum Goar*. Unde potiùs in aliis verbis sive precationibus censendum est apud Græcos consistere formam Ordinationis.

Responsio.

Respondeo, vetera Græcorum Rituum videri quidem discrepantia, & complura fortè esse mutila, aut ex parte vitiata: fortè etiam in diversis Græcorum provinciis diversos, eosque validos, fuisse Ordinationum ritus: unde potiùs firmantur mox præmissa à nobis de relicta Ecclesiæ potestate determinandi signa seu symbola magis individualiter aut specificè. Negari tamen non potest, quin legitima & securissima sit forma in Catechismo præallegato expressa. Quam pariter comprobat *Simeon Thessalonicensis* Græcus, asserens, quòd tunc Subdiaconus fiat Diaconus, dum proferuntur verba *Divina gratia &c.* & Episcopus habet manum supra caput Ordinandi. Quemadmodum in Euchologio Græcorum (quod *Jacobus Goar* latinitati donavit) Episcopus dextram manum capiti ordinandi in Diaconum aut Presbyterum impositam habens exclamat: *Divina gratia &c.* Prout etiam in *Codice Barberino S. Marci* apud Eumdem *Goar* post plura præambula, jamque traditum sub certa verborum forma baculum pastoralem Episcopus Ordinandus ad altare adducitur, & unus Pontificum, nimirum primus S. Evangelium accipit, & confestim inversum in faciem ponit super caput ejus, illudq; hinc inde Pontifices tenent; deinde omnibus audientibus dicit Pontifex: *Suffragiis & approbatione &c. Divina gratia quæ infirma semper curat* &c. Pontifices autem Evangelium tenent & Pontifex, qui consecrat, super caput Ordinati tres cruces facit, & ei benedicit in nomine Patris &c. Consonatque *M. S. Euchologium Allatianum*. Nec mirum, quòd eadem verba Sacramentalia in promotione Diaconissæ, Abbatis &c. proferantur velut merè cæremonialia, juxta subjectam materiam: prout idem cernitur in impositione manûs. Et sicut apud Græcos olim unctio S. Olei infirmorum cum suis formulis sive orationibus adhibita quoque legitur peccatoribus gravibus alioquin corpore sanis, tamquam cæremonia simplex.

QUÆSTIO V.

Quis sit Minister Ordinis?

DICO I. Ordinarius Minister Ordinis est Episcopus. Est de fide ex *Florentino Ordin. in Instruct. Armenorum*, & *Tridentino sess. 23. can. c. 4. & can. 7.* & patet ex perpetua praxi Ecclesiæ. Quia autem Ordinatio non est actus jurisdictionis, sed Ordinis, fundatus in charactere Episcopali, valida est Ordinatio, quantumvis Episcopus foret hæreticus, excommunicatus, degradatus &c. Ita *Scotus dist. 35. n. 14.* & alii unanimiter. Tamen supposito quòd minores Ordines nõ essent Sacramenta, sed tantùm quædam sacramentalia ab Ecclesia instituta, dicendum esset collationem eorum posse ab Ecclesia irritari.

DICO II. Ex Papæ commissione potest simplex Sacerdos conferre minores Ordines, Ita *Scotus dist. 24. n. 8.* & alii unanimiter. Patet ex privilegiis, quibus id conceditur Abbatibus: quæ privilegia sunt in usu, & admittuntur ab ipso *Trid. sess. 23. c. 10. de Reform.* & ob hoc signanter *Florentinum & Tridentinum*, dum exprimunt ministrum hujus Sacramenti esse Episcopum, addere videntur ly *Ordinarium*. Patet etiam ex *c. 1. de Ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatui*, ubi expresse habetur, minores Ordines à non Episcopis quandoque conferri. Patet deni-

deniq; ex privilegiis concessis Minoritis Missionariis in partibus remotissimis infidelium, signanter apud Indos. Vide Bullam Leonis X. *Aliàs Felicis* 3. *in Bullar. Rodric.*

Dico III. Similiter ex commissione Papæ potest simplex Sacerdos conferre Subdiaconatum, immo & Diaconatum. Ita *Vasquez* & plures alii contra multos antiquos & recentiores. De Subdiaconatu probatur ex variis Pontificum concessionibus, quas adfert *Vasquez d.* 243. *c.* 4. Idem concessisse Pontificem Abbati cujusdam monasterii Germaniæ Ordinis Cistercienſis, attestatur *Navarrus l.* 5. *Consilior. tit. de privilegiis Consil.* 14. & *Victoria in Summa de Sacram. Ord. n.* 235. dicit se vidisse Bullam Papæ quibusdam Abbatibus Ordinis Cistercienſium concedentis, quòd possent conferre Subdiaconatum.

De Diaconatu probatur ex Bulla *Innocentii VIII.* quæ est 5 in *Bullario Rodriguez*, & habetur in nova Compilatione privilegiorum Ordinis Cistercienſis. Eamdem se vidisse in quodam vetusto Codice Collegii Complutenſis, qui inscribitur, *Collector Bullarum Ordinis Cistercienſis*, testatur *Vasquez supra n.* 39. In hac Bulla Pontifex Abbati Cistercienſi & quatuor aliis præcipuis Abbatibus ejusdem Ordinis concedit facultatem conferendi Ordinem Diaconatûs suis Religioſis. Eamdem potestatem re ipsâ concessisse Pontificem Prælatis Franciſcanis in India, testantur viri fide digni, ut ait *Vasquez & Tannerus d.* 7. *q.* 3. *dub.* 2. *n.* 30. Cùm itaque factum constet (etsi de eo dubitet *Coninck d.* 30. *n.* 91.) de jure non videtur dubitandum: adeòque sicut ex factis Pontificum Theologi communiter docent simplicem Sacerdotem esse à Christo institutum ministrum Confirmationis extraordinarium ex commissione Pontificis; sic etiam de præfatis Ordinibus est sentiendum. Idemque sensisset *D. Thomas, Scotus* & veteres Scholastici, si simile exemplum habuissent; ut circa *Scotum* rectè advertitur in *Commentario dist.* 24. *n.* 94. Accedit specialis congruentia, quòd Diaconatus & ceteri Ordines inferiores sint infra Sacerdotium, & in eo eminenter contineantur.

Indubitatum tamen est, Episcopatum non posse conferri à simplici Sacerdote, ut Omnes docent: gradus enim Episcopalis neque formaliter, neque eminenter in simplici Sacerdotio continetur.

Idem juxta Doctores communiter sentiendum est, & juxta *Aversa q.* 3. *sect.* 3. & *Ostro Palao Tr.* 27. *d. un. pu.* 14 *num.* 9. extra dubitationem esse debet, de Sacerdotio (etsi de eo dubitent Nonnulli etiam recentiores) ex nullo enim solido antiquitatis vestigio constat, Ordinationem Sacerdotis umquam fuisse commissam simplici Sacerdoti, quantumvis in terris sæpè remotissimis esset penuria Episcoporum. Quare pro hujus rei persuasione sufficiet, quòd nullum tale fundamentum reperiatur.

58. *Movetur difficultas de Chorepiscopis qui erant simplices Sacerdotes;*

Solùm posset ex antiquitate moveri intricata & curiosa difficultas de Chorepiscopis, qui videntur fuisse ordinatione simplices Sacerdotes, ut colligitur ex *Damaso Epist.* 5 aliàs 4. sic dicti quasi villarum seu rurales Episcopi conformiter ad græcam vocem Χωρη, quæ significat villam, ut habet *Damasus suprà*, quia nimirum in villis vel modicis oppidis præsidebant cum speciali aliqua potestate seu jurisdictione, sub Episcopo principali civitatis, sicut Vicarii seu Decani rurales. De quibus *Concilium Hispalense II. c.* 7. ait: *Relatum est nobis, Agapium Cordubensem Episcopum frequenter Chorepiscopos vel Presbyteros destinasse (qui tamen juxta Canones unum sunt) qui absente Pontifice altaria erigerent &c.* Quare instar presbyterorum ordinabantur veluti de lege ab unico Episcopo; & quidem pro villis seu pagis. His verò etsi illicitum foret Presbyteros, immo & Diaconos ordinare suâ auctoritate, videntur tamen utrumque potuisse ex commissione Episcopi, ut colligitur ex *Concilio Ancyrano* celebrato tempore Silvestri Papæ *can.* 13. ubi decernitur, *Chorepiscopos non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed neque urbis Presbyteros, nisi cum litteris ab Episcopo permissum fuerit in aliena parochia.* Et ex *Concilio Antiocheno* sub Julio I. *can.* 10. ubi de iisdem dicitur: *Nec Presbyterum verò nec Diaconum audeant ordinare, præter civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est.*

Et tamen juxta Canones ex commissione Episcopi videntur potuisse Ordinare presbyteros.

59. *Verum hi canones facilè explicantur.*

Verùm ad hos Canones facilè respondetur. Nam in primis Canon iste *Concilii Ancyrani* supplendus est ex duplici versione paralelâ apud *Binium*, & præsertim primâ (quæ est *Dionysii Exigui*, quamque ut fideliorem & antiquiorem sequitur *Baronius ad annum* 314. *n.* 51.) hoc modo: *Sed nec Presbyteris civitatis sine præcepto Episcopi vel litteris, in unaquaque parochia aliquid imperare &c.* Canon *Concilii Antiocheni* (quod fuit illegitimum *Arianorum* Concilabulum) explicari potest hoc sensu, quòd caveant Chorepiscopi, ne Presbyterum audeant ordinare præter civitatis Episcopum, seu sine ejus interventu, vel (ut habet alia versio) *absque Episcopo*, adeòque id non audeant per se ipsos. Nec sanè ulli hactenus in mentem venit, licuisse Episcopo committere simplicibus sacerdotibus facultatem ordinandi alios Presbyteros: ut proinde hinc nemo possit solidum desumere fundamentum dubitandi, an id Presbyteris competere possit etiam ex commissione Papæ.

60. *Addo aliquos Chorepiscopos fortè habuisse Characterem Episcopalem.*

Addo fortasse nonnullos Chorepiscopos fuisse aliunde Ordinatione veros Episcopos (ut pluribus viris doctis verosimile apparet) prout hodie sunt nonnulli titulares seu suffraganei, quibus proinde ex commissione Episcopi, & non aliter, competere poterat Ordinatio Presbyterorum. De qua-

libus loqui *Conciliabulum Antiochenum suprà*, videtur colligi ex his verbis: *Qui in vicis vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manûs impositionem Episcoporum* (intellige, plurium simul, ut etiam advertit *Damasus Papa suprà*) *perceperint, & ut Episcopi consecrati sint &c.* Vide etiam dicenda *n.* 56.

61. *An Episcopus sit necessariò cõsecrandus à tribus Episcopis.*

Sed difficultas non modica exstat de Ordinatione Episcopali, an ad illam debeant necessariò concernere tres Episcopi tanquam ministri. Et quidem certum est, quòd sic, loquendo de necessitate præcepti, saltem Ecclesiastici. Plures præterea putant exstare de hoc jus divinum sive institutionem Christi. Hinc insuper Nonnulli putant, illud ipsum requiri de necessitate Sacramenti, & ad valorem ipsius Ordinationis. Qui rursum sunt inter se divisi. Nam *Vasquez* & alii censent saltem ex commissione Papæ posse Episcopum ordinari ab uno Episcopo: alii etiam hoc fieri posse negant, existimantes tam necessariò tres Episcopos esse ministros ordinationis Episcopalis, quàm Sacerdos est minister confectionis Eucharistiæ; ut docet *Castro Palao Tr.* 27. *d. un. pu.* 14. *n.* 13. referens *Henriquez*, *Comitolum*, *Barbosa* videri idem docere, ita scilicet necessariò requiri tres Episcopos, ut nequeat Pontifex in hac parte dispensare, & uni tantùm consecrationem committere.

Referuntur variæ sententiæ.

62. *Indubitatũ est sufficere unum Episcopum ex cõmissione Papæ frequenter factâ.*

In hac quæstione existimo in primis citra dubium valere Ordinationem Episcopalem factam ab uno Episcopo ex commissione Papæ, si debitè constaret (prout constat) hujusmodi concessiones à Sede Apostolica emanasse; quæ utique non foret credenda velle uti in re tanti momenti, tantarumque consequentiarum, ob ordinationes præsertim ab eis dandas, potestate infundatâ aut dubiâ. Et quidem *Morinus Parte* 3. *Exercitat.* 4. *c.* 2. *n.* 14. allegans *Anastasium in Pontificali*, *Baronium*, *Ciacconum*, refert *Pelagium I.* Pontificem à duobus Episcopis & uno Presbytero ex Archidiaconis in Episcopum esse ordinatum, nullis aliis Episcopis tunc Romæ existentibus. Deinde ordinariè refertur concessio à *S. Gregorio* facta S. Augustino Angliæ Apostolo ex *lib.* 12. *Epist.* 31. *ad interrogat.* 8. Sed *Mercerus*, *Coninck* & alii contendunt textum esse mendosum: ut proinde hoc solo allegato insufficienter firmet *Arriaga d.* 57. *n.m.* 31. omnimodam certitudinem suam, quam habet de hujusmodi pontificia potestate. Nihilominus probabile inde saltem fit argumentum, cùm textus correctiores (quibus videtur favere contextus, etsi non convincere) sic habeant: *Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter, nisi sine Episcopis* (alii textus habent, *nisi cùm Episcopis*) *potes.* Refert insuper *Præpositus de Sacram. Ordinis dub.* 10. *Gregorium XIII.* concessisse Patriarchæ Æthiopiæ, ut per unum Episcopum consecraretur. Immo passim concedit S. Sedes hujusmodi facultates. Vidi ipse Transumptum indubitatum Litterarum Apostolicarum datarum Anno 1647. die 8. Februarii, quibus *Innocentius X.* tribuit facultatem Jacobo de la Torre Archiepiscopo Ephesino, ut consecretur à *Fabio Chisio* Episcopo Neritensi & Nuntio Apostolico, dum Pontifice Romano dicto *Alexandro VII.* assistentibus, loco duorum Episcoporum, duabus personis in dignitate Ecclesiastica constitutis. Item habeo aliud Transumptum authenticum, quo ob difficultatem obtinendi tres Episcopos idem *Innocentius X.* Anno 1654. die 20. Junii Episcopo Dionysiensi, moderno suffraganeo Leodiensi, concedit facultatem suscipiendi munus consecrationis à quovis Catholico Antistite, assistentibus duobus Abbatibus mitratis. Idem confirmatur à fortiori ex mox dicendis.

Discutitur rescriptum S. Gregorii ad S. Augustinum Angliæ Apostolum.

Itaque existimo præterea necdum satis constare, quòd tres Episcopi requirantur lege ordinariâ de necessitate Sacramenti, aut ex institutione Christi, ut proinde hoc ad solam legem Ecclesiasticam antiquissimam referatur ab *Antonino*, *Turrecremata*, *Silvestro*, *Sanchez*, *Petro Arcudio* & pluribus aliis, etiam recentioribus, ut refert & sequitur *Aversa quæst.* 3. *sect.* 2. Nam in primis factum *Gregorii* non satis apparet esse instar commissionis extraordinariæ; qualis committitur potestas confirmandi simplici Sacerdoti, sed potiùs per modum declarationis & doctrinæ pro casu necessitatis. Idem conficitur ex Decreto Simonis Apostoli apud *Clem. lib.* 8. *const. Constit. Apostolic. cap.* 27. constituentis, quòd *debeat ordinari Episcopus à duobus, aut tribus Episcopis: sin verò aliquis ab uno Episcopo ordinatus fuerit, tum is qui ordinatus est, tum is qui eum ordinavit, deponatur. Quòd si necessitas coëgerit ab uno ordinari, quòd propter persecutionem aut aliam causam plures adesse non possint, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum.* Ad quod non aliud respondet *Castro Palao sup. n.* 14. quàm plura in isto libro contineri infirmæ auctoritatis. Deinde quòd saltem duo sufficiant colligi solet ex *can.* 1. *Apost.* ibi: *Episcopus à duobus vel tribus Episcopis consecretur.* Quod tamen alii eludunt, dicendo subintelligi, *Præter Metropolitanum*, ut clarius loquuntur Jura posteriora. Accedit, quòd ex modo loquendi *Arausicani I. can.* 21. colligatur, valere factum, etsi desit aliquis numero ternario Episcoporum, dum statuit invitè ordinatum à duobus Episcopis substitui in locum Ordinantis, & in locum alterius ordinari alium: si autem voluntariè sic sit ordinatus, mandat eum deponi. Quæ differentes loquendi formulæ satis insinuant Ordinationem sic factam valere.

Confirmari posset I. ex eo quòd Clerici Antiochiæ, durante schismate ordinati ab Evagrio successore Paulini, fuerint recepti ab Alexandro Episcopo, sopitis dissidiis, cùm suis honoribus & Ordinibus, ita jubente *Innocentio I.* prout allegatis ejus Epistolis refert *Baronius ad annum* 408. Cùm tamen in Ordinatione Evagrii vitium intercesserit, ut colligitur ex *Ambrosio Epist.* 78. *ad Theophilum Alexandrinum*; & quidem tale, ut à Paulino adhuc vivente, eoque solo fuerit ordinatus Episcopus, teste *Theodoreto l. Hist. Eccles. c.* 23. Igitur non est de substantia, quòd concurrant tres Episcopi. Verùm juxta *Baronium ad annum* 389. *n.* 64. relationi *Theodoreti*, veluti propensioris erga Flavianum partis adversæ eodem cum Evagrio tempore Episcopum, minùs hac in re fidendum: cui ex parte etiam *Socrates* & *Sozomenus* refragantur, affirmantes non nisi post obitum Paulini auditores ejus subrogasse Evagrium. Alioquin firma foret probatio. Accedit, quòd *Concilium Rhegiense c.* 1. ordinationem Armentarii in Episcopum Ebredunensem à duobus dumtaxat Episcopis factam decernat quidem irritam & vacuandam, ita tamen ut supponet validam quoad characterem Episcopalem, dum *c.* 3. permittit sic ordinato esse alicubi Chorepiscopum, cum facultate confirmandi baptizatos seu Neophytos; quam utique non dedisset Concilium Provinciale, nisi habenti Ordinationem Episcopalem. Deinde de Clericis ab eo ordinatis, quibus nulla conversationis macula præjudicarit, in Ecclesiæ ministerio adhibendis, relinquitur libera facultas Episcopo substituendo.

Confirmatur II. tum, quòd *Pontificali Romano* semper sit sermo de unico Consecratore, cui alii dicuntur esse Assistentes: tum quòd sit præter exemplum seu morem aliorum Sacramentorum, esse necessarios tres propriè dictos ministros: tum quòd in *Concilio Carthaginensi IV. can.* 2. describatur ritus Ordinationis, & quidem juxta *Vasquez* essentialis, his verbis: *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* Ubi solùm unus Episcopus pronuntiat formam seu benedictionem. Cur autem credatur essentialiter requiri ex parte materiæ concursum plurium ministrorum potiùs, quàm ex parte formæ?

Nec obstat I. quòd post *Anacletum* referens *Anicetus Ep. ad Gallos Episcopos* Jacobum Justum & fratrem Domini fuisse ordinatum à tribus, scilicet Petro, Jacobo & Joanne, subinferat: *Patet perfectò, eos formam, instituente domino, tradidisse, non minùs quàm à tribus Episcopis, Episcopum ordinari debere.* Nam *Anicetus*, uti & *Anacletus*, non agit de ipsa consecratione Episcopi (cùm Jacobus Minor fuerit cum ceteris Apostolis ordinatus ab ipso Christo Episcopus *Joan.* 20. vel, ut *Vasquez d.* 242. *c.* 7. *n.* 56. putat, *Matth. ult.*) sed de institutione Episcopi, quâ præfati tres Apostoli Jacobo commiserunt diœcesim istam, in eaque ipsum intronizaverunt juxta institutionem sive instructionem Christi Domini; vel quia illum visibili & ceremoniali unctione consecrarunt. Sicque formam ordinandi aliis ostenderunt, quòd nempe unus Archiepiscopus sine consensu & assistentia plurium non debeat Episcopos instituere. Vide *Glossam* in c. *Porrò dist.* 66.

Non obstat II. quòd *Damasus Papa Ep.* 5. arguat contra Chorepiscopos: *Quòd enim Episcopi non sint, qui minus quàm à tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet.* Nam id *Damasus* allegat tamquam signum; cùm non sit præsumendum Episcopos contra tam solemnes Canones processisse in Ordinatione Episcopali; non quia id sit contra jus divinum: sed (ut ait *Damasus*) *quoniam (uti bene nostis) prohibitum à sacris est Patribus, ut qui ab uno vel à duobus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi.* Quàmvis alioquin generatim agat ibi *Damasus* non tantùm contra ordinatos ab uno Episcopo, sed etiam contra ordinatos à pluribus, sive titulo alicujus Ecclesiæ ruralis aut parvi oppidi, sive absolutè absque certo titulo; ostendens ibidem hæc esse illegitima, & contra Canones. Similia, quæ habet *Joannes Papa Ep. contra Chorepiscopos ad Episcopos Galliæ & Germaniæ*, similiter explicanda sunt. Vel sanè vult sic ordinatum non habendum esse pro Episcopo, eò quòd sit suspensus & deponendus. Quàmvis alioquin Epistola sit supposititia, ut ostendit *Baronius*, & post eum *Binius in Notis* ad eamdem. Attamen *Morinus Exercitat.* 4. *c.* 2. *n.* 13. asserit Epistolis, quantumvis spuriis *Damasi* & *Leonis I.* ac *Joannis III.* auctoritatem accessisse ex litteris *Leonis III.* ac Episcoporum Germaniæ & Galliæ, qui Epistolas illas, undecumque sint, probaverint ac similia statuerint. Denique dum quædam auctoritates ordinationem aliter factam vocant irritam, vacuandam &c. volunt, quòd sit irrita quoad exercitium & functiones Episcopales, acceptationemque Ecclesiæ, quæ talem Episcopum deponit, & officio jurisdictioneque privat. Quo modo in *Concilio Regiensi can.* 1. apud *Morinum c.* 2. *n.* 2. de ordinatione facta à duobus Episcopis, nec expetitis Comprovincialium litteris, Metropolitani quoque voluntate neglectâ (quæ posteriora utique non erant essentialiter requisita) tamquam de irrita & vacuanda est sermo; ubi sic ordinato ex misericordia permittitur, ut sit alicubi Chorepiscopus.

66. *Explicatur Damasus Papa.*

Respondetur ad præfatam Epistolam Joannis Papæ.

Et hæc quidem speculativè dicta sint. Ad praxim enim quod attinet, omnino curandum est, ut Ordinatio fiat à tribus Episcopis,

67. *Conclusio practica in hac quæstione.*

Episcopis juxta formam in Pontificali præscriptam : adeò ut si quis fuisset ab uno solo, vel etiam à duobus, sine speciali commissione Sedis Apostolicæ, consecratus, deberet iterum sub conditione à tribus simul consecrari pro majori securitate, ob aliquale dubium de valore prioris Ordinationis ; ut notat *Aversa quæst. 3. sect. 2.* & alii. Idemque consequenter dicendum foret de Presbyteris ab hujusmodi Episcopo dubiè consecrato ordinatis. Nullatenus tamen existimo scrupulum movendum in casu, quo ordinatus quis fuit in Episcopum ab uno solo ex commissione aut dispensatione Papæ : cùm de hujus Ordinationis valore non sit dubitandum.

QUÆSTIO VI.

De Subjecto Ordinis.

68. *Subjectum Ordinis capax, solus baptizatus,*

DICO I. Solus baptizatus & vir est capax Ordinis. Prima pars probatur. Tum quia est unanimis sensus Theologorum prærequirentium characterem baptismalem; qui non habetur, nisi ex valido Baptismo fluminis. Tum quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum, ut loquuntur omnes Doctores, Consonatque *Florentinum, in Decreto de Armenis*, dicens: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma; quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi ac de Corpore Ecclesiæ efficimur.* Unde c. *si quis, de Presbytero non baptizato ex Concilio Compendiensi* decernitur: *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.* Quod allegato eodem Concilio decernit *Innocentius III.* c. *Veniens, eodem tit.* quamquam allegatis rationibus dubitandi, immo proponentium actuali dubio, appellat *casum dubitabilem.* Quem si dubium ipse censuisset aut reliquisset, reordinationem utique sub conditione dumtaxat iterandam præscripsisset. Et planè solida deest ratio dubitandi de eo, quod jam olim in Ecclesia erat indubitatum. Nam *Concilium Nicænum can.* 17. (aliàs 19) *de Paulianistis* seu *Pauli Samosateni* discipulis, irritam Baptismi formam adhibentibus decrevit, ut iterum Baptizentur, & si Clerici erant apud eos, ac alioquin irreprehensibiles, rursus ab Ecclesiæ Catholicæ Episcopo ordinentur. Aliter autem decrevit de *Novatianis* non errantibus circa Baptismum, sed circa Confirmationem ; ut videre est *can.* 18. aliàs 8.

Ipsa vir.

Secunda pars est recepta apud Omnes, etiam Hæreticos, exceptis paucis de Hæresi *Montani* dictis *Pepuzianis*, qui habebãt mulieres Sacerdotes seu Presbyteras ac Episcopas. Et patet ex perpetuo sensu & praxi Ecclesiæ, cui id semper firmiter fuit persuasum; ideoque ipsa numquam permisit aliquam feminam ordinari. Confirmatur ex eo, quòd Christus nullam feminam, etiam propriam matrem, ordinaverit. Deinde Apostolus, *1. ad Cor. 14.* & *1. ad Timoth. 2.* neque idem permittit mulieribus loqui in Ecclesia ad interrogandum, volens, ut si quid discere velint, domi interrogent viros suos : quantò minùs igitur conveniunt eis Ordines Ecclesiastici, & munia eorum, præsertim Sacerdotum; quorum est in Ecclesia Missam dicere, prædicare &c.

Nec obstat, quòd apud veteres quædam mulieres dicebantur Diaconissæ &c. Nam nomen Diaconissarum erat officii, non Ordinis. Neque enim propriè ordinabantur, ut patet ex *Concilio Nicæno can.* 19. *Laodicenо can.* 11. *Epaunensi can.* 21. *Aurelianensi II. can.* 17. (quàmvis impropriè veteres interdum sic loquantur) sed benedictione quâdam deputabantur ad certa munia. Erat namque Diaconissarum officium custodire januas, quibus in Ecclesiam intrabant mulieres, comitari mulieres ad Diaconum vel Episcopum euntes, subservire Episcopo vel Presbytero baptizaturo mulieres, sive in instructione, sive in iis quoad corpus decenter agendis, ne à viris deberent denudari & attingi ; item destinari ad Christianas mulieres causâ solatii vel subsidii ; ut ex veteribus, præsertim *Clemente Romano* Varii deducunt. Insinuant præterea quidam graves Theologi (quod tamen in antiquis Historiis aut Patribus non reperiri alii contendunt) dictas quoque fuisse Diaconissas, quibus competebat ex ordinatione Abbatissæ vel Collegii regere Homiliam in matutino.

Aliâ adhuc ratione quædam dicebantur Diaconissæ, Presbyteræ & Episcopæ, quia earum viri, susceptâ jam separatione tori, susceptâque per mutuum consensum continentiâ, erant ordinati Diaconi, Presbyteri aut Episcopi, ut patet ex *Concilio Turonensi II. can.* 14. & 20. *Altissiodorensi can.* 21. & *Gregorio l.* 4. *Dial. can.* 11. Ac proinde *can.* 48. inter *Trullanos*, significatur conceditur relictæ Episcopi, ut *si digna fuerit, etiam ad diaconatûs dignitatem promoveatur*, sive Diaconissa fiat. Rursum mulieres grandevæ ætatis subinde dicebantur Presbyteriissæ seu Presbyteræ, sicut Presbyter latinè idem sonat quod senior, ut colligitur ex *Epiphanio hæresi 79. Athanasio l. de Virginitate.* Vide fusè *Vasquez disp.* 245. *c.* 3.

DICO II. Etiam infantes possunt validè ordinari, sine consensu parentum vel tutorum. Ita contra Nonnullos docet *Scotus dist.* 25. *q.* 2. *n.* 3. & alii communiter. Et solet colligi ex *c. Vnico de Clerico per saltum promoto*, ubi de quodam, qui infra annos discretionis minores Ordines, & postea Sacerdotium absque Diaconatu prævio susceperat, statuitur, ut solus Diaconatus suppleatur. Ratio est, quòd infans etiam sine intentione propriâ aut parentum vel

vel eorum sit capax Sacramentorum, quæ non involvunt conditionem istius statui repugnantem, ut patet in Baptismo, Confirmatione & Eucharistia: Ordo autem similem conditionem non involvit, & (ut ait *Scotus supra*) potest optimè potestas in aliquo consistere absque potentia proxima ad executionem illius potestatis, idque propter aliquod impedimentum. Varii excipiunt Episcopatum: sed sine fundamento: cùm ratio præmissa locum habeat in Episcopatu, uti in cæteris Ordinibus.

Dices: In eo, qui ordinatur, requiritur acceptatio; cùm Episcopus dicat, *Accipe potestatem*: sed infans non potest acceptare, ergo nec ordinari. Resp. Neg. Maj. nam per ly *Accipe* solùm significatur, quòd Ordinans conferat ordinem, non per modum donationis & pacti, sed per modum operationis & efficacis imperii, quasi diceret: *Confero tibi potestatem*. Quo modo etiam proli baptizandæ dicitur: *Accipe sal sapientiæ*; & dici posset infanti, qui creatur Imperator, Accipe potestatem regendi &c. Simili modo intelligi potest forma Græca Confirmationis (quæ etiam parvulis valide confertur) *Signaculum doni Spiritus sancti*; supple, donatur tibi. Atque etiam potuisset à Christo institui similis forma Baptismi, v.g. *Accipe characterem Christiani hominis*; qui tamen adhuc potuisset conferri infantibus.

QUÆSTIO VII.

De Ætate & Qualitate Ordinandorum?

UT aliquis licitè ordinetur varia requiruntur. Primò legitima ætas: quæ jure novo *Trid. sess. 23. c. 12. de Reform.* pro Subdiaconatu est annus vigesimus secundus, pro Diaconatu vigesimus tertius, pro Sacerdotio vigesimus quintus, saltem inchoatus, etsi tantùm per mediam diem, aut horam. Ita communiter Doctores. Et patet ex praxi Ecclesiæ, quæ sic Decretum *Tridentini* semper intellexit. Immo *Diana* putat sufficere quòd ordinandus compleverit ætatem requisitam sub vesperam illi, ut manè ordinetur, eò quòd vespera trahatur ad manè & faciat simul unum diem, quo ordinandus v. g. in Sacerdotem inchoat annum vigesimum quintum. Attento tamen rigore verborum Concilii non caret hoc difficultate: eò quòd talis propriè loquendo, ordinetur *ante annum vigesimum quintum*: quod Concilium prohibet, exclusis quoad hoc penitus etiam Regularium privilegiis. Cui prohibitioni *Pius II.* addit suspensionem incurrendam ab iis, qui ante legitimam ætatem præsumpserint Ordinem sacrum suscipere, ut patet *Extrav. Cum ex sacrorum.* in qua cùm requiratur dolus seu præsumptio, consequens est suspensionem aliàs non incurri. Adeoque sic bonâ fide ordinatus per subsequens exercitium Ordinis non incurrit irregularitatem; utpote nullo jure expressam: quàmvis juxtà receptam sententiam graviter peccet: cùm prohibitio Ecclesiæ, quæ impedit susceptionem Ordinis ante ætatem certam, extendatur etiam ad exercitium Ordinis sic suscepti. Ætate tamen acceptâ, absque alia absolutione ministrare is potest; cùm non sit censurâ aut irregularitate notatus.

dantur.

Quid si absit dolus seu præsumptio.

Pro Episcopatu requiritur trigesimus ætatis annus completus *c. Cum in cunctis, de Electione.* Si tamen Episcopus ante ætatem legitimam præsumat ordinari, non foret suspensus: cùm Extravagans *Pii II.* non loquatur de Episcopatu. Pro minoribus ordinibus per se non requiritur certa ætas, suppositio usu rationis, & suppositâ aliunde scientiâ, quam in initiandis determinatè requirit *Tridentinum supra c.* 11. Unde conferri non debent ante annos discretionis. Denique ipsa prima Tonsura non debet citius conferri. De qua specialiter præscribitur in *Pontificali*, ne conferatur ante septennium; conformiter ad *c. nullus, de temp. Ord. in 6.* ubi *Bonifacius VIII.* sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ à collatione Tonsuræ per annum, prohibet, ne quis *infanti, nisi fortè Religionem intraret*, sive Religioni offerretur (quòd hodie non est in usu) *seu illitterato, clericalem præsumat conferre Tonsuram.*

Ad Episcopatum requiritur annus trigesimus completus.

Suspensio non afficit eos, si citius ordinentur.

Quæ ætas requiratur pro minoribus Ordinibus & Tonsura.

73. Secundò requiritur in initiandis Confirmatio, & an sub mortali.

Secundò requiritur, ut ordinandus sit confirmatus; nam *Trident. supra c. 4.* dicit: *Primâ Tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Quæ verba videntur de se præceptiva; ipsaque materia esse satis gravis. Modus tamen præcipiendi apparet Doctoribus communiùs non esse adeo gravis; quorum communis intellectus in sensu legis positivæ & obligationis ejusdem multùm valet. Unde Doctores communiùs censent, non esse mortale, sive ex parte Episcopi (quem verba directè respiciunt) sive ex parte initiandi, (qui non aliter prohibetur suscipere, quàm quatenus Episcopus prohibetur dare) si fiat contrarium.

74. Tertiò requiritur scientia, quæ ad Tonsuram & singulos Ordines sit necessaria.

Tertiò requirit autem *Tridentinum supra* ad primam Tonsuram, ut initiandus sit fidei rudimenta edoctus, & sciat legere & scribere, saltem (quod etiam sufficit juxta *Sanchez* & alios) linguâ vulgari seu vernaculâ. Ad minores Ordines requirit *c. 11.* ut ordinandi saltem linguam latinam intelligant. Ad Subdiaconatum & Diaconatum requirit *c. 13.* ut ordinandi sint instructi in litteris, & iis quæ ad Ordinem

exercendum pertinent. Ad Sacerdotium requirit *c.* 14. ut ordinandi sciant docere populum necessaria ad salutem & ministrare Sacramenta. Ad Episcopatum requiritur ab Apostolo *ad Titum* 1. ut ordinandus *sit potens exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.* Examen verò Ordinandorum quoad scientiam, etiam respectu Regularium, pertinet ad Episcopos, juxta *Tridentinum suprà c.* 12. Quàmvis moneat *Rodriguez* & alii expedire, ut Episcopi sint contenti quoad Religiosos examine & approbatione suorum Prælatorum; quibus utique magis fidere possent & deberent, quàm judicio alicujus examinatoris sæcularis, qui ex successu fortuito unici examinis parum fundatum judicium frequenter deducit. Censet etiam idem *Rodriguez, Henriquez, Diana, Castro Palao* & plurimi alii minorem eruditionem, aut linguæ latinæ scientiam, requiri in Regularibus ordinandis: eò quòd defectus iste in vita communi facilè suppleatur, tum puritate, tum aliorum instructione, & Prælatorum diligentiâ, quâ in ministeriis Ordinum errores caventur aut emendantur.

75. *Examen scientiæ ad quos spectet.*

Notandum pro Regularibus.

76. *Quartò requiritur probitas morum. Illius testimonii dare competit Superioribus Regularium quoad sibi subjectos.*

Quartò requiritur vitæ & morum probitas, ut postulat ipsa ratio, & insinuat Apostolus 1. *ad Timoth.* 5. dicens: *Manus citò nemini imposueris.* Testimonium probitatis solet Regularibus dari à suis Superioribus; idque sufficere constat ex praxi Ecclesiæ, colligiturque ex Declaratione Cardinalium ad *sess.* 23. *c.* 5. *de Reform.* Quoad alios servandum est, quod eodem capite præscribitur.

Quintò exurentia impedimenti Canonici & status gratiæ.

Quintò requiritur, ut ordinandus non sit aliquâ censurâ vel irregularitate impeditus, aut peccato mortali obstrictus, de quo saltem non sit contritus.

77. *Sextò ordinandus ab alieno Episcopo, debet habere dimissoriales proprii.*

Quis hic censeatur proprius Episcopus.

Sextò, si quis sit ordinandus ab alieno Episcopo, debet habere litteras dimissoriales proprii Episcopi, ut patet ex *Tridentino suprà c.* 8. & aliis Canonibus, idque sub pœna suspensionis. Proprius autem Episcopus est, sive Episcopus originis, sive domicilii, sive beneficii, ut habetur c. *Cùm nullus de Temp. Ordinat. in* 6. Episcopus originis est in cujus diœcesi quis est natus, cùm parentes ibi haberent domicilium. Unde (ut notant Doctores) non intelligitur locus, in quo parentibus per transitum aut negotiationis gratiâ peregrinantibus quis nascitur; is namque fictione quâdam Juris reputatur natus in loco domicilii parentum. Episcopus domicilii est Episcopus loci, in quo quis habitat animo perpetuò manendi. Episcopus beneficii est, in cujus diœcesi obtinet quis beneficium Ecclesiasticum: sufficitque quantumvis tenue ad hunc effectum, ut contra Nonnullos Plerique docent, & significat simplex verborum textus, in quo non requiritur à *Bonifacio VIII.* certa beneficii quantitas. Perinde quoque est, etsi sit simplex non exigens residentiam in tali diœcesi. Unde habens domicilium in hac diœcesi, natus autem in altera, & beneficium habens in aliqua tertia diœcesi, potest à quolibet Episcopo alicujus earum diœcesum ordinari. Quod jus commune non excludit Regulares: qui proinde, nisi obstet usus aut recentior aliqua ordinatio Apostolica, possent non solùm à Diœcesano sui domicilii, sed etiam originis ordinari.

Quod ad Dimissoriales attinet, notandum in primis est, Sede vacante eas non posse dari à Capitulo aut ejusdem Vicario, nisi post annum à die vacationis, vel occasione beneficii accepti aut accipiendi, quo arctetur quis ad Ordinem citiùs suscipiendum; ut patet ex *Tridentino sess.* 7. *c.* 10. *de Reform.* Quàmvis posset Capitulum dare alicui Episcopo licentiam etiam intrà primum annum vacationis in Diœcesi Episcopo propriæ orbata ordinandi illos, qui dimissorialibus Capituli non indigent, sed eas habent à propriis Prælatis.

Notandum II. Certum esse, quòd dimissoriales concedere Regularibus sit penes eorum Prælatos, ut etiam praxis docet. Qui tamen juxta *Declarationem Cardinalium* debent eas dare, non ad Episcopum alienum, sed diœcesanum, nisi hic absit, vel si non sit ordines collaturus: tunc enim ad quemcumque communionem cum S. Sede habentem dimittere possunt, non agnito Capitulo seu Vicario Episcopi diœcesani. In hac verò declaratione non fit derogatio privilegiorum.

Ad privilegia porrò quod attinet, concessa est Mendicantibus facultas suscipiendi Ordines à quocumque Catholico Antistite, per *Leonem X.* & *Paulum III.* cui quidem privilegio cùm *Tridentinum* non specialem clausulam non derogaverit, censent plures Doctores illud adhuc vigere. Et quidquid foret de hoc, saltem post *Tridentinum* eadem facultas concessa est Societati Jesu à *Gregorio XIII.* qui quidem prohibet communicationem fieri aliis Ordinibus mendicantibus; ea tamen concedi potuit per successores, & de facto concessam esse colligitur ex Bulla *Gregorii XIV.* datâ Cistercienfibus, quæ incipit *Romanus Pontifex*, & est tertia in *Bullario Rodriguez*, ubi etiam similia privilegia Cistercienfibus communicantur; ceteri autem cùm his communicant sine ulla exclusione. Denique *Clemens VIII.* idem concessit Congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, ut patet apud *Portel V. Ordines sacri n.* 4. qui testatur se hoc privilegium oculis suis vidisse.

Notandum denique, posse Prælatos regulares dare dimissorias Novitiis ad Ordines (non tamen ad sacros titulo paupertatis) ut rectè *Suarez, Barbosa, Diana, Aversa* & alii contra quosdam: cùm facultates Regularium

larium Prælatorum se etiam ad Novitios extendant, nisi fiat exceptio.

QUÆSTIO VIII.

De Titulo congruæ Sustentationis, & Temporibus Ordinationum.

IN Primis Ordinandus, debet pacificè obtinere beneficium Ecclesiasticum, quod ei ad victum honestè sufficiat, si non sit Regularis. Ita *Tridentinum sess. 21. c. 2. de Reform.* Patrimonium verò vel pensionem obtinentes ordinari non possunt, nisi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate suarum Ecclesiarum, etiamsi constet patrimonium & pensionem verè obtineri, & ad vitam sustentandam sufficere. Ita *Tridentinum suprà.* Ubi etiam præcipitur, ne ordinatus resignet illud beneficium, nisi facta mentione, quòd titulo illius sit ordinatus; item ne admittatur resignatio, nisi constet, quòd aliundè possit commodè vivere, & aliter facta resignatio sit nulla. Ibidem quoque statuitur de resignatione patrimonii & pensionis, quæ fieri non possit sine licentia Episcopi, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliundè habeant, unde vivere possint.

Excipiuntur à præfatis decretis Religiosi professi, quibus loco beneficii vel patrimonii succedit voluntaria paupertas, quæ Regum opibus præstat, quique ex ipsa sua Regione habent, unde sustententur. Quare necdum professi non possunt absque titulo beneficii vel patrimonii promoveri ad Ordines sacros ex decreto ac declaratione *Pii V.* Bullâ *Romanus Pontifex*, apponentis pœnam suspensionis ab executione Ordinum adversùs taliter ordinatos, & à collatione talium Ordinum, ad annum adversùs Ordinantes. Quæ Constitutio etiam habet locum in iis, qui scirent professionem suam esse irritam; utpote verè non professis. Posset nihilominus Novitius, qui haberet interim beneficium aut patrimonium, ordinari ad talem titulum, sicut laicus. Possunt insuper Clerici Societatis Jesu post emissa vota simplicia, prævia biennii probatione, quibus fiunt veri Religiosi, liberè ordinari, etsi necdum solemniter sint professi, ex Decreto & Declaratione *Gregorii XIII.* Bullâ *Ascendente Domino*, & *Gregorii XIV.* Bullâ *Ecclesiæ Catholicæ.*

Notandum porrò beneficium sufficiens ad honestam Clerici sustentationem sic requiri, ut tamen insufficientiam supplere possit patrimonium: ex quo & beneficio seorsim insufficientibus coalescere potest titulus sufficiens, ut rectè *Zerola, Quaranta, Barbosa, Bonacina* & alii. Quantitas autem valoris seu fructuum taxatur judicio Episcopi. Quare non in omni Diœcesi est eadem taxa, ipsaque etiam juxta varietatem temporum & regionum variatur. Quòd si etiam modicum ex tali quantitate deficiat, non peccabit graviter Episcopus ordinans & Clericus ordinatus, ut post *Sanchez* notat *Diana P. 4. Tr. 4. Resol. 25.* ponens exemplum, si ex triginta deficiant duo.

Quæ quantitas fructuum sufficiat.

83. Notandum II. beneficium debere esse perpetuum, nec sufficere Vicariam aut Cappellaniam temporalem vel ad nutum amovibilem; immo nec merum titulum coadjutoriæ cum spe certa succedendi alteri, utpote forsan supervicturo: nisi etiam in hujus vita detur coadjutori certa & sufficiens portio.

Requiritur beneficium perpetuum.

Notandum III. quod ad titulum patrimonii spectat, non sufficere filium esse patris divitis; qui tamen posset à filio constringi, ut portionem ad hunc finem designet, *Arg. L. fin. C. de Dotis promissione*; ubi de matrimonio carnali, à quo ad spirituale seu sacerdotium argumentari licet, c. *Inter corporalia, de Transla. Episcopi.* Ita *Sanchez l. 4. de Matrim. d. 26. num. 7. Barbosa, Guitterez, Castro Palao pu. 11. n. 7.* Quod tamen filio sic pater concedit, computandum est in legitimam, juxta *Covarruvias, Marchinum, Molina, Garcias* & plures alios contra *Barbosa* & alios. Nam bona concessa filio, quæ sunt transmissibilia ad heredes, & alienabilia (prout sunt, de quibus agitur) in legitimam imputantur juxta *L. Omni modo §. Imputari C. de inofficioso Testamento.* Vide *Castro Palao pu. 11.*

Non sufficit filium esse patris divitis.

Qui possit constringi ad portionem designandam.

Quæ computanda veniunt in legitimam.

84. Notandum IV. Ordinatum titulo patrimonii posse illud alienare etiam sine licentia Episcopi juxta *Garcias, Azorium, præpositum* & alios communiùs contra *Barbosa* & quosdam alios, si sufficiens beneficium obtineat, vel habeat aliundè, unde commodè vivat: nàm ly *Donec* (quo utitur *Tridentinum*) limitat tempus, adeòque prohibitionem alienationis, ne ultrà procedat. An verò alienatio citiùs facta contra prohibitionem Cœcilii, sine licentia Episcopi, sit solùm illicita, an insuper invalida, non ita constat. Et quidem *Garcias, Barbosa, Præpositus* & alii passim censent per particulam, *Nullatenus possint* (quâ utitur *Tridentinum*) ademptam esse potestatem validè alienandi. Aliis nihilominus (ut *Suarez To. 5. d. 31. sect. 1. n. 38.*) apparet, hujusmodi clausulam non esse irritantem, sed posse intelligi de licito: præsertim cùm *Tridentinum* diversimodè ibidem loquatur de resignatione beneficii, apponens illi clausulam expressè annullantem.

Titulus patrimonii potest alienari ad libitum, obtentâ aliundè sufficienti sustentatione.

Citius facta alienatio censetur passim invalida.

At Suarez & alii putant solum illicitam.

85. Petes: An promotus absque titulo sufficienti incurrat suspensionem c. *Neminem* & c. *Sanctorum dist. 70.* Resp. id non satis constare, eò quòd pœna hæc abrogetur c. *Cum secundùm Apostolum de Præbendis* & c. *si Episcopus, eod. tit. in 6.* ubi injungitur Episco-

Promotus sine titulo sufficienti verosimiliter non incurrit suspensionem.

Episcopo ordinanti illos, de quorum sufficienti titulo non satis constat, obligatio providendi sic ordinatis de alimentis necessariis aut competenti beneficio. Et quàmvis *Tridentinum sess. 21. c. 2. de Reform.* antiquorum Canonum pœnas innovet, tamen non satis liquet innovare ipsam Canones antiquiores dudum abrogatos, qui proinde verè non erant Canones aut leges. Immo refertur *Declaratio Cardinalium ad locum cit. Tridentini*, quòd Concilium in hoc capite renovaverit tantùm pœnas c. *Cùm secundùm*. Ubi etsi unica pœna imponatur ipsi Episcopo ordinanti; *Tridentinum* tamen more satis consueto ponit numerum plurale pro singulari. Quare ita censent *Henriquez, Toletus, Sayrus, Diana, Coninck* & plures alii. Quod idem Plures consequenter docent, quando quis ordinatur ficto titulo, qui illum sufficienter probavit ipsi Ordinanti, bonâ fide procedenti. Quàmvis *Suarez, Bonacina* & plures alii putent ordinatum utroque casu incurrere suspensionem, eximentes tamen in casu posteriori Episcopum deceptum ab obligatione alendi.

Vt nec Ordinatus ficto titulo sed satis probato ipsi Ordinanti. Vtrumque tamen asserit Suarez & plures alii.

86. Illud saltem multò probabilius est, non contrahi suspensionem, si patrimonium sit acceptum sub onere retrodonandi: cùm talis verè dominium patrimonii habeat, adeoque non sit promotus absque titulo; conditio autem hujusmodi apposita, volut illicita & turpis, non obliget. Ita *Toletus, Garcias, Barbosa* & alii passim contra Nonnullos. Idem est, si jam ordinatus ad verum titulum Subdiaconus, cederet postea titulo suo non servatâ formâ Concilii, & tunc ulteriùs ordinaretur Diaconus aut Sacerdos; suppositâ videlicet invaliditate hujusmodi cessionis, adeoque titulo in rei veritate permanente. Secùs esset, si (quod Varii volunt) cessio patrimonii sit valida, & aliundè supponatur pœnam suspensionis esse in *Tridentino* innovatam.

Saltem videtur non incurri etsi patrimonium sit acceptum cum onere retrodonandi,

Aut si Subdiaconus v. g. si cedens invalidè ad altiores Ordines ascendat.

87. Secundò debent servari certa anni tempora. Episcopus quidem est ordinandus die Dominicâ vel in Natalitio Apostolorum juxta *Pontificale Romanum*. Sacri sive majores Ordines sunt conferendi sabbatis quatuor temporum, sabbato sancto, vel sabbato ante Dominicam Passionis. Ita de Diaconatu & Presbyteratu statuitur *cap. fin. dist. 75.* De Subdiaconatu *cap. De eo, de Temp. Ordinat.* Ordinati autem extra prædicta tempora sunt à susceptis Ordinibus suspendendi, *cap. Cùm quidam, eod. tit.* Immo si præsumpserint sic ordinari, sunt suspensi ipso facto *Extravag. Pii II. Cùm ex sacrorum.* Minores verò Ordines possunt non solùm conferri in sabbatis Ordinationum, sed etiam juxta *Pontificale Romanum* singulis dominicis & festivis diebus duplicibus; idque ubicumque, sed (quod esse de convenientia notat *Aversa quæst. 3. sect. 9.*) in mane tantùm, ut ait idem *Pontificale*. Ubi etiam consuetudo id permittit, possunt conferri in alio die; prout in Belgio conferuntur feriâ sextâ ante sabbatum sacræ Ordinationis. Denique *Clericatus seu primâ Tonsura quocumque die, horâ, & loco conferri potest*, inquit *Pontificale Tit. de Ordinibus conferendis.*

Servanda sunt certa anni tempora, & quæ illa sint.

Notandum tamen, Regulares posse ordinari extra statuta tempora ex privilegiis *Eugenii IV.* & *Alexandri VI.* quæ sive per *Tridentinum*, sive per alios Pontifices non esse revocata, docet *Rodriguez Tom. 3. quæst. 23. artic. 5. Marchinus, Præpositus, Diana.* Estque juxta *Aversa quæst. 3. sect. 9.* tutum in praxi, addens illud pro sua Religione sæpiùs in pluribus Diœcesibus, & in Romana ipsa Urbe servatum. Refertur que ad *sess. 23. cap. 8. de Reformat.* expressa Declaratio Cardinalium, quòd privilegium suscipiendi Ordines extra tempora per Decretum *Tridentini* non sit sublatum; utpote in quo non fit derogatio privilegiorum; sicut, etiam quoad Regulares, fit circa ætatem à *Tridentino* requisitam. Prædictis accedunt concessiones *Tridentino* posteriores; scilicet *Gregorii XIII.* & *Clementis VIII.* quarum mentio facta est *num. 79.*

Tertiò, observanda sunt certa temporum interstitia, sic ut nullus eodem die possit suscipere duos Ordines sacros, etiamsi Regularis sit; ut expresit *Trid. sess. 23. c. 13. de Reformât.* ubi quoad hoc revocatur privilegium *Eugenii IV.* quo id concedebatur sancti Benedicti Monachis, & consequenter aliis per communicationem.

Quòd autem *Tridentinum* ibidem statuat, ut Subdiaconus non promoveatur ad Diaconatum, nisi post annum, relinquitur judicio Episcopi, cùm dicat: *Nisi aliud Episcopo videatur.* Similiter de interstitio unius anni inter Diaconatum & Sacerdotium ait *cap. 14. Nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur.* Immo simile interstitium requirit inter Ordines minores & Subdiaconatum *cap. 11.* addens similem clausulam: *Nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Postremum tamen his in locis non est receptum, ubi minores Ordines conferri ordinandis solent prædie quàm eisdem conferatur Subdiaconatus: in pluribus aliis locis dantur etiam eodem die. Modò tamen, dum denuò opus hoc edo, Nonnulli Episcopi hîc ceperunt interstitium interdum saltem exigere.

Quod attinet ad Regulares mendicantes, concessum est iis privilegium ab *Alexandro VI.* (ut videre est in Compendio privileg. *V. Ordines sacri numer. 11.* & apud

& apud *Rodriguez Tom. 3. quæst. 23. art. 5.*) ut possint ordinari tribus diebus Dominicis sive festivis duplicibus successivè. Cui non esse derogatum per *Tridentinum* suprà defectu clausulæ revocatoriæ, asserit *Rodriguez* & plurimi alii, conformiter ad præmissa de privilegio suscipiendi Ordines extra tempora, & ad vulgatam Doctorum in materia privilegiorum sententiam, fundatam in regula communi, quæ habetur *cap. 1. de Constitut. in 6. Genezi per speciem derogatur.*

Nec refert quòd *Trident. sess. 25. c. fin. de Regularibus* dicat: *Hæc omnia & singula in superioribus Decretis contenta observari S. Synodus præcipit, in omnibus Conciliis &c. non obstantibus eorum privilegiis sub quibuscumque verborum formulis conceptis &c.* Ibi enim solùm loquitur Concilium de superioribus Decretis istius Sessionis de Regularibus, non autem de decretis contentis in aliis sessionibus. Immo *Præpositus quæst. mic. dub. 15. num. 156.* existimat *Tridentinum* ibi loqui de iis solùm decretis istius Sessionis, quibus particulariter est apposita clausula derogatoria: repetere autem generaliter in fine derogationem pro majori efficacia cum accommoda proportione.

Et quàmvis *Tridentinum* derogasset præsenti privilegio, non derogavit saltem privilegio *Gregorii XIII.* concesso Societati Jesu *Bulla 25. in Bullario Rodriguez.* In qua etsi sit clausula inhibitiva communicationis; huic tamen clausulæ derogavit *Gregorius XIV.* Bullâ *Romanus Pontifex 3.* in Bullario *Rodriguez*, faciens communicationem Congregationi reformatæ S. Bernardi; nec in ea excludens communicationem, quam Mendicantes habent amplissimam cum ista Congregatione. Accedit tandem privilegium *Clementis VIII.* (de quo *num. 79.*) quo id ipsum conceditur.

Non obstat etiam Declaratio Cardinalium (quæ refertur ad *sess. 23. cap. 11. de Reform.*) censentium remissionem interstitiorum, etiam quoad Regulares, ex causis tantùm in Concilio expressis faciendam pertinere ad Episcopum ordinantem; eum tamen hac in re debere quoad causas deferre judicio & attestationi Superioris Regularis ordinandi. Nam (quidquid sit de veritate vel auctoritate istius Declarationis) constat per hanc declarationem non enervari in primis privilegia *Tridentino* posteriora, neque insuper se extendere ultra limites *Tridentini*, quod ipsa declarat; in quo non est clausula derogatoria privilegiorum. Non facit etiam declaratio mentionem de privilegiis, seu de eo quid possint Prælati vi privilegiorum. Unde juxta *Aversa quæst. 3. sect. 9.* potest hæc res ita conciliari, ut de jure quidem id pertineat ad Episcopos, ex privilegio autem ad Prælatos Regulares: & ita pro Regularibus ordinandis utrique possint in his interstitiis dispensare. Attamen propriè loquendo Prælati Regularium privilegiatorum non dispensant in interstitiis cum suis subditis, utpote vi ipsius privilegii à jure seu obligatione servandi interstitia exemptis. Quidquid autem sit de præmissis, sanctè & rectè faciens etiam hi, si dum non subest necessitas cujusta causa, observari à suis curent statuta jure interstitia. Quod proinde etiam præscribitur in Constitutionibus Fratrum Minorum.

QUÆSTIO IX.

De Effectu Sacramenti Ordinis.

92. *Effectus hujus Sacramenti est gratia.*

DICO I. Sacramentum Ordinis confert gratiam habitualem, & suo tempore auxilia gratiæ actualis. Patet ex dictis de Effectu Sacramentorum in genere. Idque consequenter verum est de singulis Ordinibus, posito quòd singuli sint Sacramentum.

93. *Et Character.* *Eum imprimunt quotquot Ordines sunt Sacramentum;*

DICO II. Sacramentum Ordinis imprimit characterem. Est de fide ex *Florentino in Decreto de Armenis*, & *Tridentino sess. 7. can. 9. de Sacram. in gen.* Idque verum est non solùm de Sacerdotio, sed etiam de aliis Ordinibus, quotquot sunt Sacramentum; ut ex indefinita doctrina Conciliorum constat. Deinde singuli Ordines qui sunt Sacramentum, sunt initerabiles: initerabilitas autem Sacramenti oritur ex charactere; ut patet ex Conciliis citatis.

Et quidem singuli distinctum speciem.

Characteres porrò illi sunt distincti, idque probabiliùs specie, ut docet *Scotus dist. 24. numero 11. Præpositus dub. 19.* quia sunt signa diversorum Ordinum susceptorum, & disponunt ad actus distinctos; suntque ita à se invicem independentes, ut non tantùm inferiores sine superioribus, sed etiam è contrà possint conferri, & in actum exire.

94. *An in consecratione Episcopi vel secunda Ordinatione partiali Sacerdotis imprimatur distinctus character, controversum est. Verosimilius est, quod sic.*

Major difficultas est, an Consecratio Episcopi, & præsertim secunda Ordinatio partialis Sacerdotis distinctum imprimant characterem. Negat *Vasquez disp. 239. num. 57.* putans conferri solam novam potestatem Episcopo, sicut Sacerdoti priori consecratione consecrato supponit conferri solùm novam potestatem absolvendi à peccatis. Affirmat *Præpositus suprà* & plures alii. Idque videtur probabilius; quia confertur nova gratia, item nova potestas inamissibilis, & actione initerabili: & quia character Sacerdotii non sufficit ad denotandum, quòd aliquis sit Episcopus, vel ordinatus secundâ Ordinatione sacerdotali. Nec hinc sequitur, tot esse characteres qui conferuntur per secundam Ordinationem, quot sunt Sacramenta, ad quorum confectionem accipit potestatem, v. g. Pœnitentiæ, extremæ Unctionis &c. Nam istæ potestates non possunt dari separatim, sed simul; sicut simul datur in una Ordinatione potestas in Cor-

Corpus & Sanguinem Christi verum. Et sicut non posset Episcopalis potestas validè sic conferri, ut separatim daretur potestas ad ordinandum, & separatim ad confirmandum. Itaque eo ipso, quòd accipit potestatem remittendi peccata, accipit quoque potestatem in extremam Unctionem, fitque capax obtinendæ commissionis ad confirmandum, & aliquos Ordines conferendum.

QUÆSTIO X.

De Continentia sacris Ordinibus annexa.

§. I.

An initiati sacris Ordinibus teneantur abstinere à Matrimonio?

95. *Obligatio continentiæ non tangit initiatos minoribus tantùm Ordinibus.*

OMissa Clericorum obligatione, de recitando quotidie horas Canonicas (quæ respicit beneficiatos & in sacris constitutos, soletque explicari in materia de Religione) hoc loco communiter agitur de eorumdem obligatione ad cœlibatum seu continentiam, & incapacitate contrahendi matrimonium. Quæ obligatio etiam concernit indubiè eos tantùm, qui majoribus sunt Ordinibus insigniti; ut ex sensu omnium, praxique Ecclesiæ & usu est manifestum.

An hi peccent redeundo ad statũ sæcularem, etiam sine causa.

Quoad tonsuratos verò & minoribus tantùm Ordinibus decoratos, certum in primis est, nullatenus peccare eos, qui ex justa & rationabili causa redeunt ad statum sæcularem: non enim per minores Ordines inducitur vinculum indissolubile. Certum quoque est non peccare mortaliter, etsi id faciant absque rationabili causa: neque enim ex natura rei, neque ex jure positivo deduci potest gravis obligatio ad permanendum in statu isto. Quàmvis *Sanchez*, *Coninck* & alii admittant tales peccare venialiter, ratione scilicet levitatis & inconstantiæ in bono inchoato. Quòd si verò quis ab initio

Quâ mente sint assumendi.

statum clericalem assumeret absque animo perseverandi, censet *Bannez*, *Aragon*, *Barbosa* &, alii apud *Aversa quæst. 4. de Ordin. sect. 2.* talem peccare mortaliter. Verùm omnino dicendum est, eum solùm peccare venialiter, etsi ab initio ex sola levitate intendat recedere à statu isto. Immo nullo modo peccaret, si ab initio haberet solùm animum experiendi, seu faciendi posteà quod magis expedierit. Ad summum igitur peccaret graviter, qui ex intentione graviter mala istum statum assumeret, v. g. ex fine effugiendi fraudulenter justum judicium cum damno tertii, aut alio fine simili. Quare quod *Tridentinum sess. 23. c. 4. de Reform.* statuit, ut *primâ Tonsurâ non initientur, de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse*; ad summum facit, quòd Episcopus secùs agens non rectè procedat, aut etiam peccet, sic fraudulenter volens effugere justum judicium sive cum damno tertii. Nec vetat de cetero eligi statum clericalem, etsi tantùm ad tempus, recto alioquin fine, scilicet ad serviendum Deo. His præmissis

96. *Sacerdotibus contrahere prohibitum.*

DICO I. Ab initio Ecclesiæ fuit omnibus Sacerdotibus & Diaconis prohibitum contrahere matrimonium. Patet ex *Can. 27. Apostolorum*, *Concilio Ancyrano can.* 10. & ex antiquissimis Pontificibus ac Patribus, quos vide apud *Bellarm. l. 1. de Clericis cap. 19.* Ut proinde impudenter mentiantur *Melanchton* & *Kemnitius* dicentes hanc legem continentiæ à Romanis Pontificibus contra antiqua Concilia introductam. Quam etiam videre est in Conciliis *VVormacienſi*, *Aquisgranensi* & *Moguntino* sub Carolo Magno: unde colligas eorumdem Sectariorum splendidum mendacium, quo dixerunt invectam fuisse demum ante quadringentos annos in Germaniam istam continentiæ legem.

97. *Quâ de Subdiaconatu.*

Dixi *Sacerdotibus & Diaconis*: quia Subdiaconatui fortasse non semper fuisse annexam obligationem continentiæ censet *Vasquez* &, cum aliis: eò quòd ab initio non fuerit Ordo sacer, ut colligitur ex cap. *A multis, de Ætat. & Qual. & Ordin. præficiend.* Postmodum tamen inter sacros Ordines est habitus, & obligationem continentiæ habet annexam, ut ex *can. cit.* patet. Nihilominus ex antiquissimis auctoritatibus *Aversa quæst. 4. sect. 5. § Tertio*, colligit continentiam ab initio fuisse annexam Subdiaconatui. Nam *can. 27. Apostolorum* statuitur: *Nuptui, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed Lectores & Cantores tantummodò.* Et *Concilium Elibertinum* sub Silvestro *can. 33. placuit* (inquit) *in totum prohiberi presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios.* Alibi etiam nomine Diaconorum communi quadam appellatione comprehenduntur quoque Subdiaconi; ut plerique advertunt: nec aliundè apparet initium, ex quo cœperit ista Subdiaconorum obligatio. Ita *Aversa*. Qui etiam advertit, quòd non semper fuerit Ordo sacer, sive quia olim sic vocabantur soli illi, qui conferuntur per impositionem manuum, aut certè illi soli, quibus erat concessum tangere & ministrare corpus Domini. Postea autem generaliter sacri dicti sunt, qui proximè ministrant in altari & continentiam annexam habent.

98. *Initiati sacris Ordinibus non possunt de facto matrimonium.*

DICO II. Initiati sacris Ordinibus non tantùm illicitè, sed etiam invalidè contrahunt matrimonium. Patet ex variis juribus, & novissimè ex *Tridentino sess. 24. can. 9.* ubi id sub

id sub anathemate definit.

Dico III. Qui post initum matrimonium susceperunt sacros Ordines, tenentur etiam ad continentiam. Patet ex *Carthaginensi II. can.* 2. ubi præscribit Sacerdotibus & Diaconis *continentes esse in omnibus &c.* & ut præfati *pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se abstineant.* Et interserit: *Vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Et ex *Epiphanio Hæresi* 59. inter alia dicente: *Sed adhuc viventem & liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit.* (Ecclesia) *sed eum, qui se ab una uxore continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Presbyterum & Episcopum, & Hypodiaconum; maximè ubi sinceri sunt canones Ecclesiastici.* Plura Testimonia vide apud *Bellarminum supra.*

Conclusio intelligitur quoad Ecclesiam Latinam: quia in Græca, etsi Sacerdotes & alii fuerint aliquando adstricti ad omnimodam continentiam, etiam ab uxoribus, quas ante susceptionem Ordinis duxerant; ut patet ex *Epiphanio supra* & ex c. *Quoniam, dist.* 31. & aliis, quæ allegat *Præpositus dub.* 21. postmodum tamen hæc lex quoad illos abrogata est, ideoque licitè, saltem extra dies sui ministerii, utuntur suis uxoribus, ut colligitur ex c. *Aliter, dist.* 31. ubi ex Stephano Papa in *Concilio Lateranensi* dicitur: *Aliter se Orientalium habet traditio Ecclesiarum, aliter hujus S. Ecclesiæ Romanæ: nam eorum Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi matrimonio copulantur* (scilicet jam inito utendo) *istius autem Ecclesiæ* (scilicet Romanæ) *nullus Sacerdotum à Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet connubium sortiendi.* Idem satis clarè supponitur à *Clemente III. c. Quæsitum, de Pœnit. & Remission.* & *Innocentio III. c. Vt Clericorum, de vita & honestate Clericorum,* & c. *Cùm olim de Clericis conjugatis.*

Nihilominus juxta *Præpositum quæst. de Sacram. Ordinis dub.* 21. apud Catholicos constat, etiam Græcis ita fuisse illicitum contractum matrimonialem, ut numquam eis antea ordinatis licuerit illud inire. Et consonat *Cùm olim cit.* ibi: *Quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus reguntur Matrimonio jam contracto.* Et clariùs *can.* 6. *Concilii Quinisexti*, ibi: *Decernimus, ut deinceps penitùs, Hypodiacono, Diacono, Presbytero, post Ordinationem suam contrahere non liceat.* Si tamen contrahant, eorum conjugia, quàmvis illicita, esse adhuc valida, censet, *Arcudius in Concord. l.* 7. *c.* 42. donec à Romana Ecclesia in futurum etiam pro Græcis statuantur invalida. Simpliciter etiam vetitum fuit Episcopis, vacare conjugio antea inito: sicut habetur *can.* 12. Sed reliquis concessum est, ut antea conjugati (cum unica scilicet & virgine) possent ad sacros Ordines promoveri.

§. II.

An Continentia sit annexa Ordinibus sacris ex jure divino, vel Ecclesiastico, an autem ex voto?

101. *Continentia Clericorum ad quid obliget.*

SUPPONO tanquam indubitatum, Continentiam Clericorum non tantùm obligare ad abstinendum à nuptiis, sed etiam ab omni actu venereo. Patet ex c. *Vt Clericorum, de vita & honestate Clericorum,* & multis aliis, quæ citat *Sanchez l.* 7. *d.* 27. *n.* 3. Patet etiam ex eo, quòd hujusmodi clerici fornicantes ultra peccatum luxuriæ committant sacrilegium.

non est jure divini.

Dico I. Initiati aliquo majori Ordine non obligantur ad continentiam ex jure divino positivo. Ita *D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus* & alii Doctores communiter contra *Franciscum Turrianum* & paucos alios. Nam nullibi extat hac de re jus divinum. Et Ecclesia alioquin non permisisset Orientalibus ordinatis, etiam Sacerdotibus, usum uxorum, neque de facto permitteret Græcis Catholicis cum Ecclesia Romana communionem habentibus: quos etiam propterea non reprehendit.

102. *Nec propriè ex voto, sed ex præcepto Ecclesiastico.*

Dico II. Continentia sacris Ordinibus est annexa solùm ex præcepto Ecclesiæ; non autem ex voto, nequidem tacito, seu quod fiat ipsâ susceptione Ordinis sacri. Ita contra *D. Thomam* & alios plurimos tum Scholasticos, tum Morales, tum Canonistas, tenet *Scotus* & plurimi Juristæ, complurèsque Theologi, quos sequitur *Aversa q.* 4. *sect.* 7. §. *Præterendus tamen.*

Probatur primò ex Canonibus.

Probatur I. quia plurimi canones ac decreta imponunt simpliciter Clericis obligationem continentiæ, sicut ceteris præceptis imponitur alterius rei obligatio. *Can.* 26. *Apostolorum: Innuptis autem qui ad clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant: sed Lectores Cantoresque tantummodo.* Sub horum nomine intelliguntur omnes minores Ordines; ut omnes supponunt, nisi quòd *Vasquez disp.* 249. *num.* 27. intelligat ibi id solis Lectoribus & Ostiariis permitti, ceteris autem prohiberi, etiam Exorcistis & Acolythis; sed sine fundamento. *Carthaginense II. can.* 2. & refertur cap. *Cùm in præterito, d.* 84. *Placuit* (inquit) *sacrosanctos Antistites & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Eliberitanum can.* 33. *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios. Concilium Roma-*

num sub Silvestro can. 8. *Nullum autem Subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus.* Similiter loquuntur alii canones. Quare etiam passim solet vocari *Lex* vel *præceptum continentiæ.* Ac etiam hodie promovendis ad Subdiaconatum non exponitur obligatio voti, sed legis Ecclesiasticæ, ad continendum; ut patet ex *Pontificali Romano.* Allegatur etiam *Trid. sess.* 24. *can.* 9. *Si quis* (inquit) *dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ* (scilicet quoad ordinatos) *vel voto* (scilicet quoad Religiosos) *anathema sit.* Verùm attentâ Historiâ *Palavicini*, existimo hinc nil firmiter concludi contra oppositam Sententiam; cùm Canon iste solùm damnet opposita verba *Lutheri.* Unde Cardinalis *Hosius* suam sententiam scripto exprimens, ac ad Synodi scribas mittens, inter alia aiebat, *Nonum canonem à se comprobari, modo intelligeretur secundùm Synodi mentem; quæ non fuerat ut definiretur, legem calibatûs esse legem Ecclesiasticam, de quo ne disputatum quidem fuerat, sed solùm ut damnaretur error Lutheri cum iisdem ipsius verbis, quæ erant*: Non obstantibus lege Ecclesiasticâ, & voto. Ita refert *Palavicinus l.* 23. *c.* 9. *n.* 2. addens *n.* 3. illa verba *lege Ecclesiastica* similiter displicuisse Cardinali Lotharingiæ; quæ tamen comprobavit, ubi majori parti probarentur, sed secundùm veram Concilii mentem, adjecitque idem planè, quod Cardinalis *Hosius*: atque in hoc complures ejus sententiam complexi sunt, ut inquit *Palavicinus* suprà.

103. *Probatur secundò ex hoc, quòd aliàs expressè deberet votum proponi.*

Probatur II. quia si esset ex voto, mirum, quòd Ecclesia hoc non clarè exprimeret, immo expressam emissionem voti non exigeret: quamquam enim etiam tacita professio Religiosa æquivaleat expressæ, tamen solùm admittitur in defectum & supplementum expressæ; & hæc quidem per se instituta est fieri.

Probatur tertiò ex eo quòd possit obligatio voti ignorari, immo excludi.

Probatur III. quia potest suscipiens Sacramentum Ordinis ignorare obligationem voti annexam; & quamquam sciret, potest expressè habere equidem animum non vovendi: atqui talis adhuc obligaretur ad continentiam; non quidem ex voto: cùm hoc essentialiter pendeat à propria voluntate & intentione voventis: ergo ex præcepto; ut etiam fatetur *Suarez*, *Sanchez* & plures alii: ergo similiter ceteri obligantur ex præcepto: ubi enim de istis legitur lex specialis Ecclesiæ? Solùm itaque sunt generales leges obligantes omnes Clericos ordinatos ad ipsam continentiam.

104. *Non obstat quòd interdum utantur Iura nomine voti.*

Dices I. *Cap. unic. de Voto in 6. Extrav. Antiquæ Joan. XXII. eod. tit.* expressè vocatur votum. In pluribus aliis antiquis canonibus vocatur promissio, sponsio castitatis sive continentiæ, eaque ordinandis imponitur. Respondet *Coninck*, Clericos obligari, tum ex præcepto, tum ex voto. Sed alii communiter rejiciunt: quia non sunt multiplicanda vincula sine necessitate. Aliàs certè ordinatus omnis peccaret duplici sacrilegio, scilicet contra votum, & contra præceptum, & simul contra castitatem. Resp. itaque vocari votum similitudinariè, non propriè, idque satis colligi ex subjecta materia, & fundamentis nostræ Conclusionis.

Instabis: Loquitur *Bonifacius* de voto, quod postea dividit in illud quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem. Resp. loquitur generaliter de voto, proprio vel similitudinario, debetque ex subjecta materia utrique membro accommodari cum proportione. Similitudo autem consistit in eo, quòd sicut votum seu professionem quisque liberè assumit, & in obligationem consequentem se conjicit, eamque voluntariè acceptat & profitetur, sic ordinandus simpliciter non potest compelli ad hanc obligationem per legem aliquam, sed illam spontè assumit & acceptat suscipiendo ipsum Ordinem: estque obligatio religiosa, seu spectans ad virtutem religionis, uti obligatio voti. Confirmatur: quia hoc Papa appellat votum, per quod generaliter dirimitur matrimonium contrahendum ab Ordinato: sed hoc est ipsum Ecclesiæ præceptum; ut patet in iis, qui dum suscipiunt Ordines votum omnino ignorant, aut saltem per intentionem excludunt: Idem autem est in aliis: cùm eodem modo & generaliter procedant canones.

Dices II. Ergo illi qui ante vel post susceptos sacros Ordines emittunt expressum castitatis votum, sive simplex, sive solemne, transgrediendo peccant duplici sacrilegio, scilicet contra votum & contra præceptum. Resp. Conced. totum: etsi enim utrumque sit contra religionem, hæc tamen continet sub se diversas species. Nam votum ex ea obligat, quatenus decet rem Deo promissam solvi, & indecens est non solvi. Præceptum autem Ecclesiæ latum est, non ex illo speciali motivo, sed ob reverentiam divini ministerii & sacri Ordinis. Sic qui transgreditur votum juratum peccat dupliciter contra religionem, primò quatenus agit contra votum, secundò quatenus contra juramentum.

Dices III. Canones, qui sonant præceptum, possunt sic intelligi, ut non præcipiatur quidem directè ipsa continentia, sed præcipiatur voti emissio. Resp. verba Canonum nimis clarè immediatè præcipere ipsam continentiam, ut ea inspicienti patet. Deinde vi Canonum obligatur ad continentiam, etiam is qui malitiosè votum exclusit, aut qui omnino ignoravit: atqui non sunt de iis canones spe-

speciales, sed tantùm generales, qui præcipiunt omnibus continentiam: ergo &c.

Dices IV. cum *Dicastillo disp. 1. dub. 26. n.* 390. Qui ignorat obligationem continentiæ, obligatur equidem ex voto, quod censetur tacitè emittere, etsi ignoret illud; idque eo ipso, quòd volens & sciens initiatur Ordinibus sacris: quisquis enim sciens & prudens aliquid vult, etiam vult ei annexa, adeoque tacitè consentit voto ex lege Ecclesiæ adjuncto. Resp. Neg. Assumpt. nam volens suscipere officium, eo ipso quidem censetur velle onera illi annexa per modum legis aut præcepti; adeoque ad summum censetur velle subire obligationem vovendi, quia hæc obligatio per se dicitur sacro Ordini annexa; sed non per hoc censetur ipsemet de facto vovere: cùm hoc requirat propriam voluntatem voventis, quam non habet, qui prorsus ignorat. Immo etsi obligationem vovendi sciret annexam, posset adhuc habere animum non vovendi: sicut sciens esse annexam obligationem legendi horas, necessariò quidem deberet subire obligationem legendi, posset tamen habere animum non legendi. Quare plures alii Auctores oppositæ sententiæ fatentur, talem obligari ex præcepto. Infero: ergo inde obligantur & reliqui. *Vasquez* autem putat talem non obligari ad continentiam. Sed est contra communem sententiam. Equidem quidquid sit de hoc, saltem sufficienter urget exemplum malitiosè nolentis vovere: qui quid Varii diversimodè conentur evadere; sed frustrà. Vide *Aversa q. 4. sect. 7.* Unde *Dicastillo* aliis modis refutatis, excogitavit hunc, qui sequitur.

108. Dices V. cum eodem *Dicastillo supra num.* 394. & 398. & 400. Talis non esset quidem obligatus ad continentiam, adeoque si peccaret contra castitatem, solùm peccaret unico peccato, maneret tamen semper & continuò obligatus ad votum castitatis emittendum, eoque emisso incipiret peccatum luxuriæ in ipso esse sacrilegium. Resp. hoc esse commentum contra sensum communem, etiam aliorum Auctorum; quod sufficit pro improbatione. Deinde sequeretur, talem validè contrahere matrimonium (quidquid dicat *Dicastillo*) nam Ordo sacer tantùm dirimit matrimonium ratione voti continentiæ (quod nos vocamus præceptum) seu quatenus solemniter sunt adstricti, qui ordinantur, ipsi continentiæ; ut patet ex Canonibus, & illis ipsis quidem, quos alii nobis objiciunt, *c. un. de Voto in 6.* & *Extrav. Antiquæ supra cit.* atqui talis non habet votum, quale putat *Dicastillo* intelligi iis Canonibus: ergo non est, unde dirimeretur matrimonium.

109. Dico II. Sacer Ordo dirimit matrimonium contrahendum jure Ecclesiastico. Ita *Scotus* supra, & alii communiter. Probatur: quia jus divinum de hoc nihil decrevit: votum etiam propriè non intervenit; & quàmvis interveniret, sine ulteriori ordinatione Ecclesiæ matrimonium non dirimeret: prout nec modò dirimit votum simplex, quod tamen solo jure Ecclesiastico differt à voto solemni; ut clarè colligitur ex *c. un. de Voto in 6.*

contrahendum jure Ecclesiastico.

§. III.

An ordinati in infantia aut ex metu obligentur ad Continentiam?

110. Dico I. Ordinati in infantia non tenentur ad castitatem. Ita *Sanchez l. 7. disp. 30. num.* 3. & alii communiter contra *Antoninum, Ledesma* & paucos alios. Probatur: nam non possunt teneri ex voto, cùm ad illud emittendum non habuerint sufficientem libertatem: non etiam ex præcepto Ecclesiæ, quæ per se non obligat ad continentiam, nisi illos, qui sacrum Ordinem scienter & volenter assumunt; ut ex ipsis juribus satis constat. Immo (ut *Sanchez* advertit) aliter obligare non potuisset: eò quòd continentia sit res adeò ardua, & præter inclinationem naturæ, ut nisi quis voluntariè statum continentiæ assumat, non possit ad eam cogi per humanam potestatem. Quibus consonat modus loquendi Apostoli 1. *ad Cor. 7.* & c. *De iis dist. 28.* ubi dicitur: *Concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus*, iis videlicet, qui voluntariè non assumunt statum, cui conjugium est interdictum. Quin immo (ut notat *Vasquez*) etsi obligatio continentiæ esset ex præcepto divino, non obligaret taliter ordinatos in infantia; non quidem defectu potestatis in Deo, sed ex benigna voluntatis divinæ interpretatione.

Ordinati in infantia non tenentur ad castitatem.

111. Censeo ulteriùs non obligari ad continentiam ordinatos ante pubertatem: quia etsi sint capaces aliorum præceptorum & votorum, non tamen præcepti aut voti tam ardui. Quare sicut jure antiquo non erat valida professio ante istud tempus c. *Ad nostram, de Regular.* sic nec censetur Ecclesia in talibus annectere votum aut præceptum de re tam ardua ac immutabili: quia tunc necdum est sufficiens maturitas judicii. Nec obstat, quòd posset talis vovere castitatem perpetuam: nam illud votum semper est irritabile à parentibus vel tutoribus usque ad pubertatem; at votum continentiæ aut præceptum Ecclesiæ non subjacet istis, & matrimonium dirimit.

Non obligantur ordinati ante pubertatem.

Etsi possent vovere castitatem perpetuam.

112. Si autem ordinetur post pubertatem ante annum ætatis decimum sextum, probabiliter valde obligaretur; nam etsi de professione aliud statuerit *Tridentinum*: tamen reliquit cetera vota & præcepta puberes concernentia invariata. Unde potest

Quid censendum de pueribus ante annum 16. ordinatis.

pubes vovere Religionem, aut castitatem perpetuam, sic ut sine sufficienti causa, ne quidem Papa possit obligationem tollere, & olim ista ætas sufficiebat ad professionem; non est ergo, cur de facto non sufficeret ad obligationem continentiæ annexæ Ordini per votum aut Ecclesiæ præceptum. Nec obstat, quòd statim exemplum professionis allegaverimus ad probandum, quòd non ligentur ordinati ante pubertatem: non enim intendimus præcisè argumentari à simili (quod in politivis non valet) sed assumpsimus ad ostendendum, quam rationabiliter explicetur mens Ecclesiæ, quòd non censeatur velle præceptum continentiæ, aut votum tacitum annexum Ordinibus afficere impuberes; qui non possunt, etsi vellent, etiam per votum explicitum se constituere in statu immutabili, quin illud ad libitum possint parentes vel tutores irritare. Quare si tales in Ordinum susceptione votum explicitum emitterent, non esset illud, quod Ecclesia annectit, nec dirimeret matrimonium, sed posset à prædictis irritari, atque esto non irritaretur, matrimonium valeret.

113. *Qualiter ratificatio subsequens inducat obligationem continentiæ.*

Si autem sic ordinatus adveniente sufficienti ætate ratificaret verbo vel facto, quod circa se gestum est, statim adveniret obligatio continendi cum effectu simili, sicut in ceteris ordinatis. Quòd autem c. *Ad Nostram, de Regularibus* concedatur triduum ad ratificandam professionem, solùm datur ad hoc, ut possit interea reclamare & resilire, postea non ampliùs audiendus; idque solùm procedit quoad præsumptionem fori externi. Posse verò ratificationem fieri apud Deum & in foro interno solâ mente, ait *Aversa q. 4. sect. 8. §. Tertiò ℣. Ceterùm, in fine*, & tunc non minùs in conscientia firmari perpetuam obligationem. Sed hoc videtur mihi habere difficultatem, quantum ad effectus canonicos dirimendi matrimonium; immo etiam quoad obligationem, quantum ad ordinationem susceptam in infantia attinet (quæ secundùm nos tantùm est ex præcepto) videtur enim potiùs requiri signum externum, quod est accommodatum modo agendi humano.

114. *Non ligatur hâc lege cõtinentiæ ordinatus ex metu gravi ad id injustè incusso.*

Dico II. Non ligatur continentiâ, qui Ordinem suscipit, volens quidem, tamen adactus per vim aut metum gravem, scilicet injustum, ad hoc incussum. Ita Doctores communiùs contra *Vasquez disp. 246. num. 34.* & alios. Estque stylus Curiæ, ut testatur *Rota* in decisionibus novissimis decis. 561. ut refert *Aversa q. 4. sect. 8.* Ratio est: quia votum sic expresè emissum est invalidum c. *Perlatum*: ubi est sermo (sed exempli occurrentis gratiâ) de voto professionis religiosæ: ergo etiam annexum Ordinis susceptioni, si tale sit. Si autem tantùm sit præceptum Ecclesiasticum continentiæ, multò minùs tali casu obligat: nam ad hoc Ecclesia non minorem requirit consensum, quàm ad validitatem voti.

Confirmatur I. quia gesta per metum sunt ipso facto irrita, saltem quando non possunt facilè per providentiam judicis irritari; aliàs saltem irritabilia: quare cùm in præsenti sit quid stabile, quod non potest per judices ordinarios irritari aut dispensari, censendum est comprehendi sub ordinaria providentia juris, ut scilicet sit ipso facto irritum & nullum.

Confirmatur II. quia conjugatus per metum suscipiens Ordines non obligatur ad continentiam, etiam secundùm alios; ergo nec suscipiens ita ante matrimonium: quia saltem deberet aliàs conjugatus ex sua parte obligari, uti si haberet votum simplex. Debet tamen vim vel metum passus ob scandalum & forum externum causas allegare, ut judex irritum & nullum declaret; sicut etiam in matrimonio & professione invalida.

Dices I. *Toletanum VIII. can.* de invitè promoto dicit: *Si ad conjugia, morsque seculi, redire attentaverit, omni Ecclesiasticâ dignitate privetur, & apostata habeatur. Vasquez* ipse *suprà* fatetur non constare, quòd loquatur Concilium de gravi metu seu cadente in constantem virum. Sed Concilium mentionem in suo discursu facit etiam de metu mortis. Quare respondet *Sanchez* Concilium loqui, quando postea à metu liber ratificavit. Sed hoc non constat ex contextu Concilii. Fortè tamen quis decreret, id, saltèm confingere, & ex subjecta materia seu casu supponi contigisse. Aliter Responderi posset cum *Suarez* Concilium tantùm esse provinciale, nec receptum ab Ecclesia universali, immo nec viguisse in Hispania, ubi latum fuerat decretum istud. Addit *Aversa supra §. Quartò ℣. Ad auctoritatem*, fortasse posse exponi de iis, qui etsi liberè forent ordinati, tamen inviti erant assumpti ad Ecclesiasticarum (ut loquitur Concilium) officia dignitatum.

Dices II. Qui metu baptizantur obligantur ad leges divinas & Ecclesiasticas: ergo &c. Resp. obligationem ad leges divinas Christianorum sequi tamquam necessarium accessorium ad validum baptismum; uti etiam sequitur ex jure divino subjectio ad potestatem Ecclesiæ, quæ consequenter potest illos cogere ad suarum legum, quæ non sunt tam arduæ, observantiam. At in præsenti continentiæ obligatio non sequitur tamquam necessarium accessorium ad Ordines validè susceptos, sed ex libera dispositione Ecclesiæ, quæ noluit tam arduum onus annectere, nisi sponte suscipienti: ut patet in ordinatis in infantia. Deinde ad statum Christianismi quisque equidem obligabatur; non ad statum ordinatorum, adeoque nec ad tam grave onus.

§. IV.

§. IV.

An Ecclesia recte Continentiam sacris Ordinibus annexuerit?

117. Affir.

Resp. Aff. contra *Wiclef*, & Hæreticos recentiores. Probatur: quia Ecclesia potest hoc validè facere, ut patet ex ejus potestate legislativa, & *Tridentino sess. 24. can.* 9. Potest etiam licitè: quia ad hoc cogit justissima causa: nam (ut ait *Totus dist. 37. num* 4.) clericus deputatur ministerio sacro, quod requirit munditiam mentis & carnis, perspicacitatem intellectûs, & fervorem affectûs, ad quæ omnia disponit continentia, & ad eorum opposita frequentia actûs carnalis. Neque in hoc Ecclesia alicui præjudicat: cùm neminem cogat ad Ordinem suscipiendum: qui enim non potest vel non vult esse continens, ab ordine abstineat. Confirmatur: quia si Abimelech 1. *Regum* 21. noluerit dare panem sanctificatum, nisi mundis à mulieribus: quantò ampliùs munditia ab iisdem requiritur in illis, quorum indies est sumere & offerre Agnum immaculatum, vel saltem offerentibus proximè assistere. Deinde insanum est arguere Ecclesiam in Constitutionibus suis, præsertim adeò antiquis & solemnibus, immo Apostolicis.

118. Dices I. Apostolus 1. *ad Timoth* 3. ait: *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum.* Resp. Apostolum non requirere, ut Episcopus habeat actu uxorem, quam nec ipsemet Apostolus habuit: cùm enim nulli alteri præciperetur habere uxorem, ad quid præciperetur Episcopo? sed vult, quòd eligendus in Episcopum non sit bigamus, id est, non habuerit plures uxores, sive interim unam habuerit, sive nullam. Quòd clarè patet ex *c.* 5. ejusdem Epistolæ, ubi vult in diaconissam eligi viduam, *quæ fuerit unius viri uxor*; ubi Apostolus non vult eam actu habere virum, cùm supponatur ipsa esse & mansura vidua: adolescentiores enim viduas, quæ postea volunt nubere, prohibet eligi.

119. Dices II. Apostolus 1. *ad Cor.* 7. ait: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* Resp. Apostolum ibi non præcipere vel consulere, ut omnes contrahant matrimonium; cùm ibidem dicat: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* Item: *Beatior erit, si sic permanserit.* Unde prædicta verba dirigit ad conjugatos, volens, ne propter conversionem ad fidem recedant à se invicem, sed perseverent in matrimonio priùs habito, eoque (nisi obstet impedimentum) castè utantur ob periculum incontinentiæ, quod alias incurrebant. Alter totus 1. Cor. 7. exponitur.

120. Dices III. Juxta Apostolum *ad Hebr.* 13. *Honorabile connubium in omnibus*: ergo etiam in sacerdotibus. Resp. Neg. Cons. non enim vult Apostolus, omnibus esse honestum, contrahere matrimonium, etiamsi sint vinculo continentiæ adstricti (alioquin contradiceret sibi ipsi 1. *ad Timoth.* 5. ubi idcirco viduas assumptas in ministerium Ecclesiæ volentes nubere dicit habere damnationem) sed vult matrimonium ejusque usum secundùm se esse in omnibus seu ex omni parte honorabile inter personas qualificatas, sive rationem Sacramenti, sive bonum fidei, sive bonum prolis spectes: vel esse honestum in omnibus, id est, apud omnes Gentes. Vel denique hortatur Hebræos, ut matrimonium jam contractum honorabile præstent, nihil committendo contrarium pudicitiæ conjugali. Unde subdit: *Fornicarios enim & adulteros judicabit Deus.* Exponitur locus ad Hebr. 13.

121. Dices IV. Prohibere nuptias est proprium Hæreticorum juxta Apostolum 1. *ad Timoth.* 4. Resp. Apostolum solùm velle, quòd sit Hæreticorum damnare generaliter nuptias, tamquam naturâ suâ malas, ut quidam Hæretici fecerunt: hoc autem non facit Ecclesia, quæ nuptias manifestè approbat, immo inter Sacramenta recenset; easque tum ob reverentiam sacrarum functionum, tum ob alias Ecclesiæ utilitates, prohibet solum iis, qui se voluntariè in talî statu collocarunt; quod non tangit Apostolus. Solutiones quarumdam aliarum objectionum, & falsarum historiarum, quas solent Hæretici fabricare, vide apud *Bellarminum lib. 1. de Clericis cap. 20. & duobus seqq.* Quantùm differant Catholici ab Hæreticis prohibentibus nuptias, de quibus 1. Tim. 4.



TRACTATUS V.
DE
SPONSALIBUS
ET
MATRIMONIO.

HIc *est ultimus Summæ nostræ Theologicæ Tractatus, non modicæ utilitatis, quoad praxim præsertim. De ejus verò materia copiosè & doctè scripsit* Thomas Sanchez. *& post eum alii, signanter* Basilius Pontius. *Nos pro instituti nostri ratione succinctè selectiora magisq; proficua solùm trademus. Et primò quidem de Sponsalibus agere proposuimus, quòd ipsa sint ordinarium Contractûs, adeòque Sacramenti Matrimonii præambulum. Deinde quàmvis de ipso Sacramento Matrimonii sit proprius hîc locus tractandi, pariter tamen ea trademus more consueto, quæ ipsum concernunt contractum, ab ipso Sacramento essentialiter præsupposito.*

DISPUTATIO PRIMA.

De Sponsalibus.

QUÆSTIO I.

Quid sint Sponsalia, qualiter contrahantur & obligent?

1. *Sponsalia tripliciter accipiuntur.*

SPonsalia tripliciter accipi solent. Primò, pro donis quæ sponsis conferri solent, ut 1. *Reg.* 18. *Non habet Rex Sponsalia necesse, nisi tantùm centum præputia Philistinorum.* Secundò pro ipso contractu Matrimonii, antequam accedat consummatio; & vocari solent Sponsalia de præsenti. Similiter ipsi contrahentes vocantur sponsi. Immo vulgò sic appellantur etiam post consummationem Matrimonii recèns contracti, durante saltem solemnitate nuptiarum. Tertiò & usitatiùs Sponsalia accipiuntur pro contractu prævio ad Matrimonium, scilicet pro promissione Matrimonii, dicunturque Sponsalia de futuro. Ut enim tradit *Ulpianus L. 2. ff. de Sponsal. Sponsalia dicta sunt à spondendo. Nam moris fuit Veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras. Vnde* (ut dicitur *Lege 3. eod. Tit.*) *& sponsi sponsæque appellatio nata est.* Et quidem pater, aut is qui puellam viro spondebat, sponsor; quæ spondebatur, sponsa, cui spondebatur, sponsus vocabatur. Quàmvis etiam tertius sponsor non interveniat, adhuc se sibi alterutrum spondentes rectè sponsus & sponsa vocabantur. De Sponsalibus tertio modo sumptis hîc est sermo.

Quia significent sponsalia de præsenti.

Ulpianus libro 38. ad Edictum.

2. *Eorundem definitio.*

Solent autem Sponsalia definiri futurarum nuptiarum mutua promissio seu sponsio. Su-

sio. Sumitur ex *L. 1. ff. de Sponsal.* ubi dicuntur *mentio & repromissa nuptiarum futurarum.* Quare constat apud omnes Sponsalia esse contractum oneroſum, adeoque exigere ultrò citroque seu in singulis contrahentium æquam aut mutuam obligationem. Ideoque parte nolente repromittere non subsistit obligatio prioris. Estque hæc mens præsumenda, nisi constet de contraria.

Alioquin ex intentione spondentis posset hæc obligatio claudicare, ut (si ita vellet, idque satis exprimeret) ipse se obligaret absque reciproca obligatione partis: quidquid dicat *Vasquez d. 4. de Matrim. c. 3.* & quidam alii. Si enim posit quis se obligare per liberalem & gratuitam promissionem ad aliquid aliud; cur non ad Matrimonium? Sic namque posset quis liberaliter promittendo se obligare ad vendendum alteri domum, etsi hic non se obliget vicissim ad emendum. Sic fatente ipso *Vasquez suprà* deflorator virginis sub spe conjugii tenetur eam ducere; ad quod tamen ipsa non tenetur. Immo fatetur, quòd promittens alteri Matrimonium, concesso tempore ad deliberandum, obligetur illud tempus expectare, nec possit interea promissionem revocare, & tamen altera non tenetur.

Eâdem ratione posset fieri promissio, etiam utrimque, sub solo veniali, vel tantùm ad pœnam: nam conditio obligationis pendet ex voluntate contrahentium. Sicut etiam potest legislator in materia gravi leviter vel ad solam pœnam obligare. Et magis ad propositum, potest quis materiam gravem sic vovere seu promittere Deo.

Tamen ejusmodi promissiones non sunt vera Sponsalia, nec inducunt impedimentum dirimens publicæ honestatis: quia non sunt promissiones oneroſæ reciprocæ, obligantes saltem secundùm capacitatem & naturam materiæ: de quibus solùm agitur, dum de Sponsalibus est sermo.

Sed adhuc dubitari posset, an acceptatio promissionis Matrimonii factæ ordinatio modo & sensu, censeatur esse eo ipso repromissio. Affirmat *Vasquez suprà* & *Basilius Pontius l. 12. de Matrim. cap. 4. num. 2.* Plerique alii negant, ob hoc, quòd acceptatio sit tantùm admissio fidei alterius; quæ non est eo ipso reciproca fidei datio, quin immo potest esse cum expressa voluntate contraria. Verùm restat apud me difficultas in favorem prioris sententiæ, quòd etsi dari possit promissio Matrimonii gratuita, cujus proindè acceptatio non sit repromissio, tamen promissio sponsalitia, aut quæ ordinariè fit, de se sit oneroſa, q. d. *Promitto, ut promittas.* Sicut etsi donatio sit contractus gratuitus, tamen contractus innominatus, *Do, ut des*, est ex natura sua mutuus & oneroſus; non minùs, quàm venditio, quæ est donatio mercis pro pretio. Unde sicut acceptatio venditionis, eo ipso est emptio, & acceptatio contractûs innominati *Do, ut des*, est reciproca datio; sic videtur debere acceptatio promissionis oneroſæ, quæ noscitur tali mente fieri, censeri similiter repromissio; nisi modus acceptandi contrariam mentem significet. Quo casu consequenter promissio non habet vires obligandi ipsum promittentem: qui (ut supponitur) non gratuitam, sed oneroſam promissionem facere intendit.

Imitantur autem Sponsalia naturam Matrimonii in hoc, quòd sint unius cum una determinata. Unde si quis communitati puellarum promittat se ducturum unam ex illis, & hæ repromittant, non sunt vera sponsalia, nec inducitur impedimentum publicæ honestatis. Patet ex c. *Vnico de Sponsal. in 6.* Tali autem casu electio est penes ipsum promissorem, sicut in quacumque alia promissione alternativa, juxta *Reg. In alternativis 70. Juris in 6.* & *L. Plerumque ff. de Jure dotium.* Quare si promissio incœpit à parte puellarum, electio est penes patrem, debetque repromittens ducere quam pater determinat: si incœpit à sponso, electio est penes ipsum. Positâ verò electione statim inducitur publica honestas: cùm tunc promissio fiat absoluta & determinata; sicut dum purificatur conditio in promissione conditionata. Teneturque electioni consentire ea, quæ eligitur: cùm singulæ fecerint repromissionem, ut supponitur.

5. *Vt sit promissio Sponsalitia debet esse unius cum una determinata.*

Cujus sit electio in casu promissionis ducendi unam à filiabus-familias.

Electione positâ exurgunt Sponsalia.

Sponsalia porrò iniri posse sub conditione futura, instar aliarum promissionum indubitatum est. Et quidem pendente conditione non obligant, nisi ad hoc, ut expectetur conditionis eventus, & sine justa causa alteruter interim non resiliat alterâ parte invitâ. Neque etiam oritur interea impedimentum publicæ honestatis *c. 1. de Sponsal. in 6.*

6. *Sponsalia sub conditione futura nata ad quid obligent.*

Impleta tamen conditione, etsi non sciatur quòd sit impleta, perficiuntur sponsalia, quàmvis etiam non accedat novus consensus; adeoque eo ipso resultat impedimentum publicæ honestatis, ut ex c. *cit.* satis colligitur: nam hoc ipso transit contractus in absolutum, utì propositio conditionata sic transit in absolutam. Neque contradicunt etiam ii Doctores, qui alioquin in Matrimonio conditionato requirunt consensum novum, ob speciales difficultates in sponsalibus locum non habentes.

Impleta conditione transeunt eo ipso in absoluta.

Eodem modo sponsalia etiam ante eventum conditionis fiunt absoluta, statim sive eo ipso, quo sponsi à conditione recedunt, non aliter, quàm si conditio ab initio non fuisset apposita.

Vtì etiam, si sponsi à conditione recedant.

Dubitatur autem, an habentes impedimentum canonicum, v. g. consanguinitatis vel affinitatis, si dicant, *Promitto, me tecum initurum Matrimonium, si Pontifex dispensa-*

7.

Inita inter impeditos sub conditione, si Papa dispensaverit, valent probabilius, obtentâ dispensatione.

dispensaverit; contrahant sponsalia, quæ valeant, dispensatione impetratâ? *Henriquez, Barbosa*, & plures alii censent non valere, & integrum esse partibus, tam ante, quàm post dispensationem, resilire: idque probabile putat *Sanchez l. 5. d. 5. num. 5.* At probabilius est valere, nec posse unam partem invitâ alterâ resilire, ut docent plurimi apud *Sanchez sup. num. 12.* Ratio est: quia est promissio de re licita & possibili, ac inter fideles consueta; quæ etiam posset firmari juramento, utique obligatorio, dum respicit rem licitam. Deinde quia conditio pendens à voluntate principis non debet censeri impossibilis (ut supponunt alii pro fundamento suæ conclusionis) quando princeps potest, aut saltem solet aliquando eam ponere. Unde positâ dispensatione sponsalia sunt pura, & pariunt impedimentum publicæ honestatis.

Probatur,

Et simul occurritur objectioni.

8. *Aliis objectionibus satisfit.*

Nec obstat, quòd malit Ecclesia dispensationem non peti: quia mavult id quidem per se loquendo; maximè tamen vult, ut id fiat, dum quis se legitimè obligavit. Utì id mallet, si ego v.g. promisissem alteri petere pro ipsa rationabilem dispensationem: ad quod sanè vi promissionis obligarer. Unde etiam Ecclesia urgeret per se loquendo tales ad implendum promissum & conditionem: nisi hanc facere mallet impossibilem negando dispensationem.

Non obstat etiam, quòd possit quis post promissionem sub tali conditione factam non petere dispensationem in voto Religionis: quia semper manet potestas transeundi ad statum altiorem; unde etiam post sponsalia absolutè inita posset votum illud de novo emittere. Idem multi censent de voto simplicis castitatis. Verùm sicut probabilius juxta infrà dicenda hoc votum non dissolvit sponsalia contracta, neque post illa licitè emittitur; sic non videtur obesse valori sponsalium initorum sub conditione, si Papa dispensaverit, in casu videlicet, quo justa subesset causa dispensandi; quæ ad hoc ut dispensatio foret valida, requiritur.

9. *Quid censendum de sponsalibus initis sub conditione turpi aut impossibili.*

Quòd si sponsalia ineantur sub conditione de futuro turpi vel impossibili, juxta satìs communem sententiam, ejusmodi conditio habenda est pro non adjectâ: adeòque ipsa absolutè obligant. Verùm existimo standum esse contrahentium intentioni, adeòque sponsalia contracta sub conditione impossibili seriò apposita nullatenus valere: contracta verò sub conditione turpi non obligare quidem ante eventum conditionis, sed solùm post conditionem impletam oriri obligationem & impedimentum publicæ honestatis, si partes antè non resilierint. Ita *Rebellus, Basilius Pontius* & alii. Ratio est: quia hæ conditiones non rejiciuntur ex natura rei in contractibus: quinimmo ex natura rei conditio impossibilis contractui adjecta illam vitiat, turpis verò obligationem suspendit. Neque etiam rejiciuntur ex jure positivo. Nam cap. *fin. de conditionibus appositis* (quod solùm allegatur) tantùm est sermo de contractu matrimoniali, nec debet necessariò extendi ad contractum sponsalitium. Deinde (ut alias explicationes omittam) solùm loquitur quoad præsumptionem fori externi, saltem quando est dubium, an conditio fuerit seriò, an joco apposita.

Quod ad obligationem sponsalium attinet, certum est apud Omnes, eam esse gravem & sub mortali. Ratio est: quia etiamsi sponsalium promissio simplex seu gratuita non obligaret graviter (ut Varii putant) certum tamen est, graviter in materia gravi obligare contractum promissorium mutuum & onerosum, qualis hic est. Quòd si in contractu sponsalium tempus ineundi Matrimonii sit determinatum, non potest ultrà illud cessante causâ justâ Matrimonium differri, nisi partes consentiant. Quòd si tempus non sit determinatum, non licet differre ultra tempus ordinarium in tali regione. Si pars alterutra nolit sponsalia legitimè contracta implere, potest cogi per judicem: cùm pars ex justitia ad implendum obligetur. Idemque patet ex c. *Ex Litteris Silvani* 10. *de Sponsal.* ubì licet agatur de sponsalibus juratis, idem tamen videtur de non juratis, quidquid aliqui sine sufficienti ratione distinguant. Quia tamen coactio difficiles solet habere exitus, pars implere nolens potiùs est monenda, quàm cogenda, ut dicitur c. *Requisivit eod. tit.* Unde si graviora mala meritò timeantur, erit prudentis judicis à coactione desistere, immo (ut ait *Præpositus q. 9. dub. 2. §. 3.*) consultius erit, obstinatè nolentem adimplere sponsalia à censura jam inflicta absolvere. Videtur autem id remittendum arbitrio judicis: qui alioquin in rigore loquendo omnino potest etiam nolentem per pœnas compellere, maximè quando sponsalia fuerunt jurata.

Petes: An sponsis de futuro ratione Sponsalium sint licita oscula aliique tactus, & amplexus? Resp. in primis tactus impudicos esse sponsis omnino illicitos. Hic certum apud omnes: quia sunt per se nimis turpes, & nimis propinqua dispositio ad copulam, quæ tunc eis non licet. Deinde tactus alioquin honesti, oscula & amplexus, si quæratur delectatio ex illis consurgens etsi sint in sponsis venialia, tamen juxta valdè multos Doctores non sunt mortalia; seclusò saltem pollutionis aut fornicationis periculo. Addunt Nonnulli, dummodo non fiant cum notabili commotione carnis; eò quòd sic valde accedant & propinquent ad copulam. Ratio assignari potest: quia sicut sponsalia sunt quædam inchoatio Matrimonii, sic videntur licitos facere tactus, qui sunt remota quædam copulæ inchoatio.

Nihilominus contrarium est tutius & tenen-

tenendum, scilicet sponsis nullos actus vel oscula magis licere, quàm aliis, sed illa solùm, quæ honestas & amor mutuus fovendus requirunt. Ad quem proinde finem licitè adhibentur, quantumvis inde carnis commotio sequatur, si non adsit periculum consensûs in veneream delectationē. Ratio est, quòd ipsis, utì & aliis quibuscumque in tali statu illicita sit copula, adeòque etiam veneream ad illam dispositiones. Deindè inchoatio contractûs non tribuit jus ad usum rei, de qua est contractus.

QUÆSTIO II.

Qualem Consensum requirant Sponsalia, & qualiter expressum?

AD Sponsalia non sufficit in primis fictus consensus, etsi fictiō sit merè interna, sed requiritur voluntas seriò promittendi, adeòque se obligandi. Ita plerique Doctores contra *Vasquez*, *Basilium Pontium* & quosdam alios existimantes sufficere in contractibus humanis, (excepto Matrimonio) intentionem veram debitam, dum actiones externæ cæteroquì clamant negotium seriò peragi: eò quòd tales contractus humani humano modo celebrati sufficiant ad transferendum jus in alterum: sint autem taliter celebrati, eo ipso quòd v.g. verba promissionis sunt sponte expressa cū reliquis sensibiliter requisitis ad celebrandum talem contractum.

Sed hi Auctores manifestè petunt principium. Hoc enim ipsum contendimus ad translationem juris mediante contractu non sufficere, si desit interna transferendi intentio. Nam cùm obligatio consequens promissionem aut alios contractus non imponatur à superiore, aut ab extrinseco, sed oriatur ex propria voluntate promittentis seu contrahentis, hâc deficiente non subsistit obligatio seu valor in foro interno. Prout idcirco similiter in voto seu promissione Deo facta, etiam per solemnem professionem, requiritur interna & vera intentio. Quæ etiam adeò necessaria est ad alios actus humani convictûs, v. g. Sacramenta & Sacrificium, ut his obsit fictio, etsi merè interna, ne valeant. Quemadmodum quoque interna legislatoris intentio ad obligationem inducendam sic requiritur, ut eâ deficiente non ponatur, eidemque proportionetur obligationis gravitas vel levitas. Denique consensus debitus non est verus consensus: jura autem constanter requirunt in pactis verum & mutuum animorum consensum; immo *L. 1. ff. de Pactis* & alibi pactio seu pactum describitur, duorum vel plurium consensus. Potuisset quidem defectus interni consensûs in contractibus, Matrimonio excepto, quodam sensu per dominium altum Reipublicæ supplerì: non constat tamen id esse factum; minùs autem, ut sine eo staret verus contractus; quod quidem postremum Respublica facere non posset.

13. *Occurritur objectionibus.*

Aliud est de detractione; ad quam planè satìs est prolatio verborum manifestantium crimen proximi; adeòque non requiritur intentio distincta à voluntate liberè proferendi verba: quæ sola ingerunt audienti notitiam existimationis bonæ destructivam. Similiter obligatur quidem promittens habere animum conformem verbis, dum verba profert; sicut aliquid asserens debet ex suppositō asserere conforme objecto & suæ opinioni, ne aut falsum dicat, aut mentiatur: si tamen jam fictè locutus sit sive promiserit, obligatio non sequitur.

14. *Contrahentes sponsalia graviter peccant fingendo.*

Et quidem graviter in præsenti obligatur ad habendam mentem conformem verbis; utpote decipiens alioquin proximum in re gravi. Quod cessat, dum fictionem suam satìs prodit. Excipe etiam, quando vi vel metu cogitur fingere, sicque ad evadendam injuriam sibi illatam, damnumque consequens, verba profert tantùm exteriùs. Unde (ut Varii notant) ne veniale quidem erit, si justa æquivocatio accedat. Quare qui cum indebita fictione interna promisit alteri Matrimonium, hâc seriò repromittente, obligatur ad evitanda seu reparanda damna vel scandala, & quatenus in hunc finem foret necessarium, teneretur eam ducere. Unde si sit femina malæ famæ, quæ proinde nullum damnum patitur, non obligatur fictè promittens eam ducere, sed satisfaciet solvendo pretium copulæ, si illa femina consueverat usuram corporis sui pro pretio concedere.

15. *Promissio sponsalitia debet esse sufficienter expressa.*

Debet quoque promissio sponsalitia esse externa, sufficiensque ad denotandam veram promissionem: adeò ut non valeat, si signa exteriora non satìs significent sive exprimant invicem mutuum interiorem consensum: prout in simili casu etiam non valeret matrimonium aut alius contractus humanus. Nec aliqua verba determinata requiruntur, sed sufficiunt quælibet, quæ præfatum consensum satìs exprimant ipsis contrahentibus, tametsi aliis non significarent. Quàmvis in foro externo standum sit communi verborum intelligentiæ, & sensui, quem solent rectè intelligentibus generare, juxta c. *Ex litteris 7. de Sponsalibus* & omnes Doctores. Quod locum habet, etiamsi dubitetur de intentione & consensu: nam etiam tunc sententia ferenda est in favorem Sponsalium & Matrimonii juxta verborum tenorem, ut rectè probat *Sanchez l. 1. d. 9. num. 13.* Si autem & ipsa verba seu signa expressiva consensûs sint dubia, sic ut ne quidem attentis particulari-

Qualiter sit standum communi verborum intelligentiæ.

Qualiter interpretationi ipsorum proferentium.

cularibus circumstantiis satis queat constare de sensu, utrimque ambiguo, standum videtur interpretationi proferentium, etiam in foro externo: quia dum verba utrumque sensum possunt recipere, credendum est, quod quisque explicaverit. Si verò & ipse proferens tunc sit dubius de suo sensu, non debet se habere pro obligato: quia est in possessione libertatis; & in obscuris minimum est sequendum. Deinde in hoc casu non adest externum signum sufficienter expressivum interioris consensûs; quod æquè necessarium est ad contractûs obligationem, sicuti ipse interior consensus.

16. *Varia sponsalitia formulæ allegantur.*

Verba porrò denotantia sufficienter promissionem & obligationem sunt v. g. Promitto, Me obligo, Do tibi fidem meam, Habeas me pro infido, pro infami, pro proditore, nisi te ducam, Sub fide mea te ducam; & si quæ sint similia. Si dicat, Non ducam aliam nisi te, quàm te, præter te, sensus est exclusivus de aliis ducendis; vel ad summum conditionalis affirmativus de ducenda tali, si aliquam ducat, juxta *Covarruvias*, *Sanchez*, *Pontium* & alios. Sed verba ista importare per se sensum affirmativum & absolutum de ducenda tali, & negativum de aliis, ob regulam, secundum quam exponitur propositio exceptiva, v.g. Nullus currit nisi Petrus, id est, Petrus currit, & alii non currunt: censent *Petrus* & *Bartholomæus Ledesma* & alii. Proinde esse ambiguam resolvit *Aversa quæst.8. sect 3.* Ubi etiam docet hæc verba, Accipiam seu ducam te in conjugem meam, in præsenti materia haberi ex communi sensu tamquam promissiva & obligatoria; nisi aliud constet ex circumstantiis aut explicatione partium. Ideoque tamquam verba consueta ad perficiendum sponsalia, adferuntur à *D. Thoma 4. dist. 27. q. 2. art. 1.* In rigore tamen satis verificantur in simplici proposito, q. d. Intendo seu propono ducere te.

17. *Quæ signa à verbis distincta sufficiant.*

Inter alia signa sufficientia ad sponsalia sunt, porrigere & tangere invicem manus in signum datæ fidei, immissio annuli in digitum in eumdem finem, missio & acceptatio munerum juxta morem sponsorum, præcedente tractatu matrimonii. Item quando filii præsentes, parentibus aut tutoribus eorum nomine promittentibus, tacent & non contradicunt, ex *c. Vnic. de Despon. impub. in 6.* Idem censetur signum sufficiens, quando filii absentes, aut tunc infantes, postea advenientes, aut septennium complentes, id expressè vel tacitè ratificant, ut habetur *c. Vnic. cit* Quæ tacita ratificatio fiet quoque per alia signa, v. g. cohabitationem, visitationem, amplexus & oscula, si se sponsos appellent, vel per similia inter sponsos consueta. Fieri quoque per solam taciturnitatem, quando filii ab iisdem parentibus ediscunt promissionem pro iis factam, admittit *Coninck d. 21. dub. 3. num. 39.*

Petes, an si impuberes attentent contrahere matrimonium per verba de præsenti, matrimonium istud saltem habeat vim sponsalium? Resp. Affirm. ex c. *Tuæ nobis, de Despons. impub.* ibi: *Procul dubio inter eos non conjugium, sed sponsalia contracta fuerunt.* Et *c. unic. eod. tit. in 6.* ibi: *Idem si pubes & impubes vel duo impuberes ..... per verba contraxerint de præsenti: Sponsalia enim illa juris interpretatione tantùm fuerunt sponsalia de futuro.* Et infrà: *Per dictum tamen contractum, qui valuit ut potuit, non sicuti agebatur, publicæ honestatis justitia est inducta.* Quod adeò verum est, ut etiamsi intretur clandestinè, adhuc haberet vim sponsalium. Ratio est: quia contractus ille solùm est sponsalitius; Sponsalia autem clandestina, etiam post *Tridentinum*, non sunt invalida. Quare *Trident. sess. 24. c. 1.* decernens matrimonia clandestina esse irrita, tantùm agit de matrimoniis alioquin validis; matrimonium autem impuberum tum non erat validum in ratione matrimonii, sed tantùm sponsalium. Unde sic declararunt *Cardinales*, ut ex *Rebello* refert *Præpositus quæstione 4. dub 5.*

Verùm quia è contrà *Tridentinum supra* ejusmodi contractus à puberibus clandestinè initos decernit esse irritos & nullos, ipsosque contrahentes ad sic contrahendum omnino reddit inhabiles, *Rodriguez*, *Sanchez*, *Præpositus supra* & alii passim existimant, matrimonium clandestinum puberum ne quidem habere vim sponsalium. Pro quo etiam adfertur *Declaratio Cardinalium ad locum Tridentini citatum*, & *Matrimonium contractum coram testibus.* Præterea jus id nullibi ordinat. Insuper contractus, qui non valet ut fit, ad hoc ut valeat eo modo quo valere potest, non debet habere defectum ex parte formæ, sed solùm ex parte causæ efficientis, ut cum *Bartolo* & aliis probat *Sanchez lib. 1. disput. 20.* Immo non currit, quando jus resistit contractui, etiamsi sit alioquin servata forma legitima arg. c. *Quod in dubiis, De renuntiat.* & probat *Sanchez supra.* Matrimonium autem clandestinum puberum deficit ex parte formæ, eique jus omnino resistit, ut patet ex *Tridentino supra.* Quare etiam Judices in foro externo nullum jus sponsalitium ex tali contractu relinqui arbitrarentur. Addunt nonnulli (& probabile censet *Præpositus quæst. 4. dub. 5. num. 27.*) ne quidem impuberes ex contractu matrimonii obligari velut ex sponsalibus propriè dictis, sed tamquam talibus juris interpretatione, quatenus jus statuit, inde oriri publicam honestatem, ac ipsos impuberes à contractu præfato non posse ante annos pubertatis etiam mutuo consensu resilire. Jus autem similem effectum contractui matrimoniali puberum, si sit invalidus, non adscribit. De cetero difficile mihi apparet (quod tamen aliis judicandum relinquo) in contractu matrimoniali seu

seu consensu invalido de præsenti quoivis tacitè eo ipso velut ex natura rei promissionem de futuro valide contrahendi: cùm promissio matrimonii sit planè alius actus, alterius objecti; fiatque per distinctum omnino consensum: ex natura verò rei actus invalidus prout agitur, valere quidem debeat, quantum valere potest idem actus, non autem quantum alius actus. Ob quod donans invalidè alteri agrum non censetur obligatus velut ex promissione inclusâ postea facere validam donationem.

QUÆSTIO III.

De Libertate, Ætate, & Solemnitate requisita ad Sponsalia.

PRimò requiritur ad sponsalia deliberatio & libertas indifferentiæ in materia proportionata sufficiens ad mortaliter peccandum; ut apud omnes est indubitatum. Error autem sive dolus, si versetur circa substantiam contractûs, indubiè irritat illum ipso facto, utì ceteros contractus. Si verò versetur circa qualitatem sufficientem ad rescindenda sponsalia, habet penes errantem seu deceptum facultas ea rescindendi. Immo *Aversa q.* 8. *sect.* 4. & plures alii censent etiam tunc esse ipso facto irrita ex *l. Et eleganter ff. de Dolo.* Sed non satìs solidè, attento exemplo aliorum contractuum, immo ipsius matrimonii. Quare leges apertè dant actionem ex contractu per dolum alterius inito: ubi autem datur actio, contractus valet. Neque urget Lex in oppositum adducta: agitur enim in ea de minorenni per dolum deceptus ut venderet servum; cujus contractus, quo absque decreto judicis non talem alienat, est omnino nullus *l. In causæ cognitione 2. §. item relatum ff. de minoribus.* Et quidem agitur de emptione, cui causam dederat dolus tertii: quo casu utique non est irrita in aliis; sed tantùm in minorenni ob defectum decreti. Præterea ipse *Aversa* fatetur sponsalia non esse ipso facto irrita (utpote quòd nullâ lege est cautum) sed tantùm justè rescindibilia, quando pars contrahens non decepit, sed alter suâ imprudentiâ aut ignorantiâ deceptus est. Similiter non censeri irrita, quando alter dolo aut errore, qui suberat, non est inductus; sed paratus erat inire sponsalia etiam cognitâ veritate. Qui error seu ignorantia à Juristis dicitur concomitans, quia non est causa operis. Si quis verò dubitet, an si sciviſſet veritatem, voluiſſet contrahere, & causa tam gravis adest, quæ ad dissolvenda sponsalia sufficiat; is (inquam) nisi sit certus de voluntate contraria, eo ipso debet se habere velut inductum tali dolo aut errore ad contrahendum; seque aliàs non fuisse contracturum. Quare dolo seu errore detecto potest deceptus à Sponsalibus resilire.

21. *Metus gravis injustè an irritet ipso facto.*

De metu gravi injustè incusso videtur communis sententia Doctorum, eum sponsalia reddere ipso facto irrita, argumento ipsius matrimonii, quòd talis metus reddit irritum. Quod Doctores passim ampliant, etsi fuissent juramento firmata, ita ut nec opus sit relaxatione juramenti. Et quidem in hoc ipso apparet quædam repugnantia, ut quis metu coactus promittere & jurare futurum matrimonium, tali promissione & juramento obligetur re ipsâ contrahere matrimonium, quod ex hujusmodi metu celebratum foret invalidum. Ad quod etiam communiter allegatur c. *Ex litteris, de Desponſ. impub.* ubì *Urbanus III.* de puella, quæ jurata fuerat & desponsata impuberi, ita tamen minis parentum impulsa, rescribit Archiepiscopo Pisano: *Ei accipiendi alium virum liberam tribuas facultatem*, non expectatâ necessariò, ut præmittitur, alterius pubertate. Inde tamen non sumitur firmum argumentum: tum quia posset hoc jus explicari de irritatione facienda per judicem. Tum quia jus allegatum fortè loquitur de sponsalibus metu contractis per verba de præsenti inter puberem puellam & impuberem masculum (ut explicat *Diaſtillo d.* 1. *dub.* 22.) tale enim matrimonium non transit in sponsalia de futuro; sed illud tantùm, quod nisi obstaret ætas, foret ex parte consensûs validum matrimonium; cui soli jus tribuit vim sponsalium. Quemadmodum etiam matrimonium puberum metu contractum, non haberet vim sponsalium, esto alioquin hæc metu contracta forent valida. Sunt nihilominus varii Doctores (inter quos *Leſſius l.* 2. *de Juſtit. cap.* 17. *num.* 37. & *Sylvius q.* 47. *Supplem. art.* 3. *quæſito* 1. alios citans) qui sponsalia metu contracta censent irritabilia quidem, non tamen ipso facto irrita. Quæ proinde inducerent impedimentum duplicæ honestatis: etsi hoc quoque putet *Leſſius* negari posse.

22. *Quid de metu levi.*

Ex dictis consequens est per hujusmodi sponsalia non induci impedimentum publicæ honestatis. Quod tamen inducitur, si metus sit levis; ex quo si fiant sponsalia, non sunt ipso facto irrita. Quàmvis etiam hæc possint rescindi; & quidem juxta *Sanchez l.* 4. *d.* 19. *num.* 6. & alios, propriâ auctoritate metum passi, etsi alioquin in foro externo non competat ei actio vel exceptio: quia & metum incutiens tenetur in conscientia relaxare fidem metu extortam, & ipse metum passus, potest eam sibi resumere.

23. *Jure Eccleſiaſtico ad contrahenda ſponſalia requiritur*

Secundò jure naturæ ad contrahenda sponsalia non requiritur certa ætas, sed sufficit usus rationis, ut patet. At jure Ecclesiastico ad eorum valorem requiritur septennium completum. Patet ex c. *Litte-*

Litteras & c. *Accessit*, & c. *Ad dissolvendum de Desponsal. impub. & cap. unic. eod. tit. in* 6. ubi etiam declaratur citiùs non incurri impedimentum publicæ honestatis. Sufficit autem diem, quo annus septimus completur, esse inchoatum; prout ad testamenta conficienda sufficit ultimum diem ætatis requisitæ esse inchoatum *l. Qua ætate ff. de Testam.* adeòque potius in favorabilibus, cujusmodi sunt sponsalia aut matrimonium. Assignatur porrò septennium completum, eò quòd tunc communiter pueri sint compotes sufficientis usûs rationis. Si qui hebetioris ingenii ætate illâ necdum sint eo præditi, sunt quoque incapaces sponsalium, ut patet. Tamen nisi id probetur, forum externum præsumet contrarium.

24. *An citiùs contracta valeant, prudentiâ supplente ætatem,*

Resolvitur, quòd non.

An verò sponsalia contracta ante septennium sint valida, quando prudentia seu malitia supplet ætatem, variant Doctores. Affirmat probabiliter *Sanchez lib. 1. d. 16. num.* 9. & plures alii, eò quòd causa invalidationis sit defectus consensûs deliberati, scilicet præsumptus; ut colligitur ex c. *unic. de Desponsal. impub. in* 6. Negat *Præpositus quæst. 9. dub. 2.* & plurimi alii. Idque videtur juribus conformius, quæ absolutè declarant sponsalia citiùs contracta esse irrita: nec sollicitè inquirunt de capacitate usûs rationis; quod aliàs necesse foret, præsertim in ætate septennio vicina: uti idcirco indagatur potentia ad copulam id proximis pubertati, in quibus declarant jura malitiam supplere ætatem quoad contractionem matrimonii: quod etiam nullibi declarant de sponsalibus.

25. *Satisfit fundamento oppositæ sententiæ.*

Ad fundamentum alterius opinionis dico, quòd præsumptus defectus deliberati consensûs in minori ætate sit quidem ratio legis, sed talis, ut propterea generaliter ipsa ordinet numquam sponsalia valere. Neque enim defectum istum præsumit in singulis casibus, sic ut si in illis præsumptio nitatur falsitate, lex cesset; sed solùm præsumit, ordinariè & regulariter illum natum esse deficere: ideoque certum pro incerto eligens facit minores septennio inhabiles ad contrahendum sponsalia, & publicam honestatem. Sic enim ob periculum natum subesse sæpè prohibetur generaliter, etiam sub pœna nullitatis, aliquid fieri. Aliud est de matrimonio: quia jus ibi hoc declarat & vult; hìc non, sed potiùs declarat oppositum. Ut proinde locum non habeat, quòd ex *l. Oratio ff. de Sponsal.* nonnulli arguunt, decreta de matrimonio tacitè extendi ad sponsalia. Quod alioquin etiam apertè absurdum est, si generaliter intelligatur. In *L. cit.* verò solùm dicitur, quòd interdicto aliquibus matrimonio, censeantur iisdem interdicta sponsalia inter se ineunda; utpote quæ forent promissio rei simpliciter inhibitæ, scilicet matrimonii inter se incundi.

Explicatur l. Oratio ff. de Sponsal.

Objici quoque posset *l. In Sponsal. 4. ff. de Sponsal.* quæ sic habet: *In sponsalibus contrahendis ætas contrahendum definita non est, ut in matrimoniis. Quapropter & à primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur. Id est, si non sint minores, quam septem annis.* Sed facilè respondetur cum *Glossa* ibidem, quòd non sit definita certa ætas, ut in matrimonio, id est, eadem, quæ in matrimonio. Deinde non ut in matrimonio: quia minor est in illo definita ætas pro feminis, quàm pro viris, qui seriùs pubescunt; in sponsalibus autem pro utrisque æqualis. Posteriora verba explicantur per illa, *Si non sint minores quàm septem annis.* Quod clariùs est expressum postea in Canonibus, quibus est magis deferendum in hoc: quidquid jus ciuile vetus decreverit. Denique si ob hebes ingenium non sit adhuc plenus usus rationis, equidem non valerent sponsalia. Propter hoc tamen non contingit deficere valorem matrimonii in ætate definita, nisi quis esset amens.

Tertiò ad valorem sponsaliorum non requiritur præsentia Parochi aut ullius testis, sed valent etiam clandestinè contracta. Ita communiter Doctores: quia sine tali præsentia valebant ante *Tridentinum*; ipsum autem nihil circa sponsalia innovavit, cùm solùm loquatur de matrimonio clandestino. Forma quidem una decreti apud *Palavicinum l. 22. Hist. Trid. c. 4. n.* 4. expresserat quoque Sponsalia clandestina: verum in forma postmodum à Concilio probata id studio est prætermissum. Idem sæpius declarat in *Congregatio Cardinalium*, ut patet ad *sess. 24. c. 1. de Reform. matrim.* Immo sponsalia sic inita esse licita, docent Doctores passim cum *Sanchez lib. 1. d. 13* contra nonnullos. Imò nec sunt illicita jure naturæ: nec etiam inveniuntur prohibita ullo jure positivo. Quæ etiam passim secretò contrahuntur, etsi postea renoventur aut notificentur coram Parocho, ut de obligatione constet in facie Ecclesiæ.

Observa tamen, quòd *Præpositus quæst. 9. dub. 5.* censeat quidem non requiri præsentiam Parochi, videri tamen grave peccatum, si nequidem unus testis intersit; idque ob mala, quæ sequi aliàs possent: nam v. g. non posset detegi impedimentum publicæ honestatis, non posset fidem frangens ab Ecclesia cogi. Sed ista ratio probaret esse illicita jure naturæ, siltem de facto. Immo id sequeretur potiùs de ipso matrimonio clandestino; idem quoque sequeretur de omnibus aliis contractibus. Denique non potest detegi Ecclesiæ impedimentum affinitatis ex copula sine teste habita &c. adeòque apponit Ecclesia impedimentum dirimens actioni, de qua non potest Ecclesiæ constare.

29. *An pœnæ vel arrhæ Sponsalibus apponi possint.*

Quartò denique hìc restat inquirendum, an pœnæ vel arrhæ Sponsalibus apponi queant.

quent. Et quidem quoad pœnas satis constat adjectionem earum non esse irritam vel illicitam jure naturæ. Deinde etiam constat pœnam appositam non debere solvi ab eo, qui ex justa causa resilit. Denique satis conveniunt Doctores, quòd appositio pœnæ non sit grave peccatum, sed ad summum veniale juxta multos: quàmvis pauci velint esse mortale. Sed difficultas est, an pœna sit solvenda ab eo, qui fidem sine justa causa violat?

Respondeo attento jure communi talem in neutro foro debere solvi. Ita communiter Doctores contra *Coninck d. 22. dub 5.* quem sequitur *Diana* & alii quidam recentiores. Probatur ex *L. Titia ff. de Verborum obligat.* & præcipuè ex *L. Mulier 5. C. de Sponsal.* Item ex jure Canonico *c. Gemma, de Sponsal.* ubi etsi agatur de effectu sponsalium invalidorum, à quibus justè poterat resiliri; tamen Pontifex non fundat decisionem suam in hoc, sed in appositione pœnæ generaliter inhibita; & allegat rationem generalem, scilicet quòd Matrimonia debeant esse libera?

Dices I. Legi *Mulier* est derogatum per *Novellam* 18. Leonis Imperatoris. Resp. Novellas ipsius Imperatoris non obligare, teste Interprete earumdem in proœmio; immo ne quidem ipsius Leonis tempore fuisse receptas, adeò ut nihil virium habeant, arg. *L. De quibus ff. de Leg.* ait *Zoesius in Decretales Tit. de Sponsal. numero* 82.

Dices II. Saltem dici potest, per leges solùm rejici pœnam solvendam à justè resiliente. Resp. leges loqui generaliter, & ita semper intelligendas esse. Deinde *L. Mulier* rejicitur appositio pœnæ, quando permittitur appositio arrharum; & tamen hæ non permittuntur, nisi in quantum pars resilit sine justa causa: ergo etiam pro tunc rejicitur pœna.

Nota hîc Arrham nihil esse aliud, quàm pignus, quòd in contractu unus contrahentium ipso facto dat alteri in signum complendi contractum, quodque dans perdit si à contractu resiliat; si autem resiliat recipiens, restituit illud, & insuper æquivalens, aut etiam, si ita conventum sit, in triplum aut quadruplum, computatâ ipsâ arrhâ, & non ultrà, nisi sit minorennis, qui tantùm debet restituere ipsam arrham. Patet ex *L. Mulier cit.* ubi etiam hujusmodi arrhæ approbantur.

Petes, cur potiùs liceat apponere arrhas, quàm pœnas? cùm illæ non minùs videantur repugnare libertati Matrimonii, quàm pœnæ. Resp. esse disparitatem, quòd arrhæ maturiori consilio soleant apponi, propter earum in præsenti traditionem & receptionem, & communiter non sint ita magnæ; proclivior enim quisque est ad obligandum se verbo, quàm ad pecuniam numerandam aut rem tradendam. Deinde non currit argumentum à pari in jure positivo, quod de facto irritavit pœnas, non autem arrhas. Vide *Sanchez l. 1. d.* 35.

QUÆSTIO IV.

Quibus ex Causis Sponsalia dissolvantur?

32. *Sponsalia puberum etiam jurata dissolvuntur mutuo consensu.*

PRIMÒ dissolvuntur Sponsalia mutuo contrahentium consensu. Patet ex c. *Præterea hi, de Sponsalibus.* Ratio est, quòd quivis contractus naturâ suâ solubilis, sicut ex mutuo contrahentium consensu nascitur, sic & per eumdem dissolvatur. Et hoc verum est, etsi sponsalia sint jurata: nam juramentum contractui appositum instar accessorii sequitur naturam ejusdem: cùmque apponatur in commodum partis, hâc remittente cessat obligatio.

33. *Non jurata impuberum etiam consensu unius illicò post pubertatem reclamatio,*

Excipiuntur impuberes, qui sponsalia, sive jurata sive non jurata, nequeunt ante annos pubertatis mutuo consensu dissolvere, Jure sic disponente, ut puerorum levitati occurratur, c. *De illis* 1. & c. *A nobis, de Desponsat. impub.* Postquàm ad annos pubertatis pervenerint, possunt pro libitu resilire, etiam alterâ parte invitâ; modò id statim fiat, id est, intrà triduum, arg. *L. fin. c. De errore Advocatorum* & *L. fin. C. de Judiciis*, ubi dicitur illicò fieri, quod intrà triduum fit. Si autem quis ante pubertatem reclamaverit, & adeptâ pubertate non mutet voluntatem, censetur manere in ea retractatione, inefficaci quidem primò, efficaci tamen, quatenus perseverat postea moraliter. Utì ratificantur alioquin sponsalia, si non reclamet statim post, quia eo ipso videtur in voluntate pubertatem præcedente persistere. Quòd si ex duobus impuberibus unus altero prius ad pubertatem perveniat, verosimiliùs non debet exspectare alterum, sed rationi consonum est, ut statim resilire possit: nam cùm possit alterius ætate completâ, eoque contradicente: quidni eodem adhuc impubere? Si tempore contractûs unus erat pubes, alter impubes, potest pro libitu resilire solus ille qui erat impubes. Patet ex c. *De illis cit.*

Aut in reclamatione priùs facta perseverasse.

Etsi alterius pubertate non expectatâ.

34. *A juratis tamen Sponsalibus non nisi mutuo consensu tales resilire possunt.*

Quòd si impuberes adjecerint sponsalibus juramentum, putat *Præpositus quæst. 9. dub. 2.* & quidam alii, eos nihilominus probabiliter posse licitè resilire pro libitu. Sed contrarium est communius & verius ex c. *Ex litteris Silvani* 10. *de Sponsalibus*, ubi est casus expressus. Quòd autem respondent alii, esse casum, quo quis post pubertatem non reclamaverat, gratis & non rectè dicitur: nam dicit Pontifex esse cogendos ad matrimonium ob religionem juramenti, non autem quia non reclamarunt. Et sanè, cogendi essent alioquin etiam citra juramentum, adeoque frustranea esset lex, si tan-

tantùm intelligenda esset, quando non reclamant tempore debito.

35. *Sponsalia dissolvit superveniens impedimentum dirimens.*

Secundò solvuntur sponsalia, si inter sponsos aliquod impedimentum oriatur. v.g. si sponsus carnaliter cognoverit sororem sponsæ aut illius consanguineam in secundo gradu. Immo ad ea dissolvenda sufficere publicam impedimenti famam, putat *Navarrus c. 22. num. 27.* & alii. Et colligitur ex c. *Cùm in tua, de Sponsalibus.* Fieri tamen potest, ut qui advertenter impedimentum hujusmodi posuit, obligetur vel ad petendam dispensationem vel ad reparandum aliter damnum sponsæ illatum. Vide *Dicastillo disp. 1. dub. 38.*

36. *Item professio Religiosa.*

Tertiò solvuntur sponsalia per professionem Religionis approbatæ: nam præterquam quòd ea sit impedimentum dirimens, solvit etiam matrimonium ratum, adeoque magis sponsalia. Cùmque licitum sit contracto matrimonio rato ante consummationem ingredi Religionem invitâ comparte, ut deciditur cap. *Verum, de Conversi. conjugatorum*: multò magis licitum id erit, contractis tantùm sponsalibus, nisi obstet circumstantia specialis. Immo regulariter hoc esse licitum, etsi sponsalia sint jurata, habet communior & verior opinio: eò quòd sicut in contractu sponsalium ex constitutione juris subintelligitur conditio, Nisi Religionem ingrediar; sic ea subintelligatur in juramento appositio. Adde, quòd illusorium, & plerumque ingratum, aut etiam damnosum, fœminæ præsertim, foret, contrahere matrimonium, animo mox resiliendi per ingressum Religionis.

Nec obstat, quòd c. *Commissum, de Sponsal.* dicatur: *Tutius est ei, religione juramenti servatâ prius contrahere, & postea, si elegerit, ad Religionem migrare.* Nam solùm id dicitur tutius idque in casu quo instat tempus matrimonii implendi, & interim non plenè determinatus deliberat de ingressu: præstabat enim tunc satisfacere juramento, bimestri adhuc ad deliberandum remanente. Vel certè debet sponsæ indicare suum propositum, & si ipsa desideret, prius contrahere: prout interdum posset esse per accidens necessarium ad legitimandam prolem prius susceptam, ad consulendum famæ ipsius sponsæ, cum qua intercesserat nimia familiaritas. Immo etsi sponsalia fuissent non jurata, si aliter reparari non posset damnum filiæ virtute sponsalium defloratæ, deberet reparatio damni per matrimonium proferri mero consilio ingrediendi Religionem.

37. *Sponsalia suspenduntur solùm per Religionis ingressum ad arbitrium remanentis in sæculo.*

Sed difficultas est, an sponsalia solvantur ipso facto per ingressum in Religionem, sive susceptionem habitûs? In qua satis constat partem in sæculo manentem liberari ab obligatione, eò quòd pars ingrediens censeatur suo juri tacitè renuntiare. Sed non liberari eum qui ingressus est novitiatum, si fortè egrediatur, habet vel per Oratio contra *Sanchez sup. d. 42. n. 5. Dicastillo d. 1. dub. 32.* & alios. Ratio est: quia ingressus in Religionem non est incompatibilis cum permanentia obligationis Sponsalium ex casu præmisso ex parte illius qui ingreditur. Potestque obligatio ista claudicare; uti patet non solùm in casu fornicationis, quo soli innocenti est fas resiliendi, sed etiam citra delictum in casu, quo conditio unius fit notabiliter deterior ob supervenientem paupertatem vel deformitatem; nec non in casu, quo pars una cedit juri suo. In præsenti verò ingrediens Religionem cedit juri suo, & in casu excelsus conditionem suam apprehensione communi notabiliter mutat; ut proinde similiter obligatus meritò censeatur manere ex sua parte, si sponsa velit.

Quartò solvuntur sponsalia per susceptionem Ordinis sacri: quæ est impedimentum dirimens. Votum tamen suscipiendi Ordinem sacrum & votum simplex castitatis non dissolvunt sponsalia antè contracta juxta communiorem opinionem, quod *Sanchez d. 46. num. 9.* contra multos oppositum probabiliter docentes. Ratio est, quòd in contractu sponsalium, nec ex natura rei, nec ex dispositione juris, nec abundè subintelligi videatur conditio, Nisi voluero ducere vitam cælibem, aut suscipere sacrum Ordinem: sicut ex dispositione juris subintelligitur, Nisi voluero ingredi Religionem. Aliàs sanè simili ferè ratione contendi posset, subintelligi posse hanc conditionem, Nisi postmodum voluero à Matrimonio abstinere, sicque liberius Deo servire, etiam præscindendo à voto castitatis. Immo nec ipsa conditio amplectendi statum religiosum subintelligitur ex natura rei, sed solùm ex dispositione juris, aut ex concessione divina, quâ permittitur etiam dissolutio matrimonii rati. Unde etsi sponsalia aut matrimonium inirentur etiam cum exclusione illius conditionis, nihilominùs possent dissolvi. Quod clarum est non habere locum in aliis casibus; in quibus saltem posset sponsus excludere istam conditionem, sicut excludit per actuale matrimonium. Similiter non foret imprudens talis contrahendi modus: sicut non est imprudens ipse contractus Matrimonii, per quod tamen quis excludit ipso facto à se libertatem vitæ simpliciter castæ. Si enim prudenter quis excludat illam in præsenti per matrimonium; cur non possit se obligare ad statum istum exclusivum continentiæ? Hanc itaque etiam censetur prudenter excludere per promissum, dum inchoando statum matrimonialem facit absolutam & ex justitia obligantem Matrimonii promissionem, nisi in quantum jus aliter disponit; quod quidem disponit aliter quantùm ad subintellectam tacitè conditio-

ditionem amplectendæ Religionis, non autem emittendi votum simplex aut suscipiendi Ordinem sacrum. Ob quod etiam fit, quòd post sponsalia licitè suscipiatur Religio, non autem licitè suscipiatur Ordo sacer, juxta communiorem opinionem.

Videtur nihilominus vovens castitatem aut susceptionem Ordinis sacri ex sua parte renuntiare velle sponsalibus. Votum præterea castitatis non modicam adfert mutationem in vovente; qui nempe debitum petere numquam valebit, quòd foret consparti, præsertim feminæ, valde difficile.

Quintò solvuntur Sponsalia per Matrimonium cum alia validè contractum, etsi sint jurata, ut patet ex c. *Sicut ex litteris* & c. *Si inter virum*, *de Sponsal.* Si tamen aliud matrimonium contraxerit invalidè, non videtur ipse à sua obligatione liberari: cùm ex sua iniquitate non debeat reportare commodum. Tamen pars innocens etiam tunc liberatur: quia alter tentando aliud Matrimonium, fregit fidem suam, & tacitè juri suo renuntiasse censetur. Dixi *per Matrimonium*, quia per alia sponsalia etiam jurata non solvuntur priora: cùm posteriora sint invalida, eò quòd res aliqui obligata non possit alteri promitti. Idemque per consequens est de juramento, quo posteriora sponsalia forent firmata.

Dubium tamen est apud Doctores: an subsecutâ copulâ cum posteriori dissolvantur sponsalia priora. Ubi in primis supponitur prioribus sponsalibus copulam non accessisse; quia alioquin jure potiora forent. Deinde defloratam sub promissione conjugii esse ignarâm priorum sponsalium; aliàs enim esset ipsa delicti particeps, & conscia nullitatis contraxisset secunda sponsalia. Quibus suppositis, adhuc videtur juri conformius, non dissolvi priora sponsalia, nisi prima renuntiaverit suo juri. Quod utique semper potest, & pro libitu sponsalia rescindere, quando pars contra fidem datam conatur alia sponsalia inire, etiam independenter à copula: sic enim præstat alteri sufficientem causam recedendi à sponsalibus, utpote à quibus ex se conatus est recedere, quibusque eo ipso censetur renuntiare. Aliàs irrita est fides posterior propter priorem; cujus vim non evacuat per se copula subsequens cum secunda. Posset tamen æquitas sive charitas postulare, ut prior obligationem remittat, casu quo id absque ullo vel notabili damno potest, quando posterior pateretur grave damnum hâc ratione evitabile. Poteritque juxta *Sanchez l. 1. d. 49. num 6.* judex interpellatus tali casu compellere ad contrahendum cum posteriori.

42. Per subsequens porrò matrimonium priora sponsalia non tam videntur extingui, quàm suspendi seu sopiri pro tempore, quo illud matrimonium durat: ideoque si contingeret uxorem mori ante priorem sponsam, sponsus rursus eidem obligaretur. Non enim debet hic ex sua iniquitate commodum reportare, vel habere in suo arbitrio, ut ab obligatione contracta, quæ per se non extinguitur lapsu temporis, pro libitu suo se eximat. Impedimentum quoque matrimonii non est perpetuum, utì Ordinis sacri, aut solemnis professionis, sed durans ad vitam conjugis, adeoque hâc defunctâ reviviscit prior obligatio, utpote sublatâ incompatibilitate fortioris vinculi; quod non aliter poterat dissolvere prius, quàm quatenus cum hoc erat incompatibile. Ob quod etiam votum seu sponsio castitatis Deo facta plenariè reviviscit, quàm primùm conjux est defuncta. Quemadmodum & ille, qui rem duobus in solidum vendidit, & uni tradidit (qui exinde potior est in detinendo dominio, juxta L. *Quoties. C. de rei Vindicatione*) si rem venditam rursum postea consequatur, cogi potest eamdem tradere primo emptori, nisi eidem antè satisfactum fuerit; ut rectè *Zoesius in l. 4. Decretal. tit. 1. de Sponsal. num. 34.* & consentiunt *Portius, Zypæus, Coninck* & plures alii, contra *Sanchez l. 1. d. 48. Dicastillo d. 1. dub. 37. Guitterez, Bonacina* & plures alios. Confirmatur: quia nemo debet privari jure suo absque sua culpa, ut allegat ipse *Dicastillo dub. 39. num. 582.* Qui etiam fatetur, non obstantibus inconvenientiis, quas allegat *n. 549.* perseverare obligationem justitiæ ad priorem sponsam, si damnum illatum ei non sit aliter reparabile; vi cujus proinde posset obligatus manere ad illam ducendam soluto matrimonio: quidnì ergo suspensa manere possit, & soluto matrimonio reviviscere obligatio præcedentium sponsalium? Denique extinctio omnimoda eorum per subsequens matrimonium non oritur ex jure naturæ, utì satis ostensum est. Non statuitur etiam jure positivo c. *Sicut ex litteris*, & c. *Si inter virum*, *de Sponsal.* Ibi enim in textu solùm declaratur matrimonium sic initum valere, veluti fortius vinculum inducens, adeoque ei cedere, quantùm scilicet incompatibile est, vinculum priorum sponsalium.

pendit potiùs quàm extinguit prima sponsalia, si prior sponsa velit.

Sextò, si sponsa fornicetur post sponsalia, etiam jurata, potest sponsus resilire; ut clarè patet ex c. *Quemadmodum*, *de Iure jurando*: *Quoniam* (ut ibi dicitur) *in illo* (juramento) *talis erat subintelligenda conditio, Si delicet in legem conjugii illa non peccaret.* Et quanquàm prædictum caput solùm loquatur de sponsa fornicante, idem tamen est de sponso: nam eadem conditio subintelligitur in contractu sponsalium & juramento ex parte sponsæ: & ratio ibidem allegata valet in uroque, quòd scilicet ob fornicationem possint etiam conjugati toro separari. Idem dicendum est juxta Doctores communiter, si sponsa vi opprimatur, quia etsi tunc non peccet in legem con-

43. *Subsequens fornicatio alterutrius dat læso potestatem recedendi, etsi sponsalia sint jurata.*

Id, quantumvis sponsa vi foret oppressa.

conjugii, tamen in æstimatione humana fit notabiliter vilior. Propter quod etiam juxta *Sanchez*, *Guittierez* & alios passim non datur compensatio delictorum, si uterque fornicetur post sponsalia: etsi enim quoad fractionem fidei facta sit quædã compensatio, non tamen quoad vilitatem notabilem, quæ specialiter oritur in sponsa, ex cujus parte idcirco supervenit notabilis mutatio, etiam independenter à fractione fidei: ut proinde solus sponsus videatur posse resilire. Quàmvis *Bonacina* & alii existiment neutrum posse resilire: utì nec solvere totum post matrimonium, si uterque adulteretur. Verùm hanc compensationem in adulterio jura statuunt: ubì etiam non spectatur quis gravius, utì nec quis sæpius deliquerit. Dissolutio insuper sponsalium est facilior: & in præsenti locum habet causa sufficiens spectando regulam receptam apud Doctores.

An uterque fornicetur sit locus compensationi delictorum.

44. *Quæ si solum turpes tactus sint admissi.*

Insuper existimant Doctores posse sponsum resilire, si sponsa permittat se turpiter ab alio tangi. Si autem idem permittat sponsus non ideò statim posse resilire sponsam docet *Sanchez d.* 55. *num.* 5. & alii: eò quòd talis tactus, saltem si non sit frequens, non faciat notabilem mutationem in sponso, sicut facit in sponsa. Varii tamen existimant esse simpliciter sponsæ liberum resilire ob hoc, quòd per hujusmodi tactus frangat sponsus fidem datam sponsæ: in contractu autem sponsalium subintelligatur conditio, nisi is peccet in legem conjugii seu desponsationis. Ad quod tamen responderi posset, non esse completam aut adeò notabilem fidei fractionem.

45. *Quid si fornicatio præcesserit sponsalia.*

Dixi: *Si sponsa fornicetur post sponsalia*: quia si fuerit antè fornicata, & hoc sponsus sciverit, non potest resilire; potest tamen, quando nescivit, & noluisset contrahere, si antea sciviſſet. Ita communiter Doctores apud *Sanchez d.* 63. Secùs est de sponso, qui etsi subinde fornicatus fuerit, & hoc sponsa ignoraverit, non ideo hæc poterit resilire. Ratio est, quòd fornicatio reddat sponsam, non autem sponsum, notabiliter vitiorem. Excipe, nisi frequenter & cum pluribus fuerit fornicatus, sic ut censeretur huic vitio impensè deditus: quo casu timeri possent in futurum similia, & probrosum foret fœminæ scortatorem hujusmodi ducere. Item, nisi habuerit prolem ex fornicatione. Immo præexistentia prolis legitimæ ignoratæ juxta *Coninck disp.* 23. *num.* 62. dat causam resiliendi, utì reddit matrimonium difficilius, tum ob alimentationem, tum ob periculum discordiarum.

46. *Qualiter solvantur sponsalia ob discessum sponsi in remotas terras.*

Septimò, quando sponsus (idem censetur dispositum de correlativo, scilicet sponsa) inscià seu non consentiente sponsâ, dimissâ terrâ (scilicet animo non redeundi, adeoque dimittendo domicilium, ut notant Doctores, & sonat modus loquendi c. *De illis, de Sponsalibus*) se transfert ad alias partes seu regiones, liberatur sponsa à sponsalibus, etiam juratis, sic ut liberum ei sit ad alia vota transire, ut dicitur c. *cit.* ubi nullum tempus apponitur, quo sit expectandum: aut proinde de hac in parte videatur recessum à jure civili, quo sponsæ erat expectandum biennio, si sponsus abesset in eadem provincia, vel triennio, si in alia; vel donec causa cesset, si contingeret sponsum abesse ex causa necessaria. Immo ipso recessu hujusmodi satis indicat sponsus se velle renuntiare sponsalibus. Si tamen discedat in locum propinquum, unde brevi speratur reditus, expectandus est, aut requirendus, ut intrà certum tempus contrahat.

Octavò, si tam sponsus, quàm sponsa præsentes sint, sed unus est in mora, ne matrimonium contrahatur; nunc si matrimonio sit præfixus certus dies, matrimonio ultra illum dilato innocens sit liber, elapso die verè efficitur liber: præsertim si dilatio sit culpabilis: si verò non sit hoc modo præfixus dies, innocens est liber, quando pars est in tanta mora, ut prudenti judicio censeatur renuntiasse sponsalibus, aut fidem fregisse; vel, etiamsi mora sit inculpabilis, judicetur ob concurrentes circumstantias nullo modo alterum voluisse se ad tantam moram obligare.

Nonò, quando supervenit quodcumque grave vitium contractui sponsalitio, etiam jurato, sive mutatio tam notabilis, ut ea cognitâ juxta communem agendi modum pars meritò noluisset contrahere, potest resilire. Ita communiter Doctores. Et colligitur ex c. *Quemadmodum, de Jure jurando*. si superveniat lepra, paralysis, notabilis corporis deformitas, morum asperitas, notabilis infamia, paupertas &c. Item si sponsus ejusve parentes recusent dare dotem, saltem quando erat promissa.

Decimò possunt Sponsalia dissolvi, si ex futuro matrimonio gravia scandala vel mala meritò timeantur, v. g. graves inimicitiæ inter sponsos, vel inter consanguineos &c. Ratio est: quia non tenetur quis cum magno suo damno aut proximi scandalo stare promissis: immo potest esse, ut teneatur desistere ad avertenda scandala. Non tamen per hoc licitum erit parentibus v. g. aut aliis propinquis absque alia causa impedire ne filii aut conjuncti stent fidei à se præstitæ, prout stare ex justitia tenetur & ad implendum in omni foro compelli possunt: adeoque alii injustè impediendo peccant.

Denique generalis & recepta apud Doctores regula est, posse solvi sponsalia, etiam jurata, quando cumque emergit nova causa vel accidit mutatio aut occurrit inconvenientia hujusmodi, quæ si ab initio fuisset, meritò & rationabiliter homines talis statûs & conditionis à promittendo retraxisset: eò quòd sic videatur accipienda & limitanda promittentium hac in re intentio, in

qua

quæ ob difficultatem & insolubilitatem Matrimonii exigitur major libertas & libens complacentia.

Petes, An si causa sit sponsalibus prævia, sed latens incipiat apparere, quæ sufficeret ad illa solvenda, si de novo supervenisset, possint pariter ea dissolvi? Resp. Affirm. Ita Doctores communiter. Probatur: quia censetur similis intentio, utì dum de novo causa supervenit. Et æqualiter impletio sponsalium redditur difficilior. In Jure quoque paria sunt, non esse, & non apparere; item de novo advenire, & de novo apparere. Vide *Sanchez d.* 63. Hoc tamen est limitandum, quando ignorantia seu error est causa sponsalium. Secùs est, quando equidem fuissent inita, etsi notitia adfuisset: tunc enim impletio sponsalium non redditur difficilior, quàm si fuisset notitia defectûs ante contracta sponsalia; tunc quoque non potest subintelligi modus aut conditio: tunc etiam cessat præsumptio de defectu intentionis. Quòd si dubitet quis, an dum iniit sponsalia ita esset affectus erga sponsam, ut haberet adhuc voluntatem se obligandi, etiamsi sciviſſet vitium occultum, censet *Dicastillon.* 623. id pendêre ex gravitate vitii, seu mutationis: si enim illa gravis sit, censebitur non habuisse affectum seu voluntatem se obligandi: quia fortissima præsumptio desumitur ex communiter accidentibus, ut rectè *Menochius l.* 1. *de Præsumpt. q.* 18. *n.* 1. Homines verò communiter nolunt se obligare, quando adest notabilis mutatio rerum, vel apparet notabile vitium, ut notat *Sanchez d.* 65. *in fine*. Quod autem c. *Quemadmodum, de Jure jurando* dicitur: *Si quis juraverit ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem*; intelligunt communiter Doctoribus, quando etiam notitia hujus fornicationis fuit præcedens sponsalia.

Hinc verò non rectè infert *Basilius Pontius l.* 12. *c.* 18. tali casu sponsalia ab initio non valuisse: cùm adfuerit consensus simpliciter circa materiam substantialem contractûs. Neque enim contractus sponsalium, etsi involvat varias quasi conditiones seu potiùs modos & conventiones, ideo censeri debet conditionatus, sic ut ejus valor ab illarum eventu aut veritate dependeat, quasi si causa dissolvenda præcedat, non valeat à principio (ut vult *Pontius*) aut si superveniat, suspendatur usque ad eventum aut non eventum causæ: nam verè valuit ab initio, & validus perseverat, etiam dum causa jam supervenit, ut supponitur c. *Quemadmodum, de jure jurando*: dum ibidem dicitur, sponsum fornicantem fregisse fidem desponsationis. Falsum tamen id esset, si suspendatur usque ad eventum vel non eventum conditionis; immo falsò diceretur præcessisse simpliciter desponsationem. Deinde alioquin ex sponsalibus simpliciter & absque addita conditione initis non oriretur publica honestas; utpotè quæ non oritur, nisi ex sponsalibus absolutis *c. un. De sponsalibus in* 6. Constat tamen eam oriri ab initio etiam tunc, quando postea advenit, vel latens innotescit causa resiliendi. Itaque conditio tantùm est impropria, seu tacita conventio, quâ fidem quis dat conjugii absolutè & ex nunc, reservatâ tamen facultate resiliendi, quando nova causa notabilis superveniret, aut latens innotesceret; quod stat cum valore contractûs absoluto ab initio. Immo etiam postea sic manet liber ad resiliendum, ut possit non resilire, & tamen alter plenumque ex sua parte maneat obligatus. Idque est magìs consonum rationi & menti contrahentium. Porrò impropriam conditionem tacitam non facere contractum conditionatũ, patet ex *L. Conditiones quæ extrinsecùs ff. de Conditionibus*: solùm enim est causa sufficiens ad dissolvenda sponsalia, quæ ab initio sic sunt contracta, ut quis voluerit quidem se ex nunc obligare, tamen non voluerit se obligare ad non resiliendum casu quo tale quid contingeret aut appareret. Ita Doctores communiter teste *Sanchez d.* 67.

53. *An dissolutio sponsalium exigat sententiam judicis.*

Petes II. An ad dissolvendum sponsalia requiratur sententia judicis; Resp. si manifestè constet sponsalia ob aliquam causam esse soluta, aut subesse causam sufficientem ea solvendi, posse partem resilire propriâ suâ auctoritate, non expectatâ sententiâ vel declaratione judicis. Ita Doctores quasi communiter: eò quòd nec jure positivo, nec ex natura contractûs plus requiratur. Interdum tamen ad evitandum scandalum, sive ad satisfactionem Ecclesiæ, opus est judicis sententiâ. Quod scandalum cessat, quando sponsalia sunt occulta. Utì etiam quando causa dissolvendi est publica & apertè sufficiens. Quod si etiam sponsalia sint publica & causa adeò occulta, ut non possit coram judice probari, adhuc juxta *Sanchez disp.* 69. *num.* 7. inutilis esset imploratio judicis, ipseque utitur jure suo recuperandi rem sibi debitam, quam potest propria auctoritate recuperare, dum nequit in judicio.

Itaque si dubitetur de sufficientia causæ, aut moraliter non constet esse sufficientem, requiritur juxta *Sanchez suprà* sententia judicis ob probabile periculum injustitiæ, dum spoliatur alter in dubio juro sibi acquisito. Immo in puro dubio, si post discussionem perseveret dubium, sive de existentia causæ (quod est dubium facti) sive de illius sufficientia (quod est dubium juris) nequidem in foro externo potest fieri dissolutio: fieret enim injuria parti possidenti jus aliàs certum ex sponsalibus certis.

54. Postremò dubitatur, an laborans aliquo defectu occulto, qui cognitus partem à sponsalibus contrahendis averteret, & à contractis resiliendi justam causam daret, nihil-

nihilominus possit cum illius ignaro sponsalia contrahere, eumque cogere, ut contracta impleat? Resp. Neg. quando defectus ille foret parti perniciosus, v. g. lepra &c. quia hoc esset innocenti causare notabilem perniciem. Unde sicut volenti ædificare domum non licet vendere ligna occultè cariosa, nisi vitium aperiatur, sic nec licet contrahere sponsalia, multò minùs ad ea implenda cogere, nisi vitium notabiliter perniciosum aperiatur. Similiter ex charitate saltem id non licet, quando gravia incommoda sequerentur ex eo, quòd defectus postea detegendus credatur. Alias non tenetur quis volenti secum contrahere aperire suos defectus, etsi reddant nuptias notabiliter minùs expetibiles, v. g. quòd sit vi vel spontè corrupta, deformis, pauper, ignobilis, cùm tamen putetur virgo, pulchra, dives, nobilis. Ita *Coninck d. 23. dub. 12.* & alii plures: quia non tenetur se ipsam infamare aut defectus suos propalare, quamdiu aliis non nocent: neque tacens decipit alium, sed hic decipitur à se ipso in re, quam ipsi incumbit diligenter investigare: neque debet ab altera parte discere defectus illius; ita enim in ipso humano commercio positum est, ut quisque in hoc contractu notitiam de qualitatibus alterius capiat. Quòd si etiam defectus sint tales, qui moraliter deprehendi nequeunt, eò minùs quis est cogendus suas maculas exponere, neque etiam ut circo à matrimonio abstinere, v. g. si desponsanda fuerit fornicata. Unde nec Confessarii id celantes culpæ damnant. Si tamen dolo inducat partem ad contrahendum, fingendo se nobilem, divitem &c. facit alteri injuriam, & graviter delinquit. Quàmvis non censeatur fraus cujus generis, si puella deflorata conetur industriò hunc defectum occultare. Immo etsi expresè dicat se esse virginem, excusant eam Doctores à mortali: quia nempe hoc spectat ad tuendam suam famam. Et consequenter si rogata utatur æquivocatione, excusari posset ab omni peccato. Talis tamen prudenter adlaborabit ad defectum illum occultandum in congressu: ne conjux istum deprehendens eum odio habendi & malè tractandi occasionem sumat.

An occulto defectu laborans possit nihilominus contrahere Sponsalia, & ad impletionem urgere compartem ignaram.

Sed an post Sponsalia contracta possit pars defectûs ignara cogi ad matrimonium contrahendum, supposito quòd non sit dolo inducta, difficultatem habet. Varii existimant quòd non, præsertim quando esset defectus, qui redderet nuptias valde incommodas innocenti; ut est pauperas, ignobilitas &c. Tamen magis consequenter *Coninck supra* & plures alii putant posse: eò quòd per sponsalia valida sit acquisitum jus ad matrimonium, quo per talem defectum non privatur alter, quousque pars facta defectûs conscia tale jus elidat.

DISPUTATIO SECUNDA:

De Matrimonio secundùm se.

QUÆSTIO I.

Quid sit Matrimonium, Quando institutum, Et an licitum aut debitum?

1. *Matrimonium, Nuptiæ, unde sic dicta.*

MATRIMONIUM sic vocatum à fine, qui est ut femina efficiatur mater filiorum; dicitur etiam Cõjugium, eò quòd vir & mulier communi jugo subdantur: item Connubium & Nuptiæ, eò quòd mulier viro tradita soleret velo quodam obnubi, & quasi nube tegi.

In matrimonio spectatur primò contractus,

In Matrimonio porrò tria considerandæ sunt. Primò ipsa Matrimonii contractio sive contractus matrimonialis; qui à *Scoto d. 26. num. 17.* definitur: *Maris & feminæ mutua translatio corporum suorum pro usu perpetuo ad procreandam prolem debitè educandam.* Secundò status permanens, vinculumque stabile ex contractu resultans, quod *Scotus supra* describit: *Vinculum indissolubile inter marem & feminam ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem factâ ad procreandam prolem debitè educandam.* Quod quidem vinculum est mera denominatio extrinseca ex præterito contractu desumpta, vi cujus contrahentes verè manent inter se colligati cum quodam dominio & subjectione. Superfluè autem & infundatè statueretur hoc vinculum in aliquo alio superaddito.

Secundò status seu vinculum consequens,

Tertiò spectanda est copula subsequens: ad quam vi Matrimonii datur petendi potestas, & reddendi obligatio. Quæ tamen potest juxta infrà dicenda per pactum excludi: & multò magis ipsa actualis copula potest separari à Matrimonio, etsi ipsa istud numquam æquatur. Ab hac verò dicitur Matrimonium consummatum, utì ante copulam dicitur solùm ratum. His accedit pro tempore Legis novæ quarta consideratio Matrimonii, quatenus scilicet (ut postea dicetur) est Sacramentum. Quæ tamen ratio est accessoriâ ipsi contractui matrimoniali, quem Christus elevavit ad dignitatem Sacramenti. Neque enim (ut constat) ipsum vinculum matrimoniale est Sacramentum conferens gratiam, utì nec signum sensibile, nec conjuges sanctificans

Quid sit.

Triplex copula matrimonialis.

Contractus accessorius est ratio Sacramenti non vinculum.

suo

suo usu. Dum autem Patres sustinde illud vocant Sacramentum, sumunt Sacramentum largè pro quovis signo rei sacræ à Deo instituto; quo modo vinculum illud est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Unde Patres matrimonium etiam in lege naturæ vocant simili modo Sacramentum. Immò idem nomen matrimoniis Gentilium tribuitur c. *Gaudemus, de divortiis.* Idipsum certum est contra *Gratianum* post can. *Institutum* 27. q. 2. de copula, quòd scilicet hæc non sit Sacramentum, nec pars Sacramenti matrimonii: nam ante eam est Sacramentum perfectum, & manet, etsi copula non sequatur. Hæc etiam non est medium conferens gratiam aut effectum supernaturalem ex opere operato: nec quoties iteratur, augmentum gratiæ vel effectus supernaturalis præstat.

Nec obstat, quod c. *debitum, de Bigamis* dicatur, copulam conjugalem designare conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum & Ecclesiam, adeoque matrimonium non consummatum non pertinere ad illud conjugium designandum quod inter Christum & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum: juxta quod Paulus *ad Ephes.* 5. dixit hoc Sacramentum magnum esse in Christo & Ecclesia. Nam præterquam quòd *Innocentius III.* hoc adferat per modum probationis sive rationis, & facilè quædam congruitas seu proportio reperiri posset in ipso contractu ad designandum quodammodò seu minùs perfectè Incarnationis mysterium, solùm vult copulam pertinere ad rationem matrimonii quà sumpti pro signo dictæ conjunctionis, non autem quà Sacramenti gratiæ collativi: quin immo ibidem de consensu animorum seu contractu præmittit, illum significare charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum & justam animam. Similiter explicari posset c. *Non est dubium*, & c. *Cum societas*, apud *Gratianum suprà.* Prius tamen, quod refertur ex *Augustino*, apud ipsum (ut ad calcem notatur) non est inventum; & videtur potiùs summarium posterioris Canonis: qui quoque mendosè refertur, & aliter legitur apud *Leonem* (ex quo refertur) *Epist.* 92. aliàs 90. c. 4. itemque apud *Burchardum* & *Ivonem*, ut advertitur in Nota ad dictum Canonem. Juxta veram autem Lectionem *Leo* Papa *Rustico* Episcopo Narbonensi quærenti, an filia possit in matrimonium dari ei, qui hactenus aluerat concubinam, respondet, quod sic, eò quòd inter eum & concubinam præter conjunctionem sexuum non intercesserit nuptialis mysterium seu verum & indissolubile matrimonium, sine quo conjunctio sexuum non habet in se conjunctionis insolubilis Christi & Ecclesiæ sacramentum.

Ad institutionem contractûs & vinculi matrimonialis quod attinet, docent communiter Theologi, institutum esse à Deo in initio mundi, idque juxta *D. Thomam, Sylvestrum, Sanchez* & alios per verba: *Crescite & multiplicamini &c.* Quibus tamen solùm datur benedictio & fœcunditas hominibus, utì ceteris animantibus. Quare *Magister, D. Bonaventura, Ruardus, Covarruvias* & plures alii, (& videtur supponere *Scotus dist. 26. nu. 13.*) censent institutum esse *Gen.* 2. quando Adam divino instinctu dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis &c. Et erunt duo in carne una.* Favetque *Augustinus lib. contra duas Epist. Pelagianorum c.* 5. dicens *à Deo nuptias esse institutas tunc, quando dictum est: Propterea relinquet homo &c. Gen.* 2. Immo *Adrianus, Vasquez, Basilius Pontius* & alii censent non fuisse necessariam Dei institutionem seu concessionem specialem, sed conditâ naturâ humanâ in diversitate sexuum potuisse eo ipso ex natura rei licitè marem & feminam inire matrimonium, utì alios contractus, & per illius usum propagare genus humanum; prout duce naturâ etiam licitum est illis, qui de divinis litteris nihil norunt. Quod quidem rationi satis consonum apparet. Sed tamen adhuc rectè tribuetur Deo institutio, tum quatenus virum & feminam creavit, tum quatenus lumen juris naturæ eis impressit. Cum quo insuper rectè consistit, quòd dicatur institutum *Gen* 2. sive quatenus tunc fuit intimatum seu insinuatum, sive quatenus tunc fuit primum Matrimonium inter Adam & Hevam initum; sive quatenus perfectam indissolubilitatem eidem annexuit, ut quidam volunt. De quo tamen infrà, ubi de radice insolubilitatis matrimonii.

quando institutum sit Matrimonium.

Institutum porrò est matrimonium primitùs & principaliter tamquam officium naturæ per illud multiplicandæ, deinde & secundariò tamquam remedium concupiscentiæ, non quòd post peccatum debuerit iterum institui in remedium concupiscentiæ, quod prius erat ordinatum in officium naturæ, ut Quidam indicarunt; sed quia in ipsa primævorum institutione etiam ex intentione Auctoris naturæ, suppositâ permissione lapsûs & deordinatione concupiscentiæ, satis involvebatur, ut matrimonium quoque deserviret in remedium concupiscentiæ, quando ipsa subesset.

5. *Qualiter institutum sit secundariò in remedium concupiscentiæ.*

Matrimonium esse licitum negarunt *Simon Magus, Saturninus* ejus Discipulus, *Marcion, Tatianus, Manichæi, Priscillianistæ* & *Abligenses*, è quibus duo primi sic illud sprevisse videntur, ut sine eo concederent vagum concubitum, ut colligitur ex *Augustino Hæresi* 1. & 3. Reliqui autem videntur omnem concubitum damnasse, occultis & ipsi scortationibus ac impudicitiis inhiantes.

6. *Olim quidam Hæretici negarunt esse licitum.*

Sed fides Christianos, & ratio etiam reliquas Nationes docet, matrimonium esse licitum & conveniens. Quod proinde approbavit ipse Deus *Gen.* 1. & 2. & rursum

Sed contrarium aperiè ostenditur ex fide.

post lapsum, immo post diluvium *Gen.* 9. benedicens & ajens: *Crescite & multiplicamini &c.* Toto etiam veteri Testamento divinis ordinationibus est commendatum, usuque Patriarcharum & Prophetarum firmatum. Et *Matth.* 19. Christus allatis verbis *Gen.* 2. infert: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ipseque unà cum matre nuptiis interfuit, ac primo ejus miraculo decoravit, *Joan.* 2. Ipsa etiam B. Virgo matrimonium iniit, tamen non secutâ copulâ, quamquàm v. matrimonii licitâ. Denique Apostolus 1. *ad Cor.* 7. pluribus conjugium ejusque usum commendat, etsi virginitati postponat. Et 1. *ad Tim.* 4. prædicit futuros, & detestatur, qui prohiberent nubere. Et c. 5. *Volo* (inquit) *juniores nubere, filios procreare.* Accedit auctoritas Ecclesiæ benedicentis nuptias: ipsaque ratio Sacramenti, quam Christus annexuit. Postremò idem docet ratio naturalis desumpta ex necessitate matrimonii ad generationem humanam, adeoque ad propagationem & conservationem speciei. Alioquin sanè extinguendum potiùs foret genus humanum; utpote quod non nisi illicitè posset propagari: cùm tamè propagationem clamet ipsa sexuum differentia, corporumque & instrumentorum differens constitutio in hominibus; utì in ceteris animalibus. Absurdissimum autem foret hanc propagationem licere in vago concubitu, & non in legitimo contractu.

Et ratione.

7. Est itaque matrimonium licitum & conveniens, immo & laudabile ac bonum per se loquendo; sicut & usus ejusdem, dummodo adsit prudens moderatio, rectaque intentio: etsi majoris perfectionis & meriti sit continentia. Et quidem finis optimus & magis proprius est, ut amore filiorum magìs quàm libidine conjuges ducantur exemplo Tobiæ & Saræ. Quàmvis non videatur fore etiam veniale peccatum, si intendatur remedium concupiscentiæ; ne aliàs sterilibus aut nimium grandævis generaliter illicitum sit matrimonium. Cùm tamen moneat Apostolus 1. *ad Cor.* 7. ut propter fornicationem, supple vitandam, unusquisque vir suam uxorem habeat. Immo in rigore ad licitè contrahendum nec hic quidem finis requiritur, sed sufficit alius honestus, etsi non sit finis per se matrimonii, v. g. pax familiarium &c. etsi hoc requiri sub veniali saltem peccato Nonnulli existimaverint. Sanè neutrum finem Deipara intendit, immo utrumque positivè excluserit, utì ipsam copulam. Ex nullo quoque capite ostenditur obligatio intendèdi finem matrimonii intrinsecum. Adeoque à fortiori cum intentione hujusmodi finis poterit simul concurrere alius finis utilis & honestus, v. g. pax, aut etiam opes moderatæ, quatenus sunt medium se honestè alendi, omnisque alius finis, qui in cursu humanæ vitæ potest prudenter appeti.

Quo fine sit contrahendum.

Quod attinet ad postremam quæstionis partem, an matrimonium sit debitum, non-nulli Hæretici asserunt, quòd sic, damnantes idcirco continentiam Clericorum. Sed ineptè; sic enim probatur matrimonium, ut Apostolus 1. *ad Cor.* 7. ipseque Christus *Matth.* 19. & ratio denique præferat cælibatum. Quare nec Gentiles tam generalem contrahendi matrimonii obligationem agnoverunt. Immo virgines Vestales erant in veneratione apud Romanos, & à proposito virginitatis deficientes graviter puniebantur. Quosdam verò cœlibatûs scitè arguit *Ambrosius l. de Viduis* dicens: *Qui Deorum suorum adulteria & probra venerantur, cœlibatûs & viduitatis statuêre pœnas, ut amoli criminum mulctarent studia virtutum, specie quidem, qua fecunditatem quærerent, sed studio, quo propositum castitatis abolerent.*

Sed neque in veteri lege fuisse præceptum nubendi, docent exempla Josue, Eliæ, Elisæi, Jeremiæ, Danielis, qui populo Judaico satìs multiplicato, satque multis generationi vacantibus, vincula conjugii non quæsierunt. Prout etiam Esseni non ducebant uxores, teste *Josepho l.* 18. *Antiquit. c.* 2. & *l.* 2. *de Bello Judaico c.* 7. Ipsa quoque Deipara continentiam voverat; commendatam similiter *Isaiæ* 56. & *Sap.* 3. & 4.

Recepta tamen satìs doctrina *D. Thomæ, D. Bonaventuræ, Richardi, Scoti, Sanchez, Vasquez* & aliorum passim tradit fuisse præceptum nubendi in principio, illudque cessasse post sufficientem generis humani propagationem: nisi quòd manet adhuc juxta *Sotum* & alios respectu communitatis, adeoque respectu aliquorum in vage. Et maximè eo obligabantur primi parentes. Quorum proinde respectu verba illa, *Crescite, & multiplicamini*, possunt accipi tamquam denotantia præceptum. Quæ alioquin indicant benedictionem fecunditatis, suntque etiam dicta bestiis. Et certò non sonant respectu ceterorum hominum præceptum, nisi ad summum modo præmisso. Immo ipsa ratio naturalis satis dictabat primis parentibus eos obligari ad succurrendum conservandæ speciei; utì quisque obligatur sustentare individuum proprium, & alteri extremè indigenti subvenire. An autem, si soli voto continentiæ adstricti remanerent, in iis revivisceret obligatio vacandi conjugio, an verò potiùs per specialem istam dispositionem Deus sufficienter indicaret se velle hominem successionem concludere, est casus metaphysicus, & inter Auctores ex conjecturis diversa sentientes controversus, nulliusque utilitatis.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Matrimonium in lege nova sit propriè dictum Sacramentum?

NEGAT *Lutherus, Calvinus* & alii Sectarii recentiores. Et ex Catholicis *Durandus* 4. *d.* 26. *q.* 3. quem citat *Kemnitius*. Verùm adversus præfactos definivit *Concilium Tridentinum sess.* 24. *de Sacram. Matrim. can.* 1. & alibi Matrimonii contractum inter Fideles in Lege nova esse verum & propriè dictum Sacramentum. Addit autem *Trid. sess. cit. in princip.* hoc insuere Apostolum *ad Ephes* 5. ubi ait: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* Moxque subjungit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Varii tamen conantur ostendere, quòd locus iste Apostoli non convincat, uti nec alia loca scripturæ, quæ allegari solent.

Quidquid autem foret de efficacia probationis ex Scriptura prolatæ, sufficere debet traditio Ecclesiæ, de qua testatur *Tridentinum supra* dicens: *Matrimonium meritò inter novæ legis Sacramenta annumerandum SS. Patres, Concilia, & universalis Ecclesia traditio semper docuerunt.* Nam matrimonium in Ecclesia semper fuit, habitum tamquam res sacra, ideoque ab initio consuevit celebrari cum ritibus sacris, ut patet ex *Evaristo Papa Epist.* 1. *ad Episcopos Africanos*, & aliis antiquis Pontificibus. Ratio autem rei sacræ, quæ in illo cernitur, est ipsa ratio Sacramenti: aut certè Hæretici debent ostendere, quando primùm cœperit Ecclesia tum Græca, tum Latina tractare matrimonium tamquam rem aliter sanctam, quàm tractaverit Ecclesia antiqua. Idem constat etiam ex Patribus, *Ambrosio l.* 1. *de Abraham c.* 7. ubi ait: *Et ideo quia in Deum peccat* (scilicet adulter) *Sacramentir cœlestis amittit consortium*, scilicet gratiam. *Augustinus l. de Bono conjugali c.* 18. *In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fecunditas uteri.* Et *c.* 24. *Bonum nuptiarum per omnes Gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* Ubi propriam Sacramenti novæ legis rationem peculiariter adscribit matrimoniis Fidelium: cùm alioquin constet etiam infidelium matrimoniis non cessare rationem Sacramenti largè sumpti, sive signi rei sacræ, conjunctionis scilicet Christi & Ecclesiæ. Alios vide apud *Bellarm. l. de Matrim. c.* 5. Idipsum congruit legi gratiæ, ne in ea alioquin status, ob insolubilitatem & varia onera difficillimus, maneret absque aliquo speciali auxilio.

Dices, Matrimonium opponitur Ordini, atqui unum Sacramentum non opponitur alteri, ergo. Resp. Neg. Maj. loquendo de oppositione ex præcepto Dei: ex ordinatione autem Ecclesiæ bene potest fieri, ut qui suscepit voluntariè sacrum Ordinem, non possit contrahere matrimonium. Quamquam nec omni casu sit oppositio: cùm uxoratus non bigamus possit licitè ordinari de consensu uxoris, & absque eo validè, & in oriente uxorati retentis uxoribus ordinentur.

Dices II. In contractu Matrimonii misceatur pactum pecuniarium, quod in Sacramento fieri non posset sine labe simoniæ. Resp. nihil accipi pro contractu quatenus est Sacramentum, potest tamen accipi pro eo quatenus est contractus civilis, sic ut per additionem pecuniæ compensetur inæqualitas v.g. in divitiis, nobilitate, ætate &c. quæ est in una parte contrahentium: sicut in permutatione calicis aurei cum argenteo potest non obstante consecratione defectus argenti per additionem pecuniæ suppleri.

Dixi in Conclusione, *in Lege nova*: etsi enim à sui institutione fuerit aliquo modo signum conjunctionis Christi cum Ecclesia; non tamen signum efficax gratiæ, neq; Sacramentum propriè & strictè dictum juxta Doctores communiter. Et clarè patet ex *Florentino*, quod Matrimonium numerat inter Sacramenta novæ legis, docetque ea differre à veteribus, quòd vetera non conferant gratiam. Similiter *Tridentinum sess.* 7. *can.* 1. *de Sacr. in genere.* Et *sess.* 24. *can.* 1. illud recenset inter Sacramenta novæ Legis à Christo instituta, & *ibid. in princip. sess.* ait, *Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstare.*

13. *Non erat Sacramentum ante legem novam.*

Dixi etiam, *inter Fideles*: quia infideles non baptizati nullius Sacramenti sunt capaces ante Baptismum, qui est janua Sacramentorum. Solùm dubitatur, an si fidelis per legitimam dispensationem contrahat cum infideli, sit Sacramentum ex parte fidelis? Negat *Sanchez* & alii passim, & certum putat *Castro Palao disp.* 2. *pu.* 2. Sed infirmo nixus fundamento. Unde satis solidè affirmat *Soto, Catherinus, Eckius, Aversa q.* 1. *sect.* 6. Nam etsi contractus essentialiter respiciat utrumque contrahentem, & matrimonialis non possit esse Sacramentum respectu infidelis ob defectum Baptismi, id tamen non obstat, quò minùs possit esse Sacramentum respectu fidelis; cùm eatenus sit verus Matrimonii contractus subjectatus in persona capaci Sacramenti, in qua proinde est signum gratiæ. Confirmatur: quia potest unum signum afficiens duos, v.g. una absolutio super plures prolata esse Sacramentum respectu unius habentis omnia requisita, & non respectu alterius qui in aliquo essentiali deficit.

14. *Neque est inter infideles.*

Est tamen ex parte fidelis de legitima licentia contrahentis cum infideli.

Confirmatur II. quia olim dum pauci erant fideles, sic contrahere sæpè erat necessarium: & tamen ideo non debebant fideles sic contrahentes carere gratiâ Sacramenti.

Confir-

Confirmatur III. quia de facto sæpè fit, ut fideles contrahentes, etsi ambo recipiant Sacramentum, tamen defectù dispositionis unus tantùm recipiat gratiam; immo posset esse Sacramentum tantùm ex parte unius, si videlicet alter non intendat Sacramentum suscipere, modò tamen saltem intendat alteri ministrare. Neque hâc ratione inconveniens est, quòd infidelis ministraret fideli Sacramentum, si non desit intentio. Ministraret namque Sacramentum capaci; uti cum tali contrahit. Sic enim posset etiam ministrare Baptismum non baptizatus. Neque Christus in Sacramento Matrimonii alios requisivit ministros, quàm contrahentes.

15. *Initum per procuratorem est verum Sacramentum.*

Petes: An contractus matrimonialis sit Sacramentum etiam dum initur per procuratorem? Resp. Aff. cum Doctoribus communiter contra *Cajetanum*, *Estium*, *Sylvium* & quosdam alios. Ratio est: quia secundùm Conciliorum indefinitam doctrinam Christus matrimonium fidelium evexit ad dignitatem Sacramenti; Matrimonium autem initum per procuratorem est verum Matrimonium fidelium, nec est apparens aliqua ratio, ob quam sit excipiendum à doctrina indefinita Conciliorum.

Dices: Ergo absenti, etiam dormienti conferetur effectus Matrimonii. Resp. Conc. Seq. si non sit obex: sicut sensibus destituto tribuitur effectus extremæ Unctionis. Unde debet contrahens conari, ut sit in statu gratiæ pro tempore, quo prudenter putabit perficiendum fore contractum & Sacramentum. Quod si negligat, ex tunc peccabit ratione periculi, cui Sacramentum quoad operationem exponit.

16. *Idem est de inito per scripturam, vel (seclusâ lege Tridentini) clandestinè.*

Quod dictum est de Matrimonio inito per procuratorem, ob eamdem prorsus rationem dicendum est de contracto inter absentes per scripturam. Idemque est de matrimonio inito clandestinè, quando adhuc erat validum: quidquid similiter pauci contradixerint. Idem denique est de celebrato per nutus: cùm ad contractum vel ad Sacramentum Matrimonii non necessariò requirantur verba strictè dicta, etsi per illa regulariter perficiatur juxta *Florentinum in Decreto*. Nec oppositum indicavit *Scotus d. 26. q. 1. n. 14.* malè relatus ab *Aversa q. 1. de Matrim. sect. 5.* ut inspicienti textum patebit.

17. *Potest inter fideles ratio contractûs validè separari à ratione Sacramenti.*

Petes II. An inter fideles ratio Sacramenti possit à contractu validè separari seu excludi per intentionem? Plurimi satis probabiliter negant, inter quos *Suarez*, *Præpositus*, & valde mordicus *Aversa q. 1. sect. 5.* dicens, debere constans esse, quòd non. Nihilominus satis mihi placet responsio affirmativa, quam tenet *Vasquez*, *Rebellus*, *Bonacina*, *Diana* & plures alii. Nam Christus institutione suâ non invalidavit contractum aliàs validum, sed ei in natura sua invariato solùm addidit dignitatem Sacramenti, quando scilicet adsunt reliqua ad rationem Sacramenti generaliter requisita, v. g. intentio &c. Ob hoc contractus initus ab infidelibus non est Sacramentum defectu Baptismi prærequisiti; quàmvis alioquin sit contractus validus. Idem ergo est de fidelibus, si absit intentio Sacramenti, sive adsit intentio contraria. Et quamquam Christus potuisset aliud voluisse, cùm tamen id non satis constet, standum est pro valore actûs aliàs ex natura rei subsistentis. Confirmatur: quia (ut testatur *Basilius Pontius l. 1. de Matrim. c. 9.*) id observant Inquisitores in judaizantibus, qui priùs solent secretò contrahere, ut postea coram parocho certiùs rationem Sacramenti excludant: quorum tamen Matrimonium numquam invalidum judicatur.

Nec obstat, quòd non possit dari validus Baptismus, Confirmatio &c. quin sit etiam Sacramentum: nam Baptismus (idem est de aliis Sacramentis) antecedenter ad Christi institutionem nullum habebat valorem, ut contractus Matrimonii. Unde Baptismum esse validum, formaliter est idem, quod esse Sacramentum, sive quod esse certum sacrum signum à Christo institutum: neque alius est in eo valor, quàm esse Sacramenti. Quare doctrina Conciliorum asserentium Matrimonium in nova Lege esse Sacramentum, est intelligenda suppositis supponendis, scilicet Baptismo in contrahentibus ac debitâ intentione.

Dices I. Ergo non erit illicitum excludere Sacramentum; cùm id nullibi sit prohibitum: immo rectè facturi videntur, qui scientes malum statum suum, sic evitarent sacrilegam susceptionem Sacramenti. Quæ planè sunt absurda, & præter mentem Ecclesiæ, atque existimationem fidelium; ut ait *Aversa*. Resp. Neg. Seq. nam oppositum in institutione Sacramenti censetur Christus voluisse: quod satis ex sensu communi & usu patet, ac ex eo quòd idcirco Ecclesia in contracturis requirat statum gratiæ. Quæ etsi satis probent esse illicitum, non tamen esse invalidum. Quod autem objicit *Aversa* tamquam absurdum, sequi quòd ratione intentionis posset esse in uno, & non in altero Sacramentum; non Consequentiam admittentes, Consequens verum, non absurdum putamus.

Dices II. Omne Matrimonium fidelium consummatum est omni casu indissolubile, idque ob rationem inseparabilem Sacramenti. Resp. non ideo; sed quia est baptizatorum. Cùm etiam conjugium infidelium eo ipso quòd baptizantur fiat omnino indissolubile; & tamen non fiat propterea Sacramentum juxta dicenda *num. seq.* Et quamquàm fieret eo ipso Sacramentum, ut contendit *Aversa q. 1. sect. 6.* consequenter fieret in illo etiam, qui solus converteretur ad fi-

ad fidem & Baptismum, ut similiter admittit *Aversa sup.* & tamen tunc non fit eo ipso Matrimonium omnino insolubile.

Nihilominus à parte rei falsum est Matrimonium infidelium per susceptionem Baptismi transire in statum Sacramenti, sive vi prioris contractûs, ut vult *D. Thomas, Paludanus, Covarruvias, Vega, Sanchez, Becanus*, quos citat & sequitur *Aversa suprà*: sive per novum consensum & quasi innovationem Matrimonii post Baptismum, ut *Capreolus, Etkius, Bonacina* & alii apud *Aversa*: quemadmodum etiam Matrimonium fidelium, qui cum contraxerunt, excluserant rationem Sacramenti, non transiret postmodum in statum Sacramenti, si ipsi conjuges pœnitentiâ ducerentur, aut postea renovarent consensum ex intentione Sacramenti. Christus namque dignitatem Sacramenti non annexuit innovationi aut perseverantiæ Matrimonii, sed ipsi contractui; quo nomine intelligitur ipsa actualis contractio & inductio vinculi matrimonialis. Nec potest Baptismus subsequens facere, ut qui antè contraxerunt, recipiant Matrimonii Sacramentum, utì non facit, quòd censeantur contrahere Matrimonium seu inire contractum. Nullum etiam aliud Sacramentum potest perfici, nisi ordine temporis post Baptismum, post quem nequit iniri novus contractus, nisi actum agendo, & factum ratificando.

Petes III. quando Christus Matrimonium elevaverit ad dignitatem Sacramenti? Resp. cum *Sleto d. 26. n. 13. Sanchez* & aliis communiùs, id verosimiliùs contigisse tunc, quando dixit *Matth. 19. Quod Deus conjunxit homo non separet*. Ratio est: quia Christus ibi renovat Matrimonii insolubilitatem, adeòque congruebat, ut simul adderet rationem Sacramenti; maximè cùm in Evangelio locus opportunior non reperiatur. Et quamvis tempus, quo id factum fuit, particulariter & certò non sciretur, sufficere debet, quòd certum sit, id factum esse per Christum.

QUÆSTIO III.

De Materia, Forma & Ministro hujus Sacramenti.

DICO I. Materia hujus Sacramenti sunt corpora contrahentium: Forma est consensus legitimè & sensibiliter expressus. Ita *Antoninus, Paludanus, Adrianus, Covarruvias, Petrus Soto, Vasquez, Bellisonus, Layman, Comitolus & Basilius Pontius*, ut refert *Aversa q. 1. sect. 3.* Probatur 1. quia materia & forma hujus Sacramenti meritò censetur eadem, quæ ipsius contractûs; cum Christus contractui in natura sua invariato solùm addiderit dignitatem Sacramenti: sed contractûs matrimonialis materia sunt corpora contrahentium, forma est consensus sensibiliter expressus: ergo eadem sunt materia & forma Sacramenti. Quia tamen corpora contrahentium sunt contractui extrinseca instar objecti & materiæ circa quam; idcirco non sunt materia Sacramento intrinseca & essentialis, sed essentialiter præsupposita. Quod sufficit intento *Concilii Florentini in Decreto de Armenis*, dum docet Sacramenta perfici rebus ut materiâ, verbis ut formâ, & personâ Ministri. Non enim voluit Sacramentum hoc habere aliam materiam, quàm habeat ipse contractus: materia autem contractûs vocatur ipsummet objectum aut res de qua contrahitur; prout merces dicuntur materia emptionis &c. Sicut autem nemo in aliis contractibus est solicitus ad inveniendam aliam materiam ex qua, sic nec debemus esse soliciti in præsenti.

Probatur II. quia in hoc Sacramento nil occurrit, quod meliùs sortiatur rationem materiæ & formæ. Non enim potest dici primò cum *Angles, Petro Ledesma, Sanchez, Villalobos, Suarez, Coninck* & aliis apud *Aversa q. 2. sect. 3. §. Octavò*, signa expressiva consensûs esse sibi invicem materiam & formam sub diversa ratione; materiam quidem, quatenus sunt traditio corporis ad usum matrimonialem; formam verò, quatenus sunt traditionis ab altero factæ acceptatio. Nam tunc etiam in aliis contractibus traditio rei deberet dici materia, & traditionis acceptatio forma; quod est inauditum. Et meritò: quia acceptatio non censetur determinare traditionem, sed utraque per modum completi unius entis moralis afficit & determinat objectum contractûs. Deinde sic ad summum intercederet distinctio rationis inter materiam & formam Matrimonii; immo cùm Matrimonium ipsum sit essentialiter traditio mutua, eo ipso est acceptatio; ita ut eo ipso quòd tradit quis corpus suum alteri, etiam acceptet corpus alterius; etsi non sint actus distincti, primus quo quis dicat se tradere corpus suum alteri, & secundus quo acceptet corpus alterius.

22. *Non possunt signa expressiva consensûs dici sibi invicem materia & forma.*

Hinc etiam refutata manet opinio Cardinalis *Lugo disp. 2. de Sacram. in genere sect. 1.* qui in hoc differt à præcedenti opinione, quòd loco acceptationis ponat obligationem, & hanc dicat esse formam. Sed quæ potest in hoc contractu cerni obligatio sive actio obligativa distincta à traditione? Quare cùm traditio secundùm ipsum sit materia, similiter materia erit ista obligatio: nisi recurratur ad obligationem præviam sponsalium, quæ impertinens est, & potest non præcessisse; vel ad vinculum permanens, seu obligationem in facto esse, in qua utique non consistit contractus, sed in activè se obligando; quod non distinguitur à tradi-

23. *Vel quod traditio sit materia, obligatio verò forma.*

traditione. Et si distingueretur, potiùs præcederet, adeoque non posset dici forma respectu traditionis.

Non rectè etiam verba priùs loquentis dicuntur materia; posteriùs loquentis forma.

Non potest etiam dici cum *Richardo* & aliis, verba priùs loquentis conjugis quatenus informata interiori consensu esse materiam, verba verò posterioris loquentis esse formam: nam alioquin ratio materiæ & formæ desumeretur ex sola prioritate aut posterioritate casuali temporis. Deinde si utriusque consensus exprimeretur simul, non posset juxta hanc sententiam assignari materia vel forma.

24. *Non denique cum Navarro consensus internus statuitur rectè materia; signa verò expressiva, formæ: aut contrà.*

Præterea dici nequit cum *Navarro*, *Valentia* & aliis, consensum internum esse materiam, signa autem expressiva esse formam; vel è contrà cum Nonnullis aliis, signa expressiva esse materiam, consensum verò formam: tum quia non solet in aliis contractibus (de quibus tamen est similis causa) consensus internus assignari pro materia aut forma, uti nec signa expressiva illius pro forma vel materia: tum quia in ordine ad contractus, consensus & signa ejusdem expressiva censentur quid unum: tum denique quia consensus internus ut condistinctus signis externis, non est sensibilis; prout esse totalis materia vel forma debet. Specialiter autem contra statuentes formam Matrimonii in interno consensu facit, quòd cùm hic præcedat exteriorem expressionem, & per illam compleatur, congruentiùs videatur ei adscribi ratio materiæ, quàm formæ, uti faciebat *Navarrus*.

Qualiter Opinio Navarri defendi possit.

Cujus quidem opinio videtur posse defendi, dicendo, quòd etiam sit liberum, etsi non ita solitum, in aliis contractibus consensum interiorem vocare materiam: quòdque non obstante quòd sit insensibilis, posse esse totalis materia Sacramenti, veluti ad quod sufficiat unam partem, v. g. formam esse sensibilem, per hanc verò materiam fieri sensibilem. Supereſt adhuc opinio *Cani*: quæ commodiùs refelletur *seq. Concl.* ubi pariter de Ministro agetur.

25. *Ministri Sacramenti hujus sunt ipsi Contrahentes.*

Dico II. Ministri hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes. Ita communissimè Doctores contra *Melchiorem Canum*, *Guilielmum Estium*, *Sylvium* q. 42. *Supplem.* a. 1. *quæsito* 1. & 2. & paucos alios existimantes Ministrum esse sacerdotem, & verba ejusdem formam, verba verò contrahentium esse materiam, quæ proinde sine illis conficiant contractum civilem, non Sacramentum. Sed horum opinionem Varii notant esse temerariam aut improbabilem. Quidquid autem sit de censura,

Probatur Conclusio: nam olim Matrimonia sine Parochi præsentia celebrata erant valida & rata; & adhuc modò sunt in locis, in quibus Tridentinum non est receptum, vel in locis Hæreticorum, in quibus nullus Parochus est, vel non datur ad eum tutus accessus: & consequenter nihil deest iis ad rationem Sacramenti. Confirmatur: quia Concilia absolutè docent Matrimonium fidelium esse Sacramentum: nec plus requirunt ad substantiam Sacramenti, quàm ad veritatem matrimonii, supposità scilicet sufficienti intentione. Specialiter *Florentinum*, quod singulis Sacramentis totam essentiam & Ministrum assignat, cùm dixisset: *Septimum est Sacramentum Matrimonii*, subdit: *Causa efficiens Matrimonii est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*; in quo proinde totam essentiam & ministerium ponit. Confirmatur II. quia etiam cùm assistit Parochus, etsi taceat, subsistit substantia Matrimonii, prout habet declaratio Cardinalium relata ad *sess.* 24. c. 1. *de Reform. Matrim.* Et quàmvis aliquid loquatur, tamen ante verba ipsius jam Sacramentum est. Unde *Tridentinum* assistentiam Parochi solùm requirit tamquam conditionem necessariam ad valorem contractûs; ubi & requirit assistentiam testium. Quare etiam non assignavit certa verba à Parochis proferenda, sicut in formis Sacramentorum: sed hoc relinquit cujusque Provinciæ consuetudini, dicens: *Vi Parochus audito consensu utriusque dicat*: *Ego vos in Matrimonium conjungo* (id est, conjunctos declaro, approbo, conjunctionem vestram benedico, nomine videlicet & auctoritate Ecclesiæ) *vel utatur aliis verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* Retundit proinde *Palavicinus* l. 23. *Hist. Trid.* c. 9. n. 15. mendacium *Suavis* affirmantis derisas fuisse voces illas Parocho præscriptas, easque non alio tendere, nisi ut brevi dogma fidei conficiatur, eas esse formam Sacramenti. Cùm enim ipsi Patres Tridentini censerent clandestina Matrimonia esse Sacramenta, qui intendissent fieri dogma fidei, quod *Suavis* somniat? Immo alla sententia ægrè toleratur, & à pluribus censuratus post *Tridentinum*; tantum abest, ut Ecclesia eò tendat, ut id tamquam dogma fidei declaretur. Ita *Palavicinus*.

26. *Occurritur Objectioni de Jansenio.*

Nec est absurdum, quòd hoc Sacramentum ob peculiarem rationem contractûs exigat duplicem partialem Ministrum. Similiter absurdum non est, laicos, immo etiam feminas esse Ministros hujus Sacramenti; sicut absurdum non est ipsum contractum Matrimonii esse elevatum ad dignitatem Sacramenti. Pariter non est absurdum, hoc Sacramentum perfici validè sine alia cerimonia sacra: cùm ipsemet contractus, quatenus à Christo elevatus & debitâ intentione adhibitus, sit sacra cerimonia, uti Baptismus. Quod insuper allegat *Sylvius*, sequi fore, ut Sacramentum hoc perficiatur opere quod non potest absque gravi peccato fieri, scilicet copulâ carnali animo maritali factâ post sponsalia, seclusâ lege irritante Matrimonia clandestina, antea semper ab Ecclesia vetita.

tita? Hoc (inquam) non urget: nam conjunctio clandestina non est intrinsecè mala, etsi justissimè prohibita: idemque proinde fuisset de præfata copula. Præterea dum *Rituale Romanum* inter Sacramenta, quorum administratio ad Parochos pertinet, recenset Matrimonium *Tit. de iis quæ in Sacram. Administ. generaliter servanda sunt*, id intelligit, in quantum Parochus tamquam Ecclesiæ minister debet contractui assistere, ac etiam denuntiationes præmittere, & postea benedictionem solemnem impertiri, ut patet ex eodem *Rituali Tit. de Sacram. Matrim.* ubi cautè abstinet à nomine Ministri: quod nomen tamen non tacet, dum in particulari agit de aliis Sacramentis. Simili ratione explicanda sunt, aut certè non admittenda, quæ ex nonnullis Manualibus & Synodis congerit *Sylvius suprà quæst.* 1.

27. *Contrahentibus necessaria est intentio Sacramenti.*

Dices: si Contrahentes sint ministri, necessariò debebunt habere intentionem, non solùm contrahendi Matrimonium, sed etiam conficiendi Sacramentum: hanc autem plerique non habent, qui de hoc nihil sciunt, aut certè non cogitant. Resp. illos habere hanc intentionem virtualiter, saltem implicitè & confusè: censentur enim velle matrimonium inire more Christiano, sive facere quòd fideles faciunt; quod sufficit. Si tamen alicui deesset intentio sufficiens ad confectionem Sacramenti, non subsisteret Sacramentum. An autem tunc adhuc subsistat matrimonium in ratione contractûs, dictum est *suprà n.* 17.

DISPUTATIO TERTIA.

De Consensu Matrimoniali.

QUÆSTIO I.

An & quorum Consensus requiratur & sufficiat ad valorem?

1. DICO I. Ad valorem Matrimonii adeò necessarius est consensus ipsorum contrahentium, ut suppleri non possit per ullam potestatem, nisi divinam. Est certum apud omnes. Ratio est: quia soli contrahentes habent potestatem suorum corporum ad tradendum super illa dominium in usum conjugalem: nec ex ullo capite constat reipublicæ aut principibus concessam esse hanc potestatem independenter à consensu ipsorum contrahentium. Quare nec umquam eâ usi sunt. Neque etiam eam dari, aut per se competere expediebat bono communi: siquidem continua vitæ societas, mutua conjugum charitas, indissolubilitas, aliaque onera matrimonii omnino exigunt, ut nemini imponantur, nisi liberè consentienti. Ad summum autem posset respublica in certo casu aliquos per mandatum urgere ad ineundum Matrimonium, & consequenter ad præbendum consensum. Quare etsi adsint verba externa, & millies repetantur, copulaque sequatur, nihil fiet, si deficiat interior consensus, qui hic essentialiter requiritur, nec potest humanitùs suppleri, etiam quoad effectum, secùs quàm in aliis contractibus. Quàmvis in foro externo standum sit verbis externis, in quo de internis humanitùs ignotis, judicari non potest, nisi quatenus produntur per signa externa.

2. Dixi in Conclusione, *nisi divinam*: nam Deus tamquam supremus & absolutissimus Dominus posset tradere duobus v. g. dominium in mutua corpora ad usum conjugalem: si enim id possint ipsi homines per se; cur non idem possit Deus? Sicut dominium in servum quod acquiritur per emptionem aut donationem, potest etiam comparari per solam Dei voluntatem, sic ut sequatur eadem justitiæ obligatio servi ad dominum. Ex quo sequitur contra *Sanchez* & alios Deum posse per se inducere vinculum matrimoniale: hoc enim vinculum nihil est aliud, quàm perpetua obligatio consequens potestatem in mutua corpora: perinde autem est, utrùm oriatur ex contractu, an ex alia causa. Quod autem non posset vinculum istud appellari cum reduplicatione, quatenus ortum ex conjugio seu contractu conjugali, qui non præcessit, parum refert: eò quòd hoc tantùm sit denominatio extrinseca. Nam erit nihilominus vinculum justitiæ ortum ex largitione seu traditione divina, quâ Deus dat utrique jus in mutua corpora, simile planè illi, quod oritur ex contractu oneroso, quo ipsi contrahentes tale jus invicem tribuunt. Confirmatur: quia etsi consensus conjugum sit de essentia Matrimonii, prout est contractus, qui in ipso consensu formaliter consistit; non est tamen de essentia vinculi matrimonialis, sed est causa efficiens illius; quam proinde supplendo potest Deus per se inducere illud vinculum, etsi non possit per se facere, ut sit Matrimonii contractus. Simili ratione posset Deus supplere consensum in ordine ad Statum religiosum quoad obligationem justitiæ, aut etiam religionis. Esto obligationem specificam fidelitatis ad Deū, veluti præsupponentem essentialiter promissionem, non posset Deus ipse per se sta-

suppleri potestate divinâ.

tuere. Quod non obesset præmissis. Hîc enim agitur de vinculo justitiæ; quidquid sit de obligatione conjugum, quatenus foret ex parte spectans ad fidelitatem.

3. *Solorum contrahentium cõsensus requiritur ad valorem.*

DICO II. Solus consensus conjugum sufficit ad valorem Matrimonii. Est certum contra *Lutherum* & varios recentiores Hæreticos, quorum opiniones vide apud *Bellarminum l. de Matrim. c.* 19. Patet ex *Trid. sess.* 24. *c.* 1. *de Reform.* ubi *eos anathemate damnat, qui falsò affirmant, matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Et ex c. *Sufficiat* 27. *q.* 2. ubi *Nicolaus* Papa ait: *Sufficiat secundùm leges solorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si in nuptiis solus fortè defuerit, cetera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* Patet etiam, quia nullibi extat jus divinum, quo requiratur ad valorem Matrimonii consensus aliorum, præsertim parentum. Immo in Scriptura *Gen.* 28. legitur Esau duxisse uxorem non requisito consensu parentum: & Jacob unâ exceptâ duxit reliquas insciis parentibus: Tobias quoque ex consilio Angeli parentibus insciis Matrimonium iniit: quæ tamen matrimonia nemo dixerit fuisse irrita. Nihilominus seriò actum fuerat in *Concilio Tridentino*, ut irritarentur Matrimonia deinceps contracta à filiis absque consensu parentum; instantibus Oratoribus Gallis: quippe quæ plerumque noxia, ac familiis indecora, & odiorum potiùs quàm amoris fomes inter conjuges. Verum quo simul remedium adhiberetur, parentum socordiæ in filiorum statu curando, certus numerus annorum præscriberetur; quo absoluto, si nondum filius à parente in Matrimonio fuisset collocatus, fas illi esset per se ipsum uxorem ducere. Ita refert *Palavicinus l.* 22. *Hist. Trid. c.* 1. *n.* 16. Unde, eodem referente *c.* 4. *n.* 3. concepta fuerat forma Decreti: *Præterea eadem Synodus irrita facit ea Matrimonia, quæ contrahuntur à filiisfamilias ante* 18. *annum completum, & à filiabus ante* 16. *completum absque genitorum consensu.* Circa quam postea nonnullæ seu variæ limitationes fuerant adjectæ, ut videre est apud *Palavicinum c.* 8. *n.* 10. Tandemque penitus sublata fuit, confecto de solis Clandestinis decreto, prout hodie in textu cernitur. Vide *Palavicinum l.* 23. *c.* 5. *n.* 17.

De irritandis quæ sine parentum consensu contraherentur, vel quid actum in Tridentino.

4. *Explicatur Ius Civile.*

Objiciunt Hæretici varia jura. Sed quod ad Jus Civile attinet, vel loquitur de honestate, vel sanè correctũ est per Jus Canonicum, si cubi vellet Matrimonium sine consensu parentum esse irritum. Et quidem *Cujacius* cum aliis existimat ejusmodi matrimonia Jure Civili non fuisse irrita. Oppositum autem contendit *Basilius Pontius l.* 2. *c.* 1. *n.* 21. dicens esse communem sententiam. Quam *num. seq.* referens *Wesenbecium* limitat sive explicat, ut quidem invalida & dissolubilia fuerint ante copulam, valida tamen fuerint post copulam. Quod planè incongruenter statutum fuisset.

Ex Jure autem Canonico potissimùm utitur c. *Aliter* 30. *q.* 5. ubi ex *Evaristo* Papa dicitur: *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus & propinquioribus sponsetur.* Verùm Pontifex eodem tenore subdit alias conditiones; quæ si pariter necessariæ forent, nulla apud Hæreticos hodiernos forent legitima conjugia. Subditur enim: *Et suo tempore sacerdote aliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus*, id est, sacrificio, *à Sacerdote benedicatur &c. Et biduò vel triduò orationibus vacent, & castitatem custodiant.* Aliæ insuper conditiones ibidem requisitæ ita sunt extrinsecæ & accidentariæ, ut stultum sit credere, sine illis conjugium esse irritum; quales sunt, ut feminam paranymphi custodiant, ut legitimè ipsa dotetur, & solemniter accipiatur &c. Vult itaque *Evaristus* sic legitimum esse conjugium, si hæc omnia adsint, nec contra quantum ad apparentiam & præsumptionem non sit legitimum, si eadem desint, & conjugium occultè sine testibus ullâque solemnitate contrahatur. Quamvis *Basilius Pontius sup. n.* 5. *& seqq.* contendat ab initio quidem & per aliqua sæcula fuisse consensum parentum in Ecclesia necessarium ad valorem Matrimonii, sed conditionem hanc postea fuisse sublatam. Plura vide apud *Bellarminum. sup. c.* 20.

Posset etiam moveri difficultas specialis de conjugiis servorum seu mancipiorum. Sed constat similiter apud omnes Theologos & Juristas, ea esse legitima citra consensum dominorum. Estque expressè decisum *c.* 1. *de conjugio servorum.* Ratio est: quia facultas hæc in proprium corpus ad propagandum semen & reniedium concupiscentiæ non potest tolli per dominum, nec ei prævalere potestas domini: qui solùm habet jus ad obsequia civilia; debetque tolerare, etsi per usum & onus conjugii non remaneat servus ad omne obsequium adeò expeditus. Varia porrò quæ circa horum conjugia quæri possent, quia in his & plerisque aliis regionibus non veniunt usui, censui non esse expressè tractanda. Videri potest *Sanchez, Pontius* & alii suis locis.

QUÆSTIO II.

Qualiter Consensus parentum requiratur ad licitè ineundum Matrimonium?

6. *Proles ex maxima congruentia non debet*

QUAMVIS solus contrahentium consensus sufficiat ad Matrimonii valorem: tamen ex maxima saltem congruentia & honestate non debent proles absque parentum consensu & approbatione certum matrimonium

monium eligere; nisi excusentur justâ causâ. Nam omnia jura & ratio honestatis naturalis, ac ipsa regula humani convictûs, & similia id planè demonstrant; ut proinde proles inconsultis aut invitis parentibus rem adeò gravem, unde totum vitæ institutum pendet, aggredientes, non sint omnis culpæ, saltem venialis, expertes. Idem confirmat justa apud omnes Nationes parentum indignatio, quam ostendunt prolibus se inconsultis aut invitis matrimonium ineuntibus.

Possunt tamen proles secùs facientes subinde excusari, v.g. si (quod interdum fit) parentes indiscretè vellent impedire matrimonium planè dignum & utile, aut tentarent filios indigno vel molesto matrimonio copulare, aut negligerent vel nimiùm differrent prolibus de convenienti matrimonio providere, aut nimis durè tractarent proles: quæ proinde hoc medio ex eorum jugo conarentur evadere, aut ob similes causas. Quàmvis præseminis major cautela sit necessaria, utpote quæ magis parentum curæ subduntur, & arctiori pudoris honestate tenentur.

Loquendo autem de obligatione gravi, seu sub mortali fatendum in primis est, eam frequenter posse subesse, saltem per accidens: ut si immineant gravia scandala, pericula, bonorum amissio, gravia odia & discordiæ. Item si matrimonium sit indignum cum notabili dedecore & ignominia familiæ.

An verò seclusis extrinsecis incommodis (quæ frequenter adsunt) proles graviter obligentur, ut non contrahant matrimonium inconsultis & invitis parentibus. Multi probabilissimè affirmant. Plures alii (ut *Vasquez, Sanchez, Coninck*) existimant proles quidem graviter obligari ad petendum consilium; si tamen parentes requisiti consensum negent, posse per se loquendo liberè matrimonium honestum inire.

Sed non improbabile videtur, proles, spectatis juribus de facto constitutis & seclusis extrinsecis incommodis, ad neutrum graviter obligari: jura enim & rationes ex natura rei petitæ tantùm ostendunt maximam congruentiam & decentiam, non autem gravem semper ac per se loquendo obligationem. Confirmatur: quia unicuique per se libera videtur electio vitæ ac determinatio statûs: & in hoc filii sunt in rigore sui juris; maximè circa matrimonium, quod summam requirit libertatem, & ex naturali propensione contrahentium præcipuè dijudicandum est. Unde nec parentes possunt cogere filios, ut matrimonium contrahant, aut ut volentes contrahere contrahant cum tali persona: & proinde nec possunt cogi, ut abstineant à matrimonio, vel simpliciter, vel contrahendo cum tali persona. Et quamquàm subinde obligetur quis consilium petere, ubi non tenetur sequi: hîc tamen ad neutrum videtur graviter obligari. Immo quandoque parentes ægriùs ferrent matrimonium ipsis consultis sed repugnantibus, quàm contractum ipsis insciis, & prolibus alio prætextu se excusantibus. Quare pro hac sententia stat *Henriquez, Victoria, Aversa q. 3. sect. 7.* & sanctus *Scotus d. 29. n. 12.* Pro eadem etiam referri possunt, qui simpliciter asserunt dicere filiis contrahere independenter à parentibus, ut *D. Thomas, Ledesma, Victoria, Viguerius, Abbas, Hostiensis, Covarruvias* & alii, tùm Theologi, tum Juristæ, ut refert *Aversa suprà*, explicans illos, quòd solùm obligationem sub mortali negare voluisse videantur.

An proles insciis aut invitis, parentibus contrahentes possint exhæredari.

De pœna contrahentium contra parentum voluntatem censent quidam eos posse exhæredari Jure Civili, si nuptiæ sint indignæ, saltem si filia nubat indigno. Sed facultas exhæredandi per *Novellam* 115. c. 3. §. 11. videtur sic restricta, ut sola filia possit hæreditate privari, quæ minor 25. annis existens, parentibus eam dotare volentibus, matrimonium respuit, & luxuriosam vitam agit, aut sanè etiam major 25. annis servo sive mancipio nubit.

Quid de hoc statuti per Principes Belgii.

Præter jus commune referuntur in Hispania leges speciales, quibus exhæredari possunt nubentes sine parentum consensu. Et in Belgio Constitutione *Caroli V.* anno 1540. 4. Octobris, cautum est, ne liberi, ni masculi minores 25. annis, quàm feminæ minores 20. annis, absque consensu parentum, vel, si iis careant, proximorum consanguineorum, aut non adhibitâ Magistratûs auctoritate, nuptias præsumant contrahere; idque (inter alias pœnas Notariis contractus scribentibus, matrimonio assistentibus &c. inflictas) sub pœna submotionis ab omni donario, & quovis lucro vi matrimonii, consuetudinis, testamenti, donationis, aut quomodocumq; ex bonis compartis obventuro: tametsi postea matrimonio consummato consensus debitus supervenerit. Quod tamen edictum notat *Zypæus in Notit. Juris Belgici Tit. de Sponsal. & Matrim.* ferè agere de specie raptûs & clandestinis matrimoniis, quæ dolis & malis artibus conciliantur, in quas fertur, & in iis pœnas proponit. Denique *Philippus IV.* anno 1623. 23 Novembris, minores 25. annis nubentes absque consensu parentum, aut (si obierint) tutorum & curatorum proximorumque consanguineorum utriusque lateris, privat omnibus emolumentis, quæ ab invicem alterutri obvenire possent per donationem, successionem &c. irritans omnes conventiones & donationes in alterutrius utilitatem pactas, etsi postea consensus parentum superveniret: dans quoque facultatem parentibus exhæredandi hujusmodi proles, non admissâ querelâ sub prætextu legitimæ dotis

dotis &c. Majores tamen 25. annis non comprehenduntur; salvo tamen eo, quòd parentes sive amici fuerint saltem agniti.

10. *An hujusmodi statuta sint valida attento jure Canonico.*

Contendit autem *Sanchez l.4. de Matr. d. 25.* hujusmodi statuta non habere valorem, esseque correcta aut corrigenda attento Jure Canonico, quod potius favet libertati matrimonii, jubetque causas & leges matrimoniales spectare ad Ecclesiam, & non ad laicam potestatem, c. *Tuam de ordine Cognit.* & c. *Causam 2. qui filii sint legitimi*, & c. 1. *de Sponsalibus*, & *Trid. sess. 24. can. 12. de Matr.* Quare sicut lege civili non potest Matrimonium sine consensu parentum contractum irritari, sic nec videtur posse prohiberi & puniri, eò quòd constituere impedimenta Matrimonii, etiam tantùm impedientia seu prohibentia, sit reservatum Ecclesiasticæ potestati. Nihilominus talium statutorum vim propugnant constanter *Molina, Basilius Pontius* & alii, & probabilissimum censet ipse *Sanchez sup.* Idemq; indubiè in sæcularibus tribunalibus judices censerent. Videri potest *Pontius l.2.c.1.n.29.&30.*

QUÆSTIO III.

Qualiter Consensus Conjugum sit exprimendus?

11. *Consensus conjugalis debet exteriùs exprimi.*

CONSENSUS non sufficit internus, sed debet exteriùs exprimi. Id enim requirit, tum ratio contractûs humani & mutuæ traditionis atque acceptationis: tum ipsa ratio Sacramenti, cujus pars essentialis est sensibilis expressio interni consensûs. Quare dum c. *Cùm locum, de sponsal.* dicitur *Matrimonium contrahi solo consensu*; subintellige expresso per signa, ut patet ex textu, & c. *Licet, de sponsa duorum.* Similiter quod c. *Tuæ, de sponsalibus* dicitur: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum, sed necessaria sunt quantùm ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti*; intellige hoc modo, quòd Ecclesia requirat, ut consensus, qui alioquin etiam per nutus posset declarari, exprimatur, dum potest, per verba, ut certiùs Ecclesiæ constet. Ex quo pariter & ex usu Ecclesiæ (quæ non admitteret nutus in potente loqui) colligit *Aversa q.3. s.2.* referens *Rodriguez, Petrum Ledesma & Sylvium* esse ad hoc gravem obligationem. Quamvis nullum de hac re extare præceptum contendat inter alios plures *Sanchez l.2. d.31. n. 10.* inconsequenter asserens secùs facientem peccare venialiter; quod proinde consequenter etiam negat (secluso scandalo aut periculo dubitandi de valore, ex quo per accidens nasci posset etiam gravis obligatio) *Basilius Pontius l.2.c. 7.n.14.& Castro Palao d.2. p.7.n.5.* meritò addens, saltem maximè convenire, ut consensus per verba exprimatur.

Ex usu Ecclesiæ per verba.

Id planè certum est verba non requiri ad valorem, non tantùm in non valentibus loqui (de quibus id expressum est in jure & colligit *Aversa* ad minus ex *Florentino in Decreto* sed etiam in aliis. Nullibi enim matrimonium secùs à quoquam initum irritatur; sed solùm, *si nec facto, nec verbo consenserit*, c. *Fin. de Conjugio servorum.* Unde sponsalia olim transibant in matrimonium per copulam. Et *Florentinum sup.* docet matrimonium contrahi *regulariter* per verba, non quòd hæc sint regulariter necessaria ad valorem, sed quòd consensus requisitus regulariter soleat per illa exprimi.

Sufficiunt porrò verba quæcumque exprimentia consensum & contractum de præsenti. Sed sint clara, sic dubiis locus relinquatur. Idem est de aliis signis & nutibus, v.g. seria capitis [illegible] interrogationem de traditione & acceptatione inclinatio; manûs porrectio ad factam petitionem, ut si vult talem pro nunc in conjugem accipere, manum porrigat. Posset etiam ex usu loci tamquam signum sufficiens servire impositio & acceptatio annuli subligito (quæ alioquin referri etiam potest ad sponsalia de futuro) maximè si ex parte unius conjugis interponantur verba denotantia contractum de præsenti. Idem est, si parentes exprimant consensum nomine prolium præsentium & non contradicentium, c. *un. de Desponsat. impub. in 6.* Solebat etiam ante *Tridentinum* copula subsequens sponsalia esse signum consensûs de præsenti c. *veniens*, c. *Is qui fidem*, & c. *Fin. de Sponsal.* gignens præsumptionem juris & de jure, juxta c. *qui fidem.* Quamquam si consensus maritalis interiùs verè defuisset, coram Deo non fuisset quoque verum matrimonium.

Posset quoque per epistolam inter absentes fieri contractus matrimonii instar ceterorum, juxta Doctores communissimè. Estque expressum in Jure civili l. *Mulierem ff. de Ritu nuptiarum*, & l. *Sufficit ff. de Sponsalibus.* Et quidem servari etiam posset forma *Tridentini*, si nempe coram parocho & testibus fieret declaratio consensûs & acceptationis scripto expressæ, v.g. si sponsa litteras sponsi coram eis proferens, in quibus is scribit se ipsam eligere ex nunc in uxorem, & ei se tradere in maritum, ipsa subjungat se similiter tradere alteri in uxorem, & acceptare factam sibi traditionem. Hic tamen modus contrahendi non est ita in usu.

Magis usitatum est in Ecclesia, ut fiat per procuratorem: estque etiam expressum in jure c. *Fin. de Procuratoribus.* Idem potest optimè fieri servatâ formâ *Concilii Tridentini* (quod solùm egit contra matrimonia clandestina antea per Ecclesiam prohibita) dum Procurator consensum principalis, ejusdem nomine exprimat coram parocho & testibus. Coram quibus etiam ad

iam ad majorem securitatem congruit (quamquam putetur non esse necesse, cùm mandatum procuratorium posset esse datum vivâ voce) exhiberi mandatum seu instrumentum procuratorium. Tum autem substantia contractûs & Sacramenti matrimonii non solùm consistit in actu constitutivo procuratoris ad contrahendum, sed simul in ipso procuratoris ministerio; utpote quod est essentialiter perfectivum contractûs. Nam certè ipsa expressio consensûs conjugalis perficitur hoc ministerio, ac plenè integratur partim ex mandato, partim ex actu executivo: & similiter ex illo actu quo profertur & publicatur epistola, si per illam fiat contractus. Quamquàm procurator non ideo sit minister Sacramenti, aut debeat ex hac parte esse in gratia (esto generaliter ad requireretur) quia non agit nomine suo, sed principalis, cujus censetur actus, & qui mediante procuratore profert & adhibet suum consensum. Plura, quæ hac de re dici possent, quia rariora sunt, videri possunt apud *Sanchez* & alios.

Inter consensum contrahentium sive expressionem unius & alterius sufficit moralis conjunctio, ut consensus & expressio prioris juxta intentionem illius (quæ pro diversis casibus est diversa) censeatur moraliter permanere, quando adhibetur ex parte alterius. Quare non debent simul & incontinenti exprimi, sive Jus vetus, sive *Tridentinum* spectes; ut patet dum contrahitur (quod & post *Tridentinum* potest fieri) per procuratorem vel epistolam, quando internus consensus diu potest præcedere expressionem illius, & consensum alterius. Sic dum per epistolam aut procuratorem contrahitur, tam diu durat, quantum temporis humano more intercedere solet, usque dum perveniat procurator aut epistola, & contrahi possit altera pars, ut adjungat cum debita solemnitate suum consensum. Non censetur alioquin permanere in consensu, aut intendisse, ut pars post habitam notitiam possit ad annos differre suum consensum. Nisi id expresserit: in quo casu nullum est tempus taxandum, nisi juxta ejus voluntatem non retractatam. Dum inter præsentes contrahitur censetur prioris consensus non manere suspensus (nisi aliud exprimatur) sed velle, ut etiam alter incontinenti, non recedendo ab illo congressu, adjungat suum.

Petes, in quod objectum debeat cadere consensus matrimonialis? Resp. certum esse, quòd in essentia ita contractui matrimoniali, sive explicitè sive implicitè, adeòque in mutuam & inseparabilem corporum traditionem, cum obligatione fidei servandæ & boni prolis, de quo *quæst.* 5.

QUÆSTIO IV.

Quomodo Consensus debeat esse liber à metu?

CONSENSUM debere esse liberum à necessitate, sic ut physica necessitas (qualis est in perfectè amentibus, phreneticis, ebriis, dormientibus, pueris) aut coactio tollat valorem matrimonii, clarius est, quàm ut discussionem mereatur. Qualiter obsit idem error substantialis personæ, non autem accidentalis, agendo de impedimentis Matrimonii dicetur. Nunc inquirendum, an vel quis metus obsit ejusdem valori. Pro quo

17. *Consensus conjugalis debet esse liber à necessitate.*

Nota I. Metum alium esse gravem, alium levem. Gravis est, qui cadit in constantem virum, seu quo rationabiliter timetur malum meritò formidabile etiam viro alioquin forti & constanti, sive interim de facto forti animo illud superet, sive eidem cedat. Hujus varia exempla adferuntur à Doctoribus, v. g. rationabilis timor mortis, mutilationis, gravis carceris, stupri, privationis omnium bonorum vel notabilis partis, diuturni exilii, atrocis cruciatûs, notabilis infamiæ, gravis indignationis paternæ, vel eorum, sub quorum cura quis est constitutus. Denique metus eorum, quæ prudens judicare potest viro constanti esse meritò formidabilia. Causant autem prædicta mala metum gravem, non tantùm dum prudenter existimantur aut rationabiliter dubitantur imminere propriæ personæ, sed etiam (ut Plures notant) quando proximè conjunctis, v. g. parentibus, liberis, fratribus, sororibus, vel aliis, quorum mala solemus ut nostra apprehendere. Rationabilis denique timor (qui requiritur juxta Doctores omnes, ne alioquin sit vani & levis hominis) censetur, quando jam alicui intentatur violentia, aut inferuntur minæ ab homine meritò metuendo; sic ut malum sit verè imminens, quod metuens ipse non possit rectè evadere; secùs, si possit sibi rectè consulere. Quare non sufficit, quòd quis ex se solùm suspicetur minas sibi inferendas, sive habeat suspicionem timoris: nam (ut dicitur *L. Metum autem ff. De eò quod metûs causâ*) *metum præsentem accipere debemus, non suspicionem inferendi ejus, sed si illatus est timor ab aliquo.* Sunt quoque aliqui verbis jactantes, nilque facientes; qui proinde rationabiliter non sunt metuendi. Quod prudens judicabit.

18. *Quid sit metus absolutè gravis. Varia ejus exempla.*

Advertunt insuper passim Doctores ultra prædictum metum, qui dicitur absolutè gravis, dari alium respectivè gravem, qui etsi absolutè non cadat in constantem virum, est tamen non minùs gravis respectu hujus personæ, v. g. feminæ, senis

19. *Quid metus respectivè gravis.*

vel pueri, quàm alius respectu viri constantis. Et talis metus etiam sufficit in talibus personis ad rescindendos contractus juxta *Sanchez*, & alios communiter. Itaque quando dicitur timor cadens in constantem virum, debet amplè intelligi, ut includat etiam timorem qui cadit in constantem feminam, constantem senem vel puerum, id est, qui aptus sit concutere constantiam proportionatam talium personarum. Ad quod discernendum non potest alia regula determinata tradi, quàm prudens judicium. Ex quibus patet, quis sit metus levis, ille videlicet, quo spectatis omnibus circumstantiis non timetur rationabiliter grave malum.

Quis metus levis.

20. *Alius est incussus ad extorquendum consensum, justè vel injustè, alius non.*

Nota II. metum aliquando incuti ad aliquid obtinendum, v. g. matrimonium: aliquando incuti alia de causa, v.g. si quis minetur alteri mortem ex odio vel ob injuriam, quam passus est. Potest autem utroque modo metus incuti justè vel injustè.

21. *Metus gravis injustè incussus ad extorquendum matrimonium irritat illud.*

Dico I. Metus gravis injustè incussus ad extorquendum Matrimonium, illud irritat. Ita communiter Doctores, & patet ex c. *Cùm locum*, *de Sponsalibus*, ubi dicitur, *Matrimonium solo consensu contrahi, eumque locum non habere, ubi metus vel coactio intercedit.* Item ex c. *Veniens ad nos.* Et c. *Consultationi eod. tit.* Estque Conclusio vera, etsi metus sit incussus à tertio, ut patet ex c. *Veniens*, ubi agitur de metu illato à patre puellæ, non autem ab ipsa puella. Et c. *Consultationi* solùm ponderatur, quòd metus sit illatus, non autem à quo.

Etsi sit incussus à tertio.

Secùs est de metu levi.

Dixi in Conclusione, *metus gravis*: nam metus levis juxta Doctores communiter non solùm non irritat Matrimonium in foro externo, verùm nequidem in foro conscientiæ: etsi id putet *Navarrus*, & probabile censeat *Sanchez l.4. d.17. n.4.* Nam auctoritates loquuntur de solo metu gravi. Deinde metus levis censeri debet potius provenire ex libera acceptatione ejus, qui metum patitur, quàm ab extrinseco: ut proinde motivum adeò tenue ad tantam rem non obstet, quin adhuc censeri debeat talis sponte elegisse conjugium. Alioquin etiam plurimæ dubietates & prætensiones de nullitate matrimonii suborirentur. Accedit, quòd si talis metus irritaret in foro conscientiæ, ipso satis probato deberet judex etiam in foro externo matrimonium declarare irritum. Denique non desunt alia motiva externa, ut preces, blanditiæ, reverentia erga superiorem aut amicum suadentem matrimonium, quæ non minùs valent ad flectendum animum & minuendam libertatem, quàm metus levis; & tamen non irritant matrimonium.

22. *Aut justè incusso.*

Dixi etiam, *metus injustè incussus*: quia justè incussus etiam ad extorquendum Matrimonium, non irritat illud, juxta *Sanchez d.* 13. *Præpositum* & alios: nam Canones sive auctoritates tantùm loquuntur de metu injustè incusso. Deinde per talem metum non irrogatur alteri injuria, sed potius injungitur, ut perficiat quod debet; vel certè proponitur ei modus, quo evadere possit supplicium quod meretur, sive datur occasio tollendi metum ex natura peccati ortum. Sic v.g. qui alium justè accusare vel condemnare potest, minando accusationem vel condemnationem, non tam censetur inferre metum, quàm offerre alteri occasionem se liberandi à periculo mortis, in quod suâ culpâ se conjecit. Confirmatur: quia variis casibus jus præcipit, & judex compellit sub comminatione pœnæ, etiam excommunicationis, ad matrimonium, v.g. illum qui contraxit sponsalia, aut qui defloravit virginem sub fide & promissione matrimonii. Similiter metus gehennæ à Deo immissus non officit validæ impletioni sponsaliorum. Nec refert, quòd c. *Veniens*, 2. *de Sponsal.* videatur esse sermo de metu justè incusso, quem nimirum pater puellæ incusserat juveni cum illa deprehenso. Nam metus iste erat injustus, scilicet præsentaneæ necis.

Dixi denique, *incussus ad extorquendum matrimonium*: quia metus à causa naturali, v.g. naufragio, morbo &c. ortus, vel etiam à causa libera ad alium finem illatus non irritat Matrimonium, juxta *Sanchez l.4. d.12. n.3.* & alios communiter. Nam talis metus per accidens se habet ad matrimonium, & ex eo contrahens censetur potiùs moveri à seipso, quàm à metu. Unde matrimonium sponte quodammodo assumitur tamquam remedium ad evadendum malum alioquin sibi imminens. Quæ jura non censentur etiam agere de hoc metu.

Hinc valet Matrimonium contractum cum aliquo metu imminentis mortis ex naufragio: prout etiam valent vota sic emissa. Deinde si damnatus ad mortem ducat meretricem vel aliquam pauperem ei obviam, ut mortem evadat (prout quibusdam in locis usus habet) valet matrimonium; idque etsi sit condemnatus injustè, modò ob alium finem; & à quocumque hæc conditio offeratur, juxta *Sanchez* & alios. Equidem si gravamen sit injustum, videretur vis inferri ad extorquendum consensum, quando aggressor ipse, vel alius pro eo, & non potius gravamen injustum passurus matrimonium offerret. Similiter si Princeps obsidione pressus offerat matrimonium contrahendum cum filia obsidentis, ut sic obsidionem solvat, valet matrimonium, dummodo isto fine obsidio non fiebat. Plures casus videri possunt apud *Sanchez supra d.12.*

Dico II. Matrimonium initum ex metu gravi ad hoc injustè incusso, est irritum jure divino. Ita *Scotus d.29. n.7. & 8. D. Thomas, D. Bonaventura, D. Antoninus, Gabriel, Angles*, jure divino *Bar-*

Bartholomæus Ledesma, Basilius Pontius, Diana P. 4. Tr. 4. Resol. 32. §. Notandum, & plurimi alii, tum Theologi, tum Jurisperiti, contra Sanchez l. 4. d. 14. & plures Recentiores, existimantes nullitatem provenire ex solo jure Ecclesiastico; quàmvis ipse Sanchez Conclusionem nostram valde probabilem censeat; quod & alii non negant, sed potiùs plerique expresè affirmant.

Probatur I. quia Canones, quotquot de hac re agunt, non irritant Matrimonia sic facta, sed irrita esse supponunt, utique ex jure aliquo sublimiori. Confirmatur: quia canones *præc. Conclus.* allegati nullitatem non revocant ad jus aliquod Ecclesiasticum, sed præcisè ad defectum consensûs; qui requiritur jure divino, aut naturali.

Probatur II. quia contractus Matrimonii ex se requirit consensum perfectè liberum, adeoque abientiam gravis metûs in illum finem injustè intentati: eò quòd jure divino aut ex natura sua sit perpetuus ac indissolubilis, & ad mutuum amorem ac fidem, polemque amanter habendam, ac honestè ducendam ordinatus: ad quæ aptus non videtur consensus tali metu extortus: cùm ex tam violento principio nequeant felices exitus sperari. In aliis contractibus satis est provisum per hoc, quòd sint dissolubiles per potestatem humanam: at contractus Matrimonii est omnino indissolubilis; adeoque provideri oportuit per jus irritans naturale aut divinum. Videtur autem esse jus divinum, non quidem merè positivum, sed naturale saltem inchoativè, completivè autem divinum positivum. Pro contraria opinione, quæ etiam valde probabilis est, ac facilis.

Objicitur I. Nullibi reperitur jus divinum irritans hujusmodi Matrimonia, ergo &c. Resp. illud satis reperiri, tum in ipsa natura contractûs, quæ hoc exigit; tum in declaratione Ecclesiæ, quæ matrimonia sic contrahenda non irritat, sed potiùs jam contracta supponit esse irrita, utiq; ex aliquo jure: sed non alio, quàm divino; ergo &c.

Objicitur II. Validus est Baptismus ex simili metu susceptus; ergo & matrimonium, quantum est de jure divino. Resp. Neg. Cons. quia de Matrimonio constat, non autem de Baptismo: est enim disparatio. Nam ad Baptismum quilibet etiam obligatur jure divino, estque res suscipienti facilis: Matrimonium non est necessarium, & insuper valde difficile. Deinde Baptismus ex parte baptizandi consistit in susceptione, Matrimonium in actione: major autem libertas requiritur ad agendum, quàm ad aliquid suscipiendum.

Objicitur III. Metus levis non irritat jure divino; ergo nec gravis. Resp. Neg. Con. nam de solo gravi Deus sic statuit. De metu etiam levi est disparatio, ut suprà ostensum est. Sicut idcirco juxta alios Ecclesia irritavit Matrimonium contractũ ex metu gravi, non autem ex metu levi.

Objicitur IV. Dolus seu error accidentalis non irritat Matrimonium jure divino, ergo nec metus. Resp. Neg. Con. Sicut enim ob speciales rationes juxta alios Ecclesia irritavit contractum ex metu, & non contractum ex errore accidentali; sic ob illas potuit idem fecisse Deus. Itaque disparatio est: tum quia dolus aut error accidentalis sic non adversatur mutuæ dilectioni, utì capitaliter adversatur metus: tum quia non ita cogit per modum extrinseci, nec minuit libertatem circa substantiam contractûs, utì metus, sed tantùm circa accidentalia: tum quia dolus aut error accidentalis plerumque natus est contractui matrimoniali inesse (secùs est de metu) ut proinde pleraque Matrimonia alioquin forent irrita. 27. *Cur potiùs metus, quàm dolus accidentalis irritet matrimonium.*

QUÆSTIO V.

Qualiter sufficiat Consensus conditionatus?

NOTA conditiones alias esse de præterito, alias de præsenti, & alias de futuro. Item aliquas esse impossibiles, aliquas necessarias, aliquas verò contingentes. Denique aliquas esse honestas, aliquas turpes: & ex his aliquas repugnare substantiæ seu fini Matrimonii, aliquas non. 28. *Quæ conditionum varietas.*

DICO I. Matrimonium initum sub conditione honestâ de præsenti vel præterito est validum, si subsit conditio; invalidum, si non subsit. Est communis & certa. Et patet ex natura ceterorum contractuum. Sub conditione honestâ comprehendo etiam indifferentem, cum *Sanchez* & aliis communiter contra Paucos: nam eadem utriusque est ratio. Similiter conditioni de præterito vel præsenti annumeranda est conditio, quæ scitur necessariò futura, ut si dicatur, Ego accipio te in meam, si sol cras oriatur: nam talis conditio non censetur apponi ad suspendendum consensum usque ad eventum conditionis (nisi hoc expresè intendatur) sed ad majorem confirmationem contractûs & consensûs præsentis; ut sensus sit, Tam verè quàm cras sol orietur, accipio te in meam. *Matrimonium initum sub conditione honestâ vel indifferenti de præsenti aut præterito valet, si subsit conditio.* *Quid de conditione, quæ necessariò futura scitur.*

DICO II. Matrimonium initum sub conditione honestâ contingenti de futuro est validum impletâ conditione: si autem aliquid de conditione desit, est nullum. Patet ex natura aliorum contractuum, qui sub tali conditione initi tunc solùm valere censentur, quando conditio est impleta, non autem antè; nec etiam, si quid ad conditionem defuerit. Estque speciale huic Sacramento, eò quòd sit contractus, & conditionem aliorum contractuum imitetur; quòd 29. *Initum sub conditione de futuro contingenti suspenditur usque ad eventum conditionis.*

possit celebrari sub conditione de futuro suspensivâ valoris; quod non competit ceteris Sacramentis, ut dictum est in materia de Sacramentis in genere.

Multra tradunt Doctores in ordine ad intelligendas conditiones appositas: sed quia rarò usu veniunt, sufficiat nobis standum esse contrahentium intentioni; quæ si ignoretur, est colligenda ex fine ob quem conditio fuit adjecta, & aliis circumstantiis. Vide *Coninck d.29. dub.2.* & alios.

30. *Quâ impl. tâ probabilius non requiritur novus consensus.*

Petes, an Matrimonium sub conditione contractum, impletâ conditione fiat validum absque novo consensu? Resp. Aff. Ità communiùs Juristæ, & plures Doctores Theologi apud *Sanchez l.5. d.8. n.5.* contra *D. Thomam, D. Bonaventuram* & plures alios. Ratio est: quia ceteri contractus, etiam sponsalium, sic initi valent absque novo consensu, statim ac conditio sufficienter est posita, & (quod insuper Aliqui necessarium esse volunt, sed sine fundamento) cognita, perinde ac si ab initio sine conditione fuissent initi, ut habetur L. *Potior 11. ff. Qui potiores in pignore,* & L. *Venditio 7. ff. de contrahenda emptione*; ergo similiter Matrimonium, de quo est par ratio, statim fit validum. Unde non est in potestate contrahentium resilire à contractu post impletam conditionem: qui proinde ex tunc invalidè attentarent aliud Matrimonium inire. Secùs est juxta Doctores communiter, si id facerent ante impletionem conditionis: eousque enim non subest vinculum obligationis propriæ ipsi Matrimonio. Nec tamen interea est contractus sponsalitius, cùm is sit promissio consensûs futuri, contractus autem alter sit præsens consensus in rem futuram, sufficiens eo ipso, quòd impletur conditio, ad inducendum actu vinculum matrimoniale; interim tamen obligans instar sponsalium ad expectandum eventum conditionis. Estque hoc singulare huic contractui, qui, ut completus sit, requirit actualem corporum traditionem (quæ non subsistit ante eventum conditionis) quòd pendente conditione validè revocetur consensûs: sicut solius interni consensûs revocatio obstat valori matrimonii per procuratorem ineundi: secùs quàm contingeret in aliis contractibus. Simile tamen est in voto solemni emisso sub conditione de futuro: quâ pendente revocatur consensus validè quoad propriam obligationem & effectum voti solemnis; quod eatenus involvit præsentem traditionem.

31. *Idq; juxta multos etsi contrahentes tempore contractûs fuerint inhabiles v.g. consanguinei &c.*

Immo juxta plures Doctores non requiritur novus consensus, etsi contrahentes tempore contractûs fuerint inhabiles ad contrahendum, ut si consanguinei contrahant de præsenti sub conditione, si Pontifex dispensaverit; eò quòd sufficere videatur, quòd sint habiles, quando eorum consensus completur, & contractus fit purus; quales fuit, dum conditio, scilicet dispensatio, ponitur. Vide *Sanchez l. 5. D. 8.* ubi *n.24.* existimat non esse necessarium, etiam post *Tridentinum*, ut parocho & testibus legitimè constet de impleta conditione. Contrarium tamen asserit *Coninck d.29. dub.1. concl.4.* Utraque sententia est probabilis, & graves patitur difficultates.

32. *Conditio impossibilis nulla.*

Dico III. Quando conditio impossibilis, v.g. si digito cælum tetigeris, & turpis v.g. si inimicum meum occideris, seriò adjecta est contractui matrimoniali, dependet valor Matrimonii ab eventu conditionis: quia sine absoluto consensu contrahentium non potest validari Matrimonium, ne quidem per suppletionem cujuscumque superioris creati; hic autem absolutus consensus deest, quousque conditio maneatur. Unde qui seriò apponit conditionem, quam certò novit impossibilem, censetur nolle nubere, aut valorem consensûs ab eventu miraculi pendere. Qui autem seriò apponit conditionem turpem, suspendit similiter valorem usumque ad eventum conditionis.

33. *Non obstat c. fin. de conditionibus appositis.*

Nec obstat, quòd conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi, ut dicitur *c. fin. de Conditionibus appositis.* Nam juxta Doctores passim intelligendum est, quando dubitatur, an sint serio vel joco adjectæ: tunc enim præsumit Jus in foro externo, quòd sint tantùm adjectæ jocò, eò quòd in tam seriò contractu nemo censeatur voluisse nugari aut nihil agere; adeoque declarat, quòd sint habendæ pro non adjectis; idque in favorem Matrimonii, in cujus favorem est in dubio judicandum, ut patet in *c. Ft. de sent. & re judicatâ.* Idemque præsumit Jus de conditione turpis, adeoque impossibilis practicè, quando scilicet ipse non repugnat substantiæ Matrimonii sive obligationi substantiali ejusdem: aliàs enim potiùs præsumit esse seriò adjectam à nolente nubere. Estque hæc explicatio capitis finalis satis recepta. Quod tamen aliter, & fortè rectiùs explicari posset, ut loquatur, non de conditione propriè dictâ, sed de modo, sive obligatione ad aliquid præstandum, quæ contrahentibus injiciatur, quam declarat Pontifex pro non adjecta habendam, cùm nemo possit obligari ad turpe vel impossibile.

34. *Conditio repugnans bonis substantialibus matrimonii irritat ipsum.*

Dico IV. Conditio adjecta contractui matrimoniali, quæ repugnet substantiæ aut fini matrimonii irritat ipsum jure naturæ. Pro quo

Nota Matrimonium ex divina institutione complectentia, quæ dici solent essentialia bona Matrimonii, scilicet bonum Sacramenti, bonum fidei, & bonum prolis. Ad primum pertinet perpetuitas sive indissolubilitas. Ad secundum fides conjugalis, scilicet obligatio non adulterandi, item non negandi debitum legitimè petitum. Ad

bona sunt hujusmodi bona.

tertio

tertium spectat susceptio & educatio prolis, adeoque obligatio non impediendi generationem, item christianè educandi prolem.

Consensus itaque matrimonialis præstitus sub conditione seu modo repugnante alicui ex prædictis est irritus jure naturæ, v.g. si quis dicat: Contraho tecum, donec invenero pulchriorem, vel sic ut post annũ dissolvatur conjugium, vel ut reservem mihi potestatem cognoscendi aliam, vel ut obligeris ad adulterandum, aut ad procurandam sterilitatem &c. Patet ex c. *Fin. de Condit. appositis.* Ratio est: quia consensus alicujus contractûs essentialiter involvit obligationem ad illa omnia, quæ sunt de substantia istius contractûs; sed prædicta omnia sunt de essentia contractûs matrimonialis, prout modò est institutus; ergo requirit essentialiter obligationem ad illa, quæ tamen haberi non potest, quando aliquod istorum excipitur, vel apponitur obligatio ad conditionem repugnantem.

Advertendum est conditionem in Conclusione non sumi strictè, quæ videlicet laederet substantiam, prius naturâ esse impleta, quam subsistat contractus; sed pro modo repugnante bonis Matrimonii, sive obligatione ad aliquid agendum quod sit contrarium substantiæ Matrimonii. Et juxta hoc videtur probabiliùs intelligendum caput finale citatum. Alioquin loquendo de conditione strictè sumpta, videtur eadem ratio de his conditionibus, quæ de ceteris turpibus seriò adjectis, v. g. si diceret contrahens, Contraho tecum si procuraveris sterilitatẽ; intendens consensum pro tunc solùm valere, quando fuerit procurata sterilitas: tunc enim sterilitate procurata videtur Matrimonium valere, sicut si nisset contractũ sub conditione, si jam in præterito procuraveris sterilitatem: nam tunc non inducitur obligatio contraria Matrimonio, quæ cum ipso debeat consistere, sed præexigitur procuratio sterilitatis, ante cujus positionem Matrimonium non est ponendum.

Quòd autem c. *Fin. de Condit. appos.* loquatur de conditionibus adjectis per viã obligationis potiùs quàm suspensionis, adeoque dum repugnãt substantiæ Matrimonii, cum exclusione animi subeundi obligationem substantialem Matrimonii, probatur: quia exceptâ hâc aut simili, Si venero sterilitatis sumes, non apparet, quomodo aliæ conditiones substantiæ Matrimonii repugnantes possint apponi per viam suspensionis. Nam si v.g. quis contrahat sub conditione: Si te adulterio prostituas, utique involvitur ibi necessariò Matrimonium prævium, adeoque nequit suspendi conjugium usque ad commissionem adulterii. Si verò intelligeretur: Si te violandam prostituas, scilicet per fornicationem simplicem, esset conditio turpis non repugnans substantiæ Matrimonii. Similiter contractus initus sub conditione, Si debitum conjugale negabis, involvit eamdem repugnantiam: non enim potest debitum istud negari, nisi conjugio jam inito, adeoque nequit ista conditio apponi suspensivè. Quod si intelligatur: Si mihi copiam corporis negaveris, est conditio suspensiua honesta: cùm debeat negari usque ad perfectionem contractûs matrimonialis. Denique contrahens sub hac forma, Donec aliam pulchriorem invenero, non potest apponere conditionem, quæ eò usque Matrimonium suspendat: sed potiùs intendit illam apponere, ut pro tunc dissolvat. Si verò diceret, Contraho tecum, si non invenero pulchriorem, intendens per certũ tempus, v.g. per annum talem quærere, & si non invenerit, illam pro tunc habere in uxorem; conditio quidem esset suspensiva, sed non contra perpetuitatem Matrimonii, utpote non importans dissolutionem contracti, sed dilationem perficiendi sub conditione contingenti.

Petes: An validum sit initum sub conditione, quòd conjuges, non ecnebuntur reddere debitum, seu quòd vivent in perpetua virginitate? Resp. Aff. cum *Vasquez, Præpositо* & pluribus aliis contra *Sanchez l. 5. d. 10. n. 2.* & multos alios. Ratio est: quia sicut potest vendi dominium agri retento usufructu, seu absque proximo jure ad usum agri, sic non apparet, cur nequeat tradi dominium in mutua corpora per Matrimoniũ sine proximo jure ad debitum exigendum. Confirmatur I: quia Matrimonio jam inito, ac retento vinculo conjugali, possunt conjuges ex mutuo consensu renuntiare juri ad debitum conjugale, sive per votum continentiæ, sive per separationem perpetuam, sive per aliud pactum: ergo pariter à principio sic poterat Matrimonium iniri, ut acquireretur idem dominium in mutua corpora & impediretur ejus usus. Confirmatur II. quia quando duo pacta sic se habent, ut unum alteri superveniens illud non destruat seu tollat, tunc etiam possunt iniri simul: atqui hoc contingit in præsenti, ut patet: ergo &c.

37. *Obligatio reddendi debitum potest per pactum pravium excludi.*

Dices: Hæc conditio repugnat bonis Matrimonii, cùm sit quædam evitatio generationis prolis, quæ c. *Fin. cit.* recensetur inter ea quæ repugnant substantiæ Matrimonii. Resp. Neg. Ass. Ad caput cit. dico illud intelligi de evitatione positiva prolis, quæ scilicet fiat impediendo generationem, & tamen habendo copulam.

38. *Satisfit objectionibus.*

Instabis: Etiam facultas petendi, adeoq; obligatio reddendi debitum est de substantia Matrimonii arg. c. *Fin. de Condit. appositi.* Resp. huic non repugnat pactum præfatum: nam obligatio reddendi debitum absoluta non est de substantia Matrimonii, sed ad summum conditionata, si videlicet lex, pactum, votum, aut gravissima incommoda non interveniant. Debet proinde solùm

adesse

adesse intentio reddendi, quando erit obligatus; obligatus autem non est, quando obligatio, sive prævie, sive de post tollitur, quæ aliàs vi juris in corpus inesset.

Matrimonium Deiparæ qui cum voto virginitatis consistere potuerit.

Juxta hanc opinionem posset intelligi quomodo B. Virgo cum Josepho potuerit contrahere Matrimonium salvo voto continentiæ, scilicet adjiciendo pactum de mutua continentia. Deinde potuisset B. Virgo id facere, quia divinitùs erat edocta virginitatem suam nihil nocumenti à sponso passuram. Vide dicta *Tract. de Incarnat. d.* 4. *q.* 1. §. 4.

QUÆSTIO VI.

Qualiter instauretur Matrimonium defectu consensûs invalidum?

An convalescat Matrimonium ratione cõsensûs metu extorti invalidum per copulam,

39. MATRIMONIUM interdum est invalidum defectu solius legitimi consensûs, quando nimirum hic præstatur fictè vel ex metu injustè ad hoc incusso, aut quando revocatur ante initum contractum. Et quidem quando consensus fuit invalidus propter metum, clarum est non convalescere Matrimonium per subsequentem copulam, si hæc sequatur affectu fornicario. Immo nec si subsequatur affectu quidem maritali, sed ex eodem vel simili metu (quidquid Nonnulli dixerint) quia permissio copulæ, quæ deberet censeri consensus in Matrimonium, etiam metu extorta, adeoque insufficiens est. Si autem copula subsequatur affectu maritali & omnino liberè, alterquè adhuc perseveret in pristino consensu, seclusâ lege *Tridentini* convalescit matrimonium: quia ad valorem tantùm desiderabatur consensus liber metum passi; talis autem hîc præstatur: ut patet ex c. *Is qui, de Sponsi.* Verùm in casu metûs notorii id post *Tridentinum* non subsistit ob defectum præsentiæ Parochi & testium, prout copula occultè exercetur. An autem sufficiat in casu metûs occulti, dicetur *disp.* 5. *quæst.* 3. Saltem requiritur, ut ratificans Matrimonium sciat priùs contractum esse nullum, aut saltem de eo dubitet, vel certè consensum de præsenti adhibeat, quo velit contrahere, esto prior contractus non valuisset.

Vel per subsequens juramentum:

40. Deinde Matrimonium ratione metûs invalidum non convalescere per accedens juramentum, expresè deciditur c. *Significavit*, *De eo qui duxit in Matrimonium.* Ratio est: quia juramentum non liberat consensum præcedentem à metu; ergo per illud non convalescit Matrimonium metu initum, ideoque invalidum. Immo ex tali juramento nullam oriri obligationem, etiam religionis erga Deum, ad Matrimonium illud confirmandum, docet *Præpositus q.* 3. *dub.* 12. & plures alii. Nam juramentum sequi solet naturam & conditionem actûs cui apponitur. Unde c. *Significavit* jubetur manere cum secundâ, non obstante quòd priùs cum altera metu gravi inductus contraxisset, & contractum juramento firmasset. Nec fit mentio præviæ absolutionis & pœnitentiæ, quam injungere solet Pontifex iis qui fidem fallunt, uti patet in c. *Sicut* 22. *de Sponsal.* ut signum sit, juramentum non tenuisse propter defectum consensûs, quem non supplet juramentum. Denique saltem potest Episcopus in hujusmodi juramento, esto valeret, dispensare.

An hinc saltem oriatur obligatio religionis erga Deum,

Tertiò, quando consensus internus defuit, sive ob illius internam fictionem, sive ob retractationem, sive ob coactionem, certum est adhiberi debere novum & liberum consensum, sine quo nimirum essentia Matrimonii non subsistit. Ergo consequenter si utrimquè defuerit, debet utrimque suppleri. At quando defectus fuit ex parte unius tantùm, adhuc Nonnulli recentiores, inter quos *Basilius Pontius*, *Paulus Comitolus*, *Alicus*, existimant debere consensum utrimquè renovari. Quod etiam respondisse *Clementem VIII.* ex litteris *Stephani Tuccii* refert *Paulus Comitolus l.* 1. *Resp. Moral. q.* 120. Sed de hoc responso non constat authenticè. Nec datum fuit, nisi tamquam à Doctore privato, sequente quod tutius erat; non præjudicante oppositæ sententiæ, quæ est communis. Alioquin in eodem responso etiam requiritur, ut compars moneatur de Matrimonii nullitate; quod tamen non semper est necessarium, ut *Disp.* 6. *q.* 3. *n.* 33. dicetur. Similiter requiritur ibi adhibito nova Parochi & testium, cujus tamen oppositum declaraverat *Pius V.* in casu defectûs occulti; de quo *disp.* 5. *q.* 3.

Itaque *D. Thomas*, *D. Bonaventura*, *Richardus*, *Paludanus*, *Gabriel*, *Angelus*, *Silvester*, *Petrus à Soto*, *Navarrus*, *Henriquez*, *Sanchez*, *Coninck* & alii passim censent tali casu sufficere, ut consensus supplectur ex parte unius tantùm, modò alter, qui verè consenserat, suum consensum non revocaverit. Ratio est: quia compars præstitit legitimum consensum circa materiam habilem, in eoque habitualiter perseverat: immo vi illius possessione alterius compartis tamquam rei suæ: ergo sufficit accedere consensum alterius, qui defuit. Unde simili ratione emptio v. g. domûs invalida ob defectum interni consensûs ex una parte, hoc solo accedente convalescit: similiter professio defectu interni consensûs in professione irrita ratificatur solo ejusdem consensu, etsi non accedat novus consensus Prælati vel Capituli.

42. Quare falsum est, consensum contrahentium tantùm ferri in valorem Matrimonii pro tempore præsenti, non autem pro futuro, si in præsenti non subsistat: simpliciter enim fertur in tempus præsens cum perseve-

severantia usque in finem, seu donec revocetur: uti non revocatur in casu quo is; cùm contrahens vi illius accipiat possessionem corporis alterius, & in ea perseveret. Nec refert, quòd si ei constaret interna fictio compartis, statim revocaret consensum: nam cùm de facto ab eo ignoretur, non alteratur inde ejus consensus. Plùraque rumque sunt, quæ si scirentur, non præberetur consensus; & tamen simpliciter præbetur, dùm nesciuntur. Neque opartet facilè admittere tacitas conditiones contractu matrimoniali, ne seges divortiorum etiam quoad vinculum conjugii nimiùm accrescat. Multùm porrò facit, quòd in præsenti ea sit communis interpretatio consensûs contrahentium. Nec sanè dubitandum est, quin in tali ratione etiam explicitè præstari possit. Tunc autem non requireretur novus consensus ex parte illius, qui priùs verè consenserat. Quo proinde casu etiam ab aliis Auctoribus admitti debet exceptio in responso *Clementis VIII.* Denique satis patet aliam rationem esse, quando fictio consensûs est in matrimonio (idem est de aliis contractibus) interior; aliam, quando est exterior, & nota comparti, vel huic constat alium deficere in adimpletione contractûs: hoc enim casu apertè retractatur consensus; secùs in altero casu, quo consensus & contractus utrimque, quantùm humanitùs cognosci potest, tempore debito impletur, & executioni perseverander mandatur.

43. *An consensus supplendus debeat de novo exprimi per signum externum.*

Postremò dubitatur, an consensus denuò adhibendus, necessariò sit exteriùs exprimendus eo modo, quo cognosci possit esse maritalem, an verò sufficiat, eum interiùs suppleri. Cùm enim ab initio fuerit sufficiens expressio, videtur sufficere, quòd suppleatur defectus interior per novum consensum, qui cum signo exteriori præcedenti coalescat in unum perfectum consensum sensibilem, sicut coalesceret, si consensus fuisset prævius. Ita sentiunt Varii. Qui consequenter idem sentire debent de casu, quo utrimque fuerat fictio merè interior. Difficultas tamen est, quòd signum debeat esse expressivum consensûs interni; non exprimatur autem consensus diu subsequens per signum præteritum. Unde plures Recentiores exigunt novum signum sufficienter expressivum novi consensûs. Ad quod nihilominus sufficere videtur ipse usus & possessio conjugis tamquam sui; sive quodcumque signum vel actus, quo alterum tamquam conjugem tractet & habeat. Quare sufficiet ipsa copula habita affectu conjugali seu animo invicem habendi perpetuò in conjuges. An autem renovatio consensûs fieri debeat coram parocho, & testibus, patebit infrà *disp. 5. quæst. 3.*

DISPUTATIO QUARTA.

De Indissolubilitate & Unitate Matrimonii.

QUÆSTIO I.

An & Qualiter indissolubile sit Matrimonium ratum?

1. QUAMVIS apud omnes certum sit Matrimonium esse aliquâ ratione indissolubile, etiamsi tantùm sit ratum, propriâ saltem contrahentium auctoritate, ideoque ipsum definiatur esse conjunctio maritalis viri & fœminæ individuâ seu indissolubilem vitæ societatem retinens: controversum tamen est, undè hæc indissolubilitas oriatur, cujusve potestati subsit dissolvere matrimonium ratum. In primis autem *Sanchez lib. 2. d. 13. n. 10.* cum aliis censet, attentâ naturâ contractûs non apparere, cur, sicut alii, non posset contrahentium voluntate dissolvi, dum nulli facerent injuriam: nam per quas causas res nascitur, per easdem dissolvitur §. *fin. Instit. Quibus modis obligatio tollatur.* Adjunctâ tamen divinâ institutione factum esse ita indissolubile, ut nequeat sic dissolvi quacumque ex causa, sed bene ex auctoritate superioris. Verùm plerique alii volunt Matrimonium ratum esse indissolubile ex natura sua, auctoritate propriâ contrahentium. Qui rursus sunt divisi inter se: *Covarruvias* enim, *Corduba*, *Pontius* & plures alii censent sic esse ex natura sua indissolubile, ut nec Pontifex in eo dispensare possit: *Coninck* verò *Lessius* & plures alii censent posse solvi auctoritate, tum divinâ, tum humanâ pontificiâ.

Denique multi Canonistæ, & *Angelus*, *Silvester*, *Rosella* apud *Aversa q. 2. sect. 6.* (& probabile reputat *Sanchez l. 2. d. 15. concl. 1.*) totam indissolubilitatem matrimonii rati referunt in jus pontificium, ut proinde valide etiam sine causa sit dissolubile à Pontifice: eò quòd auctoritas & ratio altiorem indissolubilitatem non persuadeant, nisi de matrimonio consummato, adeoque ad ratum non debeant extendi: præsertim cùm constet hoc professione aut aliâ Ecclesiasticâ dispositione dissolvi.

2. *Idq; jure divino.*

Verùm absolutè asserendum omnino est matrimonium etiam solùm ratum esse indissolubile jure divino. Id enim satis colligitur ex *Tridentino sess. 24. in doctrina de Sacram.*

cram. Matrim. ubi de ipso contractu matrimoniali loquens dicit; *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum esse.* De quo etiam juxta *Tridentinum* Adam divino instinctu dixit *Genes. 2. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem &c.* Ejusdem quoque nexûs firmitatem juxta *Tridentinum* Christus confirmavit *Matth. 19. Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Plura vide apud *Basilium Pontium l. 1. de Matrim. c. 13.*

3. *De facto tamen solvitur, per solemnem professionem,*

Certum præterea est Matrimonium ratum non consummatum de facto solvi per solemnem professionem factam ab alterutro conjugum. Ita sub anathemate definit *Tridentinum sess. 24. can. 6.* Idipsum deciditur ab *Alexandro III. c. Verum* & c. *Ex publico*, & ab *Innocentio III. c. Ex parte, de Convers. conjug.* & à *Joanne XXII. Extravag. Antiquæ.* Secus est, si quis tantùm voveat continentiam in sæculo, etiam in manibus Episcopi; ut patet ex c. *Ex parte*: aut si tantùm suscipiat Ordinem sacrum, ut declarat *Joannes XXII. Extrav. cit.*

4. *Quantumvis diu contractum.*

Ex his colligitur, qualecumque tempus post initum Matrimonium interceserit, posse conjugem intrare Religionem, quamdiu non fuerit consummatum. Immo c. *Ex publico cit.* conceditur (præsertim accedente consensu Doctorum Canonem sic explicantium) conjugi meditanti Religionem bimestre ad deliberandum; quo proinde tempore non tenetur reddere debitum. Quòd si vi aut metu opprimatur, Matrimonium quidem consummatur, nec per professionem solvitur, potest nihilominus Religionem intrare; cùm per alterius injuriam jure suo privari non potuerit: qui proindè debet sibi imputare, quòd tunc debeat incælibatu permanere.

Permittitur conjugatis bimestre ad deliberandum:

Citiùs per vim cõsummatum non adimit libertatem profitendi,

Nec obstat, quòd Christus *Matth. 19.* dicat: *Quicumque dimiserit uxorem suam &c.* quia non comprehenditur præsens casus: eò quòd sermo sit de Matrimonio consummato, per quod facti sunt duo in carne una, ut colligitur ex c. *Ex publico, &c.* Aut certè à Christo hunc casum, si aliàs foret comprehensus, esse exceptum, sensus Ecclesiæ manifestat.

Etsi per professionem non possit dissolvi.

Dixi, *Ratum non consummatum*: certum enim est apud omnes, Matrimonium consummatum per nullam professionem solvi. Unde si conjuges fideles mutuo consensu professi postea se invicem cognoscerent, non fornicarentur, sed tantùm committerent sacrilegium.

5. *Ratum per illam dissolvitur jure divino positivo,*

Est autem controversia inter Doctores, quo jure professio religiosa & solemnis solvat matrimonium ratum? In qua *Scotus dist. 31. num. 7. & 8. Covarruvias, Pontius, Sanchez l. 2. d. 19. num. 3.* & plures, quos citat, existimant, ipsam dirimere Matrimonium jure divino positivo. Probatur: quia in primis professio non solvit illud jure naturæ,

Non autem jure naturæ,

ut Varii, signanter *Bellarminus l. 2. de Monachis c. 28.* (cui sanè hæc via non erat necessaria, utpote admittenti dispensationem papalem circa Matrimonium ratum) existimarunt: eò quòd professio religiosa non repugnet vinculo matrimoniali; ut patet, quando conjuges post matrimonium consummatum mutuo consensu profitentur Religionem. Deinde Matrimonium non solvitur per votum simplex; quod tamen à solemni ex naturâ suâ non differt, sed tantùm ex constitutione Ecclesiæ.

Nec obstat, quòd per professionem Religionis constituatur conjux in statu perfectiori: quia in tali etiam constituitur per susceptionem Ordinis sacri, item per vota simplicia post biennium emissa in Societate Jesu, per quæ tamen non solvitur matrimonium contractum.

Nec obstat etiam, quòd per professionem conjux se obliget Religioni tamquam per traditionem perfectiorem: quia similiter se obligat, quando consummato Matrimonio profitetur; vel quando mancipium professum, & tamen non solvitur tale matrimonium aut servitus.

Secundò non potest dici cum *Lesio l. 2. de Justitia c. 41. dubitat. 8. Coninck, Præposito* & *Ana* alii, quòd professio solvat Matrimonium ratum jure pontificio: quia nullibi extat jus, quod primò hoc statuat; sed Pontifices potiùs supponunt & declarant tale Matrimonium per professionem solvi; utique ex jure aliquo altiori. Deinde insolubilitas hujus matrimonii est juris naturalis vel certè divini, in quo Pontifex non potest dispensare; uti generaliter nequit inferior in lege superioris, nisi specialiter ei sit concessum (ut patet ex materia de Legibus) qualiter non invenitur concessa Pontifici facultas dispensandi in jure divino aut naturali.

Dices I. Solemnitas est ex institutione Ecclesiæ; ut patet ex *c. unic. de Voto in Sexto* 6. ergo votum solemne non magis solvit jure divino matrimonium ratum, quàm votum simplex. Resp. Neg. Cons. Nam sicut Ecclesia per votum, annexam habens solemnitatem à se institutam, dissolvit nihilominus juxta alios vinculum Matrimonii rati ex speciali concessione sive facultate à Christo facta: sic pari facilitate dicitur, Ecclesiam illud non dissolvere, sed Christum; dependenter tamen à solemnitate voti per Ecclesiam instituenda, idque ipsi Ecclesiæ revelare.

Dices II. Jus divinum à tempore Christi mansit invariatum: atqui olim solvebatur Matrimonium etiam per vota simplicia (ut multi colligunt ex facto SS. Alexii, Macarii & aliorum) idque jure Ecclesiastico: ergo eodem jure solvit illud professio solemnis. Resp. Neg. Min. Ad exempla Sanctorum dico, illos deseruisse suam compartem ex speciali impulsu Spiritus sancti, ut asserit *Innocentius III. c. Ex parte cit.*

sive

sive ejusmodi Matrimonium speciali privilegio solutum fuerit, sive non.

Ulteriùs hic quæri solet, an extra casum professionis solemnis posset Pontifex justa de causa dispensare in Matrimonio rato, sic ut uterque conjux possit inire aliud Matrimonium? Resp. Neg. cum Theologis passim, contra plures, tum Juristas, tum Theologos, quos sequitur *Sanchez d. 14. num. 2.* Ratio est, quòd tale Matrimonium sit insolubile jure naturæ vel divino, adeòque à solo Deo solvi possit. Alioquin cur similiter non posset Pontifex dispensare in Matrimonio consummatò, aliisque præceptis divinis aut naturalibus?

Nec obstat, quòd varii Pontifices referantur dispensasse in Matrimonio rato; ut de *Martino V.* & *Eugenio IV.* refert *Antoninus*: de *Paulo III. Navarrus*: de *Gregorio XIII. Henriquez* qui *lib. 11. de Matrimonio cap. 8. num. 11.* dicit eum unâ die cum undecim dispensasse. Vide *Sanchez jup.* & alios.

Non obstat, inquam: quia etiam plures Pontifices (ut *Innocentius VIII. Adrianus VI. Pius V.* teste *Petro de Ledesma de Matrim. cap. 33.*) hujusmodi dispensationes negarunt, existimantes se dispensare non posse. Alii autem Pontifices dispensarunt, secuti in praxi contrariam opinionem, ob gravia mala & animarum pericula, meliùs existimantes sequi opinionem probabilem, quàm malis istis non obviare, neque animabus succurrere.

Ex praxi nihilominus oppositâ variorum Pontificum sit opinio contraria valdè probabilis. Potuit enim Deus, cui plenè subditur Matrimonii dissolutio, dedisse, & ex posteriori intelligitur de facto dedisse Pontifici specialem auctoritatem illud dissolvendi, esto jure divino indissolubile, uti dedit facultatem dispensandi in votis. Etiam idipsum suadetur ex eo, quòd potestas ista favorabilis non videatur restringenda ad casum solemnis professionis. Ad quod tamen respondèrent Auctores alii, etiam tunc dissolvi, non à Papa, sed à Christo. Quòd autem in votis à Papa dispensari possit, docere fidem. Etsi id non fiat dispensando propriè in lege divina, sed nomine Dei condonando vota, sive jus ex eis Deo acquisitum.

Requiritur tamen consequenter loquendo in hac posteriori opinione *Sanchez* ad dissolvendum matrimonium ratum justa causa, non tantùm ut licitè fiat, sed supposito quòd ipsum sit indissolubile jure divino aut naturali, etiam ut validè: sicut requiritur ad relaxandum vota. Justæ porrò causæ possent esse, primò impotentia consummandi superveniens matrimonio contracto; quæ si fuisset antea, habuisset vim impedimenti dirimentis quoad valorem. Secundò, morbus perpetuus superveniens alteri conjugum, ita ut non possent simul commisceri absque periculo & contagio alterius. Tertiò, magna inæqualitas inter virum & feminam, aut periculum magni scandali vel damni inter conjunctos, aut perpetuæ discordiæ inter ipsos conjuges, aliæve similes. Quod si etiam causa proportionata adesset, posset Pontifex consequenter loquendo in hac sententia non solùm in casu particulari; sed etiam per legem seu statutum dissolvere matrimonium ratum v. g. ob susceptionem Ordinis sacri, votum simplex emissum in Societate Jesu &c. etsi de facto tale quid statutum non sit.

An consequenter id posset Ecclesia non solùm in speciali casu, sed etiam per legem.

QUÆSTIO II.

An & qualiter indissolubile sit Matrimonium consummatum?

MATRIMONIUM consummatum etiam fidelium esse dissolubile quoad vinculum ob adulterium compartis, adeòque ob illud posse innocentem transire ad secundas nuptias, docent Græci Schismatici: nec non *Lutherus*, *Calvinus* & alii Sectarii recentiores. Quibus præluserat *Erasmus in annot. ad. 1. Cor. 7.* fusè id ipsum probans. Inclinat etiam *Cajetanus* & *Catharinus*. Quàmvis hi tres judicium suum submittant Ecclesiæ. *Lutherus* insuper pro sufficienti causa dissolvendi matrimonium allegat molestam cohabitationem ob frequentes rixas, item diuturnam absentiam, vel quòd pertrahat conjux conjugem ad peccatum. Hunc impudentiâ superans *Bucerus* ait, posse solvi, quoties uxor se non præbet commodam viro, aut contrà: quacumque videlicet de causa invicem displiceant. Quare ita faciliùs posset dissolvi, quàm civiles contractus; qui utique ob solam malitiam alterutrius contrahentium non dirimuntur. Vide *Bellarm. l. de Matrim. c. 15.*

II. *Errores circa præsentem quæstionem.*

Sed contra hos errores definit *Trid. sess. 24. can. 5. propter hæresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge dissolvi non posse matrimonii vinculum.* Et *can. 7.* definit: *si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit & docet, iuxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœchariique eum, qui dimissa adulterâ aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.* Ita porro temperatus Canon (qui alioquin absolute formatus erat) ad postulationem Oratorum Venetorum, ne claro anathemate percuterentur Græci sub suis Præsulibus Romanæ sedi parentibus suo more in ditionibus Reipublicæ degentes, apud quos in vetustissimo more positum,

12. *Veritas Catholica à Tridentino definita docet Matrimonium consummatum ne quidem per adulterium esse dissolubile.*

tum, ut dimissâ adulterâ ducatur alia. Apparebat enim cuipiam, formulâ hujusmodi doctrinam oppositam exadere notam hæresis, quasi anathema solùm caderet super temerarios doctrinæ Ecclesiasticæ, optimis fundamentis rixæ, vituperatores, esto ipsa non tamquam expressum dogma fidei traderetur. Vide *Palavicinum l. 22. c. 4. n. 27. & seqq. Qui n. 29.* addit *Andream Cuestæ* Episcopum Legionensem repugnasse, asserendo hanc veritatem esse certam & firmatam in *Synodo Milevitana, in Sexta Oecumenica*, & in *Florentina*, adducendoque è Græcis *Clementem Alexandrinum* ac *Basilium*; complures eorum, qui adducebantur, alio sensu locutos fuisse, eorum dictis expensis, palam faciendo. Verùm plura suffragia jam consenserant, quamvis si *Cuestæ* locus loquendi inter primos obtigisset, tantùm ab eo numerum assectarum pertractum iri censuerit *Palavicinus*, quantus ad refellendam petitionem satisfuisset. Et revera error contrarius satis adhuc percutitur Canone, prout dispositus mansit. Præterea *Tridentinum in doctrina de Sacramento matrimonii* præmiserat: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Et postea de Christo loquens ait: *Ejusdem nexûs firmitatem ab Adamo tanto antè pronuntiatam, his verbis confirmavit* (quæ habentur *Matth.* 19.) *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Quod Christus dixit respondens ad petitionem Pharisæorum quærentium: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?*

13. *Probatur ex Scriptura,*

Itaque probatur veritas Catholica ex loco cit. *gen.* 2. & per Christum allegato, & cum quadam declaratione confirmato *Matth.* 19.

Probatur II. ex Apostolo *ad Rom.* 7. ubi dicitur solâ morte alterius conjugis solvi vinculum matrimoniale, & conjugem superstitem tunc demum solvi à lege viri ac restitui libertati, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Et 1. *ad Cor.* 7. ait: *iis qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Et infrà: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quòd si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat.* Unde *Augustinus l. 2. de Adult. conjug. c.* 4. meritò ait: *Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desiverit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licitè itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis.* *Augustino,*

Eadem verba Apostoli explicando pulchrè prosequitur *Chrysostomus serm. de libello repudii*, ubi inter cetera ait: *Quando igitur licebit illi secundas nuptias contrahere? Quando? tunc ubi à cæna liberata fuerit, quando vir morietur solùm. Chrysostomo* consonat *Basilius l. de vera virginitate post medium* dicens: *Non audis, quoniam qui dimissam duxerit, mœchatur. Etsi enim, inquit, pro culpa dimissa est, vivit tamen vir ejus. Quid ergo dimissam perturbas? Cur illi spatium non das, ut & de his agat pœnitentiam, quorum gratiâ dimissa est? Et vir. à se dimissæ pœnam emendationemque miseratus ad se rursus proprium revocet membrum? Quid emendandi se spatium præripis, vivente viro sic dimissam ducens? Permitte, inquit, aut ad viventem virum remeare meliorem factam mulierem: aut certè cùm neque vidua, neque uxor sit, pro remissione culpæ quâ peccavit in virum, semper pœnas dare. Tu cur antequam peccatum suum, pro quo dimissa est, planè intelligere possit, eam ad conjugium rapiens, impudentiorem ad scelera deinceps facis? Nempe vivente viro alienam adulteras conjugem.* Eamdem veritatem Catholicam tradit *Ambrosius l. 1. de Abrahâm c. 4. & 7. & l. 8. In Lucam c. 1.* Item *Hieronymus in Epist. ad Amandum*, & in *Epist. ad Oceanum de obitu Fabiolæ*. Et *Concilium Milevitanum can.* 17. qui est 69. inter Canones diversorum Conciliorum Provinciæ Africanæ, & à Græcis numeratur 105. inter Canones Conciliorum Carthaginensium. Plures alias auctoritates ex variis sæculis allegat *Bellarminus de Matr. c. 6.*

Objicitur illud Christi *Matth.* 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur &c.* ergo qui id facit ob fornicationem, non mœchatur; & consequenter ob illam causam solvi potest prius matrimonium. Resp. Neg. priorem Cons. Verba Christi variè explicantur: nulla tamen expositionum favet Hæreticis. Primò dici potest, particulam, *nisi*, non sumi exceptivè, sed simpliciter præcisivè; quasi dixerit Christus: Quicumque dimiserit uxorem non fornicantem, seu (ut habet *Versio Syriaca*) non adulteram, seu (ut habet *Versio Græca*) non ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Cui consonat expositio *Augustini* & plurium aliorum, dicentium Christum fuisse locutum præcisivè, sive non voluisse asserere, quòd ob fornicationem liceat solvere vinculum, sed quod ex nulla alia causâ id liceat, præscindens, an ob fornicationem id liceat, an non: idque quia Pharisæi, quibus respondebat non erant hujus veritatis capaces. Secundò in priori parte potest subintelligi, ly *Mœchatur*, hoc modo: Quicumque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, etiam & à toro, mœchatur (scilicet quatenus occasionaliter eam mœchari facit) & si aliam duxerit, etiam mœchatur. Denique explicari potest hoc modo: Quicumque dimiserit uxorem suam, quod

quod non licet etiam quoad cohabitationem & torum, nisi ob fornicationem, & etiam duxerit, quacumque videlicet de causa, mœchatur.

Porrò sensum, quem prætendunt Hæretici non subsistere, patet: tum quia *Marci* 10. Christus absque ulla exceptione dixit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Tum quia in Evangelio absolutè dicitur: *Qui dimissam duxerit mœchatur*; quod esset fore falsum, si vinculum prioris matrimonii per talem dimissionem solveretur. Tum quia Apostolus 1. *ad Cor.* 7. uxorem adulteri jubet manere innuptam, aut reconciliari viro suo.

Objiciuntur II. varii Canones; ut c. *Si qua mulier* 31. *quæst.* 1. ubi dicitur: *Potest ipsam uxorem*, quam deprehenderat sibi machinatam fuisse mortem, *dimittere, & si voluerit, aliam ducere.* Et c. *Vxor à viro* 32. *q.* 7. de adulterii casu dicitur: *Viro licet ducere aliam.* Et c. *Quod proposuisti, eod. tit.* datur facultas nubendi viro patienti periculum incontinentiæ, cui uxor non potest reddere debitum. Denique in *Concilio Arelatensi I. can.* 10. datur solùm consilium, ne conjugibus suis adulteris viventibus alias accipiant. Resp. textum c. *Si qua mulier* esse corruptum, & ita legendum: *Potest ipse post mortem uxoris, si voluerit, aliam ducere.* Quod è contra negatur uxori ibidem in pœnam criminis. Similiter in c. *Vxor à viro*, quod est desumptum ex Commentario adscripto *S. Ambrosio in* 1. *ad Cor.* 7. verba ista sunt à falsatoribus inserta, vel sanè subintelligendum est ly, *Post mortem uxoris*; ut notat *Glossa.* In c. *Quod proposuisti* est sermo vel de matre solùm desponsata, vel de nupta quidem, sed quæ habebat impotentem ante cognitionem, etsi post conjugium demum detectam. *Concilium Arelatense* denique dat monitionem de re debita, vel consilium ponit pro præcepto.

Sed dubium est, an insolubilitas matrimonii saltem consummati oriatur ex jure naturæ, ut multi volunt, an ex jure divino positivo, ut alii: an denique ex utroque, ut *Sanchez, Coninck* & plures alii. Dico autem cum his Doctoribus omnimodam insolubilitatem matrimonii fundari inchoativè in jure naturæ, & completivè in jure divino positivo. Nam in primis aliqua insolubilitas matrimonii, saltem consummati, de quo potissimùm controvertitur, satis fundatur in illo jure naturæ, quo prohibentur vagi concubitus inter viros & feminas, aut communicatio uxorum inter viros; quæ alioquin foret licita, per continuam dissolutionem & contractionem matrimonii: utrumque autem ex se contrariatur rectæ susceptioni & educationi prolis; ad quam proinde aliqua insolubilitas matrimonii est necessaria. Omnimoda tamen insolubilitas insufficienter in eo solo fundatur: cùm absolutè sufficere potuisset, ut numquam liceret dissolutio facta propriâ contrahentium auctoritate, aut saltem non nisi in his vel illis circumstantiis, v. g. sterilitatis, aut supervenientis uni conjugum impotentiæ &c. Unde etsi illa omnimoda insolubilitas summoperè conducat ad sobolem bene educandam, & fovendum mutuum amorem, auxiliumque in rebus domesticis; adeoque sit inchoativè de jure naturæ, oportuit tamen illam stabilire per aliquam legem positivam.

Hanc porrò legem fuisse a Deo latam in principio mundi, Probatur, & simul secunda pars nostræ opinionis: quia *Gen.* 2. Deus per os Adami tamquam præconis (ut loquitur *Scotus dist.* 26. *num.* 10.) dixit: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Quæ verba sic intellexit *Tridentinum*, immo ipse Christus *Matth.* 19. ubi eadem verba allegans, indissolubilitatem matrimonii renovat, libellumque repudii abrogat, dicens: *Ab initio autem non fuit sic.*

Nihilominus tantæ Matrimonii indissolubilitati non obstat, quin Deus tamquam supremus omnium Dominus possit illud in certis casibus dissolvere, permittendo mala quæ inde oriri possent. Quàmvis de facto nullo omnino casu dissolvi Matrimonium Fidelium consummatum, sit apud omnes Catholicos in confesso. Duplici proinde casu solùm habet locum dissolutio Matrimonii consummati, scilicet in lege Mosaica per libellum repudii quoad matrimonia Judæorum, & in Lege nova quandoque quoad Matrimonium infidelium, uno conjuge converso ad fidem.

18. *Subest dissolutio illius potestati divinæ.*

Quæ ipsum solvitur duplici casu.

Quod ad primum attinet *Deuter.* 24. dicitur: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit &c.* Quæ verba Doctores communiùs (quibus favet *Scotus dist.* 33. *num.* 4. & *seq.*) sic intelligunt, ut per hunc libellum fuerit solutum ipsum Matrimonii vinculum. Quæ explicatio probatur: quia Deus potuit hoc concedere; quòd autem de facto viris id concesserit, patet ex absoluta locutione Scripturæ relatæ, cujus verba adeò sunt clara, ut clarioribus uti non potuisset; si voluisset Deus concedere rem tamquam licitam. Et sanè non debuisset illud alioquin ex proposito & verbis tam planis inseri ipsi legi: sic enim maxima fuisset data occasio peccandi, & verba in plano sensu intelligendi. Quare etiam populus hoc servabat absque timore peccati, aut reprehensione Prophetarum. Confirmatur: quia mulier sic repudiata poterat inire aliud Matrimonium, ut apertè indicatur in *Deuteronomio supra*:

19. *Primò in veteri lege per libellum repudii,*

Per quem solvebatur ipsum vinculum conjugale.

ergo priùs matrimonium erat solutum. Deinde si nupserat alteri, hoc mortuo, vel ab eodem repudiata, non poterat à priori marito recipi in uxorem, ut ibidem dicitur; quod tamen potiùs consulendum videretur, si prius matrimonium non fuisset solutum. Denique sic potest intelligi Scriptura, & consonat textui, Gentis Judaicæ fragilitati, ac sensui communiori Doctorum; ergo sic intelligi debet; cùm aliundè nil obstet, quod prævaleat aut æquivaleat.

Neque hoc mirum videri debet: quia sicut Deus olim dispensavit in polygamia; sic potuit dispensasse cum ista Gente in insolubilitate matrimonii ad evitandum majus malum, scilicet uxoricidia &c.

20. *Etsi multi contrarium opinentur.*

Contrarium docent multi Theologi & Interpretes, existimantes Matrimonium per repudium non fuisse solutum, neque etiam repudium licuisse, sed tantùm fuisse permissum tamquam minus malum ad vitanda majora mala. Pro quibus

Quorum argumenta dissolvuntur.

Dices I. Moyses (teste Christo *Matth.* 19.) permisit repudium ad duritiam cordis Judæorum; *Ab initio autem non fuit sic*, ut Christus subdit. Resp. Moyses permisit, id est, nomine Dei concessit, ut liceret, quod ab initio non licebat: idque occasione sumptâ ex duritia cordis Judæorum, ne ex ea majora mala orirerentur: quàmvis positivè non approbaverit, desiderans potiùs fieri contrarium.

Dices II. *Malachiæ* 2. dicitur: *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israël; operiet autem iniquitas vestimentum ejus*: ergo non fuit licitum dimittere uxorem. Resp. Neg. Cons. quia (omissis variis lectionibus & explicationibus hujus loci, quas vide apud Interpretes) videntur illo loco solùm reprehendi, qui sine justa causa uxores repudiabant ex solo odio, vel impudico aliarum affectu.

21. *Secundò per hoc quòd infidelis conversus ad fidē post Baptismū ineat novum matrimonium, si compars obstinata nolit cohabitare pacifice.*

Ad secundum casum quod attinet, certum est apud omnes, conjugem conversum ab infidelitate posse dissolvere prius Matrimonium, etiam consummatum, per hoc, quòd contrahat novum, si alter in infidelitate obstinatus nolit cohabitare, aut saltem non nisi cum injuria divini nominis, vel scandalo, conando videlicet fidelem pertrahere ad pristinam infidelitatem, aliudve mortale peccatum. Ita expressè decidit ab *Innocentio III.* c. *Quanto*, & c. *Gaudemus*, *de Divortiis*. Et colligitur ex Apostolo 1. *ad Cor.* 7. ubi ait: *Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Id est, juxta interpretationem Pontificis & sensum Ecclesiæ, frater aut soror fidelis non subjicitur servituti & ligamini prioris conjugii, sed potest illud deserere, & aliud novum conjugium inire.

Nec obstat, quòd Christus *Matth.* 19. renovaverit insolubilitatem Matrimonii: nam quòd per privilegium exceperit hunc casum in gratiam fidei & religionis, testatur Apostolus suprà, & tradit Ecclesia. Idque congruè fecit, ne infideles per conversionem ad fidem cogerentur ducere vitam cœlibem, ad quam tamen Christus neminem voluit obligare, aut timore hujus incommodi à susceptione fidei deterrerentur.

Non obstat etiam, quòd Matrimonium non possit solvi, quantumvis alter conjugum revertatur ad gentilitatis errorem, ut patet ex c. *Quanto cit.* nam Christus hoc non concessit; prout constat ipsum concessisse aliud

Dixi Matrimonium posse dissolvi per hoc, quòd conversus contrahat novum: non enim præcisè solvitur per ipsam conversionem, sive per Baptismum, ut patet ex c. *Gaudemus cit.* item ex Apostolo suprà, ubi hortatur conjugem conversum, ut maneat cum infideli, si hic consentit ei cohabitare: ad id tamen non hortaretur, si conjugium per ipsam conversionem alterutrius conjugum foret dissolutum. Similiter non solvitur prius Matrimonium per hoc, quòd infidelis ineat novum: quia istud privilegium solùm est concessum in favorem fidelis. Denique non potest dissolvi per aliud medium: cum maneat verum Matrimonium, quousque aliud ineatur ab ipso fideli, juxta c. *Gaudemus cit.* Existimat tamen *Sanchez l. 7. d. 76. n. 9.* cum aliis dissolvi etiam per professionē Religionis approbatæ, sicut per illā dissolvitur Matrimoniū ratum fideliū. Sed de hoc postremo ex fide constat; non constat autem esse concessum, ut per professionem dissolvatur ullum Matrimonium consummatum. Sed ex c. *Gaudemus* non habetur, nisi quòd solvatur ex contracti ne novi Matrimonii per fidelē. Neque etiam ad professionē religiosam tali casu requiritur prioris Matrimonii consummati in infidelitate contracti dissolutio, quæ in solius conjugis fidelis favorē est concessa. Quare infidelis, qui deberet manere cœlebs, imputet id suæ pertinaciæ quā recusat converti. Sanè idem inconveniens sequeretur, si fidelis vellet dare conceps non nubere, aut emitteret simplex votum castitatis, aut susciperet Ordines sacros: nā infidelis pertinax non posset inire novum Matrimonium, sed carere usu conjugii.

Petes, an si fidelis monitus nolit converti, tamen consentiat cohabitare pacificè sine injuria Creatoris aut pertractione ad peccatum, possit equidem fidelis inire aliud Matrimonium, & per hoc prius dissolvere? Negat *D. Thomas*, *D. Bonaventura* & plures alii; eò quòd Apostolus suprà dicat: *Si quis frater uxorem habet infidelem; & hæc consentit habitare cum eo, non dimittat illam &c.* Nihilominus oppositum docent plurimi. Et quidem aliqui censent id esse verum, etiam loquendo de antiquo tempore, quo permittebatur talibus cohabitatio: eò quòd illud Apostoli tantùm videatur esse cōsilii, non præcepti;

cepti; præmittit enim: *Cæteris ego dico, non Dominus*: ergo conjux fidelis poterat liberè ab infideli recedere; etsi Apostolus id non audaceret ob spem conversionis. Ita colligitur ex *August. l. 1. de Adulter. conjug. c. 13. & 18.* Quia autem spes ista hoc tempore est tam exigua, ut spectatis ex alia parte incommodis & periculis fidei minùs æstimãda, idcirco Ecclesia (ut Vasq. notat) amplius non permittit, ut conjux conversus ad fidem cohabitet alteri in infidelitate permanenti. Quare saltè suppositâ hac Ecclesiæ prohibitione, cessandum esset multò probabilius, posse conjugem sic conversum generaliter inire aliud matrimonium, & prius dissolvere, quando compars manet in infidelitate obstinatâ: nam stante hâc prohibitione Ecclesiæ conjux infidelis nolens converti vellet alterũ cohabitare sibi peccandi nosè, sicq; pertraheret ad peccatum; adeoque etiam locum habet decisio *Innocentii III. c. Quanto cit.* Alioquin *A Lapide in 1. ad Cor. 7.* contendit non reperiri legem generalem Ecclesiæ, quâ prohibeatur prætata cohabitatio: etsi *Concilium Toletanum IV.* id prohibeat quoad Judæos. Quo supposito rueret fundamentum mox allegatum, in quantum non existeret prohibitio cohabitandi cũ his, vel illis conjugibus infidelibus.

QUÆSTIO III.

De Vnitate Matrimonii.

DUPLEX considerari posset unitas Matrimonii. Prima, instituendo comparationem ad idem tempus. Eaq; consistit in hoc, quòd Matrimonium debeat esse sic unius cum una, ut non possit idem vir simul habere plures uxores, aut eadem mulier plures viros. Secunda, instituendo comparationem ad diversa tempora. Eaque consistit in eo, quòd post [illegible] conjugis, adeoque cessationem unius Matrimonii, non contrahatur vinculum secundi vel tertii Matrimonii. Priori unitati opponitur polygamia; posteriori verò bigamia, trigamia, tetragamia &c. sive secundæ, tertiæ, quartæ aut ulteriores nuptiæ.

DICO I. Polygamia seu pluralitas uxorũ (idem à fortiori est de pluralitate virorum respectu ejusdem mulieris) jure divino inhibetur Christianis. Ita definit *Trident. sess. 24. can. 2.* Probatur manifestè ex *Matth. 19.* ubi Christus ait: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur.* Ubi prohibet duci aliam priori dimissâ, adeoque magis (ut notatur c. *Gaudemus, de Divortiis*) priori retentâ. Idem habetur *Marci 10.* & *Lucæ 16.* ubi dicitur eum, qui priori uxore dimissâ ducit aliam, mœchari, & adulterium committere super eam: quod non esset verum, si posterior esset ipsius legitima uxor. Unde pariter certum est polygamiam non tantùm esse jure divino illicitam, sed etiam irritam quoad secundum conjugium. Et in hoc consistit impedimentum ligaminis dirimens Matrimonium.

DICO II. Polygamia etiam ab initio mundi fuit illicita jure divino. Ita communissimè Theologi. Et colligitur ex *Gen. 2. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Ubi Adam instinctu divino dixit: *Adhærebit uxori*, non, uxoribus. Item, *Erunt duo*, non autem tres vel plures, *in carne una*; ut notat *Innocentius III. c. Gaudemus, de Divortiis.* Unde *Tridentinum sess. 24. in Doctrina de Sacram. Matr.* ait: *Hoc vinculo duos tantummodò copulari & conjungi Christus Dominus apertiùs docuit, cùm postrema illa verba tamquam à Deo prolata* (scilicet in initio mundi per os Adami) *referens dixit: Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Colligitur etiam ex c. *Gaudemus, de Divortiis*, ubi *Innocentius III.* ait: *Nulli umquam licuit in simul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum.* Unde *Nicolaus* Papa c. *An non distinct. 24. q. 3.* factũ Lamech, qui solus ante diluviũ refertur duxisse duas uxores, vocat *adulterium & flagitium.* 26. *Immo fuit à Deo inhibita ab initio mundi.*

Denique id ipsum esse inconveniens docet ratio naturalis: nam planè recto ordini repugnaret, si una mulier plures maritos duceret, etiam attento bono generationis prolis. Pluralitas quoque uxorum recto ordini non congruit, sed potiùs, ut æqua sit viri & mulieris potestas in suum & conjugis corpus: adeoque sicut quælibet uxor se integrè tradit viro, sic & vir se tradat mulieri. Idemque congruit utilitati statûs matrimonialis, tum ad rectam prolis educationem, tum ad sinceriorem inter conjuges affectum, tum ad rixas, discordiasque domesticas vitandas. Unde & apud Gentes politiores non fuit permissa uxorum pluralitas; ut de Romanis notum est, inter quos recepta non fuit opposita permissio, quam Julius Cæsar teste *Suetonio in ejus vita* tentaverat inducere. Quare ob hæc & similia inconvenientia Deus ab initio creationis non aliter dedit hominibus potestatem suorum corporum in ordine ad usum generationis, nisi mediante conjugio unius cum una. Quod verò de Valentiniano Imperatore refert *Socrates l. 4. Histor. c. 26.* eum, ut ultra Severam conjugem suam superinduceret Justinam, legem tulisse & in singulis civitatibus divulgasse, ut cuique volenti liceret duas uxores habere legitimas; fabula est summâ levitate concinnata, ut ostendit *Baronius ad annum 370.* Duxit quidam Valentinianus Justinam, sed post Severæ prioris uxoris obitum; inquit *Baronius.* Quàmvis alioquin error unius Imperatoris amore impuro excæcati non prævaleret legibus divinis & Ecclesiasticis, ipsisque civilibus Romanorum, rectæque rationi. 27. *Inconvenientia ipsius polygamiæ.* *Quæ nec apud Gentes politiores permissa fuit.*

DICO III. Ex divina concessione ante adventum Christi aliquando fuit licita poly- 28. *Polygamia*

uxorum ante Christi adventum aliquando ex divina concessione licuit.

lygamia. Conclusio est satis certa, & habetur c. *Gaudemus citato*. Patet etiam ex *Augustino l.* 22. *contra Faustum c.*47. Denique patet ex factis sanctissimorum eorum post diluvium, Abrahæ, Jacob, Elcana patris Samuelis, Davidis & aliorum, quos in continuo adulterio usque ad mortem vixisse non est credibile: cùm à Scriptura utriusque Testamenti multùm laudentur, nec ullibi hac in parte vel minimùm reprehendantur. Quinimmo Deus per os Nathan Davidi improperavit tanquam magnum Dei beneficium, quòd plures ei dedisset uxores: quod utique non fecisset, si propter pluritatem uxorum David peccasset, adeòque tam continua adulteria commisisset, qui tam acriter à Nathan de uno adulterio fuerat correptus. Ratio hujus concessionis communiter assignatur à Doctoribus multiplicatio populi Dei, signanter post diluvium, quando vita hominum notabiliter brevior extitit. Sed huic rationi objicit *Aversa q.* 14. *sect.* 1. quòd non constet nasci plures feminas quàm masculos, sed potiùs sub quadam morali æqualitate, adeòque pluralitatem uxorum non potuisse multum conferre ad majorem multiplicationem, eò quòd dum aliqui viri acciperent plures uxores, totidem alii relinquerentur sine uxoribus. Non ergo oportet quærere juxta ipsum aliam rationem ejus concessionis, præter divinam voluntatem summæ tamen sapientiæ innixam. Verùm etsi hæc sit primaria ratio, negari tamen nequit, pluralitatem uxorum apud Judæos non impediviſſe totidem alios, ne uxores haberent: adeòque divinâ dispositione conduxisse ad multiplicationem populi fidelis.

Quâ ratione.

29. *An solis Judæis seu Dei cultoribus.*

Nihilominus hanc concessionem non soli populo Judæorum aut cultorum Dei fuisse peculiarem, sed inde etiam extensam fuisse ad alias Nationes, tamquam valde probabile admittit *Bellarminus l.* 1. *de Matr. c.* 11. & plures alii, & colligitur ex *Augustino suprà*.

Porrò Deus hoc concessit, vel mutando materiam, quatenus facultatem transferendi jus in suum corpus restrictam Deus extendit, ut posset quis illud in plures uxores transferre; prout plures docent: vel etiam dispensando in lege, si dicatur fuisse positiva: immo etsi fuerit naturalis; cùm in ea etiam, si sit largè naturalis, possit Deus dispensare juxta *Scotum* & plures alios.

Fuit hæc concessio penitùs per Christum ablata.

Fuit tamen hæc concesio penitùs per Christum sublata, etiam quoad Gentiles: cùm ipse Matrimonium pro omnibus reduxerit ad pristinum statum juri naturæ consonum. Immo etiam ante Christum fuisse concesionem extinctam, censet *Bellarminus suprà propos.* 6. & approbat *Basilius Pontius l.* 7. *c.* 49. *n.* 6. Unde Ecclesia infidelem polygamum cum omnibus uxoribus conversum permittit manere cum sola prima, de cæteris facultate habendi quibuslibet.

Conclusioni non obstat, quòd Scriptura subinde secundas uxores vocet concubinas, quia illas etiam subinde vocat uxores. Sic Agar *Gen.* 6. dicitur uxor Abraham: item Cetura dicitur ejusdem uxor *Gen.* 25. & Bala *Gen.* 30. dicitur conjux Jacob, at *Gen.* 35. dicitur ejusdem concubina. Et *Deuteron.* 21. dicitur: *Si habuerit homo uxores duas &c.* Immo nomen concubinæ tribuitur etiam, sed raro, primariæ uxori: ut patet *Judic.* 19. ubi unica Levitæ uxor dicitur concubina ejusdem. Unde quàmvis nomen concubinæ communi usu significet illam, quæ consuetudine quadam vivendi adhibetur ad concubitum illicitum, Scriptura tamen illud etiam attribuit ei, quæ assumitur ad conjugium causâ concubitus seu generationis prolis. Potissimùm tamen nomen uxoris tribuit ei, quæ assumitur in conjugium & simul familiæ administrationem, sic ut plenissimè participet jura & libertati uxoriæ, sitque viro quodammodo par. Quo modo Sara fuit assumpta ab Abraham, quæ ideirco vocatur domina ipsius Agar. Similiter assumptæ fuerunt ab Israël Lia & Rachel. Sed Agar, Bala, & Zelpha, quia permanserunt in conditione servili, defecerunt à perfectione juris uxorii. Unde nec filius Agar ancillæ Saræ, neque etiam filii Ceturæ fuerunt heredes bonorum Abrahæ, sed filius solius Saræ, quæ etiam *Gen.* 25. dicitur uxor cum distinctione contra concubinas seu uxores secundarias.

Dico IV. Secundæ nuptiæ (idem est de ulterioribus) post mortem comparatis sunt per se licitæ. Est de fide contra *Montanistas*, & *Novatianos*, qui secundas nuptias putarunt esse illicitas. Et patet ex perpetua praxi fidelium, & Apostolo *ad Rom.* 7. & 1. *Cor.* 7. ubi ait: *Si dormierit vir ejus, soluta est, cui vult, nubat; tantùm in Domino*, id est, prolis, non libidinis causâ; seu, religiosè cum Dei timore, aut certè in Domino, id est, in Domini Ecclesia & Christianismo. Unde nec Christus *Matth.* 22. damnavit mulierem, quòd septem viros legitimè habuisset; nec *Joan.* 4. Samaritanam, quòd quinque habuisset. Idem traditur in *Concilio Nicæno can.* 8. *Florentino in Decreto de Armenis* (quod etiam de quartis & ulterioribus nuptiis id expresè declarat) & can. *Aperiant* & can. *Quod si dormierit* 31. *q.* 1. de quocumque nuptiis; & in Decretalibus *Tit. de secundis nuptiis.*

Nihilominus in quibusdam Canonibus secundæ nuptiæ minùs laudantur, & habentur tamquam signum cujusdam intemperantiæ & nimiæ concupiscentiæ. Ideoque c. *de his* 31. *q.* 1. ex antiquissimo *Concilio Neocæsariensi* arcebatur in illis presbyter à convivio, & nubenti ob præsumptam intemperantiam imponebatur aliqua pœnitentia. Et ibidem c. *Hac ratione* ex *Auctore operis imper-*

perfecti in Matth. hom. 32. vocatur fornicatio, eaque licita & honesta.

Non obest etiam, quòd secundis nuptiis denegetur benedictio: hoc enim ceremoniale est ex voluntate Ecclesiæ, quæ id statuit, ne repetitæ benedictiones vilescant. Similiter non obest, quòd bigami afficiantur irregularitate: ea enim non est pœnalis, sed constituta per Ecclesiam; quòd hujusmodi matrimonium deficiat à perfecta significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia.

Non obstat denique, quòd Jure Civili infligatur infamia viduæ nubenti intra annum luctûs L. 1. C. *de secundis nuptiis*. Nam hanc pœnam, & si quæ aliæ adhuc sint per leges statutæ, abolet Jus Canonicum c. *Sua nos per illa*, & c. *Cum secundum Apostolum, de secundis nuptiis*, ubi etsi tantùm fiat mentio legalis infamiæ, tamen ratio subjuncta, scilicet quòd non deceat legalis infamiæ sustinere jacturam, quæ intra tempus luctûs nubenti concessâ sibi ab Apostolo utitur auctoritate per quam infamia aboletur, habet etiam locum in aliis pœnis: ut proinde in iis idem sit statuendum, ex regula, quòd legis ratio sit ejus anima, & in lege expressa, sit pro lege. Et ita servari tradit *Covarruvias* hîc P. 2. c. 3. §. 9. *n.* 7. & *seqq.* Quantum verò ad illas dispositiones, quæ potiùs concernant provisionem & commodum liberorum prioris matrimonii, cùm non contineant pœnam, dicendum, eas etiam hodie servandas esse, quia circa eas nihil disposuit lex Canonica, nec fuit ut disponeret, cùm nihil malè moris involvant, immo bonis moribus respondeant.

34. Notandum tamen, non posse conjugem transvolare ad secundas nuptias, donec constet de morte comparis, in cujus præjudicium, si fortè superstes sit, cederet novum matrimonium, quique jure suo in casu dubio spoliandus esset. Prætorquam quòd præsumendus sit vivere, dum contrarium probatum non fuerit, ut tradunt omnes in Cap. *In præsentia, de sponsalibus*. Putat verò *Silvester, Layman, Diana* & plures alii, quòd pro foro conscientiæ sufficiat probabilitas de morte conjugis, per conjecturas & indicia. Sed communior & tutior doctrina requirit moralem certitudinem: nam c. *Dominus, de secundis nuptiis* dicitur: *Nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus.* Et c. *In præsentia, de sponsalibus* deciditur, quantocumque annorum numero abfuerint viri, non posse uxores aliud matrimonium inire, donec certum nuntium recipiant de morte virorum. Qui Canones non solùm agunt de foro externo: cùm verba dirigantur etiam ad ipsos contrahentes. Et quidem c. *In præsentia* dicitur eos non posse contrahere, & simul præcipitur judici, ne permittat. Et sanè in re tam gravi, tot incommodis & periculis obnoxia, non est prudentis, præsertim absque necessitate, duci solâ probabili existimatione: aut certè etsi ex natura rei illa sufficeret, plus tamen requiritur jure saltem positivo.

Nec obstat, quòd cap. *Cum per Bellicam* 34. *quæst.* 2. dicitur: *Nec tamen culpabilis judicetur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit.* Item quod c. *Quoniam ut visum non contestatâ* dicitur: *Si de carnali conjugio sit agendum, tam diu alteruter conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verosimiliter præsumatur.* Nam id intelligitur de existimatione justa & moraliter certa, atque de simili præsumptione, quæ probationi æquivaleat. Alioquin cùm c. *Quoniam* agatur in ordine ad forum externum, militaret hoc ipsum contra alios Auctores. Quod tamen addit *Aversa q. 14. sect. 3.* in casu contrarietatis hos textus esse correctos per alios posteriores, non potest subsistere: cùm posterius illis sit cap. *Quoniam*, quod est *Innocentii III.* qui est posterior *Clemente III.* & *Lucio III.* auctoribus priorum capitum,

35. *Nulla hîc Canonum contrarietas.*

Nihilominus moralis certitudo habet gradus, & ut plurimùm relinquitur prudentiæ judicis. Specialiter autem non sufficere solam famam & testificationem de auditu, nisi concurrant alia adminicula & conjecturæ, docet communior sententia: aliàs enim non facit certam moraliter probationem. Quam facere potest, concurrente diuturnitate absentiæ, distantiâ loci, fundamento rationabili & universalitate ipsius famæ. Similiter non sufficere unicum testem de visu, qui nec sufficit in levioribus causis, censet *Bartolus, Zoesius* & alii passim, nisi accedant alia adminicula, v. g. senium, debilitas &c. Ut proinde cap. *Dominus, de secundis nuptiis*, exigens certum nuntium, non sit accipiendum de teste uno, sed de certitudine quam ponunt certa nova. Puto tamen testem posse tantæ fidei esse, ut sufficeret saltem juratus: cùm inde major certitudo, quàm ex alio communi teste cum quibusdam adminiculis habeatur. Quare sufficit attestatio desumpta ex libro Rectoris parochiæ, quæ censetur publica, & maximè fidem faciens. Alioquin totum ferè ad judicis prudentiam remittendum est.

36. *Qualitas certitudinis requisita ampliùs declaratur.*

Quòd si adhibitâ debitâ cautelâ contractum sit novum matrimonium, & postea deprehendatur conjugem, qui certò putabatur mortuus, adhuc esse superstitem, certum est non valere secundum Matrimonium, adeoque primum esse redintegrandum, ut constat ex impedimento ligaminis, & expressè decisum est c. *Dominus, de secundis nuptiis.*

37. *Si post secundas nuptias bonâ fide contractas, deprehendatur conjugem adhuc vivere, ab iis recedendum est.*

E contrà, si temerè & absque debita certitudine contrahatur novum Matrimonium, reverà tamen postea appareat, sparsum v. g. de morte conjugis rumorem fuisse verum, talis quidem ratione periculi gravissimè peccavit, Matrimonium tamen se-

Si temerè sint inita, verè tamen conjux objerit, valida sunt.

cundum verè fuit validum: quidquid contradicat *Pontius lib. 7. c. 53. num. 5.* Immo id expresè videtur decisum c. *Dominus, de secundis Nuptiis.* Qui textus quatenus est correctus per c. *In præsentia, de sponsalibus*, ut contendit *Pontius* existimans ibi personam conjugatam reddi inhabilem ad iterum contrahendum, donec certum nuncium accipiat de morte alterius conjugis, quasi verò hujus certitudinis carentia sit impedimentum dirimens, etiam sine vero ligamine. Quod omninò sine fundamento excogitatum est contra communem sensum. Nec in c. *In præsentia* apparet ulla hujusmodi irritatio, sed tantùm prohibitio; aut certè irritatio, ut adhuc *viventibus viris suis non possint ad aliorum consortium convolare.*

38. *Vtì etiam, si constet prio-* Ex quibus similiter constat carere fundamento id, quod noster *Marchant in Resolut. de Sacram. Matrim. Casu 1. Resol. 6.* assecit, *[illegible]* verè subesse in utroque foro impedimentum dirimens ligaminis, quando quis contrahit secundas nuptias, postquam contraxerat priores certò invalidas ratione impedimenti occulti: quasi verò prius matrimonium verè nullum, in facie Ecclesiæ celebratum, aliter obsit secundo matrimonio, quàm quòd Ecclesia, quæ non judicat de occultis, in foro externo staret pro invaliditate illius, quousque ei constet sive probetur defectus prioris Matrimonii. Alioquìn utì hoc indubiè est in foro conscientiæ nullum, sic posterius est in eodem foro validum. Prout indubiè validum foret, si conjugi certò constaret, sed probari Ecclesiæ non posset compartis mors: quâ utique formalissimè solvitur ligamen lexque conjugii.

DISPUTATIO QUINTA.

De Solemnitatibus Matrimonii, & Matrimonio Clandestino.

QUÆSTIO I.

An Matrimonium Clandestinum sit illicitum & invalidum?

1. *Matrimonium clandestinum dupliciter sumitur.* MATRIMONIUM, ut debitè ineatur, exigit certas solemnitates, videlicet ut celebretur in facie Ecclesiæ, præmissisque certis denuntiationibus: aliter autem celebratum, etsi solæ denuntiationes sint indebitè prætermissæ, generali quâdam ratione dicitur clandestinum. Propriè tamen & simpliciter ita appellatur, quod non est publicè coram facie Ecclesiæ celebratum. Ad quod nunc requiritur, ut celebretur coram Parocho seu Ordinario, vel alio Sacerdote delegato ab eo, & duobus vel tribus testibus: olim autem censebatur contractum in facie Ecclesiæ, quod erat celebratum coram legitimo Ecclesiastico ministro & Pastore, ejusve locum tenente. De Matrimonio clandestino propriè sumpto nunc est sermo. Itaque

Quodnam censeatur celebratum coram facie Ecclesiæ.

2. *Matrimonium simpliciter clandestinum ante Tridentinũ erat illicitũ jure Ecclesiastico,* DICO I. Ante *Concilium Tridentinum* Matrimonia clandestina fuerunt illicita, sed non invalida. Prima pars patet ex *Trident. sess. 24. c. 1. de Reform. Matr.* ubi de illis sic loquitur: *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit; verùm cùm sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse &c.*

Non naturali. Non sunt tamen Matrimonia clandestina prohibita jure naturæ, etiamsi nemine præsente, & omninò clam celebrentur: quidquid *Sanchez l. 3. d. 3. num. 8.* & quidam alii contrarium putent: nulla enim apparet ratio naturalis, quæ id satìs suadeat. Confirmatur exemplo aliorum contractuum, in quibus (si clandestinè contrahantur) sunt etiam sæpè quædam inconvenientia; utì in Matrimonio: ob quæ potestas publica meritò varia circa varios contractus ordinavit, etsi per se liceant & valeant clandestinè initi.

Erat adhuc mitius tunc temporis. Secunda pars est communissima Doctorum, & patet ex praxi Ecclesiæ, quæ etiam nunc, ubì *Tridentinum* non est receptum, non habeat ea Matrimonia pro invalidis. Idipsum indicat *Tridentinum supra in princip. cap.* dicens, *dubitandum non esse, clandestina Matrimonia rata & vera esse, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit.* Quæ postrema verba sic fuere dispositа, ut relinqueretur indecisum, an olim (de tempore *Tridentini* non erat rationabilis quæstio) verè fuerint irritata ab *Evaristo* Papa; prout pauci ex Patribus Concilii existimabant, juxta *Palavicinum l. 23. Hist. Trid. c. 8. n. 10.* cùm tamen priùs absolutè fuisset in forma Decreti positum: *Eademque tamen irrita non fecit.* Subditque nihilominus Ecclesiam semper illa prohibuisse. Cùmque prohibitiones ampliùs non prodesserit, procedit ibidem ad irritationem eorumdem. De illis autem, *qui priori uxore, cui qua clam contraxerant, relictâ, cum alia palam contrahunt*, docet quòd *cum ea in perpetuo adulterio vivunt*, cùm scilicet *Tridentinum* necdum irritasset matrimonia clam contracta; quæ proinde apertissimè supponit fuisse valida:

lida: cùm perpetuum adulterium supponat Matrimonii valorem.

Nec obstat, quòd *Evaristus* Papa c. *Aliter* 30. q. 5. dicat, talia Matrimonia esse *Adulteria vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potiùs, quàm legitima conjugia.* Nam sclùm loquitur quantùm ad apparentiam & præsumptionem, eò quod modus sic contrahendi non conveniat legitimis conjugiis, sed potiùs stupris & adulteriis, & quòd apud Ecclesiam non constet de veritate Matrimonii, nisi ei notificetur. *Lainius* apud *Palavicinum l. 22. c. 4. n. 25.* existimabat *Evaristum* fuisse locutum in casu deficientis interioris consensûs: qui in hujusmodi conjunctionibus sæpe contingebat, ideoque ab *Evaristo* ad finem addi: *Nisi propria voluntas accesserit.* Alioquin apud *Tertullianum*, *Evaristo* propinquum, legi, Matrimonia occulta esse firma. *Constantinus Bonellus* apud *Palavicinum suprà c. 3. n. 17.* intelligebat *Evaristum* de adulteriis seu contuberniis causaliter, quia nimirum erant causa eorum in secundis Matrimoniis irritis. Addit ibi varias conditiones præmittit, quas certum est numquam fuisse requisitas ad valorem Matrimonii, & tamen postea generaliter sine differentia subdit: *Ita peracta legitima scitote esse connubia: aliter vero præsumpta non conjugia, sed adulteria.* Saltem (quidquid censuerit *Guerrerus* apud *Palavicinum l. 23. c. 5. n. 19.*) satis constat Decretum *Evaristi*; quatenus fuisset irritans, jam tum ipso *Tridentini* robore caruisse (etsi apud nonnullos venerit in considerationem ad firmandam in Ecclesia irritandi potestatem) ut ex ipso *Tridentino* satis patet. Itemque ex eo, quòd Ecclesia copulam post Sponsalia præsumeret ab affectu conjugali, etsi clandestinum, adeoque verum Matrimonium. Ita *Alexander III. c. veniens* & *Gregorius IX. c. Is qui de Sponsalibus.*

Non obstat II. c. *Videtur* 35. q. 6. ubi dicitur, secundam, quam aliquis duxerat contra prohibitionem Ecclesiæ, non esse ipsius uxorem: *nam* (inquit *Cælestinus* Papa) *quod contra interdictum & ordinem Ecclesiæ factum est, tamquam inordinatum ratum non haberi, tam divinæ, quàm humanæ legis proclamat auctoritas.* Ibi enim tantùm agitur de casu particulari, quo quis contraxerat sponsalia, sive de præsenti (ut verba textûs permittunt) sive de futuro quidem, sed qui (ut patet ex textu) priorem sponsam postea carnaliter cognoverat, & ex ea prolem suscitaverat, ac nihilominus volebat eam deserere, & aliam ducere: hoc autem casu ante *Tridentinum* erat præsumptio Juris, esse inter tales contractum Matrimonium, copulamque habitam affectu maritali, juxta c. *Is qui* 30. *de Sponsalibus.*

3. Decreto Tridentini

Dico II. *Qui aliter quàm præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentiâ & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentaverint, eos sancta Tridentina Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.* Ita in terminis *Tridentinum suprà.*

invalidum est matrimonium aliter contractum, quàm præsente parocho vel delegato & duobus testibus.

Fuit quidem ante *Tridentinum* aliquando dubitatum de potestate Ecclesiæ quoad hoc ipsum; adeò ut aliqui putarint olim, illam non competere Ecclesiæ. Immo id censuerunt quadraginta Episcopi ex iis qui ad *Tridentinum* venerant, multique alii Doctores ibidem, teste *Diana p. 8. Tit. 1. Resol. 59.* adde, quod in *Tridentino* post molestas ac multùm prolixas dissertationes, diuturnasque deliberationes, collectis tandem suffragiis Præses Cardinalis *Moronus* elata voce pronuntiarit, Decretum de clandestinis displicuisse plusquam quinquaginta Patribus: inter quos Cardinalis *Simonetta* & Cardinalis *Hosius* pariter Præsides, apud *Palavicinum l. 23. c. 9. n. 5.* Sed subsecuta comprobatio Romani Pontificis, cui omnes Legati, & complures ex Patribus adversantibus se remiserant, dubitationem omnem sustulit; inquit *Palavicinus suprà.* certissimè constat hæc potestas ex ipsius *Tridentini* facto & declaratione.

Olim fuit dubitatum de potestate Ecclesiæ quoad hoc;

Neque suberat justa ratio dubitandi, quin Ecclesia hoc facere posset, non quidem immutando materiam & formam Sacramenti (quod facere non potest) sed efficiendo, ut contractus in quantum civilis, sit nullus: sicut potest annullare alios contractus civiles. Positâ autem nullitate contractûs (cujus valor est velut fundamentum substratum ipsi Sacramento) non potest poni vinculum matrimoniale, sed neque ipsum Matrimonii Sacramentum: cùm Christus ad rationem Sacramenti non evexerit, nisi contractum validum & legitimum; assumque Sacramentum pro materia habeat corpora contrahentium apta ad sic contrahendum. Alioquin Ecclesia non posset facere, ut contractus manens validus non sit Sacramentum, quando non deest intentio Sacramenti in fidelibus contrahentibus. Neque tamen Christus subtraxit Ecclesiæ potestatem disponendi de solemnitatibus legitimi matrimonialis contractûs: ut in plurimis quoque Matrimonii impedimentis patet.

Sed sine ratione.

6. Irritat Ecclesia directè ipsum contractum clandestinum.

Porrò Ecclesia irritat Matrimonia clandestina; non tantùm indirectè, faciendo contrahentes inhabiles ad contrahendum, uti consanguineos, sed etiam directè annullando secundùm se ipsum contractum; ut satis patet ex relatis verbis Concilii. Nec id superat Ecclesiæ potestatem magis, quàm in aliis contractibus civilibus. Quare contrahentes relinquit hîc habiles, & tantùm inhabilitat ad sic contrahendum, quia nempe invalidum facit contractum, ad quem quisque eo ipso est inhabilis.

Quia

Non excusat ignorantia vel necessitas à nullitate ejusdem.

Quia verò hoc decretum est Concilii generalis, non potest Episcopus in eo dispensare. Et quia est irritativum, non excusat ignorantia, etiam invincibilis, utì nec necessitas: ut si v.g. contrahens sit morti vicinus, & proles alioquin maneret illegitima, vel subsit peccati periculum ob præsentiam concubinæ. Quàmvis enim similia excusent à peccato in lege humana prohibente, non tamen dant valorem actui in lege irritante, ut patet in similibus legibus, quibus irritantur matrimonia Religiosorum, consanguineorum &c. Vide *Sanchez l. 3. d. 17.*

7. *Decretum hoc Tridentini debet specialiter esse publicatum in singulis parochiis.*

Nota tamen hanc irritationem non esse efficacem, nisi in locis & parochiis, in quibus *Tridentinum* est publicatum, etiam specialiter quoad hoc decretum, idque post 30. dies à die primæ publicationis illius in eadem parochia factæ numerandos; ut expressit *Trid. sup. in fine cap.*

8. *Proficiscens ad locum ubì non est publicatum, validè ibi contrahit clandestinè.*

Nota II. juxta veram & communem sententiam valere Matrimonium contractum sine parocho & testibus in loco ubì *Tridentinum* non est receptum, etiamsi sit receptum in loco, in quo habent domicilium. Ratio est: quia leges non respiciunt nudè personas, sed cum ordine ad locum ubì receptæ sunt. Quod confirmat commune axioma: *Si fueris Romæ, Romano vivito more &c.* Deinde hoc est speciale in contractibus (excepto contractu dotis) ut celebrentur juxta solemnitates receptas in loco, ubi sunt celebrandi juxta *Cap. fin. de foro competenti*, & L. *Si fundus ff. de Evictionibus.* Ita *Sanchez d. 18. n. 29.* & plurimi alii, qui docent id esse verum, etsi contrahentes eo fine ad talem locum se contulerint. Quod est contra *Sylvium* & quosdam alios; in quorum favorem referri solet quædam declaratio Cardinalium, quæ facta est quæstionem proponente *Francisco Zypæo*, ut ipse refert *l. 4. Consult. Canonic. consult. 6.* Alioquin prior opinio videri poterat & conformior communibus regulis interpretandi leges, quibus nimirum non ligantur extra domicilium existentes in loco ubì non obligant, maximè leges contractuum. Unde sequi videtur licitè aliquem se conferre ad alium locum, ut ibi v. g. non sit obligatus lege jejunii obligante in loco domicilii: adeoque similiter quoad valorem actionis seu contractûs alibi non exigentis certam solemnitatem procedit validè, etsi illicitè, qui tali fine aliò se confert, ubì non viget lex irritans, sed tantùm prohibens.

Idq; juxta plurimos & si eo fine illuc diverterit.

9. *Satis est, si fit publicatum in loco contractûs, etsi non in loco domicilii.*

Ex his patet, oppositum esse dicendum de iis, qui contrahunt in loco, ubì *Tridentinum* est receptum, etsi non sit receptum in loco sui domicilii: quia advenæ debent se conformare legibus locorum, præsertim si sint de se generales, & signanter in celebratione contractuum. Unde si Anglus, in cujus provincia numquam fuit hoc decretum promulgatum, contraheret Lovanii in [illegible] Matrimonium sine parocho & testibus, non valeret. Patet etiam vagabundos validè contrahere sine parocho & testibus in loco ubì *Tridentinum* non est receptum, invalidè, ubi receptum est.

10. Nota III. cùm in partibus Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ omnino supponatur *Tridentinum* satìs publicatum olim fuisse, Matrimonia esse invalida, quæ ibidem contrahuntur sine Parocho & testibus. Quod etiam de hæreticis ibidem degentibus declaravit *Congregatio Cardinalium*, ipsorum scilicet Matrimonia absque forma Concilii, quàmvis coram Ministro hæretico vel Magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse. De Matrimoniis tamen contractis etiam per Catholicos, ubi nulli sunt noti proprii pastores, jam olim actum fuit cum SS. D. N. & cum *Congregatione Concilii Tridentini*, ac sententia communis fuit Matrimonia illa esse rata, neque ad ea pertinere Decretum *Concilii Tridentini*; cùm in hujusmodi locis observari non possit, prout anno 1600. die 30. Decembris Cardinalis *Bellarminus* respondit Octavio Tricaricensi Episcopo Nuntio Apostolico in Belgio. Similiter idem Cardinalis respondit Henrico Cuykio Episcopo Ruræmundensi. Conformiterque *S. Congregatio* (quæ à Nuntio præfato consulta fuerat) an. 1603. die 19. Januarii D. Sasboldo Archiepiscopo Philippensi respondit, *valere* scilicet *Matrimonium sine Parocho, servatâ quantum fieri potest formâ Concilii, adhibitis nempe ejus saltem testibus, quando non est pastor, aut alius sacerdos, qui pastoris aut Episcopi vices suppleat: vel si tum pastor quàm Episcopus nullo considerato Vicario metu hæreticorum lateat, ut ut verè ignoretur ubi non sit, vel eodem meto à Diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus.* Quod tamen hoc tempore in præfatis [illegible] vix contingit. Responsa verò Cardinalium in speciem opposita, quorum aliqua significant non valere, alia autem valere Matrimonia in præfatis ditionibus contracta, concordat *Præpositus q. 4. dub. 8.* quòd priora intelligantur de locis in quibus est copia legitimi ministri Ecclesiastici, posteriora verò de locis in quibus non sunt Sacerdotes, qui legitimè assistant, vel difficilis aut non patus ad eos patet aditus. Quod merito declararunt: quia non fuit mens Concilii suum Decretum obligare, ubi non essent Pastores vel non possent adiri; aliàs enim non possent ibi Matrimonia celebrari. Quare cùm in ipso *Tridentino* (teste *Palavicino l. 25. c. 6. n. 19.*) alia alia temperamenta posuissent pro illis Provinciis, ubi Parochus non adest; respondit *Franciscus Blancus*, Decretum eo pacto fuisse conceptum ut non nisi post habitam in Parochia vulgationem obligaret; adeoque ab eo obstrictum non iri eos populos, inter quos Parochi non essent.

11. Hinc etiam potest resolvi difficultas, an valeant

valeant Matrimonia celebrata coram Magistratu, & non coram parocho in locis, in quibus pastor toleratur quidem ab Hæreticis, sed eâ conditione, ut Sacramenta non administret, idque tam administranti quàm suscipienti prohibitum sit sub pœna mortis, exilii, vel valde gravis mulctæ. Quæ difficultas à paucis annis locum habuit in ditione Falcoburgensi & locis vicinis. Eademque à Joanne Miræo Episcopo Antverpiensi anno 1607. die 19. Martii proposita fuit *Guilielmo Estio*, qui rectè respondit ejusmodi Matrimonia valere, eò quòd ibi non sit tutus ad sacerdotem accessus, sicut non dicitur tutum iter, ubi homines spoliantur, etiamsi non occidantur. Videturque paria, parochum abesse, sic ut non sit tutus ad eum accessus, & adesse quidem, sed sic ut ejus operâ tutò quis uti nequeat; cùm utrobique sit æquale periculum in accedendo. Idem approbat *Sylvius q. 45. Supplem. art. 5. 5. Quæritur quartò*, ubi tamen addit, quòd si non sit parochus in loco, vel sit quidem, sed cum dicto periculo: sint autem in vicinis pagis sacerdotes habentes ab Ordinario vel alioquin facultatem assistendi Matrimoniis Christianorum, & circumeuntes oppida & pagos, offerentesque (occultè tamen & cum periculo) Sacramenta & operam suam: illi qui non coram tali sacerdote contrahunt, cùm possint absque gravi suo periculo eum vel accersere, vel adire, invalidè contrahant, quia licèt non sine suo periculo præstet operam, cùm tamen eam offerat, contrahentes possunt servare decretum Concilii, ideoque ad illud tenentur.

QUÆSTIO II.

De Qualitate necessariâ Parochi, Testium, ac præsentiæ requisitæ ad Matrimonium.

12. *Quinam Parochus quis dicatur.*

NOMINE Parochi, cujus assistentia à *Tridentino* requiritur, intelligitur is, qui habet beneficium cum cura animarum, sive sit Pastor, sive Ordinarius superior, ut Episcopus ejusdemque in spiritualibus Vicarius Generalis, qui juxta communem sententiam à *Tridentino* hîc & alibi intelligitur etiam nomine Ordinarii. Item Capitulum Sede vacante, Legatus Pontificis, & ipse Pontifex. Unde in *Rituali Romano* præscribitur, ut assistat Parochus vel Ordinarius. Quare Archiepiscopus non potest assistere subditis Suffraganeorum seu Comprovincialium Episcoporum, nisi dum actu visitat, aut certè per viam appellationis factæ ab Ordinario nolente assistere.

13. *Debet Parochus esse sacerdos.*

Neque est necessarium, ut Parochus assistens sit sacerdos juxta Doctores passim: quia *Tridentinum* ejusmodi conditionem in Parocho non requirit; & aliundè constat Parocho etiam non ordinato de jure competere, quæcunque non sunt actus Ordinis, nisi satis aperte restringatur; prout in præsenti non fit. Quare ita etiam declaravit *Congregatio Cardinalium*. Nec refert, quòd à *Tridentino* addatur, *Vel alio sacerdote*. Nam inde non sequitur ipsum quoque Parochum debere esse sacerdotem: non enim requiritur omnimoda identitas qualitatis, non obstante ly *alius*; cùm rectè exponatur hoc modo, Vel alio qui sit sacerdos. Utì *Lucæ* 23. dicitur: *Ducebantur autem & alii duo nequam* (id est, qui erant nequam) *cum eo*. Ordinarium namque est, ut Parochus sit sacerdos, & saltem infra annum esse debet, officiumque parochiale dirigitur ad Ordinem sacerdotalem. Quòd si etiam à parte rei non esset verus Parochus, sufficit quòd habeat titulum coloratum cum errore vulgi. Similiter potest validè assistere Matrimonio, etsi sit excommunicatus, etiam non toleratus: prout declaravit *Congregatio Cardinalium ad Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim. §. Qui aliàs quàm præsente Parocho*. Ratio est: quia hic actus non est jurisdictionis, sed testis requisiti à Jure. Deinde actus jurisdictionis non exercetur ab invito; valet tamen Matrimonium contractum coram Parocho invito. Denique ob hoc sufficiunt ad valorem duo testes similes sive excommunicati. Vide latiùs *Sanchez l. 3. d. 21.* & alios.

Sufficit putativus cùm titulo coloratus.

Item Excommunicatus non toleratus.

14. *Parochus debet esse proprius.*

Quia verò Parochus non potest assistere Matrimonio quorumlibet, sed tantùm suorum, seu quorum censetur esse Parochus, hinc non sufficit, ut aliqui sint in transitu vel recreationis gratiâ in loco alicujus parochiæ, ut Parochus eorum Matrimonio assistat, sed requiritur ut habeant ibidem fixum domicilium, vel saltem habitationem quæ sufficiat ad acquirendam parochiam, & consequenter ut Parochus habeat potestatem ordinariam administrandi eis Sacramenta. Ad hoc autem non requiritur juxta Doctores passim animus perpetuò manendi in parochia, seu strictum domicilium: sed sufficit animus habitandi ad certum tempus, modò id breve non sit: quomodò studiosi in Universitatibus, milites in præsidiis, sollicitantes in Curia &c. per notabilem saltem anni partem manere statuentes, in eum finem sufficienter ibidem habitant: adeò ut habitatio tali modo, etsi ad diem tantùm, incœpta, operetur eumdem effectum, quem post menses aliquot habitationis expletos. Unde etiam ex sola habitatione alicubi, non per modum viatoris, sed conductâ domo vel officinâ contrahitur quasi domicilium, ita ut possit quis ibi conveniri; ut habetur *L. Heres absens §. Proinde, in fine, ff. de Judiciis*, & per consequens acquiritur quasi domicilium in rebus spiritualibus, ut ratione illius habeat Parochus jurisdictionem in sic habitantem; adeoque hic

Quis & quorum respectu censeatur talis.

hic fiat illius subditus. Videt *Sanchez l.3.d.* 23. *Sylvium qu.45. Supplem.art.5. §. Quæritur quintò*, & alios.

15. *Coram eo potest inire matrimonium extra limites parochiæ.*

Nec requiritur, quòd contractus celebretur coram parocho intrà limites suæ parochiæ (idem quoad Episcopum est de diœcesi) quia hic actus nullum tribunal aut strepitum vel solemnem pompam requirit; cujusmodi dumtaxat in alieno territorio fieri prohibentur. Quare idem est de aliis actibus parochialis officii externam pompam aut strepitum non exigentibus. Quando autem sponsus & sponsa sunt diversæ parochiæ, assumitur ordinariè Parochus in cujus parochia Matrimonium celebratur. Hoc tamen non requiritur ad valorem, immo nec ad licitum: cùm sufficiat assistere parochum alterutrius. Deinde non est ratio, cur minùs posset ibi assistere hujusmodi Parochus, quàm in alia parochia, de qua neuter contrahentium existeret.

Sponsis diversarum parochiarũ utrinsvis Parochus potest assistere.

16. *Quis valide assistat Matrimoniis vagorũ*

Matrimonio vagabundorum (etsi alter tantùm si vagabundus, inquit *Sanchez d.25. n.14.*) potest probabiliter assistere quilibet Parochus: quia non videtur major ratio de uno, quàm de alio. Ita *Sanchez suprà n.11.* & alii. Ceteri tamen volunt eum censendum Parochum vagorum, & ad valorem Matrimonii necessarium, in cujus parochia morantur: nè aliàs censeantur tales omni parocho carere, immo si sint vagi respectu quarumvis diœcesium ac provinciarum, omni Ecclesiastico superiore, præter Papam: quod apparet inconveniens.

17. *Quid circa illos Parocho sit observandum ex præscripto Ecclesiæ,*

Circa eosdem vagabundos *Trid. sup. c.7. Parochis præcipit, ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Quod decretum intelligitur etiam, quando unus tantùm contrahentium est vagus, ut colligitur ex fine ipsius decreti, qui pariter tunc locum habet. Immo *Aversa qu. 7. sect.2.* ob eamdem rationem intelligi vult etiam de exteris & advenis, qui jam primò domicilium figere cœperunt. In quibus planè rationabile est idem observari. Uti etiam in uxoribus militum, captivorum, vel aliorum qui peregrinantur: de quibus idem præscribit *Rituale Romanum Tit. de Sacram. Matrim.* Quòd si tamen hoc decretum *Tridentini* non servaretur, seclusis aliis impedimentis Matrimonium valeret, eò quòd non apponatur particula irritans. Idemque censuit *Congregatio Cardinalium.*

Item circa peregrinos, uxores militum &c.

18. *Ordinarius potest substituere aliũ, sed non nisi Sacerdotẽ.*

Potest quoque Parochus & Ordinarius substituere alium, qui suo loco assistat Matrimonio. Hic tamen debet esse sacerdos; ut patet ex *Tridentino c.1.* dicente: *Vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentiâ.* Quæ verba commodè intelligi possunt in rigore, uti sonant. Et hunc intellectum confirmat communis Doctorum sensus, ipseque usus de Parocho & alio substituendo. Et quidem congruè statuit in Parocho sufficere officium, quod alio substituendo suppleri deberet per sacerdotium.

Sed difficultas est, an hæc licentia possit alteri dari à Parocho seu Ordinario excommunicato, etiam non tolerato. Plures negant, sed probabiliùs alii affirmant: eò quòd hæc substitutio seu concessio licentiæ etsi impropriè dicatur actus jurisdictionis, differentiam actûs Ordinis; propriè tamen sit tantùm actus substituendi alterum ad testificandum pro se: quare sicut assistere vel testificari, sic & alterum ad hoc substituere non est actus jurisdictionis. Quemadmodum etiam non exercet jurisdictionem privatus aliquis, qui in suis negotiis statuit procuratorem; similiter nec procurator alium substituens. Unde Parochus per excommunicationem non privatur potestate hâc substituendi.

Pari ratione validè substitui potest sacerdos excommunicatus non toleratus, infamis, condemnatus &c. cùm assistentia (ut dictum est) non sit actus jurisdictionis, sed cujusdam authenticæ testificationis, à qua simples non repelli, patet ex ipsis testibus. Non adhibere tamen excommunicatus vitandus sine gravi peccato (quidquid Nonnulli secùs senserint) nisi excuset necessitas: cùm sit communicatio in re tam gravi & sacra. Quemadmodum etiam peccaret mortaliter, qui justè & specialiter inhibitus ab Episcopo assisteret Matrimonio, veluti contraveniens justo præcepto in re gravi.

Ut autem censeatur alteri substitutus sufficit concessio generalis, quâ ipsi à Pastore conceditur facultas omnia pastoralia munia exercendi in sua parochia: sub hac enim etiam comprehenditur facultas assistendi Matrimonio. Vide *Sanchez l.3. disp.35. n.7.* Sufficit etiam licentia tacita, quando videlicet Pastor alter videt Matrimonio assistere, & tacet; cùm tamen sciatur contradicturus, & contradicere deberet, si non consentiret: quia in tali circumstantia qui tacet, consentire videtur. Est tamen necessarium, ut licentia præcedat assistentiam, nec ullo modo sufficit præsumpta ratihabitio Pastoris: quia spectat ad substantiam & valorem contractus matrimonialis, qui statim ac fit, validus est vel nullus, nec semel invalidus potest per ratihabitionem Pastoris revalidari. Aliud esset, si tantùm requireretur ad licitè contrahendum. Quòd si denique Parochus contra prohibitionem Episcopi daret alicui alteri sacerdoti licentiam assistendi Matrimonio, adhuc ipsa licentia & Matrimonium valeret, ut censet *Sanchez l.3.d.32.* Et rectè confirmat ex quadam decisione Rotæ in casu non absimili: nam per talem prohibitionem non adimitur Parocho potestas, sed tantùm interdicitur usus quidam. Quamquam si justa sit prohibitio, Parochus malè faceret. Immo si adderetur clausula irritans ipsam licentiam, esset ipsa,

ipsa, adeòque Matrimonium nullum. Sicut si post datam à Parocho licentiam, superior eam revocaret: nam similiter potest irritare dandam.

Præter Parochi assistentiam ad valorem Matrimonii requirit *Tridentinum* supra præsentiam duum vel trium testium. Unde patet duos sufficere. Hi autem non debent esse omni exceptione majores, quasi contra eos non posset in judicio excipi; sed sufficit quòd sint capaces rationis, ut sufficienter possint intelligere quid agatur, & illud postea testari; etsi sint mulieres, parentes aut sanguine juncti, infames, excommunicati &c. Patet ex consensu Doctorum & praxi Pastorum; ipsoque *Tridentino*, quod nullas qualitates speciales in testibus requisivit. Et meritò: ne injiciatur solicitudo inquirendi testes omni exceptione majores, ac relinquatur aditus impugnandi Matrimonia ex defectibus testium. Quare etsi Matrimonium sit res gravis, non tamen decuisset conveniens requirere tam præcisam testium qualitatem. Unde certum est sufficere assistentiam ipsius Parochi, etsi sit sanguine junctus, aut aliàs non omni exceptione major. Et quàmvis ejusmodi testes possint repelli à judice vel partibus; validè tamen admittuntur ex consensu partium: prout in Matrimonio ex consensu contrahentium admittuntur.

Porrò non sufficit præsentia Parochi & testium merè materialis seu corporalis, sed hi debent ita adesse contrahentibus, ut intelligant quid agatur, ut est satis certum apud Doctores. Patet est: quia *Tridentinum* loquitur de præceptis morali & humanâ: nam illorum præsentiam requisivit, ut possint testari de Matrimonio contracto, si fortè conjuges vellent alias nuptias inire; non possunt autem de hoc testari, nisi intelligant quid agatur. Unde si Parochus vel aliquis testium dormiat, sit furiosus, ebrius, omnino animo distractus, non valet Matrimonium.

Nec refert, quòd in aliis Sacramentis sufficiat attentio & intentio virtualis: nam hoc quidem verum est, quando cum ea perfici potest actio substantialis Sacramenti: non tamen, si actio sit talis, quæ perfici non possit sine intentione actuali; uti ad valorem confessionis requiritur, quòd actu sacerdos attendat, & percipiat, quæ dicuntur. Est autem idem planè in præsenti: ubi requiritur præsentia præfata testium ad valorem hujus Sacramenti, esto non sint ministri. Ex quo manifestè sequitur, non valere Matrimonium, si Parochus præsens nil intellexerit eorum quæ agebantur, quantumvis ipse affectasset non intelligere. Et quàmvis dicantur Cardinales respondisse pro Matrimonio, dum Parochus ignorantiam affectavit: id sanè explicari debet de Parocho simulante se non intelligere, vel adlaborante quidem ad subterfugiendum ac non attendendum, verè tamen audiente: vel certè declarationi huic veluti destitutæ qualitatibus per *Vrbanum VIII.* requisitis non est habenda fides. Quod tunc æquissimè fit, quando non videtur convenire cum Juris ratione.

Sufficit verò præsentia moralis ad valorem, etsi Parochus & testes adhibeantur omnino inviti & repugnantes juxta Doctores communiter, & declarationem Cardinalium: quia sive spontè sive inviti adhibeantur, possunt æqualiter postea de contractu matrimoniali testari. Idemque sufficit verbis & intento *Tridentini*: quod non requirit, nisi simpliciter eorum ad testandum præsentiam; quæ habetur, etsi illis invitis. Huc facit *L. Coram Titio* 209. *ff. de Verborum significat.* ibi: *Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat. Itaque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram eo fecisse. Scire autem, non etiam velle, is debet: nam & invito eo rectè fit, quod jussum est.* Intellige, quando in jure requiritur aliquorum præsentia, solùm ut conscii sint de eo quod agitur, nec aliud exprimitur; ut fit in nostro casu. Secùs, quando requireretur præsentia, ut consensum suum præstent; vel si exprimatur, ut intersint volentes & rogati, ut in testamentis; vel quando requiritur auctoritas & ministerium seu præsidentia alicujus ad hoc, ut aliquid agendo munus suum impleat pro valore actûs: ut quando aliquid debet fieri cum decreto judicis aut subscriptione Cancellarii &c.

24. *Non officit valori, quod Parochus vel testes adhibeantur inviti.*

Denique valet Matrimonium juxta plerosque Doctores contra *Farinacium*, *Pontium*, & *Bonacinâ q. 2. pu. 8. n. 49.* etsi Parochus casu transeat aut aliud agat, v. g. in cathedra concioni se accingat &c. modò contrahentes ex intentione coram illo & testibus consensum exprimant, ipseque Parochus cum testibus verè percipiat quid agatur: quia etiam tunc Parochus cum testibus ex intentione contrahentium verè & formaliter adhibetur, potestque tam bene testari de contractu matrimoniali, quàm si adesset invitus seu coactus. Idemque planè foret, si ex intentione contrahendi coram Parocho contrahentes adiissent domum ipsius cum testibus, & ex abrupto expressissent se coram eo & testibus præsentibus accipere invicem in maritum & uxorem respectivè. Immo Parochum formaliter adhibere non videtur esse aliud, quàm ex industria contractum velle inire coram eo tamquam publico & necessario teste. Secùs videri posset (& hoc ad summum volunt declarationes Cardinalium, quæ à *Farinacio* referuntur: si tamen authenticæ sint) si Parochus merè fortuitò præsens fuerit, nec ad illius præsentiam contrahentes respiciant, sed vel de eo nil cogitaverint seu cogitent, vel certè ipsum in testem non adhibeant, sed v. g. contrahant

25. *Aut coram iis casu præsentibus alioqui tale prævidentibus ex intentione contrahentium ineatur Matrimonium.*

Quædam Cardinalium declaratione quo sensu possint verificari.

trahant coram magistratu, parocho per accidens inter multitudinem plebis spectante aut casu transeunte: tunc enim contractus erit clandestinus & nullus; ut advertit *Vallensis in Paratit. in Tit. de Clandest. desponsat. num.* 8. Alioquin sanè durum est dicere, quòd valeat Matrimonium, dum parochus adhibetur invitus, & non valeat, dum adest & adhibetur casu, dummodo constet ipsum æqualiter percipere quid agatur. Ut proinde non omnia sint probanda, quæ habet *Wamesius Tom.* 2. *Consil. Canonic. consil.* 551.

26. *Modi isti agendi sunt inèptientes, regulariter loquendo.*

Nihilominus ut licitè & decenter res peragatur, oportet Parochum advocari, ut sponte intersit, eaque peragat, quæ Ecclesia præscribit. Quamvis utentes simili arte circa Parochum possent excusari, si irrationabiliter renuat assistere, sitque necessitas contrahendi, nec pateat recursus ad superiorem; dummodo personæ non inferatur injuria, nec aliquid aliud desit.

QUÆSTIO III.

Qualiter validari queat Matrimonium in facie Ecclesiæ invalidè contractum?

27. *Defectus in Matrimonio multipliciter contingit & tollitur.*

INVALIDITAS Matrimonii semel celebrati in facie Ecclesiæ potest contingere ex aliquo alio defectu, v. g. ex defectu solius interni consensûs, ex affinitate, similive impedimento. Potest autem defectus iste esse vel publicus vel occultus. Eoque durante certum est constare aut validari non posse Matrimonium. Unde oportet fictionem internam cessare, & accedere novum & serium consensum, sive ex parte illius qui fictionem admisit, sive juxta Nonnullos etiam ex parte alterius, de quo *disp.* 3. *quæst.* 6. Similiter oportet impedimentum esse sublatum, ac deinde accedere novum utrimque consensum.

28. *Si publicus sit, iterari debet solemnitas à Tridentino requisita:*

Sed difficultas est, an hæc instauratio Matrimonii debeat denuò fieri juxta formam *Tridentini* coram Parocho & testibus. Et quidem certum est, quòd sic, in casu quo defectus erat publicus, seu probabilis in foro externo, adeoque invaliditas prioris Matrimonii potest Ecclesiæ probari. Id namque exigit lex *Tridentini* & scopus ejusdem vetantis ac irritantis Matrimonia clandestina. Aliàs namque non posset Ecclesiæ constare de legitimo conjugio, sed possent conjuges invicem deserere convolando ad alias nuptias; quandoquidem probari posset invaliditas prioris Matrimonii, non autem ejusdem revalidatio sublato impedimento.

29. *Immo juxta varios etsi sit omnino occultus.*

Quare controversia restat inter Doctores de casu, quo defectus est perfectè occultus, sic ut non possit probari in foro externo. Nam *Basilius Pontius, Gutierez, Paulus Comitolus l.* 1. *Resp. Moral. q.* 120. & quidam alii Recentiores omnino contendunt debere etiam tunc intervenire solemnitatem à *Tridentino* requisitam: eò quòd tunc non perficiatur contractus matrimonialis; qui aliàs foret clandestinus, adeoque irritus vi *Tridentini* universim irritantis contractus matrimoniales, in quibus desit prædicta forma seu solemnitas. Adducitur etiam conforme Responsum *Clementis VIII.* qui (ut ex Litteris Stephani Tuccii Rectoris sacræ Pœnitentiariæ refert *Comitol. suprà*) rogatus de quodam casu, quo mulier fictè consenserat, *respondit, esse necessarium novum consensum utriusque coram Parocho & testibus, admonito priùs marito de Matrimonii nullitate. Sed* (ut in iisdem litteris additur) *ad evitandum scandalum Sanctitas sua dispensavit, ut secretò inter se contrahant renovato consensu.* Estque hoc indubiè securius. Ideoque ad majorem cautelam in dispensationibus, quæ obtinentur in sacra Pœnitentiaria, solet pariter adjungi facultas renovandi conjugium privatim absque Parocho & testibus, ut Varii referunt.

Nihilominus *Navarrus, Vega, Rodriquez, Corduba, Rebellus, Sanchez, Comitolus, Bonacina, Diana* & plerique alii censent simpliciter non esse necessarium, ut Matrimonium tali casu instauretur coram Parocho & testibus. Pro quorum sententia est declaratio quædam *Pii V.* quam refert *Navarrus c.* 22. *Man. num.* 70. qui insuper testatur de praxi sacræ Pœnitentiariæ. Conformis insuper declaratio Cardinalium refertur in *Remiss. Barbosæ ad sess.* 24. *Trid. c.* 1. *de Refor. Matr.* Denique responsionem quorumdam Episcoporum & Patrum *Concilii Tridentini* affert *Henriquez l.* 11. *c.* 3. *n.* 6. Estque satis recepta in praxi hæc opinio, ob difficultatem, quæ plerumque subest in practicanda opposita. Ex quibus sumitur fundamentum sic interpretandi legem & mentem *Tridentini*, quòd nempe solùm velit adhiberi semel solemnitates, ut constet Ecclesiæ de contractu, quantùm constare potest & debet, nequando malitiosè dissolvi queat: quod hîc etiam fit: cùm enim impedimentum non possit Ecclesiæ probari, non est viâ dissolvendi Matrimonium, quod præsumptione Ecclesiæ erat validum: adeoque quantumvis sublato impedimento occultè instauretur, sequi non poterunt incommoda Matrimonii clandestini, quibus *Tridentinum* obviare intendebat, cujus proinde fini per solemnitatem priùs adhibitam satisfactum videtur. Huc etiam facit, quòd *Tridentinum* potissimùm intendat invalidare, quod priùs erat prohibitum; non videatur autem fuisse inhibita occulta ratificatio Matrimonii in facie Ecclesiæ contracti, sed invalidi ob occultum impedimentum. De opposito responso *Clementis VIII.* non constat authenticè juxta *Diana*; aut certè datum fuit velut à Doctore privato, non autem velut ex cathedra Pontificium oraculum depromen-

te,

te, juxta eumdem *Diana*: ut proindè vi hujus responsi, ac quo ex privato Judicii testimonio constat, nullâ verosimilitudine potuerit *Paulus Comitolus* auferre Theologis libertatem secùs opinandi.

A doctrina præmissa excipit *Sanchez l. 2. d. 37. num.* 10. quando aliquis testium sive Parochus dum assistit Matrimonio, scivit subesse impedimentum: eò quòd non videatur posse esse testis valoris Matrimonii, quod ratione occulti impedimenti scit esse nullum. Sed consequenter ad præmissa loquendo, melius id negat *Coninck* & alii: eò quòd testes illi non adhibeantur, ut testentur Matrimonium esse à parte rei validè contractum (quod ipsi scire non possunt) sed ut testentur esse ritè contractum quoad externam apparentiam: cùm autem unus tantùm sciens impedimentum non faciat illud sufficienter probabile in foro externo ad dissolutionem Matrimonii jam contracti (ut patet ex c. *Super eo*, & c. *Ad nobis, de testibus*) erunt tales secundùm præsumptionem Ecclesiæ veri conjuges, poteruntque cogi ad manendum in Matrimonio.

QUÆSTIO IV.

De Proclamationibus seu Denuntiationibus Matrimonio præmittendis.

DICO I. Illicitè contrahitur Matrimonium non præmissis denuntiationibus; non tamen irritè. Prima pars constat ex c. fin. *De cland. desponsat. & Trident. sess.* 24. c. 1. *de Reform. Matrim.* ubi hoc strictè præcipitur. Secunda pars est certa apud omnes, & declarata à Cardinalibus ac observata in praxi. Patet que ex eo, quòd Concilium aut aliud jus nullibi addat particulam irritantem; sicut addit *Tridentinum*, dum prohibet sine parocho & testibus Matrimonium celebrari.

DICO II. Denuntiationes debent fieri in parochia contrahentium. Colligitur ex *Tridentino suprà* requirente eas fieri in Ecclesia à proprio Parocho contrahentium. Quòd si sponsus & sponsa sint ex diversis parochiis, debent fieri in parochia utriusque, ut habet usus, & declaravit *Congregatio Cardinalium* & præscribit *Rituale Romanum Tit. de Sacram. Matr.* ac postremò expresè præcipit *Synodus Mechlinienſis Tit. de Sponsal. c.* 3. Ratio est: quia alioquin non possent impedimenta satis nosci seu detegi. Quòd si recenter sponsi commigrassent ad aliquam parochiam, Doctores aliqui (inter quos *Basilius Pontius*) censent denuntiationes debere fieri in parochia, in qua de facto habitant. Sed *Sanchez*, *Bonacina*, *Diana* & plures alii putant conformius intentioni & scopo Ecclesiæ, eas fieri, ubi antea habitarunt: eò quòd ibi meliùs eorum impedimenta detegi possint. Et quidem indubiè securissimum est, ut in utroque loco fiant denuntiationes. Difficile quoque est improbare, quod tali casu habuerit praxis locorum Ordinariis probata. In rigore tamen Juris videtur prior opinio verior: salvato moderamine, quod dictat ratio, ut nimirum in parochia præcedenti fiat inquisitio, qualem circumstantiæ personarum exegerint, addito, si videatur, juramento contrahentium de carentia impedimenti.

DICO III. Denuntiationes debent præmitti tribus diebus continuis festivis. Ita *Tridentinum suprà*. Putat autem *Sanchez* cum aliis, non esse mortale, si omittatur una denuntiatio, quando moraliter certum est nullum subesse impedimentum. Tamen *Coninck*, *Præpositus* & plures alii volunt esse mortale: eò quòd omissio unius etiam denuntiationis videatur res esse gravis. Et quidem stante lege & usu, ut fiant tres, posset contingere, ut aliquis vellet expectare tertiam ad denuntiandum impedimentum.

34. *Denuntiationes sunt faciendæ tribus diebus festivis & continuis.*

Circa festivitatem dierum notat *Sanchez* & alii passim (contradicente *Pontio*) posse denuntiationes fieri die non festivo, quando ingens populi multitudo ad Ecclesiam accedit: eò quòd finis *Tridentini* solùm esse videatur, ut Matrimonium contrahendum multis innotescat, sicque faciliùs impedimenta detegantur; quod tam bene obtinetur tali die, quàm die festo. Unde idem *Sanchez* & plures alii ob eamdem rationem existimant, proclamationes posse fieri extra Ecclesiam & Missarum solemnia; etsi *Tridentinum* dicat eas faciendas in Ecclesia inter Missarum solemnia.

35. *An interdiu sufficiat dies non festivus.*

Circa continuationem festivitatum nota, eas esse continuas, quæ nullo alio festo interpolantur; quando autem festivitates sunt ita continuæ, ut nulla alia dies intermediet, præstaret juxta multos Doctores, ut aliquot dies inter proclamationes intermittantur, sicque tempus opportunius detur impedimenta detegendi. Deinde si uno aut altero festo die intermittantur, non est mortale, ob parvitatem materiæ; immo in quibusdam provinciis videtur usitatum ut denuntiationes fiant diebus Dominicis aut festis discontinuis. Ita *Præpositus q.* 4. *dub.* 15. Præscribit autem *Rituale Romanum Tit. de Sacram. Matrim.* ut si infra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur; nisi aliter Episcopo videatur.

36. *Qualiter debeant esse continui.*

Circa ipsas denuntiationes notanda sunt verba *Tridentini suprà* dicentis: *Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantùm denuntiatio fiat, vel saltem parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiatio-*

37. *Qualiter possit Ordinarius dispensare in bannis.*

tiationes in Ecclesia fiant, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes omittantur: quod illius prudentiæ & judicio sanctæ Synodus relinquit. Ex quibus verbis colligitur Episcopos posse in denuntiationibus dispensare; idque non tantùm in casu ibi expresso, quem velut principalem *Tridentinum* allegat, sed etiam in aliis: ut constat ex Doctoribus communiter, & quotidiana praxi, quæ etiam ante *Tridentinum* viguit, & quam idem Concilium in antiquis terminis juxta tenorem Concilii Lateranensis *c. fin. de Clandest. desponsat.* cujus se dicit vestigiis inhærere, reliquit. Ex iisdem verbis patet, Ordinario dispensante, ut Matrimonium contrahatur non præmissis denuntiationibus, debere illas præmitti consummationi, nisi etiam in hoc Ordinarius dispenset (prout in Belgio dispensare solet, teste *Zypæo in Analysi Jur. Pont. novi lib. 4. Tit. de Sponsal.*) adeò ut juxta communiorem doctrinam conjuges peccent mortaliter, si citiùs consumment, saltem pro prima vice. Et hoc ordinavit Concilium, ut impedimentum, si quod fortè subsit, detegi possit, Matrimonio etsi contracto, necdum tamen consummato; sicque facilior sit separatio.

In Belgio solet unà dispensari, ut non præmittantur consummationi.

38. *Nomine Ordinarii hic etiam intelligitur Vicarius Generalis, Quando et locus Epykiæ,*

Nomine porrò Ordinarii intelligitur hîc quoque Vicarius generalis Episcopi, qui proinde dispensare potest in bannis, etiam per delegatum. Immo in necessitate valde urgenti posset Parochus uti epykiâ, dum non est aditus aut tempus adeundi superiorem, aut is non vult (cùm obligaretur) dispensare; aut ipse non potest sine gravi damno abstinere ab assistentia, v.g. cogatur assistere &c. nam lex ista humana non obligat cum tanto detrimento. Quia tamen est res publica non debet Parochus id facilè practicare, tum ob periculum abusuum, tum quia difficultatem patereter in foro Episcopali ad se justificandum; tum quia plures non sunt satis prudentes, ut per se ipsos judicent de sufficientia fundamenti ad utendum epykiâ. Aliundè quoque valde utilis est lex ista bono communi: cujus dispensatio nimis facilis parit frequenter in republica Christiana non levia incommoda; ut idcirco ipsi Hæretici vicini sint sine comparatione rigidiores Catholicis in observantia proclamationum. Quod meritò ponderent Ordinarii: quorum alioquin judicio & prudentiæ relinquitur arbitranda causæ sufficientia.

Improbanda nimis facilis dispensatio.

39. *Est per se loquendo gravis obligatio denuntiandi impedimenta.*

Dico IV. Est gravis obligatio detegendi & denuntiandi impedimenta. Est certum apud omnes: tum quia Ecclesia hoc expressè præcipit: tum quia jure naturali charitatis tenetur quis impedire peccatum contrahere volentium & quæcumque postea subsequentur, manendo in tali conjugio; aut saltem (si sint in bona fide) tam grave incommodum Matrimonii irriti, & periculum peccati ac scandali, si postea discant suum impedimentum. Hoc autem verum est, quantumvis impedimentum sit occultum, vel sub secreto commissum: quia major est habenda ratio Sacramenti & salutis proximi, quàm hujus famæ aut secreti commissi. Si tamen contracturi Matrimonium putentur privatâ monitione facti ulteriùs non progressuri, hæc semel atque iterum secundùm leges charitatis est præmittenda. Si etiam conscius impedimenti nequeat illud denuntiare cum spe fructûs, aut sine gravi suo vel suorum incommodo aut aliorum scandalo, cessat obligatio denuntiandi, uti & in simili corripiendi. Habet autem hæc oblgatio locum etiam in impedimentis merè prohibentibus, v. g. voti, Religionis aut castitatis, promissionis sponsalitiæ alteri factæ: imminet enim, non quidem Matrimonii nullitas, sed peccatum sic contrahere volentium aut etiam injuria tertii: quàmvis non tanto rigore aut cautelâ in his procedendum sit, sicut in impedimentis dirimentibus.

Est etiam in impedimentis merè prohibentibus.

Petes, quid faciendum sit contrahere volentibus, si laborent impedimento occulto, super quo sit cum eis dispensatum secretò & pro foro conscientiæ, & rogentur à Parocho, an non habeant impedimentum? Resp. eos non debere impedimentum fateri. Secùs esset, si deesset dispensatio præfata, vel certè impedimentum esset aliis quoque notum: tunc enim tenerentur fateri, vel potiùs à contractu abstinere.

Occasione præsentis laborantibus impedimento occulto.

Delato porrò ad Parochum aliquo impedimento etiam prohibente, debet ab ipso Matrimonium sus[illegible] donec res discutiatur. Quæ quidem [illegible] judicium Prælati deferenda est juxta D[illegible]res. Intelliges, si res sit dubia, & graviori discussione indigeat. Si namque facilè appareat, quòd sit frivola, potest contrahi. E contrà, si satis appareat esse solidam & veram, ideoque contrahere volentes desuper moniti supersedeant, non est cur molestandus sit Prælatus. Qualis verò probatio impedimenti sufficiat, ut non permittatur Matrimonium contrahi, ex professo discutiunt Canonistæ: ex quibus plura adfert *Sanchez lect. d. 71.* ubi ex communi sententia tradit sufficere testem unicum, etiam ipsummet qui defert, seriò deponentem de veritate impedimenti. Quod quidem de Sponsalibus non juratis expressè habetur *c. Præterea 7. de Sponsal.* & *c. Super eo 22. de Testibus.* Quàmvis de Sponsalibus juratis secus sentiant *Paludanus, Glossa, Panormitanus* & alii Juristæ, quibus favet *c. Præterea cit.* ubi tamen est sermo de teste allegante propriam turpitudinem. Unde de Sponsalibus juratis etiam censet *Sanchez suprà* & plures alii sufficere unum testem fide dignum.

Quæ probatio impedimenti sufficiat.

41. *Affirmans negandæ.*

Est denique communis sententia Parochum debere assistentiam negare etiam publicè petentibus, etsi impedimentum sit occultum,

celum, & adferens infamiam, si fraternè moniti non desistant: tum quia Ecclesia statuit denegandum Matrimonium (quod utique secus publicè peti, & non debet nisi publicè contrahi) ob impedimentum, quod etiam unius solius testimonio constat: quod utique est occultum, regulariter saltem & prima facie: non quia hac in parte agit in foro externo adinstar judicii, in quo habet pro sufficienti notitia etiam illud, quòd si clanculùm constat: tum quia maximè congruit Matrimonium hîc negari, dum est impedimentum dirimens ob gravissima incommoda. Si autem est tantùm prohibens, tunc potest sine alia infamia propalari; v.g. votum castitatis aut Religionis, aut certè cedit in damnum tertii, ut si volens contrahere sit alteri desponsatus, cui proinde ex justitia consulendum est.

Petes, quæ sit pœna statuta assistentibus Matrimonio non præmissis denuntiationibus? Resp. Parochum vel quemvis alium sacerdotem, qui præsumpserit hujusmodi Matrimonio assistere, incurrere suspensionem ferendæ sententiæ ab officio, sive ab actibus Ordinis & officii clericalis, per triennium, computandum scilicet, non a die delicti, sed à die latæ sententiæ. Patet ex c. *Cùm inhibitio, de Clandest. desponsat.* ubi hæc pœna statuitur contra Sacerdotes assistentes Matrimonio clandestino etiam ex defectu solarum denuntiationum. Quæ pœna non est sublata per *Concilium Tridentinum*, quod aliam novam pœnam non imposuit. Et tamen non faceret Parochus assistens Matrimonio clandestino defectu testium, utpote invalido: nam pœna c. *Cùm inhibitio* respiciat Matrimonia clandestina valida. Ipsum verò *Trident. sess. 24. c. 1. de reform. Matrim.* Parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes qui sine Parocho vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit. Et infrà subdit: *Quòd si quis Parochus vel alius Sacerdos ..... alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* Præterea ipsi contrahentes per c. *Cùm inhibitio* privantur favore concesso c. *Ex tenore, qui filii sint legitimi*, si contrahant non præviis denuntiationibus. Qui favor est iste, quòd proles essent alioquin legitimæ, quæ nascuntur ex Matrimonio in gradibus prohibitis ignoranter contracto, adeoque invalido. Si tamen ipsi sic contrahentes Matrimonium faciant postea, impedimento necdum detecto, publicari seu denuntiari, filii exinde geniti sunt habendi legitimi, etsi impedimentum postea detegatur, c. *Quod nobis, qui filii sint legitimi*; quasi nimirum fuisset Matrimonium à principio cum debita publicatione contractum. Addit *Trid. sup. c. 5.* ut si contrahentes neglexerint solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio, & ignoranter contraxerint intrà gradus prohibitos, spe dispensationis careant, ac si intrà illos scienter contraxissent: *non enim* (inquit Concilium) *dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit.* Unde petentes dispensationem deberent necessariò tale vitium in contractu Matrimonii commissum exprimere.

DISPUTATIO SEXTA.

De Impedimentis Matrimonii.

QUÆSTIO I.

De Impedimentis Matrimonii in communi.

1. Impedimenta Matrimonii generatim sunt illa, quæ obstant, ne Matrimonium ritè celebretur. Et quidem si obstent, ne Matrimonium celebretur validè, vocantur impedimenta dirimentia; si verò tantùm, ne celebretur licitè, vocantur communiter impedimenta impedientia, aut rectiùs merè prohibentia. Hujusmodi fuere etiam in veteri Lege, ut patet *Levit.* 18. ubi vetatur Matrimonium filiorum Israël cum matre, noverca, sorore, nepte ex filio vel filia, sorore privigna, amita vel matertera, item cum uxore patrui vel avunculi, cum nuru, cum uxore fratris, nisi is mortuus sit sine liberis, cum nepte privigna, denique cum sorore uxoris, hâc superstite. Illa porrò impedimenta etiam fuisse dirimentia est exploratum *Raphaeli Aversa. q. 9. sect. 1.*

2. *An vel qualiter hac locum habeat in nova Lege.*

Saltem ipsa in Lege nova non habent locum, nisi in quantum aliqua sunt juris naturæ, vel quæ etsi essent juris divini positivi, tamen sunt ab Ecclesia resumpta ob morales congruentias. Et *Trident. sess. 24. can 3.* agens de gradibus in Levitico expressis, dicit anathema asserenti, *non posse Ecclesiam in nonnullis*, utpote nunc juris Ecclesiastici, *dispensare.* Hoc verò modo intelligendum est, quòd *Zacharias* Papa c. *Pitacium 30. q. 3.* allegat, per modum scilicet convenientiæ, Legem Levitici de abstinendo à propria cõsangui-

sanguinea, inde arguens quasi à fortiori, quòd *multò magis à spirituali vestri patris filia ..... sub nimia districtione nos cavere convenit.*

Et *Innocentius III.* c. *Litteras, de Restit. spoliat.* procedens solùm arguendo & referendo sententias, allegat obiter Ecclesiam in gradibus jure divino prohibitis dispensare non posse, supple convenienter, ideoque non consuevisse, quia scilicet non expedit, ordinariè loquendo, etsi (ut praxis Ecclesiæ docet) interdum dispenset, & ipsam in quibusdam gradibus à Deo olim prohibitis dispensare posse, definiat *Tridentinum sup.* & quantum ad secundum gradum supponit idem *Tridentinum sup. c.* 5. Ipseque *Innocentius III.* c. *Gaudemus, de Divortiis.*

Similiter *Gregorius* Papa c. *Quadam lex* 35. q. 3. *de Conjugio consobrinorum* dicens, *Experimento didicimus ex tali Conjugio sobolem non posse succrescere, & sacra Lex prohibet cognationis turpitudinem revelare*; alludit quidem ad verba Levitici, tamen solùm adducit per modum convenientiæ & exempli ad statuendum quid simile, vel etiam amplius. Aut certè nomine sacræ Legis intelligit Ecclesiasticam: cùm alioquin constet Matrimonia consobrinorum fuisse apud Judæos licita, & potiùs consanguineorum in tertio gradu; & tamen infert *Gregorius*: *Unde necesse est, ut in quarta vel quinta generatione fidelium licenter sibi conjungantur.*

3. *Potest indubiè Ecclesia statuere impedimenta, tam dirimentia, quàm alia.*

Ecclesiam porrò posse utriusque generis impedimenta præscribere, patet ex antiqua Ecclesiæ praxi, & de dirimentibus sub anathemate definit *Trid. sess. 24. can.* 4. Ratio est: quia Matrimonium non tantùm est Sacramentum, sed etiam contractus; hic autem ita subest dispositioni reipublicæ, ut nisi conditiones ab illa præscriptæ serventur, sit illicitus vel etiam invalidus. Unde etiam posset respublica, sive princeps sæcularis infidelis præscribere impedimenta Matrimonii respectu infidelium sibi subjectorum: hi enim non sunt subjecti Ecclesiæ, neque eorum Matrimonia sunt Sacramentum. Quare id ipsum possent principes fideles circa subditos suos infideles, si qui sint tales.

Similiter princeps quoad infideles sibi subjectos.

4. *An circa hos ita id possit princeps infidelis, ut adstringantur pariter fideles subjecti, incertum.*

Sed dubitatur, an princeps infidelis sic possit statuere impedimenta Matrimonii, ut adstringantur pariter fideles ei subjecti. Ratio dubitandi est, quòd etsi Matrimonium inter fideles sit Sacramentum, tamen præsuppositivè sit contractus civilis, & eatenus subdatur potestati politicæ, nisi Ecclesia reservet, reservationi autem locus esse non videatur circa infideles Ecclesiæ non subjectos. Quare sic censet *Sanchez, Coninck* & alii. Verùm non videtur posse negari, quin Ecclesia facere id possit saltem indirectè, sicut potest eximerè fideles à potestate principum infidelium in aliis obstantibus bono & fini supernaturali: cui in præsenti proposito id expedit, tum ob Sacramenti dignitatem, tum ob uniformitatem inter Christianos. De facto autem leges sunt generales, quibus Ecclesia indefinitè Christianos in causa matrimoniali eximit à legibus civilibus. Ideoque sic censet *Dicastillo d.* 7. *dub.* 1. *Diana* & alii. Res tamen incerta est, & hoc tempore non nata usuvenire.

Illud certum est, Ecclesiam sibi reservasse de facto hanc potestatem quoad principes Christianos; ut ipsa Ecclesiæ principum & populorum praxis apertè docet. Et colligitur ex c. *Tuam, de Ordin. cognit.* Et c. 1. *de Consang. & affinit.* Immo *Basilius Pontius, Aversa* & alii censent id oriri ex jure divino, ipsâque institutione Sacramenti, seu elevatione Matrimonii ad dignitatem Sacramenti. Sed nullatenus sufficienter id probant. Et alioquin Christus elevando Matrimonium ad statum Sacramenti, reliquit ipsum contractum invariatum; & hac in parte potuisset specialiter invariatum relinquere; non constat autem, quòd non reliquerit. Quare sicut materia & artificium calicis consecrati subjacet humanis permutationibus non obstante consecratione: sic contractus matrimonialis subjacere posset dispositioni politicæ non obstante annexâ ratione Sacramenti.

Id itaque firmum maneat, & sufficiens, quòd principes nil possint hîc citra voluntatem Ecclesiæ; & Canonibus esse standum, si leges contradicerent. Nil quoque eos posse circa ipsum Matrimonium ultra statuta ab Ecclesia. Posse tamen pœnis suis roborare leges Ecclesiæ, & de hujus assensu similia statuta facere, & insuper leges condere de quibusdam rebus mere temporalibus annexis Matrimonio, & non concernentibus ipsius vim aut substantiam: utpote de dote, de donationibus inter virum & mulierem, de sponsalitiis largitate, & similibus: ut omnes fatentur.

Quid sit facultas.

Impedimenta porrò pro tota Ecclesia statuere potest Pontifex. Episcopis quoque conest respectivè ad suas diœceses hæc potestas adempta, sive ex natura rei, sive ex jure divino, sive etiam ex jure scripto, quod extet saltem in Corpore juris; sed consuetudine universali & longævâ. Alioquin reperiuntur de facto varia impedimenta statuta in Conciliis particularibus, quæ Ecclesia universalis tandem acceptavit. De facto quoque posset Episcopus, aut etiam inferiores curam animarum habentes in casu speciali ob scandalum v. g. vel difficultatem motam de impedimento, interdicere aliquibus, ne simul contrahant: non tamen irritando Matrimonium secùs attentatum.

Quid sint Episcopi.

8. *Possunt contrahentes inducere impedimenta.*

Possunt insuper induci impedimenta per consuetudinem, utì aliæ leges, etiam irritantes; & supponitur c. 1. *De Cognat. spirit.* Et *suavius* in clarius c. *Super eo, eod. tit.* Et rursum c. *Quod dilectio, de Consanguinit.* An similiter possent consue-

consuetudine abrogari, dubitari posset. Affirmat *Sanchez*, *Pontius*, *Coninck* & quidam alii: tum quia ipse Pontifex potest ea abrogare per legem expressam, & de facto interdum nonnulla abrogavit: tum quia consuetudo potest ea introducere, adeoque & abrogare: per quas enim causas res nascitur, etiam dissolvitur. Recepta nihilominus Doctorum sententia id negat ex c. *Quod super his, de Consanguinit.* ubi deciditur non valere Matrimonium contractum in gradibus prohibitis, *non obstante consuetudine quæ ducenda est potius pro corruptela*: cùm enim tota vis consuetudinis præcisè sit à voluntate Papæ, non plùs, quàm is velit, valere potest: non censetur autem voluisse, ut valeat, quando ipse eam reprobat, & corruptelam aut simili modo vocat. Nisi dein eam sciens verbo aut facto approbet: tunc enim de novo vult, ut valeat. Opinio nihilominus *Sanchez* potest probabiliter sustineri ob generalem dispositionem *cap. fin. de Consuetud.* ubi sermo est de consuetudine rationabili, qualis in ordine ad abrogationem alicujus impedimenti esse ita posset, ut rationabiliter illud ipse Legislator abrogaret per speciale edictum, & consequenter idem rationabiliter fieret vi consuetudinis per generalem Juris dispositionem. Unde ipse *Innocentius III.* impedimentum consanguinitatis sine corruptela Ecclesiasticæ disciplinæ reduxit ad quartum gradum. Consuetudo autem, quam c. *Quod super his, de Consangu.* corruptelam vocat, de ea quæ necdum erat satis vulgò & diu recepta, sed obscura & aliquorum tantùm, posset intelligi; prout satis explicatur in principio Epistolæ *de eradic.* quod habetur adjunctum in exemplaribus Plantinianis. Ut proinde fuerit abusus & corruptela legi vigentis de non contrahendo intrà gradus prohibitos: cui Pontifex obviare intendit cavendo, ne hujusmodi abusus toleretur. Cum quo consistit, ut longævitate & continuitate, communique accedente diuque tolerato consensu, fiat consuetudo ipsa rationabilis & præscripta, cui consensum Principis personalem, immo legalem congruat esse conformem.

Petes, an possit Pontifex statuere in casu & persona privata impedimentum, quò minùs cum alia certa persona Matrimonium validè contrahat? Resp. Aff. dum adest justa causa, v. g. speciale delictum talium personarum, grave scandalum vel damnum ex tali Matrimonio oriturum. Sicut enim Ecclesia justè illis interdicit, ne Matrimonium inter se contrahant, cur similiter non possit eosdem ad illud inhabilitare? Unde etiam referuntur aliqui casus, in quibus Papa id fecerit. Immo posset esse casus, quo alicui justè penitùs inhiberetur quodvis Matrimonium, etiam cum inhabilitate. Sicut enim ob delictum imponitur pœna capitis, perpetuæ servitutis, exilii, aut carceris, & variæ pœnæ inhabilitatis ad alios actus: cur non possit imponi pœna inhabilitatis ad Matrimonium? Et ita refert *Alexander de Nevo* in c. *Tuas, de Sponsa duorum* id factum fuisse ab *Vrbano V.* adversùs Bernabonem Vicecomitem dominum Mediolanensem, ejusque filios Ecclesiæ rebelles.

Ad statuenda porrò impedimenta legitima Matrimonii requiritur rationabilis causa. Unde graviter peccaret Pontifex sine justa causa statuens impedimenta, utì alias leges graves, & specialiter in hac materia restringendo libertatem Matrimonii. Immo juxta Doctores communiter contra paucos, invalidè ea statueret sine causa convenienti, utì & alias leges, & specialiter in hac materia. Non est tamen subditis integrum judicare de sufficientia causæ; sed regulariter pro ea est præsumendum. Et aliqua fuisse sine justa causa in Ecclesia statuta, non nisi temerè cogitaretur: cùm sit res tanta & tam publica. Quamquam non omnes causæ sint æquè urgentes: & quædam potiùs suadeant quàm necessitent: & ob novas causas, subinde etiam ex abusibus emergentes, aut alias subinde convenienter aliqua impedimenta postmodum Ecclesia restrinxerit. Immo etiam dum condebantur aliqua, poterant esse rationes pro & contrà sufficientes ad statuenda, & ad non statuenda seu tollenda: sicut plerumque in rebus moralibus seu politicis sunt rationes pro & contra.

10. *Secluså causâ rationabili impedimenta statuentur illicitè.* *Immo invalidè.*

QUÆSTIO II.

De Impedimentis impedientibus seu merè prohibentibus.

IMPEDIMENTA merè prohibentia olim erant duodecim, & exprimuntur his Versibus:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum.
Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipias: prohibent hæc conjugium sociandum.

11. *Duodecim impedimenta merè prohibentia versibus expressa.*

Ex his quinque priora oriuntur sine crimine sive culpâ, septem autem posteriora ex crimine personæ per modum pœnæ.

Primum est Ecclesiæ vetitum seu Interdictum, quando scilicet Prælatus, aut alius juste alicui prohibet nuptias ad tempus; v. g. si dubitetur de impedimento, an hoc subsit, ut interim de illo inquiratur. Quæ prohibitio cùm sit de re gravi, obligat sub mortali.

12. *Ecclesiæ vetitum quid.*

Eò spectat excommunicatio,

Huc etiam spectat excommunicatio, quâ excommunicatus arcetur ab usu omnium Sacramentorum. Deinde Nonnulli huc referunt tempus interdicti Ecclesiastici (quod est unum ex censuris) quo volunt esse illicitum inire Matrimonium, ut *Suarez, Præpositus* & alii. Sed Doctores communiùs hoc negant, modò omittatur benedictio, quæ tunc semper est illicita. Vide quæ diximus *Parte 2. Tract. 3. d. 6. de Censuris q. 4. num. 22.* & *Sanchez l. 7. d. 8.*

Non tempus interdicti.

13. *Tempus feriatū quodnam sit.*

Secundum est Tempus feriatum. De quo ita *Rituale Romanum Tit. de Sacram. Matr.* Sermonem meminerint Parochi, à Dominica primi Adventûs usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusivè, solemnitates nuptiarum prohibitas esse; ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. *Matrimonium autem omni tempore contrahi potest.* De solis etiam solemnibus nuptiis sive nuptiarum solemnitatibus loquitur *Pastorale Mechlinienſe Tit. de Ritu ac forma celebrandi sponsalia*, & *Tridentinum sess. 24. c. 10.* ubi quoque veterem rigorem nonnihil remisit. Plura enim olim tempora erant, quibus nuptiarum solemnia interdicebantur. c. *Capellanus, de feriis.* c. *Non oportet* 1. & 2. c. *Non licet.* c. *Nec uxorem* 33. *quæst.* 4.

Non Matrimonium, sed hujus solemnitates tunc inhibentur.

14. *Quæ praxis Provinciæ Mechlinienſis.*

Solet nihilominùs in Provincia Mechlinienſi recurri ad Ordinarium, qui ex legitima causa ad Matrimonium tempore clauso contrahendum admittat, cavendo adhuc à solemnitatibus conviviorum nuptialium, choreis, sponsarum publicis traductionibus & similibus: ut ordinat *Synodus Mechlinienſis II.* (quam, Sedes Apostolica approbavit) *Tit. 10. c. 8.* idque ideo, quòd (ut notat *Zypæus in Anal. jur. Pont. novi l. 4. Tit. de Matrim. Contracto contra Interd. Eccles.*) in his ditionibus semper benedicantur nuptiæ eodem tempore quo contrahuntur (quod tamen non est necessarium) & benedictiones nuptiarum tamquam solemnia earum prædicto tempore à *Tridentino suprà* inhibeantur. Immo *Sanchez l. 7. d. 7. num. 18.* & alii docent isto tempore solam benedictionem inhiberi sub mortali; fundatque se *Sanchez* in consuetudine. Quæ tamen non apparet recepta ubique locorum, saltem in his ditionibus. Addit *Zypæus suprà* contra hanc temporum inhibitionem, veluti factam à superiore, non posse Episcopum jure ordinario dispensare, tamen consuetudinem hîc passim secùs obtinere. Immo hanc dispensationem apertè supponit *Synodus Mechlinienſis suprà* esse penes Episcopum. *Sanchez* tamen *l. 7. d. 7. num. 6.* & alii putant illam non competere Episcopis per se, sed tantùm in casu urgenti, ubi non esset recursus ad Pontificem.

An sola benedictio tunc sit graviter inhibita.

An facultas dispensandi sit penes Episcopum.

15. *Impedimentum Catechismi quid.*

Tertium est, quod oritur ex Catechismo, seu quadam instructione, quæ solet Baptismo præmitti: dum enim quis tenet aliquem in Catechismo nomine illius respondendo sacerdoti interroganti, an credat &c. talis contrahit simile impedimentum sed impediens tantùm, quale dirimens contrahit is, qui suscipit aliquem ex sacro fonte, ut habetur c. *Per Catechismum, de Cognat. spirit. in 6.* & alibi. Tamen *Ovandus, Sa, Pontius, Petrus & Bartholomeus Ledesma, Sanchez supra d. 10. n. 12.* & plures alii probabiliter docent hoc impedimentum nunc esse sublatum per *Trid. sess. 24. c. 2. de Reform. Matr.* ubi num. post designatas personas, inter quas deinceps contraheretur cognatio spiritualis, concludit: *Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis.* Quàmvis autem ibi principaliter fit sermo de impedimento dirimente, non vetat tamen, sed suadet favor ampliandus, quòd verba sumantur in tota sua generalitate, aut certè dicta de impedimento dirimente censeantur eminenter seu virtualiter dicta, etiam de prohibente tantùm. Quemadmodum oppositum sentientes non gravatè concederent *Tridentinum*, ubi saltem à fortiori hoc impedimentum Catechismi (quod olim ad plures personas extendebatur, sicut cognatio dirimens ex Baptismo) fuisse restrictum ad easdem personas, ad quas cognatio spiritualis dirimens, quantumvis contendant de hac sola *Tridentinum* loqui. Accedit, quòd ita referatur declarasse *S. Congregatio*, ut testatur *Pontius l. 6. c. 11.* Unde etiam hoc impedimentum ampliùs à nemine curari, nec desuper inquisitio fieri videtur.

Quartum sunt Sponsalia, quamdiu enim hæc non solvuntur, obligant ex natura rei sub mortali ne matrimonium cum alia contrahatur; ut patet.

Quintum est Votum simplex (idem est de juramento) religionis vel castitatis perpetuæ, vel susceptionis Ordinis sacri, vel non ineundi Matrimonium: qui enim tale votum emisit, Matrimonium contrahere prohibetur: nam contrahendo vel violaret votum, vel poneret se in statu cum observantia voti incompossibili.

Est tamen inter hæc vota notanda quædam differentia: nam qui contrahit matrimonium emisso voto non contrahendi, peccat quidem in ipsa contractione, postmodùm tamen potest petere & reddere debitum: eò quòd votum illud se tantùm extenderet ad abstinendum ab actione contractiva Matrimonii. Similiter qui vovit suscipere Ordinem sacrum, peccat contrahendo, quatenus facit se inidoneum ad susceptionem Ordinis sacri: cùm tamen ultra non videatur se obligasse, potest petere & reddere debitum, donec Matrimonio dissoluto, vel aliàs fiat ei integrum suscipere Ordinem. Qui verò vovit castitatem, non tantùm peccat contrahendo, sed insuper obligatur numquam petere debitum (nisi cum

cum ipso in hoc dispensetur ab habente potestatem) ut sic votum servet, quantum sibi possibile: quia tamen per votum non potuit jus alterius præjudicare, tenetur petenti debitum reddere etiam primâ vice, quando & sicuti teneretur non ligatus voto. Vide *Lessium l. 2. de Justitia c. 41. dub. 6.* Qui demùm vovit ingredi Religionem, manet conjugatus usque ad consummationem, nec potest sub mortali consummare, sive petendo debitum, sive reddendo; eò quòd per consummationem faciat impletionem voti sibi impossibilem. Posità tamen consummatione, cùm impletio voti sit ei facta impossibilis, potest ulteriùs debitum reddere & petere, donec conjuge moriente aut adulterante vel consentiente in ingressum Religionis, ipse votum suum debitæ executioni mandet.

18. Præterea sunt varia crimina, ob quæ in pœnam interdicebatur criminoso per Canones antiquos quodvis Matrimonium. Quæ crimina, saltem ut plurimùm, erant talia, ut cederent in injuriam seu præjudicium Matrimonii, quibus proinde proportionata videbatur hujusmodi pœna. Primum erat incestus scienter commissus cum affine, aut cum illa, cum qua intercedebat publica honestas, quamdiu complex vivebat, aut etiam extra plures incestus cum propria consanguinea. Quod postremum tamen negat *D. Thomas, Sanchez, Bonacina* & plures alii, eò quòd hic incestus sit potiùs injuriosus naturæ, quàm Matrimonio; Controversia etiam est inter Doctores, ad quos gradus hoc impedimentum extendebatur.

19. Secundum raptus sponsæ alienæ ipsâ vel sponso invito: dignus enim erat arceri à quovis Matrimonio, qui alienum perturbabat. Per Sponsam intelligit *Sanchez, Coninck,* & *Pontius* uxorem, seu jam nuptam. At conformius textui c. *Statutum* 27. q. 2. intelligitur etiam sponsa de futuro; in qua similiter concurrit ratio præacta. Immo in textu citato est specialiter sermo de sponsa de futuro.

20. Tertium, occisio injusta propriæ uxoris: merito enim à quovis conjugio arcebatur, qui sic in proprium deliquerat. Idem est juxta plures, si mulier occidat virum ex paritate juris, & exemplo impedimenti dirimentis, ac unitate rationum, quæ assignantur in jure, ac denique correlatione inter virum & uxorem. Multi tamen contradicunt cum *Roeso l. 4. Tit. 16. num. 7.* eò quòd cap. *Interfectores*, c. *Quicumque*, c. *Admonente* 33. q. 2. tantùm loquantur de viro occidente uxorem, hâc ratione, quòd proniores sint & audaciores viri ad cædem uxorum, quam è diverso uxores ad cædem maritorum. Ut illi sint magis reprimendi, & cessante rationis paritate, textus ex argumento correlativorum non sint extendendi in odiosis & pœnalibus. Verumtamen priori sententiæ plurimùm favet cap. *de Divortiis*, & cap. *Si quis vivente* 31. *quæst.* 1.

Quartum, susceptio propriæ prolis defunctæ facta ex industria ad se eximendum à debito conjugali. Quintum, occisio injusta presbyteri. Sextum, publica seu solemnis pœnitentia, saltem eâ durante. Abstinere enim à Matrimonio erat pars quædam publicæ pœnitentiæ. Septimum, contractus Matrimonii cum Moniali scienter initus. 21. *Quatuor reliqua recensentur.*

Verùm hæc impedimenta ex crimine non obligare, ubi tolerantibus Prælatis contraria consuetudo invaluit, docent Varii; seu ubi de consuetudine abrogante constat, ut loquuntur alii. Immo simpliciter & absolutè asserunt *Navarrus, Sanchez, Pontius, Coninck, Diana* & alii passim esse abrogata per consuetudinem de consensu seu conniventia Ecclesiæ. Constat enim de usu, quo rei similium criminum nec abstinent à Matrimonio, nec dispensationem petunt ipsi vel alii pro ipsis: neque de illis sunt soliciti prælati aut curam animarum gerentes. Jus Canonicum quoque reprobans consuetudinem contrariam legi impedimentorum, loquitur de solis dirimentibus. Adde etiam olim fortè non aliter obligasse, quàm crimine existente publico & notorio, præsertim incestûs, vel in judicio probabili, aut insuper per sententiam judicis declarato, præsertim presbytericidio, prout Nonnulli diversimodè docuerunt. Denique dum ea impedimenta vigerent, creditur adhuc fuisse penes Episcopum dispensandi potestatem. 22. *An impedimenta ex crimine adhuc sint in vigore.*

Meritò porrò his impedimentis annumerari posset impedimentum hæresis, quo impeditur Catholicus contrahere cum hæretica; etsi Matrimonium non dirimatur. De quo tamen postea, cùm de disparitate cultûs, communem secuti methodum, agemus. *Prædictis meritò annumeratur hæresis.*

QUÆSTIO III.

De Impedimentis dirimentibus in Communi.

IMPEDIMENTA dirimentia, quæ scilicet impediunt, quo minùs Matrimonium sit validum, utì Ecclesia constituere potuit, sic in iis constituendis ipsam non errasse definit *Trid. sess. 24. can. 4.* 23. *In statuendis impedimentis dirimentibus Ecclesia non erravit.*

Primò itaque horum efficacia locum habet indubiè etiam in ignorantibus: qui si cum impedimento dirimente ignorato Matrimonium contrahant, invalidè contrahunt, etsi ob bonam fidem excusentur interim à culpa. Nam nullitas Matrimonii incurritur ab eis tamquam effectus inhabi- *Locum habent etiam in ignorantibus.*

inhabilitatis, quæ contrahitur etiam non cognita.

24. *An validè contrahant erroneè existimantes impedimentum.*

E contrà si verè quidem impedimentum non subsit, tamen erroneè contrahentibus adesse putetur, adhuc validum fore Matrimonium censent varii: at negant alii. Et quidem si omnino certò sibi persuadeant subesse impedimentum dirimens, & non illius probè norint, non apparet, qualiter practicè possit in talibus adesse seria contrahendi intentio; quæ non versatur circa id quod certò putatur impossibile. Quia tamen fieri potest, ut falsò putantes se esse v. g. consanguineos, aliqualiter suspicentur contingere posse, ut non sit gradus tam propinquus qui dirimat; vel ut putantes v. g. priorem conjugem vivere, cogitent posse fieri, ut obierit; vel saltem vim impedimenti dirimentis non penetrent: hinc possent tales habere intentionem sufficientem, contrahendi scilicet si & quantum possunt, seu faciendi quidquid possunt.

25. *An vel qualiter locum habeant etiam in periculo vitæ.*

Secundò locum habet impedimentorum dirimentium efficacia etiam cum periculo vitæ, quantum ad hoc, ut ne tunc quidem valeat contractus Matrimonii v. g. post votum solemne vel Ordinem sacrum, aut inter consanguineos &c. Per hoc enim non redditur ablata potestas contrahendi. Estque hæc communis Doctorum sententia; quam sensus & usus Ecclesiæ confirmat.

Si quis tamen gravi metu compellatur cum impedimento dirimente jure Ecclesiastico contrahere, excusatur à mortali, si non intendat consummare (quod ne quidem metu mortis liceret) nec sic de hoc periculum, neque etiam intendat conficere Sacramentum. Ita *Sanchez l. 7. d. 5. n. 4. Coninck* & alii: quia lex irritans non videtur tam rigidè prohibere talem contractum, ut non liceat in tali periculo citra mortale inire illum fictè, vel etiam seriò eo modo quo potest.

26. *An contrahentes cum impedimento dirimente graviter peccent, & qualiter.*

Aliàs contrahentes cum impedimento dirimente graviter peccant, juxta omnes Doctores: quia in re magni momenti contraveniunt præcepto juris naturalis, vel divini, aut saltem Ecclesiastici. Etsi enim possit dari lex irritans, non prohibens: tamen in præsenti ob indecentiam facti, ipsum irritatur, adeòque prohibetur. Et consuetudo optima legum interpres sic mentem Ecclesiæ clarè interpretatur. Unde & vocantur in Jure gradus prohibiti, in quibus scilicet prohibetur Matrimonium, etsi simul irritetur. Deinde in plerisque etiam prohibetur specialiter ipsa copula seu usus: ergo similiter ipse contractus. Immo si intendant Matrimonium sic contractum consummare, aut exponant se periculo consummandi, ultra peccatum inobedientiæ, committunt aliud contra castitatem; & quidem speciale, si copula seu consummatio sit specialiter mala vel prohibita sic impeditis, v. g. consanguineis; & si intendant conficere Sacramentum, peccant insuper contra religionem. Ubi etiam considerandum est, non unicum tantum peccatum, puta volitionis semel v. g. consummandi, sed potius multiplex, saltem virtualiter, contra castitatem, quatenus volunt expressè vel tacitè in statu quasi continuo peccati perseverare, sicut qui proponeret vivere in concubinatu.

Petes, An copula fornicaria eorum, inter quos est impedimentum dirimens, habeat specialem malitiam? Resp. Aff. quoad quæ- 27. *An vel quatenus copula sit mala specialiter.*
dam impedimenta. Nam ex voto solemni & ligamine oritur in copula ex natura rei circumstantia sacrilegii vel adulterii. Similiter ex Ordine sacro oritur in copula circumstantia sacrilegii, sive ex voto, sive ex Ecclesiæ præcepto. Idem est in impedimento affinitatis, cognationis etiam spiritualis aut legalis, publicæ honestatis: nam ista impedimenta sunt inducta ob specialem indecentiam ipsius copulæ inter taliter impeditos, quæ fit exinde incestuosa. Similiter copula habita inter impotentes videtur esse distinctæ malitiæ, quæ reducitur ad peccatum contra naturam: etsi de hoc quidam dubitent. Plurimi idem tenent de disparitate cultûs, ut si v. g. Christianus fornicetur cum infideli: cum etiam in tali copula videatur indecentia, ob quam Ecclesia inter tales Matrimonium irritavit. Vide *Coninck disp. 30. n. 21.* ubi addit talem copulam esse contra virtutem religionis. Quando tamen inhabilitas ad Matrimonium non est inducta ob peculiarem inordinationem quæ est in copula, seu ob aliam causam, v. g. in pœnam criminis, vel ob ignorantiam aut metum, est simplex fornicatio; ut cùm est impedimentum criminis vel raptûs, vel metûs, vel erroris personæ: nisi quòd possit adesse circumstantia specialis injustitiæ, si quis vi vel metu aut dolo alteram inducat ad copulam.

Tertiò manifestum est, contrahentes 28. *Debita ratione tractum impedimento, eo cognito debere separari ab usu Matrimonii: immo ob morale periculum carnalis commercii, etiam quoad habitationem, per se loquendo, seu quantum fieri potest. Et quidem interdum non erit magnum incommodum deregere parti impedimentum, v. g. vitam prioris conjugis, quæ putabatur mortua.*

Sed gravis est difficultas in casu, quo 29. *Nec ullus in foro conscientiæ debitum reddere, etsi parti sit in bona fide, aut Ecclesia dispensare per cautum.*
unus solus impedimentum post contractum Matrimonium detegit, aut illius antea conscius contraxit, nec potest absque summa infamia illud manifestare comparti, aut non absque alio magno periculo separari vel debitum negare; aut quando ob defectum probationis compellitur ab Ecclesiæ Prælatis reddere debitum. Quo casu certum est conscium impedimenti non posse reddere debitum, donec interim impe-

trétur

tetur dispensatio; ne quidem dum impedimentum est juris Ecclesiastici, & judex cogit ad reddendum debitum. Ita enim expresse declarat *Innocentius III.* c. *Inquisitioni 44. de sent. Excomm.* ubi in casu, quo alter conjugum pro certo scit impedimentum conjugii, propter quod sine mortali peccato non valeat carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit; respondet, eum debere potiùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. Idem habetur c. *Literas de Restit. spoliat.*

Ratio est: quia fornicatio numquam licet. Neque tunc est debitum, sed crimen; quod nequidem ob jacturam vitæ est admittendum. Putat quidem pars nescia se habere jus petendi, sed ipsam verè illud non habere, constat parti impedimenti conscia. Non fit etiam inter impedimenta in Jure distinctio. Quare etsi sit Ecclesiasticum, non censetur Ecclesia per talem Prælatum dispensare; sed hîc proceditur per allegata & probata, supponendo, non faciendo Matrimonium valere. Unde si postea impedimentum detegeretur, Ecclesiasticos separaret, & liberos declararet. Censura autem tunc non ligat innocentem in foro conscientiæ, & coram Deo non tenet; sed solùm in externis deberet se talis gerere pro excommunicato ad vitandum scandalum & majora alia incommoda. Qualiter porrò in cujusque sit tali casu procedendum, attentis circumstantiis prudens judicabit. Promptius autem erit, quando impedimentum est juris Ecclesiastici ac dispensabile, procurare dispensationem, vitatâ interim aliis prætextu copulâ, ac post dispensationem renovare Matrimonium. Aliàs interdum expediet fuga, ingressus in Religionem, procuratio divortii alio titulo, si adsit, &c.

30. Quartò ad revalidandum Matrimonium ratione impedimenti invalidè contractum, certum est non sufficere sciam ablationem impedimenti, sed adhibendum esse novum consensum: adeò ut in hoc etiam nequeat Papa dispensare. Prior enim consensus, utpote inter personas tunc inhabiles, nullius erat valoris, nec poterat umquam virtute illius pertici Matrimonium, adeoque post habilitationem debet poni consensus perficiens Matrimonium. Est etiam satis certum, & apud Doctores communiter exploratum, non sufficere novum consensum unius tantùm conjugis, qui impedimenti est conscius, sed requiri utriusque jam habilis effecti: anteà enim erat consensus utriusque omnino nullus, utpote qui erat inter inhabiles, & utrimque acceptatio actraditio personarum inhabilium. Quare non est, cur unius potiùs, quàm alterius consensus foret renovandus. Certum insuper est, non sufficere solum internum consensum, sed debere exteriùs exprimi, seu requiri novam expressionem consensûs: nam totus antecedens contractus erat nullus, etiam quoad actum externum.

Sed controversia est, an uterque debet fieri conscius nullitatis Matrimonii sive impedimenti præcedentis, an verò sufficiat impedimento sublato conjuges denuò consentire seque tractare ut conjuges? Postremum sufficere asserit *Cajetanus, Sotus, Corduba, Bartholomeus & Petrus Ledesma, Henriquez, Rodriguez* & alii: eò quòd sublato impedimento sint personæ ad contrahendum habiles, adeoque si de facto verè consensum adhibeant, is erit legitimus; & consequenter ipse contractus matrimonialis in hujusmodi consensu expresso perficitur. Idque plures ex iis Doctoribus asserunt, etsi conjux ignarus impedimenti sit ita dispositus, ut agnitâ veritate nullatenus consentiret. Varii quoque huic sententiæ contradicentes eam saltem admittunt esse probabilem in praxi in casu urgentis necessitatis, dum scilicet ex detecta Matrimonii nullitate gravissima sequerentur inconvenientia.

31. *Juxta nonnullos scientia nullitatis non requiritur.*

Verùm recepta hodie apud Doctores opinio (pro qua refertur *Scotus dist. 35. q. 1. n. 5. Richardus, Adrianus, Navarrus, Sanchez, Pontius, Coninck* & plurimi alii) requirit utrique conjugi aliquo modo notificari nullitatem Matrimonii: eò quòd alioquin insscius nullitatis per suum novum consensum tantùm intendat confirmare contractum priùs factum, eumque præstare vi existimationis, quâ credit illum valuisse & valere: qui proinde si non valuerit, tali confirmatione non revalidatur: cùm tantùm approbetur quod factum erat, & prout factum fuisse apprehenditur: quod manifestè apparet non sufficere. Immo cum tali consensu potest stare actualis intentio nequaquam tunc contrahendi, si prius Matrimonium foret nullum: adeoque procedit ex præsumptione falsi de valore matrimonii & jure per illud acquisito, non autem ex intentione denuò contrahendi sive efficiendi Matrimonium: quæ utique est necessaria, nec locum habet in eo, qui sic credit Matrimonium esse dudum factum, ut de ejus nullitate nequidem suspicionem habeat. Quòd si tamen hanc, vel dubium aliquod haberet, posset omnino velle denuò contrahere casu quo contractus fuerit nullus.

32. *Contrarium est hodie apud Doctores receptum.*

Et hanc quidem posteriorem opinionem omnino veram existimo, cum ea tamen limitatione, quòd absolutè posset restaurari contractus etiam ab omnino conscio nullitatis, si sub conditione consensum sic exprimat, quòd etiamsi non valeret Matrimonium antea factum, velit nunc de novo facere. Neque video ullam de hoc dubitandi rationem. Oportet tamen, ut hic

33. *Quod Auctor ampliatur cum quadam limitatione seu declaratione.*

novus

novus consensus sit de præsenti, adeoque non solùm quis dicat, Si non esset Matrimonium, vellem de novo contrahere; sed ut dicat, se tunc contrahere seu accipere alterum in conjugem. Hoc autem sufficit, etiamsi quis foret ita dispositus, ut si sciret nullitatem, haberet voluntatem non contrahendi. Itaque in hujusmodi casu perplexo conscius nullitatis studeat obtinere consensum conditionatum, rogans compartem, ut postquam quasi in signum amoris ei dixit, etsi necdum essem conjugatus seu Matrimonium nullum esset, vellem te habere in conjugem & ex nunc volo seu accipio; compars in signum amoris reciproci illud ipsum respondeat. Aliàs nullatenus potest conscius nullitatis admittere copulam, quantumvis compars inscia eam urgeat: copula namque non est sufficiens signum novi affectûs maritalis seu novi consensûs. Et hoc modo posset conciliari utraque opinio præallegata.

An autem Matrimonium ratione impedimenti invalidi post Tridentinum restaurari queat sine præsentia parochi & testium, quando impedimentum est occultum dictum est *d. 5. quæst. 3.*

34. *Impedimenta dirimentia carmine expressa recensentur.* Impedimenta porrò dirimentia sunt jure antiquo duodecim his versibus comprehensa:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultûs disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis affinis, Si fortè coire nequibis.
Hæc socianda vetant conjugia, facta retractant.

Quibus *Tridentinum* addidit raptum; qui tamen potest comprehendi nomine criminis generaliter accepto. Aliqui etiam addunt absentiam parochi & testium, quæ ex *Tridentino* irritat Matrimonium. Ob quæ adjungi possent hi versus:

Si Parochi & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.

De his impedimentis in particulari varia restant dicenda: præter quam de Vi seu impedimento metûs, item de impedimento ligaminis seu vinculi matrimonialis, de defectu parochi & testium: de quibus in superioribus disputationibus sufficienter actum est: ac denique excepto impedimento Ordinis sacri, de quo actum *Tract. præc. disp. ult.*

QUÆSTIO IV.

De Impedimento Erroris & Conditionis servilis.

35. *Error personæ irritat jure naturæ Matrimonium.* DICO I. Error personæ (quo videlicet contrahens putat aliam esse personam cum qua contrahit, quàm reverà est, quique est substantialis) irritat Matrimonium jure naturæ. Ita communiter Doctores. Ratio est, quòd personæ sint substantiale seu primarium objectum hujus contractûs; circa quod si sit error, deficit consensus substantialis, adeoque ipse contractus, jure naturæ. Eadem nullitas statuitur seu declaratur jure positivo, c. *Tua nos, de Sponsal.* Nec juvat, quòd error sit vincibilis: quia non agitur de incurrenda culpa, sed de validando Matrimonio; ad quod per se requiritur explicitus & formalis consensus, quem tollit error etiam alioquin vincibilis. Quod verum est, etsi quis sit ita dispositus habitualiter, ut etsi sciret esse aliam personam, equidem contraheret: qui dicitur error concomitans & à Juristis error non dans causam contractui. Etsi enim error iste non reddat actum contrarium voluntati, tamen reddit non voluntarium, seu non procedentem ex voluntate circa tale objectum: cùm tamen consensus conjugalis debeat esse positivè voluntarius cum tali persona. Dispositio autem habitualis hîc & nunc non influit in actum.

Si sis affinis, si fortè coire nequibis. — *Hæc socianda vetant conjugia, facta retractant.* — *Si Parochi & duplicis desit præsentia testis, Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.* — *Si error personæ, si error qualitatis, si conditio sine qua non.* — *Error personæ irritat jure naturæ Matrimonium.* — *Error qualitatis per se non irritat Matrimonium.* — *Error qualitatis redundans in personam irritat Matrimonium.* — *Error qualitatis non redundans in personam non irritat Matrimonium ex communi.* — *Error qualitatis per se loquendo non irritat Matrimonium.* — *Error qualitatis per accidens irritat Matrimonium.* — *Conditio servilis irritat Matrimonium.* — *Conditio servilis per accidens non irritat Matrimonium.* — *Secus si consensus præstetur sub conditione quòd quam primùm liceat.*

Nec obstat Conclusioni exemplum Jacob & Liæ: quia Jacob non contraxit cum Lia validè, nisi postquam detecto errore personæ, ratificavit, compassus Liæ jam defloratæ, per ignorantiam ex parte Jacob invincibilem, qui Liam dolosè substitutam putavit bonâ fide esse Rachelem, deceptus per hoc, quòd sponsæ pudoris gratiâ velatæ solerent introduci ad suos maritos. Similiter non obstat exemplum benedictionis Isaac, quæ vel fuit directa ad filium præsentem quicumque esset, vel fuit detecto errore confirmata à parte ex divina revelatione ja mirabili illo timore acceptâ. Denique non obstat exemplum aliorum contractuum: nam & hos quidem vitiat error substantialis, sed in eis, ut & in aliis Sacramentis, error personæ potest esse sive est accidentalis; secùs quàm in Matrimonio, in quo ob specialem rationem illius, consensus censetur determinatè ferri in hanc singularem personam, & corpus tradi pro tali singulari corpore.

36. *Negatur simile exemplum Jacob & Liæ.*

Aut hoc dictum. — *Isaac.* — *Aut aliorum contractuum vel Sacramentorum.*

37. DICO II. Error qualitatis personæ, quæ & accidentalis vocatur (qualis est v. g. si quæ putabatur dives, nobilis, pulchra &c. sit pauper, plebeia, turpis &c.) per se non irritat Matrimonium. Ita communiter Doctores, & colligitur ex c. *Cum in Apostolica, de Sponsal.* Ratio est, quòd qualitates non sint objectum contractûs sive consensûs, sed solùm ratio motiva; ac proinde licèt sit error circa illas, subsistit consensus substantialis, adeoque est validus.

38. Dixi *per se*: quia posset jure positivo error alicujus qualitatis irritare, ut Conclusione sequenti patebit. Deinde si quis expressè intenderet non contrahere, nisi talis qualitas insit: tunc enim defectu conditionis deficeret consensus sic conditionate præ-

prostitus, adeoque ipse contractus. Denique quando error qualitatis redundat in personam, etiam irritat Matrimonium, v. g. si aliqua per procuratorem contrahat Matrimonium cum primogenito Regis Hispaniarum, erit irritum, si substituatur secundogenitus; quia cùm tunc contrahat cum alia persona, quem non novit nisi sub ratione primogeniti, fertur intellectus, & consequenter consensus solummodò in primogenitum, quicumque ille sit, & in nullum alium. Tunc autem error qualitatis redundat in personam, quando qualitas determinat intellectum contrahentis, ut concipiat certam & omnino determinatam personam, seu quando penes illam formet sibi conceptum cujusdam singularis personæ, atque ideo determinat voluntatem, ut in eam præcisè consentiat. Quando verò quis independenter ab ea qualitate concipit seu apprehendit certam personam, & postea decipitur, putans tali personæ à se apprehensæ inesse certam qualitatem, quæ non inest, tunc est purus error qualitatis. Ut contingit, quando juvenis sollicitans filiam, fingit se divitem, nobilem, filium comitis, regis &c. Vide *Sanchez lib. 7. d. 18. num 26. & 27. Coninck d. 31. dub. 10.*

DICO III. Conditio servilis dirimit Matrimonium, quando liber contrahit ignoranter cum serva, vel libera cum servo. Patet ex c. *fin. De conjugio servorum.* Et satis colligitur ex c. *Proposuit eodem tit.* Matrimonia tamen servorum inter se non irritantur, ut patet ex c. *ibi. eodem tit.* Similiter si liber conditionem servilem alterius antea noverat, Matrimonium subsistit, ut patet ex c. *fin.* & c. *Proposuit citatis.* Immo videtur subsistere, si quis dubitans de conditione servili contrahit, eam nihilominus accipiat in uxorem. Idemque à fortiori est, si quis habeat opinionem de hac conditione. Ejusmodi enim censetur habere notitiam hæ in re. Ita *Pontius, Bonacina* & alii. Secùs est, si solùm adsit levis suspicio, non excludens determinatum judicium de libertate personæ.

Obstat porrò valori Matrimonii hic error, etsi sit tantùm concomitans, aut etiam vincibilis vel crassus (ex hoc neget *Sotus*) sicut similis error personæ obstat valori Matrimonii. Et quamquam in ordine ad culpam, non tamen in ordine ad validitatem Matrimonii (quæ omnino requirit scientiam hujus conditionis) ignorantia vincibilis æquiparatur scientiæ. Si quis ducat servam libertati donatam seu libertam, vadit, etsi ignoret fuisse servam? quia de facto verè est libera. Ita Doctores communiter. Immo si serva ab ipso domino tradatur, vel eo sciente & tacente jungatur inscio servitutis, eo ipso fit libera, & Matrimonium valet, juxta *Sanchez lib. 7. d. 20. Pontium lib. 7. cap. 44.* & habetur ex Auth. *De Nuptiis*

5. Si verò Decretum.

E contrà si servus putans se contrahere cum libera, contrahat cum serva, docent communiùs Doctores Matrimonium valere: nam Canones agunt de Matrimonio, quod init liber cum serva, quam ignorat esse servam. Ratio etiam disparitatis id militans, non militat quando uterque est servus, qui sunt pares, sicut duo liberi. *Aut servus contrahat cum serva, falsò putans esse liberam.*

Similiter Canones & ratio id urgent solùm, quando liber contrahit cum serva putans esse liberam; non autem quando putat esse servam, & verè est libera: per hoc enim non deterioratur conditio hujus, sed par alteri fit.

Plura hìc moveri possent circa conjugia servorum. Quæ quia apud nos rara sunt, videantur apud alios, signanter *Sanchez lib. 7. d. 19. & seq.*

Existimant autem Doctores passim, conditionem servilem ignoratam dirimere Matrimonium, non quidem jure naturæ, sed tantùm Ecclesiastico; ut error ceterarum qualitatum jure naturæ illud non dirimit juxta Doctores communiter. Quàmvis oppositum non sit improbabile, quod docet *Magister dist. 30. in princip.* & plures alii, quibus favet *Scotus dist. cit. quæst. 1. num. 2.* & *dist. 42. num. 11.* eò quòd in toto jure non reperiatur textus irritans, sed irritatio potiùs supponatur. Deinde persona libera non videtur corpus suum liberum tradere pro corpore alterius, nisi similiter libero in ordine ad usum matrimonialem, nisi expressiùs aliud intendat; uti facit, quando conditionem servilem novit. 41. *An error circa conditionem servilem irritet Matrimonium juxta naturæ.*

QUÆSTIO V.

De Impedimento Voti & Disparitatis Cultûs.

DICO I. Votum solemne castitatis emissum in professione Religionis approbatæ dirimit Matrimonium contrahendum. Est de fide ex *Trid sess. 24. can. 9.* & patet ex *c. unic. de Voto in 6.* & aliis Juribus. Deinde post Constitutionem *Gregorii XIII.* quæ incipit, *Ascendente Domino*, etiam votum simplex castitatis, quo aliquis in Societate Jesu fit Religiosus dirimit Matrimonium contrahendum. Reliqua vota simplicia non dirimunt, ut patet ex *c. unic. cit.* 42. *Votum solemne dirimit Matrimonium contrahendum. Idem est, de voto simplici emisso in Societate Jesu.*

DICO II. Votum solemne dirimit Matrimonium jure Ecclesiastico. Ita *Scotus dist. 38.* & *d. 42. num. 11.* & alii communiùs, contra varios, quorum aliqui volunt quòd dirimat jure naturæ, pauci alii, quòd jure divino. Probatur Conclusio; quia de jure Ecclesiastico constat; jus autem naturæ vel divinum ex nullo capite sufficienter probatur. 43. *Votum solemne dirimit jure solùm Ecclesiastico.*

Confirmatur I. quia votum solemne non dirimit jure naturæ aut divino, in quantum est votum: cùm votum simplex non minùs obliget apud Deum, quàm solemne, ut tradit *Cælestinus III. c. Rursus, qui Clerici vel voventes*; & tamen votum simplex non dirimit: solemnitas quoque voti est introducta ab Ecclesia, juxta *cit. cit.* & Bullam *Gregorii XIII. cit.* Non irritat etiam in quantum est traditio facta Religioni, & hæc per solemnem professionem acquirit dominium aliquod in Religiosos: nam etiam per vota simplicia Societatis fit hæc traditio, quæ tamen solo jure Ecclesiastico irritant Matrimonium, nec ante Constitutionem Gregorianam irritabant. Deinde dominium illud non repugnat dominio, quod acquiritur per contractum Matrimonii; ut patet, dum conjuges post Matrimonium etiam consummatum profitentur ex mutuo consensu: & à fortiori dum servus cum serva, vel etiam cum libera servilem conditionem non ignorante contrahit matrimonium, domino retinente suum dominium. Confirmatur II. quia vinculum matrimoniale stat cum professione religiosa, quæ emittitur postea; quidni ergo quantum est ex jure naturæ stet professio cum postea ineundo matrimonio?

44. *Disparitas cultûs dirimit Matrimonium inter Baptizatum & non baptizatum.*

Dico III. Disparitas cultûs dirimit Matrimonium, quando fidelis contrahit cum infideli, seu baptizatus cum non baptizata. Est certum apud Catholicos. Et quàmvis nulla determinata lex irritans, sive divina, sive humana, inveniatur; satis tamen hoc declarat consuetudo Ecclesiastica. Unde si baptizatus contrahat cum catechumena, matrimonium est nullum; immo licèt baptizatus sit hæreticus vel apostata, invalidè contrahit cum non baptizata.

45. *Idq; jure Ecclesiastico.*

Dico IV. Disparitas cultûs dirimit Matrimonium jure Ecclesiastico. Ita *Scotus dist. 39. num. 5.* & alii communiter. Probatur: quia non potest dici irritum jure naturæ: cùm nulla disparitas cultûs repugnet substantiæ Matrimonii; & in antiquo Testamento fideles, etiam amici Dei singulares, reperiantur contraxisse cum infidelibus; ut Joseph cum Asseneth, Ester cum Assuero. Nec potest dici irritum jure divino positivo: cùm illius ne vestigium quidem appareat (quidquid contendat noster *Pontius d. 49. numer. 85.*) immo in initio Ecclesiæ ob paucitatem fidelium necessarium fuerit contrahere cum infidelibus: & *Paulus V.* aliquando concesserit facultatem dispensandi in hoc impedimento; ut constat apud *Præpositum q. 7. dub. 17. concl. 4.*

46. *At inter baptizatos, quantumvis cultu dispares, Matrimonium validè contrahitur.*

Quàmvis autem inter alios, quantumvis cultu dispares, modò sint baptizati, validè contrahatur Matrimonium, ut apud omnes constat: tamen Catholicus illicitè contrahit cum Hæretica aut aliis à fide alienis, nisi gravis aliqua circumstantia excusaret: partim propter periculum perversionis, vel malæ educationis prolium, vel continuarum discordiarum: partim propter *Concilium Chalcedonense can. 13.* & alias Ecclesiæ constitutiones, quibus similia connubia prohibentur. Unde bene *Ambrosius lib. 1. De Abraham c. 9. Cave Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere: cave Gentilem, aut Judæam, atque alienigenam, hoc est, hæreticam, & omnem alienam à tua fide uxorem accersas tibi.* Alios Canones sive auctoritates vide apud *Basilium Pontium lib. 7. de Matrim. c. 46.* Qui etiam specialem Appendicem de Matrimonio Catholici cum Hæretica Operi suo de Matrimonio subtexuit.

Non videtur tamen hoc ita intrinsecè malum, quin periculis illis hîc & nunc cessantibus (quod satis rarum est) occurrente gravi necessitate, possit honestari: accedente præsertim Pontificis dispensatione, aut contrariâ consuetudine, qualis (teste *Sanchez l. 7. d. 72. num. 5.*) invaluit, ubi Catholici Hæreticis permixti vivunt. De quo etiam ex professo agit *Basilius Pontius in Appendice citata c. 3. & sequentibus.*

QUÆSTIO VI.

De Impedimento Cognationis.

Cum cognatio sit triplex: carnalis, sive consanguinitas, spiritualis & legalis; de singulis quæritur. Quoad cognationem carnalem

Nota I. eam oriri ex participatione ejusdem sanguinis sive naturæ. Unde eam describit *Scotus dist. 40. num. 2. Vinculum personarum ab eadem persona carnali propagatione descendentium.* Adde, vel potiùs subintellige, *Vel quarum una descendit ab altera.* Hinc Adam & Heva non fuerunt consanguinei: cùm unus ab altero, vel ambo ad eadem tertia persona per carnalem propagationem non descenderint.

Nota II. triplicem distingui lineam consanguinitatis (quæ juxta *Scotum* supra est ordo personarum consanguinitate junctarum) juxta triplicem personarum sanguine junctarum inter se habitudinem: scilicet ascendentium quæ est habitudo principiati ad principia; in qua sunt filius, pater, avus, proavus, abavus &c. descendentium, quæ est habitudo principii ad principiata; in qua sunt pater, filius, nepos, pronepos, abnepos &c. & lineam transversalem sive collateralium, quæ est habitudo descendentium ab eodem stipite, sic ut non à se invicem descendant; qualem habent duo fratres, duo patrueles &c.

Nota III. in linea recta tot gradibus unum ab alio distare, quot generationibus inferior descendit à superiore, v. g. pater & filius distant uno gradu, avus & nepos

nepos duobus, proavus & pronepos tribus: tot enim generationibus descendit inferior à superiore. Vel (quod in idem redit) tot gradibus distant à se invicem, quot sunt personæ, unâ minùs. In linea transversa sive collaterali tot gradibus distant à se invicem, quot distant à communi stipite, v.g. duo fratres inter se distant uno gradu, prout distant à communi stipite: filii fratrum duobus gradibus &c. Patruus & nepos dicuntur conjungi in primo gradu & secundo: quia unus distat à communi stipite uno gradu, & alter duobus. Quantum tamen attinet ad effectum juris quoad impedimentum Matrimonii, semper in hoc attenditur gradus remotior, qui ad se trahit propinquiorem, sic ut præfati dicantur conjungi in secundo gradu, quia unus distat à stipite duobus gradibus. Patet ex c. *Quod dilectio* & c. *Vir*, *de Consanguin. & Affinit.*

Dico I. In linea recta quilibet gradus dirimit Matrimonium jure naturæ; ita ut si Adam hodie viveret, uxorem ducere non posset. Ita *Scotus suprà num.* 4. & plurimi apud *Sanchez lib.* 7. *d.* 51. *num.* 12. De primo gradu constat apud omnes: sed de ulterioribus controvertitur. Plures volunt non excedere primum gradum: Alii non secundum; alii solùm protendi ad quartum, alii ad septimum, alii ad vigesimum. Probatur Conclusio ex L. *Nuptiæ*, & L. *Jure gentium ff. De ritu Nuptiarum*, ubi deciditur inter ascendentes & descendentes in infinitum jure gentium (quo nomine Jurisconsulti appellant jus naturæ) incestuosas nuptias contrahi, easque consistere non posse. Ratio est: quia non solùm indecens est tales contrahere, sed semper manet indecens tales simul misceri; ob reverentiam jure naturæ specialiter debitam principio originis etiam mediato, v. g. avo, proavo &c. cui reverentiæ status & actus conjugalis quasi substantialiter repugnat. Confirmatur: quia omnes ascendentes dicuntur & sunt veri parentes respectu descendentium, eisque debetur eadem reverentia, quæ immediatis parentibus; inter quos tamen & proles ob hoc ipsum juxta omnes est jure naturæ irritum Matrimonium.

Nec obstant jura, quæ insinuant non dirimi Matrimonium ultra quartum aut alium determinatum gradum: quia loquuntur de consanguinitate in linea transversa. Unde numquam legitur oppositum in praxim fuisse deductum, aut à Pontifice in eo fuisse dispensatum.

Non obstat etiam, quòd participatio sanguinis propter nimiam distantiam inter ascendentes & descendentes tandem videatur tolli: quia hic potiùs spectatur ratio principii, ob quam debetur filialis reverentia (cujus obligatio semper manet) quàm physica participatio sanguinis.

Dico II. Consanguinitas in linea transversa dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè. Patet ex *Concilio Lateranensi cap.* 50. & refertur c. *Non debet*, *de Consanguin. & affinit.* ubi etiam restringitur jus antiquum, quod irritabat usque ad septimum gradum. Congruè autem id Ecclesia statuit, tum ad majorem commoditatem humani commercii inter fideles, ut per fœdera conjugiorum inter diversas familias magis dilatetur amicitia: tum ad majorem cautelam servandæ continentiæ inter sanguine junctos, qui frequenter sibi invicem cohabitant, & sunt valde familiares; tum ob alias causas. Quia verò memoria hujus affectus & propinquitatis faciliùs conservatur usque ad quartum gradum, & alioquin periculum foret, ne Matrimonia frequenter essent invalida, si impedimentum longiùs extenderetur, convenienter fuit restrictum usque ad quartum gradum; præsertim quia ob sufficientem multiplicationem fidelium ampliùs extendi non oportebat. 52. *Consanguinitas in linea transversa dirimit matrimonium usque ad quartum gradum:*

Satis quoque constat, impedimentum hoc esse juris merè Ecclesiastici à secundo gradu inclusivè: cùm infideles conversi, qui antea in tali gradu contraxerant, non sint separandi, ut determinat *Innocentius* III. c. *Gaudemus*, *de Divortiis*; essent autem separandi, si impedimentum foret juris naturæ. *Et quidem jure merè Ecclesiastico à secundo gradu inclusivè;*

Solùm est controversia de primo gradu lineæ transversæ, videlicet de fratre & sorore. Valde probabile est dirimere jure naturæ, juxta *Sanchez*, *Præpositum* & alios passim. Et colligitur ex *Augustino lib.* 15. *de Civit. cap.* 16. & *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 35. Atque ex eo, quòd (teste *Augustino* loco priùs cit.) Gentes, quæ fraterna conjugia permiserunt, fuerint graviter reprehensæ, ceteris meliùs institutis illa abhorrentibus. Deinde Abraham *Genes.* 12. visus est sibi sufficienter ostendisse Gentibus, Saram non esse suam uxorem, dicendo esse sororem. Quod rursum fecit *Gen.* 20. Ratio efficax difficulter redditur: non est tamen contemnenda ea ratio moralis, quòd juxta instinctum luminis naturalis frater & soror maximam sibi debeant reverentiam; cui familiaritas conjuncta turpitudini actûs carnalis, nimium repugnat: & quòd alioquin natura non satis providisset periculis incontinentiæ, si frater & soror non prohiberentur lege speciali invicem commisceri. 53. *At inter fratrem & sororem valde probabiliter etiam jure naturæ.*

Quòd si tamen ista indecentia contractum Matrimonii se solâ non potuerit reddere invalidum, credendum omnino videtur, Deum juxta naturæ exigentiam suo præcepto & ordinatione illum invalidasse ab initio conditæ creaturæ: nisi quòd ob necessitatem (quæ indecentiam expurgabat) permiserit filios Adæ ducere sorores, cum aliæ mulieres non essent.

54. *Quo sensu Abraham uxorem appellet sororem.*

Nec obstat, quòd Abraham in uxorem duxerit Saram, sororem suam germanam, sed non uterinam, juxta id quod ait *Gen.* 20. *Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ.* Nam Sara vocatur ibidem & *Gen.* 12. soror Abrahæ, id est, propinqua sanguine, scilicet filia Aran fratris Abrahæ: quo sensu & Loth *Gen.* 13. frater dicitur, cùm tamen esset filius Aran fratris Abrahæ. Dicitur autem filia patris Abrahæ, scilicet Thare, sed mediata, sive mediante filio Aran, & non filia matris Abrahæ, eò quòd Aran & Abraham non essent uterini, sed ex diversa matre. Unde *Gen.* 11. Sara (quæ & Jescha ibidem vocatur, adeòque binominis fuit) dicitur nurus Thare, & uxor Abraham filii Thare. Ita explicat *Augustinus* & alii Patres ac Expositores passim. Quæ expositio confirmatur: quia si licuissent tempore Abrahæ Matrimonia inter fratrem & sororem, inutiliter Abraham fuisset usus hujusmodi prætextu, & Abimelech *Gen.* 20. non rectè collegisset, non esse uxorem, quia soror erat, vel inde se justificasset apud Deum. Ex quibus pariter patet, qualiter nihilominus Abraham non sit mentitus, tacendo uxorem, & dicendo sororem, ne se occiso ipsa ab extraneis captiva possideretur; sicque tuendo vitam propriam, & castitatem uxoris, quam simul tueri se non posse credebat, divinæ custodiæ committendo. Vide *Augustinum l.* 22. *contra Faustum c.* 26. & 33. & *l.* 16. *de Civit. c.* 19.

Contrarium opinionis nostræ tenentes subdunt hoc impedimentum dispensationi Papæ.

Sciendum tamen, opinionem nostram non esse certam: cùm ei contradicat *Cajetanus*, *Pontius* & plures alii. Qui consequenter admittere debent, ex causa seu necessitate gravissima posse Pontificem in hoc dispensare; quàmvis id non sit solitum aut conveniens. Singulare tamen est, quod ex *Archidiacono* refert *Silvester V. Papa q.* 17. scilicet *Martinum V.* dispensasse cum eo, qui cum sua germana contraxerat & consummaverat.

55. *Cognatio spiritualis quid sit, & inter quos contrahatur.*

Cognatio spiritualis est necessitudo quarumdam personarum orta ex Sacramento Baptismi vel Confirmationis; ut habetur c. *fin. de Cognat. spirit. in* 6. Hæc cognatio (quæ olim latiùs extendebatur) est restricta à *Tridentino sess.* 24. *c.* 2. *de Reform. Matr.* ut solùm dirimat Matrimonium inter baptizantem vel confirmantem & patrinos ab una parte, & baptizatum, vel confirmatum ejusque patrem & matrem ab altera. Speciales circa hanc cognationem difficultates vide *disp.* 7. *De Necess. Effectu & Cerem. Bapt. q.* 4. & apud *Præpositum hîc q.* 7. *dub.* 6.

56. *Cognatio legalis oritur ex adoptione.*

Adoptio alia est perfecta, qua debet de expresso & mutuo consensu utriusque partis, accedente principis auctoritate (nisi forte, quando avus adoptat proprium nepotem vel neptem) solétque vocari arrogatio. Altera adoptio est imperfecta, quâ homo etiam alieni juris potest locog. g. filii assumi, non transeundo in potestatem adoptantis. Et hæc fit etiam auctoritate inferioris judicis, sive magistratûs, de consensu solius adoptantis, nec per eam fit adoptatus heres necessarius, sed tantùm ab intestato.

Dicitur arrogatio.

Alia imperfecta.

Et quidem Doctores satis communiter censent oriri impedimentum dirimens Matrimonium etiam ex adoptione imperfecta, saltem inter adoptantem & adoptatum ejusque descendentes usque ad quartum vel aliquem alium gradum, de quo ipsi variant. Nihilominus valde probabiliter id negat *Vasquez d.* 63. *num.* 9. & varii Recentiores: eò quòd jura possint, adeoque debeant intelligi de adoptione perfecta: in qua etiam sola specialiter locum habet ratio & convenientia, ob quam hoc impedimentum fuit inductum.

An adoptio oriatur imperfecta dirimens.

Itaque perfecta adoptio, sive arrogatio dirimit Matrimonium in linea recta inter adoptantem & adoptatum, & legitimos descendentes adoptati; idque juxta aliquos in infinitum, juxta alios usque ad secundum gradum, juxta plures alios usque ad quartum; juxta *Sanchez* autem & alios solùm dirimit quoad illos descendentes, qui tempore adoptionis sunt sub potestate adoptati, adeoque aliquando subsunt potestati adoptantis. Secundò inter adoptantem & uxorem adoptati; item inter uxorem adoptantis & adoptatum. Tertiò in linea transversa inter adoptatum & filios legitimos adoptantis, quamdiu utrique sunt sub potestate adoptantis: & cessat vel cessante adoptione, vel dum alterutri emancipantur. Reliqua, quæ de hac cognatione quæri possunt, quia rara sunt & incerta, vide apud *Sanchez d.* 63. & alios.

Inter quos dirimat Matrimonium adoptio.

QUÆSTIO VII.

De Impedimento Affinitatis.

57. *Affinitas quid sit.*

AFFINITAS est propinquitas personarum orta ex copula carnali inter cognoscentem & consanguineos personæ carnaliter cognitæ. Nam cùm ii fiant una caro, consequenter consanguinei unius, propter unitatem naturæ vel sanguinis, transeunt ad fines alterius, in tali linea, recta vel laterali, & eo propinquitatis gradu, quo erant alteri consanguinei. Unde c. *Fraternitatis da,* 35. *q.* 10. dicitur: *Si una caro sunt, quomodo potest aliquis eorum propinquus pertinere uni, nisi pertineat alteri.* Stipes proinde in affinitate dicitur duplex illa persona, quæ per copulam fit una caro: cùm utraque sit radix & origo

Quomodo computanda.

Quid stipes.

& origò hujus affinitatis: adeò ut vir & uxor non tam sint inter se affines, quàm affinitatis principium.

Hinc patet I. non oriri affinitatem inter consanguineos utriusque. Unde duo fratres, vel pater & filius, possunt omni tempore dicere duas sorores, aut matrem & filiam. Sublatum quoque est per *Innocentium III.* in *Concilio Lateranensi*, & refertur c. *Non debet, de Consang. & affin.* duplex aliud genus affinitatis jure antiquo statutum, quod secundum & tertium dicebatur: quorum illud ex primo affinitatis genere (quod hodie solùm viget) istud ex secundo genere nascebatur: sic ut ampliùs non oriatur affinitas ex affinitate. Olim autem maritus viduæ habebat affinitatem secundi generis cum consanguineis prioris mariti usque ad quartum gradum. Si verò viduâ defunctâ duxisset maritus ejusdem secundam uxorem, hæc rursum contrahebat affinitatem tertii generis cum iisdem consanguineis primi mariti usque ad secundum gradum; ut declarat *Glossa* c. *Non debet.*

Patet II. requiri copulam, quæ per se sufficiat ad generationem, nisi sterilitas aut quid simile obstaret: quia per illam solam fiunt una caro. Unde non sufficiunt tactus quicumque, nec etiam penetratio vasis absque effusione seminis intrà illud; similiter nec congressus sodomiticus vel spadonum, utpote insufficiens ad generationem. An autem ad copulam inductivam affinitatis requiratur seminatio etiam ex parte feminæ, est controversum, & pendet à difficultate Physica, an semen mulieris sit ad generationem necessarium. Quod quidem Varii, etiam recentiores Theologi asserunt, qui consequenter censent Matrimonium nonaliter, quàm si etiam femina seminet, consummari. Potior tamen pars Doctorum contradicit. Sed & affirmatur, seminationem feminæ in copula adfuisse, non solùm præsumi in foro externo, verùm etiam in rei veritate ita censendum esse, nisi evidenter aliud constaret.

61. Patet III. Affinitatem contrahi etiam ex copula occulta aut involuntariè habita, in somno, ebrietate: quia ad hunc effectum non consideratur culpa, sed quòd fiant una caro sufficienter ad generationem. Unde de copula habita cum femina invita expressè id decidit Pontifex c. *Discretionem, De eo qui cognovit consanguineam.*

Patet IV. Affinitatem contrahi etiam ex copula illicita; nam etiam *qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*, inquit Apostolus 1. *ad Cor.* 6. Patet ex Canonibus, & novissimè ex *Tridentino sess.* 24. *c.* 4.

Patet V. Matrimonium ratum non inducere propriè affinitatem (quàmvis Nonnulli sic loquantur) sed impedimentum publicæ honestatis; ut etiam refertur expressè declarasse *Congregatio Cardinalium*, & supponit *Pius V.* Bullâ *Ad Romanum spectat* editâ ad *Concilium Tridentinum*, quæ refertur in 7. *Decretal. Tit. de Matrim. & Sponsal. c.* 2. Unde excommunicatio lata adversùs contrahentes cum affinibus, non comprehendit hunc casum: cùm per Matrimonium ratum verè non fiant una caro. His præmissis

62. *Affinitas orta ex copula conjugali matrimonium dirimit usque ad quartum gradum:*

Dico I. Affinitas orta ex copula licita, sive matrimoniali, dirimit Matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum inclusivè. Patet ex *Concilio Lateranensi*, & refertur c. *Non debet, de Consanguin. & affin.* In quo etiam antiqui Canones restringuntur, quibus impedimentum hoc extendebatur usque ad septimum gradum, ac insuper cetera affinitatis genera tolluntur, relicto unico, quod initio dubii explicavimus.

63. *Orta verò ex copula fornicariâ, usque ad secundum inclusivè.*

Dico II. Affinitas orta ex copula illicita dirimit Matrimonium usque ad secundum gradum inclusivè. Patet ex *Tridentino sess.* 24. *c.* 4. *de Reformat. Matrim.* ubi etiam restringit antiqua jura, juxta quæ hæc affinitas olim tam latè se extendebat, quàm quæ orebatur ex copula licita. Unde in tertio & ulterioribus gradibus ampliùs non dirimit, immo nec impedit matrimonium, ut declaravit *Pius V. Bullâ cit.* Idque probabiliter etiam in illis locis, ubi alia Decreta Concilii non sunt recepta; ut docet *Malderus* 1. 2. *q.* 90. *disp.* 2. *Zypæus l.* 4. *Consul. Canon. de Cognat. spirit. Consult.* 1. & alii. Quomodo (ait *Zypæus suprà*) refertur & *Pium V.* declarasse *Tridentinum* quoad favorabilia à Catholicis Angliæ observari posse. Quos sanè sub Hæreticis gementes à communi beneficio Concilii excludi non congruebat, ob impeditam malorum pervicaciâ decretorum *Tridentini* publicationem: eò magis, quòd ex derogatoria extremam illam solemnitatem non exigat: quòdque plurimæ sint provinciæ, in quibus non omnia *Tridentini* decreta sint recepta; nec tamen ullus rectè negaverit, quoad reliqua recipi potuisse & observari, ut arguit *Zypæus suprà.*

An ubi Tridentinum non est publicatum, reductio per ipsum facta locum habeat.

64. *Nulla affinitas dirimit jure naturæ, sive in linea transversa.*

Dico III. Affinitas, sive in linea transversa, sive etiam in recta, non dirimit jure naturæ Matrimonium in quocumque gradu. Prima pars constat: quia Jacob Patriarcha accepit duas sorores in uxores *Gen.* 29. Judas dedit eidem mulieri successivè duos filios in Matrimonium *Gen.* 38. nec tamen hoc reprehenditur à Scriptura: neque etiam apparet necessitas, aut vestigium aliquod divinæ dispensationis. Immo *Deuter.* 25. præcipitur, ut si frater obierit absque liberis, alius frater accipiat ejus viduam in uxorem, & suscitet semen defuncto fratri suo. Idem probatur ex c. *fin. de Divortiis*, ubi permittit Pontifex, ut qui in infidelitate contraxerat cum vidua fratris sui, permaneat cum ea post conversionem. Denique probatur ex factis Pontificum, qui in primo gradu affinitatis lineæ transversæ sæpè dispensarunt. Nam *Alexan-*

der VI. dispensavit cum Emanuele rege Lusitaniæ, ut duceret viduam relictam fratris. *Julius II.* dispensavit cum Henrico VIII. rege Angliæ, ut duceret Catherinam Aragoniam, lectissimam & sanctissimam feminam relictam Arthuri fratris (à quo tamen eam prorsus mansisse intactam narratur) omnibus penè orbis Christiani Academiis tale Matrimonium approbantibus. Quare post diligentissimam discussionem ratione controversiæ obortæ factam, *Clemens VII.* eamdem dispensationem & Matrimonium firmiter comprobavit: non obstante quòd Henricus VIII. prætextu contrariæ sententiæ (quæ olim fuit aliquorum) reverà autem inescatus impuro amore Annæ Bolenæ, Catharinam post pacatissimum plurimorum annorum connubium repudiarit. *Clemens VIII.* dispensavit cum rege Poloniæ, ut acciperet sororem uxoris defunctæ. Sic & nostro tempore Casimirus Poloniæ Rex acceperat viduam relictam fratris ex dispensatione *Innocentii X.*

65. *Sive etiam in recta.* Secunda pars est magis controversa: nam multi existimant Matrimonium inter vitricum, & privignam, vel inter privignum & novercam, esse irritum jure naturæ. Sed nobiscum tenet *Sanchez d. 67.* & plurimi alii. Et colligitur ex *Scoto dist. 41. num. 4.* quatenus indefinitè docet, affinitatem dirimere Matrimonium tantùm ex statuto Ecclesiæ. Colligitur etiam ex *Concilio Aurelianensi III.* (quod celebratum fuit anno 540.) *c. 10.* Deinde probatur: quia unitas, quam isti affines habent inter se, est tantùm accidentalis, ratione commixtionis carnalis inter unum illorum & consanguineum alterius, plurimùmque distat ab unitate substantiæ, quam consanguinei habent inter se, præsertim taliter, ut unus sit principium substantiæ alterius: adeoque non videtur ex solo jure naturæ Matrimonium inter ullos affines esse invalidum. Verùm quidem est, aliquam in eo latere indecentiam, quòd privignus v. g. contraheret cum noverca, cui ob conjunctionem cum patre reverentiam debet, quamque ideo vulgariter nomine matris appellat: est tamen multò minor, quàm si contraheret cum propria matre, à qua tamquam principio verè originem traxit; nec videtur se solâ sufficere ad Matrimonium dirimendum. Idque magis apparet, quando quis contraheret cum illa, quam pater aliquando fornicariè cognovit, vel contraheret cum filia, cujus ipse matrem aliquando carnaliter cognovit sine Matrimonio.

66. *Incestuosus 1. ad Cor. 5. habebat uxorem patris sui adhuc viventis.* Nec obstat, quòd Apostolus *1. ad Cor. 5.* redarguens incestum privigni cum sua noverca, dicat, talem fornicationem non audiri inter Gentes: quia (ut passim Expositores notant) pater istius incestuosi adhuc vivebat; ut colligitur ex *2. ad Cor. 7. v. 12.* ubi dicitur injurius fuisse in patrem, quia nempe torum illius adhuc viventis violaverat, sibi sumendo uxorem patris. Alioquin non rectè dixisset Apostolus, talem fornicationem non esse auditam inter Gentes: cùm ex Historiis constet, connubia cum novercis apud quasdam Gentes usitata fuisse. Et propterea quoque Ruben tam acriter reprehensus fuit, quòd torum patris sui adhuc viventis violasset. Similiter Joannes meritò redarguit Herodem: tum quia uxorem fratris sui Philippi, adhuc viventis, tum quia canitur in Officio Ecclesiastico festi decollationis S. Joannis, & testatur Josephus *l. 18. Antiquit. c. 7.* tum quia subjectus erat legi Mosaicæ, quâ prohibebatur ducere uxorem fratris, etiam defuncti, utpote qui ex Herodiade reliquerat semen sive prolem.

QUÆSTIO VIII.

De Impedimento publicæ Honestatis.

IMPEDIMENTUM hoc vocatur justitia publicæ honestatis, vel expeditius publica honestas, eò quòd æquum & justum sit ob publicam honestatem & decentiam impediri Matrimonium inter aliquas personas, quæ factæ sunt inæquem propinquæ per sponsalia vel per Matrimonium ratum. Ex quo capite induci impedimentum Matrimonii, patet ex *c. Si quis desponsaverit*, & *c. Si quis uxorem* & aliis *27. q. 2. & c. unic. de Sponsal. in 6.* aliisque Juribus. Neque extenditur ad personas affines, sed tantùm ad consanguineos illius, cum quo initæ fuit sponsalia vel Matrimonium.

DICO 1. Impedimentum publicæ honestatis jure novo oritur ex sponsalibus dumtaxat validis, dirimitque Matrimonium tantùm in primo gradu. Ita *Trid. sess. 24. c. 3.* Quare jure novo potest sponsus de futuro contrahere cum omnibus consanguineis sponsæ, exceptis matre, sororibus ac filiabus. Idem cum proportione est de sponsa respectu consanguineorum sponsi. Dixi *Jure novo*: quia jure antiquo dirimebat usque ad quartum gradum: nec tantùm oriebatur ex sponsalibus validis, sed etiam ex invalidis aliter quàm ob defectum consensûs, si erant pura, sive non conditionata; sic tamen, ut nullum adferretur præjudicium sponsalibus præcedentibus. Patet ex *c. un. de Sponsal. in 6.* Vide *Sanchez d. 69. Bonacina q. 3 pu. 11. num. 2. & seqq.*

68. Notandum autem hoc impedimentum esse perpetuum, adeoque etiam remanere post mortem sponsi vel sponsæ, ut patet ex *c. Si quis desponsaverit uxorem 27. quæst. 2.* & aliis juribus. Idem est, etiamsi contingat sponsalia priùs valida postmodum irritari. Immo etsi postmodum dissolvantur mutuo consensu, ut cum aliis passim docet *Bonacina*

nam *suprà num.* 7. retractans contrariam, quam in priori Editione tenuerat, opinionem (quæ alioquin favorabilis esset in praxi, in quâ casus est sæpè natus occurrere, & quæ docetur à *Præposito, Diana, Basilio Pontio* & aliis, referentibus quamdam declarationem Cardinalium) & pro nostra allegans novam Cardinalium declarationem. Et ita sanè (inquit *Aversa q.17. sect.* 5.) observatur in Romana Curia, ut petatur dispensatio, quando casus occurrit. Ratio est, quia quòd sponsalia mutuo consensu dissolvantur, non facit, quin antea nihilominus valuerint, adeoque impedimentum induxerint; quod proinde permanet, sicut dum sponsalia dissolvuntur per mortem aut aliâ ratione irritantur.

Notandum II. hoc impedimentum quandoque sic concurrere cum impedimento affinitatis, ut sponsus nec possit contrahere cum sua sponsa, nec cum altera à se carnaliter cognita, v.g. si post sponsalia fornicetur quis cum sorore suæ sponsæ, non potest sororem ducere ob publicam honestatem, nec etiam ipsam sponsam, quòd cum hac contraxerit affinitatem ex copula fornicaria cum sorore. Si tamen quis priùs cognoverit sororem, deinde contrahat sponsalia cum altera sorore, non potest quidem ducere hanc ob affinitatem, potest tamen ducere priorem, eò quòd sponsalia cum secunda ratione affinitatis contractæ fuerint invalida, quæ jure novo non inducunt publicam honestatem. Similiter aliquando contingit concurrere duplex impedimentum affinitatis, ut si quis carnaliter commiscatur cum duabus sororibus, aut duabus neptibus in secundo gradu: tunc enim ob affinitatem cum utraque neutram potest validè ducere in uxorem. Quæ pro praxi sunt bene notanda.

Dico II. Publica honestas orta ex Matrimonio rato, sive validè, sive etiam invalido, si aliter fuerit invalidum quàm ex defectu consensûs, dirimit juxta communem sententiam Matrimonium usque ad quartum gradum, habeaque se in aliis eodem modo, quo ante *Tridentinum*: quia *Tridentinum* solùm restringit impedimentum, quod oritur ex Sponsalibus, ut declaravit *Pius V.* in Bulla *Ad Romanum spectat*, Tit. *de Matrim. & Sponsal. in 7. Decretal.* adeoque circa Matrimonium ratum manet in vigore dispositio juris antiqui, quo nascebatur inde impedimentum, etsi Matrimonium foret invalidum, dummodo non ex defectu consensûs; impedimentum, inquam, efficax ad impediendum & dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum.

Quocirca cùm Matrimonium clandestinum non sit invalidum ex defectu consensûs, sed ex defectu solemnitatis à *Tridentino* requisitæ, consequenter nasci videtur ex eo publica honestas, ut docet *Basilius Pontius, Aversa, Rebellus* & alii. Et refertur expressa Declaratio sacræ Congregationis à *Barbosa* & aliis, Quemadmodum ex Matrimonio nulliter contracto à Monacho, à conjugato, & similibus, adhuc oritur impedimentum publicæ honestatis. *Sanchez* tamen *l.7. d.70. n.13. & Præpositus q.7. dub.* 14. censet hoc impedimentum non oriri ex Matrimonio clandestino, veluti quod nequidem sortiatur vim sponsalium de futuro. Immo *Præpositus* contendit universim hoc impedimentum non oriri ex contractu matrimoniali à parte rei invalido ex quocumque capite: cùm nil in jure disponatur de tali contractu, veluti qui verè non est sponsalitius (excipit Matrimonium impuberum ob dispositionem Juris) de quo Canones loquuntur. *Pius V.* autem in genere solùm statuit & declarat reductionem impedimenti per *Tridentinum* factam solùm respicere sponsalia de futuro, at in Matrimonio rato servandam esse dispositionem antiquorum Canonum; qui tamen non videntur loqui de Matrimonio rato irrito.

Invalidatem invalido.

Opinio singularis Præpositi.

QUÆSTIO IX.

De Impedimento Criminis & Raptus.

72. *Quid impedimentum criminis,*

IURE antiquo crimina adulterii & homicidii (*Tridentinum* addidit crimen raptûs, de quo *Concluſ.*4.) quibusdam casibus dirimunt Matrimonium contrahendum inter certas personas; ideoque impedimentum ex iis ortum dicitur impedimentum criminis. Hoc autem Ecclesia ordinavit, ut vitentur cædes & adulteria inter conjuges, dum hoc modo aufertur delinquentibus spes inter se contrahendi. Quàmvis non sit impedimentum juris naturæ, ut patet in Davide, qui post adulterium & necem Uriæ validè duxit Bethsabee. Quòd si tamen crimen committatur à duobus, quorum unus est fidelis & alter infidelis, non potest hic post Baptismum alteri jungi Matrimonio, ut est certum apud omnes, & deciditur c. 1. *de Convers. infidelium.* Etsi enim ibi sit casus de certa criminis specie, tamen perinde etiam est de aliis duabus speciebus criminum, ut notat *Glossa.* Id autem potest Ecclesia, partim quatenus directè statuit impedimentum ipsi fideli, ut *Sanchez l.7. d.78. Henriquez* & alii: partim quatenus non quidem punit infidelem, sed inhabilitat illos, in quibus præcessit talis conditio, adeoque statuit impedimentum, pro statu, quo veniet ad fidem, ut Canonistæ. Ex qua secunda explicatione sequeretur, Ecclesiam idem posse, etsi uterque in infidelitate crimen commisisset; & juxta alios facit. Sed in gene-

Cur statutum,

An juris naturæ.

Quid si cõmittentes crimen non sint ambo fideles.

rali lege non censetur casus iste specialis compresensus, quando ambo sunt infideles. Et clarius id est, si inhæreatur rationi seu explicationi *Sanchez suprà*.

Oritur ex triplici capite.

Impedimentum porrò criminis contingit tripliciter: primò solo homicidio, secundò solo adulterio, tertiò homicidio simul concurrente cum adulterio.

73. *Primo ex homicidio solo,*

Dico I. Homicidium solum dirimit Matrimonium, quando conjux occidit suam compartem (idem est, si occidatur à complice & conspirante) idque ex prævia conspiratione, & intentione postmodum cum conspirante contrahendi. Patet ex multis Canonibus. Dixi in primis, *Quando occidit*: quia non sufficit occidendi conatus, sed requiritur occisio re ipsâ secuta; ut patet ex c. *Si quis vivente* 31. *quæst.* 1. & c. *Laudabilem, de Conversi. infid.* Indifferens autem est, sive occidat physicè per se, sive moraliter per alium mediante consilio vel mandato, ut patet ex c. *Laudabilem* & alibi. Dixi secundò, *suam compartem*; ut insinuem esse indifferens, sive uxor occidat virum, sive vir uxorem, juxta Doctores, unanimiter, contra paucos, qui volunt esse necessarium, ut vir occidat uxorem; ut patet ex c. *Si quis vivente* 31. *quæst.* 1. ubi expresè est sermo de occisione viri. Dixi tertiò, *Ex prævia conspiratione*. Ita Doctores communiter, & colligitur ex c. *Laudabilem*. Unde si unus sine conspiratione alterius occiderit propriam vel alterius compartem, possunt superstites validè Matrimonio copulari, nisi aliud obstet. Similiter non sufficit ratihabitio: ipsa enim non est causa occisionis, sed occisionem supponit; nec potest facere, ut sit, aut præcesserit machinatio mortis, quam jura requirunt. Quàmvis de cetero ratihabitio ex fictione juris retrotrahatur, & mandato comparetur in iis, quæ solùm pendent à voluntate ratum habentis, vel in iis, quæ jure disponente pro mandato reputantur; quod in præsenti non contingit. Adde, quòd etsi comparetur mandato, non sit tamen verè mandatum in odiosis. Dixi denique, *Et intentione &c.* Ita passim Doctores apud *Sanchez d.* 78. *num.* 13. & colligitur ex intentione legis, quæ per hanc pœnam intendit impedire, ne quis cupiditate alieni Matrimonii, occidat propriam, vel alienam conjugem; quod non habet locum in iis, qui alio fine conjuges occidunt: cùm tales ideo à suo scelere nequeant cohiberi.

Quando conjux occidit reipsâ physicè vel moraliter compartem,

Idq; ex prævia conspiratione:

Sic ut non sufficiat ratihabitio subsequens,

Denique ex intentione postea cum conspirante contrahendi,

74. *Secundò ex adulterio solo, cui vivente conjuge præmittitur vel postponitur Matrimonium*

Dico II. Adulterium solum dirimit Matrimonium, quando adulter & adultera vivente conjuge alterutrius ineunt inter se Matrimonium quantum in ipsis est, vel saltem fidem sibi præstant, de eo post mortem conjugis ineundo; idque sive ante, sive post adulterium. Est communis. Et patet ex c. *Propositum*, c. *Ex litterarum*, c. *Cùm haberet*, & c. *Significasti*, c. *Veniens*, *De eo qui duxit &c.* Dixi, *Sive ante, sive post adulterium*: quia hoc expresè additur c. *fin. eod. tit.* Colligitur etiam ex c. *Veniens* & aliis (ubi simpliciter requiritur, esse fidem datam adulteræ) ad dirimendum Matrimonium sufficere juxta communem sententiam (etsi quidam contradicant) promissionem unius esse acceptatam ab alio, licèt non vicissim repromittente. Requiritur tamen, ut uterque sciat saltem alterutram esse conjugatum; ut patet ex c. *Propositum cit.* An autem qui tacet, acceptare censeatur, dubium est. Affirmat *Conink* & quidam alii. Sed meliùs negat *Sanchez d.* 79. *num.* 25. *Bonacina* & plures alii: nam inter adulteros cæco amore abundantes taciturnitas videtur potiùs esse signum recusationis.

Nisi utrinq; acceptum consensum.

75. *Tertiò ex adulterio unius cum homicidio facto alteri conjugi.*

Dico III. Adulterium & homicidium simul dirimunt Matrimonium, quando adulter vel adultera occidit propriam vel complicis compartem, etiam sine conspiratione mutua, ex intentione tamen perveniendi ad Matrimonium cum adultero vel adultera. Patet Conclusio ex c. *Super hoc*, & c. *Significasti, De eo qui duxit &c.* Aliqui tamen putant non dirimi, quando adultera occidit proprium maritum. Sed contrarium est dicendum ex c. *Si quis vivente*, *sup. cit.* Intentionem autem perveniendi ad Matrimonium requiri, colligitur ex ratione in motivo ipsius Juris fundata & assignata conclusione primâ. Idemque docent *S. Thomas, D. Bonaventura, Richardus*, aliique Theologi, Juristæ & Summistæ communiter, ut refert & sequitur *Aversa q.* 13. *sect.* 4. §. *Tertiò* contra Nonnullos.

Nisi copulam habuerit cum adultero vel adultera.

76. *An reputatur animus occidendi quando nomina adulteri quis ignorat.*

Nota I. ut hoc impedimentum incurratur, requiri juxta *Sanchez d.* 78. *num.* 12. & plurimos alios, quòd adulterium sit utrique notum, & consequenter non incurri, si soluta commercium carnale habuerit cum conjugato, ignara statûs illius, usque eò ea duceadi occidat propriam uxorem. Quàmvis *Propositus* putet sufficere, quòd adulterium sit notum machinanti mortem, si reliqua adsint.

77. *Impedimentum criminis tantùm solum subsistit inter ipsos criminosos.*

Nota II. Impedimentum criminis tantùm dirimere Matrimonium inter ipsos criminosos, sive inter adulteros aut machinantes mortem conjugis: nam jura plus non decernunt; immo de casu adulterii hoc deciditur c. *Ex litterarum*, *De eo qui duxit &c.* Vide *Sanchez*, *suprà numero* 1.

77. *Raptus mulieris non dirimit novo dirimit Matrimonium inter ipsam & raptorem, donec ipsa restituta loco tuto.*

Dico IV. Jure antiquo raptus non dirimebat Matrimonium, adeò ut metu & violentiâ cessante posset olim semina, etiam non restituta loco tuto, contrahere cum raptore; ut patet c. *fin. de Raptoribus*. At jure novo *Tridentini sess.* 24. *c.* 6. *de Reform. Matrim. Inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere Matrimonium.* Quòd si tamen

rapta

rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero, constituta, illum in virum habere consenserit; eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, ac omnes illius consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. Ita *Tridentinum suprà*. Nullus autem excipitur casus, etiamsi rapta sit vidua, meretrix &c. immo etiam sit jam validè desponsata raptori: *Tridentinum* enim loquitur generaliter. Ejusdem constitutio juxta plerosque Doctores ac Declarationem Cardinalium etiam locum habet in sponsalibus, quæ eodem pacto non valent, nisi simili ratione rapta sit extra potestatem raptoris constituta, quia sic finis *Tridentini* everteretur; cùm ex sponsalibus oriretur obligatio in futurum: nullam autem obligationem relinquere voluerit in rapta, quousque in potestate raptoris manet.

Notandum verò raptum esse violentam abductionem de loco ad locum, causâ explendæ libidinis, vel contrahendi Matrimonii. Estque perinde, sive violentia sit physica, sive moralis consistens in metu vel minis. Secùs est de dolo; utpote qui non est violentia. Quare etiam ablatio bonorum fortunæ dolo facta, non est rapina, sed furtum. Similiter mulier non dicitur rapta, si alibi inventa detineatur, vel etiam opprimatur, vel sine violentia, etsi insciis parentibus, abducatur, vel si alio fine fiat abductio, v. g. ut vendatur aut in servitutem redigatur: potestque consistere Matrimonium, si ipsa liberè consentiat, nec aliud impedimentum subsit.

Sed quoniam duplex est raptus, unus qui adhibetur tantùm explendæ libidinis causâ, & recensetur inter species vulgatas luxuriæ; alter qui adhibetur causâ Matrimonii: hinc dubitatur, an utroque raptus dirimat Matrimonium: estque probabilior & communior opinio *Sanchez*, *Præpositi* & aliorum, illum dumtaxat dirimere, qui ad finem contrahendi Matrimonium adhibetur. Hoc enim consonat intentioni & tractationi *Tridentini*, quod vult obsistere, ne quis audeat attentare medium, per quod cernit suo se fine frustrandum. Unde nec pœnæ statutæ per *Tridentinum suprà* concernunt raptum, qui est species luxuriæ. Quamvis hic sufficiat ad alios Juris, præsertim civilis, pœnas latas contra raptores.

Petes, an similiter raptus dirimat Matrimonium, si mulier rapiat virum? Resp. Neg. ita communiùs Doctores. Nam *Tridentinum* expresè loquitur in casu, quo mulier est rapta, dicens: *Quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit.* Nec intentio Concilii videtur se extendere ad feminam, quæ vix unquam solet raptum committere. Solent porrò Jura obviare casibus natis occurrere. Unde nec ea quæ statuit *Tridentinum* contra impedientes libertatem feminarum circa professionem religiosam, extenduntur à Doctoribus ad impedientes libertatem virorum; quamvis horum quoque libertas interdum, sed rariùs tollatur. Deinde versamur in odiosis; quæ sunt restringenda. Quod verò objicitur, per raptum alienæ sponsæ intelligi pariter raptum alieni sponsi, dum agitur de impedimentis merè prohibentibus, gratis & falsò assumitur. Neque etiam in Jure à pari ratione aut simili exemplo ducitur bonum argumentum.

81. *Non est impedimentum inter cooperantes raptui & raptam.*

Pro fine nota, quòd dum quis ex mandato alterius pro eo rapit fœminam, impeditur contrahere ipse mandans, non autem executor, utì nec alii cooperatores (etsi hi gravissimè puniantur à *Tridentino suprà*) quia *Tridentinum* tantùm statuit impedimentum inter raptorem (quem à cooperantibus expresè distinguit) & raptam. Unde posset tertius validè cum rapta contrahere.

QUÆSTIO X.

De Impedimento Impotentiæ.

82. *Impotentia quid & quotuplex.*

IMPOTENTIA hîc significat inhabilitatem physicam sive ineptitudinem ad exercendam copulam carnalem aptam ad humanam generationem. Estque alia perpetua, & insuperabilis, quæ scilicet tolli nequit absque miraculo, aut periculo mortis corporalis alterius, aut peccato: alia temporalis & superabilis, quæ sine prædictis superari seu tolli potest, per lapsum temporis, vel per artem humanam, aut ordinaria Ecclesiæ remedia. Item alia est impotentia absoluta, quæ est respectu omnis personæ; alia respectiva, quæ tantùm est respectu certæ personæ.

83. *Ex quibus capitibus oriatur.*

Oritur porrò impotentia ex diversis causis. Primò ex naturali complexione & debilitate, quæ in Jure frigiditas appellatur. Secundò ex defectu membrorum, aut in fœminis ex nimia arctitudine. Tertiò ex defectu ætatis. Quartò ex maleficio per operam dæmonis; cujusmodi vocantur in Jure maleficiati. Ex his namque capitibus oritur impotentia congrediendi cum effusione seminis ad generationem apti intrà vas muliebre. Intrà quod tamen si possit vir semen immittere absque ejusdem penetratione (quod rarum est; etsi noverim interdum contigisse, etiam subsecutâ generatione prolium) sufficiet ad validandum & consummandum Matrimonium, utì manifestum apparet *Raphaeli Aversa quæst. 17. sect. 1. in fine*, & *sect. 2.* quamvis hoc videatur negare *Præpositus quæst. 7. dub. 20. in fine*, non rectè supponens tali casu istam immissionem non fieri ab ipso viro seu vi conatûs ejusdem, saltem coagente virtute attractivâ matricis.

An sine vasis penetratione possit consummari Matrimonium.

Dico

84. *Impotentia temporalis non dirimit Matrimonium.*

Dico I. Impotentia temporalis non dirimit Matrimonium. Patet ex c. *Fraternitatis, De frigidis & malefic.* Ratio est, quòd tunc corpus sit simpliciter potens & habile, solùmque pro tempore impeditum, adeoque simpliciter subsistat materia contractûs. Unde etiam in Jure conceditur experimentum triennii, ut probetur, an impotentia sit perpetua, an temporalis c. *Laudabilem, eod. tit.* Immo etsi Matrimonium post præfatum experimentum fuerit dissolutum, jubetur restaurari, si postmodùm comperiatur impotentiam non fuisse perpetuam. Undesi arctitudo feminæ levi incisione (quam mulier etiam tenetur pati) aut simili remedio absque gravi periculo possit tolli, valet Matrimonium, nec potest censeri subesse simpliciter & absolutè impotentia; ut satis colligitur ex cap. *Fraternitatis*, & in praxi observatur.

85. *Impuberes ex natura rei possunt validè illud contrahere,*

Hinc etiam impuberes jure naturæ validè contrahunt Matrimonium, modò sufficienter utantur ratione, nec aliud impedimentum habeant, etsi necdum possint actum matrimonialem exercere: quia illa impotentia tantùm est temporalis, cum ætate provectiori tollenda. Ex natura rei verò possunt tales, jam præditi sufficienti rationis usu, se ex nunc obligare, dando potestatem ad copulam exercendam pro tempore secuturæ potentiæ: sicut possunt alii temporaliter impotentes. Nihilominus Jure Ecclesiastico impuberes, id est, masculus ante decimum quartum, femella ante duodecimum ætatis annum, & quidem juxta Doctores completum, redduntur inhabiles ad contrahendum Matrimonium; ut patet ex c. *Continebatur* c. *Attestationes*, & c. *Tuæ nobis, de Despons. impuber.* Excipe, nisi malitia suppleat ætatem; hoc est, nisi citiùs sint & doli capaces, & potentes ad usum matrimonialem; ut patet ex c. *Continebatur*, c. *Tua nobis cit.* & c. *De illis* 2. *eod. tit.* Interdum autem contingere potentiam generandi ante eam ætatem, constat experientiâ ipsâ. Pluraque à variis narrantur exempla; ut de rege Achaz, qui undecimo ætatis anno fertur genuisse Ezechiam. De Salomone refertur, quòd decennis genuerit Roboam: de alio puero decenni, quòd nutricem suam reliquerit gravidam. Denique *Christianus Massæus in Chronico ad annum* 1337. refert puellam novem annorum in Belgio concepisse ex famulo. Hæc tamen potentia in foro externo non præsumitur ante legitimam ætatem. Quòd si verò aliqui tempore pubertatis necdum sint potentes, manet res in terminis juris naturæ, adeoque valet Matrimonium juxta Doctores communiter; nisi sit impotentia perpetua; quæ tamen non satis præsumitur, quousque post tempus plenæ pubertatis (quod in viris est annus decimus octavus, in feminis decimus quartus) adhibita fuerit experientia triennalis. Impuberum porrò Matrimonium sic judicatur, ut etiam juxta Doctores communiter contra *Sanch. l.* 1. *d.* 17. *n.* 6. sit illicitum; utpote prohibitum expressè *c.* 2. *de Despons. impuber.*

Secùs, jure Ecclesiastico.

Nisi malitia suppleat ætatem:

Prout interdum contingere, declaratur.

Quòd si qui initio pubertatis necdum sint potentes, an validè cõtrahant.

Dico II. Impotentia perpetua præcedens Matrimonium dirimit illud. Est certum ex c. *Quod sedem*, & c. *Ex litteris, de Frigidis.* Et hoc verum est, etsi impotentia antea sit cognita comparti; ut docent, communiter Doctores, contra paucos, existimantes impotentiam parti incognitam dirimere quidem jure Ecclesiastico Matrimonium, non autem, si fuerit parti nota: prout discurri solet de conditione servili. Verùm Canones loquuntur generaliter & absque discrimine; immo in c. *Consultationi* 7. præsupponitur scientia impotentiæ. Et quidem id provenire ex ipso jure naturæ, utcùmque indicat *Sixtus V.* Constit. 59. *Cùm frequenter*, dicens: *Secundùm canonicas sanctiones & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt & impotentes, iidem minimè apti ad contrahenda Matrimonia reputantur.* Ratio naturalis est, quòd tunc deficiat materia substantialis contractûs Matrimonii; cujus materia sunt humana corpora disparis sexûs, non qualiacumque, sed potentia seu habilia ad usum Matrimonii; de hujus enim essentia est traditio potestatis in mutua corpora ad præfatum usum (quàmvis excludi possit usus actualis, etiam per pactum prævium) quæ potestas dari non potest, ubi est impotentia physica.

86. *Impotentia perpetua dirimit Matrimonium. Etsi sit non nota.*

87. *Cur non sit dirimens impotentia temporalis.*

Nec obstat, quòd impotentia superveniens Matrimonio, etiam non consummato, illud non dirimat, ut patet ex c. *Hi qui*, 32. *q.* 7. Hoc enim postulat Matrimonii insolubilitas. Deinde potentiâ adhuc existente, jam erat traditum jus & dominium. Confirmatur: quia etsi contractus non subsistat in fieri sine sua materia substantiali, posset tamen postea perseverare in suo valore, etsi materia substantialiter mutetur; ut patet v. g. in contractu emptionis, qui manet, etsi aurum postea vertatur in aurichalcum, vel equus emptus occidatur.

vel de impotentia moraliter tunc ut patet.

Non obstat II. quòd impotentia moralis, quæ contingit, dum petitio debiti per pactum excluditur, non dirimat Matrimonium: nam illa relinquit dominium & potestatem in actu primo, adeò ut copula non foret fornicaria, quæ inter tales contingeret. Deinde impotentia physica mutat naturam contractûs substantialiter, cùm materia illius sit corpus verè secundùm naturam suam potens: impotentia autem moralis tantùm mutat accidentaliter, seu potiùs extrinsecè; cùm tantùm fundetur in voluntate, adeòque relinquat corpus secundum se verè potens.

88. *Eunuchi perfecti sunt inhabiles*

Hinc patet invalida esse Matrimonia contracta à quibusvis spadonibus seu eunuchis perfectis, sive utroque teste carentibus: quia simpliciter & absolutè

sunt

sunt impotentes ad emittendum verum semen. Ita communiter Doctores. Et quàmvis aliquando Nonnulli contrarium putarint; maximè de eunuchis, qui possunt feminis communicare aliquale semen sive humorem, licèt ineptum ad generationem: res tamen nunc est certa ex Motu proprio *Sixti V.* supra citato (cujus verba etiam refert *Sanchez d. 92. n. 17.*) in quo omnium hujusmodi Matrimonia quæcumque cum quibuslibet mulieribus, defectum prædictum sive ignorantibus sive scientibus, contracta decernit nulla, irrita & invalida esse, eosque ad Matrimonia contrahenda inhabiles esse declarat, mandans locorum Ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cetero fieri quoquo modo permittant, ac denique jubens eos etiam, qui de facto sic contraxerint, separari. Quare non statuit novum Jus, sed potiùs declarat Jus naturæ: quia nimirum *secundùm naturæ rationem minimè apti ad contrahenda Matrimonia reputantur*; ut Pontifex loquitur.

Petes: An impotentes possint verè & 89. validè contrahere Matrimonium, non quidem ad finem habendi copulam, sed ad finem castè vivendi? Affirmat *Basilius Pontius l. 9. c. 56.* & tribus seqq. salvans sententiam talis Matrimonii in mutua conjunctione animorum quoad individuam vitæ societatem. Resp. tamen cum *D. Bonaventura dist. 34. a. 2. q. 1. ad 2.* & aliis communiter talem confœderationem non esse verum Matrimonium, non tantùm Jure Ecclesiastico, sed etiam naturali. Simpliciter enim & absolutè inhabiles ad Matrimonium contrahendum esse, qui sunt impotentes, declarant Canones, idque ex Jure naturæ, ut colligitur ex motu proprio *Sixti V.* Ipsa namque ratio Matrimonii primò & per se respicit propagationem generis humani per copulam, in ordine ad quam debent conjuges invicem tradere potestatem corporis sui; quam tradere nequeunt impotentes, tametsi possint eam tradere ad rerum domesticarum obsequium, uti servi. Deinde alioquin pariter possent tali intentione validè contrahere ipsi potentes; qui proinde habendo copulam fornicarentur, utpote ad quam non tradidissent invicem potestatem: cùm tamen planè repugnet, esse verum conjugium, & copulam fornicariam. Similiter accessus ad aliam personam liberam non foret in talibus adulterium. Insuper juxta talem modum Matrimonio ineundo non obesset consanguinitas, uti non obest obligationi invicem obsequendi & amandi, sed soli potestati ad copulam, ejusque executioni. Denique inquiri posset, an Matrimonium sic initum foret Sacramentum, an indissolubile, an postea perfectibile modo ordinario, idque per notum contractum, an contrahibile cum pluribus: ad quæ & similia non posset sufficienter responderi.

Quando autem in Jure permittitur, ut impotentes possint post deprehensam impotentiam cohabitare tamquam frater & soror, sive in continentia, non supponunt Matrimonium fuisse validum. Immo agunt in casu, quo tales contraxerant modo consueto ad vacandum actibus conjugalibus, ideoque concedunt experientiam triennalem copulæ, & ei, qui potens est, facultatem contrahendi postea novum Matrimonium: quæ capitaliter adversantur opinioni *Pontii*. Quod itaque *Gregorius* Papa c. *Requisisti 33. q. 1.* dixit: *Si retinaculum conjugale* (id est mutuam cohabitationem, vel conjugium putatitium & apparens) *voluerint rescindere, maneant utrique innupti*, subintellige, maneat vir impotens innuptus de præcepto; mulier autem potens, de consilio, ut rectè *Glossa*. Nam (ut subdit Pontifex) *videtur mulierem secundas nuptias contrahere posse..... Vir autem, qui frigidæ naturæ est, maneat sine conjuge.* 90. *Satisfit objectionibus.*

Petes II. Quid censendum sit de hermaphrodito sive personâ mixti sexûs? Resp. posse conjugari juxta sexum prævalentem tantum, ex *L. Quæritur, ff. de Statu hominum.* Si in utroque sexu potens sit & æqualis, potest eligere alterutrum: præstito tamen juramento coram judice Ecclesiastico, quòd post viduationem non conjugabitur juxta alterum sexum. Quàmvis si juramentum postea infringeret, Matrimonium secùs initum valeret. 91. *Quid censendum de hermaphroditis.*

Ex Conclusione sequitur, steriles posse verum Matrimonium contrahere; ut habet omnino certa sententia, in praxi recepta: possunt enim consummare Matrimonium per veram copulam ex se aptam generationi etsi hæc per accidens non sequatur (quæ etiam non semper sequitur ex quavis copula in fecundis) non quidem ex seminis natura, quæ est ejusdem rationis, sed ex speciali qualitate seu temperamento subjecti. Quare etiam non obstat, quòd femina sit impotens ad retinendum semen intrà matricem: sufficit enim aptitudo ad copulam ex se ordinatam ad generationem, etsi ex alio accidenti hæc non sequatur. 92. *An steriles possint contrahere matrimonium.*

Quoad senes decrepitos tenendum similiter est, eos non esse incapaces contrahendi matrimonii, quando naturâ vel arte possunt excitari ad copulam; prout regulariter possunt. Ob quod etiam Ecclesia nullos senes à Matrimonio contrahendo rejicit. Immo si senex sit adeò exhaustus, ut judicio medicorum juvari non possit ad copulam, adhuc *Navarrus*, *Rodriguez*, *Vega* & alii existimant, esse capacem Matrimonii contrahendi, eò quòd nihilominus retineat semper velut in habitu intrinsecam suam potentiam; quæ per accidens tantùm 93. *Quid censendum de senibus decrepitis.*

tantùm jam est impedita ratione senectutis, quò minùs exeat in actum. Contrarium docet *Panormitanus*, *Sanchez*, *Barbosa* & alii communiùs; eò quòd tali foeni copula sit impossibilis, adeòque nequeat ad illam obligari: perinde autem sit, ex quo capite vel accidenti oriatur impotentia ad copulam. Nihilominus hæc impotentia non est nata oriri ex defectute feminæ; præsertim in sententia communiori, quæ docet ad consummationem Matrimonii, & generationem non requiri semen femineum, adeòque sufficere receptionem seminis virilis.

94. *Quid de infirmis mortis vicinis.*

Similiter de infirmis paulò pòst morituris, seu quorum sanitas est desperata, etsi de facto sic langueant, ut in eo statu non possent habere copulam, tenet communis Doctorum sententia, usu & praxi Ecclesiæ comprobata, eos validè contrahere Matrimonium: quia per vehementiam morbi præcisè non tollitur potentia alioquin integra & expedita ad usum Matrimonii, sed ad summum pro tali dumtaxat tempore impeditur. Quòd si tamen vi morbi potentia sic esset destructa, ut ope humanâ infirmus numquam possit reddi potens, esset consequenter incapax Matrimonii contrahendi. Sed hoc regulariter non præsumitur, ideoque tale Matrimonium legitimat prolem priùs inter contrahentes susceptam, etiam dum ad hunc solum effectum contrahitur. Vide *Sanchez l. 7. d. 105. Coninck d. 31. dub. 7.* & alios.

95. *Quid denique de femina semper faciente abortum, aut pariente cum vitæ discrimine evidenti.*

Denique si sit mulier ita disposita, ut semper faciat abortum, aut constet eam non posse parere sine manifesto vitæ periculo, censent Nonnulli, eam esse incapacem contrahendi Matrimonii: eò quòd stante eo periculo copula sit tali illicita, adeòque censeatur impossibilis. Sed meritò *Sanchez d. 92. n. 28. & 29. Coninck* & alii passim id negant; quia impotentia hæc saltem non est perpetua, sed solùm pro tempore fecunditatis. Deinde periculum istud non appareret, nisi per Matrimonium post copulam jam consummatum.

96. *Impotentia respectiva solum dirimit matrimonium respectu sic impotentium.*

Dico III. Quando impotentia est tantùm respectiva, dirimit Matrimonium dumtaxat inter illos, respectu quorum est. Ita communiter Doctores: quia cùm tantùm habeant corpus impotens respectu aliquorum, & potens respectu aliorum, non est ratio, cur his tradere non possint dominium corporis sui. Hujusmodi impotentia frequentiùs oritur ex maleficio. Ex naturali frigiditate non ita. Uti neque ex nimia arctitudine feminæ oritur impotentia illius respectu similium virorum, arg. c. *Fraternitatis, de Frigidis.* Quàmvis juxta Doctores communiter posset interdum ea accidere respectu virorum dissimilium in robore vel mole corporis.

Unde ipsa oriatur.

97. *Quid a-*

Pro fine nota, quando contracto jam Matrimonio constat omnino perpetuam adesse impotentiam, sive absolutam, sive respectivam, non posse conjuges reddere debitum, nec aliquid facere, quod extra Matrimonium non liceret; immo statim esse dissolvendum. Si verò dubisetur de perpetuitate impotentiæ, datur illis triennium, ut possint Matrimonium consummare, c. *Laudabilem, de Frigidis.* Quo tempore si nequeant consummare, amplius experiri non possunt, sed sunt separandi, si adsit periculum incontinentiæ: quòd si non subsit, Jura permittunt, ut habeat tamquam sororem, quam nequit habere uxorem, c. *Laudabilem cit.* & c. *Requisivisti 33. q. 1.* Factâ autem separatione, potest aliud Matrimonium inire is, qui potens est. Si etiam factâ separatione, is, qui putabatur impotens, fiat aliquâ ratione potens, reddenda est ei conjux: quia colligitur impotentiam tantùm fuisse temporalem, adeòque valuisse Matrimonium. Patet ex c. *Laudabilem*, & c. *Fraternitatis, de Frigidis.*

Quod attinet triennalem experientiam, illa incipit & completur secundùm prudens arbitrium judicis; qui potiùs propendere debet ad superfluam, quàm ad diminutam diligentiam adhibendam. Poteritque prudenter computare à die attentatæ copulæ (qualiter computandum volunt juristæ frequenter, & *Sanchez l. 7. d. 110. arg. c. Laudabilem*, ibi: *A tempore celebrati conjugii*; scilicet cum attentatione copulæ) consideratâ frequentiâ conatûs; constanti & concordi ac juratâ assertione, & similibus: & in maleficio, si, pœnitentiæ, pia opera, & alia remedia sint etiam satis adhibita. Aliàs, si non sit concordia in dictis, si non sint adhibita sufficientia remedia corporalia aut spiritualia, si experientia copulæ non fuerit satis continua ob diuturnam absentiam vel defectum, aliæve circumstantiæ aliud suadeant, expediet tempus prolongare, aut ad securitatem præfigere triennium ex tunc decurrendum. Quo modo computandum illud esse simpliciter, plures docent; & aliqui id admittunt in casu maleficii tantùm. Denique existimo, quòd dum agitur in foro conscientiæ, sit arbitrium illorum penes doctum & prudentem Confessarium. (Idem videtur de quovis alio viro docto & prudenti, qui rem & circumstantias illius benè examinaverit) quorum arbitrium in foro externo est penes judicem. De his plura videri possunt apud *Sanchez l. 7. d. 102.* & *seqq.* usque ad finem libri.

QUÆSTIO XI.

De Dispensatione Impedimentorum Matrimonii.

99. *In impedimentis quæ dirimunt ex natura intrinseca contractus, ne quidem Deus potest dispensare, v. g. in impo-*

Dico I. In impedimentis, quæ dirimunt ex natura intrinseca contractus, ne quidem Deus potest dispensare, v. g. in impo-

impotentia, in defectu veri consensûs: quia tunc contractus matrimonialis deficit in aliquo essentiali, Deus autem facere nequit, ut res subsistat cum defectu alicujus essentialis. Potest quidem juxta antedicta facere, ut sine consensu contrahentes sibi invicem obligentur, per semetipsum tradendo illis mutuum dominium corporum, sed facere nequit, ut sine consensu subsistat contractus.

100. Dico II. In impedimentis, quæ dirimunt jure divino aut naturali largè, solus Deus potest dispensare. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia in legibus hujusmodi nemo potest dispensare Deo inferior absque divina commissione; de qua in præsenti non constat. Neque etiam congruebat potestatem in hujusmodi impedimentis dispensandi Ecclesiæ relinqui; cùm talis potestatis usus non videatur moraliter loquendo fore expediens, ut discurrenti per singula impedimenta Jure divino seu naturali dirimentia apparebit. Undè qui censent votum solemne dirimere Matrimonium contrahendum Jure divino seu naturali, consequenter docere debent Papam in hoc dispensare non posse. Nos è contra docemus Papam id posse, sicut censemus esse impedimentum Juris Ecclesiastici. Adeoque etsi dispensatio in ipsa obligatione voti defectu causæ foret invalida, adhuc valere posset dispensatio quoad valorem Matrimonii, dum Papa id absolutè vellet.

101. Dico III. In impedimentis dirimentibus jure Ecclesiastico potest per se loquendo dispensare solus Pontifex. Ita communiter Doctores. Et patet ex praxi Ecclesiæ. Ratio est, quod illa impedimenta sint juris communis, sive scripti, sive consuetudinarii, in quæ proinde solus Pontifex habet potestatem. Et quàmvis Episcopi possent circa Jus commune, quidquid potest Pontifex, id ad summum intelligendum esset, nisi Pontifex sibi aliquid reservet: prout juxta omnes reservat sibi dispensationem in impedimentis dirimentibus, nisi ex speciali privilegio vel præscriptâ consuetudine aliquibus Episcopis facultas in hujusmodi dispensandi sit communicata.

102. Dixi *per se loquendo*: quia per accidens ex tacitâ concessione Pontificis valde probabiliter potest etiam Episcopus dispensare, quando Matrimonium bonâ fide contractũ est in facie Ecclesiæ, & impedimentum est occultũ, ac separatio valde difficilis, similiter recursus ad Pontificem est difficilis. Ita *Silvester, Angelus, Henriquez, Navarrus, Sanchez, Præpositus* & passim Recentiores. Ex quibus varii id etiam extendunt in casu gravissimæ necessitatis ad Matrimonium contrahendum. Ratio est: quia hoc est necessarium pro regimine & salute animarum: adeoque non est credibile, Pontificem in tam gravi necessitate & animarum periculo velle sibi dispensationem reservare: qui utique in ædificationem, non in destructionem est intingere debet potestatem Episcoporum. Quare sic habet praxis eorumdem. Favet quod c. 2. *de Despons. impub.* in verbis allegandis *n. seq.* Quod si in prædicto casu sit facilis recursus ad Legatum Apostolicum, qui hac in parte sit præditus facultate dispensandi, videtur, quod tunc Episcopus nihil possit: cùm tunc cesset necessitas, ob quam præcisè hæc facultas tacitè Episcopo concedebatur, adeoque etiam cessare videtur tacita concessio. Ita *Sanchez l. 2. d. 40. n. 8. Navarrus, Præpositus* & alii contra *Henriquez*.

Excipiunt *Varii* à Conclusione impedimentum defectûs ætatis seu pubertatis. De quo posteaquam cautum esset c. 2. *de Despons. impub. Ne aliqui ante ætatem Canonibus faciendæ præscriptam conjungantur*; subditur: *Nisi fortè aliquâ urgentissimâ necessitate interveniente; utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur*; scilicet ab Episcopo dispensativè permittente, ut plerique Expositores & alii intelligunt; prout refertur & sequitur *Aversa q. 19. sect. 2.* Et satis probabile censet *Sanchez l. 7. d. 104. n. 12.* quem vide. 103. *An à Conclusione sit excepta quoad defectum pubertatis.*

Refert quoque *Bassæus V. Matrimonium IX. n. 4.* concessum esse à *Gregorio XIII.* Patribus Societatis Jesu 24. *Aug.* 1576. ut in locis, in quibus Decretum *Tridentini* contra Matrimonia clandestina est promulgatum, & ab aliquibus non servatum, possint absolvere illos, qui induci non possunt, ut Matrimonium servatâ formâ Concilii contrahant, & cum iisdem dispensare in foro conscientiæ, ut rursus secreto inter se contrahant, non servatâ formâ Concilii; atque ut postquam sic contraxerint, proles ita susceptæ ipso facto legitimæ censeantur. Quæ concessio foret valde opportuna in partibus Hæreticorum. Solùm obstare potest, quòd sit vivæ vocis oraculum. Quale etiam est, quo (ut refert *Bassæus suprà*) idem Pontifex 2. *Septemb.* 1580. iisdem concesserit facultatem dispensandi cum iis, qui contraxerunt cum impedimento Criminis, & non putant esse illicitum dare fidem de Matrimonio contrahendo post mortem conjugis vivente altero conjuge; immo putant justissimum, ubi intervenit copula. 104. *Referuntur quædam privilegia.*

Petes, quæ causæ in dispensationibus matrimonialibus soleant regulariter attendi? Resp. attendi in primis bonum pacis per conjugium obtinendum. Ad quod spectat: tum extinctio inimicitiarum capitalium, litium civilium, aliarumque gravium discordiarum: tum præventio, ne ista oriantur, neve homicidia, infamia, aliave damna aut scandala (sub quibus etiam peccatorum pericula, v.g. incontinentiæ, hæresis &c. censentur) sequantur. 105. *Causæ ordinariæ dispensationis matrimonialium recensentur.*

Secundò attenditur defectus paris conjugii in loco, nisi cum conjunctis, quando scilicet commodè & moraliter in proprio

oppido non reperitur persona alia coæqualis, v. g. quia major pars concivium conjuncta est cupienti nubere, sic ut præter eos non facilè inveniat personam parem sibi suisque gratam.

Tertiò, defectus dotis, quando scilicet non habet tantam, quanta requiritur & consueta est, ut nubat extraneo æquali. Quartò conservatio splendoris & ampliſſimarum divitiarum in eadem familia, quas v. g. femina hæres alioquin transferret ad extraneos. Ob quod etiam in veteri Lege femina hæres debebat nubere viro de familia & cognatione sua. Quò etiam spectat acquisitio hæreditatis, relictæ sub conditione nubendi tali.

Quinto, recognitio excellentium meritorum, sive dispensationem petentis, sive ejus pro quo petitur. Sextò, instauratio Matrimonii bonâ fide contracti, saltem ex una parte, quę detecto postea impedimento peteret dispensationem. Septimò, redintegratio honoris fœminæ violatæ, & legitimatio ac bona educatio prolis antea susceptæ.

Quibus accedit causa extrinseca, impositio scilicet relictæ aut alterius operis ad pium finem. Et sic aliqui petunt dispensationem sine causa, supple, ex ante dictis, sed non sine hac causa extrinseca. Insuper plures causæ, quæ forsim aliquando non sufficerent, simul collectæ juvare possunt, ut exurgat conjunctim causa sufficiens & adæquata. Quod verò *Tridentinum sess. 24. c. 5. de Reform. Matr.* monet, ut *in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, & ob publicam causam*, Pontificum (qui monitione istâ Concilii non arctantur) benignitate non servatur exactè, sed ad quandam moderationem reductum est, ut etiam cum aliis personis, præsertim opulentis, ex causa gravi, etsi non publicâ, seu bonum commune directè spectante, sæpè dispensetur; uti hactenus praxis manifestè ostendit. Cetera, quæ de dispensationibus matrimonialibus, scitu necessaria sunt, peti possunt ex dictis *Tract. de Leg. disp. 1.* ubi de dispensatione generaliter actum est.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Debito conjugali seu Vsu matrimoniali.

QUÆSTIO I.

An & quomodo teneatur Conjux reddere vel petere debitum?

1. *Conjux cõjugi explicitè vel implicitè petenti tenetur debitum reddere.*

DICO I. Tenetur conjux alteri explicitè vel implicitè petenti reddere debitum. Conclusio est communis & certa. Et patet ex 1. *ad Cor. 7. Vxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro.* Et paulò pòst: *Nolite fraudare invicem, nisi &c.* Et rationem subjungens ait: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ex quibus Apostoli verbis patet, hanc obligationem esse justitiæ, adeoque gravem; sicut quælibet alia justitiæ obligatio gravis est, quando materia est proportionata.

Idq. ex justitiâ.

2. *Quando secùs faciès peccat mortaliter.*

Hinc peccat mortaliter conjux, qui absolutè comparti debitum negat, quando id rationabiliter & seriò aut sub obligatione exigit: secùs, si non seriò, aut non sub obligatione, sed ex quadam benevolentia, aut si precibus recusantis facilè acquiescat. Deinde propter levitatem materiæ excusatur à mortali, si nonnihil v. g. differat: modò absit in petente periculum incontinentiæ. Quod quidem periculum satìs frequens est, & à fortiori debet tolli reddendo debitum postulatum. Qua in re graviſſimè sæpè delinquunt fœminæ, suâ morositate & inflexibilitate præbentes viris occasionem pollutionum & adulteriorum, discordiarumque domesticarum.

DICO II. Conjux excusatur à reddendo debito, quando habet rationabilem causam negandi. Ratio est, quòd obligatio justitiæ non sit tam stricta, quin occurrente rationabili causâ liceat solutionem negare aut saltem differre. Sic enim debitor pecuniæ excusatur, si nimiâ paupertate prematur; mancipium excusatur ad præstanda opera, si prematur infirmitate &c.

3. *Excusatur negatis, causa rationabili.*

Hinc excusatur conjux primò, si non possit reddere debitum sine notabili periculo salutis corporalis. Immo tunc illicitè redderet. Secundò, si pars petens laboret lepra, vel alio morbo contagioso non letali ſero, sic ut grave sit periculum infectionis, etsi licita, non tamen obligatoria est reddi-tio debiti, juxta *D. Thomam, D. Bonaventuram* & alios communiter. Colligitur ex *c. 1. de Conjugio leprosorum.* Si tamen non sit notabile infectionis periculum (quale non censetur subesse in raro congressu, seclusâ cohabitatione: in quo standum judicio medicorum) non excusatur. Quo modo intelligendum videtur *c. 2. eod. tit.* Sicut nec excusatur, si ante Matrimonium sciverit conjugem esse infectum tali morbo: quia tunc contrahendo cum tali censetur se obligasse ad reddendum (quod simpliciter licitum est) etiam cum tali periculo. Vide *Sanchez l. 9. d. 24.* per totam. Tertio probabiliùs

4. *Varia Corollaria.*

excu-

excusatur, quando conjux petit debitum in amentia, ebrietate, aut aliâ extra usum rationis. Ratio est, quòd talis petitio non sit humana, ex qua oriri possit obligatio: & amens non habet usum suæ potestatis seu dominii, sicuti etiam in bonis externis constat. Excipe, quando destitutus usu rationis illicitis fortassè mediis expleret suam libidinem. Quartò excusatur, quando conjux immoderatè & nimis frequenter petit debitum. Ita *Præpositus q. 6. dub. 5. n. 41.* & alii communiter: quia non videntur conjuges se obligasse ad usum immoderatum; præsertim cùm repugnet decentiæ & valetudini. Denique cùm ex privilegio Christi conjugibus ante consummationem Matrimonii liceat ingredi Religionem, non tenentur illud consummare, adeòque nec debitum primâ vice reddere primo bimestri, quod eis ad deliberandum conceditur à Jure c. *Expublico, de Convers. Conjug.* Idque juxta plerosque (inter quos *D. Thomas, D. Bonaventura* & alii, quos refert & sequitur *Sanchez l. 2. d. 24. n. 24.*) contra *Coninck* & alios, etsi jam deliberaverint non intrare; eò quòd interea quisque posset propositum mutare in melius.

Dubium autem est, an excusetur conjux à reddendo debito, quando timetur nimia prolium multiplicatio? Et quidem satis constat posse conjuges ex mutuo consensu aut interveniente pacto excusari ab obligatione reddendi debitum, dum saltem abest periculum incontinentiæ. Sola quoque multiplicatio prolium excessiva non sufficit: cùm enim Matrimonium sit ad generationem institutum, non potest quis ab ejus obligatione eximi, ne generatio sequatur. Secùs est juxta *Sanchez l. 9. d. 25.* & plures alios, etiam secluso pacto vel mutuo consensu, quando est præsens periculum, ne plures nascantur proles, quàm parentes possint alere: quia non videntur conjuges obligandi ad usum conjugalem cùm tanto gravamine & incommodo. Sicut & in aliis rebus moralibus excusatur quis à solutione aliorum debitorum ob moralem impossibilitatem seu maximam difficultatem. Quod faciliùs locum habere posset in honestis & nobilibus, qui non possint alere multa proles sine notabili statûs detrimento. Quantumvis non sufficere nimiam prolium multiplicationem etiam juncto gravamine paupertatis, censeat *Coninck disp. 34. dub. 3.* & alii: eò quòd gravamen istud nimis remotè & accidentaliter oriatur ex redditione debiti: ad quam proinde conjuges videntur se obligasse, etsi indè remotè ma sit sequi paupertas, quæ velut effectus per accidens non videtur posse impedire Matrimonii finem principalem. Sed hæc ratio non urget. Plausibiliùs quoad communes pauperes admittit *Præpositus q. 6. dub. 6.* quòd non videantur excusari, etsi proles tot non possint alere: eò quòd nec patiantur detrimentum statûs, nec difficultas alendi proles videatur adeò in illis ponderanda, cùm pene mendicato vivere possint. Quod judicio prudentis attentis personarum circumstantiis discernendum est.

DICO III. Conjux per se loquendo non tenetur petere debitum: quia nemo tenetur uti jure suo. Dixi *per se*: quia per accidens tenetur petere, quando posset avertere periculum incontinentiæ, quod alioquin conjugi imminere advertit: cùm lege charitatis quilibet quando commodè potest, teneatur impedire peccatum proximi, adeòque potiori jure conjugis. Neque hæc obligatio est justitiæ, ut aliqui voluerunt; sed charitatis, aut certè pietatis inter adeò conjunctos: per Matrimonium enim solùm traditur alteri dominium corporis, & jus eo utendi, non autem assumitur obligatio alterum cogendi vel invitandi ad ejus usum. Similiter ex charitate videtur per accidens conjux, præsertim vir, obligari ad petendum, quando scit compartem hoc valde desiderare, præsertim ob prementes tentationes, etsi non subsit periculum incontinentiæ, sed præ verecundia hoc non audet indicare. 6. *Conjux non tenetur debitum petere per se loquendo.* *Quando teneatur per accidens.*

QUÆSTIO II.

Qualiter impediatur petitio & redditio debiti?

DUO I. Qui contraxit affinitatem cum sua comparte, cognoscendo videlicet carnaliter consanguineam illius, non potest petere debitum, potest tamen, immo tenetur reddere. Prima pars est certa. Et patet ex c. *Si quis cum filiastra*, & c. *Discretionem*, *De eo qui cognovit &c.* Nec tantùm conjux qui exercuit actum carnalem cum consanguinea suæ compartis incurrit hanc pœnam, sed etiam ipsa compars, si consenserit in talem actum, juxta Doctores communiùs. Qui id solent colligere ex c. *Discretionem cit.* & c. *Tuæ fraternitatis, eod. tit.* & consequenter si unus conjux commiserit talem incestum, & alia consenserit, sive iniquitatis sit particeps, neuter posset petere debitum. Oppositum nihilominus velut probabilius amplectitur *Dicastillo disp. 9. dub. 9.* post *Ochagavia*, *Hurtado* & *Perez*: eò quòd in Capitulis citatis dicatur quidem innocentem non debere jure suo privari; tamen non statuatur expressè, ut nocens seu iniquitatis particeps eodem privetur, sed hoc tantùm inferatur per argumentum à contrario sensu, quod in jure positivo non est efficax, præsertim quoad inducendas pœnas vel impedimenta. 7. *Affinitas superveniens Matrimonio impedit petitionem debiti in incestuoso.* *An etiam in comparte consentiente.*

Requiritur verò ad hanc affinitatem contrahendam, ut incestus committatur scienter, utì colligitur ex Jure: adeòque non 8. *Requiritur, ut incestus*

quâ talis committatur scienter.

solùm ignorantia invincibilis, sed etiam vincibilis circumstantiæ ipsius incestûs excusat ab hac pœna. Secus est de ignorantia pœnæ. Vide *d. 5. de legib. q. 4. n. 29.*

Quousque se extendat hæc affinitas.

Non extendit etiam se hæc prohibitio ultra primum aut secundum gradum, ubi locum habet reductio *Tridentini*, quod *sess. 24. c. 4. de Reform. Matr.* restrinxit impedimentum affinitatis ex fornicatione dirimens Matrimonium ad secundum gradum: adeòque a fortiori videtur illud tacitè restrixisse, quod solùm impedit debiti petitionem. Idem apertè constat ex quadam Declaratione *Gregorii XIII.* quæ refertur ad *sess. 24. c. 4. de Reform. Matr.*

9. *Non impedit ipsa debiti redditionem.*

Secunda pars, quòd scilicet possit debitum reddere, patet ex c. *Discretionem* & c. *Tuæ fraternitatis* cit. *Cùm* (ut c. *Tuæ fraternitatis* dicitur) *affinitas post matrimonium iniquè contracta, illi nocere non debeat, qui iniquitatis particeps non exiſtit*, eò quòd *suo jure non debeat sine sua culpa privari*, ut additur c. *Discretionem*; adeòque crimen alterius juxe suo privati obesse nequeat, quin adhuc alteri jus retinenti debitumque petenti possit & teneatur reddere.

10. *Cognatio spiritualis superveniens non impedit debiti redditionem:*

Dico II. Qui post contractum Matrimonium culpabiliter contraxit cognationem spiritualem cum altera conjuge, baptizando vel suscipiendo filium communem aut filium alterius conjugis, potest reddere debitum; ut apud omnes est certum: sicut & certum est, quòd possit petere, quando inculpabiliter cognationem contraxit, v. g. baptizando in extrema necessitate. At quòd non liceat petere, quando cognationem culpabiliter contraxit, docent plerique Doctores apud *Sanchez l. 9. d. 26. n. 7.* allegantes varia jura. Sed (ut fatetur ipse *Sanchez*, qui etiam contrarium censet probabile) Jura ista non sunt satis clara, aut probantia: cùm tamen sine claro Jure non sit imponendum tantùm gravamen, sed in pœnis benignior interpretatio sit adhibenda. Unde solidiùs *Coninck d. 34. dub. 8. Præpositus* & passim Recentiores docent, ne quidem tunc incurri impedimentum petitionis debiti. Equidem satis constat, contrahentem hanc cognationem sine sufficienti causa graviter peccare. Vide dicta de *Baptismo d. 7. q. 4. n. 40. & seq.*

Immo probabiliùs nec petitionem.

11. *Impedito ob affinitatem petere, licitè negatur debitum;*

Dico III. Conjugi impedito petere debitum propter contractam affinitatem, aut in sententia multorum ob cognationem spiritualem, licitè negatur debitum. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia alter est jure petendi privatus per Canones. Sed dubitatur, an incestuoso debitum petenti reddi licitè possit, eò quòd videatur subesse cooperatio ad iniquam actionem petentis. Verùm notat *Castro Palao d. 3. pu. 4. §. 6. n. 7.* talem copulam conjugalem secundùm se non esse illicitam, sed solùm quatenus petitur ab incestuoso; cujus petitioni compars non cooperatur, quæ ad petendum non incitatur, sed soli copulæ petitæ. Aliundè autem delictum incestuosi gravare non debet innocentem, c. *Tuæ fraternitatis, De eo qui cognovit consang.* qui proinde æquè liber esse debet ad reddendum & petendum, ac si delictum non fuisset commissum.

Licitè quoque redditur.

Immo generatim loquendo *Sanchez l. 9. d. 6. n. 7. Covarruvias, Coninck, Castro Palao* & alii passim existimant conjugi illicitè petenti debitum compartem tunc solùm reddere illicitè, quando petitio est illicita ob circumstantiam aliquam se tenentem ex parte actûs v. g. quia petitur in loco publico vel cum periculo aborsûs (nisi fortè graviora mala indecentiam ipsius actûs expurgent, ut Varii adverunt) eò quòd tunc ipse actus sit in se illicitus etiam ex parte personæ reddentis: aliàs autem posse licitè reddere, quando scilicet petitio tantùm est illicita ex parte personæ petentis, v. g. ob votum, vel affinitatem, eò quòd reddens exerceat actum, sibi ex natura sua licitum, immo ad quem habet jus, non obstante alterius impedimento, quin immo jus habet etiam alter, si sit tantùm impeditus per votum. Quare tali casu non cooperatur alterius peccato formali, cùm illa actio externa in se peccatum non sit, sed quatenus procedit ab altero impedito. Pari modo, quo actio externa vitiatur ex malo fine petentis, cujus tamen iniquitati non censetur alter cooperari, ut etiam fatetur *Basilius Pontius l. 10. c. 3.* & quidam alii præsertim doctrinam limitantes, ut compars quidem possit & debeat reddere, quando malitia petitionis pendet ex arbitrio petentis, v. g. intendentis malum finem, cùm posset intendere rectum: non autem, quando petitio sic est illicita, ut ipse petens non possit illam vel copulam de facto suo arbitrio licitam facere, v. g. ob votum aut affinitatem contractam. Quam limitationem etiam approbat *Dicastillo d. 9. dub. 19.* etsi priorem doctrinam probabilissimam censeat, immo veram, supponendo quòd compars sponè reddens eo ipso virtualiter quodammodo censeatur petere, vel ex parte sua meliori modo quo potest accedere. Nihilominus limitatio ista non apparet necessaria: eò quòd juxta prædicta utrobique actio solùm mala fit ex circumstantia ei extrinsecâ. Immo consequenter *Sanchez supra* & plures alii censent compartem obligari reddere debitum sic petenti & jus habenti, quo per votum v. g. non privatur, vi cujus soli Deo obligatur ex motivo religionis. Quemadmodum depositarius teneretur reddere depositum petenti, etsi hic Deo promisisset, quòd ipsum non repetet; eò quòd hinc alter non acceperit jus depositum retinendi, nec hic amiserit jus petendi. Hoc saltem constat, reddentem facilè posse excusari ob aliquam

quam necessitatem, aut utilitatem, v. g. ob indignationem conjugis, aliudve detrimentum proprium vel petentis. Sicut excusari potest petens mutuum ab usurario. Similiter satis constat compartem posse admittere copulam convertendo redditionem in petitionem: sic enim ipsa copulæ executio ne quidem erit peccaminosa ex parte alterius, etsi prius illicitè petierit. Quâ petitione subinde etiam tenetur compars alteri impedito consulere, ipsum prævenienda, si v. g. immineret illi periculum peccati.

Pro fine quæstionis nota, Episcopos posse dispensare in impedimentis supervenientibus Matrimonio contracto, etiam dum est facilis recursus ad Papam; juxta Doctores passim, & praxim seu consuetudinem communem ac præscriptam. Extat etiam Oraculum *Pii V.* factum Franciscanis (quod est nonum inter Oracula ejusdem Pontificis in *Bullario Rodriguez*, idemque referunt alii Scriptores passim) quo eorum Confessariis juxta formam *Tridentini* approbatis, & à Provinciali specialiter deputatis, datur facultas dispensandi cum incestuosis ad petendum debitum; similiter cum eis qui contraxerunt cum voto simplici castitatis Matrimonium, ut eo durante petant debitum. Factâ autem semel hâc deputatione, facultas est perpetua: potestque etiam extra confessionem mandari executioni. Quam facultatem extendit *Rodriguez* ad impedimentum cognationis spiritualis supervenientis Matrimonio contracto. Sed extensio non est satis fundata. Nos tamen tale impedimentum, quod debiti petitionem impedit, non admittimus.

Porrò præter allegatum vivæ vocis oraculum extat apud *Rodriguez in Bullario* Concessio *Julii II.* Bullâ 24. pro Monachis S. Benedicti Congregationis Vallisolitanæ, in qua Prioribus seu Præsidentibus & tribus vel quatuor Confessariis specialiter ad id deputandis per Superiorem monasterii datur facultas ad nutum deputantis revocabilis, dispensandi in petitione debiti cum incestuosis ad eorum Ecclesiam seu Monasterium recurrentibus; idque intrà Sacramentum Confessionis.

QUÆSTIO III.

An quovis tempore licitus sit usus Matrimonii?

DUBIUM hoc movetur propter dies festos, maximè solemnes, aut etiam quando conjuges volunt communicare. Secundò, quando uxor patitur menstrua. Tertiò, quando est gravida. Quartò, durante purificatione post partum. Quintò, quando lactat.

14. DICO I. Maximè expedit conjuges diebus festivis, præsertim solemnioribus, ab usu Matrimonii abstinere, ut majori servore & puritate possint vacare orationi. Idque sæpè volunt Patres relati à *Gratiano* 33. q. 4. Unde dicunt eos tunc debere abstinere; ut docet *Scotus dist.* 32. *ad* 3. & alii communiùs, contra aliquos existimantes eos obligari ad hoc sub veniali. Unde conjux illis diebus absolutè tenetur reddere debitum petenti. Ratio Conclusionis est, quòd non appareat sufficiens fundamentum strictæ seu propriè dictæ obligationis abstinendi istis diebus à copula. Idemque est de diebus Communionis. Quàmvis ob remanentem libidinis sensum, ac distractionem & hebetudinem mentis adesse posset interdum culpa quædam venialis irreverentiæ in Communione facta post habitam ipsâ die copulam per modum petitionis; aut certè suadenda sit eo die à Communione abstinentia: nisi circumstantiæ aliud suadeant. Immo piissimum consilium est abstinere isto die à petendo debito etiam post Communionem. Pars tamen ob hoc à redditione debiti non excusatur. Nec ipsa ob hoc facilè urgenda est, ut à Communione abstineat, seque tanto bono privet, quæ obligationi suæ satisfecit.

Diebus festis aut Communionis an abstinendum à copula.

15. DICO II. Probabiliùs non est mortale, vacare actui conjugali tempore menstrui, etiam petendo debitum. Ita *Sanchez d.* 21. *n.* 7. & alii communiùs, contra multos, inter quos *Alensis, D. Thomas, D. Bonaventura* existimantes esse mortale, nisi saltem in alterutro subsit periculum incontinentiæ: quorum sententiam valde probabilem asserit *Sanchez n.* 2. eique favet *Scotus suprà n.* 5. immo & *Augustinus q* 64. *super Leviticum.* Probatur Conclusio: quia in primis non extat divina prohibitio in nova Lege: vetus autem data *Levitici* 20. utpote ceremonialis, & ex parte judicialis, jam cessavit. Non etiam jure naturæ congressus tali tempore est mortalis: eò quòd neque ex se sit ita difformis rectæ rationi; neque etiam quia est nocivus proli nascituræ, quasi ob hoc inficiendæ leprâ aut alio morbo (in quo præcipuè fundantur Auctores contrariæ sententiæ) quia hoc rarissimè & ferè numquam accidit; uti experientiam docere Auctores passim testantur. Alioquin sanè oppositum foret dicendum: nam (ut arguit *Scotus suprà*) majori præcepto tenetur conjux non agere, unde proles nascatur leprosa seu elephantiaca aliisve morbis subjecta, quæ posset aliàs procreari sana, quàm pro nunc satisfacere voluntati mulieris, pro quando ut in pluribus puer nascitur leprosus aut aliis morbis subjectus.

An sit mortale accedere ad menstruatam.

16. Dixi in Conclusione, *Non est mortale*: quia Doctores passim agnoscunt in petente debitum tali tempore culpam venialem, saltem nisi adsit periculum incontinentiæ, diuturna à conjuge absentia, aut alia ratio-

An saltem sit veniale.

tionabilis causa: aliàs enim videtur quædam intemperantia juncta cuidam indecentiæ, & fœditati singulari (quam castus animus horret cogitare) exigere congressum tali tempore, & non expectare tempus aptum retentioni seminis & generationi brevi futurum. Pars autem, à qua debitum petitur, juxta *Sanchez, Præpositum q. 6. dub. 8. n. 61.* & plures alios videtur habere justam causam reddendi, per hoc præcisè, quòd petatur: eò quòd juxta præmissa actus tali tempore exercitus non sit ita in se indecens, ut nullâ circumstantiâ possit cohonestari: talis verò circumstantia ex parte reddentis videatur adesse, per hoc quòd reddens comparti suæ satisfaciat. Immo consequenter idem *Sanchez*, *Præpositus* & alii docent, quòd conjux reddere teneatur; quàmvis hoc præter Auctores alterius sententiæ neget *Bonacina* & alii, eò quòd sit turpitudo tenens se ex parte actûs. Et *Sotus*, *Silvester*, *Petrus Ledesma* & plures alii docent saltem virum priùs admonendum, ac si fieri possit flectendum, ut desistat (quod indubiè saltem consultissimè fit) quamquàm si monitus non desistat, aut sit periculum odii, vel quòd ad alias sit abiturus, mulier teneatur debitum reddere, ut eos sentire refert *Præpositus supra n. 54.*

An debitũ tunc petitũ reddi possit, Vel debeat.

17. *Licitè cognoscitur uxor gravida.*

Dico III. Quando uxor est gravida, licitè redditur & petitur debitum (adeoque illicitè negatur) modò absit periculum abortûs. Ita communiùs Doctores contra Nonnullos putantes, esse veniale, tunc exigere debitum. Ratio est, quòd nulla lex hoc prohibeat. Quòd enim Patres subinde videantur culpare talem congressum, intelligendi sunt de consilio: vel quando subest periculum abortûs. Et certè si Matrimonii usus tunc esset illicitus, malè esset provisum conjugibus de remedio concupiscentiæ: cùm majore parte temporis uxores multorum sint gravidæ.

18. *An licitè cognoscatur mulier tempore purgationis.*

Dico IV. Uti Matrimonio statim post partum, durante adhuc naturali mulieris purgatione, non est mortale, ut satis receptum est apud Doctores: immo juxta *Richardum, Sanchez, Henriquez, Præpositum supra dub. 11.* & plures alios ne quidem est veniale, eò quòd corporalis immunditia non videatur sufficere ad causandum peccatum in actu conjugali, ad quem partes jus habent. Videtur tamen saltem moraliter adesse veniale, ob nimiam intemperantiã, quæ in copula isti fœditati juncta apparet, uti in copula cum menstruata: nisi aliqua ratio excuset. Quod autem S. *Gregorius* ait, & refertur c. *fin. dist. 5. Nisi purgationis tempus priùs transierit, viris suis non debent admisceri*; dictum est ab ipso tamquam sancto Doctore & dante sanctum consilium, non tãquam imponente rigorosum præceptum; vel certè ob intemperantiam ibi regulariter adjunctam, dicit id esse illicitum, scilicet venialiter.

19. *An lactãs.*

Dico V. Non est illicitum uti Matrimonio eo tempore, quo mulier lactat. Ità Doctores communiter: quia periculum, quod aliqui dicunt proli lactanti imminere, nullum vel parvum est. Quòd si subinde contingat adesse, potest per aliam nutricem vel alimentum provideri. Certè (inquit *Præpositus q. 6. dub. 11. in fine*) conjugati intolerabile gravamen subirent; si juxta quorundam sententiam non possent se mutuò cognoscere, dum mulier est gravida, puerpera, lactans: inde enim sequeretur, quòd non nisi rarissimè actum conjugalem possent exercere. Et ita quidem congruit humanæ infirmitati: etsi non satis queat suaderi nimia hujus actûs raritas, quem non extorserit amor propaginis aut fidei conjugalis.

QUÆSTIO IV.

Qualiter Usus conjugalis sit illicitus ratione modi?

20. *Copula vase præpostero fieri inter conjuges gravissimè peccatum.*

Dico I. Certissimum est conjuges mortaliter peccare congrediendo sodomitice sive extra vas naturale. Talis namque congressus repugnat lumini naturæ, etiam Barbaris explorato, ac fini matrimonii. Quare mortem potiùs, quàm talem concubitum deberet uxor admittere. Quidquid impius Mahumet in suo Alchorano c. 1. illum permisisse fingatur his verbis: *Vxores vestræ sunt aratura vestra, ingite igitur araturam vestram ad libitum.* Immo juxta Doctores communiter nec sic licitè inchoatur copula in vase præpostero cum intentione perficiendi in vase naturali, eò quòd ista carnis penetratio videatur inchoata sodomia, & ex natura sua dispositio ad illam: ut proinde non se habeat instar alterius nudi tactûs, quo licitè provocatur natura in ordine ad copulam conjugalem.

Immo licitè in inchoatio, perficiens in vase naturali.

21. *Similiter illicita est quæ fit cum prodigione seminis.*

Dico II. Certissimum quoque est conjuges peccare graviter tangendo seipsos, aut se mutuo, etiam consentientes, cum pollutione seu effusione seminis extra vas: cùm id repugnet castitati conjugali finique matrimonii, nec mollities naturæ contraria per conjugium honestetur. Immo videtur communis sententia, quòd conjugatorum pollutio præterea habeat specialem malitiam contra fidem conjugii; veluti quæ prohibeat usum carnis extra limites conjugii, & obliget, ut uterque servet alteri castè corpus suum. Et consonat illud *Ambrosii*, quod refertur c. *Nemo sibi*, 32. q. 4. *Nec hoc solùm est adulterium, cum aliena malitia peccare conjuge, sed omne quod non habet potestatem conjugii.* Non video tamen efficacem istius sententiæ rationem. Varios etiam deprehendi pœnitentes, qui non apprehendebant specialem malitiam ex parte conjugii

Pollutio conjugati specialis malitia.

jugii in pollutione, credentes fidem conjugii per hoc non frangi.

Observandum præterea conjugibus, ne sibi in mente proponant aliam personam, dum commiscentur, sive per desiderium, sive per simplicem complacentiam: aliàs enim graviter peccant.

22. Dico III. Si conjuges sine justa causa non servent naturalem modum sive situm, v. g. si mulier sit incuba, si à latere, stando vel etiam modo præposteto tamen in naturali vase se cognoscant, peccant juxta omnes: quia est alienum à ratione, non servare situm à natura institutum. Dixi *sine justa causa*: hâc enim existente nullum est peccatum, v. g. si vir sit succubus, ne aliàs uxori aut fetui immineat periculum, aut quia dispositio corporalis naturalem situm non permittit. Ita *Sanchez d. 16. n. 7.* & alii communiter: quia naturalis modi inversio non videtur ita intrinsecè mala, quin justa causa possit illam honestare, quando ex modo congressûs nata est sequi generatio. Unde etiam compars tunc non solùm potest, sed etiam tenetur reddere debitum sic petenti.

23. Dico IV. Dum sine justa causa naturalis situs non servatur, tantùm peccatur venialiter, juxta *Sanchez supra num. 3. Navarrum* & alios passim contra multos existimantes peccari mortaliter. Ratio est: quia etsi modus accidentalis sit contra naturam, non tamen ipsa substantia actûs conjugalis, utpote facti in vase legitimo idonee ad generationem; defectus autem iste accidentalis non videtur ascendere ad deformitatem mortalem, nisi adesset morale periculum effusionis seminis extra vas; quod raro adesse, ideoque Confessarium non teneri de illo interrogare accusantem se de indebito situ, notat *Sanchez supra n. 7.* Non tenetur tamen compars reddere debitum sic petenti sine justa causa: sive se confirmando sententiæ probabili, quæ putat inversionem istam esse mortalem: sive quæ esto tantùm sit venialis, probabiliter tamen est ita intrinsecè mala, ut petente non excusato ob justam causam, non excusetur reddens saltem à veniali peccato: sive denique quia etsi nullum foret peccatum sic petenti reddere, non censetur tamen se obligasse, nisi ad reddendum modo congruo. Equidem est probabile, quod saltem licitè reddere possit: cùm sic doceat *Sanchez supra n. 2. Pontius, Diana* & plures alii: juxta quos in reddente pro causa sufficit, nolle alteri displicere, aut occasionem discordiæ præbere. Idque verum existimo tunc saltem, quando fundatè discordia aut simile malum timeretur, vel alia justa ratio reddendi debitum subesset. Omnino tamen debet conjux conjugem pro virili hortari, si sit spes fructûs, ut à similibus inordinationibus abstineat, ei ostendendo suam in his displicentiam.

QUÆSTIO V.

Quo Fine exercendus sit actus Matrimonii?

24. *In copula licitè intenditur proles, satisfactio debiti, aut etiam sola vitatio incontinentiæ aliena.*

Dico I. Actus matrimonialis licitè refertur in generationem prolis, & satisfactionem sui debiti, aut in evitationem incontinentiæ in sua compărte. Conclusio est ab omnibus recepta. Immo generatio prolis est finis principalis: satisfacere debito postulato tenetur pars ex justitia; vitare autem incontinentiam compartis, saltem ex charitate.

25. *Quidni & propria.*

Dico II. Licitè conjux exercet etiam petendo actum matrimonialem præcisè, ut evitet periculum incontinentiæ in semetipso. Ita plurimi Doctores contra *Magistrũ dist. 21.* & plures alios existimantes exigentem tali fine peccare venialiter: quod varii variè limitant. Ratio est: quia Matrimonium est utile, & à Deo ordinatum in concupiscentiæ remedium post lapsum: ergo eo uti in hunc finem nullum potest esse peccatum. Nec obstat, quod hic finis sit tantùm secundarius: quia licitum est omisso fine principali assumere secundarium, si sit honestus; qualis est evitatio incontinentiæ propriæ. Deinde in sterilibus cessat omnino spes prolis; in fecundis autem sæpissimè, nempe post prolem jam conceptam: adeoque in illis regulariter, in his sæpissimè esset illicita petitio copulæ; nec satis foret præviſum concupiscentiæ toto conjunctorum de licito remedio illius, quæ ex ipsa tori conjunctione potiùs augetur.

Probatur.

Confirmatur I.

Confirmatur I. quia licitè, immo laudabiliter quis Matrimonio utitur, ut evitet incontinentiam alienam suæ compartis (quamquam non sit finis principalis usûs matrimonialis) quidni ergo licitè eo utatur, ut evitet continentiam in semetipso, à quo incipit charitas? Immo verè tunc etiam videtur concurrere bonum fidei matrimonialis; cujus nimirum per incontinentiam frangendæ periculum est.

26. *Confirmatur II.*

Confirmatur II. ex 1. *Cor.* 7. ubi Apostolus ait: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* Et infrà: *Iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Qui modus loquendi planè non denotat promissionem venialis peccati, sed concessionem actûs liciti, etsi minùs boni: sicut etiam concedit Matrimonium tamquam licitum, etsi minùs bonum respectu continentiæ. Et hoc sensu subdit: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* Quàmvis *S. Augustinus l. 5. contra Jul. c. 9.* in fine videatur hæc verba accipere tamquam indulgentiam rei malæ, dicens: *Cùm ad id ipsum redeunt propter intemperantiam suam, noverint etiam*

etiam inde dicere Deo, Dimitte nobis debita nostra. Quod enim secundùm veniam, non secundùm imperium à tanto Doctore dicitur, utique ignoscitur, non jubetur. Ubi tamen *Augustinus* non videtur adversari Conclusioni nostræ: non enim loquitur de copula exercita ad peccatum incontinentiæ vitandum, sed ad ipsam concupiscentiam seu intemperantiam explendam; utpote totus in illo loco ad ostendendum quòd concubitus causâ voluptatis explendæ adhibitus sit malus: quem proinde dicit ab Apostolo permitti tamquam indulgendo rem malam. Dum autem indicat solùm posse intendi generationem prolis, solùm loquitur exclusivè ad intentionem principalem voluptatis. Nam certè constat posse, immo debere reddi copulam etiam à sterili, ad satisfaciendum fidei conjugali: quidni ergo intendi possit sedatio concupiscentiæ?

Agitur de mente S. Augustini.

27. *Licitè similiter intenditur in copula sanitas, aliusve honestus finis.*

Dico III. Licitè etiam petitur & exercetur actus conjugalis ad sanitatem corporis conservandam vel restaurandam, aut alium honestum finem. Ita *Coninck* & plures alii contra multos existimantes in hoc latere culpam venialem. Ratio est, quòd cùm hi fines sint honesti, & Matrimonii usus ad illos sit utilis, non appareat, cur prohibitum sit usum hunc ad istos fines referre. Quemadmodum in aliis rebus humanis ob fines de se licitos, sine culpa adhibentur media per se licita, & ad illos fines utilia, etsi alioquin ex institutione sua ad illos non sint ordinata. Simili itaque ratione Matrimonium ejusve usus, etsi non specialiter ordinatum ad certum finem, potest nihilominus ex generali sua conditione illum respicere, adeòque propter eumdem appeti.

28. *Illicitè intenditur sola voluptas;*

Dico IV. Illicitum est exercere actum Matrimonii ob solam voluptatem carnalem: ut tradit *Magister*, *D. Thomas*, *D. Bonaventura* & reliqui antiqui, immo & recentiores satis communiter. Idem satis clarè videtur docere *D. Augustinus*, *Gregorius* & alii Patres. Quorum, & præcipuum Theologorum auctoritas est præcipuum Conclusionis fundamentum. Ratio est, quòd videatur repugnare rectæ rationi exercere actum præcisè propter delectationem adeò brutalem & quodammodò absorbentem usum rationis. Juxta plerosque tamen Doctores tantùm est culpa venialis, nisi cujusnam libido sit adeò effrænis, ut ita in congressu spectetur solius libidinis implectio, quod perinde ei sit, sive sit sua, sive non; adeòque constituatur in ea ultimus finis, ut solent loqui Theologi. Quòd si delectatio non quæsita sentiatur in actu, & acceptetur, nullum ex ea parte est peccatum.

Nimirum venialiter.

29. *Quod ipsum varii Recentiores negant.*

Immo non desunt, qui existiment absque omni culpa in usu Matrimonii posse moderatè intendi, & appeti voluptatem. Ita *Almainus*, *Aversa*, *Castro Palao*, *Diana* & varii recentiores. Et satis consonat sententiæ asserenti dari actus in individuo indifferentes. Ratio assignari posset, quòd in humanis operationibus per se licitis non videatur culpabile appetere delectationem, quam ipsa natura iis annexuit; quæ proinde juxta plerosque saltem licitè acceptatur, dum actus ob alium principalem finem exercetur. Quod adhuc faciliùs apparet, quando voluptas solùm secundariò intenditur simul cum alio fine principali confirmatur: quia hujusmodi delectatio non est illicita, sed indifferens; copula quoque non est mala: ergo videri posset non esse in rigore malùm, hanc ordinare in talem finem: cùm finis indifferens faciat actum indifferentem. Estque difficile id ex ratione efficaciter improbare. Patres quoquè videri possunt potissimùm culpare intemperantiam seu immoderatum appetitum voluptatis, quæ dominetur conjugio velut mancipio; ut *Hieronymus*, qui refertur c. *Origo* & c. *Liberorum* 32. *quæst.* 4. Et *Gregorius*, qui refertur c. *Vir cum propriâ* 33. *q.* 4. Vel explicari possent de eo quod ordinarium est, quia nimirum moraliter impossibile est illam quærere, & moderationem tenere. Ut proinde ad minus practicè retinenda sit communis Doctrina. Sed & difficulter cadit explicatio in *D. Gregorium*, ac difficiliùs in *B. Augustinum*. Immo hìc videtur velle, quòd conjux voluptatem libidinis solùm tolerare debeat, velut invita & ex necessitate; tamquam effectum inordinationis peccati originalis, post quod *ipsa licita admissio conjugum sine voluptate carnis fieri non potest*, ut utar verbis *Gregorii suprà*. Adeò istæ castæ animæ ab more libidinis alienæ fuerunt.

QUÆSTIO VI.

An Dubius de valore Matrimonii licitè petat & reddat debitum?

30. *Invaliditas Matrimonii ignorata non excusat.*

Suppono I. Conjugem scientem invaliditatem sui Matrimonii, etiam bonâ fide initi, non posse debitum petere nec reddere, quocumque periculo proposito. Ita expressè decidit c. *Inquisitioni*, de *sent. Excommunic.* Ratio est, quòd nullo casu possit quis scienter fornicari, seu alteri carnaliter commisceri extra legitimum Matrimonium.

Quorum contrarium docuerunt nonnulli recentiores.

Ita licitum copulam cæsa.

Suppono II. Conjugem meritò dubitantem de validitate Matrimonii, sive bonâ, sive malâ fide contracti, teneri statim inquirere de rei veritate, ne exponat se periculo fornicationis, casu quo matrimonium foret invalidum.

Dubius de valore Matrimonii statim inquirere tenetur.

31. *Qui malâ fide contraxit, dubitans de valore Matrimonii, non potest petere debitum, tenetur tamen illud reddere.*

Dico I. Qui malâ fide contraxit, dubitans de valore Matrimonii, non potest petere debitum conjugale; tenetur tamen illud reddere compari, quæ bonâ fide contraxit.

Qui malâ fide

Con-

Conclusio est satis communis. Et pro utraque parte deciditur c. *Denique*, *de secundis Nuptiis*. Ratio primæ partis est, quòd conjux talis malâ fide inchoaverit possessionem, adeoque nullum jus cum tam manifesto fornicationis periculo potuerit acquirere in corpus alterius. Unde si uterque malâ fide contraxerit dubius de valore Matrimonii, neuter potest petere & consequenter nec reddere, ob periculum fornicationis; cùm neutri faveat possessio bonæ fidei, adeoque nec jus aliquod. Et hoc *Sanchez* meritò putat certissimum, inquit *Dicastillo d. 9. num. 166.* Ratio secundæ partis est, quòd alter conjux ob bonam fidem sit in legitima possessione Matrimonii, adeoque habeat jus in corpus alterius; cui potiùs tenetur alter dubitans satisfacere, quàm abstinendo periculum materialis fornicationis præcavere.

Dico II. Qui Matrimonium contraxit bonâ fide, & postea incipit dubitare, si factâ diligenti inquisitione adhuc maneat dubius de ejus valore, potest probabiliter etiam debitum conjugale petere, juxta plurimos Doctores: quàmvis multi, tam antiqui, quàm recentiores, valdè probabiliter putent talem posse solùm debitum reddere. Ratio est, quòd talis videatur in legitima possessione Matrimonii bonâ fide inchoati, & juris petendi debitum; in dubio autem sit melior conditio possidentis. Nec obstat c. *Dominus cit.* ubi deciditur dubitantem solùm posse reddere bonâ fide petenti: quod etiam deciditur c. *Inquisitioni cit.* Nam priori capite agitur de casu quo Matrimonium erat cum dubio, sive malâ fide contractum. Posteriori verò agitur quidem de Matrimonio utrimque bonâ fide contracto, & dubio subsequente; potest tamen explicari de tempore, quo necdum erat facta sufficiens inquisitio ad deponendum dubium. Quidquid sit, satis constat licitè peti & reddi debitum per triennium, quando dubium supervenit ratione potentiæ: diligentia enim ad inquirendum veritatem (quæ in omni dubio adhibenda est) alia ibi adhiberi non potest, nisi per experientiam & conatum ad copulam: quæ in ceteris dubiis esset inutilis ad explorandum impedimentum.

QUÆSTIO VII.

An Conjugibus licita sint oscula, tactus, aspectus & verba amatoria, secluso periculo pollutionis?

Dico I. Similes actus sunt liciti inter conjuges tamquam præparatorii ad actum conjugalem debitè perficiendum. Ita communiter Doctores. Ratio est, quòd cui licitus est finis, licita quoque sint media ex natura sua ad talem finem conducentia; prout prædicti actus conducunt ad usum matrimonialem seu copulam. Si tamen referantur ad majorem voluptatem in ea captandum, erunt intemperantia quædam venialis. Si etiam adsit periculum pollutionis in alterutra parte, erunt grave peccatum, etiam in casibus sequentium Conclusionum. *quam dispositiones ad copulam conjugalem debitè perficiendam,*

Dico II. Tactus, amplexus, oscula &c. sunt licita conjugibus tamquam signa vel etiam tamquam fomentum amoris conjugalis. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia hic finis est honestus, & ad eum prædicta sunt etiam instituta. Idem est, si adhiberentur ad sedandas carnis tentationes, quando his mediis sedari possent: sicut ob illum finem juxta sententiam satis receptam licita est ipsa copula. 34. *Vel etiam quam signa & fomentum amoris conjugalis.*

Dico III. Prædicta fiunt sine peccato mortali; etsi intendatur sola in illis voluptas, & non sit animus exercendi actum conjugalem. Ita communiùs Doctores contra *Antoninum*, *Sylvestrum*, *Rodriguez* & quosdam alios, putantes esse peccata mortalia. Ratio est: quia vinculum Matrimonii, quod conjugibus concedit copulam, concomitanter etiam concedere debet actus inchoativos: adeoque sicut quærere libidinem in ipsa copula non est in conjugibus peccatum mortale, sic nec illam quærere in actibus ad illam ordinatis. Communiter tamen supponunt Doctores esse peccatum veniale, uti de ipso actu conjugali docent: quàmvis difficultate non careat, si voluptas non sit immoderata; ut patet ex iis quæ circa actum conjugalem notavimus. Quia verò in contactibus valde impudicis frequenter subest notabile periculum pollutionis, sunt isti omnino conjugibus dissuadendi, nisi intendatur copula, vel saltem sit animus eam petendi, quando periculum advertitur: cui omnino tenerentur conjugati occurrere per copulam, aut certè illud præcavere. 35. *Quòd si sola intendatur voluptas, etiam sine intentione copulæ, adhuc non sunt mortale peccatum.*

Hæc Conclusio habet etiam locum quando actus conjugalis est per accidens conjugibus illicitus, utpote quia illum sine prolis sanitatis periculo exercere nequeunt, aut quia impotentes facti sunt. Secùs est, si vovissent castitatem. Si autem unus tantùm voverit, licerent ei prædicta, quatenus est necesse ad redditionem debiti, sed nihil per modum petitionis. Salvo semper, ut dictum est, periculo pollutionis. 36. *Quid si conjuges non possint liberè exercere ipsam copulam.*

An autem conjux peccet mortaliter, si morosè delectetur de copula cum comparte, etiam in absentia, non caret difficultate. *Cajetanus* quidem, *Sanchez* & alii frequenter existimant, quòd non, etiamsi sequatur alteratio carnis, dummodo absit periculum pollutionis; eò quòd delectatio 37. *Quid censendum, de morosa delectatione circa copulam conjugalem, vel de ta-*

Etibus impudicis in absentia cõjugis.

ista sit de actu conjugali, & propter illum, qui in præsenti est licitus ei, qui delectatur. Alii tamen veriùs affirmant. Similiter difficultas est de conjuge, qui in absentia alterius se ipsum impudicè tangit: quem *Sanchez* similiter existimat non peccare mortaliter, si absit periculum pollutionis: tamen *Vasquez, Diana*, & alii plurimi rectiùs non excusant à mortali. Vide dicta in *Materia de Peccatis Disp. 7. q. 4. num. 36. & seqq.*

QUÆSTIO VIII.

De Debito Conjugum ad Cohabitandum.

38. *Conjuges obligantur invicem cohabitare:*

CERTUM est apud omnes, teneri per se loquendo conjuges ad invicem cohabitandum. Hæc enim obligatio non solùm supponitur in Jure civili & canonico: sed etiam apertè insinuatur in verbis Dei per os Adæ pronuntiatis *Gen. 2. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Ipse quoque Christus *Matth. 5.* ob solam fornicationis causam permittit viro ab uxore discedere. Immo hæc obligatio oritur ex ipsa natura contractûs matrimonialis. Qui proinde *Institut. De patria potestate §. 1.* definitur, *Viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem* seu societatem *continens.* Et *L. 1. ff. de ritu Nupt. Conjunctio maris & feminæ, & consortium omnis vitæ.* Sine mutua etenim cohabitatione non solùm nequit commodè præstari mutuum debitum copulæ conjugalis; sed illam etiam postulat recta prolis educatio, quæ utique patris & matris officiis indiget: aliaque obsequia, quæ conjuges invicem præstare debent, eamdem requirunt. Unde ductu luminis naturæ etiam apud Gentiles conjugati cohabitationis officium servant. Et ad illam compelli possent conjuges, sive à judice Ecclesiastico, etiam per censuras: sive à sæculari: idque tum ad instantiam partis, tum etiam ex officio. Quare vir diuturniore tempore se ab uxore absentans sine justa causa, graviter peccat. Modica tamen absentia reputatur pro nulla, nec censetur rationabiliter alteri gravis.

Etiam ex natura rei.

Qui proinde ad id cogi possunt à judice.

39. *Electio habitationis aut mutatio est penes virum;*

Electio porrò habitationis per se loquendo spectat ad virum tamquam caput mulieris & administratorem familiæ. Qui proinde illam mutare potest, etiam invità uxore; quæ lege subjectionis & cohabitationis tenetur virum sequi, c. *Vnaquæque 13. q. 2.* Si tamen inter pacta conjugalia adjectum sit, ut vir teneatur in certo oppido vel provincia habitare, obligabitur vir illud observare: cùm non repugnet naturæ Matrimonii iniri pactum, ut conjuges certo loco figant domicilium, adeoque illud sit justum, & consequenter obliget acceptatum, juxta Doctores communiùs, quos sequitur

Qui tamen teneatur stare pactis quoad habitationem ipsius.

Sanchez l. 1. d. 40. & Basilius Pontius l. 12. c. 20. num. 8. Et consequenter non obligabitur uxor sequi virum fœdifragum. Quod si tamen peculiaris ratio intercedat, ob quam necesse sit mutare habitationem, censebitur talis casus in pacto, etsi per juramentum firmato, exceptus: & consequenter tenebitur mulier eum sequi, sicut si pactum non intercessisset. Quemadmodum è contrà vir tenetur sequi mulierem, quæ ex necessitate cogitur habitaculum mutare: etsi per se alioquin sit electio penes virum. Similiter si vir sit in exilium missus, tenebitur uxor, viro volente, comitari, ut docet *Sanchez l. 1. disp. 41. num. 12.* & plures alii, eò quòd licèt non sit particeps pœnæ, tamen jure conjugii debeat esse particeps infortunii.

Casus excepti, vel alias postulet.

In quo casu vir teneatur sequi mulierem.

Notandum tamen, quòd ex justa causa possit conjux abesse à conjuge etiam longo tempore, idque sive causa sit publica, sive privata; v. g. si Princeps ad militiam evocet, si ob negotia domestica iter faciendum sit, & aliquamdiu alibi morandum, v. g. ob lites, conservationem bonorum &c. tunc enim nequit uxor esse rationabiliter invita. Quod prudenti judicio discernendum est attentâ negotiorum gravitate & rerum opportunitate. Similiter non tenetur uxor cohabitare viro cum gravi suo discrimine seu periculo in anima, corpore vel famâ. Quare nec tenetur sequi virum vagum, saltem quando tempore initi Matrimonii non solebat vagari, vel id ignorabat uxor: nam esset nimis grave onus mulieris eam obligari ad hujusmodi sequelam mulieres non decentem. Quare potiùs teneretur ipse vir à tali vagatione desistere, ne uxorem in cohabitatione certo loco figenda deseràt. Si tamen mulier tempore contractûs mores viri noverat, videtur in illud onus consensisse, nisi causa vagandi sit turpis.

40. *Justa causa excusat à cohabitatione.*

An mulier teneatur sequi virum vagum.

Qualiter autem ob adulterium, aliasque causas, vel etiam ex mutuo consensu, fieri possit separatio quoad torum & habitationem, patebit ex dicendis *quæst. seq.*

QUÆSTIO IX.

De Divortio.

41. *Divortium quid significet,*

DIVORTIUM dicitur à divertendo, quia unus conjux ab altero divertit. Quod intelligi potest, vel quoad vinculum, vel quoad torum, vel insuper quoad habitationem. Hîc autem, & simpliciter loquendo, sumitur pro diversione quoad torum & habitationem. Estque nihil aliud, quàm solutio Matrimonii quoad torum & habitationem; manente vinculo matrimoniali.

An dubium sit quando licitum.

DICO I. Certum est, conjuges aliquando licitè facere divortium. Patet ex *Matth. 19.* & definitur à *Tridentino sess. 24. can. 8. de Matrim. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm*

cùm ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus, fieri posse decernit, anathema sit.

DICO II. Potest conjux innocens ob adulterium altèrius facere divortium. Patet ex *Matth.* 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem &c.* Idem patet ex *Milevitano* 11. *can.* 17. & c. *Significasti* & c. *Gaudemus, de Divortiis*: nec non ex communi Patrum & Doctorum sententiâ, ac praxi Ecclesiæ. Ratio est, quòd jure naturæ non debeat fides servari frangenti fidem: cùm ergo adulterans fregerit fidem commiscendo se alteri, non tenetur innocens reddere debitum aut cohabitare. Quàmvis pars nocens non teneatur spontè abstinere à copula aut cohabitatione, seque jure quæsito privare, tamen innocens conscius factus eam privet. Quare nec tenetur se prodere, atque ita à petendo debito desistere. Post notitiam quoque delicti potest adhuc peterè copulam, non velut debitam, sed benevolè concedendam.

Neque Christus *Matth.* 19. hanc facultatem divertendi de novo fecit, sed tamquam per se & de jure naturæ conjugi innocenti competentem declaravit: ut proinde etiam locum habeat inter infideles. Idcoque veniens ad fidem cum sua consorte, potest divortium facere ob illius adulterium in infidelitate commissum, ut colligitur ex cit. c. *Gaudemus* in fine. Præterea etsi exempli gratiâ faciat Christus mentionem viri, eadem tamen facultas competit mulieri; uti exploratum est ex praxi Ecclesiæ, & canonibus, ut c. *Placuit* (quod est desumptum ex *Milevitano*) 32. *q.* 7. & c. *Præcepit* (quod est *Hieronymi*) & c. *Fin.* (quod est *Innocentii* I.) 32. *q.* 5. & aliis. Idemque satis constat ex 1. *ad Cor.* 7. ubi Apostolus ait, *Præcipere Dominum, uxorem à viro non discedere*, scilicet sine justa causa: *quòd si discesserit*, utique ex justa causa, puta ob fornicationem viri (ut exponit *Augustinus* l. 1. *de Adult. Conjug. c.* 1.) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ubi datur optio, adeòque supponitur facultas à viro divertendi.

Petes, an etiam ob reliquos actus castitati conjugali repugnantes possit fieri absolutum divortium? Resp. juxta communem sententiam illud fieri non posse, ob tactus inhonestos, aut pollutionem alieni vel proprii corporis: eò quòd fractio fidei ad hujusmodi divortium sufficiens intelligatur enormis illa ac perfecta & consummata, quæ fit per divisionem carnis in alium vel aliam in concubitu; cùm tamen jus cum sola conjuge vi conjugii manere debuisset una caro. Sufficit nihilominus concubitus hujusmodi etsi sodomiticus (idem est de bestialitate) juxta *D. Bonaventuram, D. Thomam* & alios communiter, quos citat & sequitur *Sanchez l.* 10. *d.* 10. *num.* 3.

A qua sententia in praxi non recedendum putat *Basilius Pontius l.* 9. *cap.* 16. *num.* 2. etsi oppositam speculativè approbet: quam post *Innocentium, Alvarum Pelagium, Palatium* & quosdam alios relatos à *Sanchez suprà num.* 2. tenet *Aversa quæst.* 23. *sect.* 1. eò quòd Jura, ipsæque sententiæ Evangelicæ loqui videantur de solo adulterio, seu de fractione fidei per divisionem carnis in copula ex se aptâ generationi prolis adulterinæ, quæ ita in domum & familiam possit induci: utì ex ea sola sequitur affinitas, & in viro irregularitas bigamiæ.

DICO III. Debet adulterium esse peccaminosum, ut sit causa sufficiens divortii. Ita omnes Doctores. Ratio est: quia quod culpâ caret, in damnum vocari non debet. Deinde aliàs verè non est fractio fidei. Unde de violenter oppressâ id indubitatum est. Idemque est, si mulier post intellectam mortem viri, sed verè viventis, bonâ fide contrahat, & cognoscat illum, cum quo contrahit; quam proinde recusare non poterit vir prior, c. *Cùm per bellicam* 34. *q.* 2. nisi post notitiam veritatis habuerit cum secundo copulam, aut exorto dubio post contractum, non servaverit regulas in tali dubio servandas. Immo si post fide dignam relationem de morte viri fornicetur, adhuc juxta Doctores communiter & c. *Si virgo* 34. *q.* 2. viro redeunti non licebit divortium, eò quòd fides conjugii formaliter non sit violata.

45. *Debet autem adulterium esse quâ tale peccaminosum. Sicut à violentiam passâ, vel procedente ex bona fide nequeat fieri divortium.*

Quòd si verò gravi metu compellatur ad adulterandum, sicut eo non obstante graviter peccat, & fidem frangit, sic & divortio subjacet, ut habet communissima sententia, teste *Sanchez l.* 10. *d.* 5. *n.* 16. ubi citat *D. Bonaventuram, D. Antoninum, Durandum, Paludanum, Castro, Soto, Henriquez* & plurimos alios, contrà *Abbatem, Silvestrum*, & quosdam alios, quos refert & sequitur *Aversa q.* 23. *sect.* 3. §. *Tertiò*. Qui allegat illud *Augustini lib.* 1. *de Civit. c.* 19. (quod refert c. *Proposito* 32. *q.* 5.) *Mirabile dictu: Duo fuerunt* (scilicet Lucretia Romana, & filius Tarquinii regis) *& adulterium unus admisit.* Verùm Lucretia fuerat violenter oppressa. Alioquin si consensisset, quantumvis ex metu, verè fuisset adultera; etsi non hoc sensu, quasi adulterium appetierit. Allegat præterea, quòd delicta simili metu commissa pœnis civilibus aut ecclesiasticis non subjaceant. Verùm hoc quoque parum refert: cùm in præsenti non sit pœna, sed cessatio obligationis ob fractam fidem, & illatam veram injuriam; qualem etiam inferret cum obligatione reparandi damna, qui ex metu incendisset domum aut occidisset dominum.

46. *Non tollit tamen gravis metus causam divortii.*

Si autem vir consentiat in adulterium uxoris, seu eam prostituat, rationi consonum est, & certum apud omnes, immo decisum c. *Discretionem. De eo qui cogn. Consang.* eum ob hoc non posse divortium fa-

47. *Conjugem prostituens nequit facere divortium;*

cere. Estque tunc adulterium quodam loquendi modo non injuriosum personæ conjugis scientis & volentis. Idem est de muliere respectu viri. Immo juxta Doctores communiter id verum est, si vir culpabiliter permittat, seu non impediat adulterium uxoris, dum commodè posset; utpote sic tacitè & ipso facto consentiens. Et quàmvis juxta *Sanchez l.* 10. *d.* 5. *n.* 5. aliud quoad hoc sit de uxore, eò quòd communiter mulieres non audeant viros suos reprehendere, neque id sit officium illarum veluti inferiorum, ut proinde taciturnitas in illis non reputetur consensus: tamen per se & consequenter loquendo, etiam uxor, quæ viro par est quoad debitum fidei conjugalis, debet impedire, dum commodè potest, ne tacitè consentire censeatur: quàmvis rariùs in eis contingat, quòd id commodè facere possint.

Vir nec in adulterium tacitè consentiens,

Secus est de eo, qui expellit, aut alere recusat conjugem post ea fornicantem.

Quòd si denique conjux compartem è domo expellat aut alimenta subtrahat, unde ipsa occasionem fornicandi sumat, adhuc locum habere divortium, trâdit *Sanchez suprà num.* 6. ex communi Doctorum sententia, quæ colligitur ex c. *Significasti*, & c. *Ex litteris, de Divortiis.* Eò quòd sit tantùm occasio remota; & alioquin injuria viri in alio genere, quàm adulterii, non faciat compensationem delictorum.

48.

Datur compensatio delictorum.

Dico IV. Datur compensatio delictorum & injuriarum, sic ut nequeat conjux facere diuortium ob adulterium compartis, si & ipse in simile delictum inciderit: ut patet ex c. *Significasti, de Divortiis*, & c. *Intelleximus, de Adulteriis*, & aliis juribus. Estque juxta Doctores communiter perinde, uter conjugum priùs adulterium commiserit, vel quòd unius delictum sit publicum, alterius non, dummodo tamen delictum occultum alteri certò constet: est enim quoad forum conscientiæ (quidquid sit de approbatione in foro externo) par conditio. Non requiritur etiam, ut delicta sint paria quoad numerum, ut rectè Doctores communiter: sed sufficit paritas quoad substantiam delicti sufficientis aliàs ad divortium faciendum. Quòd si etiam post latam sententiam divortii, etsi triplicem, detegatur delictum compartis, rescinditur ipsa sententia. Præterea si demum post sententiam latam, antè susceptum Ordinem sacrum, aut professionem Religiosam, ipse innocens deliquat, adhuc compensationi locus est, non solùm ex officio judicis, sed juxta *D. Bonaventuram* & plurimos alios contra *Sanchez d.* 9. *n.* 30. *Bonacina* & alios, etiam ad instantiam partis. Et videtur expressum c. *Ex litteris, de Divortiis*, ubi est sermo (ut colligitur ex contextu) de casu, quo intervenerat sententia: quamquam *Sanchez* contendat contrarium. Immo juxta eosdem Doctores videtur conjux in conscientia obligari ad revocandum dimissum, quando hic conscius delicti instat. Alioquin hoc non urgente aut ignaro delicti, non tenetur compars se prodere & compensationem offerre, juxta *versa q.* 23. *sect.* 4.

Perinde, quis priùs aut sæpiùs peccaverit:

Idq; etiam post latam sententiam divortii;

Sive ex officio judicis, sive ad instantiam partis.

49.

Innocens tenetur ad divortium.

Dico V. Non tenetur innocens facere divortium à conjuge nocente: ut docent omnes, & habet praxis, ipsaque ratio, nimirum quia nullo jure id præcipitur. Quando autem uxor adultera est contumax, & in flagitio perseverans, satis communiter docetur virum teneri facere divortium, ne videatur vir consentire flagitiis uxoris, utque ita adhibeatur debita correctio. Quò videntur respexisse quidam Canones referri soliti. Rarò tamen videtur esse ad hoc obligatio ob gravia incommoda divortii: quo utiliora sunt ordinariè alia remedia, v. g. minæ, verbera aliæque castigationes uxoris, ex quibus ipse satis advertat virum non probare licentiosam illius vitam. Rariùs adhuc & difficiliùs contingit uxorem obligari ad faciendum divortium à viro adultero; ut prudenter consideranti satis patebit.

Quid si compars uxoris flagitiis præsumax.

50.

Potest innocens condonare suæ injuriam etiam post latam à judice sententiam divortii, utpote post sententiam.

Dico VI. Potest innocens comparti adulteræ reconciliari condonando injuriam, & restituendo eam in pristinum jus; ut Canones, ratio & praxis manifestè docent. Idque etiam propriâ auctoritate, & post latam sententiam divortii, utpote ferri solitam sub hac limitatione: *Donec Spiritûs sancti gratia dissidentes reconciliet.* Immo potest innocens ad id cogere nocentem: cùm sententia sit in merum favorem innocentis, & gravamen nocentis; nec per illam decernatur, ne innocens (qui juri suo non renuntiavit, neque eo privari citra culpam potest, sed solùm exemptus declaratur à jure alterius in ipsum) cogere queat partem adulteram, sed ne ab hac possit cogi. Quod confirmatur; quia indubiè tenetur adulter reconciliari ante sententiam divortii, id volente innocente: ergo etiam post sententiam, utpote quæ non requiritur quoad torum, & juxta plurimos ne quidem quoad habitationem, & saltem non immutat jus innocentis.

Potest reconciliari:

51.

In rigore tamen non tenetur recipere adulterum.

Dixi in Conclusione: *Potest reconciliari*: in rigore enim non tenetur, etsi adulter sit emendatus; uti certum est apud omnes, & clarum ex praxi Ecclesiæ, & expressum c. *Admonere* 33. *q.* 2. Et c. *De Benedicto* 32. *q.* 1. *emendatum.* Et in ipso Evangelio, ubi conceditur divortium absolutè & illimitatè, ac non tantùm in casu contumaciæ adulteræ in effecto. Æquitas tamen suadet, ut emendato reconcilietur, c. *Quod autem* 32. *q.* 1. & c. *Si Vir, de Adulteriis.* Charitas etiam propria suadet, aut in casu periculi inconstantiæ, quod aliis viis innocens superare non possit aut nolit, obligare innocentem posset ad reconciliationem.

Etsi id suadeat æquitas.

52.

Quibus fit

Reconciliatio porro sive injuriæ condonatio fieri potest verbis, scripto, nutu aut

aut facto ipso. Inter facta verò ordinariè censetur signum esse reconciliationis, si certò corscius & memor adulterii suæ compartis, item sciens se non obligari ad torum, sed posse facere divortium, nihilominus liberè consentiat in copulam, præsertim petendo debitum. Idque præsumeretur in foro externo. In foro tamen conscientiæ copula, actusque subordinati non reconciliant, nisi quatenus adsit internus animus reconciliandi & permanendi in consortio conjugali; quo proinde absente, isti actus non sufficerent.

DICO VI. Ad faciendum divortium quoad torum non requiritur sententia judicis; ut habet communis & certa doctrina *D. Thomæ*, *D. Bonaventuræ* & reliquorum. Ratio est: quia sententia non exigitur ex naturâ rei, neque etiam ex jure positivo. Negatio quoque debiti est actio privata & secreta; nec habet se per modum pœnæ juridicæ, sed est usus propriæ libertatis in eo, qui solutus est debito, hoc ipso, quòd non fuit servata fides conjugalis; quod ipsum erat veluti conditio inclusa in contractu conjugali: sicut usuvenit in aliis contractibus. Accedit, quòd vir cognoscens uxorem, quam scit adulteram, contrahat eo ipso irregularitatem bigamiæ. Addit *Aversa q. 23. sect. 7.* quòd conjux innocens reddendo debitum, condonaret delictum sibi notum, nec posset amplius in judicio exigere. Verùm si sententia judicis esset necessariò prævia divortio quoad torum, non posset consequenter redditio debiti interim obligans esse sufficiens signum condonationis in uullo foro.

DICO VII. Ad faciendum divortium quoad habitationem, in foro conscientiæ per se loquendo non requiritur probabiliùs sententia judicis, præsertim quando adulterium est notorium. Ita *Navarrus*, *Sotus*, *Sanchez*, *Bonacina*, *Rebellus*, *Diana* & plures alii, contra *Aversa sect. 2.* & plures, quos citat. Probatur: quia in Evangelio absolutè, & non requisitâ sententiâ, conceditur seu declaratur facultas dimittendi adulteram, uti etiam in c. *Dixit Dominus* (quod est sumptum ex *Hieronymo in c. 19. Matth.*) 32. *q. 1.* Et saltem in casu adulterii notorii id sumitur ex c. *Significasti, de Divortiis*, ibi: *Si notorium est mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam* (quæ scilicet jam erat à viro dimissa) *vir cogi non debet.* Vide *Rubricam* ibidem. Ratio est: quia facultas ista involvitur in natura contractûs matrimonialis; adeoque sicut ab aliis contractibus, sic & ab hoc quoad torum & habitationem resilire licet privatâ auctoritate, dum non servantur conditiones præfixæ. Nec ullo jure præscribitur sententia judicis. Nam c. *Porrò, de Divortiis*, est sermo de divortio quoad vinculum ipsum ratione impedimenti dirimentis affinitatis. Neque dispositio ista specialis juris debet extendi ad casum adulterii, in quo vinculum manet, nec datur facultas ineundi aliud matrimonium.

Quàmvis autem Conclusio potissimùm sit vera de adulterio notorio, de quo solo illam admittunt *Glossa*, *Basilius Pontius*, *Covinck* & plurimi alii: nihilominus per se loquendo etiam locum habet in adulterio occulto. Nam ratio præallegata etiam hîc militat; pars enim innocens solùm resilit à pacto mutuæ cohabitationis, uti à pacto cæteri conjugalis, ob non servatam conditionem. Nec refert, quòd hujusmodi separatio sit res publica: nam similiter publica est separatio servi à domino, & tamen potest alteruter resilire propriâ auctoritate, si pars non stet conditionibus. Similiter à sponsalibus & aliis pactis potest quis justa de causa resilire propriâ auctoritate. In casu verò, quo pars reclamat, patet ei via juris quoad probandum defectum causæ, non autem quoad hoc, quod dimissio sit facta indebitè ob non præviam sententiam judicis. 55. *Immò etiamsi sit occultum.*

Quòd autem scandalum attinet, id pari omnino ratione locum haberet in casu, quo divortium fieret ex consensu occulti adulteri: tunc enim alii quoque admittunt non requiri sententiam, & tamen pariter concurrit publicitas ipsius separationis, & causa scandali. Cui sicut tunc, sic etiam in casu Conclusionis obviari posset seu deberet. Idemque per accidens locum similiter habere posset in Sponsalibus aliisve pactis publicè celebratis. Etsi autem sententia foret necessaria, quando scandalum grave non posset aliâ viâ evitari, id esset per accidens, nec à nobis negatur. Fateor tamen viam istam esse ordinariè tutiorem, & in foro externo solere exigi sententiam, saltem quando pars contradicit, ac interim manere rem in pristinis terminis.

DICO VIII. Facto divortio propter adulterium, certò potest conjux innocens intrare Religionem, aut vovere castitatem. Est expressum in jure c. *Agathosa* 27. *q. 2.* & c. *Constitutus*, & c. *Veniens, de Conversi. conjugat.* Ratio est: quia ab obligatione adhærendi comparti, sive quoad habitationem, sive quoad torum (quæ sola impedit ingressum Religionis, aut statum continentiæ) est omnino liber. Ob quam rationem poterit etiam vir innocens suscipere sacros Ordines. Vide *Sanchez lib. 10. d. 11.* Tamen conjux nocens non potest mutare statum ingrediendo Religionem, aut suscipiendo Ordinem sacrum, inconsulto aut invito innocente, nisi is jam statum immutabilem suscepisset: quia non obstante sententiâ divortii, quæ solùm est in favorem innocentis, potest nocens ad reditum ac reconciliationem ab innocente cogi; cui proinde fieret præjudicium per mutationem statûs. 56. *Innocens post divortium potest ingredi Religionem aut vovere castitatem. Aut suscipere sacros Ordines, si sit vir. Vel quomodo in licent conjugi nocenti.*

Censetur autem innocens licentiam dare, quando statum mutanti non contradicit, cùm facilè posset; aut instanter ac sæpiùs monitus, omnino reconciliari recusat. Immo tunc non obstaret, quòd licentiam ad mutationem statûs concedere nollet; cùm censeretur irrationabiliter invitus. Si verò professio aut ordinatio fuisset sine debita licentia aut consensu facta aut recepta ab adultero, esset illicita, immo professio nulla; uti si innocens sine consensu partis similiter innocentis profiteretur aut ordinaretur. Quare uti, tunc, sic modò Matrimonium esset instaurandum: deberetque mala fide ordinatus debitum reddere, sed abstinere à petendo debito.

57. *An compars tunc ingredi similiter teneatur, vel remanens in sæculo vovere castitatem.*

Dum autem innocens Religionem ingreditur, non debet idcirco pars adultera similiter Religionem ingredi, aut votum castitatis emittere: hoc enim non præscribitur in causa divortii à jure, sed quando stante illæso & integro Matrimonio unus ingreditur Religionem de pura licentia alterius. Quare etiam si innocens licentiam istam daret adultero, adhuc ipsa non teneretur de rigore juris ingredi, aut vovere castitatem, ut advertit *Sanchez d. 10. num. 15.*

58. *Qualiter possit conjux divertere à comparte ratione scandali.*

Dico IX. Potest conjux facere divortium ratione scandali, quo compars conatur eum trahere ad peccatum. Ita Doctores communiter. Et consonat illud Christi *Matth. 18. Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum &c.* Ratio est: tum quia præ aliis obligationibus & humanis commodis debet consulere saluti propriæ: tum quia ob id potiùs debet posse licitè divertere, quàm ob infectionis corporalis periculum licitè divertatur à leproso. Immo stante notabili periculo tenetur recedere. Secùs, si moraliter sit satìs securus, quòd non cadet. Quamquàm etiam tunc justè recedere posset: tum quia nimis durum est tolerare tales sollicitationes ad peccatum, tum quia aliquale saltem periculum adest. Neque ibi habet locum reconciliatio, aut condonatio, etiam expressa, vel compensatio; prævalente semper propriæ salutis debito. Sed solùm durat ad tempus, donec alter resipiscat; sic ut alter satìs cautus de non ulteriori sollicitatione teneatur redire; immo nec recedere, si jam ante destiterit à similibus. Nec ulteriùs tutum facit etiam ipsius judicis sententia: quamquàm etiam ipsa non requiratur hîc ad divertendum, ut fatetur ipse *Aversa*, etsi aliter sentiens de adulterio. Huc etiam spectat, si maritus tentet habere copulam illicitam seu sodomiticam cum uxore, durante illo periculo, seu quamdiu vir non emendatur. Immo prædicta copula actu exercita invitâ uxore juxta plerosque sufficit ad perpetuum divortium: etsi hoc tamquam non sufficienter probatum neget *Aversa q. 23. sect. 1.* & alii. Similiter alia copula, quæ fit cum malitiosa seminis effusione extra naturale vas, & juxta Doctores communiùs non sufficit ad perpetuum divortium, sufficit saltem ad divertendum, donec vir corrigatur. Sciendum tamen, quòd si causa divortii in præsenti proposito solùm concernat torum, maneat per se loquendo obligatio cohabitandi.

59. *An gravis periculum corporis, vel animæ sæviam.*

Dico X. Quando unus conjugum non potest alteri cohabitare sine gravi periculo corporis, v. g. ob morbum contagiosum vel nimiam sævitiam, potest ab eo divertere, quamdiu durat periculum. Ratio est, quia nemo tenetur cum tanto incommodo juri alterius satisfacere. Idem quoad sævitiam deciditur c. *Ex transmissa. & c. Litteras, de Restit. spol.* Estque hoc verum, etsi uxor causam sævitiæ marito dederit, v. g. per adulterium, ut colligitur ex c. *De Benedicto 32. q. 1.* quia adhuc habet jus se tuendi, ne privatis vexationibus crucietur. Quia verò separatio solùm permittitur ad vitandam malam tractationem imminentem, non ad ulciscendam illatam, idcirco ob factum præteritum, adhibitâ sufficienti cautione (quæ vel est juratoria, vel ut plurimùm pignoratitia aut fidejussoria, prout circumstantiæ rerum & personarum suadebunt arbitrio prudentis judicis) non potest inchoari separatio c. *Intelleximus, De iis qui filios occiderunt.* Immo indicitur reditus quàm primùm satìs providetur in posterum innocenti, juxta omnes, & habetur c. *Ex transmissa, & c. Litteras.* Sæpè tamen injuria jam illata justam præbet causam timoris in futurum, adeoque separationis. E contrà verò, etsi non sit illatum malum, sed meritò seu rationabiliter timeatur inferendum in futurum, licet separatio: cùm subsit illius ratio seu motivum. Si denique non possit juxta prudentis judicis arbitrium sufficienti remedio provideri ad sedandam sævitiam conjugis, sive ad superandum justum timorem, est causa divortii perpetui, sive pro toto tempore, quo res ita jacent, juxta omnes, & patet ex c. *Litteras.* Debet nihilominus bene attendi, ne timor sit vanus nec satis fundatus. Ad quem non statim sufficiunt quævis minæ, quas multi facilè intentare, difficilè vel numquam exequi solent. Et (ut ait *Zipæus l. 1. Consultat. Canonic. De Sponsal. & Matrim. Consult. 1.*) experientia indies docet minas terroresque magno boatu incussos levi mutatâ postmodum considere, præsertim in Belgis, quibus ejus, quod aliis Nationibus manet altâ mente repostum, amicus unus haustus amnestiam gignit.

60. *Qualis hæresis licitat divortium.*

Dico XI. Quando alter conjugum labitur in hæresim aut infidelitatem, potest innocens facere divortium, ut patet ex c. *Quæsivit, c. De illa, & c. Quanto, de Divortiis, & c. Fin. de Convers. Conjug.* Idque non solùm

lùm quoad cohabitationem continuam, sed etiam quoad torum, ut est certum apud Doctores ex juribus allegatis, in quibus dicitur salvum manere vinculum. Licitumque est divortium juxta Doctores communiter, etiam secluso periculo infectionis, aut concu, quem adhiberet hæreticus. Nam absolutè separationem concedit Ecclesia, & justè in pœnam peccati de se infectivi concedere potuit. Et quidem non requiritur sententia judicis, *De illa, de Divortiis*; ut etiam fatetur *Aversa q. 23. sect. 9.* secùs sentiens de adulterio, etsi minùs cohærenter. Requiritur tamen, ut alter sit contumax, sive non sit emendatus, nec emendari paratus. Unde etiam facto divortio tenetur recipere discedentem ab hæresi, c. *De illa cit.* nisi fuerit separatus judicio Ecclesiæ, prout ibidem statuitur in odium hæresis.

Sed cùm tot causas divortii assignaverimus, ipsumque *Tridentinum sess. 24. can. 8. de Matrim.* definiat ipsum variis ex causis ad certum incertumve tempus rectè fieri posse: difficultas manet in hoc, quòd Christus *Matth. 5. & 19.* non tantùm excesserit solam fornicationem, sed insuper exclusserit seu interdixerit quamlibet aliam causam. Resp. Christum ibi nullâ ratione voluisse excludere alias causas, ob quas etiam jure naturæ licitum vel obligatorium est se ab alio separare: neque etiam voluisse privare publicam potestatem facultate separandi conjuges ex justa causa, v.g. in pœnam criminis. Fecit tamen solius adulterii mentionem, eò quòd ipsum per se & ex natura rei sit unica causa divortii absoluti & perpetui; causa, inquam, propria & pertinens per se ad ipsum conjugium, cujus legibus propriis spectatis hujusmodi divortium ob illam licet. Præter quam potest exurgere causa extrinseca, v.g. hæresis, scandalum, contagio &c. ob quam jure Ecclesiastico vel naturali liceat divertere ad certum, incertumve tempus: sive possunt præterea exurgere aliæ causæ communes solvendi humanas societates & conventiones, inter quas etiam Matrimonium computatur.

DICO XII. Possunt conjuges ex mutuo consensu se separare, sive ut melius Deo serviant, sive ob aliam honestam causam, idque vel ad tempus, vel in perpetuum: quia nullo jure obligantur uti matrimonio si absit periculum incontinentiæ; estque ipsis liberum, etsi maneant in sæculo, vovere castitatem, ut docet *Augustinus Epist. 99.* Quod tamen votum, saltem perpetuum, iis qui invicem cohabitare perseverant, ob periculum incontinentiæ ex mutua cohabitatione oriundum, non est facilè permittendum, adeoque non nisi cum magna deliberatione, & cùm ipsi ex longa experientia compererint, se sine notabili periculo facilè ita vivere posse, ut notat *Coninck disp. 35. n. 30.* 62. *Qualiter denique liceat divortium ex mutuo consensu.*

Porrò ut conjux, sive vir, sive mulier, possit intrare Religionem, ultra consensum compartis requiritur, ut ipsa etiam Religionem intret, nisi ratione ætatis non sit suspecta de incontinentia, & tunc in sæculo manens votum castitatis emittat. Patet ex c. *Cum sis 4.* & c. *Ad apostolicam 13. de Convers. Conjug.* Eadem requiri in uxore, ut possit maritus sacris Ordinibus initiari, docent passim Doctores, & savet consuetudo, ipsaque rei congruentia: quamquàm Jus commune expressè id non requirat, sed in c. *Conjugatus, eod. tit.* tantùm exigatur, ut uxor continentiam professa virum absolvat. Uxoratus tamen non potest promoveri in Episcopum, nisi uxor Religionem intret, ut expressè statuitur c. *Sanè, eod. tit.* 63. *Quid ultra consensum compartis requiratur, ut conjux intret Religionem,* *Vel suscipiat sacros Ordines,* *Aut promoveatur ad Episcopatum.*

FINIS

CON-

CONCLUSIO OPERIS.

Hîc tandem sistendus calamus, quem priden scriptioni hujus Summæ Theologicæ admoveram rationibus in Præfatione ejusdem declaratis. Illud tantùm addo, conscientiâ mei me subnixum & contentum, judicio & amore veritatis, majorisque studiosorum utilitatis posuisse quæ posui; neminem tangere voluisse. Errores tetigi non personas, quas non tangit S. Mater Ecclesia. Si tamen secùs quis interpretari volet & suspicari, is planè morbo pravæ opinionis laborat. Si etiam à recto fidei trámite deviantibus juxta ejusdem regulam à me dicta displiceant, contemno: quin immo laudi duco, displicere malis. *Neque enim* (ut præclarè dixit Martyr *Cyprianus Epist. 52.*) *possunt laudare nos, qui recedunt: aut expectare debemus, ut placamus illis, qui nobis displicentes, & contra Ecclesiam rebelles, sollicitandis de Ecclesia fratribus violenter insistunt.* Verumtamen imbecillitatis humanæ conscius, libenter agnosco, me in multis errare potuisse. Quamobrem desidero in omnibus, non modò benignum Lectorem, verùm etiam severum & liberum Correctorem, immo & reprehensorem. *Nullus enim* (inquit *Augustinus l. 2. de Trinit. in Præfat.*) *reprehensor formidandus est amatori veritatis.* Potissimùm verò judicio & censuræ Sanctæ Matris Romanæ Ecclesiæ omnia scripta scribendave cupio esse subjecta: à cujus doctrina & sensu ne ad latum unguem discedere animo fixum semper Deo opitulante manebit.

FINIS.



INDEX

INDEX
PRÆCIPVARVMRERVM
QVÆ
IN HAC QUARTA PARTE
CONTINENTVR.

A.

Abbas.

ABBATES *Sacerdotes ex privilegio possunt conferre minores Ordines.* paginâ 506. num. 54.

Immò ex concessione Pontificia possent conferre etiam Subdiaconatum ac Diaconatum paginâ 507. num. 55. & 56. *Vide* Ordinis Minister.

Absolutio.

Formula Absolutionis sacramentalis ex Rituali Romano allegatur. p. 381. n. 22. *vide* Pœnitentiæ Forma.

Absolutio à Reservatis.

Qui possint à reservatis absolvere. p. 464. n. 14.

Quæ facultas sit concessa episcopis in Tridentino. ibid. n. 15.

An derogetur per annuam Bullæ Cœnæ publicationem quoad casus in ea contentos, vel per reprobationem cujusdam sententiæ factam ab Alexandro VII. ibid. num. 16.

An ea adhuc resideat penes Episcopos Belgii. ibid.

In articulo mortis cessat omnis reservatio. p. 464. numero 17.

Quam possit tamen præsente ordinario vel Delegato approbato quovis alium Sacerdotem ab omnibus absolvere, communiùs censent Doctores. p. 465. n. 18.

Quod sit probabile ostenditur, & prioris sententiæ fundamenta dissolvuntur. ibid. & n. 19. & seqq.

An ob reservationem liceat superiori absolutionem, vel pœnitenti confessionem limidiare. p. 466. n. 22. & seqq. *vide* Confessionis integritas.

Absolutio moribundi.

Moribundus, qui solum nutu, aliove signo Confessario præsenti pœnitentiam seu desiderium conterendi ostendit, certo est absolvendus. p. 414. n. 63.

Probatur ratione Theologicâ, & simul occurritur objectionibus. ibid. n. 64.

Super quid tunc cadat absolutio. ibid. n. 65.

Signa veræ pœnitentiæ in moribundis, quando aliud non constat, præsumuntur esse edita in ordine ad claves. ibid. n. 66.

Quid faciendum in dubio an sint signa interioris pœnitentiæ. ibid.

An qui non habet materiam necessariam sufficienter etiam extra necessitatem confiteatur accusando se de omnibus peccatis in genere, aut de venialibus in communi. ibid. n. 67.

Absolvendus est moribundus, etsi solùm signa pœnitentiæ dare potuerit ante adventum Confessarii juxta Rituale Romanum. p. 415. n. 68.

Responsiones ad Rituale enervantur. ibid.

Idem clare præscribitur ab Arausicano I. Carthaginensi III. & IV. & Leone I. ibid. n. 69.

Est obligatio tali casu impendendi absolutionem. ibid. n. 70.

Quæ, an danda sub conditione. ibid.

Sufficit desiderii seu pœnitentiæ testis unicus, etiam mediatus, ad impendendum tali casu absolutionem. ibid.

Immo juxta nonnullos æger absolvendus est sub conditione, etsi nullus testis adsit, si dubitari possit, an forte aliquod signum dederit nemine vidente vel audiente. ibid. n. 71.

Objicitur Decretum Clementis VIII. quo damnatur Confessio facti absenti. p. 416. n. 72.

Responsiones variorum referuntur & refelluntur. ibid. n. 73. & 74. & p. 417. n. 75.

Verior responsio assignatur. p. 417. n. 76.

Moribundus, qui catholicè vixit, absolvendus est, & si aliud signum pœnitentiæ dare nequiverit. ibid. n. 77.

Probabilitas ostenditur ex Sacerdotali Romano, statutis Synodalibus Ecclesiæ Lemovicensis, & auctoritate gravissimorum Præsulum & Doctorum. ibid. & pag. 418. n. 78.

Corollarium notabile pro praxi. ibid. n. 79.

Objectiones proponuntur & solvuntur. ibid. n. 81. & seqq.

Accidens.

Accidens potuisset assumi à Verbo, à quo tamquàm mero termino penderet. p. 4. n. 5.

Accidentia Eucharistica, Vide Eucharistia §. Accidentia Eucharistica.

Actus Conjugalis.

Vide Debitum Conjugale.

Adoratio.

Adorationis Definitio. p. 51. n. 1.

Alia interna, alia externa. p. 52. n. 2.

Actus in adoratione concurrentes ibid.
Quis actus habeat in Angelis. ibid.
Adoratio item alia est Latria, alia Dulia, alia Hyperdulia; & quid singulæ. ibid.n.3.
Per quid Latria distinguatur ab adoratione creaturæ. ibid.num.4.
Adoratio Christi, vide Christi Adoratio.

Affinitas.

Affinitas quid sit, quomodo computanda, & quis eius stipes, p.580.n.58. *Vide* Matrimonii Impedimenta.

Altare.

Ad celebrandum requiritur altare lapideum consecratum. p.356.n.125.
Aliud est fixum, aliud portatile. p.357.n.127.
Hoc non amittit consecrationem, si separetur à ligno cui includitur: etsi in eo sit locus Reliquiarum. ibid.
Quæ non requiruntur ad valorem consecrationis. ibid.
Quando amittat portatile Consecrationem ibid.n.128.
Quando fixum. ibid.n.127.
Instar altaris portatilis posset consecrari longa mensa lapidea. ibid.n.129.
Altare quot mappis debeat esse coopertum ibid. n. 130.

Anabaptistæ.

Anabaptistæ negant parvulos posse baptizari. p.195. num.21.

Angelus.

Natura angelica potuit assumi à Verbo. p.3.n.5.
Angelus utrùm possit intueri Incarnationem jam factam. pag.4.n.9.

Anima.

Singulæ animæ hominum post egressum è corporibus judicantur, sententiamque æternitatis accipiunt. p. 94.num.1.
Vide Judicium extremum.

Antichristus.

Antichristus erit verus homo. p.96.n.7.
Non diabolus incarnatus. ibid.
An ab eo corporaliter sit possidendus, non satis constat. ibid.
Saltem erit ei summè devotus & maximus Dei adversarius. ibid.
Erit quoque unus & determinatus homo. ibid.n.8.
Explicantur ea, quæ Joannes in Epistolis Canonicis tradit de Antichristo quasi non unico. ibid.n.9.
Antichristi regnum nondum venit. ibid.n.10.
Cujus signum ponitur defectio Romani Imperii. ibid. pag.97.
Seu defectio spiritualis quasi generalis à fide atque Ecclesiâ. ibid.
Plura Antichristo competentia recensentur, quæ in nullo hactenus apparuerunt. p.97.n.11.
Clarissimè redarguitur insania hæreticorum calumniantium Pontificem esse Antichristum. ibid.n.12.
Explicatur illud Apostoli 2. Thess.2. Mysterium jam iniquitatis. ibid.n.13.
Ex numero nominis Bestiæ fundatè prænosci nequit determinatum nomen; multò minùs inde contra Pontificem inferri potest. ibid.n.14.
Antichristus verosimiliter nascetur ex tribu Dan. num.15.
Magis receptum est fore Judæum. ibid.n.16.
Finget se de familiâ David. ibid.
Similiter genus Judaicum simulare posset. ibid.
Nascetur in Babylone juxta plures veteres. ibid.
Ridiculè detorquent id quidam Sectarii ad urbem. ibid.
Erit potentissimus orbis Monarcha. p.98.n.16.
Figet regni solium in Judeâ seu Ierosolyma. ibid. num.17.
In principio regni simulabit Judaismum. ibidem. mero 18.
Quem, & Messiæ titulum dein repudians rankam ter se tamquam Deum coli volet. ibid.
Ipse tamen in occulto Dæmonem colet. ibid.
Persecutionem gravissimam adversùs Ecclesiam. ibid.n.19.
Omnes ei non adhærentes occidet. ibid.n.20.
Plerosque metu & falsis signis seducet. ibid.
Omnem cultum alterius Religionis, præsertim Christi interdicet. p.99.n.21.
Habebit quoque insignem Pseudoprophetam veluti præconem & præcursorem descriptum Apoc. ibid.n.21.
Monarchia ejus durabit tribus annis cum dimidio. ibid. num.22.
Post quos occidetur à Christo per Sanctum Michaelem juxta multos in Monte Oliveti. ibid. mero 23.
Modus occisionis describitur. ibid.
Cum eo occidetur pseudopropheta & exercitus ejus. ibid. p.100.
Quanto post mortem Antichristi tempore resurget victum, non constat. p.100.n.24.
Rejicitur, quod quidam ex Dan.12. conjiciunt de quadraginta quinque diebus. ibid.
Longius omnino tempus supererit. ibid.

Apostoli.

Apostoli fuerunt instructi de forma Baptismi ante passionem Christi. p.179.n.4.
Non est improbabile aliquos ab ipso Christo fuisse ungatos. ibid.n.5.
Apostoli ante Resurrectionem Christi fuerunt Sacerdotes. p.178.n.5.
Non tamen Episcopi. p.222.n.6.
Utrùm Apostoli unquam contulerint Sacramentum Confirmationis, sine Chrismate. ibid.num.12. seqq.

Approbatio.

Approbatio quid. p.452.n.32.
Non exigitur à Tridentino approbatio pro confessione Religiosorum. ibid.n.34.
Obtinentes beneficium curatum, quousque illud habent non indigent speciali approbatione. ibid.
In ceteris requiritur approbatio pro Confessione sæcularium, etiam Sacerdotum. p.453.n.36.
Idque ad valorem. ibid.n.36.
Per eam non datur jurisdictio; etsi jurisdictionis cessio plerumque jungi soleat. ibid.

Episcopi approbatio requiratur; ubi refertur opinio multorum putantium sufficere approbationem cujusvis Episcopi. ibid.n.37.
Quomodo in hac opinione responderi posset ad Declarationes Cardinalium & ad Bullam Urbani VIII. ibidem n.38.& seq.
Pro tuta tamen hanc sententiam adfertur novissima decisio sacræ Congregationis confirmata per Innocentium X. & breve Alexandri VII. ibid.n.40.
Refertur sententia Suarez & aliorum exigentium approbationem Episcopi ipsius Confessarii. pag.454. num.41.
Quam nonnullorum aliorum sine fundamento exigentium approbationem Episcopi loci, in quo fit Confessio. ibid. num.42.
Quinque refertur sententia probabilissima eorum, qui requirunt approbationem Episcopi pœnitentium. ibid. num.43.
Quibusdam Auctoris. ibidem.
An Parochus posset ubivis assumi ad audiendas Confessiones. ibid.n.44.
In Confessariis sæcularibus non sufficit approbatio petita, vel tacitè negata. p.455.n.45.
Quid de Regularibus. ibid.& n.46.
An possit dari approbatio limitata Regularibus. ibid. num.47.
An semel data posset revocari vel suspendi. ibid.n.48.

Aqua.

Quæ virtus competat aquæ benedictæ. p.153.n.86. & seq. *Vide* Baptismi Materia.

Archiepiscopus.

Archiepiscopalis Eminentia an sit juris divini. p.499. num.20.
An Archiepiscopi possint assistere Matrimonio subditorum suorum Suffraganeorum. p.563.n.12.
Archiepiscopi possunt concedere indulgentias pro tota sua Provincia. p.437.n.38.

Arrha.

Arrhæ quid sint. p.529.n.31.
An potius Ius approbet arrhas, quam pœnas sponsalibus appositas. ibid.

Athanasius.

Athanasius adhuc parvulus æquales ad ludum, & tamen serio & validè baptizavit. p.139.n.20.

Attritio.

Quid Attritio. p.393.n.36.
Quando attritio sufficiat cum Sacramento in articulo mortis. p.394.n.19.
Quando attritio etiam cognita justificat cum Sacramento Baptismi. p.199.n.37.
Quando cum Sacramento pœnitentiæ. p.394.n38.& 40.
Contra hanc doctrinam D. Bonaventura dissentiente Magistro, qui perfectam prærequirit contritionem, quod damnavit facultas Parisiensis. p.393.n.37.
Datur in Tridentino, & multiplici ratione Theologica. p.394.n.38.& 39.
Axiomatum practicum. ibid n.41.
Propositiones notabiles ex ipso Tridentino desumptæ solvuntur. ibid.n.42.& seq.
Quando ex attrito contritus. p.395.n.45.
Primus & secundus sensus refertur ac rejicitur. ibidem.
Sensus legitimus statuitur. p.396.n.46.
Attritio debet esse formalis, efficax, integra de omnibus mortalibus & supernaturalis. ibid.n.47.& seq.
Hæc requiritur ad valorem. p.397.n.52.
Species duas attritionis, quæ securiùs adhibentur, assignat Tridentinum, scilicet conceptam ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu. p. 396 n.49.& seq.
Quinam actus huc spectent. ibid.
An qui peccatum odit propter pœnam magis odiat peccatum quàm pœnam. ibid.n.51.

B.

Baptismi Essentia, Institutio.

Baptismus generaliter idem est, quod ablutio. pag. 177.n.1.
Interdum significat afflictionem. ibid.
Ex Christi instituto sumitur pro primo Sacramento. ibidem.
Varia sortitur nomina. ibid.
Est verum Sacramentum. p.178.n.2.
Baptismi definitio varia. ibid.n.3.
Est institutus ante passionem Christi. ibid.n.4.
Opposita tamen sententia, non meretur censuram. ibid.
Christus ante passionem suam baptizavit per discipulos suos, non Ioannis, sed suo Baptismo. ibid.
Non est improbabile ipsum aliquos etiam propriis manibus baptizasse. p.179.n.5.
Ante passionem fuerunt Apostoli instructi de forma Baptismi. ibid.n.6.
Baptismum Christus non instituit antequam baptizaretur à Ioanne. ibid.n.8.
Neque tunc quando à Ioanne baptizabatur. ibid.
In isto tamen baptismate aquas suo attactu sanctificavit & quomodo. ibid.n.9.
Et ad vivum expressit Baptismum à se instituendum, quoad materiam & formam. ibid.
Non est etiam institutus Baptismus tempore colloquii Christi cum Nicodemo, sed paulò post cœptam prædicationem. p.180.n.10.

Baptismi Materia.

Materia essentialis & remota Baptismi est aqua naturalis. p.180.n.11.
Referuntur errores Flagellantium & Iacobitarum circa materiam Baptismi. ibid.n.12.
Eorumdem objectiones proponuntur & solvuntur. ibid. & seq.
Recensentur variæ aquæ, in quibus validè confertur Baptismus. p.181.n.15.
Debet tamen sub gravi obligatione, adhiberi aqua consecrata, dum potest haberi, saltem in Baptismo solemni. ibidem.
Recensentur varii humores, in quibus invalidè confertur Baptismus. ibid.n.16.
Materia dubia, seu non certa, qualiter sit adhibenda. ibidem.
Talis est succus è vite aut arboribus stillans, item sal resolutum. ibid.
Regula generalis pro adhibenda materia dubia. p.181. num.17.
An aqua rosacea censenda sit materia dubia. ibid.

Materia proxima Baptismi est ablutio. ibid. num. 18.
Quid nomine ablutio *propriè intelligatur.* ibidem num. 19.
Ablutio non includit absterſionem ſordium à corpore. ibidem.
Reſolutio nivis fieri debet, priuſquam recipiatur in corpore baptizati; incertum, an id ad valorem neceſſarium. ibid.
Quæ quantitas aquæ requiratur. p. 182 n. 20.
Qualis pars corporis ſit abluenda. ibid. n. 21.
Minimam partem ſufficere ad valorem eſt verosimile. ibidem.
Extra neceſſitatem tamen caput abluendum eſt. ibidem num. 22.
In neceſſitate etiam pars minima: ſic tamen baptizatus deberet iterum ſub conditione baptizari. ibid.
Debet corpus immediatè attingi ab aqua. p. 182. num. 23.
An ſufficiat tangi capillos, incertum; & magis adhuc de ſecundinis aut galea nativitatis. ibid.
Ad valorem indifferens eſt, ſive ablutio fiat immerſione, ſive infuſione, ſive abſperſione. ibid. n. 24.
Item ſive una tantùm, ſive trina adhibeatur immerſio vel infuſio. ibid.
Reſpondetur ad quaſdam auctoritates, quæ trinam merſionem videntur aſſerere neceſſariam ad valorem. ibidem num. 25.
Quoad hæc retinendus eſt ſub gravi obligatione ritus Eccleſiarum. p. 183. n. 26.
Trina merſio Trinitatem, una divinitatis Vnitatem ſignificat. ibidem.
Quælibet ablutio eſt pars Sacramenti, ſi ſit prior completione formæ; ſecùs, ſi ſecunda vel tertia ſubſequatur. ibid. num. 27.
Quantumvis id miniſter intenderet. ibid. n. 28.
An peccet miniſter negligens in adhibenda tempeſtivè ſecunda & tertia ablutione. ibid. n. 29.
Cur potiùs concurrat tertia ablutio præcedens, quàm ſequens completam formam. p. 184. n. 30.
Pro oppoſita ſententia fruſtrà quæritur patrocinium ex forma abſolutionis. ibid. n. 31.
Aut ex Sacramento extremæ Vnctionis. ibid. n. 32.
Etiam dato quòd ſingulæ Vnctiones cum ſingulis formis proportionatis concurrant tamquam partes integrales. ibidem.
An valeat Baptiſmus, ſi parvulus projiciatur in puteum. ibid. n. 33.
Opinio negativa cum ſuis Auctoribus allegatur. ibid.
Affirmativa æquè vel magis probabilis eſt. pag. 185. num. 34.
In hac ſententia talis projectio haberet rationem phyſicæ & moralis ablutionis. ibidem.
Spectando rationem difficulter apparet, quomodo talis projectio ſit directa occiſio moralis. ibid.
Certiùs valet Baptiſmus, ſi infans per calathum dimittatur in aquam, dein extrahatur. ibid. in fine.
Qualiter procedendum, ſi parvulo ex ablutione imminet grave detrimentum corporale. ibid. n. 35.

Baptiſmi forma.

De forma Baptiſmi fuerunt Apoſtoli inſtructi ante paſſionem Chriſti. p. 179. n. 6.
Hæretici recentiores formam uſitatam non improbant; ſed multi neceſſariam negant. p. 185. n. 36.
Cautela pro praxi. p. 186. ibid.
Aſſignatur legitima forma Latinorum. ibid. n. 37.
Forma Græcorum eſt ſimiliter legitima. ibidem numero 38.
In hac tacitè ſubintelligitur reſpectus ad miniſtrum. ibidem.
Et coincidit cum forma Latinorum quoad ſenſum ſubſtantialem. ibidem.
Vnde orta putetur diverſitas iſta quoad expreſſionem. ibidem.
Vt valeat Baptiſmus, debet in ejus forma exprimi actio ſive actio miniſtri... p. 186. n. 39.
Non tamen neceſſariò per verbum baptizo.
Neque per aliud verbum activum vel indicativi modi. ibidem.
Latinus validè, ſed illicitè uſurparet formam Græcorum. ibid. n. 40.
Dubia eſt hæc, Baptizat te Chriſtus in nomine Petris &c. ibid.
Neceſſaria etiam eſt expreſſio perſonæ baptizandæ. p. 187. n. 41.
Idque per pronomen Te, *vel particulam æquivalentem.* ibidem.
Opponitur & ſolvitur argumentum difficile deſumptum ex forma Baptiſmi & Confirmationis Græcorum. ibid. n. 42.
Inſuper exprimi debet in forma divinæ naturæ unitas. ibid. n. 43.
Quod ſit dum dicitur, In nomine, *non ſi,* In nominibus. ibid.
Quid importet ly In nomine. ibid. n. 44.
Non poteſt aliud vocabulum ſubſtitui ſine invaliditatis periculo. ibid.
Neque ad ſingulas perſonas repeti ly In nomine. ibidem.
Cautela pro praxi. ibidem.
Neceſſaria denique eſt expreſſio trium perſonarum. p. 188. n. 45.
Objicitur & ſolvitur auctoritas Nicolai Papæ, & S. Ambroſii. ibid. n. 46.
Apoſtolos numquam baptizaſſe in ſolo nomine Jeſu, & valde veroſimile. ibid. n. 47.
Oppoſitum tamen docent plerique Theologi antiquiores & Theologorum Principes. p. 189. n. 48.
Quorum opinio immeritò vocatur error. ibid.
Eâque admiſſâ non ſequitur, valere modo Baptiſmum ſic collatum. ibid. n. 49.
Neque huic opinioni obſtat Canon 50. Apoſtolorum. ibidem.
Vti nec Pauli Apoſtoli interrogatio. Act. 19. ibid.
Non valet Baptiſmus collatus in nomine Trinitatis. p. 188. n. 50.
Ejus tamen inſufficientiam non certò probari putat Fagius. ibid.
Non valet etiam Baptiſmus, ſi detur tria nomine prima & ſecundæ & tertiæ perſonæ. ibid.
Aut in nomine omnipotentis, & ſapientis, & ibidem.
Quid cenſendum de Baptiſmo, ſi loco Filii ponatur Verbum. ibidem.
Aut dicatur in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque. ibidem.
An omiſſio præpoſitionis In *vitiet formam.* p. 190. num. 51.

Quid

id censendum, si omittatur conjunctio Et. ibid. num. 52.
ego pronominis Ego est peccatum veniale, ly Amen malum. ibid.

Baptismi Minister.

vis homo ratione utens est validus minister Baptismi. p.190.n.1. & seq.
tum extra necessitatem. ibid.
ior, quàm omnis sacerdos validus minister Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.
dicuntur variæ auctoritates & explicantur. ibid.n.2. & seq.
ad objectionem Calvini. p.191.n.4.
ister Baptismi ordinarius est solus sacerdos. ibid.n.5.
non requiritur jurisdictio. ibid.
nam ipsam jurisdictionem habeant, & in quos. ibid.
extra necessitatem baptizantes per se loquendo graviter peccant. ibid.
tamen sunt irregulares, nec excommunicantur. ibid.
aliter jurisdictio haberi possit ac debeat ante Baptismum in baptizandum, magis declaratur. ibid.n.5.
omnis potest ex rationabili causa committi solemnis baptizatio. p.192.n.7.
licet Diaconis in extrema necessitate citra commissionem solemniter baptizare. ibid. n.8.
que causa censeatur sufficiens ad committendum Diacono ministerium solemnis Baptismi. ibid.n.9.
Diacono inferior potest baptizare solemniter etiam in extrema necessitate. p.192.n.10.
tamen Papa id committere clericis inferioribus. ibid.
nam tempore necessitatis debeant aliis præferri in collatione Baptismi. ibid.n.11.
ordinis est mortalis, si fiat in præjudicium Sacerdotis. ibid.
est de Diacono. ibid.
religiosi inversio ordinis non est mortalis. p. 193. num.12.
per accidens quandoque est licita. ibid.
ordinis in clerico causat irregularitatem solùm quando baptizat solemniter. ibid.n.13.
dubium est dubium. ibid.
unus minister plures simul validè baptizare. ibid. num. 14.
plures tamen extra necessitatem non sine culpa gravi. ibid.
sufficiant pura Baptismata. p.193.n.15.
unum invalidè baptizant, si unus materiam adhibeat, & alter proferat formam. ibid.n.16.
forma Baptismi esset falsa. p.194.n.17.
prodesset forma græcorum. ibid.
etiam prodesset si diceretur, nos te baptizamus. ibid.
plures eumdem conentur baptizare, singuli tamquam causæ totales, solus primò absolvens baptizat. ibid. num.18.
simul absolvant, baptizant singuli. ibid.
quique tunc physicè plures Baptismi, moraliter tantùm unus. ibid.n.19.

Baptismi subjectum.

baptizatores sunt capaces Baptismi, etiam parvuli. p.194. num. 20.
aliter procedendum cum monstris, de quibus dubitatur an sint homines. ibid.
eum dubitatur, an sint plures personæ. ibid.

Quomodo id discernendum. ibid.
Parvulos posse baptizari negant Anabaptistæ. pag. 195. num. 21.
Hos baptizandos esse, habet fides Catholica. ibid.
Fundamentum Hæreticorum destruitur. ibid.num.22.
In parvulis & perpetuò amentibus non requiritur intentio suscipiendi Baptismum. ibid.
Parvuli necdum in lucem editi, cur baptizari nequeant. ibid.n.23.
Possunt tamen hi baptizari si artificiosè possint in utero physicè ab aqua tangi. ibid.
Non licet ob Baptismum prolis secare matrem vivam. ibid.
An vel quale sit præceptum baptizandi parvulos. ibid. num.24.
Proles baptizatorum deficientium à fide possunt iis invitis validè, & per se loquendo licitè baptizari. pag.196. num.25.
Proles infidelium non baptizatorum validè, & si sint mancipia, de consensu Dominorum suorum licitè baptizantur. ibid.n.26. & 27.
Domini per se loquendo, tenentur providere parvulis suorum mancipiorum de Baptismo. ibid.
Possunt etiam licitè baptizari proles reteorum infidelium, si urgeat periculum mortis. ibid.n.28.
Vel si sint parentibus subtractæ sine spe restitutionis. ibid.
Idem est, si alteruter parentum vel unus tutorum sit fidelis. p.197.n.29.
Idem est, si alteruter parentum licet ethnicorum consentiat, etiamsi mulier; immo etsi matre viduâ invitâ consentiat avus fidelis & tutor. ibid.
Idem, si Baptismum petat proles usu rationis prædita. ibid.
Qui præsumitur in dubio post completum septennium. ibid.
Immo jure naturæ sufficit consensus principis ad baptizandum licitè infantes infidelium ei politicè subjectorum. ibid.n.30. & seq.
Satisfit objectionibus. p.197.n.32. & seq.
Jure Ecclesiastico posset talis Baptismus conferri illicitè. p.198.n.34.
In parvulis & perpetuò amentibus nulla requiritur dispositio. ibid.n.35.
In adulto requiritur fides; & si sit in peccato mortali personali, actus pœnitentiæ. ibid. & n.36.
Non requiritur tamen hic actus in habente solum originale. ibid.p. 199.
Pœnitentia hîc non necessariò est perfecta contritio. ibid. num.37.
Non sufficit pœnitentia concepta ex motivo naturali. ibid.
Saltem requiritur attritio, ex motivo supernaturali procedens: quæ non necessariò existimari debet bonâ fide contritio. ibid.

Baptismi Initerabilitas.

Baptismus validè collatus non potest iterari. p.199.n.38.
Hoc esse de fide non concluditur evidenter ex Scripturis allegari solitis. ibid. & n. 39. & seq.
Congruentiæ, cur iterari nequeat. p.200.n.40.
De pœnis rebaptizantium remissivè. ibid.
In dubio an baptismus valeat, sub conditione est iterandus. ibid.n.41.
Et quidem ante susceptionem aliorum sacramentorum, præsertim Ordinis sacerdotalis. ibid.n.42.
An idem censendum de Baptismo probabiliter tantùm validò. ibid.

Citra dubium nequidem sub conditione licet iterare Baptismum. ibid.
De natis & educatis inter Catholicos præsumendum est per se loquendo, quod sint baptizati. p.200.n.43.
Baptizati ab hæreticis nostri temporis an vel quando rebaptizandi saltem sub conditione. ibid.n.44.
Baptizati ab obstetricibus non sunt indiscriminatim, sed sub certa cautela interdum rebaptizandi. p.201.n.45.
Qualiter procedendum cum infantibus expositis. ibid. num.46.
Baptizatus ob necessitatem in digito vel in alia parte deberet postea sub conditione rebaptizari. p.182.n.22.
Idem est de eo cujus tantum capilli essent abluti, vel secundinæ aut galea nativitatis. ibid.n.23.
Baptismi Reviviscentia. Vide Sacramentorum Reviviscentia.

Baptismi necessitas.

Baptismum esse necessarium ad salutem, est de fide. p.202. num.1.
Refutantur hæretici torquentes variè verba Christi. Joan. 3. ibid.
Baptismus in re est parvulis necessarius necessitate medii extra casum martyrii. ibid.n.2.
Idque sine exceptione; quæ saltem temeraria foret. ibid.
Oppositum censent nostri Sectarii, saltem quoad filios fidelium. ibid.n.3.
Quorum fundamenta soluuntur ibidem & pag.203.*fere per totum.*
Baptismus est adultis necessarius necessitate præcepti divini, & medii, saltem in voto. p.203.n.7.
Cur potius Baptismus quàm aliæ res præceptæ sit necessarius necessitate medii. p.204.n.8.
Quale debeat esse votum Baptismi. ibid n.9.
Adultus satis instructus non potest Baptismi susceptionem diù differre. ibid.n.10.
Non quævis dilatio Baptismi censetur notabilis. p.205. num.11.
Immo consultò idem differtur usque ad duo tempora solemnis Baptismi. ibid.n.12.
Obligatio accelerandi Baptismum non posset adultis imponi ab Ecclesia. ibid.*in fine.*

Baptismi Effectus.

Baptismus remittit omnem culpam præcedentem. p.205. num.13.
Nisi ponatur obex, qui etiam impedire potest seorsim venialium remissionem. ibid.
Attamen plenariè ad hanc reviviscit Baptismus positâ retractatione. p.206.n.14.
Idque sine accessu novæ gratiæ baptismalis. ibid.n.15.
Quid fieret cum moriente post Baptismum sine retractatione venialium. ibid.
Baptismus remittit omnem pœnam propriè dictam. ibid. num.16.
Probatur ex Conciliis & traditione Ecclesiæ. ibid.n.17.
Nec non ex congruentiis. ibid.n.18.
Non convenit id Baptismo ex natura rei. ibid.
Baptismus non aufert pœnalitates hujus vitæ; & quare. p.206.n.19.
Quæ differentia inter has & pœnam propriè dictam. ibid. num.16.

Baptismi Ceremoniæ.

Duobus anni temporibus baptismus adultorum conferendus olim ex præcepto, nunc ex condecenti. p.207.n.20.
Catechismus alius substantialis, alius ceremonialis. ib.n.21.
Prior ex natura rei, posterior ex statuto Ecclesiæ requiritur. ibid.
Variæ ceremoniæ baptismum præcedentes. ibid.n.22.
Ceremoniæ Baptismum concomitantes. ibid.n.23.
Nomen in Baptismo positum licet commutare. ibid.
Ceremoniæ Baptismum consequentes. p.208.n.24.
Extra necessitatem in Baptismo illicitè adhibetur clinici alterius anni. ibid.
Dies octava Paschæ unde Dominica in albis dicta. ibidem.
Ad quid deserviat Catechismus infantium baptizandorum. ibid.n.25.
Vtrùm ceremoniæ ab Hæreticis omissæ debeant suppleri. ibid.
In Baptismo solemni debet adhiberi patrinus ex antiquissimo Ecclesiæ usu. p.208.n.26.
Patrini officium, & obligatio; & quando hæc cessat. ibidem.
Monachi non possunt esse patrini, etiam Abbates. p.209. num.27.
Nomine Monachi non comprehenduntur religiosi mendicantes. ibid.
Quid censendum de Abbatissis & Sanctimonialibus. ibidem.
Specificantur alii, qui non possunt esse patrini. ibid.n.28.
Olim unicus tantùm patrinus, nunc unus & una possunt adhiberi, non plures. p.209.n.29.
Parochus plures admittens quatenus peccet. ibid.
Qualiter & inter quos oriatur cognatio spiritualis. ibid. num.30.
Cur Ecclesia illud impedimentum ordinaverit, & cur restrinxerit ad pauciores personas. ibid.
Olim erat triplex species cognationis spiritualis, videlicet Paternitas, Compaternitas & Confraternitas. ibid. pag.210.
An etiam oriatur cognatio in patrino ex Baptismo privato. p.210.n.31.
Cur potius in privatim baptizante, quam suscipiente. ibid.
Quænam requirantur ad contrahendam hanc cognationem. ibid.n.32.
An, si plures quam unus & una designentur & admittantur, omnes contrahant cognationem. ibid.n.33.
Si nulli designentur, & tamen plures simul suscipiant, omnes cognationem contrahunt. p.211.n.34.
Oppositæ sententiæ fundamentum dissolvitur. ibid.n.35.
Suscipiens prolem per procuratorem est verus susceptor contrahitque cognationem. ibid.n.36.
Procurator ipse cognationem non contrahit. ibid.n.38.
Cur potius ex commissione alterius baptizans, quàm suscipiens cognationem contrahit. ibid.
Oritur cognatio in suscipiente & baptizante, etsi ignorantes illam oriri. p.212.n.39.
Item oritur obligatio ex Baptismo in necessitate collati. ibid.
Susceptio vel baptizatio propriæ prolis etiam extra necessitatem non impedit usum matrimonii contracti. ibid. num.40.
Nec ex natura rei, nec ex jure semper impedit matrimonii usum, quidquid matrimonium contrahendum dirimat. ibid.n.41.
Matrimonium contractum suscipientium proprios filios, numquam fuit diremptum. ibid.
Textus Deus dedit Papæ in contrarium discutitur. ibid.

...tio juxta aliquos contrahitur, etsi baptizans sit infide-
...les. p.212.n.42.
...sum præfertur. ibid.
...nsendum si susceptor sit fidelis, & parentes prolis
...fideles. p.213.n.43.

Baptismi Divisio.

...rus alius est fluminis, alius flaminis, alius sangui-
...nis. p.213.n.12
...baptismus fluminis est sacramentum. ibid.
...nis sanguinis. Vide Martyrium.
...ni Reviviscentia. Vide Sacramentorum Re-
...viscentia.

Basilius.

...silius est de necessitate Sacramenti Confirmationis.
...213.n.16. & seq.
...rum ad Sacramentum Confirmationis sufficiens satis
...facilè haberi potest. p.224.n.23.
...rum, licèt à Palestino specie diversum, est sufficiens.
...bid.
...Bigamia. Vide Matrimonii Unitas.

C.

Campana.

...Campanæ an ab Episcopis sint consecrandæ. p.360.
... num.144.
...ellus possint simpliciter benedici. ibid.
...benedictio illarum sit strictè præcepta. ibid.

Casus Reservati.

...Vide Reservatio casuum.

Catechumenus.

...chumeni quinam dicantur. p.207.n.22.
...rum alii Auditores, alii Competentes olim appellati.
...bid.
...& qualiter possit pro iis offerri Sacrificium. p.341. à
...n.5. usque ad 61.
...nis possint concedi indulgentiæ per modum suffragii.
...342.n.60. & p.441. n.76.

Celebratio.

...Vide Sacrificium.

Ceremoniæ.

...nomine Ceremoniæ intelligatur. p.151.n.78.
...Ceremoniæ sunt divinæ, aliæ Ecclesiasticæ. ibid.
...rum sanctæ. ibid.
...monias licitè adhiberi est clarum lumine naturæ.
...152.n.79.
...nias Deus instituit in lege veteri. ibid.
...Christus iis fuit usus. ibid.
...Ecclesiæ earum usum aut institutionem inhibuit.
...bid.
...proinde à principio illas præscripsit. ibid.n.80.
...ra cujus universalem usum, disputare, insanum cen-
...set S. Augustinus, qui earum originem refert ad ipsos
...Apostolos. ibid.
...nias uti circa alias, sic & circa ceremonias instituendas
...penes Ecclesiam. p.152.n.81.
...rum sub obligatione in conscientiâ. ibid.n.82.
...ditio hæreticorum frivola, ipsismet adversatur. ibid.
...num.83.
...duplex Ceremoniarum Ecclesiasticarum utilitas declara-
...tur. p.153.n.84.
...monia sunt signa patenter distinctiva Catholicorum à
...modernis hæreticis. ibid.n.85.
Ritus nonnulli veterum Christianorum, quos detestantur
sectarii. ibid.
Conferunt pleræque ceremoniæ gratias & remissionem ve-
nialium per modum impetrationis. ibid.n.86.
Non tamen ex opere operato. ibid.n.87.

Character.

Quid sit Character. p.172.n.59.
Illum imprimunt sola tria Sacramenta initerabilia. ibid.
num.60.
Officium Characteris. p.173.n.66.
An sit signum naturale, an ex instituto. ibid.
An circumcisio, & tempore legis naturæ impresserint
characterem. ibid.n.67.
Character non est mera denominatio extrinseca, sed forma
realis. p.174.n.68.
Non est quoque relatio, sive transcendentalis, sive prædica-
mentalis, sive extrinsecùs adveniens. ibid.n.71.& 72.
Sed est qualitas verosimiliùs tertiæ speciei, quàmvis multi
constituant in primâ vel secundâ. p.175. num.73.
& 74.
Mens Scoti declaratur. ibid.n.74.
Subjectum Characteris, voluntas. ibid.n.75.
Fundamentum collocantium Characterem in essentiâ ani-
mæ dissolvitur. ibid.n.76.
Character est in hac vita omnino indelebilis. ibid.n.77.
Immo & in Patria. p.176.n.78.
Aliud quoad hoc est de fide, cæterisque donis gratiæ. ibid.
num.79.
Qui potent Character cedere in opprobrium aut videri à
damnatis. ibid.n.80.

Christus. *Vide* Verbum.

Quo sensu Deus componat Christum; quo non. pag.3.
num. 1.
Quo sensu Christus dici possit compositus. ibid.
Refertur error Nestorii dividentis in Christo personas. p.8.
num.25.
Refertur error oppositus Eutichetis statuentis in Christo
unicam naturam. ibid.n.26.
In Christo est unica persona, Deus homo. p.9.n.27.
Solvuntur objectiones. ibid.n.28.
In Christo sunt duæ naturæ integræ & inconfusæ, divina
& humana. ibid.n.29.
Aliàs Christus non foret verus Deus, aut verus homo.
ibid.
Figmentum Eutichianorum de confusione naturarum im-
pugnat. ibid.n.29.
Eorum objectiones solvuntur. p.10.n.30.
Verbum non conversione, sed assumptione, caro factum est.
ibid.
Explicantur Athanasius & Cyrillus. ibid.
Ostenditur ex dualitate naturarum in Christo non sequi
dualitatem personarum. ibid.n.31.
Idque facilius declaratur statuendo cum Scoto personalita-
tem in negatione communicabilitatis. ibid.
Christus incipit esse juxta multos non nisi cum addito, quâ
homo. p.25.n.101.
Rectè tamen id dicitur simpliciter, si Christus supponat for-
maliter pro ipso composito ex humanitate & divinâ per-
sonâ. ibid.
Si autem connotet suppositum, adhuc quodam sensu posset
subsistere, non tamen in rigore dialectico. ibid.n.102.
Non possunt de eadem persona Christi ratione diversarum
naturarum simpliciter affirmari contradictoria. ibid.
num.103.

Christus est & prædicatur homo univocè cum ceteris hominibus. p.26.n.104.
An etiam homo prædicetur univocè de Deo & Christo: respectu quorum saltem est prædicatum univocum. ibid.
An Christus fuerit homo in triduo mortis. ibid.n.105.
An hæc, Christus est homo, *sit simpliciter necessaria.* ibid.
Christus an rectè dicatur membrum Ecclesiæ. p.34.n.23.

Christi Conceptio.

Conceptio Christi quoad mutationes & alterationes perfectæ organizationi prævias potuit fieri successivè p.28. num.68.
Hæ tamen ex communi doctrina fuerunt instantaneæ. ibid.
Conceptio proinde Christi fuit miraculosa quoad modum, utpote mirâ celeritate, immo instantaneè perfectâ, idque sine opera viri. ibid.

Christi Prædestinatio. Filiatio.

An filius Dei sit prædestinatus, ut sit homo. p.26.n.106.
Christus est simpliciter filius naturalis & unigenitus Dei Patris. p.26.n.107.
An hic homo sive Christus quà homo sit prædestinatus, ut sit filius Dei naturalis. ibid.
Id, non convinci ex Apostolo ad Rom. 1, *ostenditur.* ibid.
Assignatur equidem sensus satis congruus. p.27.n.109.
Hæc propositio: Christus quà homo est filius Dei naturalis, *juxta varios sensus, qui assignantur, admittenda est vel neganda.* ibid.n.110.& seqq.
An Christus quà homo sit filius Dei adoptivus. ibid. num.113.
Sententia affirmativa Durandi non est damnata in Concilio Francofordiensi, de cujus tamen auctoritate nonnulli dubitant. ibid.
In quo Concilio non de sola voce adoptio, *sed de palliata hoc nomine pluralitate personarum seu de adoptione pura, actum est.* p.28.n.114.
Retinenda tamen communis opinio, quæ reputat simpliciter hanc propositionem, Christus quà homo est filius Dei adoptivus. ibid.n.115.
Cui non obstat, quòd humanitas Christi secundum se sit Deo extranea. ibid.n.116.

Christi Servitus.

Christus quà homo potest dici servus. ibid.p.117.
In quo hæc servitus fundetur. ibid.p.29.
Objectiones solvuntur. ibid.n.118.& 119.
Christus non est servus, nisi cum addito vel subintellecto, quà homo. ibid.n.120.
Christus quo sensu dicatur creatura; quo non. ibid.n.121.

Christi Scientia.

Christus secundum humanitatem in vita mortali vidit Deum. p.30.n.1.
Idque ab instanti conceptionis. ibid.n.2.
Solvuntur objectiones. ibid.n.3.
Non fuit infinita, sed inter creatas perfectissima. ibid. num.4.
In Christo fuit ab initio perfecta rerum notitia ignorantiæ exclusiva. ibid.n.5.
An vel quo sensu Christus ignoraverit diem Iudicii. p.31. num.6.
Quo sensu Verbum assumpserit ignorantem naturam. ibid.
Explicatur locus S. Ambrosii, & alser Isaiæ 8. ibid.n.7.
Christus quà homo non omnia simul actu cognoscit. p.31. num.8.
Adeòque nec omnia, quæ Deus scit, ut videt. ibid.n.9.
Sed novit omnia habitualiter; & declaratur quo sensu. ibid.n.10.
Scientia Christi alia est in verbo, alia in proprio genere. fusa ipsi Christo: p.32.n.11.
Hæc rursum vel est infusa per se, vel infusa per accidens. ibid.
Fuit denique in Christo scientia experimentalis successivè acquisita. ibid.n.12.

Christi Gratia.

Fuit in Christo gratia habitualis. ibid.n.13.
Quæ erat sanctificativa Christi. p.32.n.14.
An præterea is fuerit formaliter sanctificatus per unionem hypostaticam. ibid.n.15.
Gratia habitualis Christi ab initio fuit summa, non tamen infinita, ne quidem in ratione gratiæ. ibid. num.16.
Quo sensu Scriptura dicat Christum profecisse in gratia apud Deum & homines. p.33.n.17.
Cur ab initio non exercuerit virilem gratiam & sapientiam. ibid.
In Christo fuerunt omnes gratiæ, gratis datæ. ibid.n.18.
Etiam gratia fidei. ibid.n.19.
Et gratia prophetiæ. ibid.
Operatio miraculorum à Christi humanitate tamquam instrumento morali processit. ibid.n.20.
In Christo qua homine est gratia capitis super omnem Ecclesiam, etiam quà Angelis & Beatis constantem. p.34. num.21.
Non est Christus propriè caput damnatorum. ibid.
Est tamen malorum Viatorum. ibid.
Ratio capitis in quo consistat. ibid.n.22.

Christi Virtutes.

Christus ab initio habuit omnes Virtutes & dona ejus perfectioni convenientia, idque in gradu perfectissimo. p.34.n.24.
Non fuit in Christo fides; fortè nec spes Theologica, ibid. num.25.
Pœnitentia quo sensu in ipso fuerit; vel non fuerit. ibid. & num.26.

Christi Voluntas.

In Christo est duplex voluntas cum operationibus suis. p.35. num.27.
Hæresis Monothelitarum quæ. ibid.
Optima utriusque in Christo voluntatis concordia. ibid. num.28.
Variæ operationes & passiones fuerunt in humana voluntate Christi. ibid.n.30.
Inter humanam & divinam Christi voluntatem nulla fuit contrarietas; ne quidem dum humana voluntas refugiebat mortem. ibid.n.31.
Efficax hujus volitio semper fuit impleta. p.36.n.32.
Objectio desumpta ex VI. Synodo & Agathone Papa solvitur. ibid.n.33.& 34.
Voluntas humana Christi secundum fidem fuit libera. ibid. num.35.
Non solùm à coactione, sed etiam à necessitate. ibid. num.36.
Non obstat actuum Christi æterna prædestinatio. ibid. num.37.
Multò minùs propriorum actuum clara præscientia. ibid. pag.37.

...dis major de visione beatifica, quoad opera, qua... ibid.n.38.
...ntur & refelluntur variæ Resonsiones. ibid. &
...9. & 40.
...probabilis & factus Scotistarum. ibid.n.41.
...ilitas Christi non obstitit libertati ejus in materia ...pta. ibid.n.42.
...non peccavit. ibid.n.43.
...peccare potuit de ordinata potentia. ibid.p.38.
...hypostatica faciat humanitatem etiam de potentia ...ipsa impeccabilem. ibid.n.44.
...ratione non evinci ostenditur. ibid.
...explicantur Patres. ibid.n.45.
...esset Verbum diceretur peccare per communicatio... idiomatum. ibid.
...vere non redundaturam in ipsum Verbum aperte ...ditur. ibid.
...ctur in opinione Scotistarum posse cum unione hypo... stica consistere peccatum habituale. ibid.

Christi Meritum.

...es per humanæ voluntatis operationes propriè me... ...t. p.38.n.46.
...per actus amoris Dei, ac virtutum moralium, immo ...n gratis liberos. p.39.n.47.
...er actum fruitionis beatificæ, problematicè disputatur. ...id.n.48.
...ut fuerit ab instanti conceptionis inclusivè usque ad ...tum mortis exclusivè, sive extrinsecum; aliàs etiam ...clusivè. ibid.n.49.
...meruit proinde per susceptionem ...vis laetalis. ...39.n.50.
...ncelo propriè orat pro nobis citra novum meritum. ...id.n.51.
...meruit gloriam essentialem aut gratiam. p.40.n.52.
...ntus oppositum non fuerit impossibile. ibid.
...mus tamen sibi gloriam corporis, exaltationem nominis ...s. ibid.n.53.
...ne ob hoc simpliciter dicitur mortuus pro se ipso. ibid.
...ulus dicat Christum sibi meruisse gloriam corporis ...tigeciè. ibid.n.54.
...mat Christus Angelis gratiam & gloriam. ibid.n.55.
...objectiones solvuntur. p.41.n.56.& 57.
...nis hominibus lapsis omnia dona salutaria. ibid. ...um.58.
...enumerantur. ibid.& n.59.
...oppositum de prima gratia vocante indicat S. Au... ...ustinus. ibid.p.42.
...prima electio absoluta ad gloriam & gratiam sit ex ...merito Christi. ibid.n.60.
...id de electione comparativa. ibid.n.61.
...ristus non meruit de rigore justitiæ commutativæ. ibid. ...um.62.
...habuit liberali acceptatione Dei Patris ad hunc obligan... ...tum. ibid.
...que etiam de rigore justitiæ pro peccatis nostris satisfecit. ...43.n.63.
...n sensu Christi satisfactio sit ex justitia, immo supera... ...undans. ibid.
...a merita Christi sint infiniti valoris in se & simpliciter, ...an vero extrinsece & secundum quid. ibid.n.64.
...retici recentiores negant Christum esse mortuum pro sa... ...lute reproborum, & quo sensu. p.43.n.65.
...id requiratur ad veritatem hujus locutionis. ibid. ...g.44.
Eam indubitanter asserunt Catholici. ibid.n.66.
Et declarat Innocentius X. post Tridentinum. ibid.
Probaturque ex Scriptura, Patribus, signanter Augustino ac rationibus Theologicis. ibid. n.67. usque ad num.75.
Objectiones solvuntur. p.46.n.75. & seqq.
Signanter explicatur dictum Augustini: Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus. ibid.n.78.

Christi Appetitus & Phantasia.

In Christo fuit phantasia & appetitus sensitivus. ibid. num.80.
Habuit phantasia suas operationes. ibid.
Similiter & appetitus sensitivus operationes & passiones innoxias habuit. p.47.n.81.
Signanter dolorem sensibilem. ibid.
An eum in Christo admiserit Hilarius. ibid.n.82.
Fuit in Christo sensibilis amor & delectatio. ibid.n.83.
Item fuit in eo timor: admiratio verò quodam sensu in eo fuit, quodam non. ibid.
Sensibilis in ipso ira ostenditur. ibid.
Appetitus sensitivus qualiter in Christo numquam prævenerit rationem. p.47.n.84.
Non fuit in eo fomes peccati. ibid.n.85.
Per quid fuerit fomes præpeditus. p.48.ibid.n.86.
An fomes de absoluta potentia inesse potuerit. ibid.
Christus habuit corpus optimè temperatum, ac perfectæ pulchritudinis. ibid.n.87.
Ante resurrectionem fuit ipsum verè passibile, ac mortale. ibid.n.88.
Nec non præditum gravitate. ibid.
Non fuit subjectum morbis. p.48.n.89.
Senio confectum tamen naturaliter obiisset. ibid.
Interdum quoque fuit in Christo aliqua intemperies & alteratio. ibid.
Proinde Christus assumpsit in corpore defectus communes, non personales. ibid.
Post resurrectionem quoque verum & palpabile corpus retinuit. ibid.n.90.
Quo sensu Apostolus dicat, se jam non nosse Christum secundum carnem. ibid.p.49.
Christus secundum corpus non est ubique, sed loco circumscriptus. ibid.n.91.

Christi Sacerdotium & Regnum.

Christus est Sacerdos propriè dictus. p.49.n.92.
Cur pariter reliqui Martyres non sint Sacerdotes. ibid. num.93.
Sacrificio cruento non obstat, quod Christus physicè se non occiderit. ibid.
Sacerdotium convenit Christo quà homini. ibid.n.94.
Explicatur testimonium Cyrilli Ierosolymitani in speciem oppositum. ibid.
Christus non fuit rex temporalis Iudæorum. p.50.n.95.
Etiam concesso, quod Deipara processerit ex David per Salomonem. ibid.
Summo Christi Sacerdotio annexa fuit potestas regni spiritualis, scilicet Ecclesiæ. ibid.n.96.
Cui leges ordinavit ex divina principaliter voluntate & potestate. ibid.
Christus quà homo non fuit subjectus humanis legibus. ibid.n.97.
Licèt eas servaverit. ibid.
Fuit tamen subjectus legi naturæ, & potuisset subjici divinæ positivæ. ibid.

Equidem non subjacuit de facto legi Evangelicæ, neque etiam Mosaicæ. ibid. n.98.
Sed solùm quibusdam præceptis, iisque propriè dictis, sibi à Patre impositis. p.50.n.99.
Potestas regni spiritualis distinguitur in Christo à potestate sacerdotali. p.51.n.100.
Fuit in ipso ab instanti conceptionis. ibid.
An Christus titulo unionis hypostaticæ habuerit temporalem potestatem excellentiæ super universum mundum. ibid.n.101.
An in patrandis miraculis interdum hâc usus fuerit potestate. ibid.n.102.

Christi Adoratio.

Christus est adorandus perfectissimâ latriâ. p.52.n.5.
Eâdem adoratione tunc secundariò coadoratur humanitas. ibid.n.6.
Sicut corpus, adorato homine ob excellentias animæ, coadoratur. p.53.n.7.
Explicatur locus Damasceni objectus. ibid.n.8.
An & qualiter adoratio Verbi nondum incarnati, & ejusdem jam incarnati distinguantur. ibid.
Humanitas Christi non potest solitariè aut principaliter adorari latriâ. ibid.n.9.
Potest sic considerata adorari hyperduliâ. ibid.n.10.
Dicta Conciliorum contra Nestorium procedentium non obstare ostenditur. ibid.n.11.
Immo ipse Christus ob excellentias humanitatis posset in rigore adorari juxta modum præmissum. ibid. num.12.
Idque sive hyperduliæ jungatur latria, sive non. pag.54. num.13.
An Christus posset rogari, ut oret pro nobis. ibid.n.14.

Christi Conceptio.

Christi conceptio non est facta ad dictum Angeli, Dominus tecum. p.72.n.29.
Sed ad expressionem virginei consensûs per verba, Ecce ancilla Domini. ibid.
Christus in instanti de carne seu sanguine materno conceptus est; adeoque verè ex semine David secundum carnem. ibid.n.30.
Vnde consequenter est verus filius Abrahæ & Adæ secundum corpulentam substantiam. ibid.
Non fuit tamen in Abraham decimatus, uti Levi. p.73. num.30.
Qualem concursum adhibuerit Deipara. ibid.n.31.
Error quidam circa hoc, tempore Cajetani exortus & damnatus, refertur. ibid.
B. Virgo fœtui formando ministravit purissimum semen. ibid.n.32.
Cur id vocetur sanguis. ibid.
Vnde B. Virgo est propriè Mater Christi; immo verius quam ceteræ sint matres suarum prolium. p.73.n.33.
Vide Maria Virgo.
Cur Spiritus sanctus dici nequeat Pater Christi. ibidem num.35.
Præter filiationem divinam est in Christo relatio realis filiationis ad matrem, posito quod similis detur in ceteris hominibus seu prolibus. p.74.n.36.

Christi Nativitas, Circumcisio, Manifestatio, Oblatio.

Circumstantiæ Christi Nativitatem antecedentes, concomitantes & subsequentes adferuntur. ibid.n.37.
An prodierit cum secundinis & solitis sordibus. ibid. num.38.
Variis de causis (quæ allegantur) circumcisus est; idque die octo, id est, die octavo. ibid.n.39.
A quo circumcisus sit, incertum est. ibid.
Nativitas Christi diversimodè manifestata fuit; signanter per stellam tribus Magis. p.75.n.40.
Vide Magi.
Christi oblatio. p.76.n.41.
Vide Mariæ Purificatio.

Christi Vita ab Oblatione usque ad Passionem.

Christi fuga in Ægyptum. p.77.n.42.
Quanto tempore ibi manserit. ibid.n.43.
Dein subsecuta est cædes Innocentium. ibid.n.44.
Reliqua Christi gesta usque ad Baptismum. ibid.n.45.
Quibus de causis Christum à Ioanne baptizari convenerit. p.78.n.55.
An id contigerit anno ætatis Christi trigesimo inchoato, expleto, & quamdiu, incertum est. ibid.n.56.
Christo baptizato qualiter aperti sunt cæli, Patre arguente in voce, Spiritu sancto in corpore simili columbæ. p.79.n.57.
Qualiter ibi non fuerit fictio. ibid.
Apparitio hæc non solùm Ioanni, sed etiam adstantibus facta fuit. ibid.
Christus quo die anni sit baptizatus. ibid.n.58.
Quale fuerit jejunium Christi, & subsequens temptatio. p.79.n.59.
Jejunio successit prædicatio & miracula. ibid.n.60.
Considerantur in prædicatione Christi doctrina, eamque tum denuò modus. ibid.& n.61.
Christus potissimum Iudæis, raro gentilibus prædicavit; quare. p.80.n.62.
Quanto præcisè tempore prædicarit, disputatur. ibid. num.63.
Tria paschata inter baptismum & mortem Christi manifesta sunt ex scriptura, computato scilicet illo quo natus est. ibid.
Quartum pascha ejus addendum colligunt Varii ex scriptura. ibid.n.64.
Hâc opinione suppositâ, vel admittendum est quintum pascha, vel potius dicendum, quod miraculum nuptiarum contigerit ipso anno baptismi. ibid.n.65.
Eâ autem sepositâ defendi adhuc possent quatuor paschata. ibid.
Vel solum tria cum Petavio. ibid.
Primum Christi miraculum, scilicet publicum, fuit conversio aquæ in vinum. p.81.n.66.
Quod similiter die sextâ Ianuarii contigisse habet doctrina satis recepta. ibid.n.67.
Quæ tamen incerta est, & difficultatem habere ostenditur. ibid.
Ad quam nihilominus responsio adhærentium præfatæ sententiæ allegatur.
Vide Transfiguratio.
Conversatio Christi fuit socialis, actuali mixtam habens contemplationem, adeoque perfectissima. p.81. num.70.
Qualis ejus victus. ibid.n.71.
Qualis vestitus. p.82.n.72.
Incessisse cum Apostolis discalceatus, objicitur multipliciter. ibid.
Oppositum non rectè colligi ex dicto Ioannis, quod dignus non esset Christi calceamenta solvere, declaratur. ibid. num.73.

vita Iesu paupertate abundavit. ibid n.74.
summam quoque præscripsit desiderantibus perfectionem vitæ Christianæ. ibid.
rum Christus habuit aliquarum rerum dominium ut declaraverit Ioan. XXII. p.83.n.76.
rum verò non, ut declaravit Nicolaus III. ibid. num.77.
jectionem à se motam pulchrè dissolvit. ibid.n.78.
aliquando usque ad mendicitatem pauper fuit. ibid.n.79.

Christi Passio, Mors, Sepultura, Descensus ad inferos.

Christi circa passionis exordium. p.84.n.80.
Christi fuit omnium mortalium in hac vita maxima gravissima. ibid.n.81.
declaratur ex consideratione variarum circumstantiarum ejusdem. ibid. & seqq.
interioris gravissimæ & passionem maximè aggravantis causæ recensentur. p.85 n.84.
sunt cruciatus in altera vita. ibid.
Christi afflictio seu per totam vitam perpetua crux quo modum adaugens gravitatem passionum Christi auferetur. ibid.n.85.
Christi dilectio commendatur. ibid.
natio & Damnatorum pœna per blasphemos Novatorum Christo patienti adscripta refutatur. ibid.n.86.
citatur Verba Christi: Ut quid derelinquisti me. ibid.n.87.
objectiones Hæreticorum solutæ. p.86.n.88.
factæ sunt ab hora duodecima, usque ad tertiam pomeridianam; & quam ob causam. ibid.n.89.
universales super totum orbem. ibid.n.90.
Scriptores exteri id non notaverint. ibid.
universales hæ tenebræ per Eclypsim solis ex divinis capitibus (quæ recenseantur) miraculosam. ib.n.91.
quomodo lunæ interpositio potuerit causare adeò universales tenebras. p.87.n.92.
fuerint hæ tenebræ signantur, quòd non fuerint simile, ut ægyptiacæ. ibid.
motus in morte Christi, & inde orta petrarum scissio, non in sola Iudæa, sed & in aliis orbis partibus accidit, signanter in monte Alvernæ. ibid.n.93.
gentur congruentiæ mortis Christi. p.87.n.94.
multipliciter præfigurata. ibid.
mortem crucis Christum pati conveniret. ibid.n.95.
dicitur sepultus per Synecdochen. ibid.n.96.
convenibat Christum sepeliri; idque in sepulchro alieno & novo, eoque de petra excisо. ibid.
aliter computandum sit triduum sepulturæ Christi. p.88.n.97.
Christus juxta fidem realiter descendit ad inferos secundum animam. ibid.n.98.
quid apertè probatur ex Scriptura, Symbolis, Conciliis & Patribus. ibid.n.99.
Christus secundum substantiam descenderit ad infernum damnatorum. ibid.n.100.
eum ad limbum puerorum. ibid.p.89.
demque ad purgatorium. p.89.n.101.
Christus præsentiâ suâ animas Patrum in limbo lætificavit, & eis beatitudinem essentialem contulit. ibid. num.102.
Christus cum eisdem toto mortis triduo. ibid.n.103.
eorum ex infernalibus locis eas in resurrectione eduxit. ibid.n.104.

Christi Resurrectio, Ascensio & Sessio ad dexteram Patris.

Christi resurrectio in corpore impassibili diversimodè comparatur. pag.89.n.105.
Ejus necessitas & congruentia multiplex ostenditur. p.90. num.106.
Resurrectio fuit signum divinitatis Christi. ibid. n.107.
Resurrexit Christus die tertiâ, quæ erat Dominica; ob hoc Christianis in initio Ecclesiæ sacra. ibid.n.108.
Idque congruè post tridui moram. ibid.
Verosimilius in aurora diei. ibid.n.109.
Diversæ quoad modum loquendi narrationes de discessu & adventu mulierum ad sepulchrum Christi referuntur. ibid.n.110.
Eædem conciliantur. ibid.
Conciliantur fusè ea quæ diversimodè narrant Evangelistæ de visione Angelorum, apparitione Christi &c. p.91.n.111.
Plures aliæ apparitiones enarrantur, partim in scripturis expressæ, partim non. ibid.n.112.
Tempore isto interdum, & quidem familiarius, ac primo omnium apparuit Christus Matri. ibid.
Priùs tamen apparuisse peccatrici censent aliqui. ibid.
Habuit jugiter Patres è limbo liberatos invisibiliter comites toto illo tempore. ibid.p.92.
Christus omnium primus resurrexit ad vitam immortalem. p.92.n.113.
Corpora multa Sanctorum sub id tempus surrexisse ad vitam immortalem, probatur. ibid.n.114.
Non tamen ante Christum surrexisse indicat Matthæus, utpote locutus per anticipationem, ut ex ipsomet colligitur. ibid.
Satis sit fundamentis existimantium corpora ista surrexisse ad vitam mortalem. ibid.n.115.
Ascensio Christi contigit quadragesimo die post resurrectionem circa seu post meridiem. p.92.n.116.
Idque ex monte Oliveti facie ad Aquilonem versâ. p.93. num.117.
Ascendit autem Christus virtute propriâ. ibid.
Attollendo præterea paulatim totum corpus simul. ibid. num.118.
Qualiter in nube. ibid.
An fuerit successivè motus per omnes cælos intermedios. ibid.
Quo ship apsus comitatu ascenderit. ibid.
Christus sedere ad dexteram Patris dicitur locutione metaphoricâ, quæ explicatur. ibid.n.119.
Pater non est in sinistra Filii, sed in eadem dextera. ibid. num.120.
Nec tamen sedet ad dexteram Filii. ibid.
Sedet ad dexteram utriusque Spiritus sanctus: sed locutio hæc est insueta. ibid.
An sessio ista demum competat Christo post mortem. ibid. num.121.
Aliud sensus quo sessio ad dexteram convenit Christo quà homini, declaratur, p.94.n.122.
Quovis modo explicetur non convenit ulli puræ creaturæ. ibid.n.123.
Quo sensu Christus Matth.20. dixerit sessionem ad dexteram & sinistram suam dandam iis, quibus parata est à Patre. ibid.
Christi paupertas, vide Christi Vita usque ad passionem.
Christi Adventus ad Iudicium, vide Judicium.
Christi Genealogia, vide Mariæ Genealogia.

Circumcisio.

Circumcisio fuit sacramentum pro familia Abrahæ diu ante Legem scriptam institutum, ac sub Moyse legi insertum. p. 119. n. 35.

Quæ convenienter adhibebatur in membro generationis: & octavo die. ibid.

Instrumentum an lapideum fuerit, an ferreum. ibid.

Item quis Minister & locus. ibid.

Circumcisio princ.paliter instituta fuit in signum fœderis & distinctivum Gentis. p. 120. n. 39.

Secundariò in Remedium originalis peccati. ibid. n. 40.

Quod ostenditur ex Auctoritate Patrum & Scripturæ. p. 121. n. 40. & 41.

In Circumcisionis defectum adhibebatur Remedium Legis naturæ. ibid. n. 42.

Nova Patrum explicatio, quam Lugo allegat, refutatur. ibid. n. 43.

Circumcisio conferebat gratiam ex opere operato, saltem parvulis. ibid. n. 44.

Ex quo non recte arguitur contulisse gratiam adultis. p. 122. n. 45.

Quamvis & his gratiam contulisse sit quorumdam conjectura. ibid.

Non tamen Abrahæ illam contulit. ibid.

Auctoritates quæ Circumcisioni causalitatem gratiæ denegare videntur, explicantur. ibid. à num. 46. usque ad 50.

Circumstantiæ.

Quid censendum quoad confessionem, de circumstantiis, quæ aggravant vel minuunt in infinitum, faciendo de veniali mortale, aut contrà. *Vide* Confessio circumstantiarum.

Communicatio Idiomatum.

Communicatio idiomatum quid ex vi nominis. p. 24. n. 94.

Oritur ex Incarnatione, ratione unitatis personæ. ibid.

Non consistit in reali communicatione proprietatum factâ reciprocè utrique in Christo naturæ. ibid. n. 95.

Sed in hoc, quòd prædicata divina & humana rectè de eadem persona, adeòque de se invicem prædicentur. ibid.

Vnde debent concretim exprimi; sic scilicet ut connotent idem suppositum. ibid. n. 96.

Quod declaratur variis exemplis. ibid. n. 97.

In hac prædicatione qualiter cavendum à particula reduplicativa. p. 25. n. 98.

Item à prædicatis excludentibus suppositalitatem aut vinam aut præscindentibus à supposito. ibid.

Cavendum etiam in prædicatis divinitatis Christo tribuendis à denominatione accidentali. ibid. n. 99.

Cur magis propriè dicatur, Deus factus est homo: *quàm* Homo factus est Deus. ibid. n. 100.

Posterior propositio in quo sensu possit admitti. ibid.

An rectè dicatur: Christus incepit, *vel* desiit esse. ibid. n. 101. & 102.

An ratione diversarum naturarum possint verificari de eadem persona Christi contradictoria. ibid. n. 103.

An filius Dei sit prædestinatus, ut sit homo. p. 26. n. 106. *Vide* Christi Prædestinatio.

Communio, vide Eucharistiæ Sumptio.

Conceptio Christi.

Vide Christi Conceptio.

Conditio.

Quæ Conditionum varietas. p. 547. n. 28. *Vide* Matrimonium initum sub conditione.

Confessarius.

In Confessario requiritur probitas, competens scientia, discretio. p. 456. n. 49.

Quænam scire debeat, breviter recapitulantur. ibid. n. 50.

Quàm exacta debeat esse scientia, declaratur. ibid. n. 51.

Non æqualis esse debet in omnibus Confessariis, sed pro ratione locorum & personarum inæqualis. ibid.

Corollaria practica. ibid. n. 52.

Quando obligetur Sacerdos, sive Parochus, sive Delegatus hoc Sacramentum ministrare. ibid. n. 53.

Quæ observanda Confessario in Confessionis progressu. p. 457. n. 54.

Quæ in Confessionis progressu. ibid. n. 55.

Quandonam juvandus sit pœnitens interrogatione Confessarii, declaratur in ordine ad praxim. ibid.

Quid agendum, quando Confessarius aliunde novit peccatum, quod pœnitens tacet. ibid. n. 56.

An vel quando pœnitens inter peccatorum enarrationem interpellandus. p. 458. n. 57.

Cautela in interrogationibus, & modo interrogandi Confessario observanda. ibid.

Debet insuper Confessarius advertere, an pœnitens sit dispositus. ibid. n. 58.

Qualiter quoad hoc in praxi sit procedendum. ibid.

Quibus neganda absolutio. ibid.

Non facile reincidentibus. ibid.

Qualiter procedendum cum ignorante rudimenta fidei. ibid. n. 59.

Qualiter procedendum cum eo, qui laborat errore incorrigibili v. g. de invaliditate Matrimonii. ibid. n. 60.

Quid agendum, si talis neget conjugale debitum, an interroget, num ad hoc obligetur. ibid. p. 459.

Quid si invincibiliter errans ex levi scrupulo aut curiositate veritatem rei inquirat. ibid. n. 61.

Ad debeat Confessarius sequi opinionem pœnitentis. ibid. num. 62.

Ad quid teneatur, qui oblitus fuit absolvere vel male absolvit à peccatis. ibid. n. 63.

Vel qui omisit absolvere à censura, aut admonere de restitutione, vel ex culpa lata dixit non esse faciendum. ibid. n. 64.

Quid agendum, dum defectus ex parte ipsius contingit circa materialem integritatem. p. 460. n. 65.

An vel quale ex ministerio hujus Sacramenti oriatur conjunctio inter Confessarium & pœnitentem, ibid. num. 66.

An valeat Confessio instituta apud Confessarium incapacem. ibid. n. 67.

Confessarii Electio.

Papa potest jure divino sibi eligere Confessarium. p. 460. num. 68.

Idem jure communi possunt Episcopi & alii Prælati exempti. ibid.

Ex privilegio quinam id possint. ibid. n. 69.

Ex consuetudine id possunt Cardinales, Parochi & alii Sacerdotes seculares. ibid. p. 461.

An indulta Cruciatæ &c. locum habeant in Religioso ad effectum eligendi Confessarium. ibid. n. 70.

Confessarii Approbatio.

Vide Approbatio.

Confessarii Jurisdictio.

Vide Jurisdictio.

Confessio.

Confessio facienda ore ex usu Ecclesiæ. p. 419. n. 86.

...ùs graviter obliget, dubium est; saltem excusat causa rationabilis. ibid. & p.420.n.87.

...qui nequit ore, teneatur scripto confiteri. ibid.n.88.

...fessio auricularis sic est à Christo instituta, ut publica non sit vetita nec præcepta, imò neque præceptibilis ab Ecclesia. ibid.n.89.

...nes non docuit auricularem Confessionem esse de necessitate Sacramenti. ibid.

...fessio interpretem non cadit sub præceptum ecclesiasticum, aut divinum confessionis. ibid.n.90.

...liter ab illam per accidens ex obligatione propriæ charitatis posset infirmus obligari. ibid.n.91.

...ans mortale hic & nunc confitendum graviter peccat. ibid.n.92.

...si neget veniale, aut aliàs confessum, vel certè hic & nunc non confitendum mortale. ibid.p.421.

...est de circumstantiis non necessariis vel non pertinentibus. ibid.

...fitens mortale falsum gravitèr peccat, secùs si veniale, nisi hoc foret tota materia Confessionis. ibid.n.93. & seqq.

...fitens mortale falsum, sed tamquam adhuc confessum, mortaliter peccet. ibid.n.96.

Confessionis Præceptum.

...divinum Confessionis omnes post Baptismum lapsos obligat ad confitendum mortalia, quæ exinde commiserunt. p.420.n.97.

...isfit præcepto divino Confessionis, si semel & simul in articulo seu periculo mortis omnia confiteamur. ibid.

...ibus nata intercedere multorum oblivio, aut incapacitas subeundi gravem & condignam pœnam. ibid.n.98.

...ius & citiùs v.g. annuè confitens, implet nihilominus præceptum Christi. ibid n.99.

...uviis in his negligens præceptum Christi non infringit. ibid.

...s accidens obligatur qui interdum jure divino sæpius confiteri. ibid.n.100.

...ætum Ecclesiasticum obligat ad annuam confessionem omnes obstrictos peccato mortali, eosque solos. ibid.num. 101. & p.423.n 102.

...Quomodo annus sit computandus. p.423.n.103.

...ideris est, quæ anni parte fiat confessio. ibid.n.104.

...bet est ob nova aut oblita mortalia iterum eo anno Confessio instituenda. ibid.

...ens est, si quædam fuerint justâ de causâ suppressa; etsi reservata. ibid.n.105.

...ietur prævidens impedimentum debet prævenire confitendo. p.423.n.106.

...Si impedimentum vel ex negligentia hoc anno confessus non fuit, consultissimè mox supplet; valde probabiliter tamen præceptum expirat cum anno. ibid.p.424.

...ibus quòd non expiraret, an unica Confessione satisfieret etiam obligationi anni sequentis. ibid.n.107.

...in satisfit præcepto Ecclesiastico per Confessionem informem. ibid.n.108.

...ideretur Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, ...ficeret Confessio informis & valida, ad impletionem præcepti. ibid.

...clesia obligat ad Confessionem meræ internorum, & sufficientem dispositionem. ibid.n.109.& seq.

...ne possit judicio Confessarii differri Confessio, utì Communio Paschalis. p.425.n.111.

Confessionis Necessitas.

Omnium & singulorum mortalium Confessionem jure divino esse præceptam contra quosdam adstruit fides declarata in Tridentino, fundata in Verbis Christi Joan.20. p.400.n.1.& seq.

Ac in perpetuo sensu Ecclesiæ, quem exhibent Concilia & Patrum scripta, quorum sensus expenditur. ibid.n.3.

Adducitur unicum testimonium Leonis Magni. ibidem num.4.

Accedunt miracula, & multiplex Confessionis utilitas, quam etiam fassi sunt ipsi Hæretici. ibid.& n.5.

Explicatur apertè mens Ambrosii l.10. in Lucam. ibid. p.401.

Objicitur & discutitur factum Nectarii. ibid. n.7. & seqq.

Chrysostomus successor Nectarii Confessionis necessitatem docet. p.402.n.10.

Cujus usus etiam postmodum in Ecclesia Græca mansit. ibidem.n.11.

Explicatur Canon desumptus ex Pœnitentiali Theodori Archiepiscopi Cantuariensis. ibid.n.12.

Confessionis Integritas.

Non requiritur Confessio integra materialiter, sed formaliter, idque jure divino. p.403.n.13.& seq.

Peccata oblita censentur eâdem confessione includi & remitti; cum onere ea confitendi, postquam memoriæ occurrerint. ibid.n.15.

Integritas jam dicta non requiritur in Confessione venialium. ibid.n.16.

Corollaria practica. ibid.

Integritas formalis non tantùm ex præcepto divino, sed etiam ad valorem Confessionis mortalium requiritur. ibid.

Sic ut eidem Sacerdoti omnia pro tempore occurrentia sint exponenda. ibid.p.404.

Corollarium practicum. ibid.

An Sacramentum pœnitentiæ defectu integritatis possit interdum esse validum & informe. ibid.n.17.

Diligens examen qualiter præmittendum Confessioni. ibid. n.18.

Integritas non requirit Confessionem anticipari, vel peccata scribi. ibid.

Qualiter cum rudioribus hac in re procedendum. ibid. n.19.

Peccata sunt exponenda quoad speciem & circumstantias speciem mutantes. ibid.n.20.

Si tamen vere differant in genere moris; etsi subtiliores forent, & non communiter notæ. ibid.

Notabile pro praxi. ibid.p.405.

Exprimendus est numerus mortalium. ibid.n.22.

Dum certò non cognoscitur exprimendus est juxtâ bonam fidem vel credulitatem. ibid.n.23.

Quid faciendum si postea error deprehendatur. ibid.

Qualiter agendum cum rudibus raro confitentibus. ibid. n.24.

Qualiter procedendum cum meretricibus, vel longo tempore in continuo velut peccato manentibus. ibid. num.25.

An instituens Confessionem generalem debeat confiteri integrè, etiam alias bene confessa. p.406.n.26.

Peccata vetera cum novis tunc involvi possunt, sed non expedit. ibid.n.27.

An venialia, v.g. mendacia cum dolore debito indefinitè expressa, remittantur omnia. ibid.n.28.

Ab integritate materiali Confessionis excusat notabile incommodum extrinsecum. p.412.n.53.
Non minùs quàm oblivio, ignorantia &c. ibid.
Immo interdum ea integritas foret peccaminosa. ibid.
Non potest plus, quàm necessitas postulat, reticeri. ibid. n.54.
Exponuntur varii casus in quibus liceat dimidiare Confessionem. ibid.n.55.& seqq.
Cautela adhibenda tum confitenti, tum Confessario. ibid. p.413.
An id liceat ob infamiam complicis, idque etiam in ipso mortis articulo. ibid.n.58.& 59.
Cur minùs excusset notitia complicis apud Sacerdotem, quàm apud tertium. ibid.n.60.
Confitens in necessitate non habenti potestatem in reservata, hæc consultò simul exprimit; sed per se loquendo non tenetur. ibid.n.61.
Magnus pœnitentium concursus non excusat Confessarium à negligenda integritate. p.414.n.62.

Confessio Circumstantiarum.

Quid censendum de Circumstantiis, quæ aggravant vel minuunt in infinitum, faciendo de veniali mortale, aut contra. p.406.n.29.
Quid censendum de Circumstantiis diminuentibus mortale manens tale p.407.n.30.
Aggravantes notabiliter mortale intrà eamdem speciem esse confitendas tenet opinio valdè probabilis. ibid. num.31.
Corollaria ex hac opinione sequentia. ibid.n.32.
Opinio negans prædictas circumstantias esse confitendas est æquè aut magis probabilis. ibid.n.33.
Quæ probatur. ibid.
Quorumdam probatio ex verbis Tridentini desumpta discutitur. ibid.n.34.
Corollaria practica. p.408.n.35.
Etsi non forent hæ circumstantiæ explicandæ, non tamen possent negari. ibid.n.36.
An si non obligetur pœnitens eas confiteri sponte, tentatur saltem rogatus. ibid.n.37.
Specialiter nonnulli asserunt circumstantias aggravantes, quibus est annexa reservatio, aut censura, exprimendas esse; sed inconsequenter. ibid.n.38.

Confessio Peccatorum dubiorum.

Qui probabiliter resolvit se non commisisse peccatum grave, vel in eo se non graviter peccasse, consilium non necessariò confitetur. p.409.n.39.
Idem est, si certus de facto mortali, probabiliter resolvat se confessum esse. Secùs est, si de hoc tantùm dubitet. ibid.n.40.
Notabile pro scrupulosis. ibid.n.41.
Alia regula utilis pro quietanda conscientia circa Confessionem præteritorum. ibid.n.42.
Peccata de quibus dubitatur, an sint commissa juxta Nonnullos non sunt confitenda; secùs, inquiunt, si solùm dubitetur de qualitate. p.410.n.43.
Expenduntur hujus dicti probationes. ibid.& n.44.
Caramuel generaliter negat dubia esse confitenda, etsi dubium sit de confessione. ibid.n.45.
Quod postremum saltem est improbabile. ibid.
Quoad alia videtur favere possessio, nec repugnare Tridentinum. ibid.
Argumentum, quod in contrarium adfert Lugo, non est quoque efficax. ibid.n.46.
Contra quam sententiam Caramuelis militat sensus & praxis communis. p.411.n.47.
Solvitur fundamentum desumptum ex possessione libertatis. ibid.
Nonnulla tamen circa communem Sententiam considerranda proponuntur Lectori. ibid.n.48.
Peccata dubia sunt sub dubio confitenda, & cessante dubio convenit ea exprimi ut certa. ibid.n.49.
Juxta receptam doctrinam oportet dubia peccata cessante dubio exprimi, ut certa. ibid.
Ob non leves tamen difficultates quas recepta doctrina patitur, varii Recentiores censent hoc non esse necessarium. ibid.n.50.& p.412.n.51.
Circa dubiorum peccatorum confessionem, quomodo procedendum cum scrupulosis. p.412.n.52.

Confirmatio.

Confirmationis Sacramentorum contra Novatianos & varios alios hæreticos adstruit fides Catholica. pag. 220.n.1.
Probatur ex Scriptura, Conciliis, Pontificibus & Patribus antiquis. ibidem usque ad n.9.
Immeritò reprehenditur Scotus, quasi sentiens non probari ex Scriptura hoc Sacramentum esse à Christo institutum. p.221.n.8.
Est hoc Sacramentum probabiliùs institutum in ultima cœna ibid.n.
Consummata tamen institutio, etiam quoad ministrum, referenda est ad tempus subsequens resurrectionem. p. 222.n.10.

Confirmationis Materia.

Materia Confirmationis remota est Chrisma. ibid.n.11.
Apostolos hoc Sacramentum aliquando contulisse sine Chrismate variè probatur. p.222.n.12.& p.223. num.13.
Quod tamen non obstat, quò minùs Chrisma sit ejus materia. p.223.n.15.
Interdum etiam Apostoli usi sunt Chrismate. ibid. num.14.
Chrisma debet esse confectum ex oleo olivarum & balsamo. ibid.n.16.
Quidam tamen putant solum oleum esse de necessitate Sacramenti. ibid.
At contrarium probatur ex Florentino, & constanti traditione. ibid.n.17.& 18.
Adfertur congruentia materiæ hujus Sacramenti. pag. 224.n.20.
Objicitur auctoritas Innocentii III. c. Presbyteris, de Sacram.non iterand. quæ explicatur & solvitur. ibid.n.21.& 22.
Balsamum ad hoc Sacramentum sufficiens præsertim Indicum (ex quo Chrisma potissimùm conficitur) satis facilè potest obtineri. ibid.n.23.
Non est necessarium quòd singulæ partes Chrismatis formaliter contineant aliquid balsami. ibid.p.225.
Nec secundum Arriaga quòd totum oleum alteretur odore balsami. ibid.n.24.
Modus adhibendi balsamum non arguit, quòd non sit de necessitate Sacramenti: quin pariter argueret non esse de necessitate præcepti divini. ibid.
Benedictio Chrismatis est de necessitate Sacramenti. ibid. num.25.
Cur potiùs, quàm benedictio aquæ de necessitate Sacramenti baptismatis. ibidem.
Forma benedictionis relicta est arbitrio Ecclesiæ. ibid.
Benedictio Chrismatis nequidem per Pontificem potest com-

committi simplici Sacerdoti. ibid.n.26.
Opposita sententia non favet Tridentinum I. p.226.n.27.
Materia proxima Confirmationis est unctio cum Chrismate in modum crucis. ibid.n.28.
Unctio & unctio & signum crucis sint de necessitate Sacramenti. ibid.
Valet Sacramentum, etsi unctio fiat alio digito quàm pollice. ibid.n.29.
Forma verosimilius, etsi fiat aliquo instrumento. ibid.
Secus peccet, qui utitur alio digito à pollice; item qui alio instrumento. ibid.
Quòd Chrismatio est de necessitate Sacramenti. ibid.n.30.
Orientalium adhuc partium unctiones adhibent, quæ sunt ceremoniales. ibid.p.227.

Confirmationis Forma.

Quænam usitata forma Confirmationis, quæ est convenientissima. p.227.n.31.
Ad valorem sufficiunt verba ei æquivalentia. ibid.
Quænam forma Græcorum. ibid.n.32.
Examinatur, quòd sit legitima. ibid.
Quòd ipsa & aliunde probatur, ly signo crucis, ac Chrismate salutis, non esse de essentia formæ. ibid. & p.228.n.33.
Quòd nec expressa invocatio trium personarum est de essentia etiam in forma Latina. ibid.& n.34.
Quid referat, quòd Confirmatio sit quædam consummatio baptismi. ibid.n.34.

Confirmationis Minister.

Ordinarius minister Confirmationis est solus Episcopus. p.228.n.35.
Quòd hoc Sacramentum à simplici Sacerdote collatum sine legitima commissione, sit nullum. ibid.n.36.
Quòd Anania Paulo imponens manus, non contulit ei Sacramentum Confirmationis. p.229.n.37.
Quòd Catholica manûs impositio, esto materialiter diversa, adhuc offerat munus confirmandi esse Episcopale. ibid.n.38.
Quòd Chrismatio Sacerdotibus permissa in Canonibus non est collatio Confirmationis. ibid.n.39.
Explicatur locus Hieronymi in contrarium objectus. p.229.n.40.
Ad valorem Sacramenti sufficit Ordo Episcopalis. ibid.n.41.
Ad licitè ministrandum etiam jurisdictio requiritur. ibid.
Ordinarius Confirmationis Minister ex commissione Pontificis est simplex Sacerdos. p. 230 num.42.
Quid probatur ex variis capitibus. ibid.& seqq.
Declaratur mos Ecclesiæ Occidentalis, in qua etiam antiquitus Presbyteri confirmant. p.231.n.45.& seq.
Cur Bulgari à Sacerdotibus Photii confirmati, sint à Latinis Episcopis reconfirmati. ibid.n.46.
Quòd Innocentius III. improbaverit morem Græcorum juxta quem Sacerdotes confirmabant. ibid.n.47.
Quid id egerit Innocentius IV. ibid.
Quid desuper decreverit Clemens VIII. ibid.n.48.
Cur hic sub conditione reconfirmandos censuit confirmatos à Græcis Presbyteris. ibid.
Ad valorem commissionis datæ simplici Sacerdoti, non requiritur justa causa. p.232.n.49.
Hæc commissio non est strictè dicta dispensatio in jure divino. ibid.
Potest illam Pontifex, etiam non consecratus, dare, tum per se, tum per delegatum. ibid.n.50.
Non potest illam dare Collegium Cardinalium sede vacante. ibid.
Posset tamen per Pontificem hujusmodi potestas ei delegari. ibid.

Confirmationis Subjectum, & Præceptum.

Ad valorem Confirmationis requiritur ex parte suscipientis baptismus. p.232.n.51.
Et sufficit; supposito tamen quoad adultos consensu. ibid.num.52.
Quare etiam parvuli sint illius capaces. ibid.
Ad fructè suscipiendum requiritur & sufficit status gratiæ. ibidem n.53
Jejunium, uti & confessio, tantùm suadetur. ibid.
Consuetudo de non confirmando parvulos ante septennium non obligat. ibid. p.233.
Quando expediat etiam infantes confirmari. ibid.
Per se loquendo nulla est obligatio suscipiendi hoc Sacramentum. ibid.n.54.
Quidam tamen sunt in contrarium; quibus non rectè annumeratur Scotus. ibid.
Posset nihilominus hoc Sacramentum omittendo quis per accidens graviter peccare. ibid.n.55.
An olim fuerit præceptum suscipiendi hoc Sacramentum. ibid.
An ordinandi obligentur priùs suscipere Confirmationem. p.511.n.73.
Quæ obligatio Episcoporum illud conferendi. p.233. num.55.

Confirmationis Effectus.

Confirmatio confert gratiam sanctificantem. ibid n.56.
Et auxilia actualia ad fortiter profitendam fidem. ibid.
An conferat majorem gratiam, quàm baptismus. p.234. num. 57.
Affirmant aliqui: Scotus cum aliis magis fundatè negat. ibid.
Confirmatio imprimit Characterem. ibid.n.58.
Irrevocabilitas hujus Sacramenti specialiter probatur. ibidem.
Quam etiam defendunt Græci. ibid.
Recentiores tamen Græci errant, existimantes Confirmationis Characterem infidelitate deleri. ibid.
S. Augustinus asserens manûs impositionem posse repeti, non loquitur de Sacramentali, sed reconciliatoriâ. p. 58.
Aliæ Auctoritates, signanter S. Methodii, objiciuntur & solvuntur. ibid.n.60.& seqq.
Character Confirmationis est distinctæ speciei à baptismali. ibid.n.63.

Confirmationis Ceremoniæ.

Episcopus conferens hoc Sacramentum tenetur indui pontificalibus. p.236.n.64.
Cur baptizati confirmati vittâ ligetur. ibid.
Cur Episcopus dat ei alapam. ibid.
Quo loco & tempore hoc Sacramentum sit conferendum. ibidem.
Debet adesse patrinus, isque unicus, etiam post Tridentinum. ibid.n.65.
An necessariò sit distinctus à baptismali. ibid.& n.66.
Non confirmatus illicitè obit munus patrini: an etiam invalidè. ibid.
Nulla vel rara in patrino est obligatio instruendi. ibidem.

An

An Monachis licitum sit esse patrinos confirmationis. ibid.n.67.
Cognatio spiritualis ex Confirmatione inter quos contrahatur. ibid.n.66.
Quoddam notabile pro Pastoribus. p.237.n.67.

Conjux.

Conjuges obligantur invicem cohabitare, etiam ex natura rei. p.598.n.38.
Ad cohabitationem conjuges cogi possunt à Judice. ibid.
Electio habitationis aut mutatio ejusdem per se loquendo est penes virum. ibid.n.39.
Vir tamen tenetur stare pactis quoad habitationem initis; nisi necessitas aliud postulet. ibid.
Tenetur etiam sequi mulierem, quæ ex necessitate cogitur habitaculum mutare. ibid.
Ista causa excusat diuturniam à conjuge absentiam. ibid.n.40.
An mulier sequi teneatur virum vagum. ibid.
Oscula & similes actus conjugibus licent tamquam dispositiones ad copulam conjugalem debitè perficiendam; vel tamquam signa & fomentum amoris conjugalis. p.597.n.33 & seq.
Etiamsi sola intendatur voluptas in osculis & similibus actibus, etiamsi intentione copulæ, adhuc non sunt in conjugibus mortale peccatum. ibid.n.35.
Quid de illis actibus censendum, si conjuges non possint liberè exercere ipsam copulam. ibid.n.36.
Quid censendum de morosa delectatione circa copulam conjugalem, vel de tactibus impudicis in absentia conjugis. ibid.n.37.

Consanguinitas.

Vide Matrimonii Impedimenta.

Consecratio.

Vide Sacrificium.

Consensus matrimonialis.

Internus contrahentium consensus essentialiter ita requiritur, ut potestate humanâ suppleri nequeat. pag.541.n.1.
Posset tamen suppleri potestate divinâ. ibid.n.2.
Solorum contrahentium consensus requiritur ad valorem. p.542.n.3.
Quid actum in Concilio Tridentino de irritandis conjugiis quæ sine consensu parentum contraherentur. ibid.
Explicatur jus civile. ibid.n.4.
An jure Canonico consensus parentum fuerit olim requisitus ad valorem. ibid.
Conjugia servorum sunt legitima citra consensum dominorum. ibid.n.5.
Proles ex maxima congruentia non debent nubere sine consensu parentum. ibid.n.6.
Secùs facientes quibus casibus per accidens excusentur. p.543.n.7.
Item quibus casibus per accidens graviter peccent. ibid.
An per se graviter obligentur. ibid.n.8.
An proles insciis aut invitis parentibus contrahentes possint exheredari. ibid.n.9.
Quid de hoc Statutum sit per Principes Belgii. ibid.
An hujusmodi statuta sint valida attento jure Canonico, controversum est. p.544.n.10.
Consensus conjugalis debet exteriùs exprimi; idque ex usu Ecclesiæ per verba. ibid.n.11.
Quæ tamen certò non requiruntur ad valorem. ibid. num.12.
Quæ verba & signa inter præsentes sufficiant. ibid. num.13.
Potest inter absentes consensus exprimi per Epistolam servatâ formâ Tridentini. ibid.n.14.
Melius tamen & crebrius exprimitur per procuratorem, qui modus contrahendi plenius explicatur. ibidem num.15.
Quæ simultas in consensu amborum conjugum & expressione requiratur. p.545.n.16.
In quid objectum necessariò cadat consensus matrimonialis. ibid.
Consensus conjugalis debet esse liber à necessitate. ibid. nu.17. *Vide* Metus.
Consensus conditionatus, Vide Matrimonium initum sub conditione.

Constantinus.

Constantinus fuit confirmatus sub tali forma: Signete Deus sigillo fidei &c. p.227.n.31.

Continentia.

Continentia annexa Ordinibus sacris, ad quid, & quo jure obliget. p.517.n.101.
Vide Ordinis subjectum.

Contritio.

Descriptio Contritionis seu pœnitentiæ interioris, p.386. num.1.
Hæreticorum de ea sententiâ refertur, & refellitur ibidem.

Contritionis Possibilitas & Necessitas.

Contritio seu pœnitentia interior est utilis ac salutaris cuilibet peccatori in via. p.387.n.2.
Variæ Scripturæ loca objiciuntur. ibid.n.3.
Respondetur ad exemplum Esau & Antiochi. ibid.
Quid intelligatur per peccatum in Spiritum sanctum neque hîc, neque in futuro remissibile. ibid.n.4.
Quid significetur 1. Joan. 5. per peccatum ad mortem. ibid.
Peccator omnis an pœnitere salutariter possit, remissio. ibid.n.5.
Pœnitentia locum habet in omnibus, qui aliquandò peccarunt; & in via sunt. ibid.n.6. & p.388.n.7. ibid.
An etiam in Beatis. ibid.
Non convenit perfectè innocentibus, aut soli originali subjectis. ibid.
Est necessaria iis, qui mortaliter peccarunt, tum necessitate medii tum necessitate præcepti; & quidem naturalis ex suppositione. ibid.n.8. & 9.
An & quando impœnitentia talis in peccatis actualibus tantum. ibid.n.10.
Præceptum pœnitentiæ non obligat peccatorem ad quam primùm pœnitendum. ibid.n.11.
Objectiones solvuntur. p.389.n.12. & seqq.
Præceptum pœnitentiæ obligat peccatorem in periculo mortis ac perpetuæ amentiæ. ibid.n.13.
An, & quando adhuc. ibid.
Notabile pro praxi. ibid.
Quando per accidens obliget hoc præceptum. ibidem num.16.
An justificatus per solum actum dilectionis teneatur postea elicere actum formalis pœnitentiæ. pag.390. num.17.
An quoties justo peccatorum memoria incidit, debeat pœnitere. ibid.
Quæ pœnitentia sit in præcepto. ibid.n.18.
Contritio alia perfecta, alia imperfecta seu attritio dicitur.

Incitur. p.323.n.34.
Descriptio & explicatio contritionis perfectæ Charitate. ibid.n.35.
Hæc infallibiliter justificat etiam extra Sacramentum, & quidem sola. ibid.n.36.
Contritio imperfecta. Vide Attritio.
De Efficacia, Appretiatione, & aliis conditionibus contritionis reconciliativæ. Vide Pœnitentiæ Actus.

Conversio Substantialis.

Conditiones ad conversionem substantialem communiter requisitæ enumerantur. p.283.n.75.
In quo formaliter consistat. ibid.n.76.
Quæ actiones in conversione Eucharistica necessariò intercedant. p.284.n.77.
Vide Eucharistica Transsubstantiatio.

Corpus.

Vox, corpus, quid significet in forma Consecrationis panis. p.264.n.82.
Vide Eucharistica Christi præsentia.
Cur minùs repugnet corpori existere modo spirituali, quàm spiritui existere modo corporali seu quantitativo. p.277.n.48.

Creatura.

An pura creatura potuerit condignè satisfacere pro peccato mortali. p.23.n.92.
Vox, Creatura, quid importet, & an possit de Christo affirmari. p.27.n.121.

Crux.

Qualis debeatur cultus S. Crucis. p.65.n.57.
Crux Christi honoratur tamquam victoriæ gloriosæ instrumentum; non quatenus ignominiam Christo attulit. ibid.n.59.
Discrimen inter crucem & alia passionis instrumenta. ibid.n.60.
Cultus Reliquiarum. Vide Reliquiæ.
Cultus sacrarum Imaginum. Vide Imagines sacræ.

D.

Dæmon.

Quæ Dæmones latuerit mysterium Incarnationis. p.5.n.10.
Qualiter Dæmones sint judicandi in extremo judicio. p.105.n.48.
An tunc apparituri in corporibus. ibid.n.44.

Debitum Conjugale.

Qui cum dubio seu malâ fide contraxit, non potest debitum petere, tenetur tamen reddere petenti bonâ fide. p.596.n.31.
Si dubium supervenit matrimonio, & factâ inquisitione perseveret, potest probabiliter, etiam petere debitum pars manens dubia: quod quidem in dubio de impotentia est certum. p.597.n.32.
Conjux conjugi explicitè vel implicitè petenti tenetur reddere debitum, idque ex justitia. p.590.n.1.
Quando secùs faciens peccet mortaliter. ibid.n.2.
A reddendo debitum excusat rationabilis causa. ibidnum.3.
Varia corollaria practica. ibid.n.4.
An excuset nimia petitionum multiplicatio. p.591.n.5.
Conjux non tenetur debitum petere per se loquendo; etsi quandoque per accidens. ibid.n.6.
Affinitas superveniens matrimonio impedit petitionem debiti in incestuoso. ibid.n.7.
An etiam in comperte consentiente. ibidem.
Requiritur ut incestus quà talis committatur scienter. ibid n.8.
Extendit se hæc affinitas usque ad secundum gradum inclusivè. ibid.p.592.
Non impedit ipsa debiti redditionem. ibid.n.9.
Cognatio spiritualis superveniens non impedit debiti redditionem: immo probabilius nec petitionem. ibid.n.10. & p.212.n.40.
Impedito ob affinitatem petere, licitè negatur debitum, licitè quoque redditur. p.592.n.11.
Quando conjugi illicitè petenti reddatur illicitè debitum; quando licitè. ibid.n.12.
Limitatio quorumdam adfertur & rejicitur. ibid.
Quid hac in re sit satis certum. ibid.
Diebus festis aut communionis an abstinendum à copula. p.593.n.14.
An sit mortale accedere ad menstruatam. ibid.n.15.
An saltem sit veniale. ibid.n.16.
An debitum tunc petitum reddi possit vel debeat. ibid. p.594.
Licitè cognoscitur uxor gravida. ibid.n.17.
An licitè cognoscatur mulier tempore purgationis aut lactationis. ibid.n.18.& 19.
Copula in vase præpostero inter conjuges est gravissimum peccatum. ibid.n.20.
Immo nec licitè in eo inchoatur, perficienda in vase naturali. ibid.
Item graviter illicita est, quæ fit cum prodigalitate seminis. ibid.n.21.
Immutatio situs seu modi accidentalis est illicita, nisi subsit justa causa. p.595.n.22.
Non tamen est mortalis regulariter loquendo. ibid.n.23.
Conjugi sic petenti, compars non tenetur reddere; probabiliter tamen reddere potest. ibid.
In copula licitè intenditur proles, satisfactio debiti, ac etiam sola vitatio incontinentiæ propriæ; immo & alienæ. ibid.n.24.& seqq.
Licitè intenditur etiam in copula sanitas aliusve finis honestus. p.596.n.27.
Illicitè venialiter intenditur sola voluptas. ibid.n.28.
Discutitur sententia negativa quorumdam Recentiorum. ibid.n.29.
Debitum non habitandi. Vide Conjux.

Dectetum.

Dupliciter potest considerari decretum Dei circà Incarnationem, unum circa eam secundùm se, alterum prioris determinativum ac velut executivum. p.20.n.77.
Vi posterioris decreti venire Christus debuit in carne passibili; fuitque hoc dependens à peccato. ibid.

Delegare. Delegatus.

Ordinariam habens jurisdictionem potest eam delegare. p.451.n.27.
Delegatus nequit subdelegare, nisi delegans id exprimat, aut in ejus locum per modum officii subrogetur. ibid.
Delegatam habent potestatem ii, quibus ab Ordinario ea conceditur expressè vel tacitè. ibid.n.28.
Delegata potestas quamdiu duret; & specialiter an vel quando expiret morte concedentis. p.452.n.31.

Denuntiationes matrimoniales.

Denuntiationes præmittendæ sunt Matrimonio; etsi secùs celebratum valeat. p.567.n.32.
Debent fieri in parochia contrahentium. ibidem numero 33.

Quid agendum dum hi sunt ex diversis parochiis, vel recenter ad parochiam commigrarum. ibid.
Denuntiationes sunt faciendæ tribus diebus festivis & continuis. ibid.n.34.
An interdum sufficiat dies non festivus. ibid.n.35.
Qualiter debeant esse continui. ibid.n.36.
Qualiter possit Ordinarius dispensare in denuntiationibus. ibid.n.37.
In Belgio solet ista dispensari, ut non præmittantur consummationi. p.568.n.37.
Nomine Ordinarii hîc etiam intelligitur Vicarius generalis. ibid.n.38.
Quando sit locus epikiæ. ibid.
Est per se loquendo gravis obligatio denuntiandi impedimenta, etsi occulta, aut mere prohibentia. ibid.n.39.
Occulto impedimento laborantibus, qualiter respondendum ad interrogationem parochi. ibid.n.40.
Quid agendum parocho, si deferatur impedimentum. ibid.
Qualiter requiratur probatio impedimenti. ibid.
Assistentia neganda est etiam publicè petentibus, etsi defectus sit occultus, si fraternè moniti non desistant. p.569.n.41.
Quæ sit pœna Assistentium Matrimonio omissis denuntiationibus contracto, ipsorumque ita contrahentium. ibid.n.42.

Deus.

Deus potest esse pars componibilis latè, non strictè. p.3. num.1.
Deus non mutatur propter unionem hypostaticam ad se terminatam. ibid.n.2.
Quælibet persona divina potuisset incarnari. ibid.n.4.
Diabolus, *Vide* Dæmon.

Diaconus. Diaconatus.

Diaconi potest ex rationabili causa committi baptizatio solemnis. p.192.n.7.
An liceat Diaconis in extrema necessitate citra commissionem solemniter baptizare. ibid.n.8.
An Diaconatus possit conferri à simplici Sacerdote ex commissione Papæ. p.507.n.56. *Vide* Ordinis Sacramentum.
Diaconus cantans in malo statu Evangelium an vel qualiter peccet. p.147.n.55.
Olim committebatur Diaconis tum corporis tum præsertim sanguinis Domini dispensatio. p.298.n.7.

Diaconissæ.

Quâ ratione quædam fœminæ olim dicebantur Diaconissæ, & quænam erant eorum officia. p.510.n.69.

Dimissoriæ.

Ordinandus ab alieno Episcopo, debet habere dimissoriales proprii, & quis ille censeatur. p.512.n.77.
Quid circa eas dandas possit Capitulum sede vacante. ibid.n.78.
Prælati Regularium de jure dant dimissorias suis, sed ad Diœcesanum, si adsit & ordinet; alioquin ad quemlibet. ibid.
Quid possint ex privilegiis. ibid.n.79.

Dispositio.

Dispositio suscipientis sacramenta. Vide Sacramentorum subjectum.

Distinctio formalis.

Gravissimam pati difficultatem in mysterio Incarnationis eos, qui non admittunt in divinis distinctionem formalem ostenditur. p.13.n.44.

Effugium quorumdam præcluditur. ibid.

Divortium.

Quid significet. p.598.n.41.
Divortium aliquando licet, potissimum ob adulterium comparti. ibid.& p.599.n.42.
Divortium ob adulterium ex natura rei locum habet etiam in infidelibus. p.599.n.43.
Competit que ex æquo viris ac mulieribus. ibid.
An præter adulterium sufficiant aliqui alii actus, puta sodomiæ ad faciendum divortium. ibidem num.44.
Debet adulterium esse quid tale peccaminosum. ibid.n.45.
Non tollit gravis metus causans divortii. ibid.n.46.
Conjugem prostituens nequit facere divortium; nisi nec in adulterium tacitè consentiens. ibid.n.47.
Secus est de eo, qui expellit, aut abire recusat conjugem postea fornicantem. ibid.p.600.
Datur compensatio delictorum. ibid.n.48.
Ad quam perinde est, quis prius aut sæpius peccaverit. ibidem.
Innocens non tenetur ad divortium. ibid.n.49.
Quid faciendum innocenti, si compars adultera sit in flagitio contumax. ibid.
Potest innocens condonare nocenti injuriam, etiam propriâ auctoritate, & post sententiam. ibid.n.50.
Potest etiam innocens cogere nocentem ad reditum ibid.
In rigore, innocens non tenetur recipere nocentem, etiam emendatum; etsi id suadeat æquitas. ibid.n.51.
Quibus signis fiat reconciliatio. ibid.n.52.
Divortium quoad vinculum non exigit sententiam judicis. p.601.n.53.
Immo nec quoad habitationem loquendo per se, & in foro conscientiæ, si adulterium sit publicum. ibidem num.54.
Quid si adulterium sit occultum. ibid.n.55.
Innocens post divortium potest ingredi Religionem, aut vovere castitatem, aut forsit vir, suscipere sacros Ordines. ibid.n.56.
An vel quomodo id liceat conjugi nocenti. ibid.
An compars tunc ingredi Religionem similiter queatur, vel remanens in sæculo vovere castitatem. p.602.n.57.
Qualiter possit conjux divertere à compărte ratione sæcularis. ibid.n.58.
Item qualiter id liceat ob grave periculum corporis animæve sævitiam. ibid.n.59.
Qualiter liceat divortium ob Hæresim. ibid.n.60.
Quare Christus Matth. 19. solius adulterii mentionem fecerit. p.603.n.61.
Qualiter liceat divortium ex mutuo consensu. ibidem num.62.
Quid ultra consensum compartis requiratur, ut tali casu conjux intret Religionem, suscipiat sacros Ordines, aut promoveatur ad Episcopatum. ibid.n.63.

Dolor.

Dolor necessarius ad effectum etiam requiritur ad veniam Sacramenti Pœnitentiæ. p.397.n.52.
Etsi Varii varie id urgent. ibid.
Dolor formalis, supernaturalis & efficax requiritur pariter ad Confessionem venialium. ibid.n.54.
Nec dissentit Suarez, male citatus in oppositum; exinde à Nonnullis assertum. ibid.
Allegantur & dissolvuntur fundamenta alterius sententiæ affirmantis sufficere dispicentiam virtualem conventam

tentam in desiderio Sacramenti ejusque effectus extra actualem peccati complacentiam. p.398.n.55.
Ejus sententiam Maya vocat piam, suadens tamen in praxi contrariam, ibid.
Qui etiam existimat remissionem venialium in justo proposito dolente non esse effectum Sacramenti, manente tamen adhuc eorum confessione valde utili. ibid.
Propositum vitandi venialia qualiter elici posset. p.398. num.56.
An sufficiat pœnitentem dolere, quòd non doleat de peccatis. ibid.n.57.
Vide Contritio & Pœnitentiæ Actus.

Domicilium.

Domicilium seu quasi domicilium quando acquiratur. p. 363.n.14.

Dormiens.

Qui ex intentione consciendi Sacramentum accedit ad ejus, ac in somnum incidens actiones perficit, Sacramentum non conficit. p.142.n.32.
Etsi est, si tantùm sit distractus. ibid.
Quid si quis eo fine se somno dedisset. ibid.n.33.

Dubium, Dubius.

Dubius de valore Matrimonii obligatur ad statim inquirendum. p.596.n.30.
Qualiter dubium impediat petitionem vel redditionem debiti conjugalis. Vide Debitum Conjugale.
Dulia, Vide Adoratio.

E.

Ebrius.

Ebrius invalidè conficit sacramentum. p.142.n.32.
Idque licèt eo fine se inebriasset. ibid.n.33.
Secus est de ebrioso, nec aliud vult Augustinus. ibid.n.34.

Ecclesia.

Celebrare in Ecclesia polluta est peccatum mortale, pag. 355.n.17. Vide Templum.
Quando Ecclesia polluta polluat cœmiterium. ibid. n.21.
Quando liceat in Ecclesia polluta missam inchoare aut perficere. p.356.n.124.
Quando Ecclesiæ consecratio tollatur, ut sit reconsecranda. ibid.n.125.

Eclypsis.

Eclypses solis in morte Christi, diversis ex capitibus miraculosa. p.86.n.91.

Elias.

Duo Præcursores secundi adventûs Christi mittentur contra Antichristum. p.100.n.25.
Eos fore Henoch & Eliam certum est. ibid.
Qui in hunc finem sunt servati à morte. ibid.
Henoch quidem peculiariter destinabitur ad conversionem Gentium; Elias Judæorum. ibid.n.26.
Quorum pars maxima tunc convertetur. p.101.n.27.
Itaque partim Eliâ vivente, partim eo mortuo. ibidem num.28.
Præter Henoch & Eliam nemo alius venturus est, sive Moyses, sive Ieremias, sive Ioannes Apostolus. ibid. n.29 & 30.
Descriptum Apoc. 11. Henoch & Eliæ Martyrium. ibid.n.31.
Ac subsequens resurrectio, gloriosaque in cælum ascensio, cum horribili terræ motu. ibid.

Epiphania. Vide Christi Manifestatio & Magi.

Epiphanius.

Locus supposititius Epiphanii contra usum Imaginum. p.63.n.50.

Episcopatus. Vide Ordinis Sacramentum & Ordinum singulorum Materia & Forma & Ordinis Effectus.

Episcopus.

Solus Episcopus est Ordinarius minister Confirmationis. p.228.n.35.
Solus etiam Episcopus potest benedicere Chrisma, sic ut illa benedictio nequidem per Pontificem possit competitri simplici Sacerdoti. p.225.n.26.
Qualiter Presbyteri olim in suis muniis dependebant ab Episcopo præsente. p.229.n.39.
Episcopis qualiter usus pontificalium sit interdictus in aliena Diœcesi. ibid.n.41.
Quid nomine Pontificalium intelligatur. ibid.p.230.
An etiam collatio primæ Tonsuræ & celebratio Missæ pontificalis. ibid.
Episcopi possunt dispensare in impedimentis supervenientibus Matrimonio contracto. p.593.n.13.
Episcopus qualiter dare possit Indulgentias. Vide Indulgentiæ.
Episcopus est minister Ordinarius Sacramenti Ordinis. p.500.n.53.
Vide Ordinis Minister.

Error. Vide Matrimonii Impedimenta.

Eucharistia.

Hoc Sacramentum cur Eucharistia appelletur. p.238. num.1.
Varia insuper illius nomina declarantur: inter quæ nomen Cœnæ hodie cautè usurpandum. ibid.
Esse verum Sacramentum, sub generalibus terminis fatentur Hæretici. ibid.n.2.
Quî Eucharistia, etsi permanens sit causa gratiæ p.239. num.4.
Cur potiùs cetera Sacramenta semper causent gratiam dum actu sunt, quàm Eucharistia. ibid.
Asseruntur septem insignes figuræ hujus Sacramenti in veteri Testamento contentæ. ibid.n.5.
Quibus utique ipsa Eucharistia est excellentior. ibid. num.6.
Non quâ panis, sed quâ continens Christum. ibidem.

Eucharistiæ Institutio.

Eucharistiam Christus instituit congruè in ultima cœna. p.240.n.7.
Quam celebravit ad primam vesperam lunæ decimæ quintæ Mensis Nisan. ibid.n.8.
Cujus luna decima quarta incidit in æquinoctium vernum, aut illud propriùs sequitur. ibid.
Quo nimirum tempore Christum comedisse agnum paschalem, & secundum legem comedi debuisse, declaratur. ibid.n.9.& 10.
Græci tamen falsò censent Christum anticipatè id fecisse luna decima tertia. p.241.n.11.
Pro quibus varia argumenta adferuntur, & solvuntur. ibid.& n.12. & seqq.
Græcorum sententiâ suppositâ, adhuc non sequeretur Christum consecrasse in fermentato. p.242.n.15.
Luisius Legionensis censuit agnum vi legis fuisse comedendum, adeoque à Christo comestum luna 13. ad secundam vesperam. ibid n.16.
Cujus fundamentum dissolvitur. ibid.
Nonnulli alii censent Christum quidem cœnasse luna 14.

juxta legem; ac ceteros Judæos isto anno postridie, Paschæ pariter ex dispensatione transferendo in Sabbatum. ibid.n.17.
At nullum istius dispensationis vestigium, aut retio, quæ seipsam non evertat. ibid.
Fundamenta aliorum ex Scripturis petita dissolvuntur. ibid.n.18.& p.243.n.19.
Christus instituit Eucharistiam manducato veteri Pascha. ibid.n.20.
Sub finem cœnæ usualis, si quæ fuerit adhibita. ibid.n. num.21.
Idque præsente Juda; cui illam Christus ipse porrexit. ibid.n.22.
Pauci tamen oppositum censent, quibus non favet Scriptura. ibid.n.23.
Judas tempore institutionis Sacramenti necdum fuit detectus. ibid.p.244.
Christus ipse suum Corpus & Sanguinem Sacramentaliter sumpsit; non tamen cum effectu gratiæ. ibid. n.24.
Istius sumptionis congruentia. ibid.

Eucharistiæ Essentia.

Panis & vinum non sunt de intrinseca essentia Eucharistiæ. p.244.n.25.
Verosimiliùs neque verba Consecrationis: etsi sint quid necessariò prærequisitum, uti & Sacerdotium. ibid. & p.245.n.26.
Essentia Eucharistiæ consistit in speciebus consecratis, quatenus ipsa est signum gratiæ subsistentis. ibid.n.27.
At quatenus est signum gratiæ sanctificantis, partim in speciebus, partim in ipso corpore & sanguine Christi. ibid.n.28.& 29.
Species sunt Sacramentum tantùm. ibid.n.30.
Corpus & Sanguis sunt Sacramentum & res. ibid.
Gratia est res, & non Sacramentum. ibid.
An Eucharistiæ nomen connoter in recto ipsas species. ibid n.31.
Sumptio non est de intrinseca essentia Sacramenti Eucharistiæ. p.246.n.32.
Multò minùs ejus essentia principaliter consistit in actuali sumptione. ibid.n.33.
Est ipsum permanenter, & in eò Christus, etiam ante usum. ibid.
Sacramenti Eucharistiæ definitio. ibid.n.34.
Eucharistia ut complectitur species panis & vini, aualiter sit unum Sacramentum. ibid.n.35.
Species panis & vini sunt singulæ seorsim verum Sacrameneum, idque specie partiali diversum. ibidem num.36.
Unde Laici sub una specie sumunt Sacramentum essentialiter integrum in ratione Sacramenti, non convivii. ibid.n.37.
In pluribus Hostiis quo sensu sit Sacramentum unum ut multiplex numero. p.247.n.38.

Eucharistiæ Materia.

Materia ex qua Eucharistiæ est panis & vinum. ibid. num.1.
Quomodo materia consecranda debeat esse præsens. ibid. num.2.
Materia consecranda non debet actu percipi per sensum. p.248.n.4.
Possunt hostiæ consecrari in pixidè clausa. ibid.
Materia nimis remota aut latens post parietem non potest consecrari. ibid.n.5.
Materia debet esse & manere præsens toto tempore Consecrationis. ibid.n.6.
Magnitudo materiæ, quæ parte essentiæ præsentiæ eadem, officit etiam consecrabilitati. ibid.n.7.
Alias sola magnitudo ut sic non obest. ibid.
Nec obstat, quòd sit inconveniens vastam nimis materiam consecrare. ibid.
Consecrabilis est quantumvis exilis materia, modò saltem cum aliis sit sensibilis, alias non. ibid.n.8.
Pars tamen insensibilis, si post consecrationem separetur, manet consecrata. ibid.p.249.
Solus panis triticeus est materia sufficiens hujus Sacramenti. ibid.n.10.
Quam materiam per nomen frumenti intellexerint veteres. ibid.n.11.
De quibusdam generibus frumentorum, an sint substantialiter triticum, controvertitur. ibid.n.12.
Quid servandum in praxi. ibid.
Quid speculativè videatur de siligine, speltâ, & farre. ibid.n.13.
Non sufficit farina triticea, sed illa sic debet coqui, ut sit panis usualis. p.250.n.14.
Debet quoque esse subacta, non melle, butyro, &c. sed aqua naturali. ibid.n.15.
Quid censendum de amylo. ibid.
Validè sit consecratio, tam in pane azymo, quàm fermentato. ibid.n.16.
Prius Græci Schismatici negarunt. ibid.n.17.
Qui etiam supposito eorum falso fundamento, non haberent intentum. ibid.
Falsò etiam contendunt solum fermentatum propriè dici panem. ibid.n.18.
Quilibet sacerdos sive Græcus, sive Latinus tenetur in consecrando se conformare consuetudini suæ Ecclesiæ. p.251.n.19.
Consuetudo Græcorum est congrua, Latinorum congruentior. ibid.n.20.
An necessitas Viatici faciat cessationem hujus consuetudinis cessare. ibid.n.21.
Græci apud Latinos, vel contrà peregrinantes possunt servare ritum suæ Ecclesiæ. ibid.n.22.
Immo juxta nonnullos servare tenentur. ibid.
Oppositum tamen communiùs tradunt Doctores. ibid. num.23.
Si Latinus inter Græcos, aut contrà, domicilium fixisset, deberet Latinus servare ritum Græcorum & contrà. ibid.n.24.
Nisi Latini in terris Græcorum, aut contrà, haberent aliquod templum sui ritûs. ibid.
Solum vinum de vite est valida materia calicis. pag. 252.n.25.
Non tamen succus uvæ adhuc inclusus. ibid.
Indifferens est cujus speciei aut coloris vinum sit, dummodo verum. ibid.n.26.
Quid censendum de vino acescente. ibid.
Cautela pro praxi. ibid.
Mustum validè, sed extrà necessitatem illicitè consecratur. ibid.n.27.
Cautela pro praxi. ibid.
Etiam vinum congelatum validè, sed non sine gravi peccato consecratur. p.252.n.28.& 29.
Si ante consecrationem liquefiat, etiam licitè. ibidem p.253.
An tunc consultò aliud adhibendum. ibid.

potius vinum congelatum & valida materia consecrationis, quàm aqua congelata Baptismi. ibid. n.30.
vinum congelatum est per se sufficienter potabile. ibid.
quod est de succo uvis incluso. ibid.
quod de vino offæ imbibito. ibid.n.31.
quod si gutta vini in uva reperatur. ibid.n.32.
quod consendum de vino in vapores resoluto. ibid.
consecrando aqua est miscenda. p.253.n.33.
an tamen necessarii necessitate Sacramenti; nec præcepti divini, sed tantum Ecclesiæ. p.254.num.34. & seq.
ratio movetur de mente Cypriani, & solvitur. ibid. n. 36 usque ad 39.
culpabiliter mixtionem aquæ omittens graviter peccat. p.255.n.39.
aqua modicissima adhibenda est, & quare. ibid.n.40.
modicitas quomodo determinanda. ibid.
non sufficit, quod aqua sit mixta vino in dolio. ibid. in fine.
aqua mixta vino non transit in phlegma, quod de latere Christi effluxerit. ibid.n.41.
vinum in veram aquam, quæ de latere Christi manavit. ibid.
aqua non transit immediatè in sanguinem, sed prius convertitur in vinum. ibid.n.42.
contra fundamentis oppositæ sententiæ ex auctoritate petitis. p.257.n.47. & seqq.
contra petitis ex ratione & experientiâ. ibid.n.50. & p.258.n.51. & seqq.
quæ inchoatis verbis formæ in vinum conversa non converterentur in sanguinem. p.259.n.56.
consecratio utriusque speciei non est de necessitate Sacramenti. ibid.n.57.
sit tamen præcepti Ecclesiastici, & divini. ibidem & num.58.
quod nequidem ad communicandum infirmum licet infringere. ibid.n.59.
obstat tamen in casu physicæ aut moralis impotentiæ supervenientis. ibid.
nisi illud probabilius non cadit dispensatio Pontificis. ibid. num.60.
quæ quam attentavit Innocentius VIII. p.260.n.61.
in casu illud præceptum posset ex quadam Epykia cessare. ibid.

Eucharistiæ Forma.

Assignatur essentialis forma consecrationis utriusque speciei. ibid.n.62.
quidam Catholici aliquando putarunt Christum consecrasse sine verbis. ibid.n.63.
his verbis quidem, sed nobis ignotis. ibid.
oppositum tamen est indubitatum. ibid.n.64.
contra fundamentis alterius sententiæ. p.261.n.65.
in ly Benedixit sit idem quod Consecravit. ibid.
error quorundam recentiorum Græcorum refertur, & refellitur. ibid.n.66.
cur Græci post verba Christi addant quædam deprecatoria, Catholicè exponitur. ibid.n.67.
in verbis Qui pridie &c. sint necessaria; & quid de iis censeat Scotus. ibid.n.68.
ostenditur consecrationi panis non esse essentialia hæc verba: Quod pro vobis datur. p.262.n.69.
nec consecrationi calicis hæc: Novi & æterni Testamenti &c. ibid.n.70.
Immo nec sunt de substantia, seu integritate. ibid.n.69. & 71.
Esse tamen absolutè potuissent, Deo volente, etiam de essentia. ibid.n.72.
Cur hujusmodi additio sit potiùs retenta à Latinis in consecratione calicis, quàm panis. ibid.
Adhibita fuit ab ipso Christo: & quid significet. ibid.
Verba consecrationis debent proferri, & recitativè & assertivè. pag.263.n.74.
Quid sit recitativè, quid assertivè aliquid proferri, & quæ inter hæc differentia. ibid.n.73.
Eandem orationem sic posse proferri, declaratur. ibid. num.75.
Sola prolatio assertiva requiritur ad valorem. ibid. num.76.
An, vel quæ verba formam antecedentia significativè proferantur. ibid.
Quomodò verba à Latinis in forma calicis, & à Græcis etiam in forma panis addi solita, proferantur. ibid. num.77.
Pronomen hic & hoc non demonstrant panem & vinum. p.264.n.78.
Possunt sumi illa pronomina vel adjectivè, vel substantivè. ibid. & n.79.
Quis sensus formæ, si sumantur adjectivè: quis, si substantivè. ibid.
Satisfit objectioni contra sensum posteriorem motæ. ibidem.
Verbum est significat identitatem, estque ipsi formæ essentiale. ibid.n.80.
Conjunctio enim ad quid deserviat; & quale sit peccatum illam omittere. ibid.
Quid significent, ly Corpus & Sanguis. p.264. num.81.
An & quomodo loco vocis, corpus possit substitui ly caro ibid.
Perinde est quoad sensum, sive dicatur sanguis, sive calix sanguinis. ibid.n.82.
Forma calicis apud Lucam & Paulum non differt ab usitata quoad substantiam. ibid.p.265.
Quid importet ly meus sive meum. ibid.
An formæ consecrationi operentur ut veræ, an ut significativæ. ibid.n.83.
Pro quo instanti significent ex vi sermonis corpus & sanguinem esse. ibid.n.84.

Eucharisticæ Christi præsentia.

Christo Eucharistiam promittenti, primò obloquuti sunt quidam discipuli. Joan.6. p.265.n.1.
Inter quos fuit Judas Sacramentariorum Dux. ibid.
Nemo ex antiquis hæreticis, saltem primis sexcentis annis, legitur Eucharistiam impugnasse. p.266.n.2.
De Eucharistia malè locuti sunt iconomachi. ibid.n.3.
An ii de re ipsa rectè senserint. ibid.
De Eucharistia non rectè sensit quidam Joannes Scotus, non ille Doctor Subtilis. ibid.
Diuque post hunc Berengarius vulgò habitus Sacramentariorum auctor, qui sæpius damnatus & relapsus tandem serio resipuit. ibid.n.4.
Post hunc alii, & qui. ibid.n.5.
At veram Christi præsentiam in Eucharistia asserit veritas Catholica. ibid.n.6.
Quæ probatur ex Joan.6. ibid. & n. seqq.
Exponitur illud Augustini: Crede, & manducasti. p.267.n.9.

Item illud Ioan. 6. Caro non prodest quidquam. ibid.n.10.
Probatur potissimùm ex verbis consecrationis, refutatur variis ac detortis Sectariorum expositionibus. ibid. n.11.& p.268.n.12.& 13.
Idem pulchrè confirmatur ex 1. ad Cor 11. ibid. num.14.
Et ex 1. ad Cor. 10. ibid.n.15.
Probatur itidem ex traditione & consensu Patrum, signanter Augustini, cujus præclara testimonia ponderantur. p.269.n.16.& seqq.
Accedunt miracula & congruentiæ. pag.270.num.20. & 21.
Objectiones hæreticorum solvuntur. ibidem num.22. & seqq.
Cur Eucharistia, interdum vocetur panis. ibidem pag.271.
Summarium rationum firmissimè credendi Mysterio Eucharistiæ. p.272.n.29.
Lutherani asserunt impanationem, id est, panem & vinum simul manere cum corpore Christi. pag.273. num 30.
At veritas Catholica, variè probata habet, substantiam panis & vini converti in corpus & sanguinem Christi. ibid. & n.31.
Objectiones Lutheranorum proponuntur & solvuntur. ibid.n.32.
Quo sensu quidam Veteres dixerint manere naturam panis. ibid.
Varii errores, etiam nonnullorum aliàs Catholicorum, in hac materia recensentur & refelluntur. ibid.n.33.
An substantia panis & vini desinat per annihilationem. p.274.n.34.
An & quo sensu verificari posset propositio: Hoc est corpus meum, *non destructâ substantiâ panis.* ibid.n.35.
In Eucharistia sub qualibet specie est totus Christus, secundùm substantiam ejus corpori & sanguini unitam in cælo. p.275.n.37.
Immo & secundùm accidentia absoluta à loco, v.g. scientiam, gratiam, gloriam &c. ibid.n.38.
Ex vi verborum ponitur sub specie panis corpus, sub specie vini sanguis: cetera per concomitantiam. ibid.n.39.
Unde Divinitas adest per concomitantiam, immo tota Trinitas. ibid.n.40.
Nomine corporis hîc intelligitur compositum ex materia prima & forma substantiali corporeitatis. p.276. num.41.
Variæ aliorum opiniones refutantur. ibidem num.42. & 43.
Quid hîc intelligatur nomine sanguinis. ibid.n.44.
Ipsa unio hypostatica non ponitur sub speciebus vi verborum. ibid.n.45.
Prout nec vi illorum adest subsistentia Verbi. ibid p.277.
Post divisionem specierum est Christus totus sub quavis particula specierum. ibid.n.46.
Immo etiam ante divisionem. ibid.n.47.
Cur potiùs spiritui repugnet existere modo quantitative, quàm corpori modo spirituali. ibid.n.48.
An Christus sit præsens sub indivisibilibus. ibid.n.49. & p.278.n.50.& seqq.
Christus non est in Sacramento tamquàm locatum in loco. ibid.n.53.
Non intercedit inter ipsum & species unio formalis. ibid. num.54.
Non intercedit unio effectiva. p.279.n.56.
Fit Christus formaliter præsens in Sacramento per veram præsentiam ad species. ibid.n.57.
Non ad locum in quo sunt species; et falsò imponitur Scoto. ibid.
Quid rei sit hæc præsentia Sacramentalis. ibid.
An præsentia Christi sub speciebus sit definitiva. ibidem num.58.
Præsentia Sacramentalis ex natura rei non dependet naturali. p.280.n.59.
Sed de facto sic dependet ex divina ordinatione. ibidem num.60.
Quorumdam probatio satis vulgata, an sit solida. ibid. num.61.
An in triduo mortis potuisset validè fieri consecratio. ibid.
Christi, prout est in Eucharistia, Actio & Passio.
Quæ operationes Christi in cælo sint concomitanter in Sacramento quæ non. p.280.n.62.
Christus ut in Sacramento potest independenter à phantasmate intelligere & velle, adeoque intueri quæ extra se fiunt. ibid.n.63.
Non potest naturaliter oculo corporali aut alio sensu externo quidquam percipere. p.281.n.64.
Immo neque sensu interno seu phantasiâ. ibid.
In his tamen nulla est implicantia. ibid.n.65.
Christus quoad in Sacramento nequit progredi, sed movetur non organicè. ibid n.66.
Qualiter moveatur à movente species. ibid.
A quo causetur physicè motus proprius ipsius Corporis Christi. ibid.n.67.& seq.
Corpus Christi, prout in Eucharistia, non potest naturaliter alterari à corporibus vicinis; probabiliter nec tradem alterare: etsi postremum valde probabiliter ex illum proveniat ex subtractione divini concursus. p.282. n.69.& seq.
Christus positus in Eucharistia nequit oculo corporeo videri naturaliter. ibid.n.71.
Potest supernaturaliter. ibid.n.72.
Creditur, & à Beatis videtur per intellectum supernaturaliter. p.283.n.73.
Nequit tamen illum ibi clarè cognoscere viribus naturæ tellectus sensibus alligatus. ibid.
Intellectus sensibus alligatus potest corpus Christi esse in Sacramento cognoscere naturaliter, sed abstractivè & confusè. ibid.n.74.
Independens autem à sensibus videre, etiam naturaliter potest, tum animam, tum corpus; immo & ipsam præsentiam Eucharisticam, quantumvis supernaturalem. ibid.

Eucharistica Transsubstantiatio.

Christus ponitur in Sacramento per veram transsubstantiationem. ibid.n.75.
In quo formaliter transsubstantiatio consistat, & quæ actiones in illa necessariò intercedant. ibid.n.76.& seq.
Actio productiva Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia eadem cum illa, quâ conservatur in cælo. p.284.n.78.
Objectiones solvuntur. ibid.n.79.& p.285.n.80.
Pariformitatem per omnia inter hanc & conversiones naturales non esse urgendam, evidenter ostenditur. ibid. num.82.

...ia, qua mediante fit transsubstantiatio, in quo differat à motu locali. ibid.n.83.& seq.

...conversionem explicandi per actionem productivam, ...ea non novam, allegatur. p.286.n.85.

...ratio hujus conversionis. ibid.

...sint modi proprii loquendi de hac conversione, & qui modi improprii. ibid.n.87.

Eucharistiæ Cultus.

...Eucharistiæ debetur cultus Latriæ. ibid.n.88.

...erani diversimodè circa cultum Eucharistiæ errant, ...ongientes saltem in hoc, quòd ei extra usum non ...beatur cultus. p.287.n.89.

...ntiani in ipso usu quidam ei cultum ineptè denegant, ...os specialiter refelluntur. ibid.

...rantium mendaciter traducere Catholicorum doctrinam ...enditur. ibid.n.90.

...us Eucharistiæ rectè adhibetur in delatione ad infir...os, & Processionibus sanctè & rationabiliter insti...tis. ibid.n.91.

...modi Processionum typus & exemplum multiplex in ...cris Testamento reperitur: immo circa ipsum Chri...tum Passioni appropinquantem. ibid.n.92.

...ssionum antiquitas. ibid.p.288.

...ùd quando præsentium adorandi Eucharistiam obliget. ibid.n.93.

...gulariter adoranda sine conditione. ibid.n.94.

...ubiter fundatur hæc adoratio in judicio & certitudine ...dei. ibid.

Eucharistica Accidentia.

...nent in Eucharistia accidentia sensibilia panis & vini. p.289.n.1.

...dem cujusdam circa hæc reproba doctrina. ibid.

...ntia Cartesii, eadem quæ Wicleffi, confunditur, & effu...gia præcluduntur. ibid. à n. 2. usque ad 6.

...modo catholici philosophi salvâ fide dissentiant de di...stinctione quâdam qualitatum à substantia. p.290. num.5.

...sultis accidentibus non vanescant, etsi non ita constet, ...tendum tamen quod sic: uti manent relationes & ...dos ipsarum specierum ibid.n.6.

...dentia relativa & modalia, quæ immediatè sub...stantiam panis & vini afficiunt, infallibiliter pereunt. ibid.

...dentia post consecrationem remanentia sunt extra sub...jectum, scilicet substantiale seu ultimatum; quod esse ...entiæ de mente Concilii Constantiensis declaratur. ibid.n.7. & seq.p.291.

...ne species sint in subjecto accidentali, puta quantitate, in...trum. ibid.n.9.

...dentia in Sacramento existunt sine modo positivo eis ...superaddito, sustentata à Deo per specialem concursum. ibid.n.10. & seq.

...aliter possit Deus supplere causalitatem causæ materia...lis. ibid.n.11.

...dentia possunt in Sacramento agere eadem, quæ extrà. p.292.n.12.

...dentia distemperata ad statum naturalem reducuntur à Deo. ibid.

...centur localiter, alterantur, etiam naturaliter, si qua...litates in quantitate subjectentur ibid.n.13.

...eterea frangantur, miscentur &c. ibid.n.14.

...in termini denuò resultantes creentur. ibid.

...Qualiter species condensentur aut rarefiant. ibidem num.15.

Eucharisticarum Specierum Corruptio, Christi Apparitio.

Species Eucharisticæ corrumpuntur, utì dum insunt propriæ substantiæ. p.293.n.16.

At si non sint in quantitate, annihilantur. ibid.

Quando sic alterantur, ut desineret sub iis substantia panis aut vini, nec citiùs desinit sub iis esse Christus. ibid.n.17.

Gutta consecrata in dolium vini missa consecrationem non amittit. ibid.n.18.

Quid tali casu agendum. ibid.

Quo post consecrationem transmutatur à speciebus consecratis, non fit consecratum. ibid.n.19.

An species manerent consecratæ, si transmutarentur in species vini specie diversi. ibid.n.20.

Corruptis speciebus nova generatur substantia, ac si non præcessisset consecratio ex materia de novo à Deo creata, verosimiliùs eâdem, quæ priùs fuerat per consecrationem destructa. p.294.n.21. & seqq.

Formam producit agens idem, quod illam secluso consecratione produxisset. ibid.n.23.

Varia adseruntur judicia, quanto tempore indigeant species Eucharisticæ, ut in ventriculo corrumpantur. ibid.n.24.

Judicium Pluripei. ibid.p.295.

Consilium Salubre. ibid.

Ob quas causas fiant mutationes miraculosæ circa species Eucharisticas. ibid.n.25.

Mutationes illæ quandoque sunt veræ, quandoque apparentes. ibid.

Judicia utrarumque. ibid.

Sive mutationes sint reales, sive non, possibile est, ut Christus in illis semetipsum exhibeat videndum in propria persona. ibid.n.26.

Verum interdum hoc modo se exhibeat. ibid. & n.27.

Christus non obstantibus hujusmodi mutationibus manet in Sacramento, quando species non sic mutantur, quin sub similibus naturaliter adhuc maneret panis & vinum. p.296.n.28.

Quid agendum Sacrificanti in hujusmodi apparitionibus. ibid.n.29.

Eucharistiæ Minister.

Solus Sacerdos ritè ordinatus validè conficit Eucharistiam. p.296.n.1.& seqq.

Quomodo Sacerdos, etiam hæreticus, degradatus &c. validè consecrare noteſt. p.297.n.4.

Quo sensu Sancti interdum dicant Sacerdotum hæreticorum, degradatorum &c. consecrationes esse irritas seu non ratas ibid.

Censurâ impediti conficiendo Eucharistiam speciale peccatum committunt. ibid.n.5.

Extra statum gratiæ constituti peccant, tum conficiendo, tum sumendo. ibid.p.298.

Qualiter id confitendum. ibid.

Sacerdotibus dedit Deus ordinariam potestatem distribuendi Eucharistiam ibid.n.6.

Non inhibuit Deus distributionem aliis committi ibid.n.7.

Prout olim committebatur Diaconis, tum Sanguinis, tum etiam Corporis dispensatio. Quibus tamen neutra competebat ex officio. ibid.

Olim commissio ista frequenter esse solebat, quæ nunc est insueta. ibid.n.8.

Commissio hæc non prærequirit necessitatem valdè gravem. ibid.

Inferioribus Diacono nequit ea commissio dari. pag.299. num.9.
Excipitur tamen à pluribus periculum mortis. ibid.
Sacerdos laicalem communionem potest sibimet ministrare in necessitate. ibid.n.10.
An etiam necessitas ad hoc requiratur, aut qualis. ibidem.
Diaconus (fortè & alii) potest etiam se ipsum in casu gravissimæ necessitatis communicare. ibid. & num.11.
Potest Sacerdos partem hostiæ suæ dare communicare volenti, si sit rationabilis aliqua causa. pag.299. num.12.
Quæ censeatur ad hoc causa sufficiens. ibid. 300.
Parochus obligatur Eucharistiam ministrare quoties rationabiliter tam subditi petunt, aliàs non. ibid. num.13.
An obligetur Parochus tempore pestis cum periculo vitæ hoc Sacramentum ministrare. ibid.
An possit Parochus se periculo subducere, tunc renunciando officio. ibid.
Requiritur in ministro Eucharistiæ jurisdictio ordinaria, vel eam habentis licentia. ibid.n.14.
Quæ sufficit rationabiliter præsumpta. ibid.n.15.
Cur potiùs ista sufficiat ad ministrandum Eucharistiam, quàm Sacramentum pœnitentiæ. ibid.
Ex privilegiis Pontificum possunt Mendicantes Eucharistiam ministrare omni tempore & loco. pag.301. num.16.
Excipitur tamen dies Paschæ seu Communio Paschalis & Viaticum morientium. ibid.n.17. & 18. & p.302.n.19.
In defectu Parochi potest alius etiam Regularis dare Viaticum & Communionem Paschalem. ibidem num.20.

Eucharistiæ Sumptio, Præceptum.

Sumptio Eucharistiæ non est parvulis necessarium medium ad salutem. p.302.n.1.
Immo nec adultis sive in re, sive in voto. ibid.n.2.
Verba Christi Joan. 6. Nisi manducaveritis &c. *explicantur.* ibid.n.3.
Mens S. Augustini indagatur. p.303.n.4 & 5.
Usus antiquus parvulis dandi Eucharistiam non probat faciendi necessitatem. ibid.
Sumptio non est de essentia Eucharistiæ. p.246.n.22.
Est præceptum divinum sumendi Eucharistiam. p.303. num.6.
Hoc præceptum obligat omnes adultos baptizatos. p.304. num.7.
Immo etiam non baptizatos, ut plurimi volunt; sed non satis probant. ibid.& n.8.
Non obligat præceptum divinum parvulos, aut perpetuò amentes ad sumptionem Eucharistiæ. ibid. num.9.
Ecclesia congruè non sinit hodie Eucharistiam ministrari parvulis. ibid.
Eucharistia parvulis olim ministrata conferebat, hodie non conferret illis gratiæ augmentum. ibid.
Usus antiquus non fuit fundatus in errore. ibid.n.10.
Qualiter prohibitio Ecclesiæ non valeat impedire effectum gratiæ, si Eucharistia nunc daretur parvulis. ibid. pag.305.
Rationes in contrarium à nonnullis in Concilio Tridentino ponderatæ refelluntur. ibid.n.11.
An infans hostiam casu repertam comedens accipiat gratiam. ibid.n.12.
An idem sit de justo adulto. ibid.n.13.
Adultis, lapsis dein in phrenesin, dandum est Viaticum, absit periculum irreverentiæ. p.306.n.14.
Quid de semifatuis. ibid.
Energumenis dari potest communio, etiam frequentius, de prudenti arbitrium Sacerdotis. ibid.n.15.
Quando dari possit mutis & surdis à nativitate. ibid. num.16.
Cæteris doli capacibus, & hunc cibum à profano discernere valentibus, danda est in articulo mortis communio, etsi aliàs non communicaverint. ibid.n.17.
Probabiliter obligat præceptum divinum per se in articulo mortis, forte etiam sæpiùs in vita. p.307.n.18.
Neutrum tamen efficaciter probatur. ibid.n.19.
Unde probabiliter satisfit præcepto divino per unicam communionem. ibid.
Non licet ex jure Ecclesiastico sæpiùs unâ die communicare. ibid.n.20.
Quâvis diei horâ licet communicare laico, aut etiam Sacerdoti non laicali. ibid.
Quotidiana Communio per se utilis est. ibid.n.21.
Per accidens ordinariùm non est omnibus justis passim suadenda. p.308.n.22.
Singularis doctrina circa hoc punctum rejicitur. ibid. n.n.23.
Receptæ apud Sanctos & in praxi doctrinæ non obstat Tridentinum, nec Declaratio Cardinalium. ibid.n.24. & seq.
Errores circa Communionem laicalem sub utraque specie recensentur. p.309.n.26. ibid.
Veritas Catholica negans adstruitur. ibid.
Usus calicis Laicis justissimè interdictus. ibid.n.27.
Sumptionem utriusque speciei non esse à Christo præceptam, variè probatur. ibid.n.28. & seqq.
Objectionibus Hæreticorum satisfit. pag.310.num.3. & seqq.
Semel in anno obligantur omnes, qui ad annos discretionis pervenerunt, sumere Eucharistiam ex præcepto Ecclesiæ. p.311.n.36.
Quandonam parvuli sint censendi pervenisse ad annos discretionis quoad annuam Communionem. ibidem num.37.
An citiùs pueri teneantur ad annuam Confessionem, quàm Communionem. ibid.
Quid intelligatur per Pascha. p.312.n.38.
Dilatio Communionis Paschalis relinquitur rationabili arbitrio Parochi aut Confessarii. ibid.
Communio Paschalis est facienda in Parochia, nisi adsit consensus, saltem rationabiliter præsumptus, Parochi. ibid.n.39.
Circumfertur quoad Communionem Paschalem quidam Regularium privilegium, quod omnino non est practicandum. ibid.n.40.
Sacerdotes & quidam alii possunt satisfacere præcepto Ecclesiastico extra Parochiam. ibid.n.41.
Satisfit quoque præcepto Ecclesiastico per Communionem sacrilegam: immo etiam præcepto divino affirmativo communicandi. ibid.n.42. & seq.
An vel quo sensu præcipiat Ecclesia Eucharistiam sumi reverenter. p.313.n.43.
An qui in Paschate communicare neglexerit, teneatur ad hoc quàm primùm communicare. ibid.n.44.

Sa-

tentia affirmativa proponitur cum judicio ac eodem in ordine ad praxim. ibid.
tentia negativa præfertur. ibid.n.45 & seqq.
ge tatem Ecclesiastico obligantur fideles sumere Viaticum, quantumvis eodem anno in Paschate communicassent. p.314.n.48.
quiter sit computandus mortis articulus. ibid.
qui sanus existens communicavit, teneatur rursum communicare, si statim in morbum gravem incidat. ibid.n.49.
ligus certamen periculosum adituri, damnati ad mortem rei, tenentur sumere Viaticum. ibid.n.50.

Dispositio ad sumptionem Eucharistiæ prærequisita ex parte corporis.

communioni prærequiritur ex præcepto Ecclesiæ Iejunium, idque naturale, inito computu à media nocte. ibid. n.51. & p.315.n.52.
an requiritur intermedius somnus. ibid.
annex post Communionem liceat fuere. ibid.n.53.
horologia sonent inæqualiter, liceat sequi tardius. ibid.n.54.
quid se habeat, aut sumatur instar cibi & potus. ibid. num.55.
si minimum fuerit, quod sumitur, mortale est postea communicare. ibid. & n. seq.
quid de reliquis censendum, quæ inter dentes hærent. p.316.n.57.
quid de Papyro, frusto plumbi &c. ibid.
quid de trajectione salivæ, sanguinis, aquæ aut liquoris insalivæ seu mixtim transeuntis. ibid.n.58.
quid v.g. respiratione attracta, quæ exspui nequeat, non obest jejunio naturali. ibid.
quid de jejunio an possit communicare. ibid.n.59.
pollutarum practicum. p.317.n.60.
quando constitutus in articulo mortis possit non jejunus communicare. ibid.n.61.
infirmus possit in eadem infirmitate, mutato statu morbi, vel eodem perseverante, non jejunus Eucharistiam sumere. ibid.n.62.
quando non jejunus nequeat celebrare ad communicandum infirmum aliquem sine Viatico moriturum; ità nec eidem licet ob id celebrare sine sacris vestibus, aut in fermentato. ibid.n.63.
quæ casus quibus excusatur quis à jejunio in sumptione Eucharistiæ. ibid.n.64 & seqq.
quæ dispositio præter jejunium ex parte corporis non requiratur. p.318.n.67.
cautela pro infirmis in periculo vomitus. ibid.n.68.
quid vel qualiter requiratur, ut non præcesserit pollutio, vel actus debiti conjugalis. ibid.

Dispositio prærequisita ex parte animæ.

ad sumptionem Eucharistiæ prærequiritur status gratiæ, etiam regulariter loquendo in ordine ad consequendum effectum. p.319.n.69.
quam grave sit peccatum indignè sumere. ibid.n.70.
quibus peccati mortalis teneatur præmittere confessionem. ibid.n.71.
quid hic expenditur. ibid.n.72.& seqq.
de peccatum oblitum in confessione iam ritè institutâ, teneatur quis confiteri ante communionem. p.320.n.75. & seq.
si quis indirectè absolutus non posset ante communionem confiteri peccatum oblitum, non teneretur quoque de eo monteri. ibid.n.77.
Præceptum confessionis præmittendæ cessat in necessitate communicandi iunctâ inopiâ Confessarii p.321.n.78.
Casus in quibus est communicandi aut celebrandi necessitas. ibid.
Non excusat à præmittenda confessione singularis devotio erga Communionem, uti nec celebritas festi vel indulgentiæ. ibid.n.79.
Quid de præcepto annuæ Communionis, aut de obligatione audiendi Missam censendum. ibid.
Quando censeatur deesse copia Confessarii. ibid.n.80.
Explicatur præceptum Ecclesiasticum quàm primùm constituendi postea latum à Tridentino ac respiciens Sacerdotes. ibid.n.81.
Explicatio quorumdam damnata ab Alexandro VII. ibid. pag.322.
In sumptione Eucharistiæ requiritur interna devotio: non tamen ad effectum. ibid.n.82. & 83.

Eucharistiæ Effectus.

Eucharistia confert augmentum gratiæ. p.323.n.1.
Eucharistia cavet mortalia, & delet venialia. ibid & n.n. seqq.
Cur suadeatur prævia expurgatio venialium, si hæc per Eucharistiam deleantur. ibid.n.4.
Qualiter Eucharistia præservet à mortalibus. ibid.n.5.
Eucharistia confert gratias actuales, & omnem spiritualem effectum, quem cibus corporalis quoad corpus. ibid.n.6. & seqq.
Eucharistia est pignus futuræ gloriæ, & causa resurrectionis ac immortalitatis corporum. p.324.n.9 & seq.
An resurrectio & immortalitas debeatur titulo speciali iis, qui in hac vita communicarunt. ibid.
Eucharistia minuit fomitem concupiscentiæ seu passiones. ibid.n.11.
Duodecim effectus ex Richardo à Media villa breviter recapitulantur. p.325.n.12.
An communicans accipiat cum corpore Christi specialem unionem corporalem. ibid.n.13.
Effectus Eucharistiæ quà Sacramenti non sunt alteri communicabiles. ibid.n.14.
Quid prosit communio alteri applicata. ibid.
Quandonam Eucharistia conferat gratiæ augmentum. ibid.n.15.& seqq.
Indispositus, si durante successivâ specierum sumptione disponatur, recipiet effectum Eucharistiæ: prout etiam crescezet effectus, crescente interim dispositione. p.326.n.18.
Post sumptionem Eucharistiæ non est locus augendæ gratiæ vi Sacramenti. ibid.n.19.
Quid si speciebus necdum corruptis in stomacho crescat dispositio. ibid.n.20.
Christus sub unica specie tantùm reficit, quantùm sub duplici. p.327.n.21.& seqq.
Confortatio corpori, lætificatio sanguini per accommodationem adscribitur; ipse tamen panis Eucharisticus etiam lætificat & inebriat. p.328.n.25.
Usus calicis concessus ex privilegio ad maius gratiæ augmentum quo sensu. ibid.
Non refert, quòd modus significandi sit perfectior in utraque specie. ibid.n.26.
Nec refert, quòd singulæ species non significent totum Christum vi verborum. ibid.n.27.
Non est inconveniens speciem posteriùs sumptam ordinariè non conferre gratiam, quæ confertur statim, sive sequatur sumptio secundæ speciei, sive non. ibid.n.28.& p.329. num.29.

Examinatur doctrina Dicastillo putantis, quòd species ambæ simul sumptæ unicum, successivè sumptæ duplicem conferant gratiam. ibid.n.36.

Eutiches.

Refertur error Eutichetis statuentis in Christo unicam naturam. p.8.n.26.

Figmentum Eutichianorum de confusione naturarum implicat. p.9.n.29.

Eorumdem objectiones solvuntur. p.10.n.30.

Exheredare.

An proles insciis aut invitis parentibus contrahentes Matrimonium, possint exheredari. p.543.n.9.

Quid de hoc statutum per Principes Belgii. ibid.

Exorcismus.

Vis exorcismorum contra Dæmones. pag.153.n.87. & 89.

Expositi.

Qualiter procedendum sit cum infantibus expositis in ordine ad Baptismum. p.201.n.46.

Extrema Unctio.

Extremam Unctionem non esse Sacramentum contendunt Hæretici. p.482.n.1.

Veritas Catholica docet esse propriè Sacramentum. ibid.

Eadem probatur ex Scriptura, Patribus & congruentiâ. ibid. à n.2. usquè ad 8.

Quo tempore Christus hoc Sacramentum instituerit. p.483.n.8.

Descriptio hujus Sacramenti. ibid.n.9.

Materia remota est oleum olivæ. ibid.n.10.

Quod simpliciter censetur nomine olei. ibid.

Ei nil miscendum, ne quidem Balsamum. ibid.

Non quævis tamen mixtio officeret valori. ibid.

An Chrisma Confirmationis sit apta hujus Sacramenti materia, aut olim adhibita. p.484.n.11.

Benedictio de necessitate Sacramenti requiritur. ibid. num.12.

Eaque Episcopalis. ibid.n.13.

Sufficere tamen ex commissione pontificia datam à simplici Sacerdote, ostenditur. ibid.n.14.

Quis mos Græcorum quoad benedictionem Olei p.485. num.15.

Quotannis est in Cœna Domini renovandum. ibid. num.16.

Quando & qualis sit obligatio non utendi veteri. ibid.

Qualiter benedicto misceri queat non benedictum. ibid.

Materia proxima est Unctio. ibid.n.17.

Quæ olei quantitas Unctioni sufficiat. ibid.

Non est de essentia, nec graviter præceptum, quod fiat in modum crucis. ibid.n.18.

An possit adhiberi mediante virgulâ. ibid.

Quæ membra sint inungenda juxta Florentinum. ibid.n.19.

Non omnes unctiones à Florentino assignatæ sunt de essentia. ibid.

Quid de unctione renum præscribat Rituale Romanum, quid Pastorale Mechliniense. ibid.

Organa quinque sensuum de necessitate præcepti sunt inungenda, modo hominibus accomodato. pag.485. num.20.

Qualiter agendum, ubi organum est duplex. ibid.p.486.

Quis ordo inter partes servandus. ibid.

Quid agendum, si organum, aut membrum inungendum desiciat. ibid.

An Unctiones quinque sensuum non formis correspondentibus sint de necessitate Sacramenti. ibid.n.21. & 22.

Quid servandum in praxi. ibid.

Forma hujus Sacramenti assignatur. ibid.n.23.

Quæ forma Græcorum. p.487.n.24.

An formæ necessariò debeat esse deprecatoria. ibid.n.25. & 26.

Nonnullæ aliæ formæ allegantur. ibid.

Extremæ Unctionis Minister.

Solus Sacerdos est validus minister extremæ Unctionis. p.487.n.27.

Quis licitè Unctionem administret. p.488.n.28.

Explicatur excommunicatio lata contra Religiosos præsumentes illam ministrare Clericis, aut Laicis sine debita licentia. ibid.n.29.

Si Pastor non queat, aut nolit ministrare, vel alteri licentiam dare, fas erit alteri, etiam Religioso, Unctionem ministrare. ibid.n.30.

Privilegia Regularium in hac materia. ibid.

Quando teneatur Pastor hoc Sacramentum ministrare. ibid.n.31.

Debet ipsum ministrari per unum Sacerdotem. ibid. num.32.

Quando tamen congruum sit adesse plures, qui preces conjungant. ibid.p.489.

Discutitur mos hodiernus Græcorum. ibid.n.33.

An in necessitate conferri possit à pluribus partialiter concurrentibus, & successivè. ibid.n.34.

Aut etiam simul. ibid.

Extremæ Unctionis Subjectum.

Nequit hoc Sacramentum conferri mortuis, vel non baptizatis. ibid.n.35.

Decet ei præmitti Confessionem & communionem. ibid.

An olim Communio præmitti solita. ibid.

Illius incapaces, sunt infantes & perpetuò amentes. ibid.n.36.

Secùs, si aliquando usi sint ratione. ibid.n.37.

Aut si pueri sint capaces confessionis, ac peccati mortalis. p.490.n.28.

Horum tamen parentes non cogendi sunt ad exemplum more adultorum, ex præscripto Pastoralis Mechliniensis. ibid.

An requiratur, ut inungendus peccaverit actualiter, & consequenter an Deipara fuerit inuncta. ibid. num.39.

Inungendus debet esse infirmus; & quidem graviter. ibid.n.40.

Dandum nihilominus est Sacramentum extremæ Unctionis deficientibus præviero sensu; non autem sanis in completu, aut per sententiam occidendis. ibid.

Non convenit expectari extremum periculum. ibid. num.41.

Quando sit potiùs conferendum. ibid.

Abusus multorum meritò extirpandus. ibid.

Peste laborantibus statim expedit ministrari. pag.491.

Quidam Recentiores Græci autumant sanos esse capaces; quibus videtur favere Euchologium Græcorum. ibid.n.42.

Quod tamen explicatur, utì & mos non satis probandus Græcorum. ibid.

Alius

Eorumdem ritus refertur; & ab Arcudio excusatur. ibid.

An ad valorem sufficiat morbus non periculosus, dummodo sit gravis. ibid.n.43.& 44.

Extremæ Unctionis Effectus, Iterabilitas, Obligatio.

Effectus recensentur ipsis Tridentini verbis. ibid. num.45.

Qualiter remittat Viatico mortalia aut venialia. p.492. num.46.

Remittit pœnas temporales, excitat fiduciam, dat robur contra infestationes dæmonis. ibid.n.47.

Restituit sanitatem; sed non infaxibiliter, quando expedit animæ saluti, discutitur. ibid.n.48.

Hoc Sacramentum iterabile. ibid.n.49.

Recipiendum tamen valide in eodem periculo. ibid.

Conclusio desumpta ex usu Græcorum, & Libro Sacramentorum S. Gregorii dissolvitur. p.493.n.50.

Qualiter sufficiat cessasse prius, & adesse novum periculum. ibid.n.51.

An periculo pristino accedat novum disparatum. ibid. num.52.

Non est gravis obligatio suscipiendi hoc Sacramentum. ibid.n.53.

Absque scandalo & contemptu. ibid.n.54.

Quam esse mortalem expressit Tridentinum, non satis ponderatum à Suario. ibid.p.494.

Qui potest à veniali excusari, non suscipiens, dum facilè potest. ibid.

F.

Farina.

Farina triticea, etsi aquâ subacta, sed non cocta igni, non est sufficiens materia Eucharistiæ. p.250. num.14.

Felix & Elipandus.

Felix & Elipandus hæresissimè Nestoriani fuerunt, potiam adoptionem in Christo statuentes, eiusque peridiam prædicentes cum Nestorio. p.27.n.113.& p.28. num.119.

Femina.

An & qualiter in casu gravissimæ necessitatis possit femina sibi ipsi ministrare Eucharistiam. pag.299. num.11.

Est ne hæc ex sacramento Ordinis. p.510.n.68.

Quæ fuerint dictæ Diaconissæ, quodque earumdem officium. ibid.n.69.

An non possit ministrare sacro. p.361.n.153.

Quid censendum de opposito usu alibi vigente. ibid.

Festum.

Quando festa sua celebrabant à vespera in vesperam. p.240. num.8.

Vide Missæ Auditio.

Fides.

Omnes fidei non fuit in Christo. p.34.n.25.

Fomes.

In Christo non fuit fomes peccati. p.47.n.85.

Quamquam etiam fuit in Deipara fomes peccati. pag.68. num.12.

Quo sensu Nonnulli dicant ipsum in prima sanctificatione ligatum, in conceptione verò filii extinctum fuisse. ibid.

Fornicatio.

An, vel quomodo fornicatio eorum, inter quos est impedimentum dirimens, habeat specialem malitiam. p.574.n.27.

Ex fornicatione orta affinitas dirimit matrimonium usque ad secundum gradum inclusivè. p.581.n.63.

Fornicatio subsequens sponsæ dat sponso potestatem resiliendi à sponsalibus, etsi hæc sint juratæ; idque quantumvis sponsa vi fuerit oppressa. p.531.n.43.

Vide Sponsalium Dissolutio.

Francofordiense Concilium.

Francofordiense Concilium cujus sit auctoritatis. pag.27. num.113.

An damnaverit VII. Synodum, in qua cultus sacrarum imaginum erat stabilitus. p.64.n.52.

Non damnavit hanc propositionem, Christus quà homo est filius Dei adoptivus, *nisi in sensu Nestorii.* p.28.n.213.

Frater.

Fratres more Scripturæ appellantur consanguinei, seu propinqui: eoque sensu in Scriptura fit mentio fratrum Christi. p.71.n.25.

G.

Gaudium beatificum.

Qualiter illud in Christo consistere potuerit cum tanta tristitia. p.30.n.3.

Genesius Martyr.

Memorabilis historia de illo Baptismum in scena petente per jocum refertur, & de valore istius Baptismi agitur. p.139.n.20.

Gradus Cardinalitius, Archiepiscopalis &c. *Vide* Ordinis Sacramentum.

Gradus Consanguinitatis & Affinitatis. *Vide* Matrimonii Impedimenta §. Cognatio & §. Affinitas.

Gloria cælestis.

Gloriam essentialem animæ Christus habuit ab instanti conceptionis. p.30.n.1.& 2.

Vide Christi Perfectiones.

Christus non meruit illam, sed gloriam corporis. pag.40. n.52.& seqq.

Vide Christi Meritum.

Gossipium.

An corporalia possint fieri ex Gossipio. p.358.n.133.

Græci.

Græcorum ritus aut etiam errores in materia Sacramentorum tractantur suis locis agendo de singulis Sacramentis.

H.

Hæresis. Hæreticus.

Hæresis est casus Episcopo reservatus in Provincia Mechlinienſi. p.471.n.13.

Annumerari posset impedimentis merè prohibentibus Matrimonium. p.573.n.22.

Hæreticus cum Catholica vel Catholicus cum Hæretica validè contrahit, sed illicitè. p.578.n.46.

An umquam licitè. ibid.

Hæreticorum Sacramenta quo sensu polluere dicantur à Patribus. p.137.n.11.

Pro Hæreticis & Schismaticis (an etiam pro non toleratis?) erat Ecclesia in die Parasceves. p.343. num.69.

Henoch. *Vide* Elias.

Hermenegildus Martyr.

Quare instante Martyrio potuerit ac debuerit respuere communionem oblatam ab Episcopo Ariano. p.158. num.114.

Herodes.

Herodes habuit uxorem fratris viventis; quam nec eo defuncto habere potuisset. p.582.n.66.

Quando occiderit Innocentes. p.77.n.51.

Quâ ratione occiderit infantes à bimatu, & infrà, declaratur. p.76.n.46.

Hostia. *Vide* Eucharistia §. Eucharistiæ Materia, & §. Eucharisticarum specierum corruptio.

Honor.

Quomodo se habeat honor respectu adorationis. pag.51. num.1.

Humana natura.

Cur sit ipsa potiùs assumpta à Verbo, quàm angelica. p.3.n.5.

I.

JEjunium naturale. *Vide* Eucharistia §. Dispositio ad sumptionem Eucharistiæ prærequisita ex parte corporis.

Jesus.

Sanctissimo nomini Jesu qualis debeatur cultus. pag.65. num.58.

Vide Christus.

Ignis Conflagrationis. Vide Mundus.

Imagines sacræ.

Licitus est usus sacrarum imaginum, etiam in Ecclesiis. p.62.n.44.

Allegantur notabiles historiæ de Imaginibus Christi. ibid.

Ad quid deserviat imaginum usus. ibid.n.45.

Imagines fuerunt etiam primis quingentis annis in Ecclesiis positæ. ibid.n.46.

Certum est, licitas esse Imagines Dei & SS. Trinitatis. ibid.n.47.

Item Christi in figura Agni. ibid.

Nec non SS. Angelorum. ibid.n.48.

Cur hi pingantur juvenes, cum alis, & in aliis vestimentis. ibid.p.63.

Objectiones Hæreticorum contra Imagines adferuntur & solvuntur. ibid.n.49. & 50.

Usui sacrarum imaginum non obstare præceptum Decalogi vetans sculptile, declaratur. ibid.n.49.

Explicatur Concilium Eliberitanum. ibid.n.50.

Agitur de loco Epiphanii supposititio. ibid.

Imagines sacræ sunt venerandæ. ibid.n.51.

An Synodus VII. sit hac de causa per Concilium Francofordiense rejecta. p.64.n.52.

Calumniis Hæreticorum de Idololatria occurritur per verba Tridentini. ibid.n.53.

Imaginibus ratione materiæ nulla veneratio debetur, neque iisdem tamquam objectis primariis adoratio. pag.64. num.54.

Adorantur secundariò simul cum prototypis; idque triplicitèr. ibid.n.55. & seq.

Qualis debeatur cultus S. Cruci. p.65.n.57.

Vide Crux.

Item SS. Nomini Jesu & Mariæ. ibid.n.58.

An labia Judæ ob contactum Christi forent veneranda. ibid.n.60.

Impedimentum.

Vide Matrimonii Impedimenta.

Impotentia.

An impotentes possint contrahere validè matrimonium ad finem cætè vivendi. p.587.n.89. & seq.

Vide Matrimonii Impedimenta.

Plena pubertatis tempus censetur in masculis annus 18. in feminis 14. p.586.n.85.

Impuberes.

Impuberes censentur masculi usque ad annum etatis 14. femineo usque ad annum 12. completum. p.586. num.85.

An & qualiter impuberes obligentur sponsalibus. p.529. num.33.

Vide Sponsaliuum Dissolutio.

Impuberes ex naturæ rei possunt validè matrimonium contrahere. p.586.n.85.

Secus ex jure Ecclesiastico, nisi malitia suppleat ætatem. ibid.

Incarnari. Incarnatio.

Incarnatio quid significet. pag.1.

Incarnatio est possibilis. p.3.n.1.

Solvuntur objectiones. ibid.n.2.

Quælibet persona potuisset incarnari, sed congruentiùs filius. ibid.n.4.

Incarnationis possibilitas non potest viribus naturæ ab intellectu creato evidenter cognosci. p.4.n.7.

Ob hoc tamen immeritò negaretur ipsam esse factam aut possibilem. ibid.n.8.

Intellectus sensibus alligatus nequit naturaliter intueri incarnationem jam factam. ibid.n.9.

Secùs est juxta plures Scotistas de intellectu Angelico. ibid.

Quo sensu SS. Patres negent cognoscibilitatem hujus mysterii, etiam respectu dæmonum. ibid.n.10.

Incarnatio est unitio seu actio productiva unionis Verbi cum humanitate. p.11.n.33.

Actio incarnativa nequit concipi sine novo termino alio, qui est unio. ibid.n.34.

Incarnatio nequit statui actio productiva humanitatis Christi. ibid.n.35.

Vtì productio vel reproductio hominis, statui potest actio productiva animæ rationalis. ibid.

Explicatur Leo Papa in oppositum objectus. ibid.

Productio humanitatis dici nequit esse ipsa unio hypostatica. ibid.n.36.

Neque est identitas unionis cum productione humanitatis defendendæ Christi impeccabilitati necessaria. ibid. num.37.

Principium Incarnationis effectivum est tota Trinitas. p.12.n.38.

Etsi utì bonitas, approprietur Spiritui Sancto. ibid.

Nulla creatura Incarnationem effectivè attigit, etiam in nutritione vel accretione. ibid.n.39.

Immo nec attingere potuit. ibid.n.40.

Terminus totalis Incarnationis est Christus, Deus homo. p.12.n.41.

Terminus formalis est unio hypostatica, & quodam sensu ipsa humanitas Christi. ibid.

In-

...ntio, initio & assumptio qualiter differant penes ...notata. ibid.n.42.
...ex potest considerari decretum Dei circa Incarnatio...nem, unum circa eam secundum se, alterum prioris determinativum ac velut executivum. p.20.n.77.
...prioris decreti venire Christus debuit in carne pas...sibili: fuitque hoc dependens à peccato. ibid.
...natio non fuit Deo necessaria. p.23.n.89.
...m supposito peccato, immo & voluntate liberandi ho...minem à peccato. ibid. *Vide* Verbum.

Incarnationis Meritum.

...ius, ejusve humanitas non meruit Incarnationem. ...21.n.80.
...e in qua omne Christi meritum radicatur, & ante eam non extitit ipse aut humanitas ejus. ibid.
...nec meruit circumstantias præcedentes vel concomitantes Incarnationem. ibid.
...tamen dicitur meruisse replicationes unionis hypostaticæ in Eucharistia. ibid.n.81.
...iam continuationem ipsius unionis. ibid.
...tas ejusque humanitas per opera etiam non dignificata ab unione hypostatica absolutè loquendo juxta quosdam meruit potuisset de condigno Incarnationem. p.21.n.82.
...am per opera subsequentia. ibid.
...ecta nihilominus doctrina prædictis repugnat. ibid. num.83.
...per opera subsequentia dignificata ab ipsa unione hypostatica id potuerit mereri. ibid.
...olvitur, quod non. ibid.
...damentum sententiæ affirmantis (quam tradit Suarez) dissolvitur. p.22.n.84.
...anti Patres non meruerunt ullo modo Incarnationem quoad substantiam. ibid.n.85.
...ltem quoad aliquas circumstantias; non de condigno, sed de congruo. ibid.n.86.
...quanter B. Virgo sic meruit esse mater Verbi Incarnati. ibid.
...de condigno. ibid.n.87.
...aliter meritum maternitatis Christi esse potuerit ex gratuito filii meritis. ibid.n.88.
...e Christus & Verbum.

Indulgentiæ.

...omine Indulgentiarum quid significetur. p.433.n.39.
...arum impugnatores fuere Waldenses: post hos diversi alii. ibid.
...probatur esse in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias. ibid.& n.n.seqq.
...damenta hæreticorum. p.435.n.49.& seq.
...ulgentiæ quam sint utiles populo Christiano. ibidem num.52.
...ulgentiæ conceduntur defunctis per modum suffragii. p.436.n.53.
...od, quâ ratione fiat, declaratur. ibid.n.54.
...tas conceduntur per modum solutionis, & simul per modum absolutionis. ibid.n.55.
...Qualiter nihilominus possit Pontifex sibi applicare indulgentias. p.437.n.56.
...tas dandi indulgentias pro universis fidelibus jure divino convenit Summo Pontifici. ibid.n.57.
...à quo dimanat in Archiepiscopos pro suis Provinciis, & Episcopos pro suis Diœcesibus, sed restricta valde. ibid.n.58.
...ure tamen ordinario ac delegabili, eoque verius humano. ibid.n.59.
Inferioribus Prælatis jure ordinario non convenit hæc potestas, v. g. Generalibus, Abbatibus, Capitulo sede vacante &c. ibid.n.60.
Potest tamen his, aut aliis, etiam non Sacerdotibus delegari. ibid.61.
Vti & Papa electus, ac Episcopi confirmati, etsi nondum ordinati eas dare possunt. ibid.
Nonnulla privilegia quoad hoc concessa recensentur. ibid.

Indulgentiarum effectus.

...dulgentiæ habent vim tollendi pœnas purgatorii. p. 438.n.62.
Atque eas de facto tollunt. ibid.n.63.
Nec tantùm illas quæ respondent pœnitentiis injunctis, sed & alias. ibid.n.64.
An Episcoporum potestas saltem sit restricta ad pœnitentias injunctas. ibid.n.65.
An indulgentiæ pro defunctis habeant infallibiliter effectum. ibid.n.66.
Multi negant, plerique Recentiores asserunt. ibid.p.439.
Judicium Bellarmini de utraque opinione. ibid.
Opinio affirmativa probatur non tamen irrefragabiliter ex Leone X. ibid.

Indulgentiarum Divisio.

Indulgentia alia est concessa pro vivis, alia pro defunctis. ibid.n.67.
Hæ nequit applicari, nisi expressè concedatur. ibid.
Alia item totalis, alia partialis. ibid.n.68.
Quomodo explicandæ sint formulæ, quibus dantur indulgentiæ centum vel mille dierum aut annorum. ibid.
Sotus infundatè contra tot annorum indulgentias veluti conflictas insurgit. ibid.n.69.
Quid nomine Quadragenæ & Carenæ significetur. p. 440.n.70.
An vel quæ sit differentia inter indulgentiam plenam, pleniorem & plenissimam. ibid.n.71.

Indulgentiarum causa, motiva, Subjectum, Cessatio.

Indulgentiæ temporales lapsu temporis cessant; nullæ durant ultrà convenientem revocationem: quæ talis censeatur. p.442.n.85.
Eam esse factam ignorans an adhuc participet indulgentias. ibid.
Non congruit, sufficere tamen absolutè posset, revocatio meritoria. ibid.
An ad revocandum exigatur causa. ibid.p.443.
Paulus V. revocavit indulgentias pro ipsis Regularibus concessas, substituens novas. ibid.n.86.
Non autem concessas Ordinibus indifferenter pro Christi fidelibus. ibid.
An comprehendantur concessæ pro defunctis vel mortis articulo. ibid.
An indulgentiæ per Paulum V. revocatæ, sint postea ab eodem restitutæ. ibid.n.87.
Concessæ sine limitatione temporis non expirant morte concedentis, ibid.
An cessent cessante causâ. ibid.n.88.
Qualiter cessent pereunte vel mutatâ re seu loco. ibid. num.89.
An cesset indulgentia per renuntiationem. ibid.p.444.

Indulgentiæ Jubilæi.

Jubilæi nomine quid significetur. ibid.n.90.
Annus Jubilæi olim erat centesimus, dein quinquagesimus, tandem vigesimus quintus. ibid.

Qui favores in Iubilæo Anni sancti fiant. ibid.n.91.
Quando incipiat & desinat. ibid.n.
Suspendu..tl.. omnes Indulgentiæ plenariæ extr.. bem Romæ vivis concessæ. ibid.n.92.
Non suspenduntur Indulgentiæ pro defunctis. ibid.n.93.
Neque Episcopales. ibid.n.94.
An saltem Pontificis mon plenariæ. ibid.
An maneant Plenariæ concessæ pro articulo mortis. p. 445.n.95.
Suspenduntur solum facultates absolvendi à casibus Papalibus concessæ occasione Indulgentiarum. ibid.n.96.
Forma solita concessionis Iubilæi extra annum sanctum. ibid.n.97.
Hoc Iubilæum potest unicâ dumtaxat vice obtineri. ibid. num.98.
Probabilitas sententiæ contrariæ ad quid juvet. ibid.
Ieiunia præscripta possunt servari occurrenti aliunde præcepto jejunandi. ibid.n.99.
Eleemosynæ quantitas est arbitraria. ibid.
Cautela observanda in praxi. ibid.
An confessio possit fieri ipso die communionis. ibid.
Possunt opera impleri diversis in locis. p.446.n.100.
An qui hactenus neglexit Iubilæum, possit illud lucrari ultimo die, commutatis à Confessario operibus præscriptis. ibid.n.101.
Quid censendum de eo, qui bonâ fide opera omisisset. ibid.
Aut ultimo die fortuitò jejunium naturale frangens non posset communicare. ibid.
Absolutus manet à reservatis sine reincidentia, qui mutato animo non lucratur Iubilæum. ibid.n.102.
An talis graviter peccet. ibid.

Insans.

In Infantibus nulla requiritur intentio, ut validè, immo cum fructu suscipiant sacramenta, quorum sunt capaces. p.154.n.91.
An insans hostiam casu repertam comedens acciperet gratiam. p.305.n.12.
Infantes validè ordinari possent citra consensum parentum vel tutorum. p.510.n.70.
Ordinati tamen in infantia non tenentur ad castitatem. p.519.n.110.

Infidelis.

Infidelium proles validè baptizantur parentibus invitis. p.196.n.26.
Etsi sint mancipia, de consensu dominorum suorum licitè. ibid.n.27. *Vide* Baptismi Subjectum.

Innocentes.

Innocentes ab Herode occisi sunt indubiè veri martyres cum effectu Martyrii. p.216.n.17. *Vide* Herodes. Martyrium.

Innocentiæ Status.

In statu Innocentiæ de facto nulla fuerunt sacramenta. p.117.n.28.
An fuissent si status ille perseverasset. ibid.n.29.

Intellectus.

Intellectus creatus nequit viribus naturæ evidenter cognoscere Incarnationem esse possibilem. p.4.n.7.
Intellectus sensibus alligatus nequit naturaliter intueri Incarnationem jam factam. ibid.n.9.
Secùs est juxta plures Scotistas de Intellectu sensibus non alligato. ibid.
Qualiter intellectus creatus possit cognoscere vel videre Corpus Christi ut in Sacramento, aut præsentium Eucharisticam. p.283.n.73.&74.

Intentio.

Intentio tripliciter versari potest circa actionem sacramentalem. p.137.n.13.
Quam intentionem requirant & sufficere putent Doctores Catholici. p.138.n.14.
Quam Catholici. ibid.n.15.
Non est amplius toleranda opinio asserens sufficere, ut ex terius appareat Minister serio agere, etsi animus internus non correspondeat. ibid.n.16.&19.
Hanc Catharini sententiam conatur excusare Palavicinus, sed inefficaciter. ibid.n.17.
Eam nihilominus falsam censet & ostendit. ibid.n.18.
Epistola præsidum Tridentini à Palavicino allegata Catharino ponderatur. ibid.
Objectiones contra sententiam communem solvuntur. p. 139.a.n.20.usque ad 23.
Deum supplere gratiam Sacramenti invalidè defectu intentionis collati Quidam dixerunt. p.140.n.23.
Sed hoc merito improbatur. ibid.n.24.
Vii & quædam alia affinia. ibid.n.25.
Declaratur, an vel qualiter necessaria sit intentio conferendi effectum Sacramenti. ibid.n.26.
Intentio alia actualis, alia virtualis, alia habitualis. p. 140.n.27.
Circa intentionem virtualem est duplex opinio probabilis; prima asserit eam esse sine præsenti actu intellectus ac voluntatis. ibid.n.28.
Secunda asserit ipsam nil esse, quàm actualem valde tenuem & remissam. ibid.n.29.
Intentio deinde alia est absoluta, alia conditionata. p. 142.n.30.
Ad valorem Sacramenti requiritur intentio saltem virtualis. ibid.n.31.
Nitendum tamen ad habendam actualem. ibid.
Corollarium notabile pro praxi. ibid.n.32.
Consecratio ebrii aut dormientis esset invalida, etsi talis fine se inebriasset aut somno dedisset. ibid.n.33.
Objectiones solvuntur. ibid.n.34.
Intentio merè habitualis non sufficit ad valorem Sacramenti. p.143.n.35.
Corollarium inde deductum. ibidem.
Sufficit intentio habitualis ad applicationem Sacrificii. ibid.n.36.& p.347.n.82.
Fundamentum oppositæ doctrinæ dissolvitur. pag.145. num.37.
Requiritur ad confectionem Sacramenti intentio absoluta, vel sub conditione de præsenti, aut præterito; sic ut non valeat sub conditione de futuro collatum. ibid.n.38.
Corollaria practica inde deducta. ibid.
Excipitur solum Matrimonium. p.144.n.39.
Cur potius excipiatur quàm absolutio, quæ est sententia judicialis. ibid.n.40.
Validè conferrentur Sacramenta sub conditione, si Deus videat hoc vel illud futurum. ibid.n.41.
Immo & sub conditione de futuro non suspensivâ valoris. ibid.
Intentio debet ferri super materiam & formam determinatam. ibid.n.
Corollaria. ibid.
Observanda quædam in praxi. ibid.n.43.
Intentio qualis requiritur in suscipiente Sacramentum. p.154.n.91.&92.
Voluntarium sufficiens ad Sacramenti susceptionem con-

cumeneu. ibid.
Non sufficit, ut adultus se habeat merè negativè, sed requiritur ad valorem consensus saltem habitualis. ibid. n.93. & p.155. n.94.
Intentio in singulis Sacramentis non debet esse æquè explicita; quod declaratur. ibid. n.95.
Quæ potius in ministro quam in suscipiente requiratur intentio saltem virtualis. ibid. n.96.
In Florentinum non mœnerit intentionis suscipientis. ibid. n.97.
Quid agendum cum adulto, qui foret surdus & mutus, aut ipse cœcus. ibid.

Invocatio Sanctorum.

Vide Sancti.

Joannes Baptista.

Joannes Baptista dum exultavit in utero habuit usum rationis, qui à nonnullis perduraſſe putatur. p. 67. num. 7.
Fuit Sanctificatus in utero. ibid. n. 6.
Baptismus Ioannis quando cœperit. p. 78. n. 53.
Fuit inspiratus à Deo, institutus à Ioanne, & collatus, an vel quâ formâ, incertum. ibid.
Non contulit gratiam. ibid.
Quòd Baptismus Christi fuit excellentior Baptismo Ioannis. p. 160. n. 9.
Quibus de causis Christus à Ioanne sit baptizatus. p. 78. num. 55.
An Ioannes fuerit vicissim à Christo baptizatus. ibid. num. 54.

Joseph.

In quo sensu falsò putabatur, quo sensu verè dicebatur Pater Christi, & quidem potius, quàm vitricus respectu filiorum uxoris. p. 71. n. 26.
S. Ioseph mansit semper Virgo. ibid. n. 24.
Inter ipsum & B. Virginem intercessit ante incarnationem verum matrimonium. ibid. n. 26.
Vide Maria Desponsatio.

Jubilæus. Vide Indulgentiæ Jubilæi.

Judas, Judæi.

Quòd Christum esse verum Messiam pertinaciter negant Judæi. p. 5. n. 11.
Sceptrum de Juda defecit in Herode. ibid. n. 13.
Non autem in Machabæis. ibid. n. 14.
Judæi festivitates celebrabant à vespera in vesperam. p. 240. n. 8.
Diem vulgarem auspicabantur ab ortu solis. ibid.

Judas Ischariotes.

An talia Judæ ob contactum Christi fuerint veneranda. p. 65. n. 80.
Judas fuit præsens quando Christus instituit Eucharistiam. p. 243. n. 22.
Quam etiam de manu Christi accepit. ibid.
Tempore quo necdum erat electus. p. 244. n. 23.

Judicium extremum.

Datur judicium particulare singulorum. p. 94. n. 1.
An hoc sit de fide. ibid.
Peragitur mox à morte cujusque. ibid. n. 2.
Quasdam visiones seu historias non obstare ostenditur. ibid.
Dari judicium singulorum intelligendum ex regulariter & quare. ibid. p. 95.
Judicium hoc peragendum spiritualiter, non requisitâ temporis morâ. ibid. n. 3.
Et hoc apparenter in loco obitûs. ibid.
Idque à Deo. ibid. n. 4.
Post resurrectionem verò Christi, ab ipso. ibid.
Cujus tamen realis in loco judicii præsentia de hoc non requiritur. ibid.
Etsi fortasse in specie humana animæ judicandæ, etiam reprobæ, appareat. ibid.
Futurum est judicium universale. ibid. n. 5.
Rationes, ob quas sit servandum, allegantur. ibid.
Signa futuri judicii quædam sunt generalia & remota, quædam propria & propinqua p. 96. n. 6.
Inter quæ singulariter notabile erit regnum Antichristi. ibidem
Vide Antichristus.
Quanto post mortem Antichristi tempore sequetur judicium, incertum. p. 100. n. 24.
Rejicitur, quod quidam ex Dan. 12. conjiciunt de quadraginta quinque diebus. ibid.
Longius omnino tempus supererit. ibid.
Secundi Adventus Christi ad judicium Præcursores, Henoch & Elias. ibid. n. 25.
Judicium antecedet Evangelii prædicatio ac successiva receptio per totum mundum. p. 102. n. 32.
Quæ tempore transacto necdum sufficienter facta fuerat: eâque suppositâ non convincitur instare judicium. ibid. num. 33.
Varia insuper signa horribilia & invisa illud præcurrent. ibid. n. 34.
Qualia in sole, luna, stellis, aëre cæterisque elementis. ibid. n. 35 & p. 103. n. 36.
Ignis conflagrationis an præcedet judicium. p. 107. n. 58.
Vide Mundus.
Judicium peragetur à Christo in divina & humana natura. p. 103. n. 37.
In qua apparebit corporaliter visibilis omnibus; electis quidem ad gloriam, reprobis ad pœnam. ibid. n. 38.
Christus judicabit primariò secundum divinam naturam. ibid. n. 39.
Auctoritas suprema judicandi tribus communis, appropriatur quodammodo singulis, præsertim filio. ibid.
Secundariò & ex absoluta commissione judicabit Christus secundum naturam humanam. ibid. n. 40.
Non tantùm ministerialiter, sed auctoritativè. ibid. p. 104.
Resurrectio mortuorum fiet in procinctu judicii, de qua remissivè. ibid. n. 42.
Christus ad judicium veniet in maxima gloria, cum vexillo seu signo crucis in cælo seu in aëre cunctis apparituro, ex nubibus formando, eoque lucidissimo. ibid. n. 43.
Cum ineffabili gloria seu claritate corporis. ibid. n. 44.
Stipatus comitatu omnium Angelorum, fortè in corporibus splendidis appariturorum. ibid.
Quibus accedent in aëre omnes electi cum gloriosis corporibus. ibid p. 105.
Sedebit, judicaturus in throno ex nubibus formando per Angelorum ministerium. ibid. n. 45.
Ad majestatem judicis quoque spectat universitas judicandorum, etiam parvulorum & infidelium. ibid. num. 46.
Quo sensu Fideles dicantur non judicari, & infideles jam judicati Joan. 6. ibid. n. 47.
Etiam Angeli erunt judicandi. ibid. n. 48.
Ad gloriam judicis denique pertinet qualitas judicandorum. ibid.
Discussio fiet judicandorum, quâ singulis patebunt facta propria

propria & aliena omnia. ibid.n.49.
Idque cum æstimatione singulorum juxta normam justitiæ. ibid.n.50.
Etiam peccata sanctorum per pœnitentiam remissa, ibid. num.50.
Id tamen non cedet sanctis ad confusionem, sed ad gloriam & gratiarum actionem. ibid.
Nullus ibi propriè accusator, testis, disceptatio &c. sed conscientia præstabit singulorum, quidquid necessarium fuerit. ibid.n.51.
Discussionem sequetur diversa singulorum sententia singulis intellectualiter intimanda. ibid.n.52.
Et insuper duplex sententia universalis, ferenda voce sensibili. ibid.
An vel qualis interponenda publica laudatio electorum & vituperatio reproborum. ibid.n.53.
Cum Christo judicabunt Apostoli & viri apostolici velut quidam judices assessores. ibid.n.54.
Quodam sensu omnibus electis competet judicandi officium signanter bonis Angelis, prædicatoribus, & animarum curatoribus. p.107.n.55.
Sententiæ executio describitur. ibid.n.56.
Post judicium cessabit motus cælorum. p.109.n.65.
Erit que eadem perpetuo cæli & terræ facies. ibid.
Astrorum lux seu splendor erit augendus. ibid.n.66.
Elementorum innovatio futura tunc declaratur. ibid. num.67.
Quo sensu Apoc.21. *dicatur mare tunc non futurum* ibid.n.68.

Jurisdictio.

Potestas jurisdictionis distinguitur à potestate ordinis, conferturque ab Ecclesia. p.448.n.12.& p.449.n.13. & seqq. *Vide* Sacramenti pœnitentiæ Minister.
Jurisdictio ordinaria & delegata quid significent. p.450. num.22.
Fines quos sit jurisdictio ordinaria. ibid.n.23.
Potest exerceri in foro Sacramentali extra territorium, sed in subditos. ibid.
Acquiritur ordinaria in eos qui domicilium figunt, vel solum habitant in loco jurisdictionis. p.451.n.24.
Vagi cujus jurisdictioni ordinariæ subiciantur. ibid. num.25.
Quid de peregrinis. ibid.n.26.
Ordinariam habens potest eam delegare. ibid.n.27.
Delegatus nequit subdelegare, nisi delegans id exprimat, aut in eius locum alter per modum officii subrogetur. ibid.
Declaratur exemplis. ibid.
Delegatam habent potestatem, quibus ab ordinario ea conceditur expresse vel tacitè. ibid.n.28.
Non sufficit ratihabitio de futuro. ibid.n.29.
Vti nec fundata præsumptio, quod Ordinarius foret contentus, si adesset. ibid.
Sufficit titulus coloratus, tectus errore vulgi. ibid.n.30.
Idem est de iurisdictione probabili. ibid.
Quamdiu duret iurisdictio delegata. p.452.n.31.
Specialiter an vel quando expiret morte concedentis. ibidem.
Vide Sacramenti Pœnitentiæ Minister.

Justitia Originalis.

An hæc fuerit in Deipara. p.68.n.13.

K.

Kemnitius.

Qualiter explicet rationem Sacramenti. pag.112. num.5.
Quam mendaciter traducat doctrinam Catholicorum de cultu Eucharistiæ. p.287.n.90.

L.

Lac. Lacrymæ.

Hæc non sunt apta materia Baptismi. p.181.n.18.

Lactans.

An licitum sit cognoscere mulierem lactantem. p.594. num.19.

Levi.

Machabæi tertè fuerunt de tribu Levi secundum lineam paternam. p.5.n.4.
Christus, etsi de tribu Juda, habuit cognationem cum tribu Levi seu sacerdotali. p.66.n.1.

Libellus Repudii.

An in Lege Moysi sic fuerit permissus libellus repudii, ut solveretur vinculum coniugale. p.565.n.19.& seq.

Locus-Sacer.

Vide Ecclesia. Sacrificii celebrandi locus. Templum.

Lutherani. Lutherus.

Lutherana Sacramenti definitio refertur & refellitur. p. 112.n.5.& 6.
Lutherus deliravit infantes dum baptizantur habere usum rationis. ibid.
Lutheri & Lutheranorum circa numerum Sacramentorum variatio. p.124.n.52.
Lutherus cum suis admittit impanationem, sive manere substantiam panis simul cum corpore Christi p.273.n.30.
Lutherani diversimodè circa tritum Eucharistiæ erant, p.287.n.89.

M.

Magi.

Nativitas Christi manifestata est Magis per stellam. p.75.n.40.
Qui à sapientia & peritia astrorum sic dicti fuerunt. ibid.n.41.
Iidem erant reguli. ibid.
Venerunt è Arabia felice. ibid.n.42.
Adoraverunt Jesum in Bethlehem decimo tertiâ post nativitatem die. ibid.n.45.
Utrum repererint infantem in stabulo. ibid.p.46.
Magi singuli obtulerunt tria munera, eaque mystica. ibid. n.47. *Vide* Stella. Herodes.

Maria Virgo.

Maria Virgo meruit esse mater Verbi incarnati. p.22. num.86.
An de condigno. ibid.n.87.
Meritum maternitatis Christi quò potuerit esse ex præviis filii meritis. ibid.n.88.
Qualem concursum adhibuerit B.V. in conceptione Christi. p.73.n.31.

Virgo fœtui formando ministravit purissimum sanguinem; quod, cur vocetur sanguis. ibid.n.32.

Vera & propriè est mater Christi: immo verius quàm cæteræ sint matres suarum prolium. ibid. num.33.

Virgo est etiam propriè mater Dei. ibid.n.34.

Hæresis oppositus Nestorii. ibid.

B. Virgo esset ac diceretur Deipara, debuit humanitas Christi assumi à Verbo primo instanti suæ existentiæ. p.57.n.66.

Dei maternitatis, & singularissimæ Sanctitatis debetur Mariæ cultus hyperduliæ. p.58.n.27.

Omni Mariæ qualis debeatur cultus. p.65.n.58.

Mariæ Genealogia & sanctificatio seu sanctitas.

B. Virgo ex Joachim & Anna sterili, modo ordinario progenita, ab originali exempta per privilegium. p.66.n.1.

Quis defendendi votum recenter à primatibus Brabantiæ, clero & religiosis ordinibus Bruxellæ emissum est. ibid.

Fuerit ex tribu juda, & quidem secundùm lineam paternam. ibid.n.2.

Habuit tamen cognationem cum tribu Sacerdotali. ibid.

Quomodo S. Matthæus generationem Christi ex David deducturus, recte id fecerit texendo genealogiam Joseph. Vbi plura genealogiam Christi concernentia. ibid.n.3. & seqq.

B. Virgo fuit sanctificata primo animationis instanti, & à fortiori in utero. p.67.n.6.

Mirabiliter se disposuit Deipara ad primam sanctificationem. ibid.n.7.

Habuit proinde à principio usum rationis, uti in utero matris Joannes. ibid.

Usum rationis in utroque perdurasse quidam putant. ibid.

Gratia in prima sanctificatione collata quanta fuerit. ibid.n.8.

An tunc fuit B. Virgo sic in omni bono firmata, ut numquam peccaverit venialiter vel mortaliter. ibid. num.9.

Potuerit tamen dicere Orationem Dominicam. p.68. num.10.

Angelo annuntianti conceptum mox creandit, de modo dubita: ubi cæteræ objectiones Hæreticorum contra sanctitatem Mariæ solvuntur. ibid.& n.11.

Ante prima sanctificationem fuit præpeditus, adeoque numquam fuit in Deipara fomes peccati. ibid.n.12.

Quo sensu Nonnulli dicant ipsum nunc ligatum, in conceptione vero filii extinctum fuisse. ibid.

An fuerit in ea justitia originalis. ibid.n.13.

Gratia non fuit Deiparæ tota simul collata. pag.69. num.14.

In conceptione Verbi accessit gratia incomparabilis, in qua usque ad mortem jugiter crevit. ibid.

Quæ in morte saltem certissimè excesserit longè gratiam cujusliber puræ creaturæ: ubi de longitudine vitæ B. Virginis. ibid.n.15.

Numero juxta Suarez omnium Angelorum & hominum plus. ibid.n.16.

Judicium Tanneri de hac opinione Suarez. ibid.

Mariæ Virginitas. Desponsatio.

Perpetua Mariæ Virginitas est fide certissima contra diversos hæreticos diversimode contradicentes. p.69. num.17.

Probatur ex perpetua traditione ac declaratione Ecclesiæ. ibid.n.18.

Virginitas ante partum specialiter constat ex scripturis & symbolo Apostolorum. p.70.n.19.

Virginitas in partu confirmatur. ibid.n.20.

Quo sensu Patres dicant Christum aperuisse uterum matris. ibid.n.21.

Virginitas post partum specialiter confirmatur contra Helvidium. ibid.n.22.

Duus fundamenta dissolvuntur. ibid.n.23. & p.71. num.24.

Christus est primogenitus negativè, & simul unigenitus. ibid.n.25.

Inter B. Virginem & Iosephum interfuit ante incarnationem verum matrimonium. ibid.n.26.

Beata Virgo ante conceptionem prolis erat traducta in domum sponsi. ibid.n.27.

Congruentiæ initi matrimonii allegantur. ibid p.72.

Auctoritates in speciem oppositæ solum excludunt matrimonium consummatum. ibid.

Votum Virginitatis ab ineunte ætate emissum non obstabat sponsalibus de præsenti potiùs quàm de futuro. ibid. num.28.

Fuit votum absolutum etiam ante desponsationem. ibidem.

Mariæ Purificatio.

Lex vetus primogenitorum, & altera parientis masculum declaratur. p.76.n.48.

Neutra ligabat Deiparam. p.77.n.49.

Obtulit ipsa more pauperum par turturum, aut duos pullos columbarum. ibid.n.50.

Oblatio turturis vel pulli columbæ pro peccato non fiebat secundùm legem pro peccato prolis, sed pro legali immunditia matris. ibid.

Quæ prophetiæ fuerint in die purificationis impletæ. p.76.n.48.

Martyr. Martyrium.

Quid sit Martyrium. p.213.n.2.

Martyrium debet inferri in odium fidei aute virtutis. ibid.

S. Franciscus & alii martyres desiderio non sunt propriè martyres. ibid.n.3.

Vti nec morientes in servitio pestiferorum. ibid.

Quiproinde minus propriè in Martyrologio Romano Martyres appellantur. ibid.

Bonus latro etiam non est Martyr. ibid.p.214.

Ostenditur sufficere ad Martyrium, quod mors inferatur in odium virtutis. ibid.n.4.

Immo sufficere, quod mors inferatur ob opus bonum jam factum. ibid.

Qualiter ob tale opus debeat mors acceptari. ibid.

Non tollit gloriam Martyrii verè ob prædictas causas tolerati quæsitus à tyranno prætextus alterius causæ. ibid.n.5.

Ad Martyrium sufficit positio talis causæ, ex qua mors naturaliter sequeretur, nisi divinitùs impediretur. ibid. num.6.

Si tamen mors sequatur, facit Martyrium consummatum. ibidem.

Si in aliquo divinitùs impediatur, is postea decedens in gratia laureolam Martyrii consequeretur. ibid.

Martyrium debet inferri non repugnanti. ibid.n.7.

Milites etiam pro fide pugnantes & occumbentes; Martyres non sunt. ibid.

Quomodo jam victi possint fieri Martyres. ibid. p. 215.
Nonnulli tamen putant, quod etiam pugnandi ausi fiant Martyres. ibid.n.8.
In adultis ad Martyrium requiritur aliqualis acceptatio mortis: non in parvulis. ibid.n.9.& 10.
In adultis sufficit acceptatio habitualis & interpretativa. ibid.n.11.
An vivens in justitia censeatur eo ipso satis acceptare mortem pro Christo, incertum est. ibid.n.12. 13.
Debet autem mors acceptari ob causam honestam, honestate supernaturali. p.216.n.14.
Non tamen ex affectu dilectionis Dei super omnia. ibid.
Martyrium raro est in præcepto, nisi quoad præparationem animi. ibid.n.15.
Sine justa causa non licet se ingerere Martyrio. ibid. num.16.
An liceat tyrannum provocare ad inflictionem pœnarum. ibid.
Quomodo accipienda sint quorumdam Martyrum dicta quasi provocantium Tyrannum. Item illud Christi ad Judam: quod facis, fac citius. ibid.
Martyrium est majoris efficaciæ quam baptismus. p. 217.n.20.

Martyrii effectus, & requisita ad illum dispositio.

Martyrium confert parvulis gratiam, quâ emundentur ab originali. p.216.n.17.
Patet ex sensu Ecclesiæ & Patrum de S. Innocentibus. ibid.
Opposita sententia de innocentibus est improbabilis. ibid. n.18.
A qua vendicatur S. Bonaventura. ibid.p.217.
An vel quando parvulus occisus in utero matris sit Martyr. ibid.n.19.
Adulti per Martyrium etiam obtinent gratiam ultra meritum quâ tale. ibid.n.20.
Variæ probationes. ibid.
Obtinent etiam remissionem totius culpæ satis retractatæ, ac pœnæ. ibid.n.21.
Quid fieret casu quo culpa aliqua non foret satis retractata. ibid.n.22.
Gratia seu privilegium Martyrii habuit vim ante mortem & incarnationem Christi, etiam in parvulis. p. 218.n.23.
Immo eam vim videtur habuisse martyrium ab initio mundi. ibid.
Christo tamen nondum passo martyres non fuissent statim cælos ingressi. ibid.
Non requiritur per se in peccatore martyrium subituro contritio charitate perfecta. ibid.n.24.
Per accidens tamen requiritur, sive actus charitatis, sive, dum est copia confitendi, confessio, sive baptismi susceptio. ibid.n.25.
Præsertim cum certum non sit Martyrium posse dare primam gratiam. ibid.
Requiritur in peccatore solum attritio supernaturalis. ibid.n.26.
Interdum sufficit attritio virtualis. p.219.n.27.
Vix contingit aliquem Catholicorum propter Christianam virtutem oppetere mortem, quin consequatur fructum martyrii. ibid.
Quantas patiendi pro Christo sine dolore de peccatis memoriæ occurrentibus, non censetur sufficiens detestatio peccatorum. ibid.
Cum tali voluntate posset consistere affectus peccandi. p.219.quæst.iv.
Quo tempore vel instanti conferatur effectus martyrii. ibid.
Hunc conferri primo instanti post vitam finitam est parum probabile. ibid.

Matrimonium.

Matrimonium unde sic dictum. p.534.n.1.
In matrimonio tria spectanda sunt, Contractus, Vinculum, Copula. ibid.
Describitur tum Contractus matrimonialis, tum ipsum vinculum. ibid.
Contractui accessoria est ratio Sacramenti; non, verum neque copulæ. ibid.n.2.
Objiciuntur & explicantur quidam Canones. p.535. num.3.
Contractus ipse citra copulam dicitur matrimonium ratum; post copulam verò consummatum. p.534. num.2.
A quo & quando institutum sit matrimonium. pag. 535.n.4.
Qualiter institutum sit secundariò in remedium concupiscentiæ. ibid.n.5.
Ostenditur contra quosdam antiquos Hæreticos matrimonium esse licitum. ibid.n.6.& p.536.n.7.
Non est debitum ex communi præcepto, neque ita debitum erat tempore veteris legis. ibid.n.8.
Qualiter cadebat in initio mundi sub præceptum, præsertim quoad primos parentes. ibid.n.9.
Contra Hæreticos recentiores fides statuit Matrimonium inter Sacramenta novæ legis. pag. 537. num.10.
Satisfit objectionibus. ibid.n.11.
Non erat Sacramentum ante legem novam. ibid.n.13.
Neque est Sacramentum inter infideles. ibid.n.14.
An sit ex parte fidelis de legitima licentia contrahentis cum infideli. ibid.
Initum per procuratorem est verum Sacramentum. p. 538.n.15.
Idem est de inito per Scripturam, vel (seclusâ lege Tridentini) clandestinè. ibid.n.16.
Potest inter Fideles ratio contractûs validè separari à ratione Sacramenti. ibid.n.17.
Satisfit objectionibus. ibid.& n.18.
An Matrimonium infidelium per vel post Baptismum possit transire in rationem Sacramenti. pag.539. num.19.
Quando Matrimonium sit elevatum ad dignitatem Sacramenti. ibid.n.20.

Matrimonii Materia, Forma, Minister.

Materia Sacramenti Matrimonii sunt corpora contrahentium, forma consensus sensibiliter expressus. ibid. num.21.
Non possunt signa expressiva consensûs dici sibi invicem materia & forma. ibid.n.22.
Neque statui potest cum Lugo traditio pro materia, & obligatio seu actio obligativa pro forma. ibid. n.23.
Aliæ sententiæ adferuntur & refutantur. ibid. & p. 540.n.24.

Defendi posset opinio Navarri statuentis consensum internum pro materia, signa expressiva pro forma. ibid.

Ministri Sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes. ibid. n. 25.

Audit Palavicinus mendacium suavis de mente Patrum Tridentini quoad hoc. ibid.

Impugnatur variis objectionibus. ibid. n. 26.

Contrahentibus necessaria est intuitio Sacramenti. p. 541. n. 27.

Matrimonii Consensus.

Vide Consensus Matrimonialis.

Matrimonium initum sub conditione.

Matrimonium initum sub conditione honestâ vel indifferenti de præsenti, aut præterito valet, si subsit consensus. p. 547. n. 28.

Quæ conditione, quæ necessariò futura scitur. ibid.

Initum sub conditione de futuro contingenti suspenditur usque ad eventum conditionis. ibid. n. 29.

Completâ probabiliùs non requiritur novus consensus. p. 548. n. 30.

Juxta multos, etsi contrahentes tempore contractus fuerint inhabiles, v. g. consanguinei &c. ibid. num. 31.

Conditio impossibilis aut turpis seriò adjecta non est habenda pro non adjecta. ibid. n. 32.

Objectio desumpta ex c. fin. de Condit. appos. solvitur. ibid. n. 33.

Conditio repugnans bonis substantialibus Matrimonii, irritat illud. ibid. n. 34.

Tria hujusmodi bona, scilicet Sacramenti, fidei & prolis, declarantur. ibid.

Conditio præfata intelligitur impropria, seu modus adjectus, obligatioque aliquid agendi contrarium Matrimonio. p. 549. n. 35.

Quæ similiter intelligi c. nn. de Condit. appos. declaratur. ibid. & n. 36.

Est validum sit Matrimonium initum sub conditione, quod conjuges non tenebuntur reddere debitum, seu quod vivent in virginitate. ibid. n. 37.

Matrimonium Deiparæ quomodo cum voto virginitatis consistere potuerit. p. 350. n. 38. & p. 72. numero 28.

Matrimonii Indissolubilitas.

Matrimonium ratum est indissolubile. p. 551. n. 1.

Jure divino. ibid. n. 2.

De facto tamen solvitur, per solemnem professionem. p. 552. n. 3.

Quantumvis diu contractum fuerit. ibid. n. 4.

Permittitur conjugatis biennium ad deliberandum. ibid.

Annus per vim consummatum non adimit libertatem profitendi; etsi per professionem non possit dissolvi. ibid.

Per professionem dissolvitur Matrimonium ratum jure divino positivo, non autem jure naturali, aut solo pontificio. ibid. n. 5. & 6.

Extra casum professionis solemnis non est penes Ecclesiam facultas dissolvendi Matrimonium ratum. p. 553. num. 8.

Diluuntur objectiones. ibid.

Opposita sententia ex factis Pontificum redditur multùm verosimilis. ibid. n. 9.

Quâ sententiâ admissâ foret adhuc necessaria causa rationabilis tam ad licitè quàm ad validè id agendum. ibid. n. 10.

Causæ justæ recensentur. ibid.

An consequenter id posset Ecclesia, non solùm in speciali casu, sed etiam per legem. ibid.

Recensentur errores Hæreticorum circa indissolubilitatem matrimonij consummati. ibid. n. 11.

Veritas catholica statuitur & fusè probatur. ibid. n. 12. & seqq.

Objicitur & explicatur locus Matth. 19. *Item Varii Canones.* p. 554. n. 15. & p. 555. n. 16.

An indissolubilitas Matrimonii consummati sit de jure divino positivo & naturali. ibid. n. 17.

Subest dissolutio illius potestati divinæ; quâ ipsum solvitur duplici casu. ibid. n. 18.

Primò in veteri lege per libellum repudii; per quem solvebatur ipsum vinculum conjugale. ibid. n. 19.

Etsi multi contrarium opinentur; quorum argumenta dissoluuntur. p. 556. n. 20.

Secundo per hoc, quod infidelis conversus ad fidem, post Baptismum ineat novum Matrimonium, si compars obstinata nolit cohabitare pacificè. ibid. n. 21.

Non dissolvitur Matrimonium per ipsum Baptismum, aut per aliud medium; ne quidem per professionem solemnem conjugis conversi. ibid. n. 22.

Quid censendum, si compars in infidelitate obstinata velit pacificè cohabitare. ibid. n. 23.

Matrimonii Unitas.

Unitas Matrimonii, alia opponitur pluralitati conjugum simultaneæ, alia successivæ. p. 557. n. 24.

Polygamia seu pluralitas simultanea jure divino est inhibita Christianis, sic ut secundum conjugium sit invalidum. ibid. n. 25.

Immò fuit à Deo inhibita ab initio mundi. ibid. n. 26.

Polygamia nec apud Gentes politiores permissa fuit. ibid. num. 27.

Polygamia uxorum ante Christi adventum aliquando ex divina concessione licuit. ibid. n. 28.

An solis Iudæis seu Dei cultoribus licuerit. pag. 558. num. 29.

Fuit hæc concessio per Christum penitus ablata. ibid.

Qua ratione Scriptura veras uxores, præsertim secundas, vocet interdum concubinas. ibid. n. 30.

Secundæ & ulteriores nuptiæ per se licitæ sunt post mortem compartis. ibid. n. 31.

Occurritur variis objectionibus. ibid. n. 32.

Pœnæ civiles inflictæ viduæ nubenti intra annum luctûs sunt per Canones abrogatæ. p. 559. n. 33.

Quæ legum dispositiones circa secundas nuptias sint servandæ. ibid.

Prærequiritur juxta Canones certitudo moralis de morte conjugis. ibid. n. 34.

Alii Canones non contrariantur. ibid. n. 35.

Qualitas certitudinis requisitæ amplius declaratur. ibid. num. 36.

Si post secundas nuptias bonâ fide contractas, deprehendatur Conjugem adhuc vivere, ab iis recedendum est. ibid. n. 37.

Si temerè sint initæ, verè tamen conjux obierit, validæ sunt. ibid.

Vti etiam, si constet prioribus nuptiis subesse impedimentum, quantumvis occultum. p. 560. n. 38.

Matrimonium Clandestinum.

Matrimonium clandestinum dupliciter sumitur. ibid. num. 1.

Quodnam censeatur celebratum coram facie Ecclesiæ. ibid.

Matrimonium simpliciter clandestinum ante Tridentinum erat illicitum jure Ecclesiastico, non naturali. ibid. n.2.

Erat nihilominus validum. ibid.n.3.

Objiciuntur & explicantur quidam Canones antiqui. p.561.n.4.

Ex Decreto Tridentini invalidum est Matrimonium aliter contractum, quàm præsente parocho vel delegato & duobus testibus. ibid.n.5.

Olim fuit dubitatum de potestate Ecclesiæ quoad hoc, sed sine ratione. ibid.

Irritat Ecclesia directè ipsum contractum clandestinum. ibid.n.6.

Non excusat ignorantia vel necessitas à nullitate ejusdem. ibid.p.562.

Decretum hoc Tridentini debet specialiter esse publicatum in singulis parochiis. ibid.n.7.

Proficiscens ad locum ubi non est publicatum, validè si contrahit clandestinè. ibid.n.8

Quod verum est juxta plurimos, etsi eo fine illuc diverterit. ibid.

Secus est, si sit publicatum in loco contractûs, etsi non in loco domicilii. ibid.n.9.

Quid censendum de Matrimoniis contractis in Hollandia, Zelandia & Frisia, non servatâ formâ Concilii Tridentini. ibid.n.10.

Casus notabilis. ibid.n.11.

Matrimonii Solemnitates.

Nomine Parochi ad Matrimonii valorem requisiti quis intelligatur. p.563.n.12.

Non debet esse Sacerdos. ibid.n.13.

Sufficit putatitius cum titulo colorato; item excommunicatus non toleratus. ibid.

Parochus debet esse proprius. ibid.n.14.

Quis & quorum respectu censeatur talis. ibid.

Coram eo potest iniri Matrimonium extra limites parochiæ. p.564.n.15.

Sponsis diversarum parochiarum utrinsuis parochus potest assistere. ibid.

Quis validè assistat Matrimoniis vagorum. ibid.n.16.

Quid circa illos, item circa peregrinos, uxores militum &c. parocho sit observandum. ibid.n.17.

Ordinarius potest substituere alium, sed non nisi Sacerdotem. ibid.n.18.

Quæ substitutio fieri potest etiam à parocho excommunicato non tolerato. ibid.n.19.

Similiter substitui validè potest Sacerdos non toleratus, sed non sine gravi culpa, citra necessitatem. ibid.n.20.

Sufficit licentia generalis exercendi pastoralia; item licentia tacita: non tamen præsumpta, aut subsequens ratihabitio. ibid.n.21.

Quid si licentia à parocho fuit data contra mandatum Episcopi. ibid.

Sufficiunt duo testes, & quales. p.565.n.22.

Debent sic adesse, ut intelligant & advertant quid agatur. ibid.n.23.

Idque quantumvis ipsi vel Parochus affectassent non intelligere. ibid.

Non officit valori, quòd parochus vel testes adhibeantur inviti, ibid.n.24.

Aut quòd coram iis casu præsentibus, nilque tale prævidentibus ex intentione contrahentium ineatur Matrimonium. ibid.n.25.

Discutiuntur quædam Cardinalium Declarationes circa hoc punctum factæ. ibid.

Prætacti tamen modi agendi sunt indecentes regulariter loquendo. p.566.n.26.

Qualiter validari queat Matrimonium in facie Ecclesiæ invalidè contractum. ibid. n.27. & seqq. *Vide* Matrimonii invalidi restauratio.

Inter solemnitates ad Matrimonium licitè celebrandum requisitas numerantur Denuntiationes Matrimonio præmittendæ. p.567.n.32. *Vide* Denuntiationes.

Matrimonii invalidi instauratio.

Defectus in Matrimonio multipliciter contingit & tollitur. p.567.n.27.

Si publicus sit, iterari debet solemnitas à Tridentino præscripta. ibid.n.28.

Immò juxta varios, etsi sit omnino occultus. ibid.n.29.

Oppositum tamen docent Clerique Theologi. ibid.n.30.

Limitatio quædam adhibita à Sanchez discutitur. p.567. n.31.

An convalescat Matrimonium ratione consensûs non extorti invalidum per copulam. p.556.n.39.

Vel per subsequens juramentum. ibid.n.40.

An hinc saltem oriatur obligatio religionis erga Deum. ibid.

Consensus generaliter est supplendus qui defuit. ibidem n.41.

Novum utrimque consensum requiri, etsi ex parte unius tantùm fuerit defectus, est probabile: sed oppositum communius probatur. ibid.

Occurritur objectioni. ibid.n.42.

An consensus supplendus debeat de novo exprimi per signum externum. p.551.n.43.

Ad reconvalidandum matrimonium ratione impedimenti invalidè contractum opus est novo mutuoque consensu. p.575.n.

Juxta Nonnullos scientia nullitatis non requiritur. ibid. n.31.

Contrarium est hodie apud Doctores receptum. ibidem n.32.

Quod Auctor amplectitur cum quadam limitatione seu declaratione. ibid.n.33.

Matrimonii Impedimenta.

Impedimenta Matrimonii alia sunt dirimentia, alia merè prohibentia. p.569.n.1.

Etiam fuerunt impedimenta in veteri Lege; quæ. ibid.

An vel qualiter hæc locum habeant in nova Lege. ibid.n.2.

Potest Ecclesia statuere impedimenta, tam dirimentia, quàm alia; similiter Princeps quoad infideles sibi subjectos. p.570.n.3.

An circa hos ita id possit Princeps infidelis, ut adstringantur pariter fideles subjecti. ibid.n.4.

Indubiè non possunt principes Christiani statuere impedimenta quoad subditos fideles. ibid.n.5.

An id nequeant vi juris divini. ibid.

Quid hi de facto possint. ibid.n.7.

Quid possint Episcopi. ibid.n.8.

Potest consuetudo impedimenta inducere. ibid.p.571.

An similiter abrogare. ibid.n.9.

An possit Pontifex particulares personas inhabilitare ad certum aut quodvis matrimonium.

Seclusâ causâ rationabili impedimenta statuerentur illicitè;

scitè, immò invalidè. ibid.n.10.

Impedimenta merè prohibentia.

Quidam impedimenta merè prohibentia versibus exprimuntur. ibid.n.11.

Clausulæ vetitum quid sit. ibid.n.12.

Quid spectat excommunicatio, non autem tempus interdicti. ibid.p.572.

Tempus feriatum quodnam sit. ibid.n.13.

Vetat matrimonium, sed hujus solemnitates tunc inhibentur. ibid.

Quæ sit praxis Provinciæ Mechlinienſis. ibid.n.14.

Quid benedictio tunc sit graviter inhibita. ibid.

Facultas dispensandi sit penes Episcopum. ibid.

Impedimentum Catechismi quid sit. ibid.n.15.

Non sit sublatum per Tridentinum. ibid.

Impedimentum sponsalium est juris naturæ. ibid.n.16.

Votum quale impediat matrimonium. ibid.

Vide Votum.

Impedimenta septem orta ex crimine recensentur. p.573. n.18. & seqq.

Quæ impedimenta ex crimine adhuc sint in vigore. ibid. num.22.

Impedimenta dirimentia.

In statuendis impedimentis dirimentibus Ecclesia non erravit. ibid.n.23.

Quorum habet etiam in ignorantibus. ibid.

Quomodo valide contrahant erroneè existimantes impedimentum subesse. p.574.n.24.

Quando vel qualiter locum habeant in gravi metu ac periculo vitæ. ibid.n.25.

Quando contrahentes cum impedimento dirimente graviter peccent, & qualiter. ibid.n.26.

Quando vel quando in copula habita inter sic impeditos sit malitia specialis. ibid.n.27.

Confessio post initum contractum impedimento facienda est separatio. ibid.n.28.

Quo casu licebit confessio debitum reddere, etsi pars sit in bona fide; aut Ecclesia urgeat per censuras. ibid. num.29.

Impedimenta dirimentia carmine expressa recensentur. p.576.n.34.

Error. Conditio.

Error personæ irritat jure naturæ matrimonium, etsi sit invincibilis vel non comitans. ibid.n.35.

Quæ obstat exemplum Jacob & Liæ aut benedictionis Jacob, vel aliorum contractuum aut Sacramentorum. ibid.n.36.

Error qualitatis personæ non dirimit matrimonium ex natura rei per se loquendo. ibid.n.37.

Quando est, si consensus præstetur sub conditione quod qualitas subsit; aut error qualitatis redundet in personam; quod quandonam contingat. ibid.n.38.

Error circa qualitatem servilem irritat matrimonium personæ liberæ cum servili. p.577.n.39.

Quæ concomitans sit aut invincibilis. ibid.n.40.

Quomodo si ignoretur servitus jam abolita, aut servus contrahat cum serva falsò putans esse liberam. ibid.

An error circa conditionem servilem irritet matrimonium jure naturæ. ibid.n.41.

Votum. Disparitas Cultûs.

Votum solemne dirimit Matrimonium contrahendum. ibid.n.42.

Idem est de votis simplicibus emissis in Societate Jesu. ibid.

Votum solemne dirimit matrimonium jure solum Ecclesiastico. ibid. num.43.

Disparitas cultûs dirimit matrimonium inter fidelem & infidelem, seu baptizatum & non baptizatam. p.578. n.44.

Idque Jure Ecclesiastico. ibid.n.45.

At inter baptizatos quantumvis cultu dispares, matrimonium valide, etsi illicitè contrahitur. ibid.n.46.

An id sit ità intrinsecè malum, ut nullo casu liceat matrimonium Catholici cum Hæretica. ibid.

Cognatio.

Cognatio est triplex. ibid.n.47.

Cognatio carnalis seu consanguinitas quid sit. ibid.

Linea consanguinitatis, alia est ascendentium, alia descendentium, alia collateralium. ibid.n.48.

Gradus consanguinitatis qualiter sint computandi. ibid. num.49.

Consanguinitas in linea rectâ dirimit jure naturæ matrimonium in quovis gradu. p.579.n.50.

Satisfit objectionibus. ibid.n.51.

Consanguinitas in linea transversa dirimit matrimonium usque ad quartum gradum. ibid.n.52.

Et quidem jure merè Ecclesiastico à secundo gradu inclusivè. ibid.

At inter fratrem & sororem valde probabiliter etiam jure naturæ. ibid.n.53.

Quo sensu Abraham uxorem appellet sororem. p.580. num.54.

Cognatio spiritualis quid sit, & inter quos contrahatur. ibid.n.55. *Vide* Baptismi Ceremoniæ.

Cognatio legalis oritur ex adoptione. ibid.n.56.

Quæ vel est perfecta, & dicitur arrogatio, vel imperfecta. ibid.

An ex hac oriatur impedimentum dirimens. ibidem. num.57.

Inter quos dirimat matrimonium adoptio perfecta. ibid.

Affinitas.

Affinitas quid sit, quomodo computanda, & quis ejus stipes. ibid.n.58.

Non extenditur affinitas ad consanguineos affinium inter se spectatos. p.581.n.59.

Quæ genera affinitatis sint sublata per Innocentium III. ibid.

Affinitas oritur ex sola copulâ consummata per se ad generationem idonea. ibid.n.60.

Etiamsi copula occulta aut involuntaria, aut fornicaria fuerit, affinitas contrahitur. ibid.n.61.

Affinitas non oritur ex matrimonio rato. ibid.

Affinitas orta ex copula conjugali dirimit matrimonium usque ad quartum gradum. ibid.n.62.

Orta verò ex copula fornicaria usque ad secundum inclusivè. ibid.n.63.

Nulla affinitas dirimit jure naturæ matrimonium, sive in linea transversa sive etiam in rectâ. ibid.n.64. & p.582.n.65.

Affinitas supervenies matrimonio impedit petitionem debiti in incestuoso. Vide Debitum Conjugale.

Publica Honestas.

Impedimentum publicæ honestatis quid. p.582.n.67.

Impedimentum hoc inducunt sponsalia valida solum in primo gradu jure novo. ibid.

Quid antiquo jure statutum fuerit. ibid.

Impedimentum hoc non tollitur per mortem sponsi aut sponsæ, nec per sponsalium irritationem. ibid.n.68.

Immo nec per sponsalium dissolutionem ex mutuo consensu. ibid.p.583.
Quædam notabilia pro praxi. ibid.n.69.
Qualiter oriatur publica honestas ex matrimonio rato. ibid.n.70.
An etiam ex matrimonio ob clandestinitatem invalido. ibid.n.71.
Opinio singularis Præpositi. ibid.

Crimen & Raptus.

Quid impedimentum criminis; cur statutum, & an jure naturæ. ibid.n.72.
Quid si committentes crimen non sint ambo fideles. ibid.
Impedimentum criminis oritur ex triplici capite. ibid. p.584.
Primò ex homicidio solo compartis; & quando. ibid. num.73.
Secundò ex adulterio solo seu citra homicidium; & quando. ibid.n.74.
Tertiò ex adulterio unà cum homicidio facto ad potiendum nuptiis cum adultera. ibid.n.75.
An requiratur utrimque notitia adulterii quà talis. ibid. num.76.
Impedimentum criminis solum subsistit inter ipsos criminosos. ibid.
Raptus mulieris jure novo dirimit inter ipsam & raptorem matrimonium, donec sit restituta loco tuto. ibid. num.77.
Pœna raptorum & cooperantium. ibid.p.585.
An raptus similiter dirimat sponsalia. ibid.
Raptus generatim violentam abductionem causâ libidinis aut matrimonii factam significat. ibid.n.78.
Is solum dirimit matrimonium, qui sit causâ ejusdem. ibid. num.79.
Raptus viri an similiter dirimat matrimonium. ibid. num.80.
Non est impedimentum inter cooperantes raptui & raptam. ibid.n.81.

Impotentia.

Impotentia quid & quotuplex. ibid.n.82.
Ex quibus capitibus oriatur. ibid.n.83.
An sine vasis penetratione possit consummari matrimonium. ibid.
Impotentia temporalis non dirimit matrimonium. p.586. num.84.
Impuberes ex natura rei possunt validè illud contrahere. ibid.n.85.
Secùs jure Ecclesiastico, nisi malitia suppleat ætatem. ibid.
Quòd si qui initio pubertatis necdum sint potentes, an validè contrahant. ibid.
Impotentia perpetua & præcedens, etsi nota fuerit comparti, dirimit matrimonium. ibid.n.86.
Cur aliud sit de impotentia superveniente matrimonio contracto. ibid.n.87.
Impotentia moralis oriunda ex pacto non dirimit matrimonium. ibid.
Eunuchi perfecti sunt inhabiles ad quodvis matrimonium, etiam jure naturæ. ibid.n.88.
Impotentes non possunt contrahere validè matrimonium ad finem castè vivendi. p.587.n.89.& seq.
Quid censendum de Hermaphroditis. ibid.n.91.
An steriles possint contrahere matrimonium. ibid.n.92.
Quid censendum de senibus decrepitis. ibid.n.93.
Quid de infirmis morti vicinis. p.588.n.94.
Quid denique de femina semper faciente abortum, an periculo cum vitæ discrimine evidenti. ibid.n.95.
Impotentia respectiva seu im dirimit Matrimonium [illegible] *ctu sic impotentium.* ibid.n.96.
Unde ipsa oriatur. ibid.
Quid agendum, quando post contractum Matrimonium impotentia se prodere incipit. ibid.n.97.
Qualiter computanda sit experientia triennalis permissa in dubio. ibid.n.98.

Impedimentorum Dispensatio.

In impedimenta dirimentia ex essentia ipsius contractus non cadit dispensatio. p.588.n.99.
In alia quæ dirimunt jure divino vel naturali largo, sed divina. p.589.n.100.
In dirimentia jure Ecclesiastico sola Pontificia cadit dispensatio, per se loquendo. ibid.n.101.
An per accidens possint Episcopi in illis dispensare, & quando. ibid.n.102.
Et specialiter an dispensare possint in defectu pubertatis. ibid.n.103.
Referuntur quædam privilegia. ibid.n.104.
Causæ ordinariæ dispensationum matrimonialium assentur. ibid.n.105.
In impedimentis superuenientibus matrimonio, ejusque usum impedientibus dispensat Episcopus. p.593.n.13.
Quid circa hoc possint Confessarii Mendicantium. ibid.

Matutinum.

Non est obligatio, saltem gravis præmittendi matutinum celebrationi Missæ. p.362.n.154.

Melchisedech.

Melchisedech sacrificasse panem & vinum, negant Novatores; sed refutantur. p.332.n.14.
Ipsum fuisse Sacerdotem ostenditur. ibid.n.15.
An Sacrificium Melchisedech fuerit Sacramentum p.119. num.34.

Messias.

Messias idem est, quod Christus. p.5.n.11.
Jesum esse Messiam pertinaciter negant Judæi. ibid.
Asserunt Christiani: quod variè prophetæ, & quando desierit sceptrum in Juda ostenditur. ibid.n. 12. &c.
Vide Judæi.
Cur Messias venerit circa finem temporum, potius, quam in principio. p.7.n.21.
Messias est verus Deus. ibid.
Messias verus Homo. p.8.n.23.
Quo sensu Christus dicatur factus in similitudinem hominum. ibid.n.24.
Vide Christus.

Methodius.

Methodii Patriarchæ Constantinopolitani decretum difficile discutitur. p.295.n.60.& 61.

Metus.

Quid sit metus absolutè gravis. p.545.n.18.
Quid metus respectivè gravis. ibid.n.19.
Quis sit metus levis. ibid.p.546.
Alius est incussus ad extorquendum consensum justè vel injustè, alius non. ibid.n.20.
Metus gravis injustè incussus ad extorquendum matrimonium irritat illud, etsi sit incussus à tertio. ibid.n.21.
Secùs est de metu levi, aut justè incusso. ibid.n.22.
Secùs quoque est de metu à causa naturali, vel etiam libera, sed ad alium finem illato. ibid.n.23.
Corollaria. ibid.n.24.
Metus irritat Matrimonium jure divino. ibid.n.25.

Funda-

Fundamenta oppositæ sententiæ proponuntur & solvuntur. p.347.n.26.

Miraculum.

Operatio Miraculorum Christi ab ejus humanitate tam quam ab instrumento morali processit. p.22.n.20.

Missa.

Missa est vox Latina primò usurpata, ut sit idem quod missio seu dimissio populi scilicet. p.335.n.27.

Quia sensim sacerdos dicit, Ite, Missa est: & olim sic erat Missa seu dimissio Catechumenis. ibid.

Sæpe, & sæpè etiam apud Veteres significat totum officium, in quo peragitur Sacrificium. ibid.

Quia pars prior usque ad Offertorium Missa Catechumenorum, posterior dicitur Missa Fidelium. ibid.

Quid Missa sicca, & an licita. p.371.n.102.

Missæ privatæ sunt licitæ. p.337.n.36.

Missa ex usu antiquo Ecclesiæ non est celebranda linguâ vulgari. p.364.n.165.

Congruentia assignatur: & concessio Pauli V. facta Sinensibus, & antiquior facta olim Moravis explicatur. ibid.n.166. & seq.

Quid Ecclesia quædam in Missa secretò dicenda præscripsit. ibid.n.168.

Quod etiam fuit servatum in Ecclesia Græca: in qua tamen consecratio fit altâ voce. p.365.n.169.

Occasio consecrationem secretò proferendi in Ecclesia Latina. ibid.

Christi altâ voce consecrantis exemplum non obstat. ibid.

Vide Celebratio. Sacrificium.

Missæ Stipendium.

Stipendium pro Missa licitè accipitur. ibid.n.170.

Immo licitè exigitur ac in pactum deducitur: etiam à sacerdotibus alioquin divitibus, aut beneficiatis merè ad celebrandum adstrictis, non autem ad applicandum. ibid.& n.171.& seq.

Satisfit declarationibus Cardinalium. ibid.n.173.

Corollarium pro praxi. ibid.n.174.

Potest quis pro pluribus simul celebrare, donec sit singulis satisfactum. ibid.

Quibus diminuta stipendia possint uniri usque ad quantitatem sibi stipendii. ibid.n.175.

An vel quando possit quis parte stipendii pinguioris retentâ committere alteri celebrationem Missarum. p.366. num.176.

Quomodo contrarium secus peccet. ibid.

Quam decretum Urbani VIII. hac de re non comprehendat, & in quibus casibus non obliget. ibid.

Sacerdos nequit duplicatum stipendium accipere, etsi uni petentium applicaret portionem sibi propriam. p.367. num.178.

Contrarium probabatur decreto Urbani VIII. & damnatur ab Alexandro VII. ibid.

Nequit etiam Sacerdos duplicatum stipendium accipere applicando uni fructum satisfactorium alteri impetratorium. ibid.n.179.

Casus in quibus locum habet exceptio. ibid.

Doctrina de hoc Thomæ Hurtadi reprobata. ibid.

Tenetur sacerdos ex justitia satisfacere debitibus stipendium. ibid.n.180.

Qualiter peccet non satisfaciens uni Missæ pro qua accepit stipendium: vel quam alteri liberaliter promisit. ibid.

Obligatio est ex genere gravis satisfaciendi brevi tempore. ibid.n.181.

Quodnam tempus hîc censeatur breve. p.368.n.182.

An Missæ dicendæ uno mense possint anticipari. ibid. num.183.

An Missæ addictæ certis hebdomadæ diebus, possint dici aliis diebus. ibid.n.184.

Qualiter servandus locus celebrationis Missarum determinatus per fundatorem. ibid.n.185.

Facilius excusatur celebrans præcisè in alio altari, quàm insuper in alia Ecclesia. ibid.n.186.

Qualitas altaris v.g. privilegiati quid momenti hîc adferat. ibid.n.187.

An locum mutans teneatur ad restitutionem stipendii. ibid.

An Capellanus ad quotidianum Sacrum obligatus, si impediatur morbo, debeat per alium supplere. ibidem n.188.

An is aliquando possit pro se ipso celebrare vel abstinere. p.369.n.189.

An si licitè abstineat, possit stipe acceptâ celebrare pro tertio. ibid.

Non tenetur in Natali Domini, nisi unam Missam applicare. ibid.n.190.

Neque in triduo Majoris hebdomadæ celebrare. ibid.

Potest pro defunctis in communi celebrare die 2. Novembris. ibid.

Testi regulariter satisfacere per substitutum. ibid.

An Sacerdos acceptâ stipe possit celebrare Missam diei currentis, etsi rogatus sit dicere v.g. Missam de Requiem; de S. Maria &c. ibid.n.191.

Notabile pro praxi. ibid.n.192. & in supplemento ad calcem hujus indicis.

An idem teneatur etiam fructum Orationum, quæ in Missa dicuntur petentibus illam applicare. ibidem num.193.

Dato quod sic, adhuc non obligaretur inde Sacerdos se purgare à peccato aut censura. ibid.n.194.

Ordinatio Tridentini circa reductiones Missarum refertur. p.370.n.195.

Recentiora Decreta Urbani VIII. recensentur, & explicantur. ibid.n.196.

An obligent extra Italiam. ibid.n.197.

Moventur quædam notabilia circa dispositionem Tridentini. ibid.n.198.

Missæ Auditio.

Audire Missam & ei interesse coincidunt. ibid.n.199.

Ad hoc obligantur diebus Dominicis & festivis omnes fideles, idque sub gravi obligatione. ibid.

Non obligantur Catechumeni. p.371.n.200.

Quando obligentur pueri. ibid.

Sufficit audire unicam etiam in Natali Domini. ibid.

Quæ pars sit notabilis, ut omittens ei interesse peccet graviter. ibid.n.201.

Et quo capite rustici serò venientes sæpe excusentur à culpa saltem gravi. ibid.

An qui nequit interesse Missæ totæ, teneatur interesse parti. ibid.n.202.

An officio parasceves ubi inciderit festus dies, vel Missa sicca. ibid.

An sufficiat audire successivè priorem medietatem unius, & posteriorem alterius Missæ. ibid n.203.

Quid, si quis audiat duas partes Missæ simul, v.g. unius sacerdotis ab initio usque ad consecrationem, & alterius simul celebrantis à consecratione usque ad finem. p.372.n.204.

Quid in casu voti, aut satisfactionis sacramentalis. ibid. n.205.
Perinde est, qualis ritûs aut Officii Missa audiatur. ibid. num.206.
Similiter in quo loco. ibid.n.207.
Difficultas solum movetur de Oratoriis quibusdam domesticis ob formam Brevium Apostolicorum ibid. num.208.
Præsentia requiritur corporalis. ibid.n.209.
An è fenestra domûs vicinæ possit audiri Missa. ibid. num.210.
Quid de iis, qui occupantur circa necessaria Sacrificio. ibid.p.373.
Intentio audiendi Missam requiritur: & qualis. ibid. n.211.
Item qualis attentio sit necessaria. ibid.n.212.
Compatibilis est lectio rosarii, horarum, satisfactionis sacramentalis &c. ibid.n.213.
Secùs de somno, etiam involuntario. ibid.n.214.
Quid censendum de fabulis. ibid.
Quid de confitente sub missa. ibid.n.215.& seq
Item de collectoribus eleemosynarum. p.374.n.217.
Causæ excusantes ab auditione Missæ generatim recensentur. ibid.n.218.
Qui excusentur titulo impotentiæ spiritualis, vel corporalis. ibid.n.219.
Quinam titulo impotentiæ moralis. ibid.n.220.
Quinam denique titulo consuetudinis vel bonæ fidei. ibid. n.221.
Notabile pro Pastoribus. ibid.n.222.
Quid faciendum ex decentia aut obligatione, ei qui excusatus est ab auditione Missæ. p.375.n.223.
Opinioni singulari Marchantii non favet Scotus. ibid. & n.224.

Monothelitæ.

Hæresis Monothelitarum. p.35.n.27.

Monstrum.

Monstra quæ, & quomodo sint baptizanda. p.194.n.20.

Mundus.

Mundus in fine conflagrabit. p.107.n.57.
Ignis conflagrationis præcedet judicium. ibid.n.58.
Impios affliget, purgabit electos, atque omnes interimet. p.108.n.59.
Destruet omnia mixta, purgabit elementa. ibid.n.60.
Non tamen attinget sidera. ibid.n.61.
Mundus nihilominùs etiam quoad cælos sidereos innovabitur. ibid.n.63.
Non per substantialem mutationem, sed per accidentalem melioriationem. ibid.n.64.
An ignis conflagrationis saltem quoad aliquos effectus sit secuturus judicium. ibid.n.62.

Mustum.

Mustum validè, sed extra necessitatem illicitè consecratur. p.252.n.27.

N.

NAtivitas Christi.
Vide Christi Nativitas.

Nectarius.

Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus Chrysostomi prædecessor non abrogavit usum Confessionis sacramentalis: cujus proinde factum discutitur. p.401.n.7. & seqq.

Nestorius.

Nestorii Patriarchæ Constantinopolitani in Christo personas dividentis error refertur. p.[illegible].n.25.
Et refellitur. ibid.n.26.
Objectiones solvuntur. p.29.n.28.
Idem negavit Mariam esse Deiparam: quod refellitur. p. 73.n.34.

Notitia Confessionalis.

Vide Sigillum Confessionis.

Novatiani.

Novatiani rejecerunt Sacramentum Confirmationis. p. 220.n.1.
Novatianorum error circa reconciliationem lapsorum. p. 377.n.1.

Novellæ.

Novellæ Leonis Imperatoris non sunt in vigore. p.529. n.30.

Novitius. *Vide* Reservatio casuum.

O.

Obex.

OBex alius negativus, alius positivus. pag.170. n.52.
Qualiter tollatur obex in Sacramentis vivorum. ibid.
Videt Sacramentorum Reviviscentia.

Oratorium.

Oratoria, in quibus Missa dici queat, designandi facultas quibus competat. p.353. & seq.
Vide Sacrificii celebrandi locus.
An in Oratoriis domesticis solùm possit Missa dici & præcepto Ecclesiæ satisfieri juxta rigidum tenorem Brevium Apostolicorum. p.372.n.208.

Ordo.

Ordo multiplicitèr sumitur: usitatior pro spirituali potestate per Ordinationem collata: maximè autem, dum de Sacramento quæritur, ejusque Ordinatione. pag. 494.n.1.

Ordinis Sacramentum.

Qui negaverint dari Sacramentum Ordinis. ibid.n.2.
Ipsum in Ecclesia dari de fide: quod variè probatur. ibid. & n.n. seqq.
Septem sunt Ordines. p.495.
Episcopatus est verus Ordo aliqualiter simplici Sacerdotio distinctus. ibid.n.8.
In numero septenario sub nomine Sacerdotii continetur. ibid.n.9.
Episcopatum esse à Christo institutum specialiter probatur. p.496.n.10.
Et quidem tamquam gradum superiorem simplici Sacerdotio. ibid.
Quantum ad potestatem Ordinis. ibid.n.11.
Acris de hoc in Tridentino controversia inter Patres, elucidatur. ibid.
An superioritas Episcoporum sit juris divini, an humani. ibid.& n.12.
Cujus momenti sit inter unam alteramve opinionem discrimen. ibid.p.497.
Satisfit objectionibus præsertim ex S. Hieronymo. ibid.n. 13.& seqq.
Prima tonsura non est Ordo p.498.n.15.
Sed dispositio quædam Ecclesiastica ad Ordines, etsi interdum in jure largè appelletur Ordo. ibid.

Psalmodia non est Ordo, saltem distinctus à Lectoratu. ibid. n.16.

Papatus non est Ordo, etsi sit suprema dignitas, & potestas à Christo constituta. ibid.n.17.

Similiter Cardinalatus non est Ordo. ibid.n.18.

Neque institutus à Christo. ibid.

Sixtus IV. cur numerum septuagenarium Cardinalium statuerit. ibid.

S. Sylvester appellavit Cardinales. ibid.

Qualiter officium ipsum fuerit ab initio Eccles. p.489. num.49.

An possit extingui à Pontifice. ibid.

Nec aliquid momenti in oppositum habent verba Xysti V. ibid.

Quid tenendum de dignitate Archiepiscopali, Patriarchali &c. ibid.n.20.

Officia singulorum Ordinum tam majorum, quàm minorum recensentur. ibid.n.21.& 22.

Cur aliqui Ordines appellentur majores & sacri, alii minores & non sacri. ibid.

Ordo Sacerdotii est verum Sacramentum. pag. 500. num.23.

Similiter Ordo Episcopalis. ibid.n.24.

Qui cur potius præsupponat essentialiter Sacerdotium, quàm cæteri Ordines supponant inferiores. ibid.n.25.

Ordo Diaconatûs est verum Sacramentum. ibid.n.26.

Objectioni satisfit. ibid.n.27.

Ordo Subdiaconatûs & quatuor minores sunt Sacramentum. p.501.n.28.

Contraria opinio non est reprobata in Tridentino. ibid. & seqq.

Singulorum Ordinum Materia & Forma.

Juxta communiorem sententiam materia Episcopatûs est impositio manuum; forma, accipe Spiritum sanctum. ibid.n.31.

Non constat omnes sufficienter, illam esse materiam & formam, saltem totalem, & ratio dubitandi allegatur. p.502.n.32.

Datio capitis, & præsertim manuum cum verbis correspondentibus, an possit statui materia partialis. ibid.

An ad hoc probandum rectè adducat Arriaga c. Cùm veniisset, de sacra Unctione. ibid.n.33.

Duplex est materia & forma Sacerdotii quæ adfertur & statuitur. p.503.n.35.

Objectiones solvuntur. ibid. n.37.& seqq.

Quomodo Sacerdos ad consecrandum tantùm, invalidè absolveret & inungeret. p.504.n.41.

An valida foret ordinatio Sacerdotis cum patena & calice vacuo, vel si deest in alterutro materia consecrationis. ibid.n.42.

An saltem tali casu deberet iterari sub conditione Ordinatio. ibid.n.43.

Materia & forma Diaconatûs duplex statuitur. ibid. num.44.

Solvitur objectio desumpta ex ordinatione Diaconorum ante scripta Evangelia. ibid.n.45.

Materia & forma Subdiaconatûs assignatur. pag.505. num.46.

Quid censendum de traditione libri Epistolarum cum verbis correspondentibus. ibid.n.47.

Materia & forma minorum Ordinum assignatur. ibid. num.48.

An & qualiter requiratur contactus physicus instrumentorum. ibid.n.49.

Notabile pro praxi. ibid.n.50.

Movetur difficultas ex ritu Græcorum diverso à ritu Latinorum; Græcum tamen legitimum esse declaratur. ibid.n.51.

Atque inde deducitur materiam & formam Ordinum relictam esse quodammodò determinationi Ecclesiæ. ibid. p.506.

Respondetur Marino arguenti verba divina gratia &c. *non esse formam.* ibid.n.52.

Ordinis Minister.

Ordinarius minister Ordinis est Episcopus. ibid.n.53.

Ex commissione Papæ Abbatibus & aliis factâ simplex Sacerdos est minister quoad minores Ordines: immo & Subdiaconatum, ac Diaconatum. ibid. n.54. & p.507.n.55.& 56.

Episcopatus nequit conferri à non Episcopo, immo nec Sacerdotium. p.507.n.57.

Movetur & solvitur difficultas in oppositum mota de Chore-Episcopis; quorum qualitas indagatur. ibid. n.58.& seqq.

An Episcopus sit necessariò consecrandus à tribus Episcopis referuntur variæ sententiæ. p.508.n.61.

Indubitatum est sufficere unum Episcopum ex commissione Papæ frequenter factâ. ibid.n.62.

Discutitur rescriptum S. Gregorii ad S. Augustinum Angliæ Apostolum. ibid.

Variæ concessiones Pontificum in præsenti materia factæ referuntur. ibid.

Immo non constare, quòd tres Episcopi, etiam ordinariè requirantur aliter, quàm ex lege Ecclesiastica, variè probatur. ibid.n.63.

Objectiones solvuntur. p.509.n.65.&66.

Notabile practicum. ibid.n.67.

Ordinis Subjectum.

Subjectum Ordinis capax est solus vir. p.510.n.68.

Difficultas movetur & solvitur de Diaconissis & Presbyteris & Episcopis feminis. ibid.n.69.

Infantes validè ordinari possent etiam in Episcopos citra consensum parentum vel tutorum. ibid.n.70.

In ordinando non requiritur propriè aliqua acceptatio: p.511.n.71.

Ad licitè suscipiendum Ordines requiritur inprimis certa ætas. Quæ requiratur pro majoribus Ordinibus. ibid.n.72.

An manè ordinari possit Sacerdos, qui sub vesperam inchoat annum vigesimum quintum. ibid.n.72.

Præsumentes ordinari ante legitimam ætatem suspenduntur. ibid.

Quid si absit dolus seu præsumptio. ibid.

Ad Episcopatum requiritur annus trigesimus completus. ibid.

Suspensio non afficit eos, si citiùs ordinentur. ibid.

Quæ ætas requiratur pro minoribus Ordinibus & Tonsura. ibid.

Prærequiritur quoque in initiandis Confirmatio; & an sub mortali. ibid.n.73.

Requiritur etiam scientia. ibid.n.74.

Quales ad Tonsuram & singulos Ordines sit necessaria. ibidem.

Examen scientiæ ad quos spectet. p.512.n.75.

Notandum pro Regularibus. ibid.

Requiritur ulteriùs probitas morum, de qua testimonium dare competit Superioribus Regularium quoad sibi subje-

subjectos. ibid.n.76.
Item requiritur carentia impedimenti Canonici & status gratiæ. ibid.
Ordinandus denique ab alieno Episcopo, debet habere dimissoriales proprii. ibid.n.77.
Censetur autem hic proprius Episcopus, qui est Episcopus originis, domicilii, vel beneficii. ibid.
An vel quando Capitulum Sede vacante possit dare dimissoriales, vel licentiam in diœcesi ordinandi alieno Episcopo. ibid.n.78.
Prælati Regularium de jure dant dimissorias suis, sed ad Diœcesanum, si adsit & ordinet, aliàs ad quemliber. ibid.
Quid possint ex privilegiis. ibid.n.79.
An etiam Novitiis possint dare dimissoriales. ibid.

Ordinandorum Titulus & Tempus Ordinationis.

Initiandus sacris Ordinibus debet habere titulum beneficii. p.513.n.80.
Quando sufficiat titulus patrimonii aut pensionis. ibi
Quid statuat Tridentinum circa resignationem tituli Ordinationis. ibid.
Religiosi professi non indigent alio titulo. ibid.n.81.
Non professi qualiter admittantur, nisi titulum habeant. ibid.
Ordinari tamen possunt Clerici Societatis post emissa iisdem vota simplicia. ibid.
Insufficientia beneficii potest patrimonio suppleri. ibid. n.82.
Quæ quantitas fructuum sufficiat. ibid.
Requiritur beneficium perpetuum. ibid.n.83.
Non sufficit esse filium patris divitis: qui posset constringi ad portionem designandam in hunc finem; quæ tamen computando venit in legitimam. ibid.
Titulus Patrimonii potest alienari ad libitum, obtentâ aliundè sufficienti sustentatione. p.513.n.84.
An alienatio citiùs facta sit invalida. ibid.
Promotus sine titulo sufficienti verosimiliter non incurrit suspensionem. ibid.n.85.
Vìde nec ordinatus ficto titulo, sed satìs probato ipsi ordinanti. ibid.p.514.
Opposita sententia Suarez quoad utrumque. ibid.
Iudicium Auctoris. ibid.
Servanda sunt certa anni tempora; & quæ illa sint. ibid. n.87.
Tonsura omni die, horâ & loco conferri potest. ibid.
Privilegia Regularium recensentur. ibid.n.88.
Interstitia sunt servanda, sic ut nullus eodem die possit suscipere duos Ordines sacros. ibid.n.89.
Immo juxta Tridentinum requiritur intervallum unius anni, etiam inter Ordines minores & Subdiaconatum. ibid.
Privilegia Regularium quoad interstitia. ibid.n.90.
An iis sit derogatum per Tridentinum. ibid.p.515.
Solvitur locus quidam Tridentini. ibid.
An post Tridentinum sint data in hanc rem privilegia. ibid.
Satisfit cuidam Declarationi Cardinalium. ibid.n.91.

Ordinis Effectus.

Effectus huius Sacramenti est gratia habitualis, & danda suo tempore auxilia gratiæ actualis. ibid n.92.
Item characterem imprimunt quotquot Ordines sunt Sacramentum; & quidem singuli distinctum specie. ibid.n.93.
An ex consecratione Episcopi, vel secundâ ordinatione potiali Sacerdotis imprimatur distinctus character. ibid. n.94.

Ordinibus sacris annexa Continentia.

Obligatio continentiæ non tangit initiatos minoribus tantùm Ordinibus. p.516.n.95.
An hi percent redeundo ad statum secularem etiam sine causa. ibid.
Quid si quis ab initio statum clericalem assumere absque animo perseverandi. ibid.
Sacerdotibus & Diaconis fuit ab initio inhibita contractio Matrimonii. ibid.n.96.
Quid de Subdiaconis. ibid.n.97.
Initiati sacris Ordinibus non tantùm illicitè, sed etiam validè contrahunt Matrimonium. ibid.n.98.
Qui post initum Matrimonium susceperunt sacros Ordines, tenentur etiam ad continentiam. ibid.p.517.
Idem fuit aliquando in Ecclesia Græca, quod tamen multis est abrogatum, saltem extra casus minus frequentes. ibid.n.99.
Nihilominus in ea non licet ordinatis transire ad nuptias. ibid.n.100.
Quòd si contrahant, eorum conjugia sint valida. ibid.
Continentia Clericorum ad quid obliget. ibid.n.101.
Non est juris divini. ibid.
Nec propriè ex voto, sed ex præcepto Ecclesiastico. ibid. n.102. & p.518.n.103.& seqq.
Probatur id solet ex Tridentino Sess.24. can.9. sed melius citer, attentâ historiâ Palavicini. p.518.n.102.
Objectiones solvuntur. ibid.n.104.& seqq.
Ordo sacer dirimit Matrimonium contrahendum jure Ecclesiastico. p.519.n.109.
Ordinati in infantia non tenentur ad castitatem. ibid. n.110.
Idque licèt obligatio continentiæ esset ex præcepto divino. ibid.
Non obligantur ordinati ante pubertatem etsi possent vovere castitatem perpetuam. ibid.n.111.
Quid censendum de puberibus ante annum 16. ætatis ordinatis. ibid.n.112.
Qualiter adjectio subsequens inducat obligationem continentiæ. p.519.n.113.
Non ligatur lege continentiæ ordinatus ex metu gravi ad id injustè incusso. ibid.n.114.
Prout nec conjugatus suscipiens ordines ex metu simili ad continentiam obligatur. ibid.
Quid agendum in foro externo. ibid.
Objectiones solvuntur. ibid.n.115.& 116.
Ecclesia rectè annexuit sacris Ordinibus continentiam. p.521.n.117.
Objectiones hæreticorum solvuntur. ibid.n.118.& seqq.
Quantum differant Catholici ab Hæreticis prohibentibus nuptias. ibid.n.121.

Organizatio.

Organizatio Christi an & quomodo fuerit instantanea & miraculosa. p.18.n.68.

P.

Parochus.

Quando & qualiter pro suis subditis obligetur Parochus celebrare. p.37.n.95.
Vide Sacrificii celebrandi tempus.
Quando obligetur ministrare Sacramentum Pœnitentiæ. p.456.n.53.
Quando teneatur ministrare extremam Unctionem. p.483. n.31.

Obligatur Eucharistiam ministrare, quoties rationabiliter subditi eam petunt. p.300.n.13.
aliàs non. ibid.
An obligetur tempore pestis cum periculo vitæ. ibid.
An possit se subducere periculo renuntiando officio. ibid.
An Parochus possit ubivis assumi ad audiendas confessiones p.454.n.44.

Pascha.

A Baptismo Christi usque ad ejus mortem quot Paschata intercurrerint. p.80.n.63. & seq.
Pascha Iudæorum quando celebrabatur. p.240.n.10.
Quo sensu Christus in die Paschæ mortuus dicitur esse, mortuus in parasceve Paschæ. p.241.n.14.
An Pascha occurrens in parasceve potuerit transferri in crastinum. p.242.n.17.
Quid nomine Paschatis intelligatur in præcepto annuæ communionis. p.312.n.38.

Peccatum.

Peccata qualiter sint confitenda. Vide Confessio.
Peccata venialia remittuntur per quatuor Sacramenta. p.176.n.81.
De omnibus tamen est communior opinio. ibid.
Majora peccata sunt appretiative magis detestanda quàm leviora implicitè scilicet, non necessariò explicitè. p.391.n.27.
Vide Pœnitentiæ Actus.

Pentecoste.

An festum Pentecostes anno passionis Christi inciderit in sabbatum; quæve vera ratio concordandi passionem Christi in die veneris cum adventu Spiritûs sancti in die Dominico. p.243.n.19.

Pœna. Pœnalitas.

An sponsalibus possint apponi pœnæ. p.528.n.29.
Differentia inter pœnam propriè dictam & pœnalitates hujus vitæ. p.206.n.16.
Vide Baptismus. Effectus. Indulgentiarum Effectus.
Pœnitentia Sacramentalis. Vide Satisfactio Sacramentalis.

Pœnitentiæ Actus.

Pœnitentia interior quid; & quæ vocis etymologia. p.386.n.1.
Hæreticorum de ea omnio refertur & refellitur. ibid.
Vide Contritio & Attritio.
Pœnitentia peccatorem Deo reconciliet debet esse efficax. p.390.n.20.
Efficacia quo actus declaratur. ibid.n.21.
Pœnitentia reconciliativa debet esse cum proposito non peccandi de cetero. p.391.n.22.
Sufficit autem propositum implicitum in ipsa pœnitentia efficaci. ibid.
Auctoritates explicantur. ibid.n.23.
Practicè laborandum est pro explicito proposito. ibid.
Ad pœnitentiam reconciliativam non requiritur certa actûs intensio aut duratio, sed perfecta appretiatio. ibid.n.24.
Aliquæ expressæ comparationes sunt periculosa imperfectis in charitate. ibid.n.26.
An quo consistat perfecta appretiatio declaratur. ibid. num.25.
Majora peccata sunt appretiative magis detestanda, implicitè scilicet: non necessariò explicitè. ibid. n. 27. & seq.
Qui inter propria peccata comparatione factâ levius peccatum præ gravi detestaretur, peccaret, & quomodo. ibid.
Factâ comparatione inter peccata propria & aliena, ista sunt præ his, etsi gravioribus, detestanda pag.392. num.29.
Pœnitentia reconciliativa debet esse de omnibus mortalibus. ibid.n.30.
Potest dari alioquin pœnitentia bona, quæ non est generalis. ibid.n.31.
Generalitas motivi facit ordinariè saltem generalem esse dolorem de quovis mortali. ibid.
Singulos de singulis peccatis dolores aliqui requisiernnt. ibid.n.32.
Alii satem unum, qui distinctè feratur in singula peccata post examen occurrentia. ibid.
Quæ quidem sunt consulta; sed nullatenus esse necessaria, ostenditur. ibid.n.33.

Pœnitentiæ Sacramentum.

Ivxta Concilia, Scripturam & Patres datur Pœnitentiæ Sacramentum. p.377.n.1.&seqq.
Qualiter distinguatur Sacramentum Pœnitentiæ à Baptismo. p.378.n.5.
Responsio Hæreticorum Auctoritates de Baptismo ad memoriam revocato exponentium enervatur. ibid.n 4.
Exponitur locus Scripturæ & Augustini ab Hæreticis objectus. ibid.n.6.
Christus instituit hoc Sacramentum præcipuè post resurrectionem. Joan. 20. ibid.n.7.
Sacramentum pœnitentiæ validum & informe dari, diversi diversimodè adstruunt. p.399.n.58.
Oppositum probatur. ibid.n.59.
Occurritur objectionibus. ibid n.60.
Cur dolor ob motivum particulare non possit facere hoc Sacramentum validum & informe. ibid.n.61.
Instantia quorumdam Recentiorum solvitur. ibid.n.62.
Quid censendum de absolutione data illi, qui perfectè attritus confessionem fecit, & ante absolutionem de novo peccat. ibid.

Sacramenti Pœnitentiæ Materia & Forma.

Materia remota Pœnitentiæ sunt peccata post baptismum commissa, etiam venialia vel aliàs confessa & absoluta. p.378.n.8.&p.379.n.9.
Forma Sacramenti potest repeti super eamdem materiam remotam. ibid.n.10.
An requiratur cum iterata peccatorum confessione iteratus dolor. p.379.n.11.
Notabile pro praxi. ibid.
An peccatum dubium sit sufficiens materia Sacramenti. ibid.n.12.
Quasi materia proxima sunt actus pœnitentis, scilicet Contritio, Confessio & Satisfactio. ibid.n.13.
Cur actus Pœnitentis dicantur quasi materia. p.380. n.14.
Opinio Scotistarum de hac re solum in modo loquendi à reliquis differentium declaratur. ibid.n.15.
Quâ ratione actus pœnitentis dicantur partes Pœnitentiæ: & ad illius constitutionem concurrant. ibid. num.16.
An contritio debeat adesse tempore Confessionis, an verò possit tunc non amplius existere. ibid.n.17.
An contritio debeat elici ex ipsa intentione confitendi seu Sacramentum suscipiendi. ibid.n.18.& seq.
Notabile pro praxi. p381.n.20.

An contritio debeat præcedere confessionem, an autem sufficiat, quod præcedat absolutionem. ibid.n.21.
Vide Contritio, & Attritio *vel* Dolor.
Secunda pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ est Confessio. p.400.n.1.
Vide Confessio.
Tertia pars materialis est satisfactio. p.425.n.1.
Vide Satisfactio.
Forma Sacramenti Pœnitentiæ cum precibus laudabiliter adjungi solitis ex Rituali Romano describitur. p.38 n.22.
Brevis formula absolutionis in necessitate. ibid.
Alia in concursu pœnitentium, vel aliàs ad libitum adhibenda. ibid.p.382.
Forma essentialis quæ. ibid.n.23.
Invocatio Trinitatis non spectat ad essentiam formæ: cujus proinde effectus non suspenditur eò usque. ibid.n.24.
Ly omnibus *in absolutione non est addendum.* ibid.
Ad valorem formæ sufficit dicere, absolvo te. ibid.n.25.
Objicitur Tridentinum & explicatur. ibid.n.26.
An dum additur à peccatis suspendatur eo usque effectus Sacramenti. ibid.n.27.
Verba formæ sunt proferenda indicativè. ibid.n.28.
Discutiuntur quæ in contrarium ex latinis allegat Morinus. ibid p.383.
Græci utuntur forma indicativa, & quali. ibid.n.29.
Examinantur quæ in contrarium adducit Morinus. ibid. n.30.
Variæ opiniones de sensu formæ. p.384.n.31.& seqq.
Qui verificetur forma circa peccata antea remissa. ibid. n.34.
Absolutionem absenti datam valere, & in necessitate licere olim plurimi docuerunt. p.385.n.36.
Opinio contraria est communis, & satis certa ex decreto Clementis VIII. quod hic allegatur & expenditur. ibid.
Idem probatur exemplo cæterorum Sacramentorum, & ex ipsa forma. ibid.
Non obstant exempla Morini. ibid.n.37.
Eius doctrina singularis, uti & potestatio, discutitur. ibid.
Occurritur etiam alteri objectioni. p.386.n.38.
Qualis & quanta præsentia sit necessaria. ibid.
Absolutio ore danda, sic ut scripto data certò non valeat. ibid.n.39.
Non obstat quod sententia judicialis in aliis Sacramentis scripto detur. ibid.n.40.

Sacramenti Pœnitentiæ Minister.

Solus Sacerdos est validus Minister Sacramenti Pœnitentiæ. p.446.n.1.& seqq.
Examinantur dicta Pamelii & Morini circa hanc materiam. p.447.n.2.
Laicus nullo modo est validus minister huius Sacramenti; apud eum proinde nullo casu instituenda confessio. ibid. n.3.
Respondetur ad Augustinum, & locum Iacobi 5. in contrarium allegatum.
Quid significetur nomine clavium. ibid.n.4.
Potestas clavium tum ad solvendum tum adligandum qualiter detur in Ordinatione cuivis Sacerdoti juxta Tridentinum. ibid.n.5.
Refertur & refutatur opinio Hesselii dicentis, potestatem ligandi propriè non convenire omni Sacerdoti, sed tantum iis qui possunt excommunicare. ibid.n.6.
In ipsa Ordinationis forma exprimitur potestas retinendi peccata. ibid.p.448.
Quo sensu potestas excommunicandi &c. censeri possit nimine clavis. ibid.n.7.
Alia clavis scientiæ, alia potestatis. ibid.n.8.
Ad validam absolutionem certo requiritur Iurisdictio ordinaria, vel delegata. ibid.n.9.
Vide erronea est doctrina Armachani, quæ refertur. ibid. n.10.
In Ordinatione solum confertur potestas Ordinis, non Iurisdictionis. ibid.n.11.
Has esse potestates distinctas, contra Vasquez ostenditur. ibid.n.12.
Improbatur similiter opinio Navarri hac in re. p.449. n.14.
Item improbatur opinio Francisci Amici. ibid.n.15.
A venialibus & aliàs confessis mortalibus absolvit simplex Sacerdos, idque ex concessione Ecclesiæ, quæ proinde jurisdictionem in illo casu subtrahere, & de facto subtrahit excommunicatis vitandis. ibid.n.17.
Possunt simplices Sacerdotes indirectè absolvere à mortalibus oblitis, aut justâ de causâ suppressis. p.450.n.18. & 19.
Iurisdictio confertur ab Ecclesiâ etiam pro articulo mortis. ibid.n.20.
A quo conferatur Iurisdictio Confessario Pontificis. ibid.
Vide Iurisdictio.
An Sacerdos dicere possit se absolvere auctoritate accepta à Pontifice. ibid.n.21.
Vide Confessarius.
Qualiter in Ministro huius Sacramenti requiratur approbatio Episcopi. p.452.n.32.& seqq.
Vide Approbatio.
De scientia & ceteris in eodem requisitis.
Vide Confessarius.

Pollutio.

Pollutio coniugata habet speciem mortium. p.554 n.21.
An ipsa sufficiat ad divortium. p.599.n.
Pollutio Ecclesiæ. *Vide* Ecclesia Temporum.

Prælati Regularium.

Possunt Prælati Ordinum Mendicantium Ecclesias suas & cœmiteria benedicere. p.355.n.122.
Possunt iidem Ecclesias consecratas, quando pollutæ sunt, reconciliare, sed (nisi Episcopus id ei ultra duos dietas) aquâ ab Episcopo benedictâ. ibid.p.356.
Possunt etiam Ornamenta Ecclesiastica benedicere. p.19. n.142.
Provinciales possunt Oratoria privata in suis domibus designare. p.354.n.116.
Vide Regulares. Sacrificii celebrandi locus.

Præputium.

Præputium phrasi Scripturæ idem interdum est, quod Gentilissimus: uti Circumcisio idem, quod Iudaismus. p.122. n.46.
Privilegia Regularium. *Vide* Prælati Regularium. Regulares.
Pubes. *Vide* Impuberes.
Purificatio post partum. *Vide* Mariæ Purificatio.

Pyxis.

An & qualiter, & à quo sit benedicenda. p.359.n.139.
An possint hostiæ consecrari in pyxide clausa. p.248. n.4.

Q.

Quantitas.

AN in Eucharistia maneat quantitas panis, sive subjectum specierum Eucharisticarum. p.291. n.9. Vide Eucharistia §. Accidentia Eucharistica.

Qualitas.

Quomodo qualitates Eucharisticæ moveantur, frangantur, condensentur, corrumpantur &c. p.292.n.13. & seqq. Vide Eucharistia suprà.

Opinio Gabrielis asserentis relationem hypostaticam esse qualitatem solum errat in Philosophia. p.14.n.49.

R.

Raptus.

RAptus consistit in abductione violenta, non in detentione. p. 585. n.78. Vide Matrimonii Impedimenta.

Ratihabitio.

Ratihabitio de futuro non sufficit ad validam absolutionem sacramentalem. p.431.n.29.

Regulares. Religiosus.

Mendicantes omnium fidelium, respectu quorum sunt approbati, confessiones audire possunt. p.468.n.1.

Etiam Religiosorum, qui per specialem ordinationem non prohibentur. ibid.n.2.

In his qualis licentia Superiorum requiratur. ibid.n.3.

In licentiâ Generali non consentur comprehensi casus reservati. ibid.n.4.

Pro quibus tamen posse concedi licentia etiam in Ordine Minorum. ibid.p.469.

Possunt Confessarii Mendicantium excipere confessiones fidelium, etiam in articulo mortis & tempore Paschali. ibid.n.

Objectiones solvuntur. ibid.n.6.&7.

Possunt iidem Confessarii excipere confessiones ubilibet, etiam in domibus privatis. ibid.n.8.

Absolvere possunt ab omnibus casibus, etiam Papæ reservatis exceptis contentis in Bullâ Cœnæ. p.470. num.9.

Quæ modificatio facta sit pro Italis extra Vrbem. ibid. num.10.

Fuerunt ante Innocentium absolvere etiam à casibus, quos Ordinarii sibi reservabant. ibid.n.11.

Huic facultati multùm adversatur Decretum S. Congregationis. ibid.n.12.

Variorum de eodem judicia. ibid.

Resolutio Dianæ & Auctoris. ibid.

Generales & Provinciales possunt de jure circa subditos, quod de jure Episcopi circa suos. p.471.n.14.

An iis competat potestas concessa in casus occultos Episcopis in Tridentino sess. 24. c. 6. de Reform. controvertitur. ibid.n.15.

Hanc facultatem & alias, quâ formâ Pius V. extenderit ad Prælatos Regulares, etiam locales. ibid.

Quæ facultas sit concessa Generalibus & Provincialibus per privilegia. ibid.n.16.

Qualiter hæc sit extensa ad Prælatos locales. p.472. num.17.

Est hæc facultas per Prælatos delegabilis. ibid.

An quoad casus Bullæ Cœnæ censeatur revocata. ibid. num.18.

Extendit se etiam ad casus postea per Pontificem reservandos. ibid.n.19.

Regulares Mendicantes quia possint, circa benedictionem sponsorum sacerdotalium, tam proprios, quàm alienos Ecclesiis. p.359.n.142.

An possint ordinari ab alieno Episcopo extra tempora non servitiis interstitiis. p.512.n.78.& 79.& p.514. n.88.& 89.

Regulares qui possint circa impedimenta supervenientia matrimonio contracto. p.593.n.13.

Reliquiæ.

Cultum SS. Reliquiarum post Ebnomium & Vigilantium renuunt recentiores Hæretici. p.58.n.29.

Amplectuntur Catholici. ibid.

Ab antiquo in veneratione habita sunt non solùm integra SS. Corpora, sed & exiguæ particulæ, capilli, sanguinis guttæ, instrumenta passionis, vestimenta &c. p.59.n.33.

Similis planè cultus olim SS. Reliquiis exhibebatur, qui modò. ibid.n.34.

Calumniæ Hæreticorum retunduntur. ibid.n.35.

Eorumdem objectiones solvuntur. ibid.n.36.& seqq.

Ecclesia rectissimè superstitiones gentilium in verum Dei & Sanctorum cultum transtulit. p.60.n.39.

Quid requiratur ad Reliquias privatim colendas. p.61. num.40.

Quid ad colendas publicè. ibid n.41.

Reliquiæ legitimæ approbatæ sunt absolutè colendæ, etsi diversis in locis ejusdem nominis seu Sancti existere perhibeantur. ibid.n.42.

Quid circa non beatificatos decreverit Vrbanus VIII. ibid.n.43.

Reservatio Casuum.

In Ecclesiâ est potestas reservandi casus. p.461.n.1.

Quæ est penes ordinariâ præditos potestate per se loquendo. ibid.

Penes Pontificem quidem respectu totius Ecclesiæ. ibid.n.2.

Penes Episcopos respectu suæ Diœcesis. ibid.

Potestas Generalium & Provincialium sine Capitulo est restricta ad undecim casus, qui recensentur. ibid.n.3. & p.462.n.4.

Illa Capitulum generale Ordinis Minorum superaddidit duos. ibid.n.5.

Quid circa peccata alia ordinet Pontifex Superioribus. ibid.

Non solet Ecclesia reservare merè interna. ibid.n.6.

Reservatio Papalis cadit etiam super peccata, sed dependenter à Censurâ, quâ sublatâ aut non contractâ cessat. ibid.n.6.

Intelligitur quoque reservatio de casibus non dubiis, & mortalibus in suo genere consummatis. ibid.n.7.

Posset Ecclesia reservare peccata merè interna, & quodam sensu venialia: idem est de peccatis dubiis. p.463. n.8.& 9.

Reservatio locum habet etiam in illam ignorantibus. ibid.n.10.

Moderatio quædam adhibetur. ibid.

Non est peccatum reservatum, si peccans falsò putet opus quod facit esse illius generis, quod verè reservatum foret. ibid.n.11.

An gravis metus excuset à reservatione, uti à censura. ibid.

Reservatio casuum in Religione non comprehendit Novitios. ibid.n.12.

An vel qualiter absolutè posset reservatio pro iis fieri per Prælatos Regulares. ibid.
An reservatio particularium Prælatorum afficiat per grinos. ibid.n.23.
Qui possint à reservatis absolvere. p.464.n.14.
Vide Absolutio.
An ob reservationem liceat superiori absolutionem vel pœnitenti confessionem dimidiare. p.466.n.22.& seqq.
Vide Confessionis Integritas.
Reservatio probabiliter tollitur (quamvis non desit ratio dubitandi) à reservatis confessis invalidè sive absolutionem dei superior, sive Delegatus, excepto casu Iubilæi. p.467. n.26.& 27.
Confessione communi modo institutâ apud præditum facultate in reservata non tollitur reservatio ab oblitis. ibid.n.28.
Limitatio Conclusionis. ibid.n.29.
Multorum Recentiorum doctrina longè generalior adfertur. ibid.n.30.
Quæ magis discutitur. p.468.n.31.

Rubricæ Missalis.

An & quæ rubricæ obligent. p.363.n.164.

S.

Sacellanus.

Sacellani aut recipientes stipendium tenentur celebrare toties & pro illis, quoties & pro quibus in litteris fundationis continetur, aut ratione stipendii censentur se obligasse. *Vide* Sacrificii Celebrandi Tempus. Missæ stipendium.

Sacerdos.

Sacerdos vi officii sacerdotalis tenetur aliquando celebrare, juxta opinionem hodie communissimam. p.349.n.92.
Sit ut secùs faciens graviter peccet. ibid.
Opinio contraria discutitur. p.350.n.93.
Ex cap. Dolentes de Celeb. Miss. *non firmiter colligitur communis opinio.* ibid.n.94.
Vide Sacrificii Celebrandi Tempus.
Sacerdos potest aquâ à se benedictâ reconciliare Ecclesiam prius solum benedictam. Idemque est de cœmiterio solitariè simpliciter benedicto. p.355.n.122.
Sacramentalia. *Vide* Ceremoniæ.

Sacramentum.

Nominis Sacramenti varia acceptio. p.111.n.1.& seqq.
Lutherana & Calvinistica Sacramenti definitio refertur & refutatur. p.112.n.4.& seqq.
Commoda definitio Sacramenti, prout est communis ad nova & vetera. p.113.n.8.
Univocatio veterum & novorum Sacramentorum non est necessariò adstruenda. ibid.n.10.
Dissolvitur Objectio Coninck, & altera Cardinalis Lugo. ibid.n.11.& 12.
Arriaga ut univocationem statuat, novam Sacramenti definitionem excogitavit. p.114.n.13.
Quæ discutitur. ibid.n.14.
Cur à solo Deo instituti potuerint Sacramenta etiam non causativa gratiæ. ibid.n.15.
An vel qualiter à ratione Sacramenti excludantur vetera sacrificia. p.115.n.16.
Sacramenti strictè dicti multiplex definitio. ibid.n.17.
Definitio Scoti cum sua declaratione allegatur. ibid.n.18. & seqq.
Sacramentum qualiter debeat esse sensibile; & quare. ibid. & n.19.
Sacramentum est signum ex institutto & practicum. p.116. n.23.& 22.
Excluditur Martyrium à ratione Sacramenti. ibid.n.23.
Sacrificium novæ Legis an & quâ ratione sit excludendum. ibid.
Exclusa Lotio pedum à Christo facta. ibid.n.24.
Excluduntur Sacramentalia. ibid.n.25.
An requiratur habilitas in signis Sacramentalibus. p.117. n.26.
Quid censendum de verbis Christi ad Paralyticum & Magdalenam: item de insufflatione in Apostolos. ibid.
An pro malo ratio Sacramenti sit ens rationis. ibid.n.27.
Sacramenta Legem novam antecedentia.
In statu Innocentiæ de facto nulla fuerunt Sacramenta. ibid.n.28.
An fuissent, si status iste perseverasset. ibid.n.29.
In statu legis naturæ fuit aliquod Sacramentum, scilicet Remedium contra Originale. p.118.n.30.
Quod fuisse Sacramentum ostenditur ex Augustino & congruentia. ibid.n.31.
Quo sensu Patres dicant proparvulis in statu isto sufficisse eam fidem parentum. ibid.n.32.
An vel in quo determinato signo consistebat Remedium Legis Naturæ. ibid.n.33.
Nullum præterea in statu Legis Naturæ fuit Sacramentum. ibid.n.34.
Sola Circumcisio excipitur, quæ pro familia Abrahæ instituta, & postea Legi Mosaicæ inserta fuit. p.119.n.35.
Vide Circumcisio.
In Lege Mosaica fuerunt varia Sacramenta. ibid.n.36.
Quæ præter Circumcisionem ad tres classes reducuntur. ibid.
Veteris Legis Sacramenta non contulerunt gratiam, sed legalem sanctitatem. p.120.n.37.
Quo sensu Augustinus illa nova dicat esse paria. ibid.
Sacrificia expiatoria non valebant ad delendum peccata, nisi ex opere operantis. ibid.n.38.
Eatenus autem erant meritoria apud Deum. ibid.
Qualiter Circumcisio eadem est ac Remedium Legis Naturæ delevit Originale, & contulerit gratiam. p.120. quæst. IV. per totum. *Vide* Circumcisio.

Sacramenta novæ Legis.

In nova Lege Sacramenta instituta sunt congruentissimè. p.123.n.51.
De quorum numero valdè incertantur & diversimodè docent sunt Sectarii Recentiores. p.124.n.52.
Sed fides Catholica non plura neque pauciora statuit quam septem. ibid.p.53.
Objectiones hæreticorum solvuntur. ibid.n.55.& 56.
An & quis sit ordo inter Sacramenta novæ Legis. p.125. n.57.
Christus immediatè instituit omnia novæ Legis Sacramenta. ibid.n.58.
Quanta sit hujus doctrinæ certitudo. p.126.n.59.
Auctoritates contrà immediatam Sacramentorum institutionem à Christo factam objectæ, solvuntur. ibid.n.61.
An puræ creaturæ divinitùs potuisset committi institutio Sacramentorum. ibid.n.62.
An potestas excellentiæ quoad Sacramentorum institutionem data humanitati Christi potuisset communicari puræ creaturæ. ibid.n.63.

Sacramentorum Materia & Forma.

In Sacramentis aggregatum signorum sensibilium quodam sensu est materia, significatio, forma. p.127.n.1.

In

In ipsis insuper rebus sensibilibus est distinguere materiam & formam. ibi.
Sic ut juxtà Florentinum omnia novæ Legis Sacramenta perficiantur verbis tantùm materiâ, & verbis tamquam formâ. ibid.n.2.
Quid de Sacramentis veteris Legis. ibid.
Etsi non quævis verba in omnibus Sacramentis sint forma; generaliter tamen vera manet doctrina Florentini. ibid.n.3.
In quo tamen excipitur solum matrimonium, in quantum illud potest perfici sine verbis strictè dictis. p.128. num.4.
In Florentinum velit, quòd omnia Sacramenta essentialiter constituantur ex rebus & verbis. ibid.n.5.
Pro... & intentionem ministri esse partem essentialem Sacramenti censent quidam Recentiores. ibid.n.6.
Quorum dicta examinantur, ac refutantur. ibid.
Quomodo explicari posset, intentionem esse partem essentialem actionis sacramentalis, v.g. absolutionis, consecrationis &c. ibid.n.7.
Hæretici Recentiores exigunt verba concionatoria; sed refutantur. p.129.n.9.
Catholici exigunt verba ritualia seu consecratoria: quod variè probatur. ibid.n.10.
Hæretici maximè se fundant in Augustino: cujus locus celebris ex Tract. 80. in Joan. explicatur. p.128. n.12. & 13.
... Christo determinata; sic ut Ecclesia nil in eis valeat immutare. ibid.n.14.
Neque aliquid immutavit circa substantiam Sacramenti Matrimonii irritando matrimonia clandestina. ibid.n.15.
Vi neque inter Ordinationem Græcorum & Latinorum est substantialis differentia. p.131.n.16.
Omnis mutatio substantialis in materia vel forma Sacramenti irritat Sacramentum. ibid.n.17.
Quæ sensus illa contingere in materia Sacramenti. ibid.
Quando generalis data forma. ibid.n.18.
Regula prima ad hanc mutationem dignoscendam. ibid.
Corollaria de variis formis dubiis aut invalidis. ibid. n.19. & p.132.n.20.
Aliæ regulæ ad dignoscendam mutationem substantialem formæ sacramentalis allegantur. p.132.n.21. & 22.
Quæ coexistentia requiratur inter materiam & formam singulorum Sacramentorum. ibid.& n.23.
... vel omissa non falsificat sensum formæ est mutatio accidentalis: etsi fiat animo inducendi novum ritum, etiam non toleratum. p.133.n.24.
Cui non obstare famosam decisionem Zachariæ c. Retulerunt, d. Consecr.d.4. ostenditur. ibid.n.25.
Omittens, quod falsò putat essentiale, ordinariè non conficit. ibid.n.26.
Substitutio vocis synonimæ est accidentalis mutatio ib.n.27.
Similiter transpositio, quæ tamen relinquat eumdem sensum. ibid.
Quid si dicatur Ego Patris baptizo te in nomine Filii & Spiritus sancti. ibid.
Solatio aut extraneorum interpositio non notabilis non obstat valori formæ. ibid.
Idem est de mutatione aut mixtione idiomatum. p.134. n.28.
Et de barbara aut mutilata pronuntiatione, quæ cum expressione veri sensûs sit compatibilis. ibid.
Mutatio substantialis est mortaliter peccaminosa. ib.n.29.
Immo etiam adhibitio materiæ aut formæ dubiæ. ibid.
Nisi excusset necessitas. ibid.
Aut indeliberatio. ibid.n.30.
Notabile circa repetitionem formæ super eâdem materiâ. ibid.
Mutatio accidentalis aliquando est gravis, aliquando levis pro diversitate materiæ. ibid.n.31.

Sacramentorum Minister.

Is est validus Minister, quem Christus designavit. p.135. num.1.
Qui non Angelos, sed homines designavit tamquam ordinarios ministros. ibid.n.2.
An extraordinariè possit istud ministerium committi Angelis. ibid.n.3.
Quorum, si boni esse sciantur, ministerium non foret revocandum in dubium. ibid.
De animabus separatis idem est quod de Angelis. ibid.
Beatus in corpore reassumpto, si mortale sit, esset indubiè minister ordinarius. ibid.n.4.
An similiter, si in corpore glorioso, est planè incertum. ibid.
Congruentiæ pro parte negativa sunt inefficaces; pront & aliæ pro parte affirmativa. ibid.n.5.
Non omnis etiam fidelis est legitimus seu validus Minister quorumlibet Sacramentorum. p.136.n.6.
Infantes & amentes nullum possunt conficere Sacramentum; muti verò solum matrimonium. ibid.n.7.
Distributio tamen seu applicatio Eucharistiæ ab his fieri posset validè. ibid.
Fidem in ministro requiri ad valorem censuit olim Cyprianus. ibid.n.8.
In eodem errore pertinaces postea fuerunt Donatistæ & alii. ibid.
Oppositum tradit fides Catholica; quæ variè probatur. ibid.n.9.& p.137.n.10.
Objectiones hæreticorum solvuntur. p.137.n.12.
An & qualis intentio requiratur in Ministro. ibid.n.13. & paginis seqq. *Vide* Intentio.
Ad licitum ministerium requiritur Jurisdictio, præterquam in matrimonio. p.145.n.44.
Requiritur etiam status gratiæ sub mortali in ministro ad ill. consecrato. ibid.n.45.
Hanc doctrinam expresè tradit Rituale Romanum. ibid.n.47.
An vel qualiter possit probari ratione. ibid.n.48.
An excusset ignorantia vel necessitas. p.145.n.45.
Confessionem à Ministro mortalis conscio præmitti, est consilii, non præcepti. ibid.n.46.
Varia Corollaria practica. p.146.n.49.
Non sufficit sanctitas Sacramenti citra consecrationem ministri ad gravem obligationem. ibid.n.50.
Ex quo tamen non bene infertur Sacerdotem extra statum gratiæ in necessitate non solemniter baptizantem solùm venialiter peccare. ibid.n.51.
Audientes confessionem in malo statu, sed in bono absolvens, non peccat mortaliter. ibid.n.52.
Dispribuens Eucharistiam in malo statu peccat verosimiliùs mortaliter. ibid.n.53.
Secùs est, de Eucharistiam transferente, aut cum ea populum benedicente. ibid p.147.
Aut de Episcopo in malo statu consecrante Ecclesias, Chrisma, Oleum infirmorum &c. ibid.n.54.
Idem est de Subdiacono, aut Diacono Sacerdoti sub Missa solemni ministrante in malo statu. ibid.n.55.

Item

Item de concionante in malo statu, decluso scandalo. ibid. n.56.

Objectio assumpta ex c. Quæsitum dissolvitur. ibid. n.57. & p.148.n.58.

Ministrans Sacramenta indignis peccat mortaliter per se loquendo. p.148.n.59.

Qualem debeat habere notitiam de dignitate suscipientis. ibid.n.60.

Publicè indignus etiam publicè est repellendus ibid.n.61.

Corollarium practicum cum sua limitatione. ibid.n.62.

Quando censeatur peccatum notorium evidentiâ facti, ibid.n.63.

An sufficiat publica & violenta suspicio ad negandum Sacramentum. p.148.n.64.

Occultè indignus occultè repelli, publicè admitti debet. ibid.n.65.

Patet ex Rituali Romano, usu Ecclesiæ & facto Christi & ratione. ibid.

Objectiones solvuntur: ibid.n.66 & seqq.

An posset negari Eucharistia quæ publicè petitur animo occulto conculcandi eam. ibid.n.67.

An posset indignè communicaturo dari hostia non consecrata. p.150.n.69.

Qualiter nequeat Sacramentum dari ad purgationem criminis. ibid.n.70.

Respondetur ad Decretum Concilii Wormatiensis, quod talem purgationem videtur indicere. ibid.n.71.

Non est ex natura rei illicitum se purgare receptione Sacramenti per modum juramenti execratorii. ibid.

Quid sit speciale in Sacramento Ordinis quoad repulsam occultè indignorum. ibid.n.73.

Quid item speciale in matrimonio. p.151.n.74.& seqq.

Sacramentum Ceremoniæ.

Vide Ceremoniæ.

Sacramentorum Subjectum.

Solus homo viator est capax Sacramenti. p.154.n.91.

In parvulis nulla requiritur intentio. ibid.

In adulto requiritur absentia voluntatis contrariæ. ibid. n.92. *Vide* Intentio.

Indigna Sacramenti susceptio est mortalis, & quare. p.155. n.98.

Excipitur à variis rarus casus. p.156.n.99.

Dispositus ad effectum primarium, non tamen ad secundarium, non peccat graviter. ibid.n.100.

Qualis requiratur in suscipiente notitia de probitate ministri. ibid.n.101.

Per se loquendo non licet suscipere Sacramenta ab indignis. ibid.n.102.

Nec umquam ab eo, qui nequit validè vel licitè illa ministrare. ibid.

Rationabilis tamen causa excusat accedentem ad malum ministrum, qui posset licitè ministrare. ibid.n.103.

Illicitè aditur minister, etiam Parochus & paratus, alium bonum sine incommodo adiri potest. p.157.n.105.

Secùs est si adsit notabile incommodum. ibid.n.106.

Ab excommunicato tolerato, etiam non Parocho, possunt recipi, & peti Sacramenta, uti ab alio peccatore, ob bullam Ad evitanda. ibid.n.107.

Etsi in Parocho sit insuper concurrens obligatio ex parte officii. ibid.n.108.

Non potest tamen excommunicatus se ingerere. p.158. n.109.

Si putetur ministraturus in bono statu, posset adiri pro arbitrio. ibid.

Quid dicendum de ministro, qui est publicus excommunicatus. ibid.n.110.

A ministris non toleratis extra articulum mortis illicitè recipiuntur Sacramenta. p.158.n.111.

In articulo mortis licitè petitur & recipitur ab illis Baptismus & Pœnitentia. ibid.n.112.

Item aliquando extrema Unctio vel Viaticum. ibid.n.113.

Objectio petita ex facto S. Hermenegildi dissolvitur. ibid. num.114.

Sacramentorum effectus.

Hæretici efficaciam Sacramentorum deprimunt, & dum nimi Catholicorum falsò calumniantur. p.159.n.1.

Non excludunt Catholici internas dispositiones, sed exigunt. ibid.n.2.

Quid sit Sacramenta causare gratiam ex opere operato. ibid.n.3.

Hic modus loquendi valde antiquus est, in eadem fere locutione Scripturæ & Patrum. ibid.

Fides decet omnia nova Legis Sacramenta ex opere operato causam gratiam. ibid.

Probatur variè. ibid.& p. seq. per totum.

Fundamentum hæreticorum esse vana ostenditur. p.160.n.10.

Explicatur locus difficilis 1. Petri 3. p.161.n.10.

Sacramenta mortuorum causant per se primam gratiam; at vivorum gratiæ augmentum. ibid.n.11.

Accepta tamen doctrina etiam Sacramenta vivorum interdum primam gratiam per accidens causandam ascribit. ibid.n.12.& seqq.

Omnia Sacramenta indubiè conferunt gratias actuales tempore opportuno. p.162.n.15.& seqq.

Qui ob indispositionem non accepit in Sacramento gratiam habitualem, non accipit jus ad gratias actuales. ibid. num.17.

Neque retinet, si à gratia habituali excidat ibid.n.18.

Recuperatur tamen in [illegible] *Pœnitentiam, & in Sacramentis, quæ reiterantur, ablato obice etiam primò acquiritur.* ibid.p.163.

Gratia Sacramentalis superadditi habitui tantum auxilia seu jus ad illa opportuna dat. ibid.n.19.

Sacramenta non sunt causæ Physicæ, sed moralis dantis. ibid.n.20.& seqq.

Objectiones solvuntur. p.164.n.25.& seqq.

Sacramenta nova conferunt gratiam majorem, quam contulerit ea circumcisio. p.165.

Quæ sunt diversæ speciei, conferunt inæqualem, & inæqualem interobiliarum majorum.

In Sacramentis ejusdem speciei non major gratia ob majorem sanctitatem ministri. ibid.n.31.

Devotio ministri, parentum vel adstantium potest impetrare aliquam gratiam actualem, non tamen vi Sacramenti dandam. ibid.n.32.

Sacramenta ejusdem speciei æquè dispositis semper æqualem dant gratiam. ibid.n.34.

Et meliùs dispositis majorem. p.166.n.35.

Qui censeantur meliùs præ aliis dispositi; quæque sit optima dispositio. ibid.n.36.

Cur adultus in Baptismo semper recipiat majorem gratiam quàm parvulus. ibid.n.37.

Major gratia in Sacramento non datur ob meritum dispositionis; etsi eatenus quoque posit huic respondere gratia specialis. ibid.n.38.

Sacramenta non conferunt gratiam ante realem susceptionem. p.167.n.39.

Quæ sit mens Patrum voto Sacramenti effectum sacramen-

mentalem adscribentium. ibid.n.40.
sacramenta conferunt gratiam habitualem, quando essentialiter complentur. ibid.n.41.
Sacramenta tria inexorabilia. s. super imprimunt Characterem. p.172.& seqq. Vid. Character.
Remissio venialium est effectus non solùm Baptismi Pœnitentiæ, Eucharistiæ & Extremæ Unctionis, sed juxta Doctores communiùs etiam cæterorum Sacramentorum. p.176.n.38.
Quod primum patitur difficultatem. ibid.n.82.
Omnes ejusdem responsiones discutiuntur. ibid.p.177. & 183 & seq.

Sacramentorum Reviviscentia.

Quid Christus suscipere Sacramentum. p.167.n.42.
Baptismo ficte susceptus obice sublato revivisit. p.168.
Variæ probationes adferuntur & expenduntur. ib.& n.seqq.
Baptismus reviviscens confert gratiam sibi specialem & jus ad auxilia actualia remissionem, quæ omnis pœnæ temporalis debitæ pro peccatis Baptismum antecedentibus. ibid n.46.
Confert autem gratiam juxta proportionem dispositionis, quâ tollitur obex. p.169.n.47.
Gratia gratificans, aliùs positivus. p.170.n.52.
Vide Obex.
Præter Baptismum probabiliter nullum aliud revivificans Sacramentum. ibid.n.48.
Oppositum tamen de Confirmatione & Ordine est etiam probabile. ibid.n.49.
Idem varii censent de extremâ Unctione & Matrimonio. ib.
Secus certitudo ostenditur. ibid.n.50.
Eucharistia saltem non revivisci. ibid.
Pœnitentia, si posit esse valida & informis, probabiliter non certò reviviscit. p.170.n.51.
Baptismus cum obice negativo suscepturus revivisci etiam cum solâ attritione, si postea non fuerit commissum mortale. ibid.n.53.
Susceptus cum obice positivo, aut si postea sit commissum mortale, insuper non adsit Contritio, vel saltem perfecta Attritio. p.171.n.54.
Caritas cum attritione subsequente tollere indirectè nequeat peccata sequentia. ibid.n.55.
Peccatum, cui baptizandus adhæret, non est materia confessionis, nisi quatenus post baptismum confirmatur. ib n.56.
Probabilius dimittitur cum Baptismo absolvatur. ibid.
Confertur gratia Sacramentalis per reviscentiam. ibid.n.57.
Baptismus revivisces eodem modo & gradu operatur gratiam, quo suam contritio, vel Sacramentum per quod revivisci. ibid.n.58.

Sacrificium.

Sacrificium latè sumitur pro quovis opere bono. p.329.n.1.
Strictè & propriè pro speciali actu religionis. ibid.
Huic acceptioni obloquentes Sectarii refutantur. ibid.n.2.
Definitur & explicatur Sacrificium propriè dictum. p.330.n.3. & seqq.
Quædam excluduntur à ratione Sacrificii. p.331.n.6.
Quæ significatio sit Sacrificio essentialis, quæ adventitia. ib.
Sacrificium dividi potest primò ex parte materiæ. ib.n.7.
Secundò ex parte formæ ex finis. ibid.n.8.
Tertiò ex parte temporis, quo offerendum est. p.331.n.9.
Quartò ex parte temporis seu status pro quo institutum est. ibid.n.10.
Datur in Lege nova Sacrificium propriè dictum. ibid. num.11.
Variè probatur, signanter ex Sacrificio Melchisedech. p.332.n.13. & seqq.
Novatores negantes Melchisedech sacrificasse, refutantur. ibid.n.14.
Sacrificium novæ Legis perficitur in Missa. p.334.n.21.
Solvuntur objectiones. ibid.n.22.& seqq.
Quid valeat sacrificii cruenti non excludat incruentum. ibid.n.24.
Ratio Sacramenti & Sacrificii potest concurrere eidem rei. p.335.n.26.
Missa quid significet. ibid.n.27. Vide Missa.
Sacrificium propriè actionem sacrificandi, interdum ipsam rem sacrificandam denotat. ibid.n.28.
In Missa sacrificatur propriè & principaliter Corpus & Sanguis Christi, seu ipse Christus. p.336.n.29.
Secundariò panis & vinum. ibid.n.30.
Quorum destructio simul cum Christi positione sub speciebus efficit unicum, non duplex sacrificium. ibid.n.31.
Ipsæ species sunt medium sub quo fit sacrificium. ibid.n.32.
Imò rectò sensu videntur posse dici pars quædam ipsius victimæ. ibid.n.33.
Variæ actiones Missæ sunt sacrificio accidentales, v.g oblatio verbalis, sive antecedens sive sequens Consecrationem. ibid.n.34.
Item fractio hostiæ. ibid.
Quæ nequidem sunt de Sacrificii integritate. ibid.p.337.
Ratio oblationis satis reperitur in ipsa Consecratione ibid. n.35.
Distributio, quæ fit laicis, non est ad sacrificium necessaria. ibid.n.36.
Sine ea Missæ privatæ sunt licitæ. ibid.
Consonat tamen communio assistentium desiderio Tridentini, fini sacrificii & Lyturgiæ. ibid.n.37.
Quotquot & quandocumque communicant, censentur participare de altari seu sacrificio. ibid.
Sumptio à sacrificante facienda non est de essentia Sacrificii Missæ. ibid.n.38.
Spectat tamen ad quamdam illius perfectionem & complementum, jure, ut apparet, divino. p.338.n.39.
Officium in die sancto Parasceves non est propriè Missa seu sacrificium. ibid.n.40.
Seclusâ sumptione adhuc conveniret Sacrificio novæ Legis ratio holocausti. ibid.n.41.
Essentia novi sacrificii consistit in Consecratione; immo in ea sola. ibid.n.42.& seq. & p.339.n.44.
An & qualiter requiratur Consecratio duplicis speciei ad rationem Sacrificii p.339.n.45.
In qualibet Missa Christus est offerens, & quidem principalis, & quo sensu. p.339.n.46.& seqq.
Hâc ratione Christus est Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech. p.340.n.48.
Sacerdotes sunt Ministri propriè, etsi secundariò, sacrificantes. ibid.n.49.
Fideles reliqui offerunt Sacrificium aliquo modo. ib.n.50.
Offertur Sacrificium Missæ pro vivis & defunctis; non quidem pro damnatis, sed pro existentibus in purgatorio. ibid.n.51.& 52.
Non etiam potest sacrificari pro Beatis, nisi certo sensu, qui declaratur. ibid.n.53.
Non potest sanctis Sacrificium offerri, sed Deo soli in honorem & memoriam Sanctorum. p.341.n.54.
Potest offerri pro non baptizatis Sacrificium Missæ quoad fructum impetratorium. ibid.n.55.
Vel quatenus est opus bonum sacrificantis, vel quatenus comple-

complectitur preces Ecclesiæ. ibid.n.56.
Non tamen quoad fructum principalem seu satisfactorium juxta receptam sententiam. ibid.n.57.
Etsi oppositum non sit improbabile. ibid.n.58.&seqq.
Sacerdos in Missa triplicem personam sustinet. p.342.n.61.
Potest in ea tamquam persona privata secretò orare pro excommunicatis, etiam non toleratis. ibid.
Non tamen tamquam minister Ecclesiæ pro iis offerre sacrificium aut publica suffragia. ibid.
Tamquam minister Christi validè iis applicare fructum sacrificii. ibid.n.62.
An saltem illicitè. ibid.
Suffragia publica possunt indirectè pro iis offerri. pag. 343.n.63.
Quâ ratione in die Parasceves oret Ecclesia pro Hæreticis & Schismaticis. ibid.
Quid censendum de excommunicatis toleratis. ibid.n.64.

Sacrificii Effectus.

Sacrificium Missæ est Latreuticum, Eucharisticum & Propitiatorium, complectens omnes differentias legalium sacrificiorum. p.343.n.65.
Unde valet ad remissionem peccatorum & justificationem peccatoris, non immediatè, sed mediante auxilio ad pœnitendum. ibid.n.66.
Quod, saltem sufficiens, datur infallibiliter ex probabili ac recepta sententia. p.344.n.67.
Altera sententia tamen non est improbabilis. ibid.
Valet quoque justis ad gratiæ augmentum, sed non nisi mediatè, vel quatenus hostiam veluti Sacramentum ipse sacerdos sumit. ibid.n.68.
Nec aliter quàm mediatè delet probabilius venialia. ibid.n.69.
Delentur quoque per Sacrificium pœnæ purgatorii, etiam in defunctis; & quidem immediatè, ac infallibiliter & ex opere operato. ibid.n.70.&71.
An hoc sit certum omnino. ibid.p.345.
Valet idem sacrificium ad quævis beneficia spiritualia atque etiam temporalia obtinenda, malaque avertenda, veluti præstantissimum Orationis genus; non tamen infallibiliter. ibid.n.72.
An vel quo sensu ex opere operato. ibid.n.73.
Qualiter ad impetrandum prosit devotio ministri. ibid.n.74.
Missa piè celebrata quâ ratione sit melior. ibid.n.75.
Sacrificium prodest iis pro quibus offertur. ibid.n.76.
An fructus crescat pro eorumdem dispositione. ibid.p.346.
Fructus Missæ triplex est portio. ibid.n.77.
Portio specialis seu media datur ei pro quo sacrificatur. ib.
Portio specialissima reservatur Sacerdoti. ibid.
An sit aliis applicabilis; an sit ex opere operato. ibid.
An similis detur assistentibus Missæ. ibid.n.78.
Portio generalis quæ. ibid.
Fructus est applicandus necessariò per Sacerdotem. ibid.n.79.
Cujus, etsi religiosus sit, applicatio facta contra mandatum Prælati, valet. p.347.n.80.
Quid fiat, si Sacerdos nulli fructum specialem applicaverit. ibid.n.81.
Pro securiori tamen suadetur secunda intentio. ibid.
Sufficit intentio seu applicatio habitualis. ibid.n.82.& p.143.n.36.&37.
Quæ tamen debet fieri ante sumptionem, immo ante consecrationem, saltem calicis. p.347.n.82.
Nonnullæ praxes improbantur. ibid.n.84.
Qualiter valere possit applicatio Missæ celebrandæ facta ei, quem Deus novit primò petiturum; & hoc tam quoad fructum impetratorium, quam satisfactorium ibid.n.85.
Formulæ intentionis. p.348.n.86.
Assistentes sacrificio quantumvis multiplicentur, non idem minorem fructum percipiunt? ibid.n.87.
Idem videtur de fructu principali, dum plures sacerdotes concelebrant. ibid.
Quo offertur Missa pro pluribus, minor est fructus singulis ibid.n.88.
Fructus sacrificii est finitus. ibid.
Proponuntur & diluuntur objectiones ibid.n.89.
Potest pro pluribus personis aut acceptis pluribus stipendiis Missam uni debitam offerre. p.349.n.90.
Fructus impetratorius est similiter finitus. ibid.n.91.
Notabile pro praxi. ibid.
Parochi non tenentur fructum specialem applicare quoad officii. p.350.n.91.
Explicatur mens Tridentini. ibid.n.93.

Sacrificii celebrandi Tempus.

An & quoties teneatur Sacerdos celebrare. p.349.n.92. & seqq. Vide Sacerdos.
Quando Parochi, beneficiati &c. celebrare debeant. p. 350.n.95.&96.&p.351.n.97.
De obligatione celebrandi quotidie missam conventualem tam quoad Collegiatas & Cathedrales, quam quoad Ecclesias Regularium.
Licitum est Sacerdoti quotidie celebrare, præterquàm die sancto Parasceves. Quo tamen non inhibent Canones communionem laicalem. p.351.n.98.
Licitè fiunt Missæ privatæ in feria V. Cœnæ Domini. ibid.n.99.
Immo etiam in Sabbato sancto. ibid.
Quando olim solita fuerit celebrari Missa in Sabbato sancto. ibid.n.100.
Non nisi semel indies Missam celebrare licet. p.352.n.101.
Excepto die Natalis Domini & casu necessitatis. ibid.n.102.
Quando subsit necessitas celebrandi plures in die. ibid.n.103.
Tempus celebrandi incipit ab aurora, & terminatur meridie. Vbi pariter opinio Navarri refertur. ibid. n.104.& seq.
Apud Reclas & Vicinos in hiemalibus fiunt Missæ ante auroram. p.353.n.106.
In ipsa nocte Natalis Domini possunt omnes tres absolvi. ibid.
Muniti privilegiis & edis possunt juxta eorum tenorem extra tempus ordinarium celebrare. ibid.
An sint hæc privilegia per Tridentinum revocata.
In casu justæ necessitatis licet extra tempus celebrare. ibid.n.108.

Sacrificii celebrandi Locus.

Missa in locis sacris aut debitè ad cultum divinum deputatis dicenda sub gravi obligatione. p.353.n.109.
Excipiuntur casus necessitatis. ibid.n.110.
Item dispensatio: quam in casu speciali & justa de causa potest dare Episcopus, non obstante Concilio Tridentino. p.354.n.111.&seq.
Immo juxta receptam doctrinam possunt simultanei Episcopi designare Oratoria privata, attentâ dispositione Tridentini. ibid.n.111.
Refertur dispositio recentior: quæ non recepta, videatur. ibid.n.114.
Ea non obstante posset Episcopus in propria domo deputare Oratorium. ibid.
Excipiuntur denique privilegiati. ibid.n.155.
An privilegia concessa Mendicantibus ad celebrandum in

quovis loco honesto, sint revocata per Tridentinum. ibid.
Post Tridentinum concessa licentia hujusmodi pro consuetudine in visitationibus refertur. ibid. n. 116.
Similiter post Tridentinum data est Provincialibus facultas designandi in singulis domibus oratoria privata, in quibus possit dici Missa. ibid. p. 355.
Celebrare in Ecclesia polluta est peccatum mortale. ibid. n. 117.
Vide Ecclesia. Templum.

Ad celebrationem Requisita.

Ad Celebrandum requiritur altare. p. 356. n. 126.
Vide Altare.
Quomodo altaris debeat esse coopertum. p. 357. n. 130.
Quomodo mappæ debeant esse benedictæ. ibid. n. 131.
Requiritur insuper corporale ex lino, album. ibid. n. 132.
Hoc olim simul operiebat calicem, ut nunc facit palla. ibid.
Quod debeat esse ex eadem materia, & similiter benedicta. ibid.
An vel quæ sit quoad hoc obligatio. ibid.
Num corporalia & pallæ esse ex cenabe vel gossipio. p. 358. n. 133.
Requiritur etiam candela accensa. ibid. n. 134.
Sufficit una cerea; etsi deceat, ut sint duæ. ibid.
In necessitate, etsi non deceat, sufficit lucerna ex oleo, & candela ex sevo. ibid.
Adesse debet Missale; & eo semper. ibid. n. 135.
Quomodo in medio altaris ponenda; citra obligationem, saltem gravem. ibid. n. 136.
Quid de pallio altari seu antipendio. ibid.
Requiritur insuper calix cum patena, quoad cuppam saltem ex auro vel argento aut ob inopiam ex stanno, non ex vitro, ligno, vel ære. p. 358. n. 137.
Non usus alibi excusat usum æreorum deauratorum. ibid.
Calix cum patena debet esse consecratus. ibid. n. 138.
Desinit esse consecratus, dum pes separatur à cuppa, nisi sit tornatilis vel quasi tornatilis. ibid.
An similiter, dum de novo inauratur; est controversum. ibid. p.
Requiritur insuper purificatorium, non tamen benedictum. ibid. n. 140.
Requiruntur vestimenta sacerdotalia requisita ibid. n. 141.
Prælati habent privilegium benedicendi ubi Episcopo, vel præditis Prælatis facultatem. ibid. n. 142.
Quæ habent Prælati Regularium Mendicantium, etiam circa corporalia & mappas altaris. ibid.
Item quam privilegia alienis. ibid.
Sacerdotes horis Orationum non Prælati possint celebrare, exceptis corporalibus. ibid. n. 143.
Quomodo vasa amittant suam benedictionem. pag. 360. n. 145.
Munditia requiritur in iisdem. ibid. n. 146.
Defectus poreft, etiam in corporalibus, esse mortalis. ibid.
Mappæ & vestes sacerdotales possunt à quovis tangi. ibid. n. 147.
Similiter pyxides, corporalia, purificatoria ante usum. ibid.
Juxta Suarez, etiam post usum ab Acolythis & aliis Clericis. ibid.
Non est grave peccatum, si reliquiæ etiam tangant, dum actu non continent Eucharistiam. ibid.
Est tamen veniale, juxta communem doctrinam. ibid. n. 148.
Immo id plurimi extendunt ad omnes Subdiacono inferiores. ibid. p. 361.
Vestes ac vasa profana converti possunt in usus sacros. ibid. n. 149.

Non contrò: dum manet forma immutata. Aliàs committitur sacrilegium. ibid. n. 150.
Quid censendum, si forma mutetur. ibid. n. 151.
Ad celebrandum requiritur unus saltem minister. ibid. n. 152.
Iste non masculus. ibid. n. 153.
Quid censendum de opposito usu alibi vigente. ibid.
Ad solum decentiam spectat, quòd celebrans sit calceatus. ibid.
Non est obligatio, saltem gravis, præmittendi matutinum celebrationi Missæ. p. 362. n. 154.
Nec gravis obligatio dicendi orationes inter vestiendum præscriptas. ibid. n. 156.
Idem est de præparamentis in Missali assignatis. ibid.
Suppletio defectuum in Sacrificio occurrentium.
Quid agendum Sacerdoti, dum in sumptione calicis, advertit aquam fuisse ministratam loco vini. pag. 362. n. 157.
Quid faciendum, dum Sacerdos dubitat, an habuerit intentionem consecrandi hostias pro communicanda plebe delatas. p. 363. n. 158.
Quid faciendum in casu, quo Sacerdos certus est vel dubitat se aliquid omisisse. ibid. n. 159. & seq.
Qualiter peccet Sacerdos aliquid in Missa addens, vel de ea minuens. ibid. n. 161.
An in Missa Solemni Sacerdos teneatur privatim legere Epistolam & Evangelium. ibid.
Opinio singularis Thomæ Tamburini hac de re discutitur. ibid. n. 162.
Omittere gloria vel Credo in Missa non est grave. ibid. n. 161.
Quid si Regularis pro Episcopo loci nominaret in Canone suum generalem. ibid. n. 163.
Vide Missa.

Sanguis.

Sanguis Christi fuit proximè & immediatè unitus Verbo Dei. p. 14. n. 54.
Opposita tamen sententia fusè à censura liberatur. p. 15. n. 55. & seqq.
Controversia de unione sanguinis cum Verbo in triduo mortis in quo statu sit, accuratè ostenditur. ibid. n. 58. & p. 16. n. 62.
Asseritur totum sanguinem retinuisse unionem, donec pars à Christo resurgente relicta fuit unione ad Verbum privata. p. 16. n. 62.
Aliquid de sanguine Christi effuso reservatum fuisse in terris, tradunt historica monumenta fidei non adversantia, in quo non manet unio ad Verbum. ibid. n. 63.
Vti nec in partibus quotidie in Christo viatore naturaliter assumptis. p. 17. n. 63.
Non est facienda quoad præmissa distinctio inter sanguinem nutrimentalem & non nutrimentalem. ibid. n. 64.

Sancti.

Sancti cum Christo regnantes sunt colendi & venerandi. p. 54. n. 15.
Objectiones Hæreticorum solvuntur. p. 55. n. 17. & seq.
Sancti cum Christo regnantes sunt invocandi; quod variè probatur. p. 56. n. 20. & seq.
Referuntur mendacia & contumeliæ Calvini. ibid.
Solvuntur Hæreticorum objectiones. p. 57. n. 24. & seq.
Deiparæ Virgini debetur cultus hyperduliæ; non latriæ. p. 58. n. 27.
Sancti non beatificati possunt coli & invocari citra exhibitionem cultûs publici. ibid. n. 28.
Quis cultus censeatur publicus. ibid.

Sal, Saliva.

Sal resolutum an sit sufficiens materia Baptismi. p.181. n.16.

Saliva an sit similiter materia sufficiens huius Sacramenti. ibid.

An traiectio voluntaria salivæ solvat ieiunium naturale. p.316.n.58.

Satisfactio Christi.

Refertur sententia recepta Doctorum, ad condignam pro peccato mortali satisfactionem, absolutè necessariam fuisse Verbi Incarnationem. p. [illegible] n.90.

Opposita Variorum, signanter Scotistarum, sententia. ibid.

Ex hac non rectè infertur Verbum gratis esse incarnatum. ibid n.91.

Obiectio quædam dissolvitur. ibid.n.92.

Differentia ampla inter satisfactionem Verbi incarnati & puræ creaturæ. p.24 n.93.

Satisfactio Christi pro peccatis nostris non fuit de rigore iustitiæ. p.43.n.63.

Quo sensu tamen dicatur subinde ex iustitia, immo superabundans. ibid.

Satisfactio Sacramentalis.

Quid nomine Satisfactionis intelligatur. p.425 n.1.

Satisfactionis divisio. ibid.

In Sacramento Pœnitentiæ est regulariter imponenda satisfactio. ibid n.2.

Satisfactio regulariter imponenda est per modum præcepti. p.426.n.3.

Potest tamen ex parte simul imponi per modum consilii. ibid.

Satisfactio debet esse proportionata peccatis; & quare ibid.n.4.

Monitio Ritualis Romani, aliaque cautela notabilis pro Confessariis. ibid.n.5.

In satisfactionem possunt imponi quævis bona opera, etiam interna, vel aliàs præcepta. ibid.n.6.

Expedit tamen simul iniungi aliàs libera: eaque iniungi censentur, nisi aliud constet. ibid.& n.7.

Præcepto Confessarii satisfacit eleemosynam erogans extremè indigenti. ibid.

Alii casus recensentur. ibid.

Potest iniungi confessio in satisfactionem nec non communio, etiam non sacrilega; immo interdum à communione abstinentia. p.427.n.8.& seq.

Denique iniungi possunt preces pro aliis, etiam defunctis. ibid.n.10.

Implenda est pœnitentia tempore præfixo: quo tamen elapso regulariter non expirat. ibid n.11.

Aliàs implenda est primâ opportunitate. ibid.

An vel qualis dilatio sit gravis. ibid.

Peccatis occultis occulta imponenda est pœnitentia: publicis publica imponi potest, & interdum debet. ibid.

Rectius, non necessariò imponitur satisfactio ante absolutionem. ibid.n.12.

Pœnitens tenetur pœnitentiam congruam acceptare. pag. 428.n.13.& seq.

Declaratur mens Scoti. ibid.n.15.

A fortiori tenetur pœnitens pœnitentiam acceptatam implere sub obligatione gravi ex genere suo. ibid.n.16.

An graviter obligare possit pœnitentia imposita culpis levibus, aut aliàs confessis. ibid.n.17.

Pœnitens debet pœnitentiam implere per se ipsum. p.429. n.18.

Exceptio quædam. ibid.

Proferuntur varia quæ ab implectione pœnitentiæ excusant: signanter qualiter excusetur pœnitens obliviosus pœnitentiæ. ibid.n.19.

Satisfactionis sacramentalis effectus & Commutatio.

Satisfactio sacramentalis delet pœnam temporalem ex opere operato. ibid.n.20.

Iuxta qualem proportionem id fiat. ibid.n.21.

Incertum, an conferat gratiæ prævenientes. ibid.n.22.

Implens pœnitentiam in malo statu satisfacit obligationi. p.430.n.23.

An obtineat effectum remissionis pœnæ. ibid.

An vel qualiter peccator sit capax remissionis pœnæ temporalis. ibid.n.24.

Differentia inter effectum Satisfactionis sacramentalis & sacrificii Missæ. ibid.

An possit satisfactio sacramentalis à pœnitente ipso commutari saltem in meliorem. p.431.n.25.

An possit commutari ab eo, qui potest dare indulgentiam ibid.n.29.

An sit facienda hic distinctio inter pœnitentiam quà vindicativam & quà medicinalem. ibid.n.30.

Quilibet Confessarius potest commutare pœnitentiam etiam ab altero, superiore injunctam. ibid.n.31.

Communior tamen sententia excipit pœnitentiam impositam pro reservatis. ibid.n.32.

Opposita tamen sententia non potest efficaciter improbari ibid.n.33.

Commutatio locum habet etiam in pœnitentia mediciali. ibid.n.34.

Commutatione factâ an liberum maneat implere alterutram. ibid.n.35.

Commutatio debet fieri intrà confessionem. ibid.n.36.

Exceptio quædam. ibid.

An debeat intimari secundo confessario, impositam fuisse priùs aliam pœnitentiam ibid.n.37.

An & qualiter commutanti pœnitentiam debeant significari peccata ob quæ fuit imposita. p. [illegible] n.38.

Scientia Christi. *Vide* Christi Scientia.

Schismatici.

Schismaticus sacerdos valide conficit. p. [illegible]

Quo sensu consecratio Schismatici interdum à Sancto pelletur irrita. ibid.

Quo sensu Pelagius Papa dixit, Non esse Corpus Christi, quod Schismaticus conficit. p.137.n.11.

Servitus. Servus. *Vide* Matrimonium Impedimentum.

Servitus Christi. *Vide* Christi servitus.

Sigillum Confessionis.

Sigillum Confessionis quid significet. p.473.n.1.

Est præceptum iure Ecclesiastico: atque etiam iure naturali servandi secretum: sed non sufficienter. ibid.n.2.& 3.

Accedit proinde obligatio fundata in ipsa institutione Sacramenti. ibid.n.4.

Ipsa quoque positiva lex Christi. ibid.

Frangens sigillum graviter peccat contra Religionem, etsi peccatum revelatum sit leve: nisi excusetur indelibertate. p.474.n.5.

An excuset levitas cognitionis seu suspicionis. ibid.

Qualiter præterea peccet contra famam & secretum naturale. ibid.n.6.

Confessarius crimen alias sibi notum salvo sigillo manifestare potest. ibid.n.6.

An peccet contra secretum naturale frangens sigillum in casu, quo cessante sigillo non esset obligatio secreti ibid.n.7.

Sigillum nascitur ex omni & sola confessione sacramentali. p.474.n.8.
Quanam censeatur talis. ibid.
Talis est, quæ fit laico, qui putatur Sacerdos; secus si sciat ignoto tali. ibid.n.9.
Non est sacramentalis, quæ non fit animo se accusandi, neque in ordine ad absolutionem, quantumvis quis protestetur se quidpiam dicere sub sigillo confessionis. ib.n.10.
Non est tamen necesse, ut absolutio re ipsa subsequatur. p.475.n.11.
Sub sigillum cadunt peccata cum suis circumstantiis, quæ sunt vel putantur ad eorum explicationem necessariæ; item occulta, & ingenere expressa mortalia. ib.n.12.
Quid de venialibus ingenere expressis; item de pœnitentia sibi imposita. ibid.n.13.
An liceat dicere, Sacris instituit apud me confessionem generalem. ibid.
Contra praxi. ibid.n.14.
Dispositio pœnitentis cadit sub sigillum. ibid.n.15.
Corollaria practica. ibid.n.16.
Defectus naturales, qui explicantur in ordine ad confessionem seu notitiam peccatorum, cadunt sub sigillum. p.476.n.17.
Vasquez tamen contradicit, quando inde quit venire in notitiam peccati. ibid.
Idem dicendum de defectibus, qui deprehenduntur ex ipso confessionis exercitio. ibid.n.18.
Quid censendum de aliis qualitatibus, ut etiam virtutibus pœnitentis. ibid.n.19.
Peccatum complicis cadit quoque sub sigillum. ibid.n.20.
Notabile. ibid.n.21.
Sigillum violatur etiam indirectâ seu implicitâ notificatione personæ, quæ peccatum commisit. p.477.n.22.
An sub sigillum cadat civitas vel communitas, in qua peccatum est commissum. ibid.n.23.
Obligantur sigillo, Confessarius, Interpres, confessionem laicæ, aut etiam casu incidenter audiens. ibid.n.24.
Non is, qui pœnitentem stantem ad id assumit pro sui confessione. ibid.
Quid si id fiat ex necessitate, v.g. tempore naufragii. ibid.
Quid si legente chartam, in qua sunt scripta peccata. ibid.p.478.
Obligatur etiam sigillo, cui confessarius sacrilegè revelat, & ad quoscumque ea notitia pervenerit. ibid.n.26.
De eo, cui revelatio fit a confessario, maximè si sit superior, aut consiliarius. ibid.n.27 & 28.
An vel quo flere teneatur ipse pœnitens. ibid.n.29.
Non licet extra confessionem agere cum pœnitente absque ipsius licentia de auditis in confessione. ibid.n.30.
An Oppositum sit violatio sigilli. ibid.n.31.
Qualis licentia sufficiat. p.479.n.32.
An licitum sit in secunda Confessione loqui de aliàs auditis. ibid.
An possit statim post absolutionem loqui de confessis. ibid.n.33.
Plurimi docent non sufficere licentiam pœnitentis ad quendam alias de auditis in confessione. ibid.n.34.
Requirunt, ut detur scientia novæ confessionis, quæ dari potest sub brevissimo compendio. ibid.
Oppositum tamen ferè communiter docetur. pag.479. num.35.
Quo supposito, sufficit licentia pœnitentis etiam ad revelandum peccatum complicis. ibid.n.36.
Immo insuper ad revelandum complicem. ibid.n.37.
Non sufficit tamen licentia solius complicis. ibid.n.38.
Licentia debet esse explicita, non tamen debet a pœnitente scripto. p.480.n.39.
Cautela servanda in casu quo pœnitens obligatur revelare aliquid confessionale. ibid.
Licitus est usus notitiæ Confessionalis citra revelationem aut pœnitentis gravamen. ibid.n.40.
Varia corollaria practica. ibid.n.41.
Licitus sit usus hujusmodi, quando habentes aliunde notitiam peccati conjiciunt inde confessionem ejusdem. ibid.n.42.
Licitus est usus scientiæ confessionalis quoad actiones spectantes ad justitiam vindicativam vel commutativam. p.481.n.43.
De aliis est controversia, seclusâ revelatione etiam indirectâ confessionis. ibid.
Opinio probabilissima negat. ibid.n.44.
Plurimi tamen affirmant. ibid.n.44.
Quod valde difficile in casu, quo pœnitens ex se gravamen sustinere non deberet. ibid.n.45.

Sinenses.

Apud Sinenses ex concessione Pauli V. potest Missa dici lingua sinensium, quæ apud illos est litteratorum. p.364.n.167.

Species Sacramentales. *Vide* Eucharistia §. Accidentia Eucharistica.

Spiritus.

Spiritus vitales & animales an à Verbo assumpti immediatè. p.17.n.65.

Spiritus sanctus.

Cur tribuatur Spiritui sancto incarnatio Verbi. pag.12. num.38.
Cur Spiritus sanctus dici nequeat pater Christi. p.73.n.35.
Explicatur apparitio Spiritûs sancti in specie columbæ. p.75.n.57.
An Spiritus sanctus rectè dici possit sedere ad dexteram Patris & Filii. p.93.n.120.
Quo sensu Joannes prædixit, Christum esse baptizaturum in Spiritu sancto & igni. p.180.n.12.
Quid sit per impositionem manuum dari Spiritum sanctum. p.220.n.1. & seqq.
Quâ die Spiritus sanctus descenderit super Apostolos in linguis igneis. p.243.n.19.

Sponsalia.

Sponsalia tripliciter accipiuntur. p.522.n.1.
Quid significent sponsalia de præsenti. ibid.
Vsitatè stat nomen sponsalium pro sponsalibus de futuro. ibid.
Eorumdem definitio. ibid.n.2.
Quamquam sint contractus onerosus, potest tamen dari promissio Matrimonii gratuita; aut reciproca quidem, sed sub veniali, aut ad solam obligans pœnam. p.523.n.3.
Hujusmodi tamen promissio non habet vim sponsalium. ibid.
An promissionis Matrimonialis ordinario sensu factæ acceptatio, censeatur eo ipso repromissio. ibid.n.4.
Vt sit promissio sponsalitia, debet esse unius cum una determinata. ibid.n.5.
Quid proinde fieret, si quis communitati Puellarum repromittenti promittat se ducturum unam ex illis. ibid.
Sponsalia sub conditione de futuro inita ad quid obligent. ibid.n.6.

Impletâ conditione transeunt eo ipso in absoluta; uti etiam, si sponsi à conditione recidant. ibid.
Inita inter impeditos sub conditione, si Papa dispensaverit, valent probabilius, obtentâ dispensatione. ibid. p. 7.
Occurritur objectionibus. ibid. & p. 524. n. 8.
Quid censendum de sponsalibus initis sub conditione impossibili aut impossibili. p. 524. n. 9.
Obligatio sponsalium est gravis. ibid. n. 10.
Ad impletionem potest Iudex cogere resilientem injustè. ibid.
Consultiùs tamen à coactione subinde desistet. ibid.
An sponsis vi sponsalium sint licita oscula, aliique tactus amplexus. ibid. n. 11.
Ad sponsalia requiritur interior intentio seriò promittendi sic ut non sufficiat intentio debita. p. 525. n. 12.
Occurritur objectionibus. ibid. n. 13.
Contrahentes sponsalia graviter peccant fingendo. ibid. n. 14.
Promissio sponsalitia debet esse sufficienter expressa. ibid. n. 15.
Qualiter sit standum communi verborum intelligentiæ. ibid.
Qualiter interpretationi ipsorum proferentium. p. 526. n. 15.
Variæ sponsalium formæ allegantur. ibid. n. 16.
Quæ signa à verbis distincta sufficiant. ibid. n. 17.
Contractus impuberum initus per verba de præsenti habet vim sponsalium, quantumvis initus clandestinè. ibid. n. 18.
An idem sit de Matrimonio clandestino puberum. ibid. n. 19.
Ad sponsalia requiritur perfecta deliberatio. p. 527. n. 20.
Error substantialis ea irritat ipso facto, accidentalis irritabilia facit: secundum plures etiam ipso facto irritat, qui tamen faciunt quasdam exceptiones. ibid.
Metus gravis injustus an irritet ipso facto. ibid. n. 21.
Quid de metu levi. ibid. n. 22.
Iure Ecclesiastico ad contrahenda sponsalia requiritur septennium completum. ibid. n. 23.
Citiùs contracta non valent, etiamsi prudentia superet ætatem. p. 528. n. 24.
Satisfit fundamentis sententiæ oppositæ. ibid. n. 25. & 26.
Sponsalia clandestinè contracta valent, & licent. ibid. n. 27.
Quantumvis ne conscius quidem sit unus testis. ibid. n. 28.
An pœnæ sponsalibus apponi possint. ibid. n. 29.
Appositæ non sunt solvendæ etiam ab injustè resiliente. p. 529. n. 29.
Objectionibus satisfit. ibid. n. 30.
Cur potiùs apponi possint arrhæ, quàm pœnæ. ibid. n. 31.

Sponsalium Dissolutio.

Sponsalia puberum etiam jurata dissolvuntur mutuo consensu. p. 529. n. 32.
Non jurata impuberum dissolvuntur etiam consensu unius illicò post pubertatem reclamantis, aut in reclamatione prius facta persistentis; alterius pubertate non expectatâ. ibid. n. 33.
A juratis sponsalibus non nisi mutuo consensu tales resilire possunt. ibid. n. 34.
Sponsalia dissolvit superveniens impedimentum dirimens. p. 530. n. 35.
Item professio religiosa. ibid. 36.
Occurritur objectioni. ibid.
Sponsalia suspenduntur solum per religionis ingressum ad arbitrium remanentis in sæculo. ibid. n. 37.
Extinguuntur eadem per Ordinis sacri susceptionem. ibid. n. 38.
Sexus est de voto illius aut voto simplici castitatis, si ipsa iam sint contracta. ibid.
Nihilominus vovens castitatem aut susceptionem ordinis sacri ex sua parte renuntiat sponsalibus. pag. 530. n. 39.
Solvuntur per subsequens cum alia matrimonium, non autem per nova sponsalia utpote invalida. ibid. n. 40.
Quid si secuta sit copula cum posteriùs desponsata. ibid. n. 41.
Subsequens cum secunda matrimonium in rigore petitionis quàm extinguit prima sponsalia, si prior sponsa cessit. ibid. n. 42.
Subsequens fornicatio alterutrius dat potestatem resiliendi, etsi sponsalia sint jurata, idque quantumvis sponsa vi foret oppressa. ibid.
An si uterque fornicetur sit locus compensationi delictorum. p. 532. n. 43.
Quid si solùm turpes tactus sint admissi. ibid. n. 44.
Quid si fornicatio præcesserit sponsalia. ibid. n. 45.
Qualiter solvantur sponsalia ob discessum sponsi in remotas terras. ibid. n. 46.
Item ob moram alterutrius. ibid.
Deinde ob mutationem notabilem qui secuta. ibid. num. 48.
Item ob gravia mala quæ merito timentur. ibid. n. 49.
Regula generalis, & apud Doctores recepta allegatur. ibid. n. 50.
Perinde est notabilem mutationem, sive causam advenire, & latentem innotescere. p. 533. n. 51.
Quid si dubitet quis, an contrahens sponsalia ita affectus, ut adhuc intenderet se obligare, etiamsi scivisset vitium occultum. ibid.
Facultas multis de causis resiliendi non arguit sponsalia esse conditionata. ibid. n. 52.
An dissolutio sponsalium exigat sententiam iudicis. ibid. n. 53.
An occulto defectu laborans possit validius contrahere sponsalia, & ad impletionem urgere comparentem in re... ibid. n. ...

Stella.

Stellæ sub tempus iudicii quo sensu cadent de cœlo. p. 103. n. 35.
Stella manifestat... Magis Christi nativitatem. p. 540.
Non erat ab æterno. ibid.
Illius mos... circumstantiæ referuntur. ibid.

Stipendium Missæ. *Vide* Missæ Stipendium.

Subdiaconus. Subdiaconatus.

Subdiaconus in malo statu assistens sacrificio vel aliter peccat. p. 147. n. 55.
Ex commissione Papæ potest simplex Sacerdos conferre Subdiaconatum. p. 507. n. 55. *Vide* Ordinis Sacramentum.

Subsistentia.

Sententia statuens subsistentiam in negativo valde congruit mysterio Incarnationis. p. 10. n. 31.
Difficultas, quam alii faciunt, declaratur. ibid.
Sententia solam distinctionem rationis inter naturam & subsistentiam seu personalitatem creatam statuens, non congruit mysterio Incarnationis. ibid. n. 32.

Suffragium. *Vide* Indulgentiæ.

T.

Tabactum.

Tabac sumptio vel masticatio an solvat jejunium naturale. p.315.n.58.
Ejus quorumdam Sacerdotum abusus taxatur. ibid.

Tactus.

An vel qui tactus inceant Sponsis. p.524.n.11.
Qui tactus & qualiter sint licitis conjugatis. p.597.n. 33. *Vide* Debitum conjugale.

Templum.

Templa dicantur Soli Deo, etsi frequenter sub titulo & patrocinio alicujus Sancti. p.341.n.94.
Eorum templa, & superstitiosos in iis gentilium cultus, versi in Ecclesias Deo & memoriam sanctorum dicatas, religiosique cultus Christiani verterunt. p.60. num.2.
Quando tollatur templi consecratio, ut sit reconsecrandum. p.356.n.125.
Qualiter violetur per homicidium, sanguinis effusionem, seminis emissionem, aut sepulturam excommunicati vel pagani. p.355.n.117. & seqq.
An etiam per actum conjugalem. ibid.n.120.
Qualiter & per quos reconciliatur; significatur an per Prælatum regularem. ibid.n.122.
An violata notabiliter per Missam in templo bonâ fide celebratam. p.356.n.123.
An & quando templo destructo, reædificato vel translato, maneat, non maneat, vel transferantur indulgentiæ. p.443.n.89.
Vide Ecclesia. Sacrificii celebrandi locus.
Tonsura clericalis. *Vide* Ordinis Sacramentum.

Transfiguratio.

Transfiguratio Christi qua occasione solemnizetur per Officium Ecclesiasticum. p.81.n.68.
Ipsa contigit in monte Thabor cum Petro, Joanne & Jacobo majore, & quo fructu. ibid.
In quo ejus claritas, magis declaratur. ibid.n.69.
Transsubstantiatio. *Vide* Conversio substantialis.
Eucharistica transsubstantiatio.

Trinitas.

In Trinitas est causa effectiva incarnationis. p.12. n.38.
An & quare tota Trinitas vere non sit incarnata. p.13. num.43.
Altercatio, quia hîc patiuntur negantes distinctionem formalem, defenditur. ibid.n.44. & seq.
Quomodo recte depingatur. ibid.n.62.n.47.
Auctoritas suprema judicandi quæ competat communiter tribus personis. p.103.n.39.
Invocatio explicita Trinitatis necessaria est ad valorem Baptismi. p.188.n.45. & seqq.
Vide Baptismi forma.
Expressa Trinitatis invocatio an necessaria in forma Confirmationis. p.227.n.32. & seqq.
Tota Trinitas adest in Eucharistia per concomitantiam. p.275.n.40.
Invocatio Trinitatis non spectat ad essentiam formæ absolutionis. p.382.n.24.

V.

Valentinianus Imperator.

Non attentavit Polygamiam, neque ipsam lege permisit. p.557.n.27.

Vagus.

Vagi cujus jurisdictioni ordinariæ subjiciantur. p.451.n.25.
Vagorum Matrimonio quis valide assistat. p.564.n.16.
Quid circa illos sit Parochis observandum ex præscripto Ecclesiæ. ibid.n.17.

Vallis Josaphat.

Vallis Josaphat erit locus Judicii universalis. p.104.n.41.

Verbum Divinum

Congruentius fuit incarnari Verbum, quàm aliam personam divinam. p.3.n.4.
Potuit assumere naturam angelicam. ibid.n.5.
Congruentius tamen humanæ succurrit divina pietas per incarnationem. ibid.
Potuisset quoque assumi natura irrationalis. ibid.
Immo & accidens. p.4.n.5.
Verbum incarnatum est propter salutem hominis lapsi. p.18.n.70.
Non, si Adam non peccasset, Verbum incarnatum fuisset. judicatu difficile esse, rectè dixit D. Bonaventura. ibid.
Opinio affirmativa probatur. ibid.n.71. & p.19.n.72. & seqq.
Opinio contraria fundatur potissimùm in variis Auctoritatibus: quæ explicantur. p.19.n.76.
Verbum venit in carne passibili ad delenda peccata etiam actualia. p.20.n.78.
Principaliter tamen ad delendum originale. ibid.
Quod etsi solùm fuisset, adhuc venisset in carne passibili vi præsentis decreti. ibid.
Secùs est, si sola fuissent actualia. ibid.
Etsi fortasse vi alterius decreti tunc ponendi ob peccata actualia sola, præsertim gravia & multorum, venisset in carne posibili. ibid.n.79.
Verbi incarnatio non fuit Deo necessaria. p.23.n.89.
Etiam supposito peccato; immo & voluntate liberandi hominem à peccato. ibid.
Sed hoc potuisset gratuitò remitti, aut requisitâ solùm satisfactioni congruâ vel imperfectâ. ibid.
Ad condignam pro peccato mortali satisfactionem absolutè necessariam fuisse Verbi incarnationem tradit, recepta multorum doctrina. ibid.n.90.
Quam regnat varii, signanter Scotistæ. ibid.
Ex quorum sententia non sequitur Verbum esse gratis incarnatum. p.23.n.91.
Objectio quædam dissolvitur. ibid.n.92.
Explicantur Patres exaggerantes necessitatem incarnationis Verbi. p.24.n.93.
An Verbum sit prædestinatum, ut sit homo. p.26.n.106.
Verbum assumpsit verum corpus & animam rationalem invicem unitam. p.14.n.52.
Assumptio tamen animæ & corporis ab eorumdem mutua unione non necessariò dependet. ibid.
Assumpsit Verbum corpus integrum, adeoque omnes partes integrantes, etiam dentes, & sanguinem, si sit animatus. ibid.n.53. & seq.
Opposita tamen sententia à graviori censura fusè vendicatur. p.15.n.55. & seqq.
Quod de sanguine, idem de pituita, atra & flava bili est sentiendum. p.17.n.65.
Item de spiritibus vitalibus & animalibus. ibid.
Quid censendum sit de rore & cambio. ibid.
Item de unguibus & capillis. ibid.
De chylo, saliva, sudore, lacrymis & accidentibus, id est negandum. ibid.
Humanitas Christi fuit assumpta primo instanti suæ existen-

stentiæ. p.17.n.66.
Quod necessarium erat, ut B. Virgo esset ad diceretur Deipara. ibid.
Animæ & carni simul inter se & cum humanitate Verbi assumptæ. ibid n.67.
Quo sensu Verbum assumpserit carnem mediante anima & animam mediante spiritu. p.18.n.69.

Vestes Sacræ.

Quæ vestes sacræ requirantur ad celebrandum. pag.359. num. 141.
A quo sint benedicendæ, ubi de potestate Regularium benedicentium quoad hoc. ibid.n.142.&c.
Vinum. Vinum Congelatum. *Vide* Eucharistiæ materia.

Virginitas.

Virginitas in Lege veteri non fuit illicita neque probrosa. p.72.n.28.

Unio hypostatica.

Unio hypostatica ad Deum terminata non causat in eo mutationem aut novam denominationem intrinsecam. p.3.n.2.
Unio potius quàm actio potest terminari immediatè ad unum, quia terminetur ad aliud realiter idem & formaliter distinctum. ibid. n3.
Unio hypostatica est realiter distincta ab extremis. p.11. n.34.
Terminus formalis incarnationis est unio hypostatica. p. 12.n.41.
Unio hypostatica nequit coalescere in unum modum cum actione productiva humanitatis. p.11.n.36.
Vide Incarnatio.
Unio hypostatica proximè consistit inter naturam humanam & personalitatem Verbi. p.13.n.43.
Ne si immediatè respiciat ipsam deitatem, tota Trinitas sit incarnata. ibid.
Gravissimam tamen quoad hoc difficultatem patiuntur, qui non admittunt in divinis distinctionem formalem. ibid.n.44.
Effugium quorumdam præcluditur. ibid.
Duplex instantia, superfluitatem distinctionis formalis ad hoc Mysterium salvandum contendens, dissolvitur. ibid.n.45.& 46.
Unio hypostatica est purus modus, relatioque extrinseca ad veniens. ibid.n.47.
Quæ an dicenda sit accidens, an reductivè substantia discutitur. ibid.n.48.
Opinio statuens unionem hypostaticam in quidditate esse solùm in Philosophia. p.14.n.49.
Unio hypostatica est quodam sensu maxima; notatur rationis doni: quod maximè fuit gratuitum respectu humanitatis non autem ipsius Christi. ibid.n.50.
Quodam sensu non est maxima. ibid.n.51.
Unio hypostatica non ponitur sub speciebus ut verbum. p.276.n.45.
An formaliter sanctificaverit Christum. p.32.n.

Votum.

Votum solemne dirimit Matrimonium contrahendum. p. 377.n.42.
Idem est de voto simplici emisso in Societate Jesu. ibi.
Votum solemne dirimit Matrimonium jure solum Ecclesiastico. ibid.n.43.
Votum de ingrediendo Religionem, si nullum tempus determinet, debet statim & aliter loquendo impleri. p.204.n.10.
Votum simplex castitatis, aut suscipiendi Sacros Ordines non dissolvit sponsalia antea contracta. p.530.n.38.
Idem votum, Peregrinationis, aut non nubendi, reliquit alia matrimonium illicitum. p.[illegible]
Differentia notanda inter votum non nubendi, Ordinis sacri, Castitatis & Religionis. ibid.n.17.

Uvæ.

Uvæ seu succus uvis inclusus consecrari non potest. p. 252.n.25.
Cur minùs, quàm Vinum Congelatum. p.253.n.30.

W.

Waldenses.

Waldenses fuere primi impugnatores indulgentiarum. p.433.n.30.

Zacharias.

Zacharias pater Ioannis Angelo Deum reddit; secus quam Deipara. p.69.n.
Qualiter Zacharias ipsa probarit certissimum esse in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti. 133.n.25. & n.134.n.28.

BENIGNE LECTOR

EX novissimo Bullarii Romani Tomo, Lugduni anno 1673. impresso, nimiùm tuere nobis subsequentia, sed tardiùs quàm ut loco suo (nimirùm in *disp.8. de Sacrificio Missæ q.15.n.192.* ubi resolutio dato conformiter ad regulas communes, regulanda est ad novas declarationes) de his fieret mentio, valdè alioquin opportuna: quam proinde hic ad calcem indicis supplendo censui. Nam *Alexander VII.* rectè consulens, tum observantiæ Rubricarum Missalis præscribentium, ut in festo duplici Missæ dicantur de festo, tum solatio animarum purgatorii, declaravit per litteras in forma Brevis expeditas die 22. Januar. 1667. *Quoad Altaria privilegio Apostolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuùm decorata, & in quibus proinde quotidie, etiam in festis ritûs duplicis celebrandæ essent Missæ defunctorum ex obligatione, per celebrationem Missarum de Festo currenti satisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per ejusmodi privilegia*

vilegia Apostolicæ concessas, animabus fidelium defunctorum in purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent Missæ defunctorum; ad formam dictorum privilegiorum. Idipsum Clemens IX. in Brevi, Quod felicis record. emanato die 23. Sept. 1667. ad altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu ad aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, nunc & in futurum quandocunque privilegiata extendit. Et proinde, ut Missa quæ ibidem de festo currenti, in quo Missæ defunctorum celebrari non possunt, sive ex obligatione, sive ex solâ fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur, itaut animæ Christi fidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujusmodi concessas consequiantur in omnibus & per omnia, perinde, ac si Missæ defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuissent, concedere voluit, & voluit.

Porro, in quibus non sunt celebrandæ Missæ pro defunctis, sunt non solum festa duplicia, sed etiam dies Dominicæ, ut infra Octavas Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes & Corporis Christi, item feria quarta Cinerum, & feriæ seu dies infra hebdomadam majorem, denique Vigiliæ Nativitatis Domini & Pentecostes.

Prætereà ad robur doctrinæ traditæ *Tract. de Sacram. Pœnit. disp.* 3. *q.* 6. de Absolutione Catholici moribundi sensibus destituti, qui signa alia contritionis dare nequeunt, de quibus sanem constat (pro qua 38. Auctores citat *Ioannes de Christo Theologica Tract.* 6. *de Pœnit. disp.* 48. *c.* 5. censens illam ex dictamine reflexo valdè probabilem, immò moraliter certam) censui jungendum Testimonium de sensu & praxi Ecclesiæ Moguntinæ; cujus authographum citiùs promissum, tardiùs quoque accepi, & servo. *Nos infrascripti Consistorii Ecclesiastici Moguntini Assessores Theologi fidem facimus & attestamur, quòd in hac Archidiœcesi sententia illa, quòd moribundi, qui in communione Catholicæ Ecclesiæ vixerunt, etiamsi nullo penitus signo, suum de peccatis dolorem exterius constituere valeant, absolutione tamen absolvi possint, immò debeant, modo [illegible] approbata, sed [illegible] omnibus Parochis in prima admissione ad curam animarum, [illegible] tanquam in praxi injungatur. In hujus rei majorem certitudinem hisce manu propria subscripsimus Anno M. DC. LXXIV. subscriptum erat. Adolphus Godefridus Volusius SS. Theol. Doctor, Consiliarius & Sigillifer ut & Plebanus Moguntinus. Andreas Lirnæus S. Theol. Lic. I. V. D. Consiliarius Ecclesiasticus Moguntinus. [illegible] Archi-Episcopal. Præses.*

Pauci [illegible] Typographici (quod solet in vastioribus materiis) etiam vigilantibus correctoribus obrepserunt: quos tamen ferè omnes ex contextu facilè dignoscet prudens lector. Potiores subjicio

Pag. 29. col. 1. lin. 14. à fine *veneratione* l. *venerationi*. pag. 30. col. 2. lin. 21. à fine victori *lege* victori. pag. 32. col. 1. lin. 20. post *leg.* per pag. 33. col. 1. lin. 5. à fine capite *l.* capite. p. 73. c. 1. lin. 16. medicinâ *leg.* medicina. p. 77. c. 1. lin. 2. sed opportune *l.* ad opportune. p. 116. c. 2. lin. 41. ad voluntatem *l.* ac voluntatem p. 139. c. 2. lin. [illegible] fine *conservatum* leg. *consecratum*. p. 179. c. 1. lin. 39. Christum *l.* Christus. p. 180. c. 1. lin. 8. à fine *æqua l.* aqua. p. 215. c. 2. lin. 8. à fine *respondere l.* responderet p. 234. c. 1. lin. 2. Et hac *l.* hæc p. 243. c. 2. lin. 25. accepti *l.* accepit. p. 286. c. 1. lin. 24. à fine decidendus *l.* derideudus. p. 304. c. 2. lin. 9. *rationes carentis l. rationis carentes*. p. 358. c. 1. lin. 99. in margine *relati* l. *veluti* p. 358. c. 2. lin. 27. à fine per *l.* pes. p. 364. c. 2. lin. 36. centos post, causæ cessationem denegatis *leg.* ducentos, post causæ [illegible]tionem, denegantis. p. 371. c. 1. lin. 31. admittuntur *l.* admittunt. p. 377. c. 2. lin. 2. apostolus *l.* apostolos. p. 392. c. 1. lin. 16. moraliter *l.* moraliter. p. 398. c. 2. lin. 34. censet *l.* censeo. p. 400. c. 2. lin. 12. utrisque *l.* utriusque. p. 416. c. 2. lin. 14. [illegible]bis *l.* illius. p. 417. c. 1. lin. 29. infirmis *l.* infirmus. p. 427. c. 1. lin. ultimâ tame *l.* tam. p. 430. c. 1. lin. 3. à fine oblato *l.* oblato. p. 472. c. 2. lin. 8. *Clementis* l. *Clemens*. p. 508. c. 1. lin. 10. concernere *l.* concurrere. p. [illegible] c. 1. lin. 19. ca. *l.* capax. p. 532. c. 1. lin. 13. totum *l.* torum. p. 536. c. 2. lin. 54. hominem l. hominum. p. 574. c. 1. lin. 36. sic *l.* sit.

Ad Majorem Dei, Deiparæque Virginis, & S. P. Francisci gloriam.




ANTVERP

Typis PETRI BE

1675.


Th
441a


HERINX
1b
3en part
D II